AUTHOR:

ORATORES ATTICI

TITLE:

ORATORES ATTICI, ET QUOS SIC VOCANT ...

PLACE:

LONDINI

DATE:

1828

Master Negative #

93-81513

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Oratores Graeci.

Oratores Attici et quos sic vocant Sophistae opera et studio Gulielmi Stephani Dobson... Londini, Dove, 1828.

16 v. 23½ cm.

Added special title-pages for each volume.

Contents.--t.1. Antiphon et Andocides.--t.2.Lysias.--t.3. Isocrates.--t.4.Isaeus, Dinarchus, etc.--t.5-11. Demosthenes.--t.12. Aeschines.--t.13. Antiphontis, Andocidis et Lysiae interpretatio Latina.--

9-24-4 OK

Continued on next card

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 6/23/93   INITIALS BE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Master Negative #

93-81513

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Oratores Graeci. Oratores Attici ... 1828.
(Card 2)

t.14. Isocratis, Isaei, Dinarchi, Lycurgi, Demadis et Sophistarum interpretatio Latina.--t.15. Demosthenis interpretatio Latina.--t.16.Demosthenis et Aeschinis interpretatio Latina.

Copy in Classics Reading Room.

9-24-48 OK

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/23/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

GUIDE TO CONTENTS
for

ORATORES ATTICI

REEL	MASTER NEGATIVE #	DATE	VOLUME
1	93-81509	1828	v. 1
		1828	v. 2
		1828	v. 3
2	93-81510	1828	v. 4
		1828	v. 5
		1828	v. 6
3	93-81511	1828	v. 7
		1828	v. 8
		1828	v. 9
4	93-81512	1828	v. 10
		1828	v. 11
		1828	v. 12
		1828	v. 13
5	93-81513	1828	v. 14
		1828	v. 15
		1828	v. 16

REEL 5

VOLUME 14

1828

VOLUME 15

1828

VOLUME 16

1828

VOLUME 14

ORATORES ATTICI

ET QUOS SIC VOCANT

SOPHISTÆ

OPERA ET STUDIO

GULIELMI STEPHANI DOBSON A.M.

REGIÆ SOCIETATIS LITERARUM SOCII

TOMUS DECIMUS QUARTUS

LONDINI
EXCUDIT J. F. DOVE
(APUD QUEM ETIAM VENEUNT)
A. S. MDCCCXXVIII.

ISOCRATIS

ISÆI DINARCHI

LYCURGI DEMADIS

ET

SOPHISTARUM

INTERPRETATIO LATINA

LONDINI
PROSTANT APUD J. F. DOVE
A. S. MDCCCXXVIII.

TABULA

EORUM QUÆ CONTINENTUR IN TOMO DECIMO QUARTO.

ISOCRATES.

ORATIONES. Pag.

EPISTOLÆ.

ISOCRATIS

AD DEMONICUM

ADMONITORIA.

1. Quum multis, Demonice, in rebus multum interesse videas inter bonorum rationes et improborum cogitationes: tum in familiaritatibus longe maximum discrimen habent. Nam alteri amicos, dum adsunt tantum, colunt; alteri etiam longe remotos amant: ac improborum quidem necessitudines paulo momento pereunt; bonorum autem amicitias nulla temporis longinquitas deleverit. Quum igitur iis qui gloriam expeterent et liberalibus artibus studerent, bonos et non improbos imitandos censerem, hanc orationem dono tibi misi, quæ et benevolentiæ nostræ pignus esset, et meæ cum Hipponico familiaritatis signum. Ut enim rei familiaris sic et amicitiæ paternæ liberis capienda est hereditas.

2. Ac nobis et fortunam suffragari et ipsum tempus opitulari video: nam et tu erudiri cupis, et ego in aliis erudiendis elaboro; tu quidem in eo ætatis flore es ut literis studeas, ego literarum studiosis viam commonstro. Etsi autem ii qui ad amicos exhortationes scribunt, rem certe præclaram suscipiunt, non in eo tamen versantur quod est in sapientiæ studio præstantissimum; qui vero adolescentibus tradunt ea non quæ in dicendi exercitatione et oratoria facultate eos acuant, sed quæ ad naturale decus honestatis conforment, eo plus quam illi fructus afferunt auditoribus, quod, ut alteri ad eruditionem verborum duntaxat hortantur, sic alteri etiam mores eorum corrigunt. Nos igitur, non arrepta hortatione, sed conscripta præceptione, tibi consulturi sumus, quæ res adolescentibus expetendæ quæque facta fugienda sint, et quorum hominum consuetudine uti, et quo pacto vitam instituere debeant. Nam, qui hoc vitæ quasi iter ingressi sunt, hi soli veræ virtutis compotes fieri potuerunt; qua nulla possessio neque splendidior est neque constantior. Nam forma quidem aut ætate consumitur aut morbo deflorescit: divitiæ vero vitiorum magis quam virtutis ministræ sunt, cum quod ignaviæ facultatem offerunt, tum quod adolescentes ad voluptates invitant. Jam vires corporis cum prudentia conjunctæ sane prosunt, sed sine hac plus iis ipsis nocent

ISOCRATIS

AD DEMONICUM

ADMONITORIA.

1. QUUM multis, Demonice, in rebus multum interesse videas inter bonorum rationes et improborum cogitationes: tum in familiaritatibus longe maximum discrimen habent. Nam alteri amicos, dum adsunt tantum, colunt; alteri etiam longe remotos amant: ac improborum quidem necessitudines paulo momento pereunt; bonorum autem amicitias nulla temporis longinquitas deleverit. Quum igitur iis qui gloriam expeterent et liberalibus artibus studerent, bonos et non improbos imitandos censerem, hanc orationem dono tibi misi, quæ et benevolentiæ nostræ pignus esset, et meæ cum Hipponico familiaritatis signum. Ut enim rei familiaris sic et amicitiæ paternæ liberis capienda est hereditas.

2. Ac nobis et fortunam suffragari et ipsum tempus opitulari video: nam et tu erudiri cupis, et ego in aliis erudiendis elaboro; tu quidem in eo ætatis flore es ut literis studeas, ego literarum studiosis viam commonstro. Etsi autem ii qui ad amicos exhortationes scribunt, rem certe præclaram suscipiunt, non in eo tamen versantur quod est in sapientiæ studio præstantissimum; qui vero adolescentibus tradunt ea non quæ in dicendi exercitatione et oratoria facultate eos acuant, sed quæ ad naturale decus honestatis conforment, eo plus quam illi fructus afferunt auditoribus, quod, ut alteri ad eruditionem verborum duntaxat hortantur, sic alteri etiam mores eorum corrigunt. Nos igitur, non arrepta hortatione, sed conscripta præceptione, tibi consulturi sumus, quæ res adolescentibus expetendæ quæque facta fugienda sint, et quorum hominum consuetudine uti, et quo pacto vitam instituere debeant. Nam, qui hoc vitæ quasi iter ingressi sunt, hi soli veræ virtutis compotes fieri potuerunt; qua nulla possessio neque splendidior est neque constantior. Nam forma quidem aut ætate consumitur aut morbo deflorescit: divitiæ vero vitiorum magis quam virtutis ministræ sunt, cum quod ignaviæ facultatem offerunt, tum quod adolescentes ad voluptates invitant. Jam vires corporis cum prudentia conjunctæ sane prosunt, sed sine hac plus iis ipsis nocent

penes quos sunt, et ut corpora pugilum ornant, sic tenebras curationi mentis obducunt: virtutis autem possessio, in quorum animis sincere una cum ætate accreverit, sola nec in senectute deserit, et opibus præstantior et nobilitate utilior; nam quæ alii efficere non possunt, ea facit ut obtineri possint quæ multitudini horrenda videntur, magno animo subit, desidiam in vitio ponit, laborem laudi sibi ducit. Quæ quidem facile tum ex Herculis certaminibus tum e Thesei operibus perspici possunt, quorum factis norma virtutis directi mores tantum gloriæ decus impresserunt, ut nulla sæcula res eorum gestas oblivione delere possint.

3. Atque adeo, si quod vitæ institutum patris tui fuerit recordere, domesticum et illustre habebis exemplum eorum quæ a me dicuntur: nec enim sic exegit ætatem, ut vel virtutem negligeret vel ignaviæ sese dederet, sed et corpus laboribus exercuit et animum ad pericula paratum habuit; neque pecuniam supra modum amavit, sed et bonis suis usus est ut mortalis, et rem familiarem curavit ut immortalis; neque vero vitam abjecte instituit, sed et splendidus fuit et magnificus et benignus in amicos, ac sui studiosos pluris fecit quam generi sibi propinquos. Ad amicitiam enim constituendam longe plus esse virium in natura quam in lege, in moribus quam in genere, in voluntate quam in necessitate, judicabat. Deficeret nos omne tempus, si omnes illius actiones enumeraremus: sed illas accuratius alias explicabimus, nunc specimen Hipponici naturæ exhibuimus, quod tanquam exemplar in vita degenda propositum tibi esse debet, ut mores illius pro legibus habeas, paternamque virtutem admireris et æmuleris. Nam, quum pictores pulcras animantes exprimant, liberis turpe fuerit parentes virtute præstantes non imitari. Quare persuasum habeto, nulli pugili tantam esse præparationem adhibendam contra suos adversarios, quam tibi curandum sit ut in hoc certamine laudis sis patri tuo par. Nequaquam autem fieri potest ut quisquam hoc in animum inducat suum, ni multis et bonis præceptis fuerit refertus: nam ut moderatis laboribus corpora, sic honesta doctrina mentes augeri solent. Ego itaque te breviter monere conabor, quibus studiis maximas ad virtutem progressiones facturus et ab aliis omnibus laudem et gloriam consecuturus esse videaris.

4. In primis igitur deos immortales religiose colito, non sacrificia modo faciendo sed jurejurando etiam conservando: nam illud amplæ pecuniæ indicium est, hoc morum integritatis argumentum. Venerare numen cum alias semper, tum maxime quum sacra publice fiunt: sic enim apparebit te simul et diis immolare et legibus obtemperare. Talem erga parentes te præbe, quales in te liberos esse tuos optares. Eas corporis exercitationes amplectere, non quæ ad robur, sed quæ valetudini prosint. Quod ita consequere, si laborare desinas, dum adhuc laborare queas. Neque petulantem risum ama, neque audacem orationem proba: nam alterum stultitiæ est, alterum insaniæ. Quæ factu sunt turpia, ne dictu quidem decora esse puta. Assuefac te ut sis vultu non torvo, sed severo: nam illud insolentiæ, hoc prudentiæ tribuetur. Existima te maxime decere modestiam, verecundiam, justitiam, temperantiam; his enim virtutibus omnis adolescentiæ disciplina continetur. Siquid unquam turpe admiseris, ne sperato fore clam: nam ut alios id celes, at ipse tibi eris conscius. Deos time, parentes autem honora: amicos verere, legibus obtempera. Eas sequere voluptates quæ gloriam pariant: nam oblectatio conjuncta cum honestate res est optima, sine hac, pessima. Cave criminationes, etiam falsas: vulgus enim, quum veritatem ignoret, ex opinione famaque judicat. Omnia te ita facere puta, quasi neminem sis celaturus: etsi enim quippiam occultaris in præsentia, post tamen innotescet. Existimationem maxime colliges, si ea te non facere appareat quæ ab aliis facta reprehenderes. Si cupide didiceris, multa disces. Quæ scis, exercitationis diligentia tuere; quæ non didicisti, artium cognitione adjungito: æque enim turpe est, auditam utilem orationem non discere, ac boni quippiam datum ab amicis non accipere. Quicquid otii dabitur, id in audiendæ doctrinæ studio consumito: sic enim fiet ut, quæ magnis alii laboribus invenere, tu facile perdiscas. Audivisse multa, præstare puta quam pecuniæ multum coegisse: nam hæc facile amittitur, illa perpetuo durant; solius enim sapientiæ possessio est immortalis. Ne te pigeat longam ire viam ad eos qui se aliquid utile docturos profitentur: quum enim mercatores rei familiaris augendæ gratia tanta maria transmittant, turpe fuerit adolescentes excolendi ingenii causa nec terrestre iter velle suscipere. Moribus tuis adsit affabilitas, verbis urbanitas: est autem affabilitatis obvios salutare, urbanitatis comiter eos appellare. Comis in omnes eris, sed optimorum familiaritate uteris: sic aliorum inimicitias vitabis, aliorum tibi amicitiam conciliabis. Ne sæpius eosdem, neque verbosius iisdem de rebus, alloquare: est enim rerum omnium satietas. Exerce te voluntariis laboribus, ut etiam necessarios perferre possis. Dabis operam ut rebus omnibus imperes quibus animum servire turpe est, cujusmodi sunt, lucrum, ira, voluptas, dolor. Hæc autem ita consequere, si ea in lucro deputes quæ gloriam, non quæ opes, augeant: in ira, si talem te præbeas delinquentibus, quales in te delinquentem alios esse velles; in oblectationibus, si turpe ducas, servis imperare, voluptatibus servire; in rebus molestis, si calamitates aliorum inspicias, et te hominem esse recorderis. Diligentius tuere deposita verborum quam nummorum: nam boni viri est ita se gerere ut ejus integritas fide dignior quam jusjurandum esse videatur. Quemadmodum im-

probis diffidendum, sic bonis habendam esse fidem ducito. Nemini arcana tua credito, nisi res illas taceri æque expediat etiam illis qui audiunt, ac tibi dicenti. Jusjurandum si postulabitur, duabus de causis dabis, vel ut temetipsum turpi crimine liberes, vel ut amicos e magnis periculis eripias: pecuniæ vero causa per nullum deum jurabis, etiamsi liquido id facere possis; ne aliis perjurus aliis avarus esse videaris. Amicitiam cum nemine jungito, priusquam exploraveris quomodo prioribus amicis fuerit usus: sperabis enim eum in te quoque fore talem, qualem erga illos se præbuerit. Sensim amicitiam contrahito, contractam perpetuo conservare studeto: nam subinde mutare familiaritates, æque turpe est ac amicum habere neminem. Neque cum damno mores amicorum periclitare neque sodalium animos velis ignorare; quod ita facies, si egere te simularis, non egens: communicato cum eis res non arcanas, tanquam arcanas; nam et deceptus nihil detrimenti capies, et voti compos factus mores eorum perspectiores habebis. Amicos cum in vitæ calamitate tum in periculorum societate cognosces: nam ut aurum igni exploratur, sic amicorum fides rebus adversis declaratur. Sic rectissime tractabis amicos, si non exspectes dum te rogent, sed ultro, quum tempus postulat, eis opem feras. Non minus turpe ducas, superari beneficiis amicorum, quam vinci maleficiis inimicorum. Eos amicos proba, quibus non tantum mala tua doleant, sed qui etiam bonis tuis non invideant: multi enim, ut rebus amicorum adversis dolent, ita secundis invident. Absentium amicorum mentionem fac apud præsentes, ut nec ipsos absentes neglecturus esse videaris. In vestitu fac ornatum probes, luxum repudies. Habet autem ornatus magnificentiam, luxus redundantiam. Ama bonorum non ingentem cumulum, sed moderatum fructum. Eos qui amplificandæ rei student, quum partis uti nesciant, contemnito: istis enim idem fere accidit quod ei qui bonum pararit equum, non satis equitandi peritus. Da operam ut divitiæ et usui et fructui tibi sint. Sunt autem iis qui frui sciunt usui, iis vero qui uti sciunt fructui. Rem familiarem duabus de causis magni fac, tum ut magnam mulctam sufferre, tum ut bono amico ferre opem in calamitate possis: quod autem ad cæteras vitæ rationes attinet, non supra modum eam, sed mediocriter amato. Iis quæ adsunt contentus esto: quære tamen res meliores. Nemini calamitatem exprobres: nam fortuna communis est, futuraque provideri non possunt. Bonis benefacito: præclarus enim thesaurus est beneficium apud bonum virum collocatum. Si de malis bene mereberis, idem tibi usuveniet quod iis qui alienos canes pascunt: nam et hi æque allatrant eos qui dant quam quoslibet, et improbi non minus eos qui bene de ipsis merentur quam eos qui eis nocent lædunt. Assentatores non minus oderis quam impostores: nam

utrique lædunt eos qui fidem illis habent. Si eos amicos complecteris qui tibi nequissimis in rebus gratificantur, per omnem ætatem nullos habebis qui tuum odium propter res optimas suscipiant. Comis erga eos esto qui te conveniunt, non superbus: nam fastidium et arrogantiam vel servi dominorum ægre ferunt, comitas vero grata et jucunda est omnibus. Sunt autem comitatis officia, non contentiosum esse, non morosum, non omnibus in rebus adversatorem, familiarium iracundiæ non aspere resistere, quamvis injuste irascantur, sed eis cedere dum commoti sunt, ac ubi deferbuerit ira eos objurgare; non in ridiculis serias res agere, neque seriis in rebus nugis gaudere — intempestiva enim ubique molesta sunt —; non ingratis inire gratiam, quo vitio multi laborant, qui etsi amicis obsequuntur, gravatim tamen id faciunt; non facile incusare, nam odiosum est, non ad reprehendendum esse proclivem, nam iratos facit. Conviviorum vitare sodalitates consultissimum certe fuerit: sed siquando tempus postularit, surgito ante ebrietatem. Quum enim vino mens corrupta fuerit, idem ei quod curribus evenit e quibus aurigæ sunt excussi: nam ut hi temere feruntur carentes gubernatoribus, sic animus in multa delicta impellitur, mente subversa. Immortalitatem specta magnitudine animi, mortalitatem moderato rerum usu. Quantum eruditio inscitiæ præstet, ex eo perspicies quod omnes e cæteris improbe factis fructum aliquem capiunt, hæc vero sola detrimentum etiam injungit: nam sæpe isti, quem offendere verbis, ei reipsa pœnas dederunt. Cum quibus amicitiam tibi constitutam esse vis, de illis honorifice loquitor, iis audientibus qui renuntiaturi sint: principium enim amicitiæ est laudatio, vituperatio inimicitiarum. Quum deliberas, e præteritis exempla pete rerum futurarum: nam quæ obscura sunt e manifestis facillime dijudicantur. In deliberando tardus esto, in exsequendis deliberatis celer. Existima nihil tribui melius a diis quidem prospera fortuna, a nobis ipsis autem sapienti consilio. Quas res aperte dicere vereberis, et tamen cum amicis aliquibus communicare cupies, tanquam de re aliena orationem instituito: sic et eorum sententiam intelliges, nec te ipse aperies. Quum alterius consilium in tuis negotiis expetes, considerabis in primis quomodo res suas administrarit; nam qui suum negotium male gessit, nunquam bene procurabit alienum. Sic autem ad capiendi consilii prudentiam maxime incitaberis, si, quæ damna temeritatem sequantur, cogitaris: nam et valetudinem diligentissime curamus, quum ægrotationum molestias recordamur. Regum mores imitare et ad eorum studia te confer, ut eos probare et æmulari videaris; unde fiet ut et populus de te melius existimet et tu illorum benevolentiam erga te confirmes. Cum ipsis regum legibus obtempera, tum voluntatem eorum firmissimam esse legem ducito. Quemadmodum enim in

popalari degenti republica multitudo colenda est, sic et eum qui in imperio regio consedit, regem admirari oportet. Magistratum adeptus, nullius improbi ministerio in obeundis negotiis utitor: nam quicquid ille deliquerit, id tibi imputabitur. A publicis functionibus discede, non locupletior sed laudatior: gloria enim et laus recte factorum magnis opibus est præferenda. Nullius improbi negotii vel adjutor vel patronus esse velis: nam et teipsum eadem facere putabunt quæ ab aliis facta defenderis. Sic te parato ut aliis plus possis, et æquo tamen jure cum cæteris vivito, ut te justitiam colere appareat non ex imbecillitate sed propter æquitatem. Paupertatem cum justitia conjunctam opibus male partis anteponito: nam justitia pecuniis eo præstantior est, quod hæ viventibus tantum prosunt, illa etiam defunctis gloriam parit, hæ vel malis hominibus contingunt, illam improbi nullo consequi modo possunt. Neminem eorum qui lucris injustis ditantur æmulare, sed eos pluris facito qui ob justitiæ studium detrimentis afficiuntur: nam justi, si nulla re alia injustis præstant, spe certe bona sunt superiores. Cum omnium rerum quæ ad vitam degendam attinent curam suscipito, tum ingenio excolendo vel maxime intentus esto: maxima enim res in re minima est bona mens in corpore humano. Da operam ut et corpore sis laborioso, et animo studioso, ut altero perficere queas decreta, altero prospicere scias profutura. Quicquid dicturus es, prius cum animo tuo reputa: multi enim sunt quorum lingua cogitationi antevertat. Duo loquendi tempora constitue, alterum de rebus tibi plane cognitis, alterum de iis quæ necessario sunt dicenda: in his enim solis silentium antecellit oratio, in aliis vero tacere satius est quam loqui. Nihil rerum humanarum esse firmum existima: sic fiet ut nec in rebus secundis lætitia exsultes, nec in adversis consterneris. Et gaudere debes rebus secundis, et moderate ferre dolorem calamitatum, sed utraque dissimulato: quum enim domi opes occultemus, absurdum fuerit aperto animo obambulare. Magis cave reprehensionem quam periculum; nam ut vitæ finis improbis, sic bonis viris ignominiosa vita formidolosa esse debet. Operam in primis dato ut in tuto vivere queas; sed si quando tempus inciderit ut pericula sint adeunda, incolumis e bello evadere stude cum laude et gloria, non cum infamia et dedecore; nam fatum omnes quasi capitis condemnavit, mortem autem honeste oppetitam natura peculiare præstantium virorum munus esse voluit.

5. Neque vero mirari debes, multa ex iis quæ diximus, isti ætati tuæ non convenire: nam id me quoque non præteriit, sed propositum mihi fuit, una eademque opera et de præsenti vitæ ratione consilium promere et quid in posterum tibi faciendum esset denuntiare. Nam usum quidem horum facile intelliges, fidelem autem et benevolum monitorem haud temere invenies. Ne igitur cætera ex aliis tibi quærenda essent, sed ut hinc omnia velut e penu depromeres, nihil, in quo tibi consulere possem, prætereundum esse duxi. Magnas autem deo gratias agam si me spes de te concepta non fefellerit. Nam, ut plerosque alios cibis jucundissimis potius quam saluberrimis delectari, sic etiam ad eos sese amicos adjungere cernimus qui una delinquunt, non ad eos qui vitia reprehendunt. Te vero contrarium statuisse existimo, argumento industriæ tuæ in aliis disciplinis adductus: nam qui ipse sibi optima quæque imperavit, eum consentaneum est etiam alios ad virtutem exhortantes amplecti. Maxime autem ad studium honestarum rerum incitaberis, si animadvertes, eas verissimarum voluptatum esse procreatrices. Nam in socordia quidem luxuriæque amore molestiæ statim voluptatibus adhærescunt, virtutis autem studium et sobrium vitæ institutum semper oblectationes sinceras atque etiam constantiores gignit: nam illic principio gavisi post dolemus, hic post molestias voluptates capimus. In omnibus autem rebus non tam principii solemus meminisse quam sensu finis affici: nam pleraque in vita non propter res ipsas agimus, sed propter ea quæ consequuntur elaboramus.

6. Illud item cogites velim, plebeiis quidem hominibus quidvis licere—nam tale statim initio vitæ suæ fundamentum jecerunt—, præstantibus vero negligere virtutem concessum non esse, eo quod multos reprehensores habent. Omnes enim non tam oderunt flagitiosos, quam eos qui virtutis professi studium, re nulla vulgo antecellunt: nec id injuria: nam quum eos improbemus qui verbis tantum fallunt, quanto magis eos nequam homines dicemus qui nullum in tota vita suæ dignitatis gradum retinuerunt? Ac ejus generis homines non in semetipsos tantum esse injurii, sed et fortunæ proditores recte existimantur; quæ quum eis opes et gloriam et amicos in manus dederit, ipsi parta felicitate indignos sese præbeant. Quod si fas est mortali voluntatem deorum conjecturis indagare, eos etiam in conjunctissimis potissimum demonstrasse arbitror, quomodo et adversus homines improbos et erga bonos viros essent animati. Nam quum Jupiter—ut arcanæ literæ tradunt et omnes credunt—Herculem Tantalumque genuisset, alterum ob virtutem immortalitate donavit, alterum propter improbitatem maximis suppliciis affecit. Decet igitur in hæc exempla intuentes virtutem et honestatem expetere, nec ea servare duntaxat quæ nos diximus, sed et poetarum optima quæque discere, et ea legere quæ alii viri sapientes utiliter præceperunt. Nam ut apes omnibus quidem insidere flosculis, de singulis autem optima carpere videmus: sic eruditionis etiam comparandæ studiosos, nullius rei esse rudes, sed undique utilia colligere decet. Vix enim hac ipsa diligentia naturæ nostræ pravitatem superabimus.

ISOCRATIS
AD NICOCLEM
DE REGNANDO VEL DE REGNO
ORATIO.

1. Qui vobis regibus, Nicocles, advehere vestes solent aut æs aut aurum factum aut aliquod aliud ejus generis, quo et ipsi egent et vos abundatis, hos (ut mihi quidem videtur) plus satis apparet non largitionem facere sed mercaturam, suasque res multo callidius vendere quam eos qui ex professo cauponantur. Ego vero existimavi hoc pulcherrimum fore munus ac utilissimum idemque et mihi danti et tibi accipienti aptissimum, si describere possem, quibus officiis præstandis et quibus rebus fugiendis optime et civitatem et regnum administraturus esses. Nam privatos quidem homines permulta sunt quæ erudiant, atque in primis vita expers deliciarum et quotidiana de parando victu cogitandi necessitas, deinde leges quibus in suis quique civitatibus reguntur, præterea libertas illa qua palam et amicis objurgare invicem et inimicis exagitare delicta licet, denique poetæ quidam veteres præcepta de vivendi ratione reliquerunt: quibus rebus omnibus consentaneum est eos fieri meliores. Principibus autem nihil ejusmodi contingit, sed quos omnium maxime institui conveniebat, hi mox suscepto principatu sine ullis monitoribus ætatem exigunt: perpaucis enim ad eos patet aditus, qui vero familiariter cum eis vivunt, hi ad gratiam et dicunt et faciunt omnia. Itaque amplissima pecunia et potentia maxima potiti, facultatibus his non recte utendo, effecerunt ut multi dubitent, sitne privatorum quidem hominum sed moderate se gerentium potius expetenda vita, quam tyrannorum. Nam quum honores eorum et divitias et imperia intuentur, omnes eos diis similes esse censent qui soli rerum potiuntur: quum vero timores et pericula considerant, memoriaque repetentes vident alios a quibus minime oportebat interfectos, alios erga suos conjunctissimos delinquere coactos, aliis utrumque accidisse, rursus quovis modo vivere melius esse putant quam in hujusmodi calamitatibus vel universæ Asiæ dominari. Est autem hujus diversitatis et confusionis causa hæc, quod regnum tanquam sacerdotium cujuslibet hominis esse putant, quod summum est rerum humanarum majoremque providentiam postulat.

2. Ac singulatim quidem quo pacto rectissime res administrari, utque et bona conservari et mala caveri possint, eorum munus

est consulere qui tibi semper adsunt: omnia autem studia, quæ tanquam meta tibi proposita esse debeant et quibus in rebus versandum sit, ego recensere conabor. Utrum vero donum hoc argumenti dignitati, quum absolutum fuerit, sit responsurum, ab initio facile perspici non potest: multa enim et numeris devincta poemata et soluta oratione conscripti libri, dum adhuc in mentibus auctorum inclusa tenerentur, magnas sui exspectationes concitarunt, sed perfecta tandem et aliis ostensa longe tenuiorem quam pro concepta spe gloriam consecuta sunt. Sed tamen conatus ipse præclarus est, ab aliis prætermissa conquirendi et regnis veluti leges præscribendi. Nam, qui privatos homines instituunt, hi solis illis prosunt: si quis vero populi dominos ad virtutem excitarit, is utrisque commodaverit, tum iis qui imperant tum iis qui parent imperio; quod et illis principatus tutiores et his respublicas leniores effecerit.

3. Primum igitur considerandum est quodnam sit regum officium: nam si summatim id in quo totius rei vis est probe constituerimus, in ea intuentes melius de partibus quoque dicturi sumus. Arbitror equidem constare inter omnes, convenire eis ut civitatem et calamitatibus liberent et res ejus secundas tueantur et ipsam e parva magnam efficiant: nam cætera, quæ quotidie incidunt, horum causa facienda sunt et ad hæc referenda. Illud autem perspicuum est, oportere eos, in quibus hæc facultas esse debeat et qui his de rebus deliberaturi sint, non socordiæ sese dare, sed providere ut sint aliis longe prudentiores. Constat enim, quemadmodum ipsi animos suos excoluerint, ita etiam eorum regna se esse habitura. Quare nulli certatori tam convenit corpus exercere, quam regibus ingenium suum: nam celebritates ludorum universæ nullam partem constituunt eorum præmiorum pro quibus vos quotidie decertatis.

4. Hæc igitur considerantem, operam dare te decet, ut quantum alios dignitate superas, tantum etiam virtute illis antecellas. Neque vero putabis curam et studium in aliis prodesse rebus, ad augendam autem virtutem et prudentiam nihil habere virium, neque tantæ infelicitatis homines condemnabis, ut, quum artes quasdam ad cicurandas bestias et animos illarum excolendos invenerimus, ipsi nobis ad virtutem nihil afferre adjumenti queamus; sedquem admodum institutio et cura cum primis possit animo nostro adjuvare, ita existimato, atque tum domesticorum prudentissimis familiariter utere tum exterorum quoscunque poteris accersito, tum celebrium et poetarum et rhetorum omnium periculum tibi esse faciendum persuasum habeto, ac illorum quidem auditor esto, horum autem discipulus; itaque te para, ut et minorum sis judex, et majorum æmulator: nam his exercitationibus celerrime talis fies, qualem esse oportere nos proposuimus eum qui recte sit regno præfuturus et urbem ita ut decet gubernaturus. Sic vero ipse te maxime cohortabere, si

absurdum esse duxeris deteriores præstantioribus dominari et stolidiores prudentioribus imperare: nam quo vehementius aliorum inscitiam despexeris, eo diligentius ingenium tuum exercebis.

5. Hinc igitur eos auspicari decet qui fungi officio volent. Præterea et hominum et civitatis esse amantem oportet: nec enim fieri potest ut vel equis vel canibus vel hominibus vel ulli denique rei quisquam recte præsit, nisi delectetur iis quorum ei mandata est curatio. Populus curæ tibi sit, et omnia in eo posita esse putato ut is imperio tuo delectetur; notum enim est et oligarchias et cætera imperia eo diuturniora esse quo diligentius populum coluerint. Sic autem bene imperabis, si neque vulgi petulantiæ locum dederis neque alios populo insultare passus fueris, sed provideris ut et honores optimo cuique mandentur et cæteri nullis injuriis afficiantur: hæc enim elementa prima et maxima sunt reipublicæ bene constitutæ.

6. Edicta et instituta vitiosa loco move et muta; operamque in primis dato ut optimorum sis inventor, sed, si id fieri nequit, imitare quæ apud alios recte se habent. Leges quære in universum æquas et utiles et inter se consentientes, atque etiam tales quæ et controversias civium quam paucissimas et compositiones quam fieri potest celerrimas efficiant: hæc enim inesse oportet omnia legibus bene constitutis. Effice negotiationes eis lucrosas, lites detrimentosas: ut has fugiant, illas appetant. De controversiis eorum sententias neque ad gratiam ferto neque inter se contrarias, sed de iisdem quidem rebus semper eadem decernito: etenim et decet et expedit regum de jure decreta esse immutabilia, ut probatas leges. Urbem eodem modo quo paternam domum administra, apparatu splendido et regali, ratione vectigalium accurata, ut simul et illustri laude celebreris et sumptus tolerare possis. Ostenta magnificentiam ne in una quidem re magni sumptus, statimque peritura, sed tum iis rebus quas diximus tum instrumenti atque supellectilis ornatu tum beneficentia in amicos: nam quæ hoc modo insumpseris, ea et tibi ipsi firma stabiliaque permanebunt, et posteris tuis plures commoditates afferent quam pecuniæ profusiones. Religionem eam serva quam a majoribus accepisti, sed id pulcherrimum sacrificium et cultum esse maximum existima, si ipse te quam optimum et justissimum præbeas: major enim spes est deos immortales talium vota audituros quam eorum qui multas victimas prosternunt.

7. Primos honores conjunctissimis, verissimos benevolentissimis defer. Corporis custodiam tutissimam esse puta tum in virtute amicorum tum in benevolentia civium tum in tua prudentia esse collocatam: hæc enim sunt per quæ imperium facillime et paretur et conservetur. Rem privatorum familiarem curato, et prodigos de tuo facere sumptum et ad rem attentos tuas opes augere existimato: bona enim omnia in urbe habitantium ad familiam pertinent regum bene imperantium. Per omnem ætatem tantam veritatis præ te ferto reverentiam, ut plus habeatur fidei tuæ affirmationi quam aliorum dejerationi. Cum omnibus hospitibus urbem exhibe tutam et in contractibus æquam, tum inter advenas eos maximi facito non qui dona tibi advehunt, sed qui a te expetunt: nam, si his honorem habueris, apud cæteros majore gloria eris. Exime civibus multas formidinis causas, neque meticulosos eos esse velis qui nihil delinquunt: nam quo tu eos in te esse animo consuefeceris, eodem et ipse in illos eris. Nihil per iracundiam agito, sed iram, quum tempus postulabit, simulato. Acrimoniam tuam proba indagatione rerum quæ geruntur omnium, clementiam mitigatione suppliciorum. Auctoritatem imperii tuere non asperitate nec sævitia pœnarum, sed excellenti sapientia, ut te suæ saluti omnes melius quam semetipsos consulere arbitrentur. Bellicosus esto scientia rei militaris et apparatu, pacificus nihil præter jus et æquum vendicando. Erga civitates imbecilliores talem te præbe, quales in te potentiores esse velles. Noli de rebus quibusvis contendere, sed de iis duntaxat quarum victoria tibi profutura est. Contemnendos existima, non eos qui utiliter succumbunt, sed qui cum damno suo vincunt. Magnanimos puta, non eos qui majora suscipiunt quam sustinere possint, sed qui et honesta desiderant et quæ aggrediuntur perficere possunt. Æmulare, non eos qui latissime imperium propagarunt, sed qui id quod habent rectissime administrarunt; teque ab omni parte beatum fore puta, non si omnibus hominibus cum terroribus et periculis imperites, sed si, talem te præbens qualem decet et ea gerens quæ in præsentia, mediocria desideres et horum nullo careas.

8. In amicitiam recipe non quoslibet, sed tua natura dignos; neque cum quibus jucundissime tempus conteras, sed quorum opera urbem optime gubernes. Diligenter inquirito in tuos familiares, teque scito talem ab iis omnibus qui consuetudine tua non utuntur judicatum iri, quales illi fuerint cum quibus vixeris. Sic alios iis præfice rebus quas ipse non geris, ut tibi adscribendum scias quicquid illi fecerint. Fideles existima, non eos qui omnia et dicta tua et facta laudarint, sed qui etiam errata et delicta reprehenderint. Potestatem da prudentibus libere dicendi sententiam, ut, si quibus de rebus dubitaris, præsto sint qui illas una tecum expendant. Discerne eos qui arte assentantur ab illis qui ex benevolentia te colunt, ne improbi meliore conditione sint quam boni viri. Audi quid alii de aliis dicant, operamque dato ut, quales et quinam sint non minus ii qui dicunt quam ii de quibus dicunt, cognoscas. Iisdem suppliciis affice calumniatores, quibus delinquentes. Impera tibi ipsi non minus quam cæteris; idque maxime regium putato, si nullis libidinibus servias, sed cupiditates magis in potestate habeas quam cives tuos. Nullam familiaritatem temere ac sine ratione contrahe, sed iis gaudere congressibus assuesce, qui te et sapientia augeant et virtutis apud alios opinione.

9. De iis rebus tibi placere noli quæ a malis etiam perfici possunt; sed virtutem laudi tibi ducito, cujus nulla pars improbis contingere potest. Verissimos honores eos esse puta, non qui palam ex metu tibi habentur, sed si ipsi apud sese prudentiam tuam plus quam fortunam admirentur. Si forte ita ceciderit ut re aliqua leviore gaudeas, dissimula; sed rerum maximarum studium ostenta. Noli putare aliis vivendum esse moderate regibus perturbate, sed tua temperantia fac aliis exemplo sit; nec ignores totius civitatis mores ad exemplum magistratuum conformari. Hoc tibi argumento sit te regno bene præesse, si populum et locupletiorem et modestiorem sub imperio tuo videas esse factum. Præstare puta liberis tuis honestam famam quam magnas opes relinquere: nam hæ mortales sunt, illa immortalis; fama pecuniæ quæri possunt, emi pecuniis fama non potest; opes etiam improbis aliquando contingunt, gloriam vero parare non possunt nisi virtute præstantes. In vestitu et corporis ornatu splendidus, in aliis actionibus laborum tolerans, esto ut regnantes decet: ut et qui vident ob adspectum te regno dignum judicent, et familiares tui ob animi tui robur iisdem assentiantur. Considera semper et dicta et facta tua, ut in delicta quam paucissima incidas. Optimum certe quidem est servare modum, sed quoniam is non facile cognoscitur, malis citra resistere quam ultra progredi: mediocritatis enim vis magis in eo quod parum quam in eo quod nimium est cernitur.

10. Urbanus esse stude et gravis: quorum hoc principatum decet, illud congressibus est aptum. Sed hoc est præceptorum omnium difficillimum: nam eos qui gravitatem affectant plerumque frigere, qui vero urbani esse student eos humiles et abjectos videri, comperies. Est autem utraque hac ratione utendum, et finitimum utrique incommodum effugiendum. Quicquid earum rerum quæ regum cognitione dignæ sunt certo nosse voles, ad id experientiam et doctrinam adhibeto: nam ut doctrina viam tibi ostendet, sic rerum gerendarum exercitatione id consequeris ut res dextre administres. Cogita quæ res et gerantur et ferantur tum a privatis hominibus tum a principibus: nam si præteritorum recordaberis, de futuris rectius deliberabis. Minime decere puta, quum privati quidam homines mortem oppetendam censeant ut post obitum laudentur, reges eas actiones fugere quæ viventibus gloriam pariant. Imagines, quæ virtutis tuæ potius quam corporis monimenta sint, fac relinquas. Operam cum primis dabis ut et te et urbem in tuto colloces: sed si periculum adeundum fuerit, honeste mori quam turpiter vivere præoptabis. In omnibus tuis factis regni memento, solliciteque cave ne quid honore isto indignum designes.

11. Ne committas ut natura tua simul universa intereat: sed quum tibi corpus mortale contigerit, [animus immortalis,] fac immortalem animi tui memoriam relinquas. Meditare de præclaris

actionibus loqui, ut iis consentanea quæ dicere soles etiam sentire assuescas. Quæ tibi cogitanti optima videbuntur, ea re ipsa perficito. Quorum gloriam miraris, eorum res gestas imitare. Quæ tuis liberis præciperes, ea ipse facere ne graveris. Aut utere præceptis nostris, aut ipse his inveni meliora. Sapientes existima, non eos qui de rebus minutis curiose rixantur, sed qui de maximis rebus egregie dicunt; nec eos qui aliis felicitatem pollicentur, quum ipsi multarum rerum inopia laborent, sed eos qui, quum de se modice dicant, tamen et negotia dextre obire et inter homines versari commode possunt, nec in vitæ mutationibus perturbantur, sed pulcre moderateque ferre tam secundas res quam adversas didicerunt.

12. Neque vero mireris nos multa dixisse quæ et ipse intelligas: neque enim hoc me præteriit, sed satis scivi, quum tanta multitudo sit et hominum privatorum et principum, alios horum aliquid dixisse, alios audivisse, alios a nonnullis facta vidisse, nonnulla etiam ipsos factitare. Verum in his orationibus, quæ ad præceptiones de officiis pertinent, non requirenda est novitas; in quibus nec admirabile nec incredibile nec inusitatum quicquam comperitur: is vero doctissimus habendus erit, qui eorum, quæ in animis aliorum dispersa jacent, quam plurima colligere et elegantissimis verbis potuerit explicare. Illud quoque mihi satis notum fuit, quum et poemata et alia scripta quæ suasione constant omnes utilissima esse judicent, ea tamen non libentissime audire, sed eodem erga illa esse animo quo erga monitores: quos ut universi laudant, sic eorum congressus refugiunt, illorumque consuetudinem qui socii delictorum sint, non eorum qui a vitiis dehortentur, expetunt. Id quod vel ex Hesiodi et Theognidis et Phocylidis poesi cognoscitur: nam hos fatentur optima vitæ mortalium reliquisse consilia, sed quamvis hoc dicant, nugis tamen audiendis et recitandis tempus perdere quam in illorum præceptionibus versari malunt. Præterea si quis e præstantibus poetis eas quas sententias vocant, in quibus illi potissimum elaborarunt, excerperet, erga illas etiam eodem animo essent: comœdiam enim vel nequissimam audire mallent quam poemata tam artificiosa.

13. Et quid opus est singulis commemorandis immorari? Omnino enim si naturas hominum consideremus, plerosque nec cibis saluberrimis gaudere nec studiis pulcherrimis nec actionibus optimis nec doctrinis utilissimis reperiemus, et eas voluptates habere maximas quæ rationi utilitatis maxime repugnant, ac tolerantes et industrios videri eos qui officio suo satisfaciunt: quare qui talibus quisquam placeat, sive moneat sive doceat sive utile aliquid dicat? Qui præter ea quæ diximus, prudentibus etiam invident, simplices autem et candidos putant amentes; et sic a veritate rerum abhorrent, ut ne sua quidem negotia norint, nam de suis quidem rebus cogitantes mœrent, de alienis autem quum disputant gaudent;

mallentque corporis ærumnam ferre quam animum exercere et de re aliqua necessaria suscipere cogitationem. Ac in congressibus quidem eos inter sese convitia vel dicere vel audire, in solitudine vero non deliberare sed optare deprehendas. Atque hæc non in omnes dico, sed in eos tantum qui his quæ diximus vitiis constricti sunt. Illud certe palam est, si qui sunt qui velint aliquid multitudini gratum vel carmine vel soluta oratione scribere, iis exquirenda esse non utilissima quæque, sed fabulosissima: nam talibus quidem audiendis gaudent, sed, quum veras causas et certamina spectant, mœrent. Quamobrem Homeri poesis et ii qui primi tragœdiam invenerunt admiratione afficiendi sunt, quod animadversa humani ingenii natura utrisque his rationibus ad poesim suam abusi sunt: alter enim certamina et bella semideorum fabulose persecutus est, alteri fabulas in ludos et actiones redegerunt, ut a nobis non audiri tantum sed etiam spectari possint. Quum igitur talia exempla in promptu sint, demonstratum est, si quis auditores allicere studeat et demulcere, ab admonitionibus et consiliis esse abstinendum, illa autem et scribenda et dicenda quibus populum maxime gaudere videt.

14. Hæc exposui, propterea quod existimavi oportere te, quum non sis unus de multis sed multorum rex, non ita sentire ut cæteros, neque vel res graves vel homines prudentes metiri ac ponderare voluptatibus, sed in actionibus utilibus periculum illorum facere, præsertim quum sapientiæ magistri de animi exercitationibus inter sese dissentiant; nam alii disputationibus dialecticis, alii præceptis eloquentiæ, alii per alia quædam suis auditoribus sapientiam pollicentur; in eo vero consentiunt omnes, bene institutum hominem oportere ex his singulis sibi prudentiam consilii capiendi comparare. Sunt igitur ea de quibus ambigitur missa facienda et amplectendum id de quo nulla controversia est ut rectius de illis judicetur; ac consiliarii tum maxime quum res consilium præsens postulat spectandi sunt, repudiatis iis qui in universum de rebus dicunt quique nihil eorum quæ fieri debent intelligunt — constat enim eum, qui sibi ipse prorsus est inutilis, nunquam alios effecturum esse prudentiores —, cordatos autem viros et qui longius quam alii prospicere possunt magnifacito et colito, ac persuasum habeto bonum consiliarium utilissimam et rege omnium dignissimam esse possessionem. Illos etiam tuum regnum maxime amplificaturos credito, qui tuam mentem plurimum potuerint excolere.

15. Ego pro mea intelligentia te admonui, et eum honorem quem possum tibi habeo: velle autem debes ut etiam alii, quod initio dixi, non consueta munera tibi offerant, quæ vos longe pluris emitis a donantibus quam a vendentibus, sed ea quæ, tametsi multum iis utaris idque nullum diem facere intermittas, non deteras, sed et pretiosiora ipso usu reddas.

ISOCRATIS

NICOCLES.

1. Sunt qui de eloquentia male sentiant et sapientiæ studiosos assidue criminentur, ac dicant eos non amore virtutis sed emolumenti sui gratia tales disputationes instituisse. Ego vero ex iis qui hoc animo sunt perquam audire velim, cur et bene dicendi studiosos vituperent et recte agendi cupidos laudent: nam, si emolumenta eis molesta sunt, plura et majora capi e factis quam e dictis comperiemus. Deinde illud quoque absurdum est, si ignorant, nos et pietatem colere et justitiam exercere et cæteris studere virtutibus, non ut deteriore quam alii conditione simus, sed ut bonis in vita quamplurimis perfruamur. Quare non accusandæ res illæ sunt, per quas cum virtute aliis præstare possis; sed homines potius, qui aut res illas male tractando corrumpunt aut eloquentiam ad fallacias et injurias conferunt.

2. Miror itaque cur ii qui ita sentiunt, non etiam divitias et robur et fortitudinem in crimen vocent. Nam si propter eos irascuntur eloquentiæ, qui delinquunt et mentiuntur, etiam cætera bona vituperare debent: nec enim defuturi sunt illarum quoque rerum possessione instructi, quos deliquisse et per eas multos afflixisse constet. Verum non convenit, si qui obvios verberant, robur accusare, neque propter homicidas fortitudini convitiari, neque denique hominum improbitatem in res transferre; sed illi ipsi culpandi sunt qui bonis rebus male utuntur, et cives suos per ea lædere non dubitant quæ ad eorum salutem convertere potuissent. Nunc neglecta singularum rerum tali distinctione, universam eloquentiam oderunt, et in tanto errore versantur ut non animadvertant ei se rei esse inimicos, qua non alia concessa est generi mortalium quæ sit plurium utilitatum causa.

3. Nam reliquis naturæ nostræ dotibus nihil cæteris animantibus antecellimus, sed ab illis longe tum celeritate tum robore tum aliis facultatibus superamur: sed, quum emergente naturæ vi consilia conferremus et quæ nostræ sententiæ essent invicem explicaremus, non ferinam solum vitam deseruimus, sed conciliis habitis urbes etiam condidimus et leges tulimus et artes invenimus, ad omnia denique propemodum solerter a nobis excogitata suas vires contulit

oratio. Hæc enim est quæ de rebus justis et injustis, de turpibus et honestis, leges tulit: quæ nisi constitutæ et distinctæ fuissent, nulla exsistere potuisset hominum consociatio. Hac et improbos arguimus et viros præstantes ornamus. Per hanc et stolidos erudimus et prudentes exploramus: nam ita dicere ut decet recte sentiendi maximum signum esse credimus, atque oratio vera et legitima et æqua honesti ac fidelis animi simulacrum est. Hujus ope et controversa disceptamus et ignorata quærimus: quibus enim argumentis dicendo aliis persuademus, iis ipsis etiam in nostris deliberationibus utimur; et eloquentes dicimus eos qui ad populum verba facere possunt, prudentes vero existimamus eos qui in consilii capiendi deliberatione ipsi secum de rebus optime disputarint. Quod si de hac facultate in summa dicendum est, nihil quod ratione agitur sine oratione fieri reperiemus, sed eam et operum et cogitationum omnium ducem esse, qua prudentissimi quique maxime utuntur: de magistris igitur eloquentiæ et sapientiæ studiosis qui contumeliose loqui audent, odio non minore digni sunt, quam ii qui fana deorum immortalium violant. Ego vero cum omnes orationes probo quarum quantulacunque utilitas esse potest, tum eas esse judicio pulcherrimas et regibus dignissimas et mihi maxime aptas quæ de honestis actionibus et reipublicæ gerendæ ratione præcipiunt, atque in his ipsis illas excellere censeo quæ et principes docent quomodo sit tractanda multitudo, et homines privatos quo pacto erga principes affecti esse debeant: per hæc enim urbes video fieri et felicissimas et amplissimas.

4. Ac alteram quidem hujus doctrinæ partem, de gerendo imperio, ex Isocrate audivistis; eam vero quæ restat, de civium officiis erga magistratus, ego recitare conabor, non quod illum superare studeam, sed quia me potissimum decet his de rebus apud vos disserere. Nam si vos, quum ego quæ a vobis fieri vellem non exposuissem, a mea sententia aberraretis, non justam irascendi vobis causam haberem: sin rebus omnibus indicatis tamen nihil ejusmodi fieret, jam non injuria contumacibus succenserem. Arbitror autem vos ita maxime excitari et acui posse tum ut recordemini tum ut exsequamini ea quæ dicta fuerint, si non consulendo tantum occupatus certis capitibus enumeratis discessero, sed si etiam ostendero, primum hanc reipublicæ formam esse magni faciendam, non eo tantum quod necesse sit et quod ea perpetuo simus usi, sed ob illud etiam quod hæc inter alias respubl. maxime excellat: deinde me non contra leges hoc imperium tenere aut aliis ereptum, sed sancte et juste, tum propter primos majores tum propter patrem tum propter meipsum. Nam si prius hæc demonstrata fuerint, quis non ipse sese maximo dignum supplicio fateatur, si meis et consiliis et imperatis non obtemperarit.

5. Quod igitur ad respublicas attinet — nam de hoc initio me dicturum esse proposui — omnes mihi assentiri arbitror iniquissimum esse ut eadem bonis et improbis tribuantur, æquissimum vero ut recta ratio ineatur et discrimen servetur ne inæquales æqualia consequantur, sed ut ea cujusque et fortuna sit et dignitas quam meretur. At vero oligarchiæ et democratiæ id spectant ut æqualitas sit inter ejusdem reipublicæ socios, et in eo statu præclarum habetur, si nemo plus alio possit; id quod e re improborum est: monarchiæ vero principem locum præstantissimo cuique deferunt, secundum illi qui a primo est proximus, tertium et quartum cæteris eadem ratione. Quæ si non ubique recepta in mores sunt, ea tamen est hujus imperii ratio et voluntas. Quod si et ingenia hominum et actiones spectemus, universi monarchias præstare cæteris fateantur. Quis vero sanæ mentis est qui se non optet ejus potius civem esse reipubl. in qua sua virtus non ignoretur, quam nulla re vulgo potiorem delitescere? Quinetiam hanc tanto mitiorem esse jure judicemus, quanto facilius est unius viri judicio et voluntati satisfacere, quam id, dare operam ut multis et variis ingeniis placeas. Monarchiam igitur et jucundiorem esse et leniorem et æquiorem etsi pluribus ostendi posset, ex his tamen etiam facile intelligi potest: in cæteris vero, quanto monarchiæ sint ad consulendum potiores et ad res opportune conficiendas, sic pulcherrime cernemus, si in maxima negotia inter se comparata inquiramus. Nam qui in singulis annis magistratus ineunt, prius ad vitam privatam redeunt, quam publicorum negotiorum scientiam aliquam consequantur usuque rerum erudiantur: qui vero iisdem rebus perpetuo præsunt, ut minus ingeniis valeant, longe tamen experientia cæteris antecellunt. Illi præterea dum alii alios intuentur multa negligunt, hi vero, quum sciant a se omnia perfici oportere, diligenter de singulis cogitant. Ad hæc, democratici et oligarchici ambitiosis inter se dissensionibus reipublicæ nocent: monarchæ vero, ut qui neminem habeant cui invideant, de rebus omnibus, quantum quidem fieri potest, id statuunt quod utilissimum est. Jam illi, maximam temporis partem domesticis negotiis occupati, offensionem negligentiæ sæpe vitare non possunt, deinde in conciliis sæpius reperias inter sese rixantes quam in commune consulentes; hi vero, quia neque curias neque tempora definita habent, noctu et interdiu negotiis intenti, nullas occasiones negligunt, sed in tempore singula peragunt. Ad hæc, illi inter sese inimici tum superioris tum sui temporis magistratus urbi quam pessime præfuisse vellent, ut ipsi quam maximam gloriam consequerentur: hi vero, quum per omnem vitam rerum potiantur, semper eadem benevolentia sunt. Et (quod omnium maximum est) alteri rempublicam ut suam, alteri ut alienam curant; alteri in consilium de iis adhibent cives audacissimos,

alteri delectu ex omnibus habito prudentissimos; alteri honorant eos qui in turba dicere possunt, alteri rebus gerendis idoneos evehunt.

6. Neque vero in quotidianis tantum ac velut in orbem redeuntibus monarchiæ negotiis excellunt, sed omnes etiam belli gerendi commoditates complectuntur. Nam et conscribere milites et illis uti, seu clam seu præoccupatione, et aliis persuadere, alios cogere, alios largitionibus adducere, alios aliis officiis demereri, facilius est monarchiis quam cæteris imperiis. Atque hæc non minus rebus ipsis quam verbis probantur. Nam et Persarum potentiam scimus omnes ad tantam processisse magnitudinem, non virorum illorum prudentia, sed eximia regum observantia: et Dionysii tyranni opes eadem ratione crevisse vidimus; qui, quum non reliquam modo Siciliam vastatam, sed suam patriam etiam obsidione cinctam, suscepisset, tum illis eam periculis liberavit, tum Græcarum civitatum maximam effecit: etiam Carthaginienses et Lacedæmonii, qui inter omnes Græcos optime rempublicam administrant, etsi domi paucorum potestate reguntur, in bellis tamen regio parent imperio. Quin et civitatem Atheniensium, quæ monarchiis infensissima est, ostendi potest, quando multos imperatores mittit, affici cladibus; quum vero in belli discriminibus unum summæ rerum præficit, bene rem gerere solere. Enimvero quinam evidentius ostendi potest præstantissimas esse monarchias, quam hujusmodi exemplis? Est enim perspicuum et eos, qui perpetuo regiæ potestati parent, esse potentissimos ac ad gerendum bellum instructissimos; et eos, qui bonas oligarchias habent, in rebus gravissimis et maximis, partim unum tantum imperatorem, partim regem exercitibus cum imperio præficere; et eos, qui monarchias oderunt, quando multos duces mittunt, nihil recte feliciterque administrare. Quod si quid e vetustatis memoria repetendum est, dii etiam regem habere Jovem dicuntur. Qui sermo si verus est, apparet deos etiam hunc statum cæteris anteferre; sin rei veritatem nemo novit, sed ipsi conjecturis in eam opinionem adducti sumus, id argumento est nos omnes monarchiam præstantissimam judicare: nec enim tali deos uti republica diceremus, nisi eam longe præstare cæteris crederemus. Ac de politiis quidem, quantum aliæ aliis antecellant, nec inveniri nec dici possunt omnia: sed instituto nostro etiam hæc commemorasse sufficiat.

7. Illud autem, jure nos tenere imperium, multo brevius et majore omnium assensu expedietur. Quis enim ignorat, Teucrum nostri generis principem, cæterorum civium adscitis majoribus, huc navigasse et urbe condita agrum eis distribuisse? patrem vero Evagoram imperium ab aliis amissum maximis periculis aditis recuperasse, et eo redegisse rem ut jam non Phœnices tyrannidem in Salaminios exerceant, sed ii regnum etiam nunc, quorum ab initio fuit, teneant?

8. Restat igitur ex his quæ proposui, ut de me ipso breviter aliquid dicam, quo sciatis eum esse vestrum regem, qui non propter majores tantum suos sed et propter semetipsum majorem etiam honore tanto amplitudinem mereatur. Nam ego quidem inter omnes constare arbitror, aliarum virtutum justitiam et temperantiam esse præstantissimas. Nec enim per se tantum nobis prosunt, sed, si et naturam et vires et usum negotiorum spectare velimus, quicquid nulla cum hoc genere communitate jungitur maximorum malorum causam exstitisse, quæ vero temperantia justitiaque adhibita geruntur, ea maxime prodesse vitæ mortalium reperiemus. Quod si qui veterum ob has virtutes celebrantur, æquum esse puto, eandem me quoque gloriam adipisci.

9. Ac justitiam quidem inde potissimum perspicietis, quod, ut imperio potitus sum, quamvis et regiam pecuniis vacuam, omniaque sumptibus exhausta et negotia turbarum plena, ita ut magnam diligentiam et præsidia et impensas postularent, suscepissem, nec ignorarem hujusmodi temporibus alios omnibus modis detrimenta rei familiaris sarcire multaque præter ingenium suum facere necessitate coactos, nihil tamen istorum omnium me corrupit, quominus ita sancte præclareque curam rerum gererem, ut nihil prætermisisse videar quod ad incrementa et felicitatem reipublicæ pertineret. Nam et cives ea mansuetudine tractavi, ut nec exsilia neque cædes neque publicationes bonorum nec ulla denique talis calamitas me regnante inciderit. Et quum in Græciam nullus ob gestum bellum nobis pateret aditus, quum ubique spoliaremur, pleraque pacata reddidi, aliis omnia persolvendo, aliis partes, ab aliis moram petendo, cum aliis ut licuit controversias transigendo. Præterea quum insulæ hujus incolæ nobis succenserent, et rex Persarum verbo reconciliatus revera infensus esset, utrosque mitigavi, hunc obsequendi alacritate, illos æquitate servanda. Nam a rerum alienarum cupiditate tam longe absum, ut quum alii, si paulo vicinis potentiores fuerint, mox et agri partem eripiant et multa præter jus et æquum sibi vendicent, ego ne eam quidem regionem accipere voluerim quæ mihi offerebatur, malo enim cum justitia meum tenere solum quam per injuriam imperium hoc nostro longe lateque majus acquirere. Sed quorsum attinet singulis commemorandis immorari, præsertim quum paucis de me ipso rem totam possim absolvere? Nemo enim reperietur qui a me sit unquam affectus injuria, plures vero tum cives tum alii Græci et beneficiis et majoribus utrique muneribus a me sunt ornati quam ab iis omnibus qui ante me regnum tenuerunt. Enimvero decet eos, qui justitiæ studium laudi sibi ducunt pecuniæque contemptum præ se ferunt, tanta posse de sese tamque illustria prædicare.

10. Quin de temperantia quoque mea plura etiam his et majora

habeo quæ commemorem. Quum enim scirem omnes homines carissimos habere liberos et uxores suas, gravissimeque irasci iis qui eos violassent, et contumelias iis factas maximarum cladium præbere causam, nec plebeiis tantum hominibus sed etiam principibus afferre interitum, ita fugi hæc crimina, ut a suscepti regni tempore me nullum nisi uxoris meæ corpus attigisse constet: quamvis enim non ignorarem illos etiam vulgo celebrari qui, modo in cives non sint injurii, aliunde suas voluptates explere student, tamen cum hujusmodi suspiciones a me remotissimas, tum mores meos civibus exemplo esse volui, quum in iis solere studiis ætatem consumere populum scirem, quibus suos principes videt esse deditos. Præterea decere censui reges tanto meliores esse privatis hominibus, quanto eis honoratiores essent, et iniquissime facere qui alios modeste vivere cogerent, nec se præberent ipsi modestiores iis quibus imperarent. Deinde, cæteris in rebus multos etiam e populo videbam sibi posse moderari, sed amorum illecebris etiam summos viros succumbere: quare me in his etiam imperare mihi posse ostendere volui, quibus non vulgo tantum præstarem, sed viris etiam virtutis opinione celeberrimis. Ad hæc non potui non vehementer accusare illos qui ductis uxoribus et inita totius vitæ societate pactis et conventis non starent, sed, dum suis voluptatibus indulgerent, eas offenderent a quibus ipsi nulla re offendi se vellent, et, quum in aliis contractibus æquitatem colerent, solas conventiones cum uxoribus factas violarent: quæ tanto sanctius custodiendæ erant, quanto sunt aliis interiores et majores. Deinde nec illud isti animadvertunt, seipsos sibi factiones et dissidia in suis regiis serere. Est autem bonorum regum officium dare operam, non in urbibus tantum, sed in suis etiam ædibus atque in quibus consedere locis, concordiam uti alant: hæc enim universa temperantiæ munera et justitiæ sunt. Nec in procreatione liberum regum maximæ partis consuetudinem sum imitatus, nec alios ex humiliore muliere alios e nobiliore censui suscipiendos, nec alteros nothos alteros legitimos relinquendos, sed curandum ut omnes tum paternum tum maternum genus, inter mortales ad Evagoram patrem meum, inter semideos ad Æacidas, inter deos ad Jovem optimum maximum, referre possent, neque quisquam ex me genitus hac nobilitate privaretur.

11. Quum vero multa me hortata sint ut in hoc vitæ instituto perseverarem, illud vel in primis movit, quod fortitudine et calliditate cæterisque laudatis rebus etiam malos quosdam homines præditos videbam, temperantiam vero et justitiam proprias esse bonorum virorum possessiones. Pulcherrimum igitur fore duxi, si quis iis virtutibus aliis præstare posset, quæ ut improbis nulla ex parte contingere queunt, sic integerrimæ sunt et firmissimæ et maximis laudibus dignæ. His rationibus adductus temperantiæ justitiæque

præ cæteris fui studiosus, easque delegi mihi voluptates, non quarum actiones omni splendore virtutis carerent, sed eas quæ ex rei bene gestæ gloria capiuntur. Neque vero de omnibus virtutibus una quadam ratione ferendum est judicium, sed de justitia in egestate, de modestia in potestate, de continentia in juvenili ætate. Ego vero his temporibus omnibus ingenii mei specimen dedi. Nam et inops pecuniæ relictus, ita æquum me præbui ut civium nulli molestus fuerim; et, quum quicquid libuisset liceret, modestia plebeios homines superavi: hæc vero utraque præstiti ea ætate qua plerique in rebus gerendis maxime de officio solent decedere. Quæ fortassis apud alios dicere veritus essem, non quin facta mea mihi laudi ducam, sed ne orationi meæ fides non haberetur: vos vero ipsi mihi testes estis eorum quæ dicta sunt omnium. Laudandi autem sunt et digni admiratione etiam homines natura modesti, sed multo magis ii qui ratione quoque sunt tales. Nam, qui temperantiam fortuito non consulto colunt, hi fieri potest ut aliquando a sententia deducantur: qui vero præter naturæ bonitatem etiam persuasum habent summum bonum esse in virtute positum, ii haud dubie per omnem ætatem in hac statione perseverabunt. Ideo autem et de me ipso et de cæteris quas exposui rebus plura verba feci, ne ullam excusationem vobis reliquam facerem, quo minus libenter et alacriter meis imperatis et consiliis duceretis obtemperandum.

12. Dico igitur necesse esse unumquemque vestrum, id quod sui officii est, et diligenter et fideliter administrare: nam quatenus alterutrum horum omiseritis, eatenus actiones deteriores esse necesse erit. Nihil igitur ex mandatis negligite aut contemnite, cogitantes, non in eo quidem quod violetur per se tantum esse momenti, sed sic intenti in ea estote ut sentiatis, singulas partes id efficere ut res universa vel præclare vel male se habeat. Nihilominus curate mea quam vestra, nec honores, qui iis habentur qui rebus nostris bene præsunt, parvi æstimate. Alienis abstinete, quo tutius vestras opes teneatis. Tales erga alios vos præbere debetis, qualem erga vos me esse postulatis. Ne ditari potius quam probitatis opinionem consequi properetis: scitis enim, et apud Græcos et apud barbaros plurimis eos potiri bonis qui maxima virtutis gloria florent. Injusta lucra ne existimate auctura esse divitias, sed periculum allatura. Ne putetis vos accipiendo lucrum, erogando damnum, facturos: neutrum enim horum semper eandem vim habet, sed utrum in tempore ac cum virtute factum fuerit, fecisse expediet. Nihil penitus a me mandatum gravatim facitote: nam quo quisque vestrum pluribus utilitatibus meis inservierit, eo majores fructus inde privatim percipiet. Cujus rei unusquisque vestrum sibi conscius fuerit, eam ne me quidem clam fore existimet; nam etsi corpus meum præsens non fuerit, at mentem meam singulis actionibus adesse putet: hoc

enim animo si fueritis, modestius agetis omnia. Nihil occultate, sive quod possidetis sive quod facitis sive quod facturi estis; scitis enim fieri non posse quin clandestini conatus magnos terrores adjunctos habeant. Ne studeatis callide rempublicam aut occulte gerere, sed ita simpliciter et aperte ut ne quis etiamsi velit vos facile calumniari queat. Probate actiones, et putate malas esse quas ignorari a me vultis, bonas quibus ego auditis vos probiores judicabo. Ne reticeatis si quos videritis imperio meo nocere, sed et arguite, et existimate idem supplicium deberi occultantibus quod delinquentibus. Felices esse putate non eos qui clam habent maleficia sua, sed eos qui nihil delinquunt: consentaneum enim est, alteros meritas scelerum pœnas daturos, alteros factis suis præmia digna percepturos. Nullas sodalitates, nulla concilia, sine auctoritate mea instituite: nam hujusmodi conspirationes ut in aliis politiis multum valent, ita in monarchiis sunt periculosæ. Fugite non tantum peccata, sed etiam ejusmodi studia quæ sine peccati suspicione esse nequeunt.

13. Meam amicitiam tutissimam et firmissimam esse putate. Hunc statum tuemini, neque ullam requirite mutationem, non ignari, fieri non posse quin per tumultus et urbes intereant et privatæ domus evertantur. Sævitiam aut mansuetudinem non tantum ingeniis tribuite dominorum, sed moribus etiam populorum: multi enim jam ob improbitatem civium asperius imperare quam vellent sunt coacti. Freti estote non tam mea clementia quam vestra innocentia. Quo ego tutior fuero, eo vos securiores esse putate: nam, rebus meis probe constitutis, eadem vestrarum quoque rerum ratio futura est. Humiles vos esse decet erga meum imperium, ut et in institutis perseveretis et leges regias observetis; splendidos vero in publicis administrationibus et cæteris meis mandatis obeundis. Adolescentes ad virtutem excitate non tantum præcipiendo, sed in ipsis etiam actionibus eis demonstrando quales præstantes viros esse oporteat. Docete liberos vestros parere imperio regio, et assuefacite eos ut in hoc studio potissimum versentur: nam ubi honeste parere didicerint, multis imperare valebunt; quod, si fideles fuerint et probi, bonorum nostrorum participes erunt, sin improbi, suas opes in discrimen adducent. Maximas putate liberis et firmissimas opes vos tradituros, si eis nostram benevolentiam relinquere possitis. Miserrimos judicate et infelicissimos eos, qui iis fidem fregerunt qui fidem eis habuerunt: necesse enim est tales in trepidatione metuque rerum omnium reliquam ætatem exigere, nec amicis magis credere quam inimicis. Beatos existimate non opulentissimos, sed nullius sceleris sibi conscios: nam qui hoc animo sunt, omne tempus ætatis sine molestia possint degere. Ne putetis improbitatem plus quam virtutem prodesse, aut nomen tantum odiosius habere, sed cujusmodi appellationes singulis rebus inditæ sunt, talem etiam vim illarum esse ducite. Ne invidete iis qui apud me principem locum tenent, sed contendite, et enitimini ut ob probitatem et virtutem vestram cum summis æquemini. Amandos et honorandos eos esse putate quos rex magnifacit, ut eadem hæc vobis etiam a me tribuantur. Qualia me præsente dicitis, talia etiam quum absum sentite. Vestram erga nos benevolentiam factis magis quam verbis declarate. Quæ vobis ab aliis fieri ægre fertis, eadem aliis ipsi ne feceritis. Quæ verbis accusatis, ea re ipsa vitate. Ita vobiscum actum iri credite ut erga nos affecti fueritis. Non tantum laudate bonos, sed etiam imitamini. Verba mea pro legibus habete, operamque date ut eis obtemperetis; ac scitote, fore ut his, qui maxime voluntati meæ satisfacere studuerint, citissime vivere liceat ut ipsi volunt.

14. Caput vero est omnium quæ diximus, quales existimatis eos qui vobis parent erga vos esse oportere, tales vos erga meum imperium esse debetis. Quæ si feceritis, quorsum attinet multa dicere quid sit eventurum? nam si et ego me deinceps ita gessero ut superiori tempore, et mihi vos eodem modo inservieritis, quamprimum et vestras opes crevisse videbitis et meum imperium auctum et civitatem felicem esse factam. Operæ pretium igitur esset tantis bonis propositis omnia facere, nec labores ullos aut pericula recusare: nunc vobis potestas datur sine ullo negotio, si fidi modo et justi fueritis, hæc omnia consequendi.

ISOCRATIS

PANEGYRICUS.

1. Sæpe mirari soleo quid in mentem iis venerit qui celebritates has congregarunt et ludos gymnicos instituerunt, ut corporum viribus tanta præmia proponerent, eos vero qui reipublicæ studio privatos labores cepissent et animis ita se parassent ut aliis quoque prodesse possent, nullo prorsus honore dignarentur, quorum eos rationem potius habere decuisset: nam etsi pugilum robur conduplicaretur, nullus tamen ex eo fructus rediret ad cæteros; unius autem viri prudentia fruuntur omnes qui ejus consiliis parere voluerunt. Neque tamen hæc mihi desperationem attulerunt ut socordiæ me dederem, sed, quum gloriam ex ipsa oratione capiendam satis mihi magnum fore præmium existimem, consilium daturus adsum cum de bello barbaris inferendo tum de concordia inter nos ipsos constituenda; etsi autem non ignoro multos qui sophistarum sibi nomen arrogarunt cupide hoc argumentum arripuisse, tamen cum cæteros tanto intervallo me superaturum confido ut illi nihil unquam dixisse de hoc negotio videantur, tum eas orationes pulcherrimas esse censeo, quæ et maximis de rebus agunt et oratorum ingenia maxime demonstrant et utilissimæ sunt audientibus, quarum de numero hæc est. Deinde harum quoque rerum tempora nondum præterierunt, ut eas oratione renovari supervacaneum sit. Tum enim demum dicendi finis est faciendus, quum aut res ipsæ peractæ sunt neque jam in deliberationem cadunt, aut quum oratio sic elaborata est ut ad ejus excellentiam nihil ab ullo addi posse videatur. Sed quandiu neque rerum status emendatus est et prius habitæ orationes parum probantur, de tali oratione exquirenda nonne meditandum et sedulo cogitandum est, quæ si prospere successerit et intestinis bellis et his tumultibus malisque maximis nos liberare possit? Præterea, si alio modo iisdem de rebus nulla ratione dicere liceret, supervacaneum judicari posset iterata ejusdem argumenti non dissimili tractatione obtundere auditores: quum autem ea sit natura sermonis, ut res eædem varie possint explicari, dicendoque tum magna deprimi tum exaggerari parva, tum vetera nova ratione dici tum iis quæ recens acta sunt quædam vetustatis opinio conciliari queat, non utique ea fugienda sunt de

quibus alii prius egerunt, sed opera danda est ut eos orationis bonitate superemus. Res enim olim gestæ ex æquo nobis omnibus sunt relictæ, eas vero in tempore proferre et argumentis idoneis confirmare et verbis illustrare prudentium hominum peculiare munus est. Sic autem existimo cum cæteras artes tum eloquentiæ studium maxime auctum iri, si honorati atque in admiratione sint non ii a quibus primis sit initium dicendi profectum, sed hi qui singulas orationum partes optime perfecerint, neque illi qui de rebus a nemine prius tractatis dicere instituerint, sed qui sic verba fecerint ut nemo alius eodem modo possit.

2. Enimvero sunt qui vituperent orationes quæ vulgi captum excedunt et exquisitius elaboratæ sunt; ac tanto in errore versantur ut summo studio perpolitas cum privatorum contractuum causis conferant, quasi vero eadem utrarumque ratio esse debeat, et non alteræ ad victoriam alteræ ad ostentationem sint comparatæ, aut mediocritatem ipsi perspiciant, is vero qui accurate potest dicere, non simpliciter etiam dicere possit. Ac istos quidem non obscurum est eos duntaxat laudare a quibus ipsi prope absunt: mihi autem cum isto hominum genere rei nihil est, eos volo qui nullum verbum temere probent, sed et morose judicent et tale aliquid in meis orationibus requirant, quale apud alios non sint inventuri. Ad eos igitur ubi me paulum etiam jactaro, statim de re ipsa dicere aggrediar. Equidem alios in exordiis auditores sibi conciliare video, et excusare ea quæ dicenda sunt, vel quod non spatii satis datum sibi fuerit ad meditandum, vel quod difficile sit eam afferre orationem quæ rerum magnitudini respondeat. Ego vero, nisi et pro dignitate rei dixero et sicut et existimatio mea et tempus non modo in hac oratione scribenda consumptum sed et totius meæ vitæ postulat, hortor ne quisquam mihi det veniam, sed ut me derideant et contemnant omnes: nihil enim horum est quod non jure mihi eventurum sit, qui nihilo præstantior aliis, adeo magnifica promittam. Ac de me quidem hæc volui præfari: de republica vero, qui quum primum huc prodierunt abolitis odiis et inimicitiis belli aciem contra barbarum dirigendam docent, et clades ex intestinis bellis acceptas commemorant fructusque item illius expeditionis, vera quidem dicunt, sed non inde ordiuntur unde confici potissimum illa possint. Nam ita se res habet: Græcorum alii nos colunt, alii Lacedæmoniis parent; etenim rerum publicarum formæ, quibus in suis quique civitatibus utuntur, sic plerosque distinxerunt. Quisquis igitur se publice de cæteris bene meriturum putat, priusquam eorum principes reconciliarit, is parum recte sentit et longe abest a rei veritate. Qui autem non tantum ingenii famam aucupatur, sed etiam aliquid perficere cupit, eas quærat rationes necesse est, quibus hæ urbes adducantur ut et pari æquoque jure inter sese vivant

ISOCRATIS

PANEGYRICUS.

1. Sæpe mirari soleo quid in mentem iis venerit qui celebritates has congregarunt et ludos gymnicos instituerunt, ut corporum viribus tanta præmia proponerent, eos vero qui reipublicæ studio privatos labores cepissent et animis ita se parassent ut aliis quoque prodesse possent, nullo prorsus honore dignarentur, quorum eos rationem potius habere decuisset: nam etsi pugilum robur conduplicaretur, nullus tamen ex eo fructus rediret ad cæteros; unius autem viri prudentia fruuntur omnes qui ejus consiliis parere voluerunt. Neque tamen hæc mihi desperationem attulerunt ut socordiæ me dederem, sed, quum gloriam ex ipsa oratione capiendam satis mihi magnum fore præmium existimem, consilium daturus adsum cum de bello barbaris inferendo tum de concordia inter nos ipsos constituenda; etsi autem non ignoro multos qui sophistarum sibi nomen arrogarunt cupide hoc argumentum arripuisse, tamen cum cæteros tanto intervallo me superaturum confido ut illi nihil unquam dixisse de hoc negotio videantur, tum eas orationes pulcherrimas esse censeo, quæ et maximis de rebus agunt et oratorum ingenia maxime demonstrant et utilissimæ sunt audientibus, quarum de numero hæc est. Deinde harum quoque rerum tempora nondum præterierunt, ut eas oratione renovari supervacaneum sit. Tum enim demum dicendi finis est faciendus, quum aut res ipsæ peractæ sunt neque jam in deliberationem cadunt, aut quum oratio sic elaborata est ut ad ejus excellentiam nihil ab ullo addi posse videatur. Sed quandiu neque rerum status emendatus est et prius habitæ orationes parum probantur, de tali oratione exquirenda nonne meditandum et sedulo cogitandum est, quæ si prospere successerit et intestinis bellis et his tumultibus malisque maximis nos liberare possit? Præterea, si alio modo iisdem de rebus nulla ratione dicere liceret, supervacaneum judicari posset iterata ejusdem argumenti non dissimili tractatione obtundere auditores: quum autem ea sit natura sermonis, ut res eædem varie possint explicari, dicendoque tum magna deprimi tum exaggerari parva, tum vetera nova ratione dici tum iis quæ recens acta sunt quædam vetustatis opinio conciliari queat, non utique ea fugienda sunt de

quibus alii prius egerunt, sed opera danda est ut eos orationis bonitate superemus. Res enim olim gestæ ex æquo nobis omnibus sunt relictæ, eas vero in tempore proferre et argumentis idoneis confirmare et verbis illustrare prudentium hominum peculiare munus est. Sic autem existimo cum cæteras artes tum eloquentiæ studium maxime auctum iri, si honorati atque in admiratione sint non ii a quibus primis sit initium dicendi profectum, sed hi qui singulas orationum partes optime perfecerint, neque illi qui de rebus a nemine prius tractatis dicere instituerint, sed qui sic verba fecerint ut nemo alius eodem modo possit.

2. Enimvero sunt qui vituperent orationes quæ vulgi captum excedunt et exquisitius elaboratæ sunt; ac tanto in errore versantur ut summo studio perpolitas cum privatorum contractuum causis conferant, quasi vero eadem utrarumque ratio esse debeat, et non alteræ ad victoriam alteræ ad ostentationem sint comparatæ, aut mediocritatem ipsi perspiciant, is vero qui accurate potest dicere, non simpliciter etiam dicere possit. Ac istos quidem non obscurum est eos duntaxat laudare a quibus ipsi prope absunt: mihi autem cum isto hominum genere rei nihil est, eos volo qui nullum verbum temere probent, sed et morose judicent et tale aliquid in meis orationibus requirant, quale apud alios non sint inventuri. Ad eos igitur ubi me paulum etiam jactaro, statim de re ipsa dicere aggrediar. Equidem alios in exordiis auditores sibi conciliare video, et excusare ea quæ dicenda sunt, vel quod non spatii satis datum sibi fuerit ad meditandum, vel quod difficile sit eam afferre orationem quæ rerum magnitudini respondeat. Ego vero, nisi et pro dignitate rei dixero et sicut et existimatio mea et tempus non modo in hac oratione scribenda consumptum sed et totius meæ vitæ postulat, hortor ne quisquam mihi det veniam, sed ut me derideant et contemnant omnes: nihil enim horum est quod non jure mihi eventurum sit, qui nihilo præstantior aliis, adeo magnifica promittam. Ac de me quidem hæc volui præfari: de republica vero, qui quum primum huc prodierunt abolitis odiis et inimicitiis belli aciem contra barbarum dirigendam docent, et clades ex intestinis bellis acceptas commemorant fructusque item illius expeditionis, vera quidem dicunt, sed non inde ordiuntur unde confici potissimum illa possint. Nam ita se res habet: Græcorum alii nos colunt, alii Lacedæmoniis parent; etenim rerum publicarum formæ, quibus in suis quique civitatibus utuntur, sic plerosque distinxerunt. Quisquis igitur se publice de cæteris bene meriturum putat, priusquam eorum principes reconciliarit, is parum recte sentit et longe abest a rei veritate. Qui autem non tantum ingenii famam aucupatur, sed etiam aliquid perficere cupit, eas quærat rationes necesse est, quibus hæ urbes adducantur ut et pari æquoque jure inter sese vivant

et principatus dividant, et quæ lucra nunc a Græcis auferre student, a barbaris petant.

3. Ac nostræ quidem urbi hæc facile persuaderi poterunt, Lacedæmonii autem pertinaciores adhuc sunt, falsa nimirum persuasione imbuti patrium sibi esse belli temporibus imperium: si vero demonstratum illis fuerit hunc honorem ad nos pertinere potius quam ad ipsos, omissa fortassis accuratiore hisce de rebus disputatione ad id quod expediet convertentur. Recte igitur etiam alii hinc exorsi non prius ea quæ in confesso sunt suadere debuissent, quam illa diligenter explicassent de quibus inter nos omnis est controversia: me vero utraque de causa potissimum in his immorari decet, tum ut aliquid proficiatur omissaque hac inter nos concertatione bellum communi consilio barbaris inferatur, tum, si hoc perfici forte nequeat, ut eos demonstrem qui felicitati Græcorum obstant, utque omnes perspiciant nostram civitatem et antehac jure maris imperium tenuisse et nunc non injuria principatum sibi vendicare. Nam, sive hi propter quælibet honorandi sunt qui maximum rerum usum summamque potentiam habent, sine controversia nobis principatus quem antea tenuimus est restituendus: nemo enim ullam urbem ostendet quæ terrestri bello tantum valeat quantum nostra navalibus pugnis excellit. Sive aliqui judicium hoc iniquum dicunt esse multasque e contra fieri mutationes—principatus enim nunquam apud eosdem permanere—, et contendunt vel iis qui hunc honorem primi adepti sint vel iis qui beneficia plurima in Græcos contulerint illum ut aliud præmium esse deferendum, illos etiam nobiscum facere arbitror: nam quo in his utrisque considerandis longius processeris, eo longiore intervallo vincemus eos qui ambigunt.

4. Constat enim nostram urbem et antiquissimam esse et maximam et apud omnes homines celeberrimam: etsi autem hoc pulcro fundamento nitimur, ob ea tamen quæ sequuntur plus etiam honoris nobis est habendum. In hac enim terra sic habitamus ut nec alios pepulerimus nec vacuam occupaverimus nec ex multis gentibus permisti, sed adeo honeste liberaliterque nati simus, ut quæ nos produxit, eam perpetuo tenuerimus, nam indigenæ sumus urbemque iisdem nominibus quibus conjunctissimos appellare possumus: solis enim nobis ex omnibus Græcis eandem et nutricem et patriam et matrem vocare datum est. Decet autem eos, qui suæ magnanimitatis causam habent et jure de principatu contendunt patriique juris mentionem sæpe faciunt, tale sui generis primordium proferre posse.

5. Quæ igitur a primo nobis ortu contigerunt aque fortuna donata sunt, eorum tanta magnitudo est: in alios autem quanta beneficia contulerimus, ita pulcherrime investigabimus, si et prima tempora et reipublicæ nostræ facta ordine recensuerimus; eam enim non tantum rebus bello gestis excelluisse, sed et cæterarum copiarum, quibus fruimur inque republica utimur et vitam tuemur, fere omnium fuisse causam reperiemus. Ea vero beneficia potissimum proferre necesse est, non quæ ob tenuitatem ignorata silentioque tecta jacuerunt, sed quæ propter magnitudinem et olim et nunc et ubique omnium mortalium et sermonibus et recordatione celebrantur.

6. Ac primum id quo natura nostra primum indiguit, per nostram urbem est comparatum: etsi enim commemoratio hæc fabulosa videri cœpit, hoc tamen tempore non est omittenda. Nam, quum Ceres post raptam Proserpinam erroribus acta in regionem pervenisset, nostrisque majoribus ob accepta beneficia quæ non nisi initiatis audire fas est bene cupiens, amplissima munera largita esset, fruges quæ in causa fuerunt ne more belluarum viveremus, et arcana illa sacra quibus initiati qui sunt et de vitæ exitu et universo ævo spem habent meliorem, adeo non tantum accepta diis sed et in homines benigna fuit nostra urbs, ut nemini tanta bona invideret, sed quæ acceperat omnibus impertiret. Et hæc quidem etiam nunc quotannis ostendimus, illarum autem culturam utendique rationem et utilitates inde capiendas ea semel in perpetuum edocuit. Quibus fidem abrogare qui velit, si pauca modo addiderimus, erit nemo.

7. Primum enim, si quis ea quæ diximus propterea contempserit quod antiqua sint, ob idipsum ea facta esse jure existimaverit: nam, quod ea et multi dixerunt et omnes audiverunt, non quidem nova sed fide digna sunt habenda. Deinde non huc tantum confugere nobis licet, quod sermonem et famam hanc jam olim acceperimus, sed majoribus etiam quam hæc sunt uti possumus argumentis: nam pleræque urbes in veteris beneficii memoriam frumenti primitias quotannis ad nos mittunt, si quæ autem id intermiserunt, iis Pythia sæpe imperavit ut et partes frugum offerrent et nostræ urbi præstarent ea quæ a patribus accepissent. Quæ vero magis credenda sunt, quam ea quæ et oraculis jubentur et a multis Græcorum comprobantur, quum et veteres sermones iis rebus quæ nunc fiunt testimonium perhibeant, et ea quæ nunc fiunt cum veterum sermonibus consentiant?

8. Præterea, si omissis his omnibus prima origo spectetur, eos qui primi in terris exstiterunt vitam non sic instructam reperisse intelligetur, sed ipsos paulatim necessaria comparasse. Quosnam igitur ea similius est vel dono a diis immortalibus accepisse vel suo studio investigasse? Annon eos qui sine controversia et antiquissimi sunt et ad artes tractandas ingeniosissimi et cultores deorum religiosissimi? Quantis autem honoribus digni sint qui tanta beneficia dederunt, supervacaneum est docere: nemo enim ullum præmium reperiet tantum quod rebus gestis respondeat.

9. Ac de maximo beneficio et primo et latissime patente hæc dicere possumus. Iisdem quoque temporibus nostra urbs, quum barbaros maximam terræ partem videret obtinere, Græcos autem velut in angustias quasdam redactos ob agri penuriam alios aliis et insidias et bella facere, atque alios fame alios armis perire, ne hæc quidem neglexit, sed duces in civitates misit, qui egentissimis quibusque adscitis barbaros ductu suo vicerunt et multas in utraque continente urbes condiderunt et in omnes insulas colonias deduxerunt; quo facto conservarunt utrosque, tam eos qui secuti fuerunt quam eos qui in patria remanserunt: nam alteris agros domi satis multos reliquerunt, alteris plures quam habuerant tradiderunt; omnem enim locum hunc quem nunc tenemus sunt amplexi. Et illis etiam, qui post aliquo colonias mittere nostramque urbem imitari voluerunt, ejus rei citra ullum negotium potestatem dederunt: nec enim necesse illi habuerunt agri occupandi causa acie decernere, sed Græcis assignatos a nobis agros, profectione suscepta facile tenuerunt. Quis vero est qui principatum ostendat hoc vel antiquiorem qui vetustate plerasque Græcas urbes superet, vel utiliorem qui et barbaros solum vertere coegit et Græcos ad tantas opes evexit?

10. Neque vero, quum maximis in rebus adjumento fuisset, neglexit cæteras, sed sua beneficia inde auspicata est, ut victum curaret indigentibus, id quod in primis ei faciendum est qui reliqua etiam recte constituta esse velit. Quum autem vitam hac sola re instructam nondum esse dignam vivendi desiderio putaret, eam in cæteris quoque diligentiam adhibuit, ut eorum bonorum quibus fruimur homines non divinitus acceptis sed mutua nostra opera comparatis, nihil sine urbe nostra contigerit, plurima vero accepta illi referantur. Nam, quum Græci olim sine legibus viventes et sparsim habitantes, alii potentiorum iniquo dominatu premerentur, alii quod nullos magistratus haberent interirent, etiam his malis eos liberavit, alios in potestatem redigendo, alios exemplo suo corrigendo: prima enim et leges tulit et rempublicam constituit. Id quod inde perspicitur: nam, qui primi homicidii causam egerunt et disceptatione non vi et armis controversiam finiri voluerunt, nostris legibus sunt experti. Quinetiam artes tum ad vitæ necessitatem utiles tum causa voluptatis excogitatas partim invenit ipsa, partim probavit, atque aliis utendas tradidit.

11. Quæ vero ad cæterarum rerum rationes attinent, ea tam hospitaliter instruxit et tam accommodate universis, ut utrisque eum pecuniæ indigentibus tum opibus suis frui volentibus convenirent, utque nec felicibus nec iis quibus domi res adversæ essent incommodarent, sed utrique apud nos haberent, alteri vitæ rationem jucundissimam, alteri confugium tutissimum. Præterea, quum non omnis tellus omnia ferret, sed quibusdam careret quibusdam abundaret, neque facile ratio iniri posset vel quo alia exportanda vel unde alia importanda essent, etiam hæc incommoda propulsavit: nam in media Græcia Piræeum mercatum instituit, cujus ea excellentia est ut eæ res quarum singulas apud alios nancisci difficile est, ibi comparari universæ facile possint.

12. Quum autem merito laudentur ii qui celebres conventus instituerunt, quod eum morem nobis tradiderunt, ut quasi fœdere inito et inimicitiis reconciliatis in unum locum conveniremus, deinde ut votis et sacris communibus factis, ejus cognationis qua conjuncti sumus inter nos recordati, amiciores in posterum essemus, utque et vetera hospitia renovaremus et nova constitueremus, denique ut nec indoctis nec excellentibus ingeniis ignavum tempus abiret, sed in celebri conventu Græcorum aliis suam felicitatem ostentare aliis hos inter se certantes spectare liceret, ac neutri voluptate carerent, sed utrique in quo gloriarentur haberent, alteri quum sua causa laborare pugiles viderent, alteri quum omnes sui spectandi gratia venisse cogitarent — tanta igitur commoda cum ad nos e conventibus redeant, ne in his quidem nostra urbs postremas tulit. Etenim spectacula plurima et pulcherrima possidet, alia magnitudine sumptuum excellentia, alia propter artificium celebrata, alia horum utroque præstantia: ac multitudo eorum qui ad nos veniunt tanta est, ut, si quid boni congressibus inest, id quoque sit ab ipsa comprehensum. Ad hæc amicitias fidelissimas reperire et omnis generis congressibus interesse apud nos potissimum licet, præterea non tantum celeritatis et roboris, sed et eloquentiæ et mentis ac operum cæterorum omnium certamina, et horum præmia maxima hic cernuntur. Nam præter ea quæ ipsa urbs proponit, etiam aliis ut dent persuadet: nam quæ a nobis decreta fuerint tantam habent auctoritatem, ut omnibus probentur. Jam cæteræ celebritates post longum temporis spatium coactæ celeriter dissolvuntur, nostra vero urbs per omne ævum instar est solennis conventus.

13. Philosophiæ certe quidem, cujus ope hæc omnia inventa et constituta sunt, quæ nos et ad res gerendas erudiit et animos nostros mansuefecit, et calamitates tam ex inscitia ortas quam necessitate importatas distinxit, atque illas cavere has pulcre ferre docuit, nostra urbs honorem habuit, nec minus eloquentiæ cujus desiderio tenentur omnes et tamen ea præditis invident, haud ignara, solis nobis inter omnes animantes hoc naturam peculiare tribuisse, quo insigni bono usi etiam cæteris rebus omnibus illas superamus; quum autem in aliis actionibus eas esse fortunæ perturbationes cerneret ut sæpenumero et prudentes votorum impotes fierent et stolidi successus prosperos haberent, orationis autem præclaræ artificiosæque facultatem et stupidis negatam et prudentis animi munus peculiare esse, atque etiam eos qui vel eruditi vel indocti perhibeantur hac re inter se po-

tissimum differre, et ab ineunte ætate liberaliter educatos nec ex fortitudine nec opibus nec aliis id genus bonis dignosci, sed ex oratione potissimum perspici, eamque institutionis cujusque nostrum signum esse certissimum et evidentissimum, quique oratione præclare utantur, eos non in suis duntaxat urbibus auctoritate valere, sed apud exteros etiam honorari. Nostra igitur urbs cæteris hominibus tum sapientia tum eloquentia tantum antecelluit ut ejus discipuli sint aliorum præceptores, id consecuta ut nomen Græcorum non jam nationis et gentis sed rationis et mentis argumentum esse videatur, Græcique hi potius vocentur qui eruditionem nostram perceperunt quam qui in eadem Græcia nati sunt.

14. Ne vero videar in partibus immorari de totis rebus me dicturum professus aut hæc celebrandæ nostræ urbis causa ob bellicarum laudum inopiam attulisse, propter eos hæc dicta sint qui rebus hujusmodi gloriantur; arbitror autem majores nostros non minus ob res [bello] gestas quam propter cætera beneficia, esse honorandos. Nec enim parva neque pauca nec obscura certamina subierunt, sed multa et acria et magna, partim pro patriæ defensione, partim ad libertatem aliorum tuendam: nunquam enim ab omni memoria destiterunt urbem suam præbere communem et Græcos ab injuriis quovis tempore vindicare. Quamobrem etiam sunt qui nos accusent tanquam non recte consulentes, qui colere imbecilliores soleamus, quasi ea verba non cum iis faciant qui nos laudare volunt. Nec enim, ex inscitia quantum societas potentiorum ad securitatem præstaret, rationem hanc secuti sumus; sed, quum aliis longe melius sciremus qui harum rerum eventus esse solerent, tamen imbecillioribus etiam neglecta utilitate maluimus opitulari quam potentioribus privatæ utilitatis gratia adjutores esse injuriarum.

15. Cognosci autem ex eo et consuetudo et potentia nostræ urbis poterit, si eos protulerimus qui nostram opem implorarunt. Ac supplicationes vel recens vel parvis de rebus factas omittam: diu autem ante Trojana tempora — inde enim fidem jure petunt qui de patrio jure contendunt — venerunt et Herculis liberi, et paulo ante illos Adrastus Talai filius, rex Argivorum: nam is quidem in expeditione Thebana clade accepta, quum sub Cadmea cæsos ipse tollere non posset, a nostra urbe petiit ut communis sortis miserti opem ferrent neque occisos in præliis jacere insepultos aut vetus institutum et patriam legem aboleri paterentur; Herculis autem liberi hostem Eurystheum fugientes, despectis urbibus cæteris ut quæ ipsorum calamitatibus mederi non possent, nostram civitatem solam eam esse putarunt quæ justam gratiam referret pro iis beneficiis quæ pater in universum genus mortalium contulisset. Hinc facile perspicitur nostram urbem tum etiam dignitate imperatoria fuisse præditam et nunc non injuria contendere de principatu.

Quis enim est qui supplex esse velit vel inferioribus vel aliorum subjectis imperio, potentioribus neglectis, de rebus præsertim non privatis sed publicis, et quarum curam suscepturos consentaneum esset non nisi eos qui primas inter Græcos sibi vendicarent? Deinde spe sua qua freti ad majores nostros confugerant non frustratos eos esse constat. Suscepto enim bello defunctorum causa contra Thebanos, liberorum autem Herculis causa contra vim Eurysthenicam, tum illos admoto ad urbem exercitu ad sepulturam cadavera cognatis reddere coegerunt, tum instructa acie Peloponnenses qui cum Eurystheo in nostrum agrum impetum fecerant obviam progressi prælio vicerunt ejusque ferociam compescuerunt. Quum autem ob alia quoque facinora in admiratione essent, ob hæc facta magis etiam celebrati sunt. Nec enim parvum quiddam præstiterunt, sed utrorumque fortunas ita mutaverunt, ut et is qui nobis supplicandum esse censuerat hostibus vi superatis confectisque iis quæ petierat omnibus discesserit, et Eurystheus qui vim nobis facturus advenerat ipse captus supplex fieri sit coactus, ac eum quidem quod natura humana præstantior, et Jove natus fuit, et mortalis adhuc divinum robur habuit, et imperiis et injuriis per omnem ætatem divexavit, postquam autem erga nos deliquit, res ejus ita mutatæ sunt ut in potestatem liberorum illius redactus contumeliosa morte perierit.

16. Quamvis autem complura in civitatem Lacedæmoniorum beneficia contulerimus, sic tamen accidit ut de hoc uno dicerem: nam occasione usi qua per nos conservati erant majores eorum qui nunc Spartæ regnant, Herculis posteri, atque in Peloponnesum reversi Argis et Lacedæmone et Messena occupatis tum Spartæ conditores tum bonorum quibus nunc fruuntur omnium principes eis auctoresque exstiterunt. Decuisset igitur illos horum memores nunquam in eam regionem impressionem fecisse, e qua majores eorum progressi tantam essent felicitatem adepti, nec ei urbi creasse periculum quæ pro liberis Herculis caput periculis objecisset; nec enim convenit ut eam civitatem sibi servire postulent, quæ totam illius familiam, cujus posteris regnum dedere, conservavit. Quod si gratiæ referendæ et æquitatis officiis omissis ad institutum redeundum et in ipsius causæ quasi arcem invadendum est, non utique patrium est duces esse advenas indigenarum, neque beneficiis affectos bene meritorum, neque supplices eorum a quibus sunt conservati.

17. Ac majore etiam compendio his de rebus possum dicere. Nam Græcarum urbium, nostra civitate excepta, Argos et Thebæ et Lacedæmon ut tum fuerunt sic etiam hodie sunt maximæ. Majores autem nostros tantum præstitisse omnibus constat, ut propter Argivos adversa fortuna usos Thebanis, quum animosissimi essent,

imperarint, et ad liberos Herculis defendendos Argivos cæterosque Peloponnenses prælio superarint, et e periculis quæ ab Eurystheo imminebant Spartæ conditores et Lacedæmoniorum duces liberarint. Itaque haud scio quidnam de Græciæ principatu ab ullo demonstrari possit apertius.

18. Convenire autem videtur ut de rebus a nostra urbe etiam contra barbaros gestis dicam, præsertim quum orationem de imperio quo illos oppugnemus instituerim. Verum, si omnia prælia enumerarem, justo mihi longior nasceretur oratio: quare operam dabo ut eadem ratione qua supra sum usus etiam hic de maximis tantummodo disseram. Sunt igitur imperiosissimæ gentes maximaque præditæ potentia, Scythæ et Thraces et Persæ: ita autem sors tulit, ut hi omnes insidiati nobis fuerint, nostraque urbs adversus hos omnes belli discrimen adierit. Enimvero quid reliqui erit adversariis, ubi demonstratum fuerit et Græcos, si qui jus suum adipisci non possent, nostræ urbi supplicare solitos, et barbaros servitute Græciam oppressuros impetum in nos primos fecisse?

19. Bellum autem Persicum etsi omnium illustrissimum fuit; non minora tamen argumenta res olim gestæ suppeditant de jure et more majorum disputantibus. Nam humili adhuc Græcia, in nostrum agrum irruperunt Thraces cum Eumolpo Neptuni filio, Scythæ cum Amazonibus Marte prognatis, non eodem tempore, sed quo utrique Europæ imperium appetebant, infensi quidem Græcis universis, sed privatim nos accusantes; existimabant enim ea se ratione unam duntaxat urbem adversariam habituros et universarum simul potituros. Non tamen votorum compotes facti, sed cum solis majoribus nostris congressi æque deleti sunt, ac si generi humano universo bellum intulissent. Cladis autem illius magnitudo ex eo perspicitur, quod fama illa tamdiu durare non potuisset, nisi res gestæ multum aliis præstitissent. Nam Amazonum quidem quæ huc venerint nullam domum rediisse, et cæteras quæ domi manserint ob cladem hic acceptam regno pulsas esse ferunt: Thraces autem, quum superiori tempore in vicinia nostra habitassent, ob expeditionem illam tam longe recesserunt, ut inter nostros et illorum fines multæ gentes variæque consederint et magnæ urbes sint conditæ.

20. Præclara quidem et hæc sunt ac digna iis qui de principatu contendunt: cognata vero his quæ diximus, et talia qualia decent a tantis viris ortos, illi gessere qui Darii et Xerxis arma repulerunt. Quum enim maximum id bellum exstitisset et plurima pericula eodem tempore urgerent, et hostes ob multitudinem se non sustineri posse et socii eorum virtute insuperabili se præditos esse putarent, utrisque victis sicut utrisque conveniebat, et omnibus præliis præstantia virtutis suæ probata, insignem statim fortitudinis

laudem et præmia meruerunt, neque multo post maris imperium sunt adepti, et delatum a Græcis cæteris, et istis qui nunc id nobis eripere student non adversantibus.

21. Neque vero me quisquam ignorare putet etiam Lacedæmonios sub illa tempora multa in Græcos beneficia contulisse: sed tantum abest ut nostræ urbis laudes propterea minuantur, ut majores etiam sint quod talibus æmulis tantum excelluit. Dicam autem paulo prolixius de his duabus urbibus neque celeriter nimium prætervehar, ut in memoriam utrunque nobis revocetur, tum nostrorum majorum virtus, tum inimicitiæ barbarorum. Neque me fugit, quam difficile sit post alios omnes de rebus dicere jam olim occupatis, de quibus eloquentissimi cives in publicis sepulturis sæpe verba fecerunt: necesse enim est maxima quæque jam ante in medium allata, et parva quædam relicta esse. Non tamen ea quæ restant, quoniam instituto nostro serviunt, silentio prætereunda sunt.

22. Optime igitur meritos et maximis laudibus fuisse dignos eos existimo qui sua corpora pro Græciæ defensione periculis objecerunt: sed nec eorum nulla ratio habenda est qui eo bello ætate superiores in utraque urbe summæ rerum præfuerunt. Illi enim fuere qui præpararunt posteros et populum ad virtutem cohortati eos barbaris acerrimos adversarios effecerunt. Nec enim illi nullam reipublicæ curam habebant, neque publicis opibus fruebantur ut privatis, ut alienas negligebant, sed eas administrabant ut privatas, ita iis abstinebant ut abstinere decet prorsus alienis; nec pecunia felicitatem metiebantur, sed is opes possidere tutissimas et pulcherrimas sibi videbatur, qui ita se gerebat ut et ipse maximam laudem mereretur et liberis suis honestissimam famam relicturus esset; neque audacia inter se certabant nec alios alii ferociter impetebant, sed gravius esse putabant male audire a civibus quam honeste pro urbe occumbere, et magis erubescebant si quid publice delictum esset quam nunc privatim peccasse pudeat. In causa illud erat, quod operam dabant ut leges accuratæ et præclaræ essent, non tam privatorum contractuum quam publicæ disciplinæ. Sciebant enim bonis viris nihil opus esse multis scriptis, sed paucis velut tesseris, ut de re tum publica tum privata consentirent. Jam tantum fuit eorum reipublicæ studium, ut inter eos factiones essent, non utri alteris e medio sublatis reliquis dominarentur, sed utri suam in civitatem beneficentiam properantius declararent: societates coibant, non ob privata commoda, sed propter populi emolumenta. Eodemque modo etiam res aliorum administrabant, ut colerent Græcos non exagitarent, existimabantque non tyrannidem sed imperium in eos esse exercendum, et duces potius quam dominos appellari, servatores et non vastatores nominari, se cupiebant; beneficiis civitates alliciebant non vi eversas ad se pertra-

hebant, graviore sermone quam nunc jurejurando utebantur, pacta et conventa ultro ita servabant quasi necessitate constricti tenerentur; non tam ob potentiam superbiebant quam vitæ modestiam laudi sibi ducebant, erga imbecilliores ita affecti ut potentiores erga se affectos esse voluissent, civitates suas privatarum urbium loco habebant, Græciam vero communem patriam existimabant.

23. Quum igitur his animis essent et his moribus adolescentiam informarent, eos qui cum Asianis pugnarunt tam fortes viros reddiderunt, ut nemo unquam vel poetarum vel oratorum eos pro rerum gestarum dignitate potuerit celebrare. In quo ego illis facile ignosco: æque enim difficile est eos laudare qui aliorum virtutes superarunt, ac illos qui nihil præclari gesserunt; nam alteris res desunt, alteris apta verba reperiri non possunt. Nam quæ talibus viris par queat esse oratio, qui Trojæ oppugnatores tanto intervallo superarunt, ut illi una urbe expugnanda decem annos contriverint, quum hi totius Asiæ vires exiguo tempore debellarint, neque patriam quisque suam duntaxat conservarint, sed totam quoque Græciam a servitute vindicarint? Quæ vero facinora, quos labores, quæ pericula detrectassent ut viventes gloria florerent, qui famæ gratia post obitum consequendæ tam alacriter mortem oppetere voluerunt? Equidem deorum aliquem id quoque bellum arbitror concitasse virtutis eorum admiratione, ne tam generosis animis præditi in obscuro delitescerent aut vitam ingloriam exigerent, sed ut pari cum filiis deorum honore quos semideos vocant afficerentur. Nam, ut corpora sua naturæ necessitati reddiderunt, sic virtutis quoque suæ memoriam immortalem reliquerunt.

24. Ac inter majores quidem nostros et Lacedæmonios semper æmulatio quædam honorisque contentio fuit, de rebus autem certe pulcherrimis temporibus illis concertarunt, non ut hostes sed ut æmuli ejusdem gloriæ, nec ad opprimendam Græcorum libertatem barbarum coluerunt, sed et de communi salute consenserunt, ut utri eam palmam obtinerent, de eo certamen fuit. Primum autem fortitudinem suam adversus copias a Dario missas declararunt. Quæ quum in Atticam exscensum fecissent, nostri non exspectatis sociis commune bellum sibi privatim depoposcerunt, et acie ex domestico milite instructa totius Græciæ contemptoribus occurrerunt, pauci infinitis tanquam alienæ vitæ periculo dimicaturi; Lacedæmonii vero, quum primum de bello Attico audivissent, relictis rebus omnibus nobis suppetias venerunt, non minore studio et festinatione quam si hostes in ipsorum agro populabundi vagarentur. Signum autem celeritatis eorum et contentionis illud est, quod ferunt majores nostros eodem die et barbarorum exscensum audivisse et ad agri sui terminos defendendos procurrisse et superatis hostibus trophæum statuisse, illos vero tribus diebus totidemque noctibus mille ac ducenta stadia cum exercitu confecisse. Usque adeo festinarunt, alteri ut socii periculorum essent, alteri ut ante auxiliorum adventum conflixisse viderentur.

25. Post hæc altera expeditio suscepta est, cujus ipse Xerxes dux fuit, relictaque regia imperator ausus fieri totius Asiæ vires contraxit: de quo quis unquam instituit immensa dicere qui non dixerit minora veris? Nam tanta superbia elatus, ut rem parvam existimaret subigere Græciam, et id sui monumentum relinquere cupiens quod humanam naturam excederet, non prius destitit quam id excogitasset perque vim extorsisset quod omnibus in ore est, ut cum exercitu continentem navigarit, pedibus mare ambularit, tum Hellesponto ponte juncto, tum Atho monte perfosso. Illi igitur cujus tanta fuit animi elatio, qui res tantas gesserat, qui tot populis imperabat, occurrerunt distributo periculo, Lacedæmonii ad Thermopylas pedestrem exercitum prohibituri, delectis mille de suis et sociorum paucis assumptis, ut eum in angustiis ulteriore progressu excluderent; nostri patres ad Artemisium, sexaginta triremibus contra universam hostium classem instructis. Et hæc fecerunt non tam hostium contemptu quam quadam inter se contentione, Lacedæmonii, quod gloriam urbis nostræ ob Marathoniam pugnam æmulantes se nobiscum exæquare studebant, veriti ne Græcia secundum continenter a nobis conservaretur; nostri majores tum ut partam gloriam tuerentur et omnibus declararent priorem etiam victoriam non fortunæ sed suæ virtuti esse tribuendam, tum ut Græcos ad navalis prælii fortunam tentandam adducerent eisque declararent multitudinem non minus mari quam terra cedere virtuti.

26. Quum autem par fuisset audacia, non parem fortunam sunt experti; nam illi quidem occiderunt, victores animis, corporibus defatigati — dictu enim nefas est, eos esse victos; quum nemo eorum fugere voluerit —, nostri autem, quum primis navibus victis transitu potitos esse hostes audivissent, navibus domum reductis [urbanisque rebus ordinatis] ea de cæteris consilia inierunt, ut post multas res præclare gestas in extremis periculis longe fuerint excellentiores. Nam, quum omnes socii animos despondererent, quum Peloponnenses muro isthmum intercluderent suæque salutis privatim rationem haberent, quum aliæ urbes a barbaris superatæ sub illis militarent, nisi forte aliqua ex minoribus per contemptum præterita esset, quum triremes mille ac ducentæ appellerent, terrestres vero copiæ innumerabiles in Atticam irrupturæ essent, nec ulla salutis spes ostenderetur, quum et destituti essent a sociis et spe omni frustrati, quamvis non illa tantum pericula effugere verum eximios etiam honores consequi liceret, quos eis rex offerebat, existimans se nostræ urbis classe adjuncta mox etiam Peloponnesi potiturum, ejus munera repudiarunt, nec ira concitati adversus Græcos a quibus deserti essent cupide pacificationem barbaricam arripuerunt, sed tum ipsi ad bel-

lum pro libertate gerendum sunt accincti, tum aliis qui servituti se tradiderant ignoverunt. Humilibus enim oppidis quavis conditione salutem esse quærendam, urbibus autem quæ Græciæ principatum sibi vendicarent nullo modo pericula esse detrectanda, putabant; sed ut viris fortibus optabilius est honeste mortem oppetere quam vivere turpiter, sic etiam primariis urbibus expedire magis ex hominum memoria prorsus deleri quam servitute oppressas conspici. Atque his eos animis fuisse perspicuum est: quum enim fieri non posset ut contra utrasque copias simul exercitum instruerent, assumpta omni oppidana multitudine in vicinam insulam trajecerunt, ut per vices cum alteris copiis [et non simul contra ambos exercitus] Martis aleam experirentur.

27. Enimvero viri præstantiores illis aut Græcorum amantiores ostendi qui possint, qui, ne servitutis causa Græcis essent, et urbem desolatam et agros vastatos et sacra direpta et templa incensa, universi denique belli molem in patriam suam conversam, intueri non recusarunt? ac ne his quidem contenti, contra naves mille et ducentas soli pugnare aggressi, non tamen etiam siti fuerunt: Peloponnenses enim eorum virtute pudefacti, et, si nostri periissent, ne se quidem fore incolumes, sin vicissent, suas urbes in ignominia fore cogitantes, adire periculorum societatem sunt coacti. Ac tumultus qui in ea re inciderunt et clamores et cohortationes, quæ communia sunt omnium bellorum navalium, non video quorsum attineat commemorare: quæ autem bujus loci propria sunt et digna principatu et supra dictis consentanea, ea demum est mei officii dicere. Tantum enim nostra urbs, dum incolumis esset, cæteris antecelluit, ut eversa etiam plures triremes ad id prælium in quo Græciæ salus agebatur contulerit quam cæteri omnes qui pugnæ illi interfuerunt, neque vero quisquam animos adeo a nobis habet alienos, quin fateatur id navale prælium victoriæ totius belli causam exstitisse, atque idipsum nostræ urbi acceptum esse referendum.

28. Enimvero quum bello petendi erunt barbari, quorum esse decet principatum? Non eorum qui bello superiore præclarissime se gesserunt, qui et privatim pericula pro aliis sæpe adierunt et primas in communibus discriminibus meruerunt? non eorum qui pro salute Græciæ patriam deseruerunt? non eorum qui et olim plurimas urbes condiderunt et easdem maximis e calamitatibus denuo eripuerunt? An vero non iniquissime nobiscum ageretur qui maximam partem malorum exantlavimus, si in judicio dignitatis minus honoris consequeremur? si, qui tum pro salute omnium in acie prima stetimus, nunc alios sequi cogeremur?

29. Hactenus equidem scio constare inter omnes nostram urbem et plurima in Græciam beneficia contulisse et deberi illi principatum: post hæc autem sunt qui nos accusent, ut qui suscepto maris imperio multis cladibus Græcos affecerimus, et inter alia crimina

Meliorum nobis excidium et Scionæorum interitum objiciant. Ego vero nullum hoc male gesti principatus signum esse puto, si acrius in aliquos eorum qui bello nos petierunt animadverterimus, sed illud longe majus esse argumentum nos sociorum saluti et commodis consuluisse, quod nulla urbs conjuncta nobiscum in tales clades incidit. Deinde, si qui alii in iisdem negotiis majore clementia essent usi, jure nos vituperarent: si vero nec hoc factum est, et fieri nequit ut tanta urbium multitudo sine animadversionis severitate in officio contineatur, nonne protinus laudandi sumus, qui male tractatis quam paucissimis imperium quam diutissime tenuerimus?

30. Ego vero omnium judicio eos Græcorum patronos fore optimos existimo, quibus qui paruerunt maxime floruerunt. At nobis principibus et privatarum familiarum felicitatem plurimum auctam et urbes maximas esse factas inveniemus. Nec enim earum incrementis invidebamus, neque turbas in iis excitabamus contrariis reipublicæ formis introductis, ut factionibus inter cives ortis utrique nos colerent, sed concordiam sociorum ex æquo prodesse omnibus existimantes, iisdem legibus urbes omnes administrabamus, ea consilia secuti non quæ dominationem sed quæ societatem decerent; nam summam quidem rerum penes nos esse voluimus, seorsim vero libertatem singulis concessimus, et multitudinem tutati dominationibus adversati sumus, quod iniquum nobis videbatur multos paucorum imperio regi, et eos, qui re quidem tenuiore cætera vero nihilo deteriores essent, magistratibus et honoribus excludi, præterea, quum patria sit communis, alios regnum obtinere, alios inquilinorum esse loco, et natura cives reipublicæ functionibus lege privari. Hæc quum in paucorum dominatu reprehendenda haberemus et plura his, eandem reipub. formam qua nos utebamur etiam apud alios constituimus, quæ cur prolixius laudanda sit equidem non video, præsertim quum res paucis absolvi possit. Hac enim per annos septuaginta usi, expertes tyrannidum, inviolati a barbaris, sine seditionibus inter nos ipsos, denique pacate cum hominibus universis, vixerunt.

31. Pro quibus meritis æquius fuerit a prudentibus magnam gratiam haberi nobis quam colonos sorte delectos atque in alias terras ablegatos objici, quos in urbes desertas præsidii causa non ex avaritia misimus. Quarum rerum illud signum est, quod quum agrum haberemus si civium multitudo spectetur angustissimum, imperium vero amplissimum, et triremes duplo plures quam reliqui universi possideremus, et eas quidem quæ cum bis totidem dimicare possent, cumque Eubœa infra Atticam sita esset, quæ ingenio loci ad maris imperium aptissima cæteris commoditatibus omnes reliquas insulas superaret, quamvis ea in nostra potestate magis esset quam noster ager, atque etiam sciremus et a Græcis cæteris et barbaris eos in primis magni

fieri qui pulsis finitimis copiosam et facilem sibi vivendi rationem constituerunt, nulla tamen harum rerum sumus ad insulares violandos impulsi, sed soli ex iis qui magna potentia præditi sunt tenuius vivere non recusavimus quam hi qui servire scilicet dicebantur. Enimvero si nostri emolumenti rationem duxissemus, non utique Scionæorum agrum appetiissemus, quem nos profugis Platæensibus tradidisse constat, tantam autem regionem, quæ nos omnes ditasset, neglexissemus.

32. Et, quum ita nos gesserimus ac abstinentiam nostram tantis veluti pignoribus confirmaverimus, illi tamen accusare nos audent qui in decurionum numero fuerunt, qui patriam suam afflixerunt, qui ut veterum injuriæ parvæ viderentur effecerunt, qui denique nihil iis reliqui fecerunt, qui in posterum studiosi erunt improbitatis; profitentur illi qui quidem se studere Laconibus atque illorum instituta æmulari, sed diversam ab illis rationem sequuntur, ac Meliorum calamitates deplorant, quum suos ipsi cives inexpiabili scelere violare non dubitarint. Quam enim injuriam prætermiserunt? a quo turpitudinis et sævitiæ genere sibi temperarunt? non iniquissimos pro fidelissimis habuerunt, et proditores ut beneficos coluerunt? non mancipiis quibusdam servire voluerunt, quo patriæ suæ liceret insultare? non eos qui se nefariis civium cædibus contaminarant, magis quam parentes suos honorarunt? non in eam nos omnes crudelitatem impulerunt, ut, quum felici superiorum temporum statu, nostrum unusquisque vel in parvis incommodis multos haberet qui vicem ipsius dolerent, istis imperantibus domesticis oppressi malis aliorum alii misereri destiterimus? neque enim cuiquam tantum otii reliquerunt, ut alienis malis afficeretur. Nam quis eorum effugere potuit violentiam? quis a publicis functionibus adeo remotus fuit, quin vicinus esse calamitatibus, in quas ista nos conjecerunt ingenia, cogeretur? Neque porro pudet eos, quum suas urbes tam crudeliter tractarint, immerito nostram accusare, sed præter alia et privata et publica judicia apud nos facta proferre audent, quum ipsi tribus mensibus indicta causa plures interfecerint quam nostra urbs totius imperii tempore in judicium adduxit? Exsilia porro et seditiones et legum confusiones et rerum publicarum mutationes, stupra præterea liberum et probra uxorum et direptiones pecuniarum, quis possit enumerare? Illud certe quidem in universum habeo dicere, imperii nostri severitatem facile uno senatusconsulto averti, cædes autem et injurias sub istis perpetratas a nemine potuisse sanari.

33. Jam ne pax ista quidem, et libertas quæ, quum in urbibus nulla sit, fœderibus inscripta habetur, amplectenda magis est quam noster principatus. Quis enim talem statum expetat, quo et piratæ mare tenent, et parmati urbes occupant? quo non modo pro imperii defensione cum exteris non confligitur, sed intra ipsa mœnia cives inter sese præliantur? quo plures urbes captæ sunt quam ante pacem constitutam? quo propter mutationum frequentiam ii qui urbes tenent rebus suis diffidunt magis quam qui exsiliis sunt mulctati? Nam illi quidem impendentia mala formidant, hi restitutionem semper exspectant. A libertate vero et suis legibus tantum absunt, ut aliæ tyrannis pareant, aliæ a Laconicis præfectis teneantur, aliæ funditus eversæ, aliæ a barbaris oppressæ jaceant: quos in Europam trajicere ausos et animis ultra quam par erat elatos ita nos compescuimus, ut non tantum nullas contra nos expeditiones susciperent, sed suos etiam agros vastari paterentur, et eos, qui mille ducentis navibus Græciam circumnavigarant, ad eam humilitatem redegimus, ut intra Phaselidem longa nave non appellerent, sed quiescerent et occasiones exspectarent, neque potentiæ suæ confiderent. Atque hæc ob majorum nostrorum virtutem ita se habuisse, urbis nostræ calamitates perspicue docuerunt: simul enim et nobis principatus est ereptus et calamitatum principium Græcis est exortum. Nam post cladem Hellespontiacam aliis imperium adeptis barbari et navali prælio vicerunt, et maris imperium tenuerunt, et plerasque insulas occuparunt, et exscensum in Laconiam fecerunt, et Cythera vi expugnarunt, et universam Peloponnesum classe circumvecti afflixerunt.

34. Magnitudo autem mutationis illius ita maxime perspicietur, si fœdera, tum ea quæ nobis imperantibus facta tum quæ nunc in literas relata sunt, legantur. Nos enim tunc et fines designasse imperii regis et tributa quædam ordinasse et maris eum usu prohibuisse constabit: nunc ille is est qui Græciam gubernet, qui quid singulis faciendum sit imperet, et tantum non præfectos in urbibus constituat. Quid enim reliqui est uno hoc excepto? Non et bellum in potestate habuit, et pacis interpres fuit, et rerum quæ geruntur omnium factus est moderator? non ad eum tanquam ad dominum navigamus, alii alios accusaturi? non eum quasi bello capti Regem Magnum appellamus? annon in bellis inter nos intestinis spem salutis in eo, qui nos utrosque internecione deletos vellet, collocamus? Æquum igitur fuerit his rebus consideratis tum hunc rerum statum iniquis ferri animis, tum nostram imperandi rationem desiderari, tum Lacedæmoniis succenseri, qui, quum initio bellum suscepissent quasi Græcos liberaturi, ad extremum tam multos eorum barbaris dediderunt, et Iones colonos nostros sæpeque a nobis conservatos a nostra urbe abstractos barbaris subjecerunt, quibus invitis et regionem suam tenent et contra quos belligerari nunquam destiterunt. Ac tum quidem indignabantur, quum nos legitimum in quosdam imperium usurparemus: nunc vero illos tali servitute oppressos nihil curant; nec enim hoc mali satis est, quod et tributa

pendunt et arces suas ab hostibus occupatas vident, sed præter publicas calamitates suis etiam corporibus quam apud nos ære empta mancipia tolerant atrociora: nostrum enim nemo famulos suos ita flagellat, ut in homines ingenuos illi animadvertunt. Illud autem summum malum est, quum ad hanc ipsam servitutem stabiliendam una militare, et contra eos arma ferre coguntur a quibus in libertatem asseruntur, eaque pericula subire, in quibus et si vincantur statim sint perituri, et si vicerint durius in posterum servituri.

35. Quæ quibus imputanda sunt nisi Lacedæmoniis? qui tanta præditi potentia non moventur sociorum dudum suorum calamitatibus, Græcorumque viribus imperium suum firmare barbarum patiuntur. Ac olim quidem illi et tyrannos ejiciebant et libertatem defendebant, nunc autem usque adeo mutati sunt, ut cum rebuspublicis bella gerant, monarchiis constituendis sint adjutores. Mantinensium certe urbem pace jam facta everterunt, Cadmeam Thebanorum occuparunt, etiam Olynthios et Phliasios bello cingunt, Amyntæ autem Macedonum regi et Dionysio Siciliæ tyranno et barbaro Asiæ dominanti navant operam, ut illi quam maxima imperia consequantur. Quid vero absurdius est quam Græciæ præsides uni viro tot hominum, quorum inire numerum haud facile sit, tradere dominatum, maximas autem urbes ne sui quidem juris esse pati, sed vel cogere servire vel maximis afficere cladibus? Jam illud omnium acerbissimum est eos, qui principatum sibi vendicant, tantum non singulis diebus bella inferre Græcis, cum barbaris autem æternam societatem coiisse.

36. Neque vero me quisquam iratum putet, quod asperius horum feci mentionem, initio præfatus me de reconciliatione acturum esse: nec enim hæc eo pertinent, ut apud alios Lacedæmoniorum urbem in odium adducam, sed ut, quantum oratione consequi licet, ab isto instituto abducam. Fieri autem nequit ut a peccando deterreas et ad alias cogitationes impellas, nisi præsentes acriter objurgaris: nam accusare putandi sunt qui lædendi causa talia dicunt, admonere qui propter audientium utilitatem convitia faciunt. Nec enim de eadem oratione sentiendum est idem, si animo non eodem dicatur. Nam illud etiam eis objicere possumus, quod finitimos suæ civitati servire cogunt, sociorum autem reipublicæ nihil ejusmodi conferunt, cum per eos ut liceat controversiis nostris abolitis barbari universi totius Græciæ servi efficiantur. Enimvero decet eos, qui natura et non fortuna magnis animis sunt, hujusmodi facinora suscipere potius quam exactionibus vexare insulares, quorum misereri erat æquius, nempe quos videant agri penuria coactos montes excolere, quum Asiani ob regionis amplitudinem maximam partem incultam negligant, ex illa autem quam colunt tantis affluant divitiis.

37. Equidem si qui aliunde profecti harum rerum spectatores

essent, ab iis utrosque nostrum maximæ insaniæ reos actum iri arbitror, qui ob res adeo minutas periculose dimicemus, quum secure tenere multa possemus, et nostrum agrum ipsi populemur, Asia qua frui liceret neglecta. Regi certe Persarum nihil perinde curæ est atque illud, quonam pacto efficiat ut intestinis bellis inter nos conflictari nunquam desinamus; nos vero tantum abest ut ullas ejus res conturbemus aut seditionem in regno illius excitemus, ut etiam fortuito coortos tumultus consopire studeamus, qui exercituum Cypriorum altero eum uti alterum obsidere sinamus, quum uterque sit e Græcia collectus. Nam et qui defecerunt amicitia nobiscum sunt conjuncti et fidei Lacedæmoniorum se committunt, et Tiribazi milites et præstantissimi quique peditum ex his locis illuc venerunt, et classis maxima pars ex Ionia secuta est, qui quidem conjunctis viribus Asiam vastare longe mallent quam inter sese ob res exiguas belligerari. Quorum nos nullam rationem habemus, sed dum de Cycladibus insulis rixamur, adeo temere barbaro tantam urbium multitudinem tradidimus et tam ingentes exercitus. Itaque ille alia tenet, aliis imminet, aliis insidiatur, nobis omnibus jure contemptis. Id enim assecutus est quod majorum ejus nemo unquam: nam et nos et Lacedæmonii Asiam regis esse confessi sumus, qui quidem Græcas urbes sic in potestatem suscepit, ut alias demoliatur, in aliis arces exstruat. Atque hæc omnia facta sunt nostra amentia, non ejus potentia.

38. Etsi autem quidam regiarum opum magnitudinem admirantur, et bellum cum eo fore difficillimum dictitant, atque recensent quantas inter Græcos mutationes effecerit. Ego tamen istos non tam expedire quam accelerare expeditionem arbitror: nam si nobis omnibus consentientibus ipse turbis agitatus non facile oppugnari poterit, illud haud dubie tempus valde metuendum erit, quum res barbarorum pacatæ concordesque ipsi fuerint, nos vero uti nunc hostilibus inter nos animis fuerimus. Etsi autem meam illi sententiam confirmant: tamen ne sic quidem recte illius potentiam æstimant. Nam si demonstrarent eum antehac aliquando urbem simul utramque superasse, non injuria nunc etiam terrere nos conarentur: si vero nunquam id factum est, sed, dum nos et Lacedæmonii digladiamur, cum alterutris conjunctus opes eorum florentiores reddidit, nullum hoc signum est potentiæ illius. Sæpe enim hujusmodi temporibus exiguæ vires multum momenti habuerunt: nam et de Chiis possim dicere, cum utris illi fecerint eos in mari fuisse potentiores.

39. Verum non ex eo spectandæ regis opes sunt, quando cum alterutris se conjunxit, sed inde quum ipse per se bellum gessit. Ac primum Ægyptus quum defecisset, quid contra illos effecit qui eam tenebant? Annon bellum maximæ inter Persas auctoritatis viris, Abrocomæ et Tithraustæ et Pharnabazo, mandavit? Hi vero bello

in tertium annum ducto, pluribus cladibus acceptis quam illatis, adeo turpiter discesserunt, ut qui defecerant non jam contenti libertate finitimos etiam invaderent? Post hæc bello contra Evagoram moto, unius urbis [Cypriæ] dominum et in fœdere deditum, qui quum insulam incolat et mari prius cladem acceperit et pro suæ regionis defensione tria millia cetratorum duntaxat habeat, tamen copias adeo tenues rex bello superare nequit, sed et jam in eo sex annos contrivit, et, si conjectura futurorum e præteritis capi debet, sperandum est fore ut alius quispiam prius deficiat quam hic in deditionem redigatur: adeo lente ac segniter actiones regis procedere solent. In bello autem ad Rhodum gesto, quum Lacedæmoniorum socios ob gubernationum sævitiam bene cupientes haberet nostrisque remigiis uteretur, Conone illi ducente exercitum, omnium imperatorum et diligentissimo et fidelissimo Græcis et peritissimo rei militaris, quanquam talem nactus adjutorem, tamen classem pro Asianis periclitantem tantum a centum triremibus triennio passus est obsideri et xv mensium stipendio militem fraudavit; itaque quod ad illum quidem attinebat sæpe dilapsi fuissent, sed propter imminens periculum et societatem ad Corinthum constitutam vix tandem navali prælio vicerunt. Hæc sunt ejus maxime regia splendidissimaque facinora, quæ jactare verbis nunquam desistunt amplificandæ barbaricæ potentiæ studiosi.

40. Itaque nemo dicere potest me non iis exemplis uti quibus deceat, aut parvis commemorandis immorari maximis rebus prætermissis: nam, quo crimen hoc declinarem, clarissima ejus facta recensui, non quin illa etiam meminissem, Dercyllidam mille armatis Æolidem occupasse, Draconem Atarneo capto et tribus millibus cetratorum collectis Mysium campum vastasse, Thibronem paulo pluribus trajectis totam Lydiam esse populatum, Agesilaum Cyri usum exercitu provinciis prope omnibus quæ intra Halym amnem sitæ sunt esse potitum. Neque vero vel exercitus qui regi perpetuo præsto est, vel fortitudo Persarum extimescenda est: nam, qui cum Cyro in Persiam adscenderunt, nihilo præstantiores eos esse quam maris accolas aperte ostenderunt. Ut enim cætera prælia quibus victi sunt prætereant, et eos in dissensione contra fratrem regis strenue pugnare noluisse concedam: at Cyro mortuo quum omnes qui Asiam incolunt convenissent, illis temporibus bellum adeo turpiter gesserunt, ut nihil quod dicant iis reliqui fecerint qui Persarum fortitudinem prædicare consueverunt. Quum enim in sex millia Græcorum incidissent, qui quidem non ex optimis delecti, sed homines ita perditi fuerunt ut in suis civitatibus vivere non possent, ignari regionis, destituti a sociis, a comitibus proditi, duce quem secuti fuerant amisso, tanto tamen his inferiores fuerunt, ut rex animi dubius quid agendum esset, suis copiis contemptis, principes auxiliares contra fidem datam comprehendere non dubitaret, tanquam violata jurisjurandi religione conturbaturus exercitum, et in deos impius esse mallet quam aperto Marte cum eis dimicare. Quum autem hæ insidiæ non processissent conatusque is fuisset irritus, et milites ea calamitate non consternati una mansissent, in eos abeuntes Tisaphernem cum equitibus immisit, a quibus in toto itinere insidiis appetiti perinde perrexerunt ac si officii causa deducerentur, nihil ita metuentes ut loca deserta, idque summum bonum existimantes, si in hostes quam confertissimos incidissent. Illud autem caput est eorum quæ diximus, quod, quum neque prædas abegissent neque villam occupassent, sed infestis armis ipsum regem petiissent, minore cum periculo descenderunt quam qui expetendæ Persarum amicitiæ causa legationes obierunt. Itaque mihi videntur ubique terrarum perspicue mollitiem suam demonstrasse: nam et in maritimis Asiæ locis multis præliis victi sunt, et in Europam transgressi pœnas dederunt — alii enim eorum male perierunt, alii turpiter evaserunt —, denique ad ipsam regiam se deridendos præbuerunt.

41. Neque horum quicquam temere factum est, sed omnia jure meritoque evenerunt: nec enim fieri potest ut, qui sic educantur et ad hunc modum res suas administrant, vel ulla virtute præditi sint vel devictis hostibus triumphent. Quo enim pacto inter eos his moribus vel egregius imperator vel miles strenuus possit exsistere? quorum pars maxima est turba incomposita et militiæ rudis, ut bello gerendo dissoluta, sic ad servitutem famulis nostris melius erudita; celeberrimi autem et honoratissimi quique eorum nunquam æquabiliter aut populariter civiliterve vixerunt, sed omnem ætatem ita exegerunt ut aliis insultarent aliis inservirent, quippe homines corruptissimis ingeniis, ac corpora illi quidem propter divitias exornant, animis autem propter monarchiam humilibus et consternatis præditi trepidant, ut qui ad ipsam regiam præstolentur et procumbant et omnibus modis abjecto esse animo meditentur, quum quidem hominem mortalem adorent et deum appellent, deos autem magis quam homines contemnant. Proinde isti qui ad mare descendunt, quos satrapas vocant, non dedecori sunt Persicæ disciplinæ, sed eadem tenent instituta, amicis fidem non servantes, contra inimicos effœminati, partim abjecte partim superbe viventes, quum socios despiciant, hostes colunt. Agesilai certe quidem exercitum suis sumptibus octo menses aluerunt, qui vero pro eis in acie steterant, eos bis totidem mensium stipendio fraudarunt; ac iis quidem qui Cisthenen occuparant centum talenta sunt largiti, eos autem qui cum ipsis in Cypro militarant contumeliosius quam captivos tractarunt. Et ut in pauca rem conferam neque singula consecter, sed in genere dicam, quis aut bellum cum eis gessit quin locupletatus recesserit, aut in eorum potestatem cecidit quin per cruciatum in-

terierit? Nonne Cononem, qui quum pro Asia duceret exercitum Lacedæmoniis imperium eripuerat, comprehensum interficere sunt ausi? Themistoclem vero, qui pro Græciæ defensione prælio navali eos vicerat, ingentibus præmiis affecerunt? Quis igitur illorum amicitiam expetendam ducat, qui et bene meritos suppliciis coercent, et hostibus tam insigniter adulantur? Quos vero nostrum non violant? Quo tempore insidiari Græcis destiterunt? Quid rerum omnium habemus, in quod isti non animo sint hostili, qui et simulacra deorum immortalium et templa spoliare priore bello et comburere non dubitarunt? Quare laudandi sunt Iones, quod diris eos exsecrationibus devoverunt, qui templa cremata turbarent aut in iisdem fundamentis exædificarent, non quod deesset unde ea reficerent, sed ut monumenta posteris essent barbarorum impietatis, et nemo fidem iis haberet qui ad eum modum in sacra deorum immortalium grassari non dubitassent, sed eos et caverent et formidarent omnes, quos non tantum corporibus nostris cernerent sed etiam religioni bellum intulisse.

42. Possum et de civibus nostris talia referre. Nam cum cæteris contra quos bella gesserunt simulac in gratiam reditum est, inimicitiarum veterum obliviscuntur, Asianis autem ne pro acceptis quidem beneficiis gratiam habent: adeo immortalem in eos iram gerunt. Nam et patres nostri multos capitis damnarunt quod Medis studere viderentur, et in conciliis etiam hodie, antequam publice quicquam aliud decernatur, si quis civium Persarum pacem aut amicitiam expetat, eum devotionibus obstringunt: Eumolpidæ autem et Ceryces in festo initiorum, cæteris quoque barbaris horum odio, tanquam homicidis, sacra interdicunt. Natura porro sic eos odimus, ut nullis fabulis perinde gaudeamus ac Trojanis et Persicis, e quibus clades eorum cognoscere liceat. Illud etiam reperias de bellis barbaricis hymnos, de Græcis nænias exstitisse nobis, ac illos quidem in festis cani, harum autem in calamitatibus nos meminisse. Atque etiam Homeri poesin propterea in majore esse pretio arbitror, quod eos qui barbaros oppugnarunt præclaris laudibus extulit, nostrosque majores artem ejus propterea honoratam esse voluisse tum in certaminibus musicis tum in educatione puerorum, ut sæpe carmina illa audientes inimicitias quæ nobis cum barbaris intercederent edisceremus, et virtutem nostrorum qui ad Trojam militarunt admirantes, eorundem facinorum gloriam adamaremus.

43. Itaque mihi quidem nimis esse multa videntur quæ nos incitent ad bellum eis inferendum, in primis autem occasio, quæ [tam præclara quum sit] non est amittenda: etenim turpe fuerit, ea dum adest non uti, elapsam desiderare. Quid enim regi bellum illaturi optabimus amplius, quam ea quæ nunc suppetunt? Non Ægyptus et Cyprus ab eo defecerunt? Non Phœnicia et Syria bello vastatæ sunt? Non Tyrus, quæ animos illi fecit, ab hostibus ejus occupata est? Non Ciliciæ civitates plerasque hi tenent qui nobiscum faciunt, reliquæ facile subigentur? Lycia vero Persarum nemo unquam potitus est. Jam Hecatomnus Cariæ præses revera jam olim defecit; sed id præ se feret ubi nos voluerimus. A Cnido Sinopem usque Græci Asiam accolunt, quibus non persuadendum sed obstandum non est ut bellum gerant. Quum igitur tantas opportunitates habeamus, tantumque bellum Asiam circumdaturum sit, quorsum attinet eventura quæ sint exquirere accuratius? Qui enim a parvis partibus vincuntur, ii evidenti sunt fato, siquando totius Græciæ vires sustinuerint. Res autem ita se habet. Si quidem barbarus maritimas civitates firmaret, majoribus quam nunc præsidiis impositis, fortassis etiam insulæ Asiæ vicinæ, ut Rhodus et Chius et Samus, ad illius fortunas inclinarent: si vero nos priores eas occupaverimus, etiam Lydos et Phryges et cæteros qui supra illos incolunt, in eorum potestate fore probabile est qui hinc bellum moverint. Quare festinandum est et nulla mora interponenda, ne idem quod nostris patribus nobis accidat. Qui, quum barbaris segniores quosdam e sociis deseruissent, pauci cum multis pugnare sunt coacti, quum, si priores in Asiam trajecissent, totius Græciæ viribus singulas gentes per vices subigere licuisset. Nam, quum bello petendi sunt homines qui multis e locis colliguntur, res ipsa declarat non exspectandum esse dum convenerint, sed dispersos adhuc esse invadendos. Illi igitur, quum in hoc principio peccassent, omnia hæc correxere periculosissimis præliis commissis. Nos autem, si sapimus, statim initio cavebimus operamque dabimus ut exercitu circa Lydiam et Ioniam collocato antevertamus, edocti quod rex vel Asianis imperet non volentibus, sed quia semper majores copias secum habeat quam singuli illorum: quibus si nos robustiorem exercitum trajecerimus, id quod velimus modo facile fiet, secure universa Asia fruemur. Multo autem præclarius est cum illo de regno pugnare, quam inter nosmetipsos contendere de principatu.

44. Æquum et illud est, expeditionem hac suscipi ætate, ut qui calamitatum socii fuerunt, iidem rerum secundarum etiam fructum capiant neque omnem ætatem in miseriis exigant. Satis enim longum fuit superius tempus, quo quæ acerbitates non acciderunt? Quum enim natura humana per se multis malis obnoxia sit, nos ipsi plura etiam necessariis excogitavimus, bellis et seditionibus inter nos excitatis, unde alii in suis urbibus per injuriam occiduntur, alii peregre cum uxoribus et liberis oberrant, multi apud hostes stipendia facere inopia coacti, dum contra amicos pugnant, pro inimicis mortem oppetunt. Hæc nemini unquam indignationem moverunt: calamitates quidem a poetis confictæ lacrymas eis excutiunt, sed vera mala multa et peracerba quæ bellum peperit intuentes adeo misericordia non

commoventur, ut alii aliorum malis plus gaudeant quam suis bonis. Fortassis autem simplicitatem meam deridebunt multi, qui calamitates hominum his temporibus deplorem, quibus et Italia devastata est, et Sicilia servitute oppressa, et tot urbes concessæ barbaris, cæteræque Græciæ partes in maximis periculis versantur.

45. Ego vero miror quomodo principes civitatum sibi superbiendum censeant, si nihil unquam tantis de rebus neque dicere neque cogitare potuerunt. Decuerat eos, si qua florent auctoritate ea digni essent, relictis rebus omnibus consilii de bello barbaris inferendo se duces auctoresque profiteri. Fortassis enim aliquid profecissent: et, ut prius diem suum obirent, at orationes suas posteris tanquam oracula relinquerent. Nunc isti, quorum summa est auctoritas, minuta quædam tractant, nobis autem, qui negotia reipublicæ non attingimus, rerum tantarum deliberationem reliquerunt. Enimuero quanto pusilliores animi sunt principum nostrorum, tanto accuratius aliis providendum est qua ratione has inimicitias deponamus. Nam nunc quidem frustra pactiones de pace fiunt: nec enim bella componimus sed differimus, et illud tempus exspectamus quo alios alii pessundare possimus.

46. Sunt autem repudiatis prorsus hujusmodi insidiis ea suscipienda, per quæ et nostras urbes securius teneamus et majore benevolentia conjungamur. Quibus de rebus simplex et facilis est oratio: nec enim firma pace fruemur, nisi communiter bellum barbaris intulerimus, neque Græci consentient, priusquam et auxilia propter eosdem et bella contra eosdem paraverimus. His autem perfectis, et egestate propulsata, quæ et societates dirimit et jura necessitudinum inimicitiis impetit et omnes homines bellis ac seditionibus involvit, fieri non poterit quin et in concordiam redigamur et vera omnes benevolentia conjungamur. Quibus de causis occupati hac una re esse debemus, ut primo quoque tempore bello hinc in Asiam translato hoc saltem boni ex intestinis bellis consequamur, ut rei militaris peritia hic parta contra barbaros nobis abutendum esse videatur.

47. At propter fœdus fortasse cunctandum est, et non festinandum neque temere bellum suscipiendum. Quidni vero? propter quod fœdus et civitates in libertatem assertæ regi gratiam habent, tanquam eo beneficio ab illo affectæ, et deditæ barbaris potissimum quidem Lacedæmonios accusant, sed tamen cæteros etiam qui pacis conditiones acceperunt, tanquam servire propter illos coactæ. Illudne fœdus ratum est habendum, quod talis opinio consecuta est, barbarum et Græciæ gerere curam et pacis esse custodem, nostrum vero quosdam exstitisse qui eam vexarent et infestarent? Jam illud maxime ridiculum est, quod in conditionibus eas religiosissime servamus quæ deterrimæ sunt. Nam quæ tum insulis tum urbibus

Europæis libertatem restituunt, jam olim abrogatæ sunt et frustra pilis inscriptæ: quæ vero et nobis dedecori sunt et multos e sociis barbaro dediderunt, eæ demum immotæ manent; illa omnes comprobamus quæ tollenda sunt nec unum diem toleranda, quum putanda sint jussa, non pactiones. Quis enim nescit eas esse pactiones, quum par et æquum jus utrisque tribuitur, jussa vero quum alteri præter jus et æquum deteriore sunt conditione? Quare legatos et hujus pacis interpretes jure culpamus, quod missi a Græcis fœdus pro barbaris fecerunt. Eos enim decuisset, seu visum fuisset singulis sua tenenda, sive etiam in bello captos jus habendum, sive ea retinenda esse quæ pacis tempore habuissemus, unum aliquid ex illis definisse ac jure in medium proposito sic in literas ea retulisse. Nunc urbi nostræ ac Lacedæmoniorum nihil honoris tribuerunt, barbarum autem totius Asiæ dominum constituerunt, quasi nos pro eo bellum gessissemus, aut Persarum imperium antiquum esset, nos recens in his urbibus consedissemus, et non illi nuper hoc honore potiti essent, nos autem ab omni ævo principatum Græciæ teneremus.

48. Arbitror autem, quam contumeliose nobiscum actum et quanto rex meliore conditione sit, sic fore dilucidius. Nam quum terra universa, quæ cœli circumflexu tegitur, in duas sit divisa partes, quarum hæc Europa, Asia illa dicitur, semissem accepit ex pacto, quasi non cum hominibus jungeret fœdus, sed cum Jove imperium partiretur. Et hæc coegit nos lapideis inscripta columnis in publicis templis consecrare, id quod multo pulcrius trophæum est quam ea quæ in præliis statuuntur: illa enim ob parva quædam opera et unum eventum, hæc vero de toto bello et contra totam Græciam ponuntur. Quapropter et irascendum est, et ineunda ratio aliqua ut et superioris temporis injurias ulciscamur et ne quid in posterum Græcia detrimenti capiat prospiciamus. Nam quum barbaris privatim servis utendum censeamus, tantam sociorum multitudinem per socordiam nostram illorum dominatu premi turpe fuerit: quum Trojani belli tempore majores nostri unius mulierculæ raptum ita vindicandum censuerint, ut finem belli ante non fecerint, quam urbs ejus a quo orta fuerat injuria everteretur; nos, quum tota Græcia violetur, de ultione publica non cogitabimus? præsertim quum ea perficere liceat quibus nec optari meliora possint. Solum enim hoc bellum paci præstat, spectaculo potius quam expeditioni simile, et utrisque utile, tam quietis amantibus quam belli appetentibus. Nam illi quidem secure frui suis opibus poterunt, hi magnas aliorum opes occupabunt.

49. Quod si quis in omnes partes verset animum, has actiones maxime nobis expedire deprehendet. Age vero, si nihil iniqui petas, sed ipsam tantum æquitatem spectes, quibus tandem bellum est

inferendum? Annon iis qui et olim Græciam afflixerunt et nunc insidiantur et hoc erga nos esse animo nunquam destiterunt? Quibus vero invidere par est homines non prorsus effœminatos, sed ea re moderate utentes? Nonne illis qui divina prope potentia præditi nequiores sunt hominibus apud nos calamitosis? Quibus vero bellum inferre debent viri et pietatis studiosi et suæ utilitatis haud negligentes? Nonne et natura hostibus et paternis inimicis, et iis qui maximas opes habent, quum ad eas defendendas minime sint parati? Atqui hæc in illos conveniunt omnia.

50. Præterea civitatibus deligendo ex eis milite non erimus molesti, quam rem in his intestinis bellis gravissime et iniquissimis animis patiuntur: multo enim (opinor) pauciores erunt qui manere velint quam qui expeditionis hujus comites esse cupiant. Quis enim sive juvenis sive senex ita ignavus est, ut ei militiæ interesse nolit, cujus duces sint Athenienses atque Lacedæmonii? quæ pro sociorum libertate suscipiatur? quæ consensu totius Græciæ mittatur? quæ ad ulciscendos barbaros proficiscatur? Quantam vero famam, quantam memoriam et gloriam censendum est aut viventes habituros aut post obitum relicturos esse eos qui in talibus operibus præ aliis præclare se gesserint? Quum enim ii, qui adversus Alexandrum militarunt, una urbe expugnata tantis laudibus celebrentur, quid iis fore credendum est qui tota Asia potientur? Quis enim sive poeta sive orator non laborabit et meditabitur, ut simul et sui ingenii et virtutis illorum æternum relinquat monumentum?

51. Ego certe quidem non ita nunc sentio ut orationis initio. Tum enim me pro dignitate rerum posse dicere putabam: nunc vero magnitudinem earum non assequor, multaque mihi eorum quæ dicere institueram exciderunt. Vobis igitur ipsis reputandum est cum animis vestris, quantam felicitatem adipisci liceat, si bellum quod modo nos urget in Asianos converterimus, et Asianorum opes in Europam transtulerimus, neque vero his auditis duntaxat abeundum est, sed et qui in rebus gerendis versantur alii alios cohortando operam dabunt ut nostram et Lacedæmoniorum rempublicam reconcilient, et eloquentiæ studiosi scribere adversus depositum desinent cæterisque nugis omnibus omissis quibus nunc student in hoc argumento inter sese certabunt, operamque dabunt ut his de rebus melius quam ego dicant; satis enim intelligitur eos non decere ut magna professi parvis rebus occupentur, eave dicant per quæ ii quibus persuaserint nihilo futuri sint feliciores, sed in illis potius est elaborandum, quibus perfectis et ipsi inopia præsenti liberentur et de aliis præclare meriti esse videantur.

ISOCRATIS
AD PHILIPPUM
ORATIO.

ARGUMENTUM
AUCTORE IGNOTO.

Sciendum est, orationem hanc ab Isocrate ad Philippum scriptam esse post pacem illam ab Æschine et Demosthene factam: quare data ei est occasio ad Philippum ut amicum Atheniensis populi scribendi. Hortatur autem eum specie laudationis, ut, reconciliatis præcipuis Græciæ civitatibus quæ quasi civile bellum inter sese gerebant, expeditionem adversus Persas suscipiat. Hoc enim te facere decet, inquit, quum sis et ex Herculis familia oriundus et tanta potentia præditus. Ac Philippus quidem accepta lectaque oratione non paruit Isocratis consilio, sed rem distulit: post autem filius ejus Alexander eadem oratione lecta incitatus, bello Darium posteriorem qui Ochus dicebatur petiit. Nam verum ejus nomen Ochus fuit: sed Darii cognomentum a Persis per assentationem ei tribuebatur, quasi a majoribus id accepisset.

Deliberativi generis est oratio, ab Isocrate jam sene scripta paulo ante et ipsius et Philippi obitum, Hermippo auctore.

ALIUD ARGUMENTUM EJUSDEM ORATIONIS
EX DIONYSIO HALICARNASSEO.

Quis vir magnus et justi exercitus imperator ea non magnifaciat quæ ad Philippum Macedonem scripsit? quum imperatoris præsertim tam potentis officium esse dicit urbes dissidentes reconciliare et non inter se collidere, et Græciam e parva magnam reddere, despectoque minutarum rerum studio ea facinora suscipere, quæ et si feliciter peregerit omnium ducum clarissimus futurus sit, et si impegerit saltem Græcorum benevolentiam sit consecuturus: cujus compotes longe lateque præclariores habeantur iis qui magnas urbes et multas provincias evertant. Præterea hortatur ut Herculis institutum ac cæterorum principum qui cum Græcis adversus barbaros militarunt imitetur. Eos enim qui præstent reliquis suscipere debere magnas res easque strenue perficere, cogitantes nos, quum mortale corpus habeamus, fieri virtute immortales, ac eos qui aliorum bonorum insatiabili cupiditate teneantur invisos esse, contra honoris subinde augendi studiosos commendari; et quibus rebus plerique gaudeant, ut opibus, ut imperio, ut potentia, iis sæpenumero etiam hostes potiri, virtutis autem et popularis benevolentiæ domesticos cujusque hæredes esse. Omnino enim necesse est principes qui hæc legunt et majores animos concipere et vehementiore studio virtutis inflammari.

1. Ne mireris, Philippe, cur non ab ea oratione, quæ tibi recitabitur et nunc ostendetur, sed ab ea quæ scripta est de Amphipoli, dicendi capiam exordium. Hac de re pauca præfabor, ut et tibi

et aliis ostendam, me neque per amentiam neque hoc languore meo deceptum hæc scribere ad te instituisse, sed justis causis et paulatim fuisse adductum.

2. Nam quum bellum a te et civitate nostra de Amphipoli gestum multorum malorum esse causam viderem, et de urbe et regione ista non eodem modo quo aut amici tui aut nostri oratores solent dicere sum aggressus, sed sic ut quam longissime ab illorum opinione recederem. Nam illi quidem, dum vestris cupiditatibus subserviebant, oratione sua vos ad bellum incitabant: ego vero, de ipsis controversiis nihil pronuntians, id orationis genus eligebam quod ad pacem conciliandam aptissimum fore mihi videbatur, utrorumque errorem reprehendens, quod et tu bellum pro nostris commodis gereres, et nos potentiam tuam stabiliremus: nam agrum istum nos tenere tibi quidem esse utilem, nostræ autem urbi ejusdem recuperationem nullo modo expedire. Et hæc ita explicare videbar audientibus, ut nemo eorum orationem aut dictionem tanquam elaboratam et puram (ut solent quidam) laudarent, sed rerum veritatem omnes admirarentur, et hanc unam esse orationem constituendæ inter vos concordiæ putarent, si et tibi persuaderetur pluris esse Atheniensium amicitiam quam redditus Amphipolitanos, et nostra civitas intelligeret eas colonias fugiendas esse quæ colonos suos quater aut quinquies perdidissent, illaque potius quærenda esse loca quæ procul abessent ab iis qui imperare possent, vicina autem iis qui servire consuevissent, cujusmodi in locum Lacedæmonii Cyrenæos colonos miserunt: ad hæc, si tu animadverteres te, si nobis verbo istam regionem tradidisses, ipsum revera esse retenturum, atque etiam benevolentiam nostram tibi conciliaturum — tot enim nostræ amicitiæ obsides accepturum, quot in regnum tuum colonos mitteremus —, nostrum autem populum si quis doceret nobis, si Amphipolim teneremus, necesse fore non minus tuis consultum velle rebus ob cives nostros qui in tuo imperio consedissent, quam veteris illius Medoci propter eos qui in Chersoneso prædia habebant.

3. Quum igitur multa ejusmodi dicerentur, speravere quicunque audierant, edita hac oratione bellum vos compositiuros et periculosis consiliis abjectis de communi aliquo vestro bono deliberaturos. Sive igitur prudenter sive temere ita judicarint, id ipsis scilicet imputandum est: verum quum ego in hoc argumento versarer, vos prudenti omnino consilio pacem fecistis, priusquam oratio absolveretur; nam quocunque modo pacem esse præstabat, quam conflictari malis illis quæ bellum afferebat.

4. Quum autem decreto pacis delectarer, eamque non nobis solum sed et tibi et cæteris Græcis omnibus profuturam existimarem, facere non potui quin ea quæ restabant pertexerem, statimque cogitandum esse duxi qua ratione ea quæ transacta essent rata haberentur, veritus ne nostra civitas post temporis exiguum spatium alia bella desideraret: quæ quum mecum ipse reputarem, nullo alio modo quieturam esse reperiebam, nisi maximæ civitates pace inter se facta bellum in Asiam transferendum, et emolumenta quæ nunc a Græcis extorquerent, e manubiis barbarorum petenda esse censerent; id quod et in panegyrica oratione consului.

5. Quæ quum animo agitarem, nec argumentum vel honestius vel magnificentius vel nobis omnibus utilius unquam ne excogitari quidem posse persuasum haberem, ad id de integro tractandum sum incitatus, et si rerum mearum nihil ignoro, et satis intelligo negotium hoc non meæ senectuti esse aptum, sed virum postulare florentis ætatis et aliis ingenio multum excellentem; atque illud etiam video quam difficile sit binas de eadem re tolerabiles habere orationes, præsertim si ea quæ prius edita est sic scripta sit, ut eam vel invidi nostri imitentur et magis admirentur quam ii qui summis laudibus extollunt. Verum ego omnibus hisce difficultatibus neglectis in senectute adeo sum factus acer, ut per ea quæ tibi dico meis etiam discipulis demonstrare planumque facere studuerim, conventibus ingerere sese et ad omnes eos qui ibi concurrunt verba facere perinde esse ac si nemini loquerentur; nam hujusmodi orationes non minus esse irritas quam leges et respub. a sophistis scriptas: oportere autem eos qui non frustra nugari sed aliquod operæpretium facere vellent, quique sibi aliquid utile reipublicæ reperisse viderentur, omissis celebritatibus eorum quæ facienda censerent, ducem atque auctorem aliquem ex iis eligere, qui et dicendo et rebus gerendis valerent, magnaque præditi auctoritate attente eos audituri essent.

6. Quibus ego perspectis tecum disserere constitui, nec ea delegi quæ auditu jucunda essent, — etsi me jucunda tibi posse dicere in primis vellem, tamen id mihi propositum non fuit. Nam alios quidem præstantes viros rebuspublicis et legibus subjectos videbam non audere facere quicquam nisi quod juberentur, neque etiam ulla ex parte pares esse magnitudini rerum de quibus dicendum est, tibi autem soli magnam potestatem a fortuna datam esse et legatos mittendi quo velles et excipiendi a quibus videretur et dicendi quod utile judicares, præterea tantas divitias et copias suppetere quantas in Græcia nemini, quæ res solæ persuadendi et cogendi vi sunt præditæ; hisque ad ea quæ dicenda sunt opus fore puto. Cohortaturus enim te sum, ut et concordiam inter Græcos constituas et bellum contra barbaros suscipias. Est autem persuadere quoad Græcos commodum, vi vero cogere quoad barbaros utile. Summa igitur totius orationis hæc est.

7. Sed quibus mihi rebus quidam familiarium molesti fuerint, indicare tibi non dubitabo: id enim fore puto operæpretium. Nam

quum me orationem ad te missurum esse illis narrassem, quæ non ad ostentationem comparata esset aut bellicas tuas laudes celebraret—id enim alios esse facturos—, sed qua te ad res convenientiores et pulcriores et utiliores iis ad quas nunc animum adjecisses exhortari conarer, usque adeo veriti sunt ne senio delirarem, ut, quod prius facere non consueverant, objurgare me auderent; quum dicerent me absurda et prorsus inepta moliri, qui Philippo suasionem missurus esses. Qui, ut hactenus ab ullo prudentia superari se censuisset, nunc ob successuum magnitudinem fieri non posse quin se prudentius aliis deliberare posse existimaret. Præterea Macedonum integerrimos quosque familiares illi esse, quos consentaneum esset, ut cæterarum rerum imperiti essent, quid ei expediret melius me intelligere. Ad hæc Græcorum etiam multos illic habitare, viros nec obscuros nec hebetes, quorum ille consiliis usus non minuisset imperium, sed ea gessisset quibus ne optari quidem meliora possent. Quid enim prætermisit? Nonne Thessalorum animos, qui pridem regnum Macedonicum affectarunt, ita sibi conciliavit, ut eorum nemo non plus ei quam suis civibus fidat? nonne urbium in vicinia illa, beneficiis alias ad societatem sibi devinxit, alias quæ se pertinacius opposuerant funditus evertit? non Magnetes et Perrhæbæos et Pæones subegit, et omnes in ditionem redegit? non maximæ partis Illyriorum, iis qui Adriam accolunt exceptis, victor ac dominus evasit? non universæ Thraciæ quos voluit dominos fecit? Talem igitur virum tantis rebus gestis non maxima stultitia occæcatum esse judicaturum illum censes qui libellum istum miserit, quod is et eloquentiæ vim et ipsius ingenium prorsus ignoret?

8. His ego auditis non dicam, neque ut primum perculsus fuerim, neque quum recepissem animum quid ad singula dicta responderim, ne quibus ipse mihi valde placere videar de urbana eorum confutatione: quum autem—ut mihi quidem persuadebam—eos qui me reprehendere ausi fuerant molestia mediocri affecissem, tandem pollicitus sum me solis eis ex omnibus civibus orationem ostensurum, nec quicquam aliud de ea statuere velle nisi quod ipsis videretur. His illi auditis abierunt, quo animo nescio. Sed, non multis diebus post absoluta oratione et eis ostensa, ita mutati sunt, ut eos eorum quæ audacius dixerant puderet, et omnium quæ locuti fuerant pœniteret, utque faterentur se nulla unquam tanta in re ita fuisse deceptos, studerentque innixius quam ego ut mitteretur tibi hæc oratio; aiebant enim sperare se non te solum et rempublicam

nostram habituros mihi gratiam de his quæ dicta essent, sed et Græcos universos.

9. Hæc eo tibi commemoravi, ut si quid initio tibi aut non credibile aut non posse fieri aut tibi factu indecorum esse videbitur, non indignabundus abjicias reliqua, neque idem quod mei familiares facias, sed tranquillo animo judicium differas, dum ad finem usque rem omnem audieris. Arbitror enim aliquod me dicturum quod et opportunum sit et tibi expediat.

10. Neque vero me latet, quantum ad persuadendum intersit inter orationes quæ ab ipso oratore pronuntiantur et eas quæ recitantur, neque ignoro omnes existimare, illas de rebus gravibus et necessariis haberi, has autem ostentationis aut lucelli alicujus gratia scriptas esse. Ac in his quidem non stulte judicant: nam, si oratoris et auctoritate et voce et actionis varietate in eloquentiæ studiis usitata destituatur oratio, atque etiam occasionibus et studio gerendæ rei, nihilque sit quod vires augeat et ad persuadendum adjuvet, sed tum his omnibus careat tum vero inepte nulloque cum affectu ab aliquo recitetur qui verba quodammodo numeret, eam contemni ab auditoribus quis miretur? quæ res et hanc orationem quæ tibi nunc offertur maxime lædere poterunt atque efficere ut deterior esse videatur: neque enim compositionis aut reliquorum ornamentorum rationem habuimus, quæ et ipse dum essem junior usurpavi, et aliis demonstravi, ut in promptu haberent quibus rebus orationes suaviores et probabiliores simul redderentur. Quæ omnia huic ætati meæ desunt, cui id unum satis fuerit, si res ipsas simpliciter exponere potuero. Arbitror autem te quoque decere neglectis cæteris omnibus ad has solas animum intendere. Nam ita demum evidentissime et pulcherrime cognosces quod sit pondus nostræ orationis, si rhetoricas difficultates quæ legendis orationibus objiciuntur amoveris, et unumquodque singulatim animo complexus expenderis, non quidem obiter aut segniter, sed summo studio et cogitatione adhibita, quæ erudito homine (in quo te quoque numero esse ferunt) digna est. Quod si hac potius ratione usus fueris quam populari opinione, rectius de rebus omnibus statues. Ac quæ præfari apud te volui, hæc sunt.

11. Nunc ad res ipsas explicandas aggrediar. Sic igitur sentio, tibi tuarum quidem rerum nullam esse negligendam, sed in eo laborandum ut inter Argivos et Lacedæmonios et Thebanos et nostram civitatem pacem facias. Quas urbes si reconciliaris, non utique difficile erit etiam cæteras in concordiam reducere: omnes enim his obnoxiæ sunt, et ad aliquam harum quo casus tulerit, quum timent, confugiunt opemque inde petunt. Itaque si consiliis tuis quatuor duntaxat urbes ad sanam mentem revocaris, etiam reliquas multis malis liberabis.

12. Nullam autem harum tibi esse negligendam ita cognosces, si res gestas illarum ad tuos majores retuleris: in qualibet enim amicitiam erga vos singularem et magna beneficia exstare comperies. Nam et Argos patria tua est, nec minori cura tuendum quam parentes tui; et Thebani principem generis vestri supplicationibus et sacrificiis præter cæteros deos venerantur; et Lacedæmonii posteris ejus regnum et imperium in omne tempus dederunt: nostram autem civitatem illi quibus de memoria vetustatis credimus, Herculi immortalitatis—quod quomodo factum sit, tibi alias cognitu facile, mihi nunc commemoratu intempestivum est—, liberis autem ejus salutis, auctorem simul fuisse perhibent. Sola enim eos susceptis maximis periculis adversus Eurysthei potentiam defendit, et illius ferocia repressa metu semper imminente liberavit. Quibus de rebus non eos tantum qui tum servati sunt æquum erat nobis gratiam habere, sed etiam hos qui hodie supersunt: nostra enim opera vivunt et suis bonis fruuntur; nisi enim illi mansissent incolumes, hi prorsus ne nasci quidem potuissent.

13. Quum igitur hæ urbes ita se gesserint, par sane fuerat nullum tibi unquam cum ulla earum fuisse dissidium. Verum ita natura comparatum est, ut omnes sæpius peccemus quam officio fungamur. Quæ igitur antehac facta sunt fragilitati humanæ jure tribuuntur: in posterum vero prospiciendum est ne quid tale tibi usuveniat, et in id incumbendum ut beneficium aliquod et te et illarum meritis dignum in eas conferas. Cujus rei jam datur occasio: nam dum gratiam pro acceptis beneficiis referes, ob tantum spatium temporis interjectum te conferre in se non reddere beneficium putabunt. Præclarum autem est te de maximis urbibus bene merentem tibi ipsi nihilo minus quam ipsis prodesse. Præterea, si quibus illarum ut nonnihil molestus esses accidit, ea omnia oblitterabis: hujus enim temporis beneficia superiores offensas utrinque oblivione tegunt. Jam illud etiam notum est, omnes eorum beneficiorum quæ in calamitatibus acceperint maxime solere meminisse. Quibus autem malis propter bella conflictentur vides, et ut iis sint similes qui privatim inter se pugnant. Quos gliscente iracundia reconciliare queat nemo, sed ubi alteri alteros male mulctarint, nemine dirimente ultro discedunt. Id quod etiam has urbes credo facturas, nisi tu prius curam earum susceperis.

14. At enim forsitan refragari aliquis his quæ dicta sunt audeat, eaque me tibi suadere dicat quæ fieri non possint: neque enim Argivos unquam Lacedæmoniis amicos fore neque Lacedæmonios Thebanis, denique nunquam fore ut ii, qui omni tempore plus vendicare sibi consueverint, in pari æquoque jure acquiescant.

15. Ego vero, si nostra civitas in Græcia dominaretur aut Lacedæmonii, ne tentandum quidem tale quicquam in spe perficiendi censeam; utraque enim hujusmodi conatus facile interturbaret: nunc, quum videam omnes urbes calamitatibus quasi exæquatas esse, aliter sentio; quare has civitates commoda concordiæ longe prælaturas superiorum actionum lucellis existimo.

16. Deinde a cæterorum mortalium nemine in concordiam eas posse reduci assentior, tibi autem nihil ejusmodi difficile est, quem multa perfecisse videam quæ aliis desperanda et admirabilia viderentur; quare mirum non erit, si tu solus etiam hæc potueris consequi. Magni autem et excellentis animi est non ea suscipere quæ præstare quivis e populo possit, sed illa quæ nemo alius conari audeat nisi et ingenio tibi par et potentia.

17. Demiror equidem, si qui horum aliquid perfici posse negant, nec vel ipsi sciunt vel ex aliis audiverunt multa et atrocia bella exarsisse, quæ qui deposuerunt maximis ultro citroque se beneficiis affecerunt. Quicquamne ad magnitudinem odii Græcorum in Xerxem accedere potuisset? At hujus amicitia universi sciunt et nos et Lacedæmonios magis esse delectatos quam eorum qui utrisque nostrum constituendi imperii adjutores fuerant. Quorsum autem vetera illa et barbarica referre attinet? Nam si quis clades Græcorum intueatur et consideret, ne minima quidem pars eorum malorum esse videantur quæ Lacedæmonii nobis Thebanique attulerunt. Tamen quum Lacedæmonii contra Thebanos exercitum ducerent ac Bœotiam vastare et urbes dissipare vellent, nos opem tulimus et compressimus eorum cupiditates: rursus, quum mutata fortuna Thebani et Peloponnenses omnes Spartam e medio tollere conniterentur, nos soli omnium Græcorum Lacedæmonios inita cum eis societate conservavimus. Væcordem igitur omnino eum esse necesse est qui, quum tantas mutationes fieri videat, et civitates neque inimicitiarum neque jurisjurandi neque ullius rei alterius rationem ducere nisi si quid sibi profuturum putent, idque solum amplecti in eoque adipiscendo et conservando nihil non facere, etiam nunc eodem animo eas fore non putabit, te præsertim auctore pacificationis, et utilitate alliciente, et malis istis adigentibus. Ego quidem harum rerum adjumento fretus omnia recte fore mihi persuadeo.

18. Puto autem te sic facile animadversurum, utrum istæ urbes mutuo vel paci vel bello paratæ sint, si neque simpliciter prorsus neque accurate nimis maxima quæque de hoc earum statu percensuerimus.

19. Ac primum res Lacedæmoniorum consideremus. Qui, quum non ita olim terra marique inter Græcos dominarentur, tantam mutationem post cladem Leuctricam acceptam experti sunt, ut et principatu Græciæ privarentur, et eos viros amitterent qui se potius mori præoptarunt quam vivere victos ab iis quibus imperarant. Ad hæc a Peloponnensibus omnibus, qui prius cum ipsis contra alios

militabant nunc Thebanis addicti sunt, agros suos incursari viderunt; cum quibus non in agro de frugibus, sed in media urbe ad ipsa prætoria de uxoribus et liberis, dimicare et tale discrimen subire coacti sunt, quo si impegissent mox funditus periissent, victoriam vero adepti malis nihilo quam ante minoribus conflictantur: nam et a finitimis bello infestantur, et Peloponnensibus omnibus suspecti et Græcis plerisque omnibus invisi sunt, et a suis servis noctu et interdiu direptionibus vexantur, denique nullo tempore non aut aliquos oppugnant aut prælia committunt aut suis pereuntibus opitulantur; et, quod malorum omnium maximum est, perpetuo timent ne a Thebanis pactione cum Phocensibus facta reversis majoribus cladibus quam antehac unquam afficiantur. Nonne autem consentaneum est eos cum quibus ita agitur libentissime visuros virum magna præditum auctoritate, et ita paratum ut bella eos urgentia depellere possit, qui se pacis auctorem profiteatur?

20. Argivos autem partem eadem qua Spartanos, partim etiam deteriore fortuna, uti videas: belligerantur enim ex quo urbem tenuerunt cum finitimis, ut et Lacedæmonii, sed illud interest, quod his cum imbecillioribus res est, illis cum potentioribus; quod omnes maximum malum esse fateantur. Bellum autem tam infeliciter gerunt, ut singulis fere annis agrum suum diripi vastarique patiantur. Et, quod acerbissimum est, a bellicis cladibus feriati nobilissimos et opulentissimos cives interficiunt, eaque re ita lætantur ut nulli alii cæsis hostibus. Tam perturbatæ autem vitæ nulla alia causa est nisi bellum; quo sopito, non his tantum calamitatibus eos liberabis, sed ut cæteris quoque rebus aliquanto rectius consulant efficies.

21. Thebanorum porro quæ ratio sit, ne te quidem præterit. Etenim pulcherrimam victoriam consecuti, et maximam inde gloriam adepti, successibus male utendo effecerunt ut nihilo cum eis melius agatur quam cum victis et adversam fortunam expertis. Quum primum enim hostes vicissent, neglectis rebus omnibus molesti fuerunt civitatibus Peloponnesi, et Thessaliæ servitutem afferre ausi et Megarensibus vicinis suis minitati sunt, et nostræ urbi agri partem eripuerunt, et Eubœam vastarunt, et Byzantium triremes ablegarunt, tanquam terra marique dominaturi. Postremo Phocensibus bellum intulerunt, ut et urbes brevi in potestatem redacturi, et locum illum circumquaque occupaturi, et privatis sumptibus Delphicas pecunias superaturi. Quorum nihil factum est: tantum enim abest ut Phocenses civitates ceperint ut suas ipsi perdiderint; quod si in hostilem agrum impressionem faciunt, non tot mala dant hostibus quot ipsi priusquam abeunt sustinent: nam in Phocide mercenarios aliquot milites, quibus mori magis expedit quam vivere, occidunt, recedentes autem nobilissimos cives et ad mortem pro patria oppetendam maxime paratos perdunt. Eoque res eorum

rediere, ut, quum se totius Græciæ potituros imperio sperarent, nunc spem salutis suæ in te collocent. Quare hos etiam alacriter existimo quicquid jusseris et suaseris esse facturos.

22. Reliquum jam nobis esset de urbe nostra verba facere, ni sapienti consilio ante cæteras pacem fecisset. Nunc etiam adjutricem fore puto iis rebus quæ a te agentur, præsertim si perspicere potuerit hæc tibi curæ esse antequam expeditionem contra barbaros suscipias.

23. Ac fieri quidem posse ut urbes has in gratiam reducas, ex his quæ dicta sunt planum tibi fore existimo: facile autem isthæc eadem fieri per te posse, me tibi multis exemplis ostensurum arbitror. Nam si declaratum fuerit alios quosdam veterum non quidem pulcrioribus aut sanctioribus rebus animum adjecisse quam hæ sunt quarum nos tibi auctores sumus, sed majora tamen et perplexiora perfecisse, quid reliquum erit adversariis quominus te celerius faciliora quam illos difficiliora confecturum esse fateantur?

24. Alcibiadem in primis vide, qui, quum a nobis in exsilium actus alios ante se illa calamitate accepta trepidasse videret urbis magnitudine perterritos, non eodem animo fuit, sed vi reditum in patriam sibi patefaciendum esse ratus bellum adversus eam suscepit. Verum singula quæ tum facta sunt si quis dicere conari ausit, neque perspicue exponere potuerit, et in præsentia molestus fortasse fuerit: ita autem perturbatam reddidit non urbem modo nostram, sed et Lacedæmonios et cæteros Græcos, ut tum ea nobis acciderent quæ omnes norunt, tum alii tantis malis affligerentur ut ne nunc quidem obliteratæ sint in urbibus illius belli calamitates, tum Lacedæmonii qui eo tempore florere videbantur in hæc mala per Alcibiadem conjecti sint; quum enim maris imperium ejus impulsu concupissent, etiam terræ principatum amiserunt, quare qui dixerit tunc eis exstitisse malorum principium quum maris accepere principatum, mendacii non arguetur. Is igitur tantis motibus excitatis in urbem ab exsilio rediit, magnam ille quidem gloriam adeptus, non tamen probatus omnibus.

25. Non multis annis post Conon similia his perfecit. Quum enim navali bello circa Hellespontum non ejus sed collegarum culpa male pugnatum esset, redire domum erubuit, Cyprumque profectus ad tempus suarum rerum cura occupatus fuit; ubi, quum Agesilaum magnis copiis in Asiam trajectis agros populari sensisset, tanta fuit animi magnitudine, ut omni alia ope destitutus excepto corpore et ingenio sperarit se Lacedæmonios bello superaturum qui cæteris Græcis terra marique imperabant, et hæc missis ad regis duces literis se confecturum pollicebatur. Et quid pluribus opus est? Classe circa Rhodum coacta, et Lacedæmoniis navali prælio victor ademit imperium, et cæteros Græcos in libertatem asseruit; neque

vero mœnia patriæ solum erexit, sed et civitatem in eundem dignitatis locum unde exciderat restituit. Enimvero quis exspectasset a viro tam abjecto statum Græciæ mutandum esse, et ex Græcis urbibus alias depressum iri alias emersuras?

26. Jam Dionysius — volo enim multis exemplis adductis persuaderi tibi facilem esse rem ad quam te adhortor — quum unus e multis esset Syracusanorum et genere et gloria et omnibus aliis rebus, et monarchiam sine omni ratione perque furorem concupisset, quia tentare omnia quæ ad eam rem facerent audebat, Syracusas occupavit, et universas Siciliæ urbes quæ quidem Græcæ essent cepit, tantasque copias tum pedestres tum navales comparavit quantas vir nemo ante illum.

27. Præterea Cyrus — ut etiam barbarorum mentionem faciamus — a matre quidem abjectus in viam, a Persica vero muliere sublatus, tantas fortunæ vicissitudines subiit ut Asiæ totius dominatu potiretur.

28. Quum igitur Alcibiades exsul, Conon clade accepta, Dionysius obscurus, Cyrus ex tam miserabili nativitatis primordio, eo usque sint progressi tantasque res gesserint, tu his natalibus oriundus, et Macedoniæ rex, et tot hominum dominus, non facile hæc perficies?

29. Jam considera talia suscipere quam sit operæ pretium, quæ si ex sententia gesseris, non minorem quam celeberrimi quique gloriam consequeris; sin exspectationi eventus non responderit, saltem Græcorum benevolentiam contrahes, quam parasse gloriosius est quam multas Græcas urbes vi cepisse: nam istiusmodi res nec invidia carent nec odiis neque multis maledictis, cum eo autem consilio quod nos tibi damus nihil horum est conjunctum. Atque adeo si quis tibi deus optionem daret, quibus studiis et exercitationibus ætatem exigere velles, nullam aliam huic rationi, me quidem auctore, anteponeres. Neque enim alii tantum te mirabuntur, sed et tu ipse beatum te judicabis. Nam quid ad magnitudinem felicitatis illius queat accedere, si ex maximis urbibus spectatissimi quique viri legati in tuum regnum venerint, cum quibus ita tu de salute communi deliberes, ut ea præterea nemini tantæ fuisse curæ videatur? si Græciam senseris universam erectam atque alacrem a te duce pendere? si nemo parvi faciet a te constituta, sed alii sciscitabuntur quo in loco res suæ sint, alii vota facient ut fortuna tuos conatus adjuvet, alii solliciti erunt ne antequam conata perficias aliquid humanitus tibi accidat? Quæ quum fient, annon jure optimo magno animo eris? Qui fieri poterit ut non vita cum summa lætitia peragas, in tantarum rerum administratione ac fastigio constitutus? Et quis tandem est vel mediocri prudentia qui te non hortaretur ad ea suscipienda quæ utraque hæc simul ferre possent, tanquam fructus, tum voluptates eximias tum honores immortales?

30. Contentus essem hæc jam dixisse, nisi quiddam non oblivione sed verecundia retardatus omisissem, quod nunc mihi dicendum censeo: nam et tibi profuturum, et officii mei id esse puto, ut pro consuetudine mea quæ sentio libere dicam.

31. Animadverto esse qui te criminentur ex iis qui et tibi invident, et suas civitates perturbare solent, et aliis pacem communem existimant, suis vero privatis rebus bellum: hi igitur cæteris rebus neglectis omnibus de tua potentia dicunt, eam augeri non ad erigendam Græciam sed ad eandem opprimendam, teque jam longo tempore nihil aliud nisi nobis universis insidiari, ac profiteri quidem te Messeniis opem laturum, revera autem id machinari ut Phocensibus rebus constitutis Peloponnesum subigas; ac Thessalos quidem et Thebanos et omnes Amphictyoniæ participes te ducem libenter secuturos, Argivos autem et Messenios et Megalopolitas aliosque multos belli tibi fore socios ad delendos Lacedæmonios; quibus rebus confectis, facile te etiam reliquos Græcos superaturum. Hæc illi dum nugantur et satis scire se dictitant et verbis omnia celeriter evertunt, multis fidem faciunt, his præsertim qui eorundem malorum cum nugatoribus illis cupidi sunt, deinde iis qui de statu reipublicæ nihil ipsi prudenter cogitant, sed plane stupent magnamque gratiam illis habent qui se sollicitos esse ac eis timere simulant; huc et illi accedunt, qui proniores sunt ad suspicandum te insidiari Græcis crimenque illud cupiditate non indignum putant: qui tantum absunt a sapientia, ut ignorent, una eademque oratione alios lædi, alios ornari. Quod hic quoque usuvenit; si quis enim dicat Asiæ regem Græcis insidiari et apparasse bellum contra nos, nihil de eo mali dixerit, sed id effecerit ut ille fortior et præstantior haberetur; si cui vero ex posteris Herculis, qui totam Græciam beneficiis affecit, tale crimen inferret, eum maxima ignominia afficeret. Quis enim non indignetur et ægre ferat, si quis iis insidiari putetur, pro quibus auctor generis ejus suscipere pericula voluit, neque benevolentiam, quam ille posteris suis reliquit, conservare conetur, sed his neglectis res probrosas et pravas expetat?

32. Quibus consideratis non tibi committendum est ut talem de te suboriri famam patiaris, qualem inimici de te spargi student, amicorum autem nemo est quin reclamare et refutare audeat. Quid autem tibi expediat, ex horum utrorumque sententiis maxime verissimeque perspicies.

33. Fortassis igitur existimes pusilli animi esse maledicorum et nugatorum et eorum qui illis aures præbent ullam rationem habere, præsertim si tibi sis nullius delicti conscius. Verum contemnenda multitudo non est, neque omnium approbatio parvi æstimanda; nam ea demum vera gloria est et magna, cum te tum tuis majoribus digna rebusque gestis, si effeceris ut Græci eodem sint erga te animo, quo

Lacedæmonii in reges suos atque in te amici tui sunt affecti. Hæc vero non est difficile consequi, modo velis, primum si eundem te præbere volueris erga omnes, et aliis civitatibus conjunctus ab aliis alienus esse desieris; deinde si ea susceperis, propter quæ Græci tibi fidant, barbari perterrefiant.

34. Neque vero mireris, id quod etiam ad Dionysium scripsi tyrannide potitum, me, qui neque dux neque orator sim aut alioqui potens, liberius quam alii solent egisse tecum. Nam ad gerendam quidem rempubl. omnium civium sum ineptissimus — neque enim vocem habeo satis magnam, neque audaciam agendi cum populo et conflictandi atque convitia audiendi ab iis qui in concionibus volutantur —, recte autem sentiendi et honestæ institutionis, tametsi hoc alicui dictum videbitur arrogantius, in contentionem si descendendum sit, non in postremis sed in principibus potius me numerarim. Quare sic consilium dare conor, ut natura et vires meæ ferunt, tum patriæ tum aliis Græcis et illustrissimis quibusque viris.

35. Ac de meipso, et iis quæ tibi facienda sunt erga Græcos, fere audivisti: de expeditione autem Asiatica urbibus, quas a te dixi in concordiam reducendas, tum de bello barbaris inferendo consulemus, quum eas consentire viderimus; nunc ad te mea se convertet oratio, neque vero ita animo sum affectus ut illa ætate, qua idem hoc argumentum tractavi. Tum enim hortabar auditores ut me et deriderent et contemnerent, nisi pro dignitate rerum et existimatione mea et tempore quod orationi impendissem dicere viderer: nunc autem vereor ne multo tenuius disseruerim quam ea quæ dixi omnia postulabant. Nam præter alia Panegyrica oratio, quæ alios studiis deditos copiosiores reddidit, me valde inopem fecit: neque enim eadem quæ illic scripta sunt inculcare denuo volo, nec exquirere nova possum. Non tamen ab incœpto desistendum est, sed de proposito argumento dicendum, quicquid inciderit et conducibile fuerit ad persuadendum ut hæc agas. Etsi enim alicubi me vires defecerint, quo minus eodem modo scribere possim quo prius editæ orationes confectæ sunt, at non ineleganter neque inepte primas quasi lineas me ducturum opinor, ut alii postea qui eam facultatem habent ornamenta vivosque colores adhibeant.

36. Et quidem principium totius orationis tale me sumpsisse puto, quale deceat eum qui bellum Asiæ inferendum esse suadeat. Nihil enim prius agendum est, quam ut Græci aut adjutores sint aut rebus gerendis maxime faveant. Quæ Agesilaus, quum Lacedæmoniorum prudentissimus haberetur, neglexit, non ille quidem ex improbitate sed ex ambitione. Habebat enim duas ille cupiditates, præclaram utramque, sed non inter se consentientes nec ejus generis quæ simul confieri possent. Quum enim et regi bellum inferre et amicos ab exsilio in patriam quemque suam restituere ac summæ rerum præficere decrevisset, fiebat ex illo conatu de amicis, ut et Græci in malis ac periculis versarentur, et ipse propter tumultum hic excitatum pugnandi contra barbaros otium et facultatem non haberet. Quare ex his, quæ illo tempore ignorata sunt, facile intelligitur eum, qui recte rebus consultum velit, non prius regi bellum inferre debere, quam Græcos reconciliarit illorumque hunc furorem compescuerit; quod nos et tibi consuluimus.

37. Et hæc quidem nemo prudens negare audebit: arbitror autem, si quibus aliis visum fuerit suadere ut bellum in Asiam transferatur, ad hanc adhortationem deventuros, ut dicant quicunque bellum contra regem susceperint, iis omnibus usuvenisse, ut ex obscuris illustres fierent, e pauperibus divites, ex humilibus amplæ regionis et urbium domini. Ego vero his locis ad te adhortandum non utar, sed eorum exempla proferam qui male gessisse rem putantur, eos autem dico qui cum Cyro et Clearcho militarunt. Illos enim in confesso est pugnando vicisse universas regis copias, usque adeo quasi cum eorum mulieribus conflixissent, quum autem jam adepti victoriam viderentur, ob Cyri temeritatem impegisse lætitia exsultantis; qui quum longe ante alios eveheretur, in medios hostes illatus interierit. Quamvis igitur rex tanta hac fortuna uteretur, tamen suas copias tantopere contempsit ut, Clearcho et aliis ducibus ad colloquium evocatis, tum illis ingentia munera daturum tum reliquos milites integro stipendio persoluto se dimissurum sit pollicitus, quos quum talibus promissis, fide data quæ apud illum maxima habetur, pellexisset, comprehensos interfecit, ac in deos impius esse quam cum militibus ita destitutis armis decertare maluit.

38. Quæ vero adhortatio pulcrior esse hac et plus ad persuadendum valere queat? nam omnino illi, si absque Cyro fuisset, Persico regno potiri potuissent. Tibi autem et calamitatem quæ tum accidit cavere non difficile est, et exercitum eo longe firmiorem a quo regis copiæ victæ sunt facile comparabis. Quæ utraque si præsto fuerint, annon de expeditione hac optime sperandum erit?

39. Neque vero quisquam existimet dissimulare velle me horum quædam eodem modo exposuisse quo prius. Quum enim in easdem cogitationes incidissem, nolebam elaborare appetendo ut bene evulgata aliter dixerim: si enim ad ostentationem hæc scriberemus, animum attendissem ad omnia talia cavendum, cum vero tibi consilium daremus, desiperem, si compositioni dictionis diutius immorarer quam rebus ipsis; præterea si, quum alios meis sententiis uti videam, ego solus iis quæ ante a me dicta essent abstinerem? Propriis igitur forsitan utar, sicubi res valde postularit neque dedecuerit, alieni vero nihil adsciscam, id quod etiam antehac vitavi.

40. Sed hactenus; jam deinceps mihi de apparatu disserendum videtur, tum hoc quo tu instructus es tum eo quem illi habuerunt. Tu igitur, quod maximum est, Græcos benevolos habebis, siquidem ea quæ supra dicta sunt servare volueris, illi autem ob decuriones a Lacedæmoniis constitutos eosdem inimicissimos habuerunt. Existimabant enim, si Cyrus et Clearchus vicissent, se duriorem servitutem servituros, sin rex superior evasisset, urgentia mala depulsuros: id quod accidit. Præterea tibi in expedito erit conscribere milites quot volueris; nam hic Græciæ status est, ut facilius sit exercitum majorem et robustiorem ex erronibus conscribere quam e civibus: illis vero temporibus peregrinus miles nullus erat, unde quum e civitatibus colligere copias necesse esset, largitiones in coactores insumptæ pluris illis fere constabant quam stipendia militum. Enimvero si considerare voluerimus et comparationem facere inter te qui nunc exercitum duces et de omnibus rebus deliberabis et inter Clearchum qui tum summæ rerum præfuit, illum reperiemus prius nunquam ullas copias sive navales sive pedestres in potestate habuisse, sed ex Asiana calamitate nobilitatum, te autem tot tantasque res gessisse, de quibus si apud alios verba facerem, non incommode dici potuisset, quum autem tecum agam, jure ut demens simul et in re supervacanea occupatus deriderer, si tua facta commemorarem.

41. Operæ pretium porro fuerit regum etiam amborum meminisse, tum hujus contra quem tibi bellum suscipiendum suadeo tum illius quem Clearchus invasit, ut vires et animum utriusque cognoscas. Ejus igitur pater nostram urbem et Lacedæmoniorum item debellavit; hic nullum unquam exercitum ditionem ejus populantem superavit. Deinde ille Asiam universam ex pacto a Græcis accepit; hic tantum abest ut aliis imperet, ut ne illarum quidem urbium sit dominus quæ sunt ipsi traditæ. Quare nemo est quin dubitet, utrum existimandum sit hunc eas amisisse ultro ob ignaviam, an illas despexisse et contempsisse barbaricum dominatum.

42. Quis autem est qui ubi audierit quomodo in imperio ejus agatur, non inflammetur ad bellum ei inferendum? Nam Ægyptus etiam illo tempore defecerat, sed metuebant tamen ne quando rex ipse suscepta expeditione Nili transitu et reliquo apparatu omni potiretur: nunc autem hic illis metum illum ademit. Comparato enim exercitu quanto maximo potuit, belloque contra illos moto, non solum victus inde recessit, sed etiam derisus, eo quod neque regia neque imperatoria virtute præditus esse videretur. Jam Cyprus et Phœnicia et Cilicia finitimaque loca, unde classem instruere solebant, tunc erant cum rege, nunc alia defecerunt, alia bello et iis malis conflictantur, ut nullæ harum gentium ei sint utiles, tibi vero, si bellum adversus eum gerere volueris, opportunæ futuræ sunt.

43. Idrieum porro opulentissimum Asiæ satrapam aut infestiorem esse regi quam eos qui palam bellum gerunt, aut omnium hominum abjectissimum esse necesse est, si hoc imperium corruere nolet, quod fratrem ejus excruciavit, quod bellum contra ipsum gessit, quod perpetuo insidias struxit ut et corpore et opibus ejus potiretur. Quarum rerum metu perterritus nunc regem colere et quotannis magnam pecuniæ vim mittere cogitur: sed te, si in Asiam trajeceris, non ille modo libens viderit, adjutorem sibi advenire existimans, sed et aliorum satraparum multos ad defectionem impelles, ostensa spe libertatis, istoque nomine in Asia divulgato, quod quum in Græcia percrebuisset et nobis et Lacedæmoniis eripuit imperium.

44. Plura dicerem, qua ratione bello administrando regis potentiam facillime vinceres, nisi vererer quorundam reprehensionem, si ego, qui nunquam bellica gesserim, nunc tibi post plurima et præclarissima belli facinora edita præscribere studerem. Quare de his quidem pluribus verbis opus esse non puto.

45. Quod autem ad reliqua attinet, arbitror et patrem tuum et eum qui regnum vobis peperit et vestri generis auctorem, si huic liceret, illis facultas data esset, eadem haud dubie quæ ego tibi consulturos. Cujus rei conjecturam ex rebus illorum gestis capio. Nam et pater tuus civitatibus his omnibus, quarum amicitiam expetendam tibi censeo, amicus fuit: et is, qui regnum constituit et altiores quam sui cives spiritus habuit, regnandi cupiditate incitatus, non eadem quæ alii in honorum talium appetitione consilia secutus est. Nam illi quidem excitatis in suis urbibus seditionibus et tumultibus et cædibus eum honorem arripuerunt, is vero Græcorum ditionem universam reliquit et regnum Macedonicum occupare studuit: norat enim nec Græcos ferre monarchiam consuevisse, et cæteros sine hac imperii forma non posse vitam suam gubernare. Quod quum sapienter animadvertisset, etiam regnum ab aliis longe diversum exstitit: nam solus Græcorum peregrinæ gentis imperium adeptus, solus etiam pericula quæ monarchiis imminent effugit. Nam qui inter Græcos tale aliquid confecerunt, eos non ipsos tantum perisse, sed et genus eorum funditus exstirpatum esse inveniemus; ille autem et ipse feliciter ævum egit, et imperium quod tenuerat suis per manus tradidit.

46. De Hercule vero, alii quidem fortitudinem ejus divinis laudibus celebrare et certamina enumerare non desistunt, aliorum vero quæ animo insunt bonorum nemo vel poetarum vel scriptorum mentionem fecisse reperietur. Ego vero locum peculiarem video et inelaboratum, non parvum neque sterilem, sed multis laudibus

et honestis actionibus refertum, ejus generis tamen qui virum desideret non parva eloquentia prædituum. In quem si junior incidissem, vestræ familiæ auctorem et prudentia et liberalitate et justitia plus antecelluisse superiorum temporum hominibus omnibus quam robore corporis facile demonstrassem: nunc ubi ad illum accessi, et quam multa dicendo explicanda insint vidi, cum ingenii facultatem quæ hoc tempore mihi est imparem esse argumenti gravitati intelligo, tum orationem duplo fore longiorem animadverto. Cæteris igitur his de causis præteritis, unam inde actionem delegi, quæ quidem cognata et conveniens his est quæ prædicta sunt, et neque brevior neque prolixior quam ea quæ dicenda restant postulent.

47. Nam is quum vidisset Græciam fervere bellis et seditionibus et multis aliis malis, sopitis illis et pace inter urbes facta demonstravit posteris, quibus sociis adscitis contra quos bella gerenda essent. [Nec enim otio et languori se dedidit.] Expeditione enim adversus Trojam suscepta, quæ tum in Asia potentissima erat, tanto dux præstantior fuit iis qui post eandem oppugnarunt, ut quam illi totius Græciæ viribus contractis vix anno decimo expugnarunt, hic paucioribus diebus quam illi annis, quum paucos omnino milites haberet, facile per vim ceperit. Et deinde reges gentium in utraque Asiæ ora accolentes universos occiderit, quos nunquam perempturus fuit, nisi et copias illorum vicisset. His rebus gestis columnas illas quas Herculeas vocant constituit, ut et trophæum barbarorum essent, et monumentum virtutis suæ ac præliorum, et ditionis Græcorum limites. Hæc ea de causa tibi commemoravi ut non alias res suadere tibi orationem meam intelligeres, quam quas majores tui factis ipsis declararunt se cæteris omnibus summa cum laude anteposuisse.

48. Itaque cum reliquos omnes decet in optimum exemplar intuentes conari id exprimere, tum vero te vel in primis. Nam quum exemplis tibi non alienis utendum sit, sed domesticum in promptu habeas, annon illud te excitabit ut summa contentione par esse Herculi tui generis conditori studeas? Neque vero te omnia Herculis facta imitari posse dico — nam id vel deorum quidam nequirent —, sed, si tantum mores ejus facillimos et humanitatem et benevolentiam in Græcos secutus fueris, ad consiliorum illius similitudinem accesseris. Quod si mihi parueris, eam gloriam quam ipse voles adipisceris: facilius enim est isto rerum tuarum statu parare pulcherrimam, quam iis rebus quæ initio tibi contigerunt eam qua nunc frueris consequi. Illud considera me non, ut cum barbaris contra eos ducas exercitum quos oppugnari nefas est, hortari, sed ut cum Græcis adversus eos bellum suscipias quos ab Herculis posteris oppugnari decet.

49. Neque vero mireris cur te per totam orationem et ad demerendos Græcos et ad mansuetudinem et humanitatem adhorter: nam difficiles mores molestos esse video tum iis penes quos sunt tum his qui eorum consuetudine utuntur, mansuetudinem vero non in hominibus solum et cæteris animantibus omnibus sed in diis quoque celebrari; nam qui nobis benefaciunt cœlites dicuntur, qui vero calamitatibus et pœnis præsunt atrociora etiam nomina habent, ac illi quidem et privatim et publice templis arisque honorantur, hos autem neque precibus neque sacrificiis coli, sed nobis esse detestabiles, constat. Hæc igitur considerans assuefacere te ac meditari debes ut mortales omnes magis etiam quam nunc talem de te concipiant opinionem. Qui autem eximiam gloriam expetunt, eos animo complecti decet res non quidem eas quæ fieri nequeant, sed quæ voti similes sint, et ita in illis studiose elaborare ut rerum tulerint occasiones.

50. Multis autem e rebus cognosces ita esse faciendum, sed in primis ex Iasonis eventis. Qui, quum nihil tale quale tu præstitisset, maximam gloriam non ex iis quæ gessit, sed ex iis quæ dixit, est adeptus: ita enim verba faciebat, ut qui in Asiam transiturus et regi Persarum bellum facturus esset. Si igitur Iason verbis tantum ita res suas auxit, quam de te opinionem fore censes, si re ipsa ista perfeceris conatusque fueris maxime quidem universum regnum capere, sin minus, plurimas inde provincias avellere Asiamque intercapere, ut dicunt aliqui, a Cilicia usque ad Sinopen? Præterea condendæ urbes erunt in loco illo, atque in eas collocandi qui nunc ob rerum necessariarum penuriam oberrant et obvia quæque infestant. Quibus nisi obstiterimus ne in posterum congregentur victu illis affatim suppeditato, paulatim tanta eorum futura est multitudo, ut nihilo minus Græcis quam barbaris sint metuendi: at nos nihil illos curamus, neque animadvertimus nos communem metum et periculum nobis omnibus alere. Est igitur viri magnamini et Græcorum studiosi et longe præ cæteris in posterum prospicientis, ut abusus talibus hominibus adversus barbaros tantum terræ illis adimat quantum paulo ante diximus, et mercenarios milites malis liberet tum iis quæ ipsi ferunt tum quæ aliis inferunt, et civitates ex eis constituat quæ Græciam muniant et quasi vallum pro nobis omnibus objiciantur. Nam eo pacto non illos solum felices, sed nos etiam omnes securos reddes. Ut autem hæc tibi non contingant, at illud facile consequeris, ut urbes Asiaticas in libertatem vindices. Quodcunque autem horum perfeceris aut tantum conatus fueris, aliis utique gloria et laudibus antecelles, idque optimo jure, ut qui et ipse talia aggrediaris et Græcos ad eadem cohorteris.

51. Nam quæ hactenus quidem facta sunt, quis non jure miretur nosque despiciat? Quum apud barbaros, quos molles putabamus

et bellicæ rei imperitos luxuque perditos, viri nati sint qui se Græciæ dignos imperio censuerunt, Græcorum neminem ea esse animi magnitudine ut vel conetur nos Asiæ dominos facere, sed usque adeo ab eis vinci nos ut, quum illi non dubitarint nos ultro lacessere inimicitiis, ne de vindicanda quidem injuria cogitemus? quum in omnibus illi bellis ostendant se neque milites habere neque duces neque quicquam aliud bellis gerendis aptum et ea omnia a nobis accersant, in eam venimus cupiditatem malefactis inter nos certandi, ut quamvis illorum opibus secure frui liceret, et ipsi de minutis quibusdam rebus belligeremur, et iis qui a regis imperio defecerunt sub jugum reducendis navemus operam, neque sentiamus nos patriis hostibus nonnunquam præsto esse ad gentiles et populares nostros evertendos.

52. Quare tibi conducere puto, in tanta aliorum ignavia, ut te ducem belli barbarici profitearis. Nam alios quidem ab Hercule ortos, qui reipublicæ legumque vinculis quasi adstricti tenentur, ea urbe in qua habitant contentos esse decet, te autem tanquam emancipatum totam Græciam patria caritate complecti, ut is fecit qui vos genuit, et non minora illius causa pericula adire quam propter ea quæ antiquissima tibi sunt.

53. Erunt fortasse qui me reprehendere ausint, iique potissimum qui hoc unum didicerunt quod, quum te et ad oppugnandos barbaros et ad tuendos Græcos voluerim adhortari, de mea urbe nihil dixerim.

54. Ego vero, si cum ullis aliis prius instituissem his de rebus agere quam cum patria quæ ter Græciæ libertatem restituit, bis profligatis barbaris, semel jugo Lacedæmoniorum excusso, faterer me deliquisse: nunc me illam primum ad hæc adhortatum esse maximo quo potuerim studio constat, quam quum minus ea quæ a me dicerentur curare viderem quam eorum verba qui pro suggestu insaniunt, illam quidem missam feci, a meo autem instituto non recessi. Quare jure laudarer ab omnibus, quod iis copiis quas habeo nunquam destiti bellum cum barbaris gerere, et partim eos accusavi qui non ita ut ego sentirent, partim eos quos videbam et Græcis posse benefacere et barbaris suas opes eripere sedulo sum hortatus. Qua de causa nunc etiam apud te verba facio, non ignarus fore multos qui meæ orationi invideant, iis autem quæ a te agentur congratulaturos esse omnes. Nam in eorum quidem quæ dicta sunt nemo societatem venit, utilitatum vero quæ inde parabuntur nemo est quin se quoque fructum percepturum esse putet.

55. Cogita porro quam turpe sit committere ut Asia floreat afflicta Europa et barbari sint opulentiores Græcis, et ii qui ad Cyrum genus referunt, quem mater in viam abjecit, amplissimum imperium habeant ac reges magni appellentur, Herculis autem posteri, quem pater ob virtutem inter deos retulit, humilioribus nominibus salutentur. Atqui horum nihil ita relinquendum est, sed hæc omnia commovenda et invertenda sunt.

56. Omnino autem statuere debes me nihil hujusmodi tibi suasurum fuisse, si imperium duntaxat et divitias inde vidissem parandas: arbitror enim te jam antea omnibus copiis harum rerum circumfluere, eumque prorsus inexplebilem esse qui subire periculum non recuset quo aut iis potiatur aut vita privetur. Ego vero non ita hæc dico ut possessiones eorum spectem, sed quod ex his te putem maximum clarissimumque triumphum consecuturum. Cogites velim mortale corpus omnes nos habere, sed gloria, laudibus, fama, memoriæ perpetuitate fieri compotes immortalitatis, cujus cupiditate omnes vires exercendæ, nulli labores, nulla pericula recusanda sunt. Nam privatorum hominum aliquos cernas et eos quidem optimos qui, quum vitæ caritatem nulla re alia permutatam velint, adipiscendi honesti nominis gratia in bellis occumbere non dubitent; denique eos, qui semper tenentur augendæ gloriæ studio, laudari ab omnibus, qui autem aliquid cæterarum rerum insatiabiliter complectuntur, hos et incontinentiores et nequiores haberi. Et quod maximum est, opum atque imperiorum sæpe accidere ut hostes potiantur, sed benevolentiæ civium et cæterorum quæ diximus non alios heredes relinqui quam liberos e nobis procreatos. Quare, nisi propter hæc tibi consuluissem militiam hanc suscipendam esse et bellum gerendum et dimicandum, erubescerem.

57. Sic autem his de rebus rectissime statues, si cogitabis non solum hanc orationem esse quæ te hortetur, sed accedere majores quoque tuos et barbarorum ignaviam et eos etiam qui celeberrimi facti sunt et semidei habiti ob expeditionem contra barbaros susceptam; in primis autem excitare te debet occasio, quum et tu tantis opibus et copiis polleas quantis eorum nemo qui in Europa habitarunt, et is, contra quem bellum geres, in tanto sit odio et contemptu omnium in quanto nemo regum unquam fuit.

58. Vehementer autem velim me posse colligere ac uno veluti fasce complecti ea quæ de his rebus dixi omnia: magis enim argumento digna hæc oratio videretur. Verum te quoque decet considerare ex omnibus ea quæ huc pertinent et ad bellum hoc adhortantur: sic enim de iis optime consulueris.

59. Neque vero ignoro Græcorum multos in ea opinione esse ut regem Persarum inexpugnabilem putent: quos sane mirari æquum est, si id imperium, quod est ab homine barbaro et male instituto constitutum et ad servitutem congregatum, a viro Græco et bellicis in rebus multum exercitato non putant spe recuperandæ libertatis proposita dissolutum iri, præsertim quum sciant constituere omnia quam sit difficile, quam facile vero dissolvere.

60. Cogita porro in quanta admiratione sint apud omnes, quanto honore afficiantur, qui utrumque possunt, et domi rempublicam gerere et foris bello tueri. Quod si eos qui in una urbe hoc sunt ingenio præditi maxime celebrari vides, cujusmodi fore laudes censendum est quæ de te prædicabuntur, si et beneficiis inter omnes Græcos te gessisse rempublicam, et te imperatore barbaros expugnatos esse viderint? Equidem nihil accedere posse credo, neque ullo tempore majora posse ab ullo geri: neque enim in Græcia ullum tantum facinus editum est, quantum fuerit nos omnes e tantis bellis perduxisse ad concordiam, neque verisimile est unquam in posterum inter barbaros tantam potentiam constitutum iri, si eam quæ nunc est dissiparis. Quare nemo posterorum, etiamsi excellenti præter cæteros natura sit, quicquam tale facere poterit. Nam veterum res gestas superare possumus his ipsis quæ jam a te gesta sunt, non lubrice, sed vere: nam quum tot gentes subegeris quot urbes nemo Græcorum cepit, nonne si te cum singulis eorum conferrem, facile demonstrarem te majora quam illos designasse? Verum hac orationis forma duabus de causis abstinere statui, tum quia plerique parum tempestive ea utuntur, tum quia per me nolo his qui nunc vivunt, eos qui semidei usurpantur, minores existimari.

61. Cogita etiam, ut et vetera proferamus, Tantali opes et Pelopis imperium et Eurysthei potentiam a nemine laudari vel oratore vel poeta: sed post Herculis excellentiam Theseique virtutem tum eos qui ad Trojam militarunt tum qui similes illis exstiterunt ab omnibus celebrari. Etsi insignes illorum et præstantissimos quosque scimus parvis oppidulis et insulis imperasse. Prope tamen divinam et latissime patentem sui nominis gloriam reliquerunt: omnes enim amant non eos qui sibi maxima imperia pepererunt, sed qui plurima in Græcos beneficia contulerunt.

62. Neque erga hos tantum eo animo sunt, sed æque in omnes. Nam et nostram rempublicam nemo eo nomine laudaverit, vel quod maris imperium tenuit, vel quod tantam pecuniam exactam a sociis in arcem retulit, ac ne ob illud quidem quod in ejus potestate fuit e multis urbibus alias evertere, alias amplificare, alias suo gubernare arbitratu — hæc enim ei licuerunt omnia —; verum ob hæc in crimen sæpe venit: sed tum ob Marathoniam pugnam et navale ad Salaminem prælium, tum eo potissimum quod pro salute Græciæ suam urbem nostri cives reliquerunt, universi eam celebrant. Neque aliter etiam de Lacedæmoniis sentiunt: nam et illorum cladem in Thermopylis acceptam magis admirantur quam alias eorum victorias, ac trophæum contra illos a barbaris erectum amant et spectant, Lacedæmoniorum autem trophæa contra alios collocata non laudant invitique vident. Nam illud quidem virtuti, hæc avaritiæ tribuuntur.

63. Hæc igitur omnia perpendenda et seorsum tibi excutienda sunt, et, si quid mollius aut minus accurate dictum fuerit, ætas mea in culpa est, cui merito veniam dabunt omnes: sin iis similia quæ superioribus temporibus a me edita sunt videbuntur, existimandum erit ea non senectuti meæ accepta referenda, sed dei alicujus benevolentiæ, qui non de me sit sollicitus, sed Græciæ salutem cura sua complectatur, quique studeat cum urgentibus eam malis liberare, tum te gloria ornare ea quam nunc habes longe majore. Arbitror autem te non ignorare quo pacto dii res humanas administrent. Non enim ipsi sua manu impertiunt vel prospera vel adversa quæ hominibus contingunt, sed eam mentem dant singulis, ut vel cladibus ultro citroque se afficiant vel communes utilitates in medium afferant mutatione officiorum. Ad hunc modum fieri potest ut nobis orationem tribuerint, te vero gerendis rebus præfecerint, existimantes et te pulcherrime ista obiturum, et orationem meam audientibus minime gravem et molestam futuram. Ac ne superiorum quidem temporum res gestas tantas fuisse futuras existimo, nisi deorum aliquem propitium et adjutorem habuisses, non profecto ut barbaros Europæos bellis perpetuis infestares, sed ut, illis quasi velitationibus exercitatus partaque peritia et nobilitata virtute tua, hæc quæ ego nunc tibi suadeo expeteres ad eaque capessenda animum extolleres. Turpe igitur fuerit fortunam recte præeuntem non alacriter sequi, neque ultro ad majora vocanti obtemperare.

64. Æquum autem esse censeo, ut cum omnibus iis honorem habeas qui res a te gestas prædicant, tum eorum verissimis te celebrari laudibus existimes qui naturam tuam majoribus negotiis parem esse censent tantisque rebus animo et sententia sua te præficiunt quantas ego nunc exposui; neque enim hi soli magnifaciendi sunt qui auribus in præsentia blandiuntur, sed qui efficient ut apud posteros in tanta sis admiratione in quanta nemo unquam fuit. In hanc sententiam plura quidem cupio disserere: sed quam ob causam id facere nequeam, plus satis est dictum.

65. Restat igitur ut in summam omnia cogam, ut quam paucissimis perspicias totius consilii caput. Aio igitur et Græcos beneficiis tibi adjungendos esse, et imperium in Macedones exercendum, et barbaris quam plurimis imperandum. Quæ si feceris, omnes tibi gratiam habebunt, Græci ob accepta beneficia, Macedones ob regiam et non tyrannicam sui gubernationem, reliquæ nationes quod barbarico dominatu liberatæ Græcorum dexteritati ac fidei salutem suam commendatam viderint. Hæc quam temporibus apte quave diligentia scripta sint, e vobis qui audieritis cognoscendum erit: sed meliora his et ad hunc rerum statum magis accommodata tibi suasurum esse neminem, satis mihi scire videor.

ISOCRATIS

ARCHIDAMUS.

ARGUMENTUM

INCERTO AUCTORE.

Post pugnam Leuctricam Thebani Lacedæmonem incursabant et multis cladibus afficiebant, adeo ut Lacedæmoniis subinde fugientibus uxores tandem occurrentes dicerent, Nunquid denuo vos in uteros recipere possumus? Itaque in hostem conversi ad Mantineam vicerunt, ab equitatu Atheniensium strenue adjuti. Post res ad Mantineam gestas per legatos a Thebanis pacem petiere: qui se illam daturos ea conditione promiserunt, si Messenam instaurarent et liberam esse paterentur. Quod quum alii non recusandum censerent, Archidamus junior adversatur. Hoc autem minoris Archidami genus est: Zeuxidamus, Archidamus, Agis, Agesilaus, e quo natus est hic Archidamus. Sunt qui dicant, Archidamum Athenis hanc orationem ab Isocrate accersivisse: alii sentiunt scriptam esse ab Isocrate exercendi ingenii gratia, ut ostenderet quidnam ab Archidamo in senatu Lacedæmoniorum dicendum videretur. Et argumentum quidem orationis hoc est: pertinet autem ad genus deliberativum; et loco utilitatis præcipue nititur.

ALIUD ARGUMENTUM

E DIONYSIO HALICARNASSEO.

Quis vel rempubl. vel homines privatos facilius in suam adducat sententiam hoc oratore? cum multis aliis in locis, tum in Laconica oratione, quæ Archidamus inscripta, illud argumentum continet, neque Messenam Bœotis tradendam, neque hostium imperata esse facienda. Nam adverso Marte pugnarant Lacedæmonii et ad Leuctra et deinde in multis aliis præliis, ac Thebanorum quidem opes florebant et ad imperii magnitudinem processerant, Spartanorum autem res afflictæ erant et longe a dignitate veteris principatus degenerarant. Tandem igitur Spartani, ut pacem impetrarent, deliberabant essetne agro Messenio cedendum; nam hæc eis necessitas a Bœotis imponebatur. Quum igitur videret Isocrates eos indigna suis majoribus esse facturos, Archidamo, qui quidem adolescens necdum regno potitus erat, sed magnam tamen spem habebat ejus honoris adipiscendi, hanc orationem composuit. In qua commemorat primum jure tenere Messenam Lacedæmonios, tum a Cresphontæ liberis regno pulsis traditam, tum Delphico oraculo confirmatam quo jussi fuerint et urbem accipere et affectis injuria opitulari, tum bello constabilita possessione et temporis diuturnitate corroborata. Docet etiam, non Messeniis qui nulli jam essent, sed servis et mancipiis quos Helotas vocant id oppidum portum et confugium tradituros. Enumerat et pericula quæ majores eorum imperii causa adierint, et qua sint apud Græcos existimatione commonefacit. Hortaturque ne fracti rebus adversis animos abjiciant, sed potius spe fortunæ melioris confirmati ut cogitent multos Thebanis potentiores ab imbecillioribus esse victos, multos cinctos obsidionibus et gravioribus malis quam Spartanos conflictantes eos a quibus oppugnarentur delevisse. Adducit exemplum civitatis Atheniensium, quæ, quum ma-

xime floreret, eversa extrema quæque perpessa fuerit ne audiens esset dicto barbarorum. Monet ut præsentia perferant et de futuris bene sperent, quum tales calamitates a civitatibus emendari sciant prudenti constitutione reipubl. et peritia rei militaris, quibus Sparta reliquas urbes superabat. Censet iis potius cum quibus bene agatur quam ipsis rebus suis adversis pacem expetendam, quum nova molientibus spes fortunæ melioris proposita sit: nam, si discrimen subeant, partas opes ab eis posse conservari. Præterea multis aliis præclaris operibus commemoratis, quæ clarissimi cives publice privatimque in bellis ediderint, colligit quantum dedecus suscepturi et in quantum apud Græcos crimen sint venturi, sin arma ceperint, asserit eis ab omni parte auxilia præsto esse futura, a diis immortalibus, a sociis, ab universis hominibus, qui Thebanæ potentiæ incrementis invideant; denique ostensa confusione et tumultibus quibus urbes Græcæ Bœotis rerum potientibus agitentur, ut nihil horum eveniat nec ulla spes incolumitatis alia relinquatur, urbem eos deserere jubet, docetque uxores et liberos cæteramque turbam in Siciliam et Italiam et reliqua loca eis amica mitti, ipsos vero castello aliquo munitissimo occupato et ad gerendum bellum opportunissimo hostes summis viribus terra marique persequi oportere. Nullum enim exercitum ausurum esse collatis signis cum viris Græciæ bellicosissimis, qui vitam vilissimam censeant, et quibus justa ira et causa honestissima eam necessitatem imposuerit, dimicare. Hæc ego non tam Lacedæmoniis, quam aliis quoque Græcis atque adeo hominibus universis, eum suadere dixerim longe melius quam omnes philosophos, qui summum vitæ bonum in virtute et honestate ponunt.

1. Vestrum aliqui fortasse mirantur cur ego, qui hactenus instituta nostræ urbis ut haud scio an quisquam alius meorum æqualium servavi, tantam mutationem fecerim, ut, quibus de rebus seniores verba facere verentur, de iis ego adolescens sententiam dicere aggrediar. Ego vero, si quis alius eorum qui apud vos concionari solent pro dignitate reipublicæ dixisset, longa silentia fecissem: nunc, quum videam alios hostium imperatis patrocinari, alios non fortiter adversari, alios prorsus obmutuisse, surrexi ut quod his de rebus sentio exponerem, id nimirum turpe esse ratus si, ut propriam meæ vitæ rationem teneam, rempublicam contra dignitatem suam decernentem despexerim.

2. Quod si de aliis quidem rebus decet adolescentes conticere, bellum certe vel suadere vel dissuadere iis maxime convenit ad quos periculorum pars maxima redundabit, quum præsertim quid facto sit opus videre atque intelligere in medio sit omnibus positum. Nam si exploratum esset, seniores de omnibus rebus rectissime judicare, adolescentes autem ubique falli et hallucinari, non immerito nobis dicendæ sententiæ jus adimeretur: sed quum non annorum spatium, sed ingenium et diligentia, in causa sit, ut alios alii prudentia superemus, nonne utriusque ætatis periculum faciendum est, ut ex omnibus iis quæ dicta fuerint vobis deligere liceat utilissima? Perabsurdum autem esse judico, si qui sunt qui censeant nos quidem terra marique exercitibus cum imperio præesse oportere, ubi non nisi magna clade reipubl. delinquitur: dicere autem quæ sentiamus ubi totius rei judicium et potestas penes vos est, non oportere, ubi si scopum attigerimus utilitas publice ad omnes, sin impegerimus,

nfamia et dedecus privatim ad nos pertinebit, sine ullo reipublicæ detrimento. Neque vero vel ulla dicendi cupiditate, vel pristinæ meæ vitæ mutandæ consilio impulsus, hæc commemoravi, sed vos hortari volui ne ullam ætatem improbaretis, sed in omnibus potius quæreretis si quis forte exsisteret qui de præsenti statu rerum quippiam utiliter admoneret.

3. Nec enim ab urbe condita vel bellum factum vel periculum de tantis rebus oblatum est, de quantis nunc deliberamus. Nam antehac quidem de imperio in alios exercendo dimicabamus, nunc autem hoc agitur ne ipsi imperata faciamus: quod signum libertatis est, pro cujus defensione nullæ acerbitates, nulla pericula sunt recusanda, non nobis tantum, sed etiam aliis qui se viros esse meminerunt, neque virtutis laudem prorsus adspernantur. Ego certe, si quid de me privatim dicendum est, emori jam detrectato imperio malim, quam ætatem longe ultra naturæ fines producere, si ea quæ Thebani jubent calculo meo approbassem: puderet enim me, et ex Herculis familia natum, patrisque regis filium, cui dignitatis idem gradus propositus est, committere, quantum in me quidem fuerit, quam provinciam majores nostri nobis reliquerunt, eam servi nostri ut obtinerent. Sed et vos in eadem esse mecum sententia vellem, illud reputantes nos in hunc usque diem prælio Thebano adversiore fortuna usos, et corporibus quidem culpa ducis superatos, animos autem adhuc invictos et erectos gerere videri: si vero metu imminentium periculorum quicquam de jure nostro concesserimus, insolentiam Thebanorum confirmabimus et tropheum Leuctrico illo multo gravius et illustrius contra nos ipsi erigemus; nam illud quidem temeritati fortunæ, hoc autem nostræ ignaviæ tribuetur. Neminem igitur vos inducere patiamini ut tantum dedecus publice suscipiatis.

4. Nam socii præpropere quidem illi vobis consuluerunt, omissa Messena pacem ut faceretis. Quibus vos multo æquius et gravius irasceremini quam iis qui initio a vobis defecerunt. Illi enim, quum ab amicitia nostra se removissent, suas ipsi urbes exagitatas seditionibus et cædibus mutatoque statu in deterius everterunt, hi vero vobis nocere instituunt: qui auctores esse non dubitent ut gloriam, per septingentos annos magnis laboribus et periculis majorum partam nobisque per manus traditam, paulo momento temporis abjiciamus, quo nec Lacedæmoni contumeliosius nec acerbius quicquam excogitare potuissent. Adeo porro sui compendii cum nostro incommodo studiosi sunt, nosque ita ignavos esse censent, ut quos sæpe ad bellum pro suis agris gerendum impulerunt, eosdem nunc de Messena pugnare vetent, et, quo ipsi suis opibus secure fruantur, persuadere studeant hostibus de nostro jure cedendum esse, neque his contenti minitentur etiam, nisi assentiamur, se pacem pro sese

facturos. Ego vero sic existimo non tam fore vobis sine istis belli discrimen gravius, quam honestius et illustrius et ubique gentium gloriosius. Nam si non aliorum ope freti sed nostris subnixi viribus esse incolumes victoresque hostium studeamus, id aliis nostræ civitatis facinoribus erit consentaneum. Etsi autem eloquentiam nunquam suspexi, sed istos qui in eo studii genere versarentur in rebus gerendis ignaviores esse existimavi, nunc tamen nihil mihi perinde in votis est quam ut de propositis rebus ex animi mei sententia verba facere possim. Quod si essem assecutus me reip. plurimum hoc tempore sperarem profuturum.

5. Ac primum disserendum est vobis quo pacto Messena in vestram potestatem venerit, et quas ob causas in Peloponneso, quum Dorienses a prima sitis origine, consederitis. Altius autem rem totam propterea repetam, ut intelligatis eam provinciam vobis eripi, quam non deteriore jure quam reliquam Lacedæmonem possidetis.

6. Quum enim Hercules e rebus humanis sublatus immortale cum diis ævum agere cœpisset, initio liberi ejus ob inimicorum potentiam variis erroribus et periculis agebantur, post obitum autem Eurysthei apud Dorienses consederunt. Tertia demum ætate certis de rebus oraculum petituri Delphos sunt profecti. Verum Apollo ad quæstiones propositas nihil respondit, sed in patriam terram eos abire jussit. Considerato igitur oraculo, repererunt Argos propinquitatis jure ad se rediisse — nam exstincto Eurystheo soli de Persei familia supererant —, Lacedæmonem vero dono accepisse — nam Tyndareus, Castore et Polluce exstinctis, regno pulsus et ab Hercule restitutus, illi regionem tradiderat cum ob beneficium hoc tum ob cognationem liberorum suorum —, Messenam autem quæ vi expugnata fuisset suam esse factam — Hercules enim bobus Erytheidibus a Neleo et ejus filiis, Nestore excepto, spoliatus, quum urbe potitus esset, eos quidem a quibus erat affectus injuria interfecit, Nestoris autem fidei oppidum commisit, cordatum hominem esse ratus, quod etsi natu minimus fraterni delicti socius esse noluisset —.

7. Quum igitur oraculi sententia hæc esse videretur, adhibitis vestris majoribus exercituque comparato, regionem suam inter commilitones distribuerunt, et regni prærogativam ab illis receperunt, atque his conditionibus fide data et accepta expeditionem susceperunt. Ac itineris discrimina et cæteras res gestas, quæ ad institutum non pertinent quid necesse est prolixius commemorare? Bello autem victis eorum locorum quæ diximus incolis regna tripartito diviserunt. Et vos quidem in hunc usque diem pacta et jusjurandum majoribus nostris datum servatis. Quapropter et superiori tempore feliciores aliis fuistis, et in posterum, quum tales sitis, bona spes est melius quam nunc actum iri vobiscum. Messeniorum autem tanta fuit impietas, ut Cresphontem, et conditorem urbis, et

provinciæ dominum, et ex Herculis posteritate ortum, et ducem suum, per insidias occiderint. Cujus liberi vitato periculo supplices huic urbi facti sunt, traditaque regione petierunt ut patris necem ulcisceremini. Vos igitur consulto oraculo, jussi et accipere quæ offerrentur et opem ferre affectis injuria, victis bello Messeniis sic eorum agrum et urbem in vestram ditionem et potestatem redegistis.

8. Ac de primo quidem vestro jure etsi non accurate disserui — nec enim hoc tempus patitur consectari omnia, sed necesse est brevitatis potius quam perspicuitatis rationem habere —, ex his ipsis tamen omnibus perspicuum esse arbitror non aliam fuisse rationem ejus regionis acquirendæ quam nostram esse confitentur omnes quam controversæ. Tum enim hanc colimus, et ab Herculis posteritate datam, et Delphico oraculo confirmatam, et incolis ejus bello superatis: tum illam ab iisdem eodemque modo accepimus et iisdem usi vaticinationibus. Quod si hoc animo sumus ut nulla in re eis repugnemus, etiamsi Spartam deserere nos jusserint, supervacaneum est de Messena magnopere laborare: sin nemo vestrum est qui patria spoliatus vivere sustineat, non aliter etiam de illa debetis esse animati. Idem enim utrinque jus, eadem defensio nobis est.

9. Præterea nec illud vos præterit, possessiones sive privatas sive publicas præscriptione longi temporis et confirmari et patrimonii loco habendas, persuasum esse omnibus. Nos autem Messenam cepimus priusquam Persæ regno potirentur Asiamque subigerent, et priusquam pleræque Græcæ urbes conderentur. Et quum tanta nostræ causæ sit æquitas, Thebani barbaro Asiam tanquam patrimonium adjudicant, qui nondum ducentos annos rerum potitus est, nobis autem Messenam, quam duplo longius tenuimus, ereptum eunt: ac Platæas quidem et Thespias nuper admodum everterunt, hanc autem post quadringentos annos sunt instauraturi, horum utroque jusjurandum et fœdera violantes. Quod si germanos Messenios restituerent, injuste quidem facerent, sed minus queri tamen de eorum injuria possemus: nunc Helotas in vicinia nostra collocant, quare non hoc gravissimum est, si præter jus et æquum nostra possessio nobis adimetur, sed si dominos illius esse videbimus nostros servos.

10. Jam ex his quæ sequuntur magis etiam perspicietis, et nunc inique tractari nos et tunc Messenam jure tenuisse. Nam post multa prælia commissa tandem pacem facere coacti sumus, quum quidem multo pejus nobiscum quam cum hostibus ageretur. Atqui quum iis temporibus conditiones ferrentur, quibus fieri non poterat ut nos meliore conditione essemus, de aliis quibusdam rebus contentiones inciderunt, sed Messenam injuste nos tenere, neque rex Persarum neque civitas Atheniensium nobis unquam objecit. Quod autem evidentius de jure judicium eo queat esse quod et ab ipsis hostibus et adversis nostris rebus est editum?

11. Præterea oraculum, quod omnes et antiquissimum et communissimum et fide maxime dignum esse fatebuntur, non eo duntaxat tempore nostram esse Messenam statuit, quum Cresphontæ liberis dantibus accipere nos donum et oppressis injuria opem ferre jussit, sed tunc etiam quum bellum prorogaretur, et utrique Delphos misissemus (nam illi quidem de salute sua consulebant, nos vero de expeditissima urbis capiendæ ratione), illis ut iniqua petentibus nihil respondit, nobis vero significavit et quæ sacra facienda, et auxilia unde accersenda essent.

12. Quod igitur testimonium majus et evidentius his afferri potest? Quum declaratum sit nos primum ab iis quorum erat hanc provinciam accepisse — quid enim vetat eadem denuo paucis perstringere? —, deinde bello cepisse, quo modo pleræque urbes illis temporibus constitutæ sunt; postea eos qui Herculis liberos nefario scelere violarant ejecisse, quos quidem æquum fuerat ex universo terrarum orbe exterminari; denique et longitudine temporis et hostium judicio et dei oraculis jure obtinere. Quorum singula calumnias eorum satis refutant, qui crimini dare audent nos aut nunc pacem ex avaritia repudiare, aut olim alienarum rerum cupiditate inflammatos bellum cum Messeniis gessisse. Ac de Messenæ quidem possessione plura his dici fortasse queant, sed et hæc sufficere arbitror.

13. Qui autem faciendæ pacis nobis auctores sunt, negant viris sapientibus idem sentiendum in rebus secundis et adversis, sed e re nata consilium semper capiendum et fortunam sequendam esse, neque plus animorum esse oportere quam virium, neque talibus temporibus quid justum sit sed quid expediat quærendum.

14. Ego vero quod ad cætera quidem attinet non repugno, sed justitiæ præferendum ulla ex parte esse aliquid nemo ulla ratione persuadebit. Nam et leges ideo latas esse video, et præstantes viros hoc sibi laudi ducere, et urbes quæ bene præclareque administrantur in hoc maxime studere; præterea superiorum temporum omnia bella eos exitus habuisse non qui a viribus duntaxat sed et a justitia penderent; denique vitam humanam interire flagitiis, virtute conservari. Quare non abjectis animis eos esse decet qui juris sui defendendi causa pericula sunt adituri; illos timere sibi decet qui elati superbia res secundas moderate ferre non possunt. Deinde nec illud negligendum est, quod de jure omnes consentimus, de utilitate litigamus. Propositis autem duabus rebus bonis, quarum altera evidens est altera obscura, nonne ridiculum fuerit vos certam repudiare, controversam velle amplecti, præ-

sertim quum in ipsa optione tantum intersit? Mea enim oratio huc pertinet ut ne quid nostrum amittamus neque dedecus aliquod publice suscipiamus, in spe bona nos, etiamsi justitiæ causa pugnandum sit, hostibus fore superiores; illi autem quid tandem dicunt, nisi jam Messena cedendum esse? quum hoc delicto in vosmet ipsos admisso illud etiam fieri possit ut et utilitate et justitia et cæteris quæ exspectatis omnibus frustremini? Neque enim hoc exploratum est, si ea quæ jubent hostes fecerimus, nos firmam pacem habituros. Arbitror enim non ignorare vos, cum iis qui ad vim propulsandam parati sunt omnes de jure disputare, illis autem qui nimis expedite imperata faciunt, subinde plus quam initio cogitarant oneris imponere solere; unde fit ut ad gerendum bellum parati qui sunt æquiorem pacem impetrent quam ii qui temere pactiones faciunt.

15. Ne vero in his diutius immorari videar, his omnibus omissis id jam dicam quod est omnium simplicissimum. Si nulli unquam post clades acceptas revocatis viribus victores hostes superarunt, ne nobis quidem bellum gerentibus victoriæ spes proposita esse debet: sin autem sæpe usuvenit ut et qui majores copias haberent ab imbecillioribus vincerentur et qui urbem circumsederant ab obsessis interirent, quid miri erit, si etiam harum rerum status aliquantum mutabitur?

16. Ac de nostra quidem republica nihil tale habeo dicere; nam superioribus temporibus nulli qui nobis essent fortiores in nostros agros invaserunt: alii quidem populi permulta nobis exempla suppeditant. Sed primum videamus Athenienses; quos apud Græcos in crimen ex eo venisse constat, quod aliis imperarent, quum autem iidem injurios ulciscerentur, a mortalibus omnibus gloriam consecutos. Quod si vetera pericula, quæ in bellis adversus Amazones aut Thraces aut Peloponnenses gestis adierunt quum Eurystheus in eorum agrum duxisset exercitum, recensuero, obsoleta fortassis et nimium a præsentibus rebus remota commemorare videbor: in Persico autem bello quis nescit post quæ mala quam sint felicitatem adepti? Nam soli eorum qui extra Peloponnesum habitant, quum barbarorum copias sustineri non posse cernerent, de imperatis faciendis sibi deliberandum esse non censuerunt, sed urbem eversam quam servitute oppressam videre statim maluerunt. Relicta igitur natali terra [et urbe] (nam patriam illi quidem libertatem censebant), periculorum societate nobiscum inita, tantam mutationem effecerunt ut, quum paucos dies suis rebus caruissent, per multos annos aliis imperarint.

17. Neque vero quanta bona pariat ulciscendi hostes audacia, hujus urbis tantum sed etiam Dionysii tyranni exemplo demonstratur, qui obsidione clausus a Carthaginiensibus, quum nullas pes

salutis esset in propatulo (nam et ab hostibus premebatur, et civibus invisus erat), fuga salutem quærere decreverat; quum autem quidam e familiaribus ausus fuisset dicere honestissimam sepulturam esse imperium, improbato turpi fugæ consilio belloque repetito, non modo ingentem hostium numerum cecidit, sed et dominationem in cives suam confirmavit, et potentiam pristinam plurimum auxit, et vitam in imperio exegit, et eosdem honores eandemque potestatem, quibus ipse fuerat usus, filio reliquit.

18. Similia his et Amyntas Macedonum rex fecit. Victus enim prœlio a vicinis barbaris amissaque tota Macedonia, primum de regno deserendo cogitavit ut vitam conservaret, deinde quum audisset a quodam illud laudari quod Dionysio dictum fuerat, mutata ut ille sententia, parvum quoddam castellum occupavit et hinc accersitis auxiliis trimestri spatio Macedoniam universam recepit, et in regia dignitate senio confectus decessit.

19. Quod si omnia talia facta conquirenda sint, et ego dicendo et audiendo vos defatigaremini: nam si vel ea quæ Thebano bello acciderunt recordemur, fieri quidem non poterit quin calamitate nostra doleamus, sed iidem etiam de cætero spem concipiemus meliorem. Quum enim ausi essent illi nostras impressiones et minas sustinere, ita fortuna res eorum mutavit, ut qui ante nobis paruissent jam nobis imperandi potestatem sibi arrogent.

20. Qui igitur tantas mutationes accidisse videt, in nostris autem rebus nullas fore putat, non satis est consideratus: sed et præsentia æquis animis ferenda sunt et de futuris bene sperandum; constat enim a civitatibus tales casus, si domi consilium et disciplina, foris arma et peritia rei militaris vigeant, emendari. Neque vero quisquam refragabitur, quin et scientia bellicæ rei præstemus, et apud nos solos talis respublica sit qualem esse decet. Quæ quum ita sint, fieri omnino nequit quin feliciores futuri simus iis quibus neutrum horum magnæ curæ fuit.

21. At quidam in bellum invehuntur, ejusque perfidiam accusant, argumentis utentes cum aliis tum iis ipsis quæ nobis acciderunt, seque mirari dictitant quenquam esse qui rei tam sævæ ac temerariæ fidem habendam censeat.

22. Ego vero novi multos qui sibi magnam bello felicitatem pepererunt, multos item qui eadem pace amiserunt: nihil enim rerum talium per se omnino vel malum est vel bonum, sed ut quisque rebus atque occasionibus utitur, ita necesse est eventus consimiles inde consequi. Est autem felicibus expetenda pax; nam eo statu parta bona diutissime conservantur: calamitosis vero ad gerendum bellum animus adjiciendus; nam tumultu bellico et innovatione afflictæ res celerius eriguntur. Quorum ego vereor ne contrarium facere videamur: nam quum delicate nobis vivere lice-

ret, plura quam oportebat bella gerebamus; nunc necessitate periculi subeundi urgente, otium expetimus et de securitate consultamus. Atqui cupidis libertatis fœdera cum mandato conjuncta fugienda sunt, parum enim differunt a servitute; tum vero demum de conditionibus agendum, quum aut hostium copias vicerint aut suum robur illorum viribus æquarint: nam talem quidem omnes pacem habituri sunt, qualem belli finem fecerint.

23. Hæc cogitanda nobis sunt, neque committendum ut temere nos in turpes pactiones conjiciamus aut pejus de patria quam de aliis solemus mereamini. Sed illud recordandum, superiori tempore quum e sociis civitatibus alicui circumsessæ vel unus Lacedæmonius opem tulisset, fuisse neminem qui dubitaret quin ea per illum conservata esset. Ac talium virorum permulti a senioribus commemorantur, celeberrimos autem et ego referre possum. Pedaritus enim Chium profectus urbem conservavit: Brasidas Amphipolim ingressus, et instructa ex paucis eorum qui obsidebantur acie, multos qui obsidebant prælio vicit: Gylippus Syracusanis auxiliatus non illos solum conservavit, sed copias hostium etiam terra marique superiores in potestatem suam redegit universas. Quid vero dictu fœdius est quam quum olim singuli nostrum alienas civitates tueri potuerint, nunc universos de nostra patria defendenda dubitare ac ne conari quidem? quum bellis pro aliorum salute gerendis et Asiam et Europam trophæis repleverimus, pro patria, quæ tam insigni non injuria sed contumelia afficitur, nullum prælium aliquo nomine dignum commisisse? quum aliæ civitates nostri tuendi imperii causa extremas obsidiones tolerarint, nos ipsos, ne quid præter jus et æquum facere cogamur, eo esse animo ut ne parvum quidem incommodum ferendum nobis arbitremur? quum insignes equos alamus etiam nunc, pacem ita facere ut qui extrema necessitate conflictantur omniumque rerum inopia laborant?

24. Illud autem omnium indignissimum est, quod qui tolerantissimi laborum inter omnes Græcos habiti sumus, his de rebus segnius quam cæteri deliberamus. Quos enim novimus quorum vel mentio facienda est, qui semel victi unaque impressione facta adeo effœminate receperunt eos imperata facturos esse omnia? Quo pacto tales diuturnam calamitatem tolerarent? Quum Messenii viginti annos in hac regione obsessi fuerint, qui nos non reprehenderent, si tam celeriter per pactiones ea urbe cederemus, ne majorum quidem memores, et quam illi multis laboribus et periculis paraverunt, eam nos adducti verbis amitteremus?

25. Quibus omnibus nonnulli neglectis, nullaque multiplicis dedecoris habita ratione, talia consulunt vobis, qualia reipub. nostræ contumeliosa futura sunt. Ac tam cupide vos ad Messenam tradendam hortantur, ut et nostræ urbis imbecillitatem et hostium

potentiam commemorare non dubitarint, et adversarios respondere sibi jubeant, quibus auxiliis freti belli suscipiendi auctores simus.

26. Ego vero nullum majus et firmius auxilium esse arbitror quam justa agere—consentaneum enim est etiam deorum immortalium benevolentiam his non defuturam, siquidem e præteritis conjectura futurorum capienda est —, præter hoc quam rempublicam bene administrare et temperanter vivere et cum hostibus pugnare velle et nihil horrendum magis esse ducere quam male audire a suis: quæ omnia nostri moris sunt magis quam ullorum mortalium. Quales ego malim belli socios habere quam infinitam turbam aliorum: nam majores quoque nostros hanc regionem occupasse scio, non multitudine fretos sed iis quas recensui virtutibus. Quare non eo hostes formidare, quod multi sunt, sed multo magis ea re freti esse debemus, quum nos ita videmus tulisse calamitates ut nulli alii tulerunt unquam, et leges moresque majorum conservasse, quum isti prosperam fortunam ferre non possint et in maxima perturbatione versentur, ac alii socias urbes occupent, alii illis adversentur, alii de finibus cum vicinis ambigant, alii invicem invideant potius quam nobiscum bellum gerant. Unde miror eos qui majora præsidia requirunt iis quæ delicta hostium suppeditant. [Hæc ipsa nos juvabunt.]

27. Quod si de externis etiam auxiliis dicendum est, multos futuros esse opinor qui nos salvos atque incolumes esse velint. Athenienses enim, etiamsi non per omnia nobiscum faciant, salutis tamen nostræ causa quidvis facturos esse novi: deinde cæterarum urbium nonnullas non minus nostris commodis quam suis consulturas: præterea neque Dionysius tyrannus neque Ægyptiorum rex neque alii Asiæ principes, quoad unusquisque valet, suis opibus et auxiliis nobis defuturi sunt: Græcorum denique locupletissimi et celeberrimi et optimarum rerum studiosissimi quique, etsi nobiscum se nondum conjunxerunt, at benevolentia sunt nobiscum, in quibus de cætero magna spes nobis debet esse.

28. Existimo etiam cæteram turbam Peloponnensem et populum, quem opinamur nobiscum potissimum bellare, nostram curam hoc tempore desiderare. Nihil enim e defectione tale sunt consecuti quale exspectarant; nam, dum libertatem petunt, servitute sunt oppressi — amissis enim suorum optimis in potestatem pessimorum civium ceciderunt —, dum suis legibus uti student, in multa et acerba contraria legibus inciderunt. Quum hactenus nobiscum aliis inferre bella consueverint, nunc ab aliis oppugnantur, et seditiones, quas prius apud alios esse audiebant, nunc apud semetipsos singulis fere diebus cooriri vident. Sic denique malis domiti sunt, ut nec dijudicare possint quinam sint inter ipsos calamitosissimi. Nulla enim urbs non afflicta est, nulla cui a vicinis pericula non im-

mineant: itaque et agri vastati sunt, et civitates eversæ, et privatæ ædes desolatæ, et inversæ respublicæ et leges abrogatæ, quibus dum utebantur felicissimi Græcorum fuerunt. Status autem suarum sibi rerum tam infidus ac adversus est, ut cives suos magis quam hostes metuant; et tantum abest ut secum in gratiam redierint et facultates invicem communicarint, ut a congressibus omnique humanitate abhorreant, atque ii qui rem habent pecuniam in mare demergere mallent quam indigentibus impertiri, et tenuiores a locupletioribus eripere quam forte fortuna invenire magis optent: sacris abrogatis in aris sese mactant; et nunc plures unius urbis exsules sunt quam antehac totius Peloponnesi. Et quum tot mala enumerata sint, plura prætermisimus quam recensuimus: nihil enim duri aut acerbi dici potest quod non ibi concurrerit. Quorum quia jam alios cepit, alios brevi satietas capiet: aliquod iis malis remedium invenire studebunt. Neque enim putare debetis fore ut in istis rebus acquiescant: nam quos secundæ res fatigarunt, adversas longo tempore qui tolerabunt? Quare non tantum si pugnando vicerimus, sed etiam si quieti exspectàverimus, eos mutata sententia videbitis suam salutem in nostra societate collocaturos. Et quæ sperem hæc sunt.

29. Tantum autem abest ut aliquid eorum quæ imperantur facere velim, ut, si nihil horum fieret neque ulla nobis auxilia præsto essent, Græcorumque alii nos læderent alii negligerent, ne sic quidem de sententia decederem, sed omnia pericula belli potius exspectarem quam ad tam turpes pactiones descenderem. Nam utriusque rei me puderet, sive majores damnaremus, quasi per injuriam Messeniis agros ademissent, sive nos, si illi recte et convenienter tenuissent, præter jus et æquum quicquam de illis concederemus. Quorum neutrum faciendum est, sed id spectandum ut pro dignitate nostra bellum administremus, neque eos qui urbem nostram celebrant mendacii arguamus: ita quidem gerere nos debemus, ut illi magnitudinem laudum nostrarum non videantur assecuti.

30. Equidem existimo graviora his malis non esse metuenda, sed hostes ea et deliberaturos et acturos esse quibus nos erigent: quod si spe frustrati et ab omni parte circumventi fuerimus ac ne urbem quidem amplius tueri potuerimus, difficilia quidem sunt quæ dicam, sed dicam tamen et libere aperteque dicam. Etenim honestius est ea prædicari apud exteros Græcos, nostraque virtute dignius, quam ea quæ nobis quidam suadent.

31. Sic enim censeo: parentes nostros cum uxoribus et liberis et reliquam bello inutilem turbam e civitate mittendam esse, et ex his alios in Siciliam, alios in Italiam, alios Cyrenen, alios in Asiam — quos hi omnes libentes suscipient et agro amplo assignando et cæteris ad victum necessariis rebus suppeditandis, alii ut gratiam

nobis referant bene de se meritis, alii spe utile sibi futurum si qua in nos beneficia collocarint —, cæteris autem qui pugnare et volent et poterunt deserenda erit et urbs et aliæ possessiones, iis tantum exceptis quæ ipsi nobiscum auferre poterimus; occupandum deinde castellum aliquod quam firmissimum erit et ad gerendum bellum maxime opportunum, ut terra marique hostes spoliemus et infestemus tantisper dum eos pœniteat nostra sibi vendicasse. Quæ si abjecta omni cunctatione ausi fuerimus, eos qui nunc superbe imperant ultro nobis supplicantes videbitis ut Messenam recipiamus et pacis conditiones accipiamus.

32. Quæ enim Peloponnesi civitas tale sustinebit bellum, quale si vos volueritis futurum esse consentaneum est? Qui non exhorrescent et expavescent tales copias constitutas, quæ quidem et hoc modo se compararint, et harum rerum auctoribus non injuria irascantur, et mori tutum putent? et, quod ad aliarum rerum vacationem attinet soliusque bellicæ rei occupationem, conductitiis militibus similes sint? cæterum, si fortitudo et instituta vetera spectentur, tales quales ex universo humano genere colligi nequeant? prætereaque nullum certum vitæ institutum teneant, sed et sub dio agere et passim oberrare et arma circumferre possint, facileque vicini fieri quibus voluerint, et omnia loca bello opportuna patriam judicent? Equidem puto, si sermones hi tantum in Græcia dicantur et spargantur, hostes nostros in maxima perturbatione futuros, multoque in majore, si ea quæ decreta fuerint re ipsa præstare cogemur. Nam quo animo futuri sunt, si a nobis cladibus affici poterunt, nocere nobis vicissim non poterunt? Si suas quidem urbes obsideri, nostræ vero eam esse rationem videbunt ut ab omni oppugnationis periculo sit immunis? Præterea nobis cum ex nostris rebus tum ex manubiis victum fore facilem et expeditum, sibi vero difficilem et impeditum, quod alia res est, talem exercitum alere, atque oppidanas turbas sustentare? Jam quid acerbius illis accidere poterit, quam si nostros domesticos audierint amplis opibus florere, suos autem quotidie viderint fame laborare, ac ne opem quidem eis ferre poterunt? nam sive agros colere instituerint, etiam sementis jacturam facient, sive terram jacere incultam patientur, statim unde vivant non habebunt.

33. At enim fortasse coactis in unum copiis et communi expeditione suscepta persequentur, et nos nocere sibi prohibebunt. Et quid optabilius nobis esse queat quam ut congressi comminus in aciem descendant, et iisdem difficultatibus circumventi quibus nos, castra locent homines illi incompositi et ex colluvione quadam conflati et multis utentes imperatoribus? Nullo mediusfidius labore nobis tota res constabit, sed quamprimum eos cogemus non quum illis sed quum nobis opportunum erit dimicare.

34. Dies me defecerit, si quanto nos meliore conditione futuri simus explicare aggrediar. Illud certe quidem inter omnes constat, nos reliquis Græcis antecellere non magnitudine urbis nec multitudine virorum, sed eo quod nostra respublica exercitui similis est bene constituto et parere ducibus volenti. Quod si id repræsentabimus cujus simulacrum quoddam ita nobis profuit, quis dubitet quin hostibus superiores facile futuri simus?

35. Nec enim ignoramus eos etiam qui hanc urbem condiderunt, exiguo in Peloponnesum ducto exercitu multas et magnas urbes obtinuisse. Præclarum igitur fuerit nos majores nostros imitari, et ad principium regressos, quoniam impegimus, dare operam ut pristinam dignitatem ac imperium recuperemus. Omnium profecto indignissimum nobis fuerit, salutem nostram non persuadere nobis urbem hanc ut relinquamus, quum sciamus Athenienses pro libertate Græciæ patriam suam deseruisse, et, quum aliis exemplum præbere debeamus hujusmodi facinorum, ne imitari quidem velle res illorum gestas. Multo magis etiam ridiculum est, quum Phocenses magni regis dominationem fugientes, relicta Asia Massiliam se contulerint, nos tam abjectis esse animis ut illis parere velimus quibus perpetuo imperavimus.

36. Neque vero animis nostris illa dies obversari usque adeo debet, qua carissimi quique a nobis segregandi erunt, sed illuc respicere debemus, fore tempus quo victis hostibus atque urbe in integrum restituta et domesticos nostros recipiamus, et omnibus probemus nos et nunc nullo nostro merito fuisse calamitosos, et superiori tempore non immerito principatum nobis vendicasse. Sic autem se res habet. Hæc quæ dixi non sic accipienda sunt, quasi ea mox fieri velim aut rebus aliter consuli nequeat, sed ut animos vestros quasi præpararem, ut sentiretis et has calamitates et longe his acerbiores vobis potius sustinendas esse, quam ad talem de Messena conditionem qualem illi præscribunt descendendum.

37. Neque vero ad bellum tanto studio vos hortarer, ni prospicerem ex his quæ ego dico pacem firmiorem fore, ex illis vero quæ alii suadent, non solum cum turpitudine conjunctam, verum etiam minime diuturnam. Etenim si Helotas juxta collocaverimus et hanc urbem auctam siverimus, quis non videt, nos in perpetuis tumultibus et periculis futuros esse? Qui igitur de securitate disputant, illi non animadvertunt se paucorum dierum pacem bello perpetuo redempturos.

38. Ego vero ex eis audire cupio pro quibus rebus in acie putent mortem nobis oppetendam. Non quum nobis hostes injusta imperant? non quum agrum eripiunt servosque nostros manumittunt? quum in ea terra collocant illos quam nobis patres reliquerunt? quum nos non tantum nostris opibus spoliant, sed etiam præter alia mala contumeliis afficiunt? Ego vero harum rerum causa non bellum tantum, sed et exsilia et mortes nobis esse perpetiendas arbitror. Longe enim præstat in ea laude et gloria qua floremus emori, quam vivere cum dedecore quod perpetiemur si Thebanorum imperata fecissemus. Quod si nihil dissimulandum est planeque dicendum, præstiterit nos deleri quam ab hostibus derideri. Quos enim tantis ornatos fuisse honoribus animorumque magnitudine constat, eos aut principes esse Græciæ oportet, aut prorsus non esse, modo incolumi dignitate, et vita honeste perfusa.

39. Hæc igitur animis versanda sunt abjecta nimia vitæ cupiditate, neque sociorum sententiis temere assentiendum, quorum nos duces antehac fuimus, quin ipsi potius re considerata non quod illis erit expeditissimum, sed quod et Lacedæmone et egregiis nostris facinoribus dignum erit, eligamus. Nam iisdem de rebus non eodem modo est deliberandum omnibus, sed pro eo, ut quique suarum actionum fundamenta jecerunt. Epidauriis quidem et Phliasiis et Corinthiis nemo vitio verterit, si nulla alia re sollicitentur nisi de vita quocunque modo conservanda et propaganda: Lacedæmonios vero instituta majorum salutis sine dignitate rationem habere non sinunt; quod si honeste incolumes esse nequimus, mors potius nobis oppetenda est. Nam qui virtutis studio ducuntur, iis nihil æque providendum est atque illud, ne quid turpe admisisse videantur. Civitatum porro ignavia e talibus consiliis non minus elucet quam e periculis bellicis. In quibus eorum quæ fiunt maximam fortuna sibi partem vendicat, quod vero hic deliberatur signum et nota est ipsorum animorum. Quare nihilo minore cura et sollicitudine ea quæ hic decernuntur, animadvertenda sunt, quam præliorum contentiones.

40. Equidem miror esse qui quum ad privatam existimationem tuendam mori non dubitent, de communi non eodem modo sentiant, pro qua nihil periculi recusandum erat, ne quod respublica dedecus susciperet, aut præsidium, in quo a parentibus locata est, desereret. Quum autem multæ res sint multaque pericula quæ nos urgeant atque effugienda sint, illud maxime cavendum est, nequid molliter et effœminate facere aut hostibus de jure nostro cedere videamur. Turpe profecto fuerit eos imperata facientes conspici qui principatum Græciæ tenuerunt, et a virtute majorum tantum degenerasse, ut quum illi quo aliis imperarent mortem oppetere non recusarint, nos ad servitutem effugiendam adire pericula non audere.

41. Pudere nos etiam debet et Olympiæ et aliorum celebrium conventuum, in quibus unusquisque nostrum præclarior et admirabilior est habitus quam pugiles in certaminibus victores. Quis enim ausurus ad eas celebritates accedere, ita nunc contemnendus

ut antea honoratus, ita nunc futurus conspicuus ob ignaviam ut antea ob virtutem illustris, quin et visurus servos nostros ex regione nobis relicta a patribus majores quam nos primitias et victimas offerre, eosdemque auditurus talibus in nos uti convitiis, qualia iis in promptu fore credibile est qui, quum duriorem quam alii servierint servitutem, nunc æquo jure cum dominis pacta fecerint: quæ unusquisque nostrum ita doleret, ut dicendo id mortalium consequi nemo queat. Hisce de rebus nunc consultandum est, et non tum graviter ferendum quum quiritari nihil proderit; nunc potius advigilare decet ne querela dignum aliquid eveniat. Quam enim turpe est, quum antehac ne ingenuos quidem exæquari nobiscum passi fuerimus, nunc servorum etiam in loquendo licentiam tolerare. Nam superiorum temporum acta insolentiæ nostræ tribuentur, qui, quum ingeniis nihil alios excelleremus, pertinacia et fastu non vera gravitate simus usi. Ne quam igitur ansam præbeamus nostris obtrectatoribus, sed eorum maledicentiam factis refutemus, ut nos majorum vestigiis religiose appareat institisse.

42. Recordamini qui ad Dipæam adversus Arcades dimicarunt, quos aiunt ita instructa acie ut phalanx uno viro densior non esset in fugam multa millia vertisse, et trecentorum illorum qui ad Thyreas Argivos universos superarunt, et mille virorum qui in Thermopylis cum septies centenis barbarorum millibus congressi neque terga verterunt neque victi sunt, sed quo in gradu collocati fuerant in eo oppetierunt, itaque se gesserunt, ut qui arte res gestas ornare solent nullas illorum virtutibus laudes æquare possint. Hæc igitur omnia cogitatione complexi bellum fortius administremus, neque exspectemus dum alii malis nostris medicinam adhibeant, sed quæ nobis ipsis evenere, eadem ipsi etiam propulsare studeamus. Præstantes porro viros talibus temporibus excellere decet: nam secundæ quidem res etiam ignavorum hominum vitia contegunt, adversæ autem quales quique sint statim ostendunt: in his igitur demonstrandum est, si quid nos aliis rectius educati et instructi sumus ad virtutem.

43. Neque vero desperandum est ex iis quæ nunc adsunt fore ut aliqua contingant quæ necesse sunt. Neque enim ignoratis, opinor, multa jam talia accidisse, quæ initio quidem in malis omnes numerarent et eorum quibus illa usuvenerant vicem dolerent, quum ea post maximorum bonorum causas fuisse intelligerent. Et quid opus est exemplis longe accersitis? quum nunc etiam principes quidem urbes, Atheniensium inquam et Thebanorum, non pace ad tantam magnitudinem pervenisse, sed ex belli calamitatibus pristinam dignitatem recuperasse videamus; unde altera principatum Græcum tenet, altera tanta in præsentia facta est quantam eam fore nemo unquam credidisset. Neque enim ignavum otium magnam gloriam

celebritatemque parit, sed ingentia certamina suscipienda, magna pericula illis adeunda sunt qui gloriæ splendorem expetiverunt. Quarum rerum cupiditate, neque corporibus nostris neque vitæ neque cæteris omnibus quæ habemus parcendum est. Nam si virtuti nostræ fortuna faverit ut rempublicam in pristinum amissæ dignitatis gradum restituamus, tum veterum laudes superabimus, tum posteris nihil quo gloria nobis fortitudinis antecellant reliqui faciemus, tum pro dignitate rerum gestarum nemo nos poterit celebrare. Sed nec illud ignorare debetis, multos erectos atque alacres exspectare quid in hoc concilio statuatur. Proinde sibi quisque apud animum suum proponat, se quasi in communi Græciæ theatro specimen ingenii animique sui præbiturum.

44. Neque vero multiplex est his de rebus deliberandi ratio. Nam si ob jus nostrum tuendum oppetere mortem voluerimus, non tantum laude et gloria, sed etiam securitate in posterum fruemur: sin pericula metuerimus, multis turbis ipsi nos implicabimus. Itaque alios alii cohortati patriæ nutricationis mercedem persolvamus, neque Lacedæmonem contumeliose tractari et contemni patiamur, neque spem et exspectationem eorum qui nobis bene cupiunt frustremur, neque vitam pluris æstimemus quam gloriam celebritatemque apud omnes homines obtinere, cogitantes quod præclarius est mortale et fragile corpus cum immortali gloria commutare, et animæ, cujus possessio paucorum annorum est, talem laudem et nomen comparare quo omnis nostra posteritas perfruatur, multo quidem melius, quam exigui temporis cupidi magno dedecore nosmet ipsos operire. Arbitror autem vos non alia ratione ad bellum suscipiendum incendi magis et inflammari posse, quam si animis intueamini tanquam adstantes parentes liberosque vestros, quorum illi hortentur ne turpem nomini Spartano aut legibus in quibus educati sumus aut pugnis sua ætate commissis notam inuratis, hi autem provinciam quam majores reliquerunt reposcant, et potentiam ac principatum Græciæ quem ipsi a patribus acceperimus: quid vero? num dicere poterimus vel hos vel illos iniqua postulare?

45. Quid multis opus est? Hoc unum dicam: quum hæc civitas plurimis bellis et periculis sit conflictata, nunquam hostes trophæum de nobis erexerunt duce rege e nostra familia. Prudentium autem virorum est, quibus ducibus in bellis victoria potiuntur, iis etiam quum bella suscipienda suadent potius quam aliis obtemperare.

ISOCRATIS

AREOPAGITICA.

ARGUMENTUM

E DIONYSIO HALICARNASSEO.

Quis lecta oratione Areopagitica non modestior fieret? Quis institutum oratoris non laudet? qui apud Athenienses de reipublicæ forma disputare non dubitarit, et auctor esse ut democratia quæ tum usitata erat tanquam civitati perniciosa mutaretur, qua de re magistratuum nemo referre instituebat, videbat enim Isocrates eam ita esse prolapsam et perturbatam ut jam nec a magistratibus privati coerceri possent, sed unusquisque cum diceret tum faceret quicquid collibitum esset, ac omnes importunam confidentiam libertatem popularem esse ducerent: suadet igitur ut a Solone et Clisthene constituta respubl. veluti postliminio revocetur. Cujus naturam et instituta recensens, ait illa ætate gravius existimatum esse dicendo adversari natu majoribus quam ordines deserere, democratiam eos judicasse non in petulantia et protervitate sed in moderatione et temperantia consistere, libertatem posuisse non in contemptu magistratuum sed imperatis faciendis, potestatem improbo nemini permisisse, sed spectatissimis viris mandasse magistratus, quod existimarent tales fore cæteros cives quales essent gubernatores civitatis, tantum vero abfuisse ut peculatu rem familiarem amplificarent ut suas opes in reipubl. utilitatem effunderent. Præterea patribus majori curæ fuisse filios jam adultos quam pueros, quod adolescentiæ modestiam plus prodesse reipubl. putarent quam puerilem institutionem, et recta studia præstare legum accuratæ constitutioni; inque id eos incubuisse, non ut suppliciis delinquentes coercerent, sed ut ne quid pœna dignum ab ullo committeretur, existimantes patriam quidem auctoritate magna florere, privatis autem licere nihil quod legibus interdictum esset oportere, sed eis et pericula subeunda et res adversas infractis animis esse perferendas.

1. Multos ego vestrum mirari puto quidnam in mentem mihi veniat ut indicto concilio providendum esse moneam ne quid respublica detrimenti capiat, quasi ea vel bellis urgeatur vel rebus dubiis conflictetur, quum et triremes amplius ducentas possideat, et agrum pacatum habeat et maris imperium teneat, et societate munita sit, tum multorum qui si res postulet alacriter nos adjuvent, tum longe plurium qui et tributa pendant et imperata exsequantur: quæ quum ita sint, nos quidem dixerit aliquis non immerito magnis esse animis, ut qui longe a periculis absimus, hostes autem nostros causas habere timoris ac saluti suæ consulere oportere.

2. Tametsi autem non ignoro vos ista cogitantes et denuntiationem meam contemnere, et sperare his copiis totius Græciæ potiturós: mihi tamen hæc ipsa metum incutiunt, quippe qui videam florentissimas ut sibi persuaserunt civitates pessimis uti consiliis et eas quæ securissimæ sunt plurimis periculis circumveniri. In causa illud est, quod neque secundæ nec adversæ res ullæ mortalibus solæ contingunt, sed ita comparatum est ut opes et potentiam dementia et cum hac immodestia comitetur, inopiam autem et humilitatem prudentia et moderatio. Quare difficile judicatu est, utra istarum partium præoptanda sit, quam liberis quispiam suis relictam a se velit. Siquidem ex ea quæ deterior habetur res plerunque videmus incrementa sumere felicitatis, ex altera vero quæ præstantior putatur recidere solere in deterius. Quarum rerum exempla mihi præ manu sunt, plurima quidem ex privatis rebus ductis—eæ enim frequentissimis obnoxiæ mutationibus sunt—, verum enimvero majora et auditoribus evidentiora casus nostri et Lacedæmoniorum.

3. Nam et nos eversa urbe a barbaris ob cautam et diligentem rerum administrationem principes Græcorum evasimus, quum autem nos potentia esse præditos insuperabili putaremus, urbis excidium vix evitavimus: et Lacedæmonii ex ignobilibus olim et obscuris oppidulis progressi vitæ modestia et disciplina militari Peloponnesum subegerunt, post autem fastu et superbia elati et terræ marisque imperium adepti eadem quæ nos discrimina subierunt. Quisquis igitur hujusmodi mutationes non ignorat et, quum tantas opes tam subito eversas videat, præsenti statui tamen fidit, valde incogitans est, præsertim quum nostræ urbis res deteriore loco sint quam illo tempore, tum Græcorum odiis tum regis Persarum inimicitiis renovatis, quæ tum nos debellarunt.

4. Sum equidem animi dubius utrum existimem nulla vos affici reipublicæ cura, an, quum eam curetis, non tamen animadvertere in quantis turbis civitas nostra versetur. Nam ea rerum vestrarum forma et quasi facies est, ut et urbes Thracias omnes amisisse, et ultra mille talenta in stipendia militum profudisse, et Græcis suspecti esse et hostes facti barbaro, et Thebanorum amicos servare coacti, et nostros socios perdidisse videamini; ob hæc facta bis jam quasi re bene gesta supplicationes decrevimus, ac negligentius pro concione deliberamus quam ii quibus omnia secundissima acciderunt. Neque vero mirum est nos his tum actionibus tum casibus implicari: nihil enim rite ab ullis perfici potest, nisi de summa reipublicæ recte deliberarint; etsi enim nonnulla successerint seu fortuito seu virtute viri alicujus, paulo post tamen in easdem difficultates incurrunt. Id quod e nostris eventibus cernitur.

5. Quum enim universa Græcia post navale Cononis prælium et Timothei imperium in nostræ civitatis potestatem cecidisset, res secundas diutius retinere non potuimus, sed celeriter destruximus eas et dissipavimus. Rempublicam enim qua quicquam recte admi-

nistretur nec habemus nec consequi studemus. Atqui scimus omnes felicitatem potissimum et parare et retinere non eos qui maxima et pulcherrima sibi mœnia circumdederunt, aut qui maximam hominum turbam in locum eundem conduxerunt, sed eos qui suam urbem optime ac modestissime gubernant. Nec enim alia civitatis anima est quam forma reipublicæ, quæ vim eandem habet quam in corpore prudentia. Siquidem hæc est quæ de rebus omnibus deliberet, quæ et res secundas tueatur et calamitates evitet. Ad hanc et leges et oratores et homines privatos semet accommodare, et ea quosque fortuna uti necesse est, qualem habuerint civitatem. Quæ quum depravata sit nihil nos movet, neque de ea corrigenda cogitamus: sed in officinis quidem sedentes statum hunc accusamus, dictitantes in democratia nunquam fuisse rempublicam æque perturbatam, sed si res ipsa nostrique animi spectentur, magis ea delectamur, quam illa quæ nobis a majoribus fuit relicta. De qua ego verba faciam proptereaque me huc accessurum denuntiavi.

6. Nam hanc unam rationem invenio qua et imminentia pericula declinentur et mala urgentia removeantur, si eam democratiam revocare voluerimus, quam et Solon quo nemo fuit populi studiosior legibus suis constituit, et Clisthenes tyrannis ejectis populoque in urbem reducto in integrum restituit. Qua nec populariorem nec reipublicæ utiliorem reperiemus. Cujus illud argumentum est maximum: quod qui ea usi sunt, rebus multis præclare gestis et apud omnes maximam adepti gloriam, imperium a Græcis ultro delatum acceperunt; qui autem hanc concupiverunt, omnibus invisi et acerba multa perpessi, excidium et internecionem vix evitarunt. Quis vero eam politiam laudet aut amplectatur, quæ et antehac tot malis causam præbuit, et nunc quotannis præceps subinde fertur in deterius? Annon metuendum est, ne his calamitatum incrementis tandem in acerbiores clades quam olim, incidamus?

7. Ne vero summatim tantum hæc audieritis, sed singulis plane cognitis et rectius his de rebus judicetis et potiora eligatis, vestri quidem officii est me dicentem attente audire, ego vero quam potero brevissime conabor de harum utraque apud vos disserere.

8. Nam, qui civitatem illo tempore gubernabant, rempublicam instituerunt non quæ nomine quidem humanissimo et lenissimo appellaretur, reipsa vero experientibus alia videretur, nec quæ sic cives erudivit ut in petulantia democratiam, in legum neglectu libertatem, in confidentia æqualitatem, et in licentia quidlibet faciendi felicitatem esse positam existimarent, sed, quum tales odissent et punirent, cives universos meliores et modestiores effecerunt. Plurimum autem ad statum felicem civitatis illud eis conferebat, quod quum duo æqualitatis putentur esse genera, quorum alterum idem omnibus alterum singulis pro dignitate tribuit, non ignorarunt utra esset utilior, sed hac æqualitate quæ nullum discrimen inter bonos et improbos facit ut iniqua repudiata, illam quæ pro suo quemque merito et honorat et punit amplexi et in gerenda republ. secuti sunt; nec promiscue omnes ad societatem magistratuum admiserunt, sed optimum quemque et singulis muneribus obeundis aptissimum adhibito judicio prætulerunt. Nam ad eorum exemplum, penes quos summa rerum esset, etiam cæteros se comparaturos sperabant. Deinde populariorem putarunt hanc rationem quam quæ sorte magistratus creat: nam sortitionis gubernatrix fortuna est et sæpe magistratus contingunt paucorum potentiæ studiosis, quum autem integerrimi quique delectu habito potiores ferunt, in populi potestate est eos eligere qui præsentem statum maxime conservatum volunt.

9. Ut autem hæc multitudini placerent nullæque de magistratibus contentiones orirentur, in causa illud erat, quod laboribus et frugalitati assueverant; neque sua negligebant alienis inhiabant, nec e publico rem privatam stabiliebant, sed de suo quisque, quum res postulabat, rempubl. juvabat; nec melius sciebant quos e curia quam quos de suo reditus haberent. Quinetiam a vectigalibus civitatis tantopere abstinebant, ut illis temporibus difficilius esset invenire qui rempubl. capessere vellent quam nunc qui ejus administratione carere possint: nec enim reipublicæ curam negotiationem sed occupationem existimabant, nec a primo statim die computabant an priores magistratus sordidi aliquid lucelli reliquissent, sed multo magis an aliquid neglexissent quod primo quoque tempore conficiendum esset. Denique ut paucis absolvam, ita statuebant oportere populum tanquam dominum constituere magistratus et punire delinquentes et judicare de controversiis, iis autem qui otium agere possent quique haberent unde viverent ita curandam esse rempublicam tanquam servis, qui si munus suum recte administrassent, laudandos eos esse illo honore contentos, sin male rem gessissent, nullam eis veniam tribuendam, sed mulctas maximas irrogandas. Enimvero quænam aut firmior aut justior democratia invenietur ea, quæ potentissimos quosque summæ rerum præficit, et eorum ipsorum populum dominum constituit?

10. Ac respubl. eorum hoc modo fuit ordinata: unde facile intelligitur, eos etiam in quotidianæ vitæ ratione honestatis ac legum perpetuo fuisse studiosos. Aliter enim fieri non potest quin qui summæ rerum fundamenta rite jecerunt, etiam singulas partes recte quasi exædificent.

11. Ac primum quod ad deos immortales attinet — hinc enim ordiri fas — non inæqualiter non perturbate vel ipsos colebant vel eorum festa celebrabant; nec, quando visum eis esset, boum trecentarum pompam instituebant, alias levi quapiam de causa etiam patria sacra omittebant; neque peregrinas ferias, quibus epulæ

adhibentur, splendide agitabant, in templis autem religiosissimis de locationis reditibus sacrificabant; sed illud accurate observabant, ne a patribus acceptum quicquam vel abrogarent vel ultra consueta adjicerent. Nec enim magnitudine sumptuum religionem metiebantur, sed eorum rituum observatione quos eis majores tradidissent. Quapropter etiam diis mutua eorum cura fuit, ne tempestates temere ac tumultuose errarent, sed ut et ad agros colendos et ad fruges percipiendas accommodatæ essent.

12. Consimilem ad modum etiam inter sese agebant. Nec enim de republ. tantum consentiebant, sed in privata quoque vita sic alios alii curabant, ut cordatos viros decet et communitate patriæ devinctos. Nam et tenuiores cives adeo non invidebant ditioribus, ut æque solliciti essent de magnis familiis ac de suis, existimantes illorum divitias suas esse copias; et locupletes tantum aberat ut despicerent eos qui re minus lauta essent, ut civium inopiam dedecori sibi esse putantes illorum necessitatibus subvenirent, aliis agros colendos mediocri pecunia locando, alios ad negotiationem ablegando, aliis sortem ad alios quæstus suppeditando. Nec enim metuebant ne alterutrum sibi usuveniret, ut vel totius summæ jacturam facerent, vel magnis molestiis partem aliquam feneratæ pecuniæ recuperarent: sed non minus tutam putabant pecuniam aliis mutuo datam, quam domi repositam. Videbant enim de pactis judices non abuti lenitate, sed legibus obtemperare, neque sibi in aliorum periculis delinquendi securitatem præparare, sed magis irasci fraudantibus quam eos ipsos quibus fiebat injuria; nam qui fidem contractuum violarent, eos pauperibus censebant plus nocere quam opulentis; hos enim, si desinerent fenerari, parvis reditibus spoliatum iri, illos, si deessent qui opem ferrent, extrema inopia laboraturos. Itaque quum his animis essent, neque opes suas celabat quisquam neque contrahere cum aliis recusabat, imo libentius videbant eos qui mutuum petebant quam qui reddebant. Utraque enim illis usuveniebant, quæ prudentes homines expetenda censeant, ut simul et civibus prodessent et sua re familiari quæstum facerent. Et quod summum est ac ad civilem consuetudinem aptissimum, ut et possessiones in tuto essent iis qui eas jure tenebant, et usus earum communis civibus omnibus qui indigerent.

13. Fortassis autem erit qui hæc quæ diximus reprehendat, quod actiones illorum temporum laudem, causas autem, propter quas et inter sese tam pacate vixerint et urbem tam præclare gubernarint, non explicem. Ego vero etsi nonnihil ejus quoque generis me dixisse puto, plura tamen et dilucidius his de rebus disserere conabor.

14. Nam illi quidem, non ut puerilis institutionis magnam curam suscipiebant, sic adultis omnem quidvis agendi licentiam dabant, sed qui jam integra ætate erant diligentius observabantur quam in pueritia. Majores enim nostri modestiæ tantam rationem habuerunt, ut senatum Areopagiticum censuræ morum præfecerint, in quem ordinem admitti nefas erat nisi et honesto loco natos et virtute ac vitæ modestia spectatissimos, quare non mirum est eum senatum universis totius Græciæ conciliis antecelluisse.

15. Quæ autem olim ejus loci ratio fuerit, ex his quæ etiam hodie fiunt intelligitur: quum nunc etiam omnibus de delectu ac probatione prætermissis videamus, qui cæteris in rebus intolerabiles sint, ubi in Areopagum adscenderint, non audere naturæ suæ indulgere, sed illis institutis potius uti quam pravitati suæ immorari. Tantum illi metum improbis injecerunt, ac tam illustre suæ virtutis et modestiæ monumentum in eo loco reliquerunt.

16. Hunc igitur talem, ut dixi, senatum censuræ morum præfecerunt, qui quidem inscitiæ reos egit eos qui ibi præstantissimos viros fore putarent, ubi leges exquisitissimæ haberentur: quod si ita esset, nihil prohibere quominus omnes Græci æquales essent, quum proclive sit leges alios ab aliis exscriptas mutuari. Verum non eam rem virtutis afferre incrementa, sed quotidianæ vitæ consuetudinem: nam plerosque iis moribus similes evadere quibus singuli educati fuerint. Multitudinem autem et accuratiorem legum constitutionem signum esse mali status reipublicæ: nam, dum delicta quasi aggeribus objectis coercere conentur, necessario cumulari leges. Decere autem prudentes magistratus non porticus implere legibus, sed efficere ut cives animis insitum habeant justitiæ studium: non enim senatusconsulta aut plebiscita sed præclara instituta felicem efficere civitatem; nam homines male institutos leges etiam exquisitissimas negligere audere, qui autem recte et bene educati sint, eos demum simplicissimis legibus velle obtemperare. Hæc illi cogitantes non primum spectabant quibus modis immodestos punirent, sed qua ratione cives adduci possent ut ne quid vellent pœna dignum admittere: hoc enim ad se pertinere existimabant, suppliciis infligendis invigilare hostium esse.

17. Curabant igitur cum omnes cives, tum vero adolescentes in primis. Videbant enim eam ætatem turbulentissimis affectibus agitari et plurimis redundare cupiditatibus, maximeque necessarium esse ita illam institui ut honestis studiis et temperatis voluptate laboribus gauderet: eos enim qui liberaliter educati et magnitudini animorum assuefacti essent, in solis illis rebus perseveraturos. Universis porro easdem exercitationes præscribere in tanta rei familiaris inæqualitate non potuerunt: sed ut singulorum facultates ferebant, ita singulis præcipiebant. Nam tenuiores ad agriculturam et negotiationes deducebant, non ignari et inopiæ causam esse pigritiam et ad facinus inopia plerosque impelli; quare fonte

malorum sublato etiam cætera delicta quæ inde velut ebullirent censebant posse præcaveri: locupletes autem animum ad rem equestrem, ad gymnasia, ad venationes et philosophiam adjungere cogebant; hoc enim eam vim habere perspiciebant, ut alii virtutibus excellerent, alii flagitiis plurimis abstinerent.

18. Neque contenti solas leges tulisse de cætero negligentes erant, sed civitate in tribus, agro in municipia distributo, uniuscujusque vitam spectabant et immodestos in senatum ducebant: is vero alios monebat, aliis minitabatur, alios ut par erat puniebat. Duas enim sciebant esse rationes quæ et ad injurias incitarent et a sceleribus revocarent: nam apud quos nemo studium habeat flagitia vel cavendi vel puniendi, ubi nulla severa judicia exerceantur, ibi etiam bona ingenia corrumpi; ubi autem delinquentes neque facile delitescant neque convicti veniæ spem habeant, ibi demum naturæ morumque pravitatem paulatim aboleri. Illi igitur his cognitis utraque re cives in officio continebant et pœna et diligentia: tantum enim aberat ut laterent eos hi qui deliquissent, ut ante animadverterent quosnam verisimile esset peccaturos esse. Quare non in lustris adolescentes aleam ludebant, nec versabantur apud tibicinas, aut in hujusmodi conventiculis in quibus nunc totos dies conterunt: sed iis studiis immorabantur quibus erant destinati, et qui principem in illis locum tenebant, eos admirabantur et æmulabantur. Forum autem ita fugiebant, ut si quando transire cogerentur, id magna cum verecundia et modestia facere viderentur. Senioribus vero adversari aut maledicere gravius esse putabant quam nunc parentes violare. Jam in caupona edere aut bibere nemo ne frugi quidem servus audebat: gravitati enim, sed non scurrilitati, studebant. Et homines dicaces et ad irridendum paratos, quos nunc facetos vocant, illi calamitosos judicabant.

19. Neque vero me quisquam existimet iratum esse isti ætati. Neque enim quicquam harum rerum adolescentibus est imputandum, et plurimos eorum scio ista ratione minime delectari, qua impune licet tam petulanter agitare: quare iniquum fuerit eis succensere, sed illi potius accusandi sunt qui paulo ante nos rempublicam gesserunt. Isti sunt qui huic licentiæ fenestram fracta senatus auctoritate patefecerunt.

20. Penes quem dum summa rerum esset, non accusationibus, non criminationibus, non exactionibus, non paupertate, neque bellis civitas redundabat, sed cives et inter se concordes et tranquilli erant et cum aliis universis pacate vivebant. Præbebant enim se et Græcis fideles et barbaris formidabiles. Nam illos quidem conservarant, hos autem sic ulti erant, ut bene secum agi putarent si nullis præterea malis afficerentur. Unde etiam factum est ut in magna securitate degerent, et pulcriora ac sumptuosiora essent ædificia et apparatus in agris quam intra mœnia, multique civium nec in solennibus festis in urbem descenderent, sed sua re familiari quam publicis spectaculis frui mallent. Nec enim illa quorum gratia venisset aliquis, luxuriose aut superbe, sed cordate instruebant. Neque felicitatem pomparum aut ædilitiorum munerum contentionibus aut simili quapiam insolentia metiebantur, sed quotidianæ vitæ modestia et tali rerum necessariarum copia ut ne qui cives egerent. Quibus e rebus æstimandi sunt vere felices et non importune gerentes rempublicam: nam quis quæso vir prudens est ut nunc quidem res habet, quem hic status non magno dolore afficiat? quum viderit civium quosdam, an ipsi habituri sint ad victum necessaria necne, ante prætoria sortem ducere, et e Græcis eos qui remos agere voluerint ali jubere, in aureis vestimentis saltare, inque talibus hybernare qualia ego dicere nolo: sicut et alia multa prætereo, quæ inter sese minime consentiunt in hac gubernatione ac magnum dedecus reipublicæ imprimunt.

21. Quarum rerum illo senatu nihil erat: levabat enim is inopia tenuiores, negotiationibus et locupletum adjumentis, juventutis intemperantiam honestis institutis et acri animadversione coercebat, magistratuum avaritiæ frenos injiciebat suppliciis et indagatione solerti injuriarum, senibus animi dejectionem excutiebat honoribus gerendorum magistratuum et adolescentum observantia. Quæ igitur per deos immortales respublica melius constitui queat ea quæ rerum omnium curam tam diligentem suscepit?

22. Ac instituta quidem illius ætatis pleraque recensuimus: si quæ vero prætermisimus, illorum quoque consimilem fuisse rationem de hisce facile intelligitur.

23. Non defuerunt autem qui audita hac oratione tum me maximis laudibus extulerint, tum majorum nostrorum felicitatem prædicarint qui hanc gerendæ reipublicæ rationem secuti essent, non tamen existimarint vos eam æmulaturos, sed fore ut vi consuetudinis impulsi malitis isto rerum statu acerba complura perpeti quam emendatione reipublicæ vitam degere feliciorem: addebant etiam esse mihi periculum, ne dum optima consulerem infensus plebi et oligarchiæ instituendæ cupidus viderer.

24. Ego vero, si de rebus ignotis et non communibus verba facerem, et ad illas constituendas vos indicto concilio creare consessores aut scribas deligere juberem, per quos antehac popularis status abrogatus est, jure hoc nomine accusarer: nunc tale nihil dixi, sed de gubernatione disserui non occulta sed omnibus manifesta, quam scitis omnes et patriam vobis esse et cum reipublicæ nostræ tum cæteris Græcis plurimas peperisse utilitates, atque etiam ab iis viris sancitam et constitutam, quos nemo est quin omnium civium maxime fuisse populares fateatur. Quare mecum iniquissime ageretur, si talis reipublicæ suasor novarum rerum cupidus existimarer.

Deinde vel ex eo mea mens facile perspicitur; quod e plerisque meis orationibus apparet oligarchias et injustas prærogativas a me vituperatas, æqualitatem vero et democratias laudatas esse, non quidem omnes, sed recte ordinatas, neque id a me factum esse temere aut fortuito, sed jure atque prudenter. Nam et majores nostros ea ratione longe aliis præstitisse, et Lacedæmoniorum ob hoc maxime rempublicam scio florere, quod populari statu maxime utuntur. Nam et in magistratuum creatione et in quotidianæ vitæ consuetudine cæterisque studiis apud eos æquitatem et æqualitatem plus valere videmus quam apud cæteros: quæ quidem instituta uti sunt oligarchiis contraria, sic in bonis democratiis usitata.

25. Quod si rem accurate perpenderimus, clarissimis et maximis civitatibus democratias utiliores oligarchiis esse inveniemus: etenim vel nostram rempublicam, quæ ab omnibus reprehendi solet, si conferatur non cum ea quam modo recensui, sed cum illa quæ triginta tyrannorum temporibus exstitit, nemo erit quin divinitus esse factam arbitretur.

26. Lubet autem, licet ab instituto alienum videri queat, significare et commemorare quantum inter hanc nostram et illam intersit, ne me quis existimet in populi delicta quidem severius inquirere, si quid autem præclare magnificeque ab eo gestum sit, præterire. Erit autem hæc commemoratio neque prolixior nec inutilis audientibus.

27. Nam quum navibus ad Hellespontum amissis illas respublica calamitates accepisset, quis e natu majoribus ignorat eos qui populares vocabantur quidvis perpeti pro tuenda libertate fuisse paratos, atque indignissimum judicasse eam civitatem quæ Græcis imperasset aliorum imperio parere [et hos quidem hostes judicatos], paucorum autem potentiæ studiosos non recusasse quominus et mœnia diruerent et servitutem se traderent? Ac tum quidem, quum summa rerum penes multitudinem esset, nos aliorum arcibus imposuisse præsidia, quum autem Triginta illi rempubl. gererent, ab hostibus nostram arcem occupatam? Illo tempore Lacedæmonios fuisse nostros dominos, postquam vero exsules reversi pro libertate pugnare ausi fuerunt et Conon prælio navali vicit, legatos ab eis venisse qui nostræ civitati maris darent imperium? Jam quis meorum æqualium non meminit, in illa democratia urbem sic exornatam fuisse et templis et sacrificiis, ut qui etiamnum huc adveniunt eam esse dignam censeant non Græciæ tantum sed totius etiam orbis imperio? Triginta vero tyrannos et sacrificia neglexisse, et fana expilasse, et navalia tribus talentis destruenda vendidisse, quæ reipublicæ non minus mille talentis constiterunt? Ac ne clementiam quidem illorum quisquam laudarit magis quam populi. Nam illi quidem ex senatusconsulto summa rerum potiti M et

ccccc cives indicta causa occiderunt, inque Piræeum amplius quinque millia fugere coegerunt: hi autem consecuti victoriam et armis recuperata patria, non nisi nocentissimis e medio sublatis, suas controversias ea moderatione animorum et æquitate composuerunt, ut qui cæteros ejecerant æquali jure cum iis viverent qui sese ipsi restituissent.

28. Illud certe maximum est et pulcherrimum æquitatis et mansuetudinis populi argumentum: nam iis qui in urbe remanserant talenta C a Lacedæmoniis ad eos obsidendos qui Piræeum occuparant mutuatis, indicta de reddenda pecunia concione, quum multi æquum esse dicerent ut Lacedæmoniis satisfacerent non ii qui obsidionem tolerassent sed qui mutuo sumpsissent, populus ut communiter ab omnibus solutio fieret decrevit. Enimvero quum his animis essent, in tantam nos concordiam redegerunt et sic rempublicam auxerunt, ut Lacedæmonii, qui in oligarchia singulis fere diebus nobis aliquid imperabant, in democratia supplices orarent ne se [a Thebanis] funditus exscindi pateremur. Ad summam utrisque hoc propositum, hoc constitutum ac deliberatum fuit; ut alteri civibus imperare, hostibus servire vellent, alteri aliis imperare, cum civibus pari et æquo jure vivere studerent.

29. Hæc duabus de causis recensui, primum ut ostenderem me nec oligarchiæ nec ullius injustæ prærogativæ suasorem esse, sed rempublicam justam et modestam desiderare; deinde ut perspiceretur et male constitutas democratias pauciores gignere calamitates, et eas quæ bene administrantur hoc ipso excellere quod et justiores sint et humaniores et civibus jucundiores.

30. Sed aliquis fortasse mirabitur, quid in mentem mihi venerit, qui vobis auctor esse non dubitem ejus reipub. quæ tanta et tam præclara fecerit mutandæ, alias tantopere democratiam laudem, alias temere mutata rursum sententia præsentem statum increpem et reprehendam.

31. Ego vero etiam privatos homines, qui pauca recte agunt, in multis delinquunt, accuso et deteriores existimo quam deceat: eos item, qui ex integerrimis viris nati hominibus nequissimis et improbissimis paulo quidem probiores sunt, sed a virtute parentum longe degenerarunt, vitupero, eosque monitos velim ut tales præbere se desisterent. Idem et de statu publico sentio: opinor enim nullam nobis causam esse cur superbiamus et præclare nobiscum agi putemus, si paulo major sit apud nos legum reverentia quam apud homines illos nefarios et insanos, sed indignari potius ac ægre ferre debemus nos majoribus nostris esse deteriores: nec enim cum triginta tyrannorum improbitate, sed cum horum virtute certandum nobis est, præsertim quum bonitate universis mortalibus nos deceat antecellere.

32. Ad hunc modum non nunc primum, sed sæpe jam et apud multos, disserui. Nam in singulis aliis locis peculiari quodam genio fructus et arbores et animantium innasci genera scio quæ longe aliis præstent: nostram autem tellurem viros gignere et educare posse, tum ad artes tractandas et res gerendas et literas excolendas ingeniosissimos, tum fortitudine et virtute præstantissimos. Idque et ex vetustis præliis judicandum est, quæ cum Amazonibus et Thracibus et Peloponnensibus universis commiserunt, et e periculis quæ bellis Persicis adierunt, in quibus et soli et Peloponnensibus sociis, tum pedestribus tum navalibus pugnis, barbaris superatis præter cæteros fortitudinis laudem clarissimis facinoribus editis meruerunt. Neque vero quicquam ejusmodi fecissent, nisi natura longe aliis præstitissent.

33. Cæterum nemo putet ad nos qui nunc urbem tenemus laudationem hanc pertinere, longe aliter se res habet. Nam tales orationes ut iis laudi sunt qui se dignos virtute majorum præbuerunt, sic ad eos accusandos valent qui nobilitati suæ ignavia et flagitiis labem aliquam adsperserunt. Id quod nos facimus: nec enim dissimulanda veritas est: quum enim talis nobis natura esset, eam non conservavimus, sed in amentiam incidimus et tumultum et malarum rerum cupiditatem. Verum si dicendo pergam res præsentes reprehendere et ea quæ nunc geruntur accusare, vereor ne longius ab instituto aberrem.

34. Ac de illis quidem rebus et ante diximus, et iterum dicemus: nisi vobis persuasero ut talibus delictis modum faciatis: de his autem quæ ab initio institui ubi pauca disseruero, locum dabo aliis si qui præterea dare consilium volent.

35. Nos si rempublicam ita geremus ut nunc fit, aliter fieri non poterit quin consimilem ad modum et consultemus et belligeremus et vivamus et fere omnia tum feramus tum faciamus, quæ et impræsentia et olim acciderunt: sin rempublicam mutaverimus, eadem ratione consentaneum est, tales nostras quoque res fore, quales majorum nostrorum fuerunt; ex eadem enim gubernandi ratione actiones etiam semper æquales et consimiles exsistere necesse est.

36. Deliberandum itaque maximarum rerum contentione facta, utræ nobis sint eligendæ. Ac primum videndum quomodo tum Græci tum barbari erga illam politiam affecti fuerint, et qui nunc illorum animi sint erga nos: nec enim hæc duo hominum genera minimam partem conferunt ad felicitatem, si de nobis bene senserint.

37. Græci igitur sic illo tempore nostris magistratibus fidebant, ut eorum plurimi ultro nostræ civitati se traderent: barbari vero tantum aberant ut se rebus Græcorum admiscerent, ut neque longis navibus cis Phaselidem accederent, neque cum exercitu intra Halyn amnem descenderent, sed in summo otio se continerent. Nunc eo res redierunt, ut alteri nostram urbem oderint, alteri nos contemnant. Ac de Græcorum quidem odio prætores ipsos audivistis: rex Persarum autem suum erga nos animum literis missis declaravit.

38. Etiam illud addendum est, dum ille præclarus ordo in republica servabatur, ita cives ad virtutem fuisse institutos, ut inter ipsos nullæ molestiæ orirentur, sed ut omnes eos qui in Atticam impetum fecissent pugnando superarent. Nos contra alios alii lacessere nullum diem intermittimus, rem vero militarem ita negligimus, ut nec militiæ dare nomina audeamus, nisi accepta pecunia. Et quod maximum est: eo tempore nemo civis rei familiaris penuria laborabat, neque ab obviis stipe roganda urbem probro afficiebat, nunc plures sunt qui egeant quam qui rem habeant; quibus profecto vitio verti non debet, si rempublicam nihil omnino curant, sed semper in hoc unum sunt intenti, quibus rationibus urgentem quotidie famem depellere liceat.

39. Ego itaque quum nos putarem, si majores nostros imitaremur, et his malis liberatum iri, nec nostræ tantum civitati sed universis etiam Græcis fore saluti, ea de causa et huc accessi et hanc orationem habui: vos autem his omnibus consideratis ea decernitote quæ e republica fore maxime videantur.

ISOCRATIS
DE PACE VEL SOCIALIS.

ARGUMENTUM
INCERTO AUCTORE.

Missus Chares ad Ampipholim, quæ tum libera suique juris erat, subigendam (nam et Lacedæmonios afflixerat clades Leuctrica, et Athenienses parum poterant), quum se illius urbis quovis tempore facile potiturum crederet ac veteris potentiæ Atheniensibus restituendæ cupidior esset, Chios et Rhodios cæterosque socios bello adortus, et illis resistentibus victus est, ita ut inops consilii nesciret quo se verteret: nam, si omissis illis Amphipolim petiisset, ipsi Atticam invasuri erant ad ulciscendas injurias. His Athenienses auditis pacem petierunt, quam Chii et Rhodii cæterique statim dederunt. Et hoc bellum illud est quod Sociale dicitur. Quum igitur indicta concione de bello componendo deliberaretur, Isocrates in medium progressus suadet omissis negotiis non necessariis otium esse complectendum. Bipertita est oratio: id enim agit, partim ut Chiis cæterisque sociis libertas permittatur, partim ut maris imperio abstineatur. Contra posteriorem hanc partem fertur Aristides edidisse orationem qua huic de pace inscriptæ contradicit. Hæc summa orationis est, præcipuum argumentum ab utili ducitur, deliberativi generis est oratio quum pax suadeatur. Quod si quando communi exordio uti cogeris, tractationem tamen peculiarem, ut hic fecit Isocrates, adhibeto; nam illud quidem de magnis rebus, pace nimirum et bello, deliberatur commune est; quum autem additur, tametsi omnes hoc modo exordiri solent, novitas orationi elegantissime conciliatur.

ALIUD ARGUMENTUM
EX DIONYSIO HALICARNASSEO.

Quisnam vehementius ad colendam justitiam et pietatem, cum singulos privatim tum publice totas civitates adhortari queat, quam scripta de pace oratio? Qua suadet Atheniensibus ne aliena appetant, sed suo contentos esse jubet, et parvis oppidis tanquam fundis suis parcere, ac socios in officio beneficiis, non vi et necessitate, continere, e majoribus autem imitari non eos qui ante bellum Decelicum propemodum civitatem evertissent, sed illos qui ante bellum Persicum perpetuum virtutis studium habuerunt. Ostendit non multitudine triremium aut imperio in Græcos per vim exercendo rempublicam augeri, sed justis potius consiliis injuriisque prohibendis. Benevolentiam Græcorum, quam ad beate vivendum plurimum conferre existimat, civitati ut concilient in primis hortatur, et ut ad bellum quidem parati sint et instructi, sed pacis ita studiosi ut neminem ullis injuriis afficiant, quod neque ad parandas opes neque ad gloriam neque denique ad felicitatem quicquam tantum conferat quantum virtus et ejus partes; eos autem qui aliter sentiunt reprehendit, qui existiment injustitiam quidem esse callidam, et ad quotidianam vitam utilem, justitiam vero incommodam et aliis quam his qui ea præditi sint conducibiliorem. Equidem ignoro an quisquam orationes vel meliores vel veriores vel magis philosophiæ consentaneas habere possit.

1. Solent omnes qui ex hoc loco verba faciunt ea dicere, de quibus ipsi consilium daturi sint, maximi esse momenti et reipubl. plurimum interesse: verum si ullis aliis negotiis tale convenit exordium, eo nobis in præsentia vel in primis utendum esse censeo. Nam in hoc conventu de pace et bello deliberatur, quæ duæ res maximas in vita mortalium vires habent, aliisque feliciores necessario reddunt eos a quibus prudenter administrantur. Tanta igitur res nunc agitur.

2. Vos tamen video non simili studio omnium orationes audire, sed aliis auscultare, aliorum ne vocem quidem tolerare. Id quod equidem nihil miror: nam superiori etiam tempore soliti fuistis cæteros omnes ejicere, præter eos qui cupiditates vestras defenderent. In quo certe reprehendendi estis; nam quum multas et magnas familias ab assentatoribus funditus eversas esse sciatis, et privatis in rebus eos qui ista arte sunt oderitis, in republica non eodem modo in illos estis animati, sed, quum eos reprehendatis qui istos admittunt eorumque consuetudine delectantur, vos ipsos plus illis credere quam reliquis civibus apparet. Etenim ipsi effecistis ut oratores meditentur et exquirant non ea quæ futura sint e republ., sed ut orationes habeant vobis gratas: ob quas etiam nunc eorum multitudo confluxit. Omnibus enim perspicuum erat vos iis studere magis qui ad bellum adhortentur quam his qui pacem suadeant. Nam illi quidem spem faciunt et possessionum quæ sunt in urbibus recipiendarum et veteris potentiæ recuperandæ; hi tale nihil ostentant, sed quiescendum esse dicunt neque res magnas per injuriam appetendas, sed in iis quæ adsunt quiescendum, quo maximæ hominum parti factu nihil est difficilius. Sic enim e spe plerique pendemus et insatiabili cupiditate rerum quæ aliquam vel injusti lucri speciem habent tenemur, ut ne locupletissimi quidem suis opibus contenti sint, sed in appetitione majorum copiarum partas opes in discrimen adducant. Et quidem providendum est, ne in similem nos quoque amentiam incidamus: nimis enim mihi quidam ad bellum videntur incitati, non quasi plebeius aliquis consuluisset, sed tanquam deus quispiam prosperrima quæque nobis et facilem hostium victoriam promisisset.

3. Est autem prudentium hominum de his quæ comperta habent non deliberare — supervacaneum enim fuerit —, sed quæ decreverint maturare; at quibus de rebus consultant, eas non exploratas sibi esse putare, sed conjectura uti, et in fortunæ arbitrio eventum esse positum existimare debent. Quorum vos neutrum facitis, sed in quanta maxima fieri potest versamini perturbatione. Nam ita quidem convenistis quasi ex omnium sententiis id sit eligendum quod sit e republ. maxime, sic autem, tanquam satis jam noveritis quid factu sit optimum, nonnisi eos audire vultis qui ad gratiam

concionantur. Enimvero decebat vos, si publicam utilitatem spectaretis, attentius eos audire qui voluntatibus vestris adversantur quam illos qui assentantur omnia; nec enim ignoratis, ab his qui ea quæ vultis ex hoc loco dicunt facile vos posse decipi — nam ad voluptatem audientis instituta oratio quasi tenebras circumfundit quominus id quod utilissimum est perspiciatis —, ab his autem qui consulendo vestram gratiam non aucupantur nihil est tale metuendum: nullo enim modo vos a sententia abducent, nisi quid expediat evidentissime demonstrarint. Præterea qui fieri potest ut ulli vel de præteritis recte judicent vel de futuris prudenter deliberent, nisi contrarias inter se rationes conferant, et æquos utrisque auditores se præbeant?

4. Miror equidem neque senes adhuc meminisse, neque adolescentes e quoquam audivisse, per eos qui pacem retinendam esse monuerunt nihil unquam nobis accidisse mali, eos autem qui bella temere susceperunt nos in multas jam et magnas clades conjecisse. Quæ nos minime in memoriam revocamus, sed, quum rebus nostris ea ratione haud consulatur, tamen parati sumus et classem in mare deducere et tributa conferre et auxiliari et bella inferre quibusvis, quasi alienæ urbis periculo dimicemus. Hujus rei causa hæc est, quod quum respublica non minori curæ vobis esse debeat quam privata, erga illam non eodem animo affecti estis, sed quum vestris de rebus deliberatis, in consilium adhibetis eos qui prudentia vobis antecellunt, quum autem de republica convenistis, talibus quidem diffiditis et invidetis; improbissimos vero eorum qui suggestum conscendunt colitis et populariores esse ducitis ebrios quam sobrios et amentes quam cordatos et eos qui publicam pecuniam distribuunt quam hos qui de sua re familiari munera vobis obeunt. Quare mirum est, quenquam esse qui speret dum hi consultores audiuntur melius actum iri cum republica.

5. Ego vero quam arduum sit adversari vestris cupiditatibus non ignoro, et, quum popularis respublica sit, non esse libertatem, nisi hic stolidissimis vestrique contemptoribus, in theatro comœdiarum actoribus — idque omnium acerbissimum est, in majore apud vos eos esse gratia qui delicta urbis nostræ foras ad alios Græcos efferunt, quam eos qui de vobis bene merentur, his vero qui castigant aut monent ita infensos et iniquos esse vos, quasi contra rempublicam fecissent —: quamvis igitur hæc ita sint, non tamen ab instituto meo recedam. Non enim huc prodii gratificandi gratia aut magistratus ambiendi causa, sed ut ea quæ sentio dicerem primum de iis de quibus consules referunt, postea de cæteris reipublicæ negotiis: nec enim ulla erit decretæ pacis utilitas, nisi cæteris etiam rebus recte consuluerimus.

6. Pacem igitur esse faciendam censeo non modo cum Chiis et Rhodiis et Byzantiis, sed cum universis hominibus, et pactionibus utendum non his quas nunc quidam scripserunt, sed illis quæ cum rege Persarum et Lacedæmoniis intercesserunt, quæ jubent Græcos esse liberos et præsidia ex alienis urbibus deduci et suas singulos civitates tenere. His enim neque justiores reperiemus neque reipublicæ utiliores.

7. Scio equidem, si hic dicendi finem fecero, me visum iri opes et dignitatem reipublicæ imminuere; quis enim æquum esse censeat ut Thebani Thespias et Platæas cæterasque urbes quas contra jusjurandum occuparunt teneant, nos vero nulla coacti necessitate iis quas habemus cedamus? sed si ab initio ad finem usque me disserentem attente audieritis, summæ amentiæ opinor et insaniæ condemnabitis eos qui injustitiam lucrosam esse putant et alienas urbes vi tenent, neque considerant quantæ calamitates consequi soleant. Et hæc sunt quæ per totam orationem vobis ostendere conabor.

8. Primum autem de pace disputemus, ac dispiciamus quidnam illud sit quod in præsentia expetamus. Quo vere prudenterque constituto, de aliis quoque, in hoc negotium velut exemplar quoddam intuentes, rectius consultabimus.

9. An vero non bene agi nobiscum statuemus, si et respublica nostra in tuto collocetur et eorum quæ ad vitam degendam attinent copiis augeamur et inter nos ipsi consentiamus et apud Græcos cæteros gloria floreamus? Ego certe quidem existimo, si hæc nobis contigerint, urbem nostram fore felicissimam. At bellum his rebus omnibus nos spoliavit: nam et opes nostras minuit, et in pericula multa nos conjecit, et apud Græcos in odium adduxit, omnibus denique modis afflixit. Si autem pace facta ea præstiterimus quæ communi fœdere præcipiuntur, et republica nostra sine ullius periculi metu fruemur, liberati bellis et pugnis et inter nos excitato nunc tumultu, et indies opes nostras augebimus, levati tributis et trierarchiis aliisque belli muneribus, et agros secure colemus et mare navigabimus et alia negotia tractabimus quæ nunc propter bellum neglecta jacent. Urbis præterea reditus conduplicari videbimus, et mercatores et hospites et inquilinos, qui nulli nunc adsunt, frequentes huc confluere. Et, quod maximum est, socii nobis erunt omnes homines, non coacti sed volentes, neque illi nos in rebus secundis observabunt propter potentiam, in periculis deserent, sed vere et sancte societatem atque amicitiam colent. Adhæc, quæ nunc bello et magnis sumptibus recuperare non possumus, ea per legatos facillime recipiemus. Nec enim putetis vel Cersobleptem propter Chersonesum vel de Amphipoli Philippum bellum facturum, si a rerum alienarum cupiditate nos esse viderint alienos. Nam nunc quidem — nos enim opibus nostris non contentos plura semper appetere cernunt — non injuria metuunt nostram urbem et suis

regnis vicinam esse nolunt, si vero mutatis nostris moribus melius de nobis existimare cœperint, non tantum nostra sibi non vendicabunt, sed et de suo nobis aliquid largientur: est enim eis utile futurum ut florentis nostræ civitatis amicitia freti suis imperiis secure potiantur. Quinetiam Thraciæ tantam partem vendicare nobis poterimus, ut non nobis tantum victus abunde suppetat, sed egentium quoque Græcorum necessitatibus et ob paupertatem incertis sedibus vagantium consulatur. Nam quum Athenodorus et Callistratus, alter homo privatus, alter etiam exsul, urbes condere potuerint, quanto nos magis, modo velimus, talia loca multa occupabimus? Longe autem gloriosius est eos qui Græciæ principatum sibi vendicant talium operum duces et auctores esse quam bella conflare et conductitios exercitus alere, quæ nunc nos appetimus.

10. Ac de is quæ legati pollicentur, et hæc sufficiunt, et plura adjungi possunt: sic autem censeo, non tantum decreta pace e concione abeundum, sed inita etiam ratione qua eam conservemus, neque committendum ut more nostro non multo post iisdem tumultibus agitemur, aut moram duntaxat aliquam his malis producamus, sed operam esse dandam ut eis omnino liberemur. Quarum rerum nihil fieri poterit, priusquam persuaderi vobis patiamini plus utilitatis et lucri esse in tranquillitate quam in conatu supervacaneo multarum rerum, et justitiam præstare injuriæ, suarumque rerum curam appetitioni alienarum. Quibus de rebus quum oratorum nemo unquam apud vos verba facere ausus fuerit, orationis meæ maxima pars in his ipsis consumetur: hinc enim pendere felicitatem video, et non in iis sitam esse rebus quas nunc agitamus. Omnino autem necesse est eum, qui a consueta dicendi ratione recesserit et a sententia vos deducere studuerit, multarum rerum facere mentionem et prolixiori oratione uti, et alia vobis in memoriam redigere, alia reprehendere, quædam laudare de nonnullis consilium dare: quæ si quis omnia præstiterit, tamen haud illi promptum erit vos ad meliorem mentem revocare.

11. Sic enim res habet. Mea quidem sententia universi mortales utilitatis suæ studiosi sunt et in eo elaborant ut plus possint aliis, verum quibus rationibus id assequantur, in eo falluntur plerique et differunt inter se opinionibus: nam alii recte judicant et bono consilio id deligunt quod est rebus atque temporibus maxime accommodatum, alii a ratione utilitatis toto (quod aiunt) cœlo aberrant. Id quod etiam nostræ civitati usuvenit. Nam in ea sumus opinione, si multis triremibus mare teneamus et urbes tributa pendere cogamus atque huc mittere assessores, nos aliquod fecisse operæpretium: in quo sane a veritate aberravimus, et spe nostra prorsus frustrati sumus; nam illæ ipsæ res et inimicitiarum et bellorum et multorum sumptuum causæ nobis exstiterunt; neque vero

mirum id est: nam prius etiam hujusmodi inquieta consilia nos in extrema discrimina conjecerunt; dum autem publice justitiæ studeremus, dum opem ferremus oppressis, dum nihil alienum concupisceremus, Græci principatum ultro nobis detulerunt: quos nunc longo jam tempore inconsiderate nimisque petulanter contemnimus.

12. Quidam enim eo dementiæ venerunt, ut existiment injustitiam probrosam quidem esse, sed afferre lucrum et in quotidiana vita cum primis esse conducibilem, justitiam vero etsi laudari soleat, nihil emolumenti parere et aliis utiliorem esse quam iis qui ea præditi sunt; verum illi non intelligunt neque ad parandas opes neque ad gloriam consequendam neque ad rem bene gerendam nec denique ad felicitatem adipiscendam tantam esse vim in injuria, quanta est in virtute et ejus partibus. Nam his bonis quæ animo insunt, etiam cæteras utilitates quibus opus est paramus: quare qui mentem suam negligunt, hi non animadvertunt se id negligere ut aliis neque rectius sentiant nec meliore fortuna utantur. Atque adeo mirum mihi videtur esse qui putent eos, qui in proposito et constantia colendæ pietatis et justitiæ labores suscipiant et pericula adeant, deteriore conditione fore quam improbos, nec in majore quam alios tam deorum quam hominum gratia futuros. Ego vero persuasum habeo solos hos iis rebus antecellere quæ veras utilitates pariant, reliquos falsa quadam et inani specie boni gloriari. Nam, qui injustitiam pluris faciunt et summum bonum in eo ponunt ut alienis opibus potiantur, eos similes esse video feris quæ inescantur, ac initio quidem his quæ prehenderint cum voluptate frui, sed paulo post in maximis esse malis: eos autem qui pietatem et justitiam colunt et perpetuo in tuto esse et de reliquo ævi spatio universo spem habere meliorem. Quæ si non in omnibus ita evenire consueverunt, at plerunque hoc modo fiunt. Est autem cordatorum hominum officium, quoniam quid profuturum sit semper non perspicimus, quod frequentius prodest, id amplecti. Quid autem est eorum opinione absurdius, qui quum honestiorem et deo gratiorem existiment justitiam injuria, eorum qui illa utuntur vitam fore miseriorem censent quam eorum qui se improbitati manciparunt?

13. Vtinam vero tam facile esset auditores amore virtutis inflammare, quam eam facile est collaudare: nunc metuo ne frustra hæc a me dicantur. Corrupti enim et depravati sumus jam longo tempore ab hominibus quorum omne artificium in decipiendo consumitur, quique populum usque adeo contemnunt ut, quum largitionibus ipsi corrupti bellum aliquibus inferre student, majores esse imitandos audeant dicere, neque committendum ut ludibrio simus aliis aut ullis mare pateat qui vobis pendere tributa nolint.

14. Ego vero perquam ex illis audire cupio, quorum superioris ætatis hominum nos similes esse jubeant? Eorumne qui circa bel-

lum Persicum fuerunt, an illorum qui ante obsidionem Decelicam rempublicam gesserunt? Quod si hos imitari jubent, quid quæso suadent aliud quam denuo periculum excidii esse adeundum? sin illorum vos similes esse volunt qui in Marathone barbaros vicerunt vel eorum qui ante illos fuerunt, annon sunt omnium impudentissimi, quum eos laudent qui tum rempublicam gesserunt et nunc contraria nobis facienda censeant, et ad ea delicta vos impellant de quibus quid faciam equidem dubito, utrum, ut in cæteris, id quod res est dicam, an metu vestræ offensionis illa silentio prætereаm?

15. Nam potius quidem esse judico de iis disserere: sed idem vos iis solere gravius irasci video qui reprehendunt quam iis qui vos in calamitates conjecerunt. Verum, utcunque res ceciderit, turpe mihi duco meæ famæ potius quam publicæ salutis rationem ducere. Ut igitur et meum et cæterorum qui rempublicam curant officium est ea dicere non quæ auditu jucundissima, sed quæ utilissima factu sunt: sic vos contra statuere debetis, quum morborum corporis multæ et variæ curationes sint a medicis inventæ, animis cæcis et malarum cupiditatum plenis unicum superesse remedium, orationem nempe quæ libere delicta reprehendat; deinde quid absurdius est quam ustiones et sectiones medicorum tolerare, ut pluribus cruciatibus liberemur, orationes autem, antequam plane cognitum sit an eam vim habeant ut audientibus prosint, improbare?

16. Hæc eo præfatus sum, quod de cæteris sine omni dissimulatione et prorsus aperte apud vos dicere decrevi. Quis enim obsecro est qui peregre adveniens et nostri erroris expers adhuc, si his rebus de improviso interveniat, non delirare nos et insanire arbitretur? qui quum res præclare a majoribus gestas laudi nobis ducamus et rempublicam nostram eo nomine celebrare possimus, tantum abest ut eos ulla ex parte imitemur, ut plane contraria faciamus? Nam illi quidem pro Græcis contra barbaros pugnare non destiterunt, nos vero eos qui in Asia victum quæritabant huc retractos contra Græcos duximus: illi, dum Græcis urbibus libertatem restituunt, dum opem ferunt, Græciæ principatum acceperunt, nos, qui easdem servitute premimus, qui plane diversum agimus, indignamur eundem honorem nobis non haberi, quum inter dicta et facta nostra atque illorum tantum intersit, ut ipsi pro conservandis Græcis patriam deserere non dubitarint et terra marique barbaros vicerint, quum nos ne pro nostra quidem avaritia dimicare velimus, imperare quidem studemus omnibus, sed dimicare nolumus, ac nemo fere est mortalium omnium quem bello non lacessamus, sed rei militaris exercitationem prorsus ipsi negligimus; et quum hi quorum operas conducimus, partim exsules, partim transfugæ, partim omni flagitiorum genere cooperti, huc confluxerint, sic animati ut, si quis plus stipendii numeret, ejus ductu nos oppugnaturi sint. Adeo tamen eos

diligimus, ut etiam si liberis nostris vim aut injuriam fecerint, pœnas eos dare nollemus; jam illorum rapinis et violentiæ et transgressionibus, tametsi nobis crimini dari soleat quod illi commiserint, adeo non succensemus, ut lætemur etiam si quid eos ejusmodi perpetrasse audierimus. In eam denique stultitiam incidimus, ut ipsi annonæ penuria laborantes peregrinum alere militem studeamus, et a sociis nostris tributa per injuriam extorqueamus, quo mercedem communibus omnium hostibus numeremus. Postremo, tanto deteriores sumus majoribus nostris, non laudatis illis tantum sed iis etiam qui in odio fuerunt, ut illi, si quibus inferre bellum decrevissent, quamvis argento et auro refertum esset ærarium, tamen suis corporibus exsequenda quæ statuerant censerent, nos ad tantam egestatem redacti, in tanta civium multitudine, perinde ut magnus rex conductitiis exercitibus utamur. Illi, classe in mare deducta, peregrinos et servos navibus agendis præficiebant, cives armis ornatos mittebant: nos conductitiis militibus gravem armaturam damus, cives remigare cogimus; unde fit ut in hostilem agrum egressi, qui sibi imperium in Græcos arrogant nauticum instrumentum gestent, illi vero talibus ingeniis præditi, qualia paulo ante descripsimus, armati in acie versentur.

17. At vero domi respublica sic administratur, ut in eam intuenti bona spes fiat de cæteris? imo illud ipsum est quod maxime indigneris. Nam, quum nos indigenas esse atque hanc urbem ante cæteras esse conditam dicamus, et nos universis exemplum præbere conveniat bonæ ordinatæque reipublicæ, nostram civitatem deterius et perturbatius administramus iis qui oppida modo condunt; splendore porro natalium superbimus et aliis generosiores esse volumus, sed facilius quibusvis hanc nobilitatem impertimus quam Triballi aut Lucani suam ignobilitatem: leges plurimas ferimus, sed easdem ita contemnimus ut quum pœna capitis in eum sancita sit—ex uno enim etiam cætera judicabitis—qui ambitus sit convictus, eos qui largitionem palam faciunt imperatores deligamus, et quo quisque plures cives corruperit, eo majoribus præficiatur rebus a nobis: præterea quum de reipublicæ forma non minus solliciti simus quam de salute totius civitatis, nec ignoremus popularem statum tranquillis et pacatis rebus crescere et confirmari, bellis vero jam bis sublatum esse, pacis studiosos quasi qui omnia ad paucorum arbitrium revocare conentur odimus, qui autem bella concitant, hos demum et populares et benevolos esse putamus: quamvis eloquentissimi et rerum gerendarum peritissimi, ea temeritate sumus, ut eodem die de rebus iisdem non eadem sentiamus, sed quæ domo egressi damnabamus, illa ipsa in concione suffragiis nostris comprobemus, et paulo post domum regressi quæ hic decreta sunt denuo cavillemur: quum nos Græcorum sapientissimos esse profiteamur,

ab eorum consiliis pendemus, quos nemo est qui non aspernetur, et summæ rerum omnium illos ipsos præficimus, quibus nemo privatim quicquam commiserit. Quodque omnium acerbissimum est: qui nostrapte confessione omnium improbissimi sunt, hos reipublicæ custodes fidelissimos arbitramur; inquilinos quidem tales esse credimus, quales sibi patronos delegerint, nos ipsos autem non existimari similes censemus gubernatoribus nostris. Tam longe autem a more majorum recessimus, ut eosdem illi et summæ reipublicæ præficerent et imperatores crearent, existimantes, qui pro concione optima suaderet, eundem nihilo deterius etiam per sese deliberaturum. Nos contra, quorum consiliis gravissimis in rebus utimur, illis tanquam stolidis imperium non deferimus, qui vero ejus generis sunt ut nemo publice privatimve illorum consilium expetat, hos dictatores mittimus qui suo arbitratu gerant omnia, quasi vero illic sapientiores futuri sint et facilius deliberaturi de totius Græciæ statu quam de rebus quæ hic considerandæ proponuntur. Neque tamen hæc æque ad omnes pertinere volo, sed ad eos duntaxat qui tales sunt quales jam diximus. Dies me defecerit si in omnia nostrarum actionum delicta coner severius inquirere.

18. Fortassis autem exsistet eorum aliquis ad quos hæc crimina maxime pertinent qui cum indignatione interroget, qui fiat, si tam male consulamus, ut non incolumes tantum sed etiam nulla urbe opibus et potentia inferiores simus? Expedita responsio est: id adversariorum nostrorum consiliis nihilo prudentioribus acceptum esse referendum. Nam, si Thebani mox victis Lacedæmoniis Peloponnesum liberassent et cæteris Græcis jure suo restituto quievissent, nos autem eadem hæc peccassemus, neque iste nos hoc modo rogare posset, et nos intelligeremus quantum modestiæ tranquillitas turbulentis et inquietis consiliis præstaret. Nunc res eo rediit, ut Thebani nobis, nos Thebanis vicissim saluti simus, plane non aliter quam si nos eis, ipsi nobis auxilia mitterent. Quare, si saperemus, mutuo pecuniam ad indicendas conciones dilargiremur: nam utri nostrum sæpius conveniunt, hi alterorum successus promovent. Decet autem eos qui vel mediocri sunt ingenio spem salutis non in hostium erratis, sed in recte factis consiliisque suis collocare: nam, quæ commoda ex adversariorum inscitia capimus, ea fortasse neque diu duratura neque uniusmodi semper futura sunt, quod autem a nobis ipsis proficiscitur solidi aliquid habet et plus constantiæ.

19. Ac eos quidem refutare qui dicta nostra temere cavillantur difficile non est: si quis autem paulo æquior me vera quidem dicere nec injuria reprehendere ea quæ fiunt assentiatur, sed æquum esse dicat eos qui ex animo consultum aliis velint non tantum acta improbare, sed etiam monere quæ fugienda quæ sequenda sint ut ita sentire et ad hunc modum delinquere desinamus, ejus oratio non id profecto efficiet ut vere utiliterque respondere nequeam, sed illud vereor ut satis vobis placeat quod dixero. Verum quoniam semel plane aperteque dicere aggressus sum, etiam de his meam interponere sententiam non dubitabo.

20. Quibus igitur rebus instructos esse deceat eos qui felices futuri sint, pietate nimirum et temperantia et justitia cæterisque virtutibus paulo ante dictum est: quæ autem expeditissima ratio sit institutionis ejus quæ tales efficiat, vere quidem omnino a me dicetur, sed idem fortasse vobis auditu grave videbitur et plurimum a reliquorum sententiis abhorrere.

21. Ego enim censeo et tranquilliorem rempubl. nostram et nos ipsos meliores fore et incrementa rerum nostrarum omnium visuros, si maris imperium concupiscere destiterimus. Hoc enim illud est quod et in hos tumultus nos conjecit, et veterem illam democratiam, in qua majores nostri felicitate Græcis omnibus præstiterunt, evertit, et malorum fere omnium, quæ et ipsi ferimus et aliis inferimus, causa fuit. Equidem non ignoro quam difficile sit ejus orationem qui potentiam accuset, quam omnes adamarunt armisque vindicandam censent, videri tolerabilem: verumtamen, quum superiora, vera illa quidem, sed odiosa tamen, tuleritis, rogo ut ea etiam quæ restant non audire gravemini, neque me tanto furore percitum existimetis ut instituerim de rebus tam abhorrentibus a sensu multitudinis verba facere, nisi in veritate orationis aliquid mihi præsidii esse statuissem. Persuasum enim habeo me planum facturum omnibus, nos id imperium affectare, quod imperium citra injuriam parare non liceat, quod contingere nobis non possit, quod nobis non sit profuturum.

22. Ac primum injustum id esse, vos iis docere possum rationibus quas a vobis didici. Nam, quum istam potentiam Lacedæmonii tenerent, quæ verba non consumpsimus tum eorum principatu accusando, tum æquum esse Græcos libertate frui commemorando? quas vero celebres urbes non concitavimus ad societatem belli ob hæc suscepti? quoties legatos ad magnum regem misimus, qui docerent neque justum esse neque utile civitatem unam dominari Græcis? Neque prius acquievimus aut oppugnare Lacedæmonios terra marique destitimus, quam consentire in fœdera de libertate facta voluissent. Ac non esse justum ut potentiores dominentur imbecillioribus, et illis temporibus sensimus, et nunc republica apud nos recepta declaramus.

23. Jam hoc imperium non posse vos constituere, quamprimum opinor expediam. Nam quod quum x millia talentum in ærario haberemus tueri non potuimus, quinam idem in tanta penuria et inopia recipiemus, quum præsertim iis institutis utamur, non quibus id paravimus, sed quibus amisimus?

24. Quod si ultro reipublicæ nostræ deferretur, ne sic quidem fore accipiendum, ex eo mihi posse videmini quamprimum intelligere. Sed præstat et de his pauca præfari: nam, dum toties ad increpationes devolvor, vereri mihi subit ne qui me putent accusationem nostræ civitatis de industria instituisse.

25. Ego vero, si apud exteros hoc modo his de rebus dissererem, eo nomine culparer haud injuria: quum autem ad vos mea se convertat oratio, quos non apud alios traducere studeo, sed istis factis abstinere cupio, uti pax, de qua omnis oratio est, constanter et a vobis et ab aliis Græcis agatur, æquum est istam opinionem a me amoveri. Fieri certe quidem non potest quin et qui monent et qui accusant verbis utantur non fere dissimilibus, quum vis utriusque orationis quam longissime discrepet. Quare vos non semper decet de his qui eadem dicunt eodem modo sentire, sed qui nocendi voluntate convitiantur, ut qui rempublicam eversam cupiunt, digni odio sunt, qui autem vestræ utilitatis causa monent laudandi et optimi cives judicandi, atque inter hos is maxime qui evidentissime possit malas actiones et ortas inde calamitates suis quasi coloribus depingere. Iste enim quamprimum effecerit ut et oderitis ea quæ oportet et res meliores desideretis. Et hæc sunt quæ pro defensione asperioris orationis tam habendæ quam habitæ afferenda in medium censui: nunc eo redeo unde sum digressus.

26. Inde igitur, inquam, rectissime perspicietis, non esse e republ. ut capiatis maris imperium, si consideraveritis quo pacto ante partam istam potentiam urbs constituta fuerit, quo modo quum eam jam teneremus: quæ si apud animos vestros inter se contuleritis, quantum inde malorum in urbem invaserit perspicietis.

27. Respublica certe superiore tempore tanto melior et præstantior fuit quam ea quæ secuta est, quanto viri meliores fuerunt Aristides et Themistocles et Militiades Hyperbolo et Cleophonte et istis qui nunc concionantur: populus autem qui tum rempublicam gessit non socordiæ non inopiæ non inanis spei plenus, sed is fuisse comperietur qui et profligare posset omnes qui Atticam invasissent, et in adeundis pro Græcia periculis primas ferret ob fortitudinem, tantamque sibi fidem adjungeret ut plurimæ civitates ultro se in fidem et clientelam ejus conferrent. Quæ quum ita essent, dominatus iste nos amissa veteris reipublicæ apud omnes gloria in eam intemperantiam impulit, quam mortalium nemo laudaverit; et sic cives nostros instituit, non dico ne vincant eos a quibus bello petimur, sed ut ne quidem extra mœnia in conspectum hostium prodire audeamus: quum majores nostri et apud socios benevolentia et apud cæteros Græcos gloria floruissent, dominatus iste tantum nobis odium concitavit, ut parum abesset quin urbs exscinderetur, nisi Lacedæmonios veteres hostes benevolentiores habuissemus quam

socios pridem nostros. Quos jure accusare non possumus, quod infensi nobis fuerunt: neque enim vim inferentes, sed propulsantes et multa graviaque mala perpessi tales in nos animos habuerunt.

28. Quis enim patrum nostrorum petulantiam tolerasset, qui congregatos ex universa Græcia ignavissimos quosque ac omni genere flagitiorum inquinatos triremibus imponebant, ut Græcorum odium de industria quæsisse videantur, et optimis civibus aliarum urbium ejectis illorum opes improbissimis Græcorum dilargiebantur? Verum si auderem ea quæ illis temporibus acta sunt accurate percensere, fortassis efficerem ut vos præsentibus rebus rectius consuleretis, sed ipse in crimen venirem: non enim peccatorum auctores tam odisse soletis quam eorundem reprehensores. Quo animo quum sitis, verendum mihi est ne, dum vobis bene facere conor, de meipso male merear. Non tamen omnino desistam ab iis quæ institui, sed acerbissimis quibusque quæque molestissima vobis esse queant omissis, ea solum commemorabo unde amentiam illius ætatis magistratuum intelligatis.

29. Nam tanto studio exquisiverunt ea propter quæ maxima hominum odia suscipiuntur, ut decernerent pecuniam quæ tributorum nomine coacta esset, in singula talenta distributam, Bacchanalibus in orchestram inferendam, theatro autem jam pleno; et hoc quod dixi faciebant, et liberos eorum qui in bellis ceciderant introducebant, utrisque demonstrantes, et sociis æstimationem opum suarum quæ a mercenariis inferebatur, et Græcis cæteris multitudinem pupillorum et clades ob illam avaritiam acceptas. Quæ dum facerent, cum ipsi tum alii æque amentes urbis felicitatem prædicabant, ex illis rebus quid futurum esset minime prospicientes, sed admiratione opum attoniti, quæ urbem injuste ingressæ etiam eas quæ jure tenebantur parvo temporis spatio secum una eversuræ erant. Usque adeo enim et sua neglexerunt et aliena appetiverunt, ut, quum Lacedæmoniorum exercitus in Attica versaretur, et Decelicus murus jam staret, classe Siciliam peterent, neque erubescerent in conspectu suo patriam dilacerari et vastari, et contra illos exercitus mittere a quibus nulla unquam fuerant injuria lacessiti, quin eo dementiæ processerant ut, quamvis suburbia sua non tenerent, tamen imperium Italiæ et Siciliæ et Carthaginis cogitarent. Tantum denique mortales omnes amentia superarunt ut, quum alios calamitates erudiant et modestiores reddant, eos ne hæc quidem correxerint. Quamvis ab urbe condita plura et graviora mala reipublicæ nostræ non accidissent. Nam ducentæ triremes in Ægyptum missæ una cum vectoribus interierunt, circa Cyprum centum et quinquaginta; in Ponto armatorum decem millia partim civium partim sociorum amiserunt, at in Sicilia virorum quadraginta millia et triremes ducentas et quadraginta, postremo in Hellesponto ducentas. Denas

autem et quinas et plures hoc numero amissas et millenos vel bis millenos interfectos quisnam enumeraret? Nisi quod hoc unum ita in orbem redibat, ut quotannis publicæ sepulturæ fierent, ad quas multi e finitimis aliique Græci conveniebant, non ut peremptos una lugerent, sed ut nostris cladibus insultarent. Tandem eo res rediere ut paulatim sepulcra publica civibus, tribus autem et album civitatis alienigenis, implerentur. Quanta enim multitudo perierit ex eo facillime cernitur, quod genera nominatissimorum virorum, amplissimæque familiæ, quæ et tyrannicas grassationes et bellum Persicum effugerant, in eo, quod tantopere concupiscimus, imperio exstirpatas reperiemus. Quare si quis cætera consideret, et ad hoc velut exemplar referat, permutati et alii prope facti esse videamur.

30. Enimvero ea demum civitas felix est habenda, non quæ e promiscua hominum colluvie multos cives temere colligit, sed quæ antiquissimas et primas familias maxime conservat; et ii viri in præclaris numerandi sunt, non qui vi potiuntur imperiis aut majorem potentiam quam æquum est possident, sed qui et maximis honoribus digni sunt, et iis contenti vivunt qui populi voluntate contigerunt. Nam tali more nemo sive privatus sive magistratus honestiorem aut tutiorem aut pretii majoris aut magis expetendum obtinere queat: qualem qui circa bella Persica fuerunt consecuti, non latronum more vixerunt, alias copia rerum abundantes, alias annonæ penuria laborantes et obsidionibus et malis ingentibus circumventi, sed quum victus eis neque deesset neque superesset, æquitatem gerendæ reipubl. suasque virtutes laudi sibi ducentes etiam vitam quam alii suaviorem exegerunt. Qui autem eos proxime secuti sunt, his neglectis non principatum obtinere sed tyrannidem exercere appetierunt, quæ quum eandem vim habere videantur, longissimis intervallis distant: nam principum officium est eos qui parent industria sua reddere feliciores, tyrannorum vero ea consuetudo est suas voluptates ex aliorum ærumnis et cladibus comparare. Necesse autem est eos qui talibus rebus incumbunt etiam in tyrannicas incidere calamitates, et quales se erga alios præbuerint tales in se quoque alios experiri. Id quod et nostræ urbi accidit: nam quemadmodum nostri arces aliarum urbium præsidiis occuparunt, ita suam in hostium esse potestate viderunt; ut liberos a parentum complexibus avulsos obsides acceperunt, ita multi civium coacti sunt suos liberos in obsidione pejus et alere et instituere quam eis conveniebat; ut aliena prædia coluerunt, sic multis annis sua ne videre quidem potuerunt.

31. Itaque, si quis nos rogaret, an vellemus ob imperium tantilli temporis rempublicam tantis cladibus affectam intueri, quisnam eam conditionem acciperet, nisi forte quispiam plane desperatus, qui neque religionem neque parentes neque liberos neque quicquam

aliud curet nisi unicum vitæ suæ tempus? Quorum nos æmulari mentem nefas est, eosque multo magis imitari decet qui harum rerum omnium acerrimo studio tenentur, neque minorem existimationis reipublicæ curam quam suæ susceperunt, quique mediocrem vitæ statum cum æquitate conjunctum magnis opibus male partis anteponunt. Etenim majores nostri quum se tales præbuissent, et posteris florentissimam rempublicam tradiderunt et immortalem virtutis suæ memoriam reliquerunt. Unde utrumque facile perspicitur, tum nostram urbem viros aliis præstantiores alere posse, tum imperium illud nomine revera infortunium, omnes qui cum eo conflictantur reddere deteriores.

32. Cujus rei illud maximum signum est: quod non nos solum sed etiam Lacedæmoniorum urbem corrupit, ita ut qui virtutes eorum prædicant jam non dicere possint, nos ob popularem statum male rem gessisse, Lacedæmonios autem, si eandem potestatem suscepissent, et semetipsos et alios felices fuisse reddituros. Nam quod suum esset ingenium, in illis multo celerius declaravit. quam enim rempublicam septingentorum annorum spatio nemo neque bellis neque casibus aliis labefactatam esse norat, eam exiguo tempore ita concussit ut parum abesset quin funditus everteretur. Etenim more majorum antiquato et institutis veterum abolitis, tum privatos homines injustitia, ignavia, iniquitate, avaritia, tum ipsam rempubl. et contemptu sociorum et appetitione alienorum et neglectu jurisjurandi atque fœderum, replevit. Nam tanto gravius Græcos quam nostri afflixerunt, ut præter cæteras injurias cædibus etiam et seditionibus turbarent civitates, unde immortales inimicitiæ inter illas exsistent. Belli certe quidem adeo cupidi adeo temerarii facti sunt, ut, quum superioribus temporibus cautiores aliis fuissent in ejusmodi rebus, neque societatis jus nec acceptorum beneficiorum memoria ab inferendis armis eos deterreret; quum enim eis rex Persarum ad bellum contra nos gestum amplius quinque millia talentum suppeditasset, quum Chii ex omnibus sociis illorum causa promptissime navali prælio dimicassent, quum Thebani maxima vi peditum eis præsto fuissent, quum primum principatum obtinuissent et Thebanis insidiati sunt, et contra Persarum regem Clearchum cum exercitu miserunt, et Chiorum principes cives in exsilium egerunt, et triremes omnes e navalibus abstractas secum avexerunt.

33. Nec his delictis contenti iisdem temporibus et Asiam vastarunt, et insulas vexarunt, et Italicas et Siculas respubl. abrogarunt et tyrannos constituerunt, et Peloponnesum afflixerunt et seditionibus ac bellis compleverunt. Quam enim illi civitatem non oppugnarunt? quos e sociis non injuria læserunt? non Eleis agri partem ademerunt? non Corinthiorum agrum populati sunt? non Manti-

neam in vicos redegerunt? non Phliuntem expugnarunt? non Argivorum agrum incursarunt? unquamne et alios exagitare, et cladem sibi Leuctricam præparare, destiterunt? Quam qui malorum Spartæ fuisse causam aiunt, verum non dicunt: nec enim ob eam sociorum odia susceperunt, sed ob superiorum temporum injurias et tum superati sunt et de aris ac focis dimicarunt. Neque enim causæ malorum in ea transferendæ sunt quæ postremo acciderunt, sed in prima delicta, quæ consecutis infortuniis quasi materiam præbuerunt. Quare, si quis dixerit tunc eis omnium malorum exstitisse principium quum adepti sunt maris principatum, potestatemque susceperunt nulla re illi veteri similem, annon longe verissime dixerit? Nam ob terrestre imperium et disciplinam ac laborum qua in eo exercebantur tolerantiam facile etiam maris principatum obtinuerunt, et illud quoque imperium, ob hujus principatus insolentiam celeriter amiserunt. Nec enim leges a majoribus acceptas conservabant, neque instituta vetera retinebant, sed, quod libuisset idem sibi licere existimantes, in turbas maximas inciderunt. Non enim intelligebant quam res intractabilis esset potestas quam omnes exoptant, quamque difficile si eam concupieris a statu mentis non dimoveri, et, ut idem esset ejus quod meretricularum ingenium, quæ, quum ad sui amorem alliciant, amatores perdunt.

34. Atqui hanc suam esse vim et naturam, perspicue declaravit. Eos enim, qui plurimas potestates et imperia gesserunt, in maximas incidisse videas calamitates, sumpto a nobis et Lacedæmoniis initio. Nam hæ duæ urbes, quum ante moderatione summa rempublicam gererent et optima existimatione essent, quum primum eam adeptæ et hoc imperium nactæ sunt, eadem prorsus conditione fuerunt, et, ut ii qui iisdem libidinibus eodemque morbo constricti tenentur, eadem (ita uti par est) aggressæ facinora paribusque delictis involutæ simili tandem ruina prostratæ conciderunt. Nam et nos odiis sociorum susceptis et republica in extremum discrimen adducta a Lacedæmoniis conservati sumus, et illi, quum in eorum exitium omnes conspirassent, ad nos confugerunt et salutem a nobis acceperunt. Est vero laudandum id imperium cujus sunt tam mali exitus? Annon odio dignum est quod ambas urbes tot res ac tam acerbas ut susciperent impulerit et tolerare coegerit?

35. Neque vero mirandum est, superiori tempore animadvertisse neminem quantum malorum importaret, aut nos et Lacedæmonios armis de eo contendisse: nam plerosque mortalium in expetendarum rerum judicio hallucinari, et vehementiore malarum rerum quam bonarum flagrare desiderio, et hostibus melius consulere quam sibimetipsis, reperietis. Id quod maximis in rebus cernitur: quid enim non ita factum est? Annon et nos ea suscepimus agenda quibus effectum est ut Lacedæmonii Græciæ dominatu potirentur? non illi sua tam infeliciter curarunt, ut nos paucis annis elapsis emergeremus et salus eorum in potestate nostra sita esset? non Atheniensium improbi conatus effecerunt ut urbes Lacedæmoniorum partes sequerentur? non injuriæ Laconum easdem studere Atheniensibus coegerunt? non ob oratorum improbitatem ipse populus oligarchiam concupivit temporibus Quadringentorum constitutam? non ob Triginta tyrannorum insaniam popularis status cupidiores facti sumus quam ii qui Phylen occuparunt? Atque adeo minoribus etiam in rebus et quotidiana vita cernitur multos iis et cibis et exercitationibus delectari quibus et corpus et animum lædunt, contraque ab iis quibus utraque hæc juvarentur tanquam laboriosis et molestis abhorrere, idque fieri cum quadam opinione constantiæ, si a pravo instituto non recesserint. Qui igitur deteriora melioribus, in iis sine quibus vivere nequeunt et quæ magis curant, præferant, quid miri est si quale sit maris imperium ignorant deque eo inter se pugnant, de quo nihil unquam cogitationis susceperunt?

36. Regna item videte quæ in liberis civitatibus constituuntur, quam multos habeant amatores, qui dum ea obtineant quidvis perpeti non recusent: quibus quid periculorum quid ærumnarum non inest? Annon mox dominatu suscepto, tot malis implicantur, ut necesse habeant cum universis civibus bellum gerere, et eos odisse a quibus offensi non sunt, et amicis sociisque suis diffidere, ac salutem suam mercenariorum militum fidei credere quos nunquam viderunt, et custodes non minus formidare quam insidiatores, et ita suspectos habere omnes ut conjunctissimorum etiam congressus horreant? Nec id sane injuria: quum non ignorent superioris ætatis tyrannos male periisse, alios a parentibus, alios a liberis, alios a fratribus, alios ab uxoribus interfectos, et genus etiam ipsorum funditus esse exstirpatum; tamen infinitas ultro calamitates subeunt. Quod si viri principes et maxima præditi auctoritate tanta mala sic adamarunt, cæteros tales res desiderare quis miretur?

37. Neque vero ignoro vos, quum orationem de tyrannis approbetis, imperii dissuasionem iniquis animis accipere. Usu enim vobis evenit omnium turpissimum et pigerrimum: nam, quæ in aliis perspicitis, ea in vobis ipsis ignoratis. Atqui prudentiæ non minimum illud signum est, de iisdem rebus ad eundem modum in omnibus judicare. Quorum vobis nihil unquam curæ fuit: nam imperia quidem tyrannica et molesta et perniciosa non aliis tantum sed ipsis etiam tyrannis putatis, imperium vero maris ut maximum bonorum admiramini, quum revera nihil a monarchiis differat sed easdem prorsus et actiones et calamitates secum trahat. Thebanorum quidem res male se habere putatis, quod finitimis molesti sint, vos autem, quum nihilo sitis in socios æquiores quam illi in Bœotos, nulla in re ab officio aberrare persuasum habetis.

38. Quare si me quidem audire volueritis, vos ipsos repudiatis omnino inanibus consiliis in consilium adhibebitis, et rempubl. singulari studio complexi prudenter indagabitis, quidnam illud sit quod ambas urbes, nostram inquam et Lacedæmoniorum, eo provexerit, ut ab exiguis profectæ initiis Græcis imperarint, ac deinceps in immensum aucta potentia prope funditus excisæ fuerint: quasnam item ob causas Thessali, maximis opibus acceptis et optimo amplissimoque prædili agro, eo redacti sint ut nesciant quo se vertant, Megarenses autem, quum opes eorum per se parvæ ac tenues sint, quumque neque agrum habeant neque portus neque argentifodinas, sed saxa excolant, amplissimas facultates inter omnes Græcos pararint; ac illorum quidem arces semper alii quidam teneant, quum ultra tria millia equitum habeant et parmatos innumeros, hi autem, quum parvæ eorum copiæ sint, suam rempublicam suo arbitratu administrent; adhæc, cur illi bella intestina gerant, hi, quum intra Peloponnenses et Thebanos et nostram urbem habitent, in pace perpetuo vivant. Nam si hæc et quæ hujus generis sunt animo percurreritis, intemperantiam et superbiam malorum, modestiam bonorum exstitisse causam reperietis: quam vos in privatis rebus laudatis, et ejus studiosos maxime in tuto esse et reliquis civibus præstare creditis, sed a republica removendam esse ducitis. Decet autem virtutes exercere et aversari vitia non privatos homines duntaxat, sed civitates etiam ac multo quidem magis. Nam homo sceleratus atque impius fortassis obierit priusquam det scelerum pœnas, urbes vero, quæ quodammodo immortales sunt, nec divinam nec humanam animadversionem effugiunt.

39. Hæc igitur consideranda sunt, nec iis auscultandum qui, dum in præsentia grata et jucunda dicant, posteritatis nullam rationem habent, quique se populo studere profitentur, quum totam rempublicam evertant: nam olim etiam istud hominum genus, suggestus et concionum dominatione ac regno suscepto, in eam dementiam urbem perduxit, quæ calamitates eas peperit quas paulo ante commemoravi. Maxime itaque mirum est, vos summos magistratus mandare non illis qui eodem animo sunt quo ii qui rempublicam amplificarunt, sed iis qui non alia et dicunt et agunt quam qui everterunt, quum præsertim sciatis non eo solum præstare improbis bonos viros quod hi civitatem beatam reddunt, sed democratiam etiam iis gubernantibus per multos annos neque motam neque mutatam esse, sub istis parvo spatio temporis bis jam dissolutam, et quos tyranni et Triginta illi in exsilium egerant, non per sycophantas ab exsilio revocatos, sed eorum ope restitutos qui et istis infensissimi sunt et ob virtutem celeberrimi.

40. Etsi autem nobis tanta monumenta relicta sunt clareque perspicitur quid ex utrorumque gubernatione respublica vel commodi vel detrimenti ceperit, sic tamen oratorum improbitate delectamur, ut, quum videamus ob bella et tumultus ab istis excitatos cæterorum civium permultos paternis bonis spoliatos, istos e pauperibus divites esse factos, non indignemur nec successibus eorum invideamus, sed convitia æquis animis feramus quæ nostræ urbi dicuntur, quod affligat et vexet exactionibus Græcos, quarum illi fructus percipiunt; ac populus quidem, quem isti aliis imperare oportere dictitant, infelicior est iis qui in oligarchiis serviunt, qui autem omni bono caruerunt, ii per amentiam nostram ex humilibus facti sunt beati. At Pericles qui ante istos populo præfuit, quum urbem administrandam suscepisset, non quidem ita sanam et moderatam ut ante adeptum principatum, sed mediocriter tamen adhuc constitutam, non suis opibus augendis intentus fuit, sed minorem censum reliquit quam a patre acceperat, in arcem vero talenta octies mille retulit, præter sacram pecuniam et ornamenta templorum. Inter istos autem et illum tantum interest, ut, quum dicere audeant se ob reipubl. administrationem non vacare posse curandæ rei familiari, tamen ea quæ negliguntur scilicet tanta incrementa sumpsisse constet, quanta olim ne a diis quidem precari ausi fuissent, plerosque autem nostrum sic esse malis oppressos, ut nemo civium suaviter et tranquillo animo vivat, sed querelarum et lamentationum plena tota sit civitas. Nam alii secum paupertatem et inopiam queri suam coguntur, alii multiplicia edicta et munera et mala ex classibus oriunda et opum permutationes miserantur: quæ tantas molestias pariunt, ut insuavius ii vivant qui rem habent quam qui in paupertate perpetua degunt.

41. Mirum profecto est vos non perspicere tandem, nullum hominum genus inimicius et malevolentius esse multitudini quam improbos oratores et tribunos plebis: nam, præter mala cætera, etiam annonæ vos laborare penuria maxime optant; vident enim eos qui de suo habent unde vivant reipubl. addictos esse et cum iis facere qui rectissime consulunt, qui autem de judiciis et de concionibus victitant et quæ inde percipiuntur emolumentis, eos inopia coactos a se pendere, et magnam habere gratiam delationibus et accusationibus et reliquis calumniis quarum isti sunt auctores. Quum igitur regnum sibi stabiliri civium inopia videant, eos omnes vellent esse quam egentissimos. Cujus rei signum illud certissimum est: quod non tam inopiæ tenuiorum student succurrere, quam eos qui aliquid habere videntur egentibus exæquare.

42. Quod igitur his malis remedium invenietur? Disserui jam quidem de his fere omnibus, non ordine, sed uti singula se offerre videbantur: quæ facilius memoria custodietis, si maxime necessaria collecta in unum locum repetiverimus.

43. Prima igitur hæc est emendandæ et erigendæ reipubl. ratio, si de publicis negotiis deliberaturi eos in consilium adhibuerimus,

quibus privatis in rebus nullos anteponeremus, et desierimus calumniatores existimare populares, honestosque viros oligarchicos; illud enim tenendum est, natura neminem vel popularem vel paucorum esse potentiæ studiosum, sed eam quemque reipubl. formam expetere maxime, in qua maxime honoratur.

44. Secundo loco, tales debemus erga socios nos præbere quales erga amicos, non autem verbo libertatem dare, reipsa vero ducibus nostris omnem in eos grassandi licentiam proponere; præsimus eis, non ut domini servis, sed ita ut sociis dignum est, illud edocti, nos singulis urbibus superiores esse viribus, universis inferiores.

45. Tertium est, ut secundum pietatem in deos nihil pluris faciatis quam ut Græci honestissime de vobis et sentiant et loquantur: nam, quos illi sic animatos viderint, his ultro et principatum deferunt, et eorum fidei se committunt.

46. Quod si ea quæ diximus præstiteritis, et ita vos comparaveritis ut et rei militaris exercitatione atque apparatu sitis bellicosi, et nihil præter jus et æquum agendo pacis studiosi, non hanc modo urbem felicem reddetis, sed etiam Græcos universos. Nec enim ulla cæterarum urbium eos lædere audebit, sed verebuntur sollicitèque cavebunt ne quid moveant, quando viderint nostram potentiam velut e specula prospicientem omnia et in hoc intentam ut oneratis injuria opituletur. Sed utrum illæ fecerint, reipublicæ nostræ res recte ac præclare se habebunt. Sive enim potentioribus urbibus visum fuerit abstinere injuriis, ea felicitas nobis imputabitur; sive grassari illæ cœperint, qui in metu et malis erunt ad nos confugient et supplices a nobis auxilium magna contentione expetent, nec principatum tantum sed semetipsos etiam nobis tradent. Quare non defuturi sunt quorum ope delinquentes coerceamus, sed multos habebimus qui strenuam alacremque operam nobis navent. Quæ enim urbs, imo quis mortalium, nostram amicitiam et societatem non ducet expetendam, quum eosdem utraque re, et insigni justitia et maxima potentia, viderint præditos, itaque paratos ut aliis saluti esse et possint et velint, quum ipsi nullis auxiliis egeant? quanta vero nostræ urbis incrementa erunt, ubi aliorum tanta erit erga nos benevolentia? quantis opibus affluet etiam respublica, universa Græcia per nos conservata? qui nos non efferent laudibus tot ac tantorum bonorum auctores? Sed ego propter ætatem oratione mea non omnia complecti possum, quæ animo perspicio, nisi quod præclarum est nos in aliorum injuriis et insania primos ad sanam mentem reversos Græcorum salutis et libertatis curam suscipere potius quam pestes illorum appellari, et virtute illustres avitam gloriam recuperare.

47. Nunc id dicam quod caput est, quo et superiora omnia pertinent, et in quod intuentes omnes nostræ urbis actiones probare debemus. Nam, si maledicta quibus nunc petimur exstinguere, si temeraria bella sopire, si principatum perpetuo tenere studemus, nulla nobis tyrannica imperia et potestates sunt affectandæ, consideratis calamitatibus quæ inde capiuntur, et regnum Lacedæmoniorum imitandum atque æmulandum: quorum regibus minor delinquendi potestas est quam hominibus privatis; tanto autem feliciores sunt iis qui vi tenent imperia, ut tyrannorum quidem interfectoribus maxima præmia publice constituta sint, pro illis vero qui mortem in prœliis oppetere dubitant ignominiosiores habeantur quam qui deseruerunt ordines aut clypeos abjecerunt. Operæ pretium igitur est talem expetere principatum. Ea autem rerum nostrarum natura est ut a Græcis honorem eum consequamur, qui Spartanis regibus a civibus habetur, si vestram potentiam non ad opprimendam sed ad conservandam Græciam pertinere existimarint.

48. Etsi autem de hoc argumento et multa et honesta dici possent, tamen ut dicendi finem faciam utraque me admonent, et orationis longitudo et annorum meorum multitudo: adolescentes autem et per ætatem me robustiores moneo et hortor ut ea et dicant et scribant, quibus maximæ urbes et aliis nocere solitæ ad virtutem et justitiam incitentur; nam in rebus Græciæ secundis eruditorum etiam hominum res multo fieri meliores consueverunt.

quibus privatis in rebus nullos anteponeremus, et desierimus calumniatores existimare populares, honestosque viros oligarchicos; illud enim tenendum est, natura neminem vel popularem vel paucorum esse potentiæ studiosum, sed eam quemque reipubl. formam expetere maxime, in qua maxime honoratur.

44. Secundo loco, tales debemus erga socios nos præbere quales erga amicos, non autem verbo libertatem dare, reipsa vero ducibus nostris omnem in eos grassandi licentiam proponere; præsimus eis, non ut domini servis, sed ita ut sociis dignum est, illud edocti, nos singulis urbibus superiores esse viribus, universis inferiores.

45. Tertium est, ut secundum pietatem in deos nihil pluris faciatis quam ut Græci honestissime de vobis et sentiant et loquantur: nam, quos illi sic animatos viderint, his ultro et principatum deferunt, et eorum fidei se committunt.

46. Quod si ea quæ diximus præstiteritis, et ita vos comparaveritis ut et rei militaris exercitatione atque apparatu sitis bellicosi, et nihil præter jus et æquum agendo pacis studiosi, non hanc modo urbem felicem reddetis, sed etiam Græcos universos. Nec enim ulla cæterarum urbium eos lædere audebit, sed verebuntur sollicitcque cavebunt ne quid moveant, quando viderint nostram potentiam velut e specula prospicientem omnia et in hoc intentam ut oneratis injuria opituletur. Sed utrum illæ fecerint, reipublicæ nostræ res recte ac præclare se habebunt. Sive enim potentioribus urbibus visum fuerit abstinere injuriis, ea felicitas nobis imputabitur; sive grassari illæ cœperint, qui in metu et malis erunt ad nos confugient et supplices a nobis auxilium magna contentione expetent, nec principatum tantum sed semetipsos etiam nobis tradent. Quare non defuturi sunt quorum ope delinquentes coerceamus, sed multos habebimus qui strenuam alacremque operam nobis navent. Quæ enim urbs, imo quis mortalium, nostram amicitiam et societatem non ducet expetendam, quum eosdem utraque re, et insigni justitia et maxima potentia, viderint præditos, itaque paratos ut aliis saluti esse et possint et velint, quum ipsi nullis auxiliis egeant? quanta vero nostræ urbis incrementa erunt, ubi aliorum tanta erit erga nos benevolentia? quantis opibus affluet etiam respublica, universa Græcia per nos conservata? qui nos non efferent laudibus tot ac tantorum bonorum auctores? Sed ego propter ætatem oratione mea non omnia complecti possum, quæ animo perspicio, nisi quod præclarum est nos in aliorum injuriis et insania primos ad sanam mentem reversos Græcorum salutis et libertatis curam suscipere potius quam pestes illorum appellari, et virtute illustres avitam gloriam recuperare.

47. Nunc id dicam quod caput est, quo et superiora omnia pertinent, et in quod intuentes omnes nostræ urbis actiones probare debemus. Nam, si maledicta quibus nunc petimur exstinguere, si temeraria bella sopire, si principatum perpetuo tenere studemus, nulla nobis tyrannica imperia et potestates sunt affectandæ, consideratis calamitatibus quæ inde capiuntur, et regnum Lacedæmoniorum imitandum atque æmulandum: quorum regibus minor delinquendi potestas est quam hominibus privatis; tanto autem feliciores sunt iis qui vi tenent imperia, ut tyrannorum quidem interfectoribus maxima præmia publice constituta sint, pro illis vero qui mortem in præliis oppetere dubitant ignominiosiores habeantur quam qui deseruerunt ordines aut clypeos abjecerunt. Operæ pretium igitur est talem expetere principatum. Ea autem rerum nostrarum natura est ut a Græcis honorem eum consequamur, qui Spartanis regibus a civibus habetur, si vestram potentiam non ad opprimendam sed ad conservandam Græciam pertinere existimarint.

48. Etsi autem de hoc argumento et multa et honesta dici possent, tamen ut dicendi finem faciam utraque me admonent, et orationis longitudo et annorum meorum multitudo: adolescentes autem et per ætatem me robustiores moneo et hortor ut ea et dicant et scribant, quibus maximæ urbes et aliis nocere solitæ ad virtutem et justitiam incitentur; nam in rebus Græciæ secundis eruditorum etiam hominum res multo fieri meliores consueverunt.

ISOCRATIS

E V A G O R A S.

1. Quum te viderem patris tui funus ornare, Nicocles, non magnifico tantum et splendido apparatu, sed et choris et musica et ludis gymnicis, atque etiam equorum triremiumque certaminibus, nihil denique prætermittere quod ad talium rerum amplitudinem addi posset, equidem Evagoram, si quid eorum quæ hic fierent defuncti sentirent, existimabam, tum ista benigne approbare et libenter spectare istam sui curam tuamque magnificentiam, tum ei longe majorem etiam quam cæteris omnibus gratiam habiturum, qui de actionibus ejus et belli discriminibus dicere posset pro dignitate rerum ab eo gestarum: honoris enim cupidos viros et magnanimos non tantum istis rebus laudem anteponere constat, sed obitum etiam vitæ plane præferre, ac gloriæ quam salutis studiosiores esse, omniaque facere ut immortalem sui memoriam relinquant. Sumptus autem nihil ejusmodi præstant, sed divitiarum sunt argumentum: qui vero musica et aliis certaminibus occupantur, suis partim viribus partim artificiis ostentatis, semetipsos honoratiores effecerunt; qui autem res ejus gestas ornata oratione recenseret, is Evagoræ virtutem immortali omnium hominum memoriæ commendaret.

2. Laudare igitur etiam alii debebant eos qui temporibus ipsorum strenue se gessissent, ut et ii qui facta aliorum ornare possunt de rebus notis verba facientes eas auditoribus vere narrarent, et adolescentes, quum scirent se iis fore illustriores quibus recte factis præstitissent, majore studio virtutis incitarentur. Nunc vero quis animum non despondeat, quum eos qui circa Trojana et ante illa tempora vixerunt et hymnis et tragœdiis celebrari videat, se vero sciat, tametsi illorum excellentiam superasset, nunquam tales laudes consecuturum? Hujus autem rei culpam invidia sustinet, quæ id duntaxat habet boni, quod sibimetipsi plurimum affert mali. Sunt enim quidam ita præfractis ingeniis, ut eos laudari libentius audiant quos utrum nati sint ignorant, quam eos a quibus ipsi beneficiis sunt affecti. Enimvero non decet cordatos viros istorum servire tantæ amentiæ, sed et negligendi sunt tales, et assuefaciendi cæteri ad ea quæ dici etiam est æquum audienda, præsertim quum et artes et

omnia cætera esse aucta sciamus non per eos qui usitata retinuerunt, sed eorum opera qui correxerunt locoque movere prava omnia non dubitarunt.

3. Equidem scio, quam sit difficile id quod facturus ego sum, viri virtutem oratione celebrare. Cujus rei signum illud est maximum: quod homines eruditi de aliis multis variisque rebus dicere audent, in hoc vero genere nemo illorum unquam scribendum quicquam suscepit. Id quod eis plane ignoscendum esse censeo. Nam poetis ornamenta multa concessa sunt: iis enim licet deos miscere hominum cœtibus, ac introducere colloquentes et adjuvantes in præliis quoslibet: atque hæc eadem explicare verbis non tantum usitatis, sed alia peregrinis, alia novis, alia translatis, nihil denique prætermittere quo poesim queant figurarum omni genere variare: oratores autem nullam hujusmodi facultatem habent, sed cum verbis vulgatis solum tum iis uti sententiis quas res ipsæ suppeditant omnino coguntur. Jam illi versibus et numeris devinciunt omnia, hi nullum tale adjumentum habent: quibus in rebus tantum venustatis inest, ut, etsi neque verba poematum neque sententiæ præclaræ fuerint, ipsa tamen concinnitas numerorum aptæque dimensiones demulceant auditores. Quæ quid valeant vel ex eo perspicitur: quod etiam laudata poemata si quis eorum verba sententiasque reliquerit, versum autem dissolverit, ea quam nunc de eis habemus opinione multo deteriora videantur. Quamvis autem poesis tantæ sint commoditates, non propterea tamen cessandum, sed periculum faciendum est an etiam oratione fortes viri celebrari possint, ac nihilo deterius quam ab iis qui carminibus et versibus eos ornant.

4. Ac primum de ortu atque natalibus Evagoræ, tametsi complures ante norunt, et mihi tamen aliquid cæterorum causa dicendum esse videtur, ut omnes intelligant, eum a pulcherrimis et maximis exemplis quæ relicta ipsi fuerant nihil degenerasse. Nam in confesso est oriundos a Jove semideorum esse nobilissimos, inter hos ipsos autem nemo est quin Æacidis principatum deferat: in aliis enim familiis alios præstantiores alios deteriores inveniemus, hi vero suis temporibus omnes omnium fuere celeberrimi.

5. Æacus enim, qui et Jovis filius et generis Teucridarum habetur auctor, tantum excelluit ut siccitate premente Græciam multisque mortalibus exstinctis, quum jam nihil ad calamitatis magnitudinem posset accedere, magistratus urbium supplices eum adierint, existimantes se per ejus cognationem et pietatem celerrime urgentium malorum a diis remedium impetraturos. Salutem porro adepti votorumque facti compotes, in Ægina templum omnium Græcorum nomine ædificarunt, quo in loco votum ille nuncuparat. Is igitur et dum vixit inter homines maxima semper gloria fuit; et

post obitum Plutoni et Proserpinæ maximis honoribus præditus assidere perhibetur.

6. Hujus filii fuerunt Telamon et Peleus, quorum alter expeditionis Herculanæ contra Laomedontem susceptæ socius primas virtute meruit, Peleus autem et re contra centauros bene gesta et multis aliis pugnis spectatus Thetidis Nereidos, mortalis ipse immortalis, conjugio potitus est, et solius hujus ex omni vetustatis memoria in nuptiis hymenæum deos cecinisse memoriæ proditum est.

7. Hi ambo filios habuerunt, Telamon Ajacem et Teucrum, Peleus Achillem, qui maximum et clarissimum virtutis suæ specimen ediderunt: nec enim in suis urbibus tantum principem locum tenuere, nec iis in locis quæ incoluerunt, sed expeditione a Græcis suscepta contra barbaros, et multis utrimque congregatis, quum nullus vir nominatus mansisset domi, in illis periculis ut Achilles omnibus antecelluit, sic Ajax secundum ab eo virtutis locum obtinuit; Teucer vero et horum cognatione dignus et nemine cæterorum inferior, quum in expugnanda Troja strenuam operam navasset, Cyprum advectus, et Salaminem condidit, prioris ei patriæ nomine imposito, et eam quæ nunc regnat familiam reliquit.

8. Tanta igitur est Evagoræ a majoribus accepta præstantia. Urbe autem sic condita, regnum initio Teucri posteri tenuerunt: insecutis vero temporibus quidam exsul e Phœnicia profectus, et ab eo qui tunc regnabat in fidem receptus magnamque potentiam nactus, non gratiam pro his retulit, sed et hospitii jus violavit, et, ut homo ad faciendam injuriam paratus, ejecto rege bene merito, ipse regnum occupavit. Quum vero conscientia scelerum trepidaret, resque suas in tuto collocare vellet, tum urbem barbaris implevit tum totam insulam servituti regis Persarum subjecit.

9. Cum igitur talis et status rerum esset et majores ejus principatu potirentur, Evagoras nascitur: de quo quæ omina, quæ vaticinationes, quæ visiones somniorum fuerint, quibus rebus humana sorte major videatur, omittere statui, non quin ea vera esse putem quæ dicuntur, sed ut omnibus probem tantum abesse ut rebus ejus gestis quicquam affingam, ut etiam e veris ea præterierim quæ in paucorum notitia et non in omnium civium conscientia versantur. Exordium autem de eo dicendi capiam a rebus quæ sunt extra omnem controversiam.

10. Puer igitur et forma et viribus et modestia, quæ bona eam ætatem maxime decent, excelluit. Atque iis de rebus testimonium perhibebunt hi, de modestia cives una cum eo instituti, de pulcritudine omnes qui viderunt, de viribus certamina in quibus æquales superavit. Quum vero adolevisset, et hæc una creverunt omnia, et eis accessit fortitudo et sapientia et justitia, atque hæ virtutes

neque mediocres neque communes, sed singulæ excellentes: tantum enim et corporis et animi virtutibus præstitit, ut ii, qui tum regnabant, quoties eum videbant percellerentur regnoque metuerent, existimantes non posse fieri ut talis natura in privatæ vitæ obscuritate delitesceret, quum vero mores ejus intuebantur, tantam ei fidem haberent, ut Evagoram sibi etiam contra insidias aliorum adjutorem fore confiderent.

11. Ac neutra eos, quum tantum inter eas interesset, fefellit opinio: nec enim privatus perpetuo mansit neque erga illos deliquit, sed ei deus tam sollicite prospexit, quo honeste regno potiretur, ut et ea, quæ citra impietatem peragi non poterant alius perpetrarit, et Evagoram ad ea reservarit per quæ imperium juste sancteque susciperet. Quidam enim procerum et per insidias tyrannum occidit et Evagoram comprehendere conatus est, imperium obtinere se non posse ratus nisi et illum e medio sustulisset. Hoc vero periculo evitato, quum incolumis Solos Ciliciæ urbem pervenisset, non eo fuit animo quo alii esse solent in hujusmodi calamitatibus. Cæteri enim, etiam ii qui regnum amiserunt, fracti fortunæ impetu animos habent abjectiores: ille autem tantum animo robur conceperat, ut, quum ante privatam vitam egisset, in exsilium actus regnum sibi vendicandum esse arbitraretur. Ac erronibus quidem fugitivis despectis, neque per alios reditum quærere neque seipso deteriores colere voluit: sed ea usus occasione quæ religiosos homines decet, qui acceptas injurias ulcisci, non ipsi facere injuriam, solent, aut re bene gesta imperare aut voto frustratus mortem oppetere statuit; et adhibitis hominibus — ut qui plurimos dicunt — circiter quinquaginta, illorum ope sibi reditum in patriam patefacere est conatus. Unde cumprimis et qui animus et quanta ejus apud socios fuerit auctoritas perspicitur: navigaturus enim cum tam paucis ad tam ingentem civitatem, quamvis acerbissima quæque in conspectu essent, tamen neque ipse abjecit animum neque commilitonum quisquam periculorum societatem detrectavit, sed et illi tanquam deum ducem secuti omnes in fide manserunt, et ipse, quasi aut firmiorem quam adversarii haberet exercitum aut futurorum esset præscius, sic animo affectus fuit.

12. Id quod res ipsa ostendit: nam quum in insulam e navi descendisset, non castellum aliquod firmum occupandum censuit, ut corpore suo in tuto collocato circumspiceret an aliqui civium opitulaturi essent; sed mox eadem nocte, ut erat paratus, parva quadam muri porta perfracta sociisque per eam introductis impetum in regiam fecit. Tumultus autem qui hujusmodi temporibus incidunt et cæterorum trepidationem et exhortationes illius multis referre quorsum attinet? Quum vero tyranni quidem satellites ei resisterent, reliqui autem cives spectatores essent — nam alterius imperium alterius

virtutem metuentes quiescebant —, non prius pugnare destitit et solus contra multos et cum paucis adversus hostes universos, quam capta regia et hostes ultus esset et amicis opem tulisset, et familiæ suæ patrios honores restituisset, et ipse dominum civitatis sese constituisset.

13. Equidem existimo, etiamsi nihil adderem, sed hic finem dicendi facerem, tamen ex his et Evagoræ virtutem et magnitudinem rerum ab eo gestarum facile cognosci posse. Verum utraque hæc per ea quæ sequuntur dilucidius arbitror me declaraturum.

14. Nam, quum tot omnibus temporibus reges fuerint, nemo reperietur qui honorem hunc pulcrius illo pararit. Quod si res gestas Evagoræ cum singulis illorum factis conferamus, fortasse nec occasionibus oratio congrueret, neque tempus iis quæ dicentur sufficeret. Sin eum cum præstantissimis quibusque comparaverimus, ut nihilo pejus comparationem habebimus, ita majore compendio rem absolvemus.

15. Quis igitur Evagoræ pericula non illis anteferret qui patria regna susceperunt? Nemo enim ita socors et ignavus est, qui hoc imperium a majoribus accipere malit quam partum ut ab illo factum est liberis suis relinquere.

16. Ac inter veteres patrii regni recuperationes eæ maxime celebrantur, quas a poetis audimus: hi enim nobis non solum pulcherrimas superiorum temporum commemorant, sed et ipsi novas comminiscuntur. Nemo tamen illorum de ullo fabulatus est, qui per tam atrocia et horrenda pericula in regnum redierit: nam plerosque introduxerunt fortuito potitos imperiis, alios qui dolo et fraude vicerunt hostes.

17. Ex posterioribus autem, et fortassis inter omnes, Cyrum qui Medis imperium eripuit Persisque tradidit, et plurimi et maxime admirantur. Is vero exercitu Persarum copias Medorum vicit, quod multis et Græcis et barbaris facile fuerit factu: hunc vero animo suo et corpore pleraque horum quæ diximus perfecisse constat. Deinde e Cyri expeditione nondum perspicuum est eum et Evagoræ pericula fuisse aditurum: ex rebus autem ab hoc gestis manifestum est omnibus eum facile illa quoque facinora fuisse obiturum. Præterea hic sancte et juste peregit omnia; illi vero nonnulla violata pietate contigerunt: noster enim hostes suos occidit, Cyrus vero matris suæ patrem interemit. Quare, si qui spectare velint non eventuum magnitudinem, sed virtutis quæ in utroque fuerit faciant contentionem, jure etiam illi Evagoram prætulerint. Quod si breviter et sine dissimulatione et absque invidiæ metu libereque dicendum est, nemo neque mortalis neque semideus nec immortalis invenietur, qui pulcrius et splendidius aut majore pietate

regnum sit adeptus. Atque hæc ea ratione facillime credet, qui his quæ dicimus valde abrogata fide exquirere instituerit quomodo regnis singuli sint potiti. Apparebit enim, me non de industria captasse magniloquentiam, sed rei veritate adductum ita confidenter de eo disseruisse.

18. Nam, siquidem parvis rebus excelluisset, tales etiam orationes de eo haberi fuisset æquum: nunc regnum omnium divinorum et humanorum bonorum esse maximum et splendidissimum et summa vel armorum contentione dignissimum fatentur omnes. Eum igitur qui re in tota rerum natura longe pulcherrima pulcherrime potitus est, quis orator aut poeta aut verborum opifex pro rerum gestarum dignitate collaudarit?

19. Neque vero quum in his excelluisset, in cæteris inferior fuisse comperietur; nam primum, quamvis ingenio felicissimo esset plurimaque rite conficere posset, non tamen negligenter ac temere quicquam agendum sibi censuit, sed in inquirendo et cogitando et deliberando plurimum temporis consumpsit, existimans, si mentem probe exercuisset, regnum quoque suum fore præclarum, eorumque mores demiratus qui cæterarum rerum causa mentis curam susciperent, ipsam vero mentem prorsus negligerent. In rebus deinde administrandis idem plane sensit: quum enim videret eos qui suas res diligentissime curarent molestiis affici minimis, et veras animi remissiones non in ignavia esse positas sed recte factis et tolerantia laborum constare, nihil inexploratum reliquit, sed ita perfecte res tenebat ita cives singulos norat, ut nec ab insidiatoribus opprimeretur nec bonos ignoraret, sed omnes pro merito tractaret; non enim cives aut puniebat aut honorabat ex aliorum sermonibus, sed pro sua conscientia de eis judicabat. Quum igitur in hujusmodi curationes se collocasset, ne in eorum quidem negotiorum quæ indies incidunt vel unico deceptus est, sed urbi tanta et pietate et humanitate præfuit, ut hospites non magis Evagoram qui imperaret quam qui tali regi parerent fortunatos judicarent: nam hoc perpetuum ejus studium fuit neminem injuria lædere, et bonos honorare, et pro imperii quidem auctoritate cum omnibus agere, sed delinquentes legitimis suppliciis coercere: nihil ille quidem consiliariis indigebat, sed tamen amicorum sententias de rebus omnibus audiebat: amicis sæpe de jure suo concedebat, semper autem hostes superabat: majestatem tuebatur non contracto supercilio, sed vitæ instituto: nulla in re ordinem constantiamve negligebat, sed quicquid verbis promisisset, non minus servabat quam si jusjurandum dedisset: animosus non ob fortunæ munera, sed recte factorum conscientia: amicos beneficiis sibi devinciebat, alios animi magnitudine subigebat: terribilis erat non frequenti sævitia, sed excellenti sapientia: voluptatibus imperabat, non autem cupiditatibus ser-

viebat: paucis laboribus multum otii parabat, non ob parvas oblectationes magnos labores cumulabat: denique nihil prætermittebat quod regibus inesse necesse sit, sed e singulis rerumpubl. formis præstantissima quæque deligebat, qui et popularis esset observantia multitudinis, et politicus gubernatione totius urbis, et imperatorius recto in periculis consilio, et magnanimus harum rerum omnium excellentia. Atque hæc in Evagora fuisse, et plura etiam his, ex ipsis factis facile intelligetur.

20. Nam quum civitatem barbarie deformatam suscepisset, quæ ob Phœnicum imperium nec Græcos admitteret nec artes sciret nec emporio uteretur nec portum teneret, tum hæc omnia correxit, tum agri etiam multum adjecit urbemque muro circumdedit et triremes ædificavit, et reliquis apparatibus sic auxit ut cum quavis Græcarum urbium certare possit, tantisque copiis munivit ut multi nunc eam timeant qui prius contemnebant. Neque vero fieri potest ut urbes ita crescant, nisi talibus moribus gubernentur, quales Evagoras habuit, atque ego paulo ante studui commemorare. Quare non metuo ne majora quam pro ejus virtute dicere videar, sed illud verendum potius ne magnitudinem rerum ab eo gestarum oratione mea nequaquam attingam. Quis enim satis prædicet virum tali præditum ingenio, qui non suam tantum urbem bonis institutis excoluit, sed et universos finitimos insulares ad mansuetudinem et moderationem deduxit? Priusquam Evagoras regno potiretur, ea fuerunt sævitia et immanitate ut eos etiam principes putarent optimos, qui Græcos crudelissime tractarent: nunc vero usque adeo sunt alii facti, ut inter se certent quinam ex eis Græcorum amantissimi videantur, eorumque plurimi nostratibus uxoribus ductis liberos procreent, et magis cum instrumento tum institutis Græcanicis gaudeant quam patriis et domesticis, pluresque in musicis et aliis artibus eruditi his in locis versentur quam apud eos ubi antea degere soliti fuerant. Neque vero quisquam est quin hæc accepta esse Evagoræ referenda fateatur.

21. Illud autem certissimum signum est et morum et sanctitatis ejus: quod Græcorum complures optimi et honestissimi viri patria relicta habitatum in Cyprum concesserunt, existimantes regnum Evagoræ plus æquitatis et liberalitatis habere quam suas domi respublicas. Ac cæteros quidem nominatim recensere perquam operosum fuerit: Cononem autem, qui virtutibus plurimis princeps Græcorum fuit, quis ignorat, quum nostra urbs cladem accepisset, ad Evagoram selectum e cæteris omnibus se contulisse? quod putabat se apud eum et saluti suæ rectissime consulturum, et reipublicæ erigendæ adjutorem quamprimum habiturum? Quum autem prius multis de rebus recta consilia iniisset, nulla tamen de re unquam visus est quam de hac melius statuisse: siquidem ita contigit ut

propter adventum in Cyprum plurima beneficia et daret et acciperet. Primum enim statim ut congressi sunt, pluris uterque alterum fecit quam vetustate amicitiæ conjunctos. Deinde cum cæteris de rebus perpetuo consenserunt, tum de nostra civitate in eadem sententia fuerunt. Quam quum viderent ingenti mutatione facta parere Lacedæmoniis, graviter molesteque tulerunt, sicut utrumque decuit: nam alteri natura erat patria, alterum ob multa et magna beneficia lege in civitatem adscripserant. Cogitantibus igitur eis quomodo e calamitatibus eam eriperent, mox opportunitatem Lacedæmonii præbuerunt: qui, quum Græcis terra marique imperarent, insatiabili cupiditate incitati Asiam quoque vastare cœperunt. Ea igitur hi occasione arrepta, regios duces quid consilii capiendum esset dubitantes, docuerunt, non terra sed mari aggrediendos esse Lacedæmonios, existimantes, si peditatu conscripto terra vicissent, Asianis duntaxat consultum fore, sin mari superassent, totam Græciam ex ea victoria fructus esse capturam. Id quod evenit: nam, quum duces huic consilio paruissent ac classem comparassent, et Lacedæmonii navali prælio victi et imperio privati sunt, et Græci libertatem recuperarunt, et nostra urbs antiquæ gloriæ partem quandam denuo recepit, delatumque a sociis principatum accepit. Atque hæc gesta sunt, Conone quidem duce, Evagora vero tum ipso strenuam operam navante tum maximam copiarum partem comparante. Pro quibus meritis nos eis maximos honores decrevimus, et statuas posuimus in eo loco, in quo Jovis Servatoris simulacrum est, tum illi tum inter se vicinas, quæ utriusque rei monumentum essent, et maximi beneficii et amicitiæ quæ fuit inter ipsos.

22. Rex vero Persarum non eodem modo erga eos affectus fuit, sed quo res majores et illustriores gesserant, eo magis eos formidavit. Ac de Conone alio loco dicemus: quæ vero mens ejus erga Evagoram fuerit, ne ipse quidem dissimulare studuit. Constat enim eum in bellum Cyprium majore conatu incubuisse quam in cætera universa, et hunc majorem ac graviorem adversarium judicasse quam Cyrum qui cum eo de regno decertavit. Et hoc maximum signum est: quod auditis fratris apparatibus adeo securus fuit, ut parum abesset quin ob incuriam in ipsa prope regia opprimeretur; alterum vero tamdiu ante formidavit, ut inter accipiendum beneficia bellum adversus eum moliretur, non ille quidem justitiæ studio, sed tamen non stulto prorsus consilio. Sciebat enim multos tum Græcorum tum barbarorum a contemptis initiis profectos maxima imperia evertisse, intelligebat etiam Evagoræ magnanimitatem et successus tum gloriæ tum rerum gestarum non lente progredi videbat, sed et insuperabili eum esse ingenio, et fortunam habere adjutricem: quare non iratus ob ante facta sed de futuris sollicitus, neque Cypro tantum metuens sed rebus longe majoribus timens, bellum contra

eum suscepit; idque tanta mole, ut in eam expeditionem amplius quindecim millia talentum insumpserit.

23. Evagoras tamen omnibus copiis inferior, opposito suo consilio contra tam immensos apparatus, se in his longe admirabiliorem præbuit quam in iis omnibus quæ supra diximus. Dum enim eum pace frui patiebantur, suam duntaxat urbem habuit: postquam vero armis se defendere coactus est, talem se præbuit talemque adjutorem filium Pnytagoram habuit, ut parum abesset quin tota Cypro potiretur, Phœniciam vero vastavit, Tyrum vi cepit, Ciliciam ad defectionem a rege impulit, et tantam hostium stragem edidit, ut multi Persarum sua mala deplorantes virtutem illius recordentur; eo denique rem redegit ut eos tanta belli satietas caperet, ut quum reges superiori tempore non redire in gratiam cum iis qui defecerant consuevissent antequam corporibus eorum potiti essent, cupide pacem fecerint, soluta quidem lege illa, sed nihil mutato Evagoræ imperio. Ac Lacedæmoniis quidem, qui ea tempestate et gloria et potentia excellebant, intra triennium eripuit imperium: sed bello hoc in decimum usque annum prorogato, dominum earundem rerum reliquit Evagoram, quas ante illatum bellum habuerat. Et quod omnium maximum est: quam urbem Evagoras altero regnante cum quinquaginta viris ceperat, eam magnus rex tantis copiis instructus subigere non potuit.

24. Enimvero qua ratione vel fortitudo vel prudentia vel universa virtus Evagoræ dilucidius ostendi posset, quam talibus facinoribus et pugnis? Non enim cætera bella tantum sed illud etiam ab heroibus gestum et ab omnibus mortalibus celebratum superavit. Nam illi quidem cum universa Græcia Trojam solam ceperunt, hic vero quum unam tantum haberet urbem bellum totius Asiæ toleravit: quare si tot eum laudare voluissent quot illos, majorem etiam quam illi gloriam adeptus esset.

25. Quem enim inveniemus illius sæculi, si omissis fabulis rem ipsam spectemus, qui talia perfecerit, aut qui tantarum in rebus mutationum fuerit auctor? Nam et e privata vita ad regnum suapte virtute adscendit, et suum genus plane pulsum a republica in convenientem dignitatis gradum restituit, et cives e barbaris Græcos, ex effœminatis bellicosos, ex obscuris celeberrimos, effecit: præterea locum eum, quum abhorrentem a commerciis et prorsus efferatum invenisset, mansuetiorem et mitiorem reddidit; post susceptis cum rege inimicitiis tam præclare eum ultus est, ut bellum in Cypro gestum nulla oblivione queat aboleri, dum vero socius regis esset tanto plus in eo quam cæteris præsidii fuit, ut extra controversiam ad Cnidum navale prælium maximas ei vires contulerit, quo confecto non modo rex totius Asiæ dominatu potitus est, sed et Lacedæmonii qui ante in Asia grassabantur de aris et focis dimicare

sunt coacti, et Græci excusso jugo servitutis libertatem receperunt, et Atheniensium opes ita creverunt ut qui prius illis imperarant ad ipsos venirent imperium traditurі.

26. Quare si quis me roget quid inter Evagoræ facinora maximum esse judicem, utrum navatam operam et apparatus contra Lacedæmonios, propter quæ hæc quæ diximus facta sunt, an extremum bellum, an occupationem regni, an totam rerum administrationem, quid respondeam non sim habiturus: nam singula, quæ accuratius cum animo meo expendo, maxima et maxime admirabilia mihi semper videntur.

27. Quare si qui veterum immortalitatem virtute sibi pepererunt, illum etiam eo munere dignatum esse censeo, his argumentis adductus, quod hanc quoque vitam felicius et deo longe acceptius quam illi ad obitum usque exegit. Nam semideorum plerosque et eos quidem celeberrimos in maximas scimus incidisse calamitates, Evagoras vero non admirabilissimus tantum sed etiam beatissimus jam inde ab initio permansit.

28. Quæ enim felicitatis pars ei defuit? qui tales majores habuit quales nemo alius, nisi ex eadem familia oriundus, qui tantum et corpore et ingenio cæteris præstitit ut non Salaminis tantum sed totius Asiæ dignus esset imperio; deinde in regno quod pulcherrime paraverat vitam exegit, et quum mortalis esset natus immortalem nominis sui memoriam reliquit, et eo usque vixit, ut neque senectutis esset expers neque morbis qui hanc ætatem comitari solent premeretur; præterea, quod rarissimum et difficillimum habetur, ut idem et multos et felices liberos susciperet, ne id quidem ei defuit, sed et ipsum contigit; et, quod maximum est, neminem e se natum reliquit qui plebeiis nominibus salutetur, sed alium regem, alios principes, alias principum uxores. Quare, si qui veterum poetarum magnificentius locuti deum aliquem esse inter homines dixerunt aut numen mortale, ea universa de illius natura et ingenio convenientissime dicerentur.

29. Ac multa quidem me quæ dicenda essent de Evagora prætermisisse arbitror; desidero enim vigorem ætatis, cujus ope accuratius et studiosius laudationem hanc perfecissem: verumtamen etiam nunc, quantum in meis viribus fuit, non defuit ei laudatio.

30. Ego vero, Nicocles, pulcra monumenta esse statuo etiam corporum imagines, sed longe majoris pretii esse puto simulacra mentis et actionum, quæ in artificiosis duntaxat orationibus conspiciuntur. Quas ego ideo cæteris rebus antepono, tum quod præstantes viros animadverto non tam forma corporis superbire, quam facinora nominisque memoriam sibi laudi ducere; tum quia necesse est expressas corporum formas apud eos duntaxat esse apud quos positæ fuerint, orationes autem in Græcia vulgari possunt, et in

cœtus eruditorum editæ magni fieri ac diligi, apud quos esse in gloria præstat quam apud alios universos; deinde fictis et pictis imaginibus nemo naturam corporis expresserit, mores autem aliorum et ingenia quæ oratione repræsentantur facile est imitari, si qui repudiata ignavia viri boni esse meditentur.

31. Quo libentius etiam orationem hanc scribendam suscepi, quod existimabam et tibi et tuis liberis et cæteris ab Evagora oriundis longe pulcherrimam fore adhortationem, si quis congregatas ejus virtutes et verbis exornatas vobis spectandas quotidieque versandas manibus atque animis tradidisset. Nam cæteros ad sapientiæ studium laudibus aliorum propositis exhortamur, ut earum laudum æmulatione incitati earundem etiam virtutum desiderio inflammentur: ego vero te ac tuos non alienis exemplis usus sed domesticis hortor, et in eo elaborandum tibi esse censeo, ne vel eloquentia vel sapienti rerum administratione ullo Græcorum sis inferior.

32. Neque vero putes te accusari a me ignaviæ, quod te ad easdem res toties exhortor. Nec enim vel me vel alios præterit, te et solum et primum eorum, qui regia dignitate præditi opibus et deliciis circumfluunt, sapientiæ studium amplexum honestos labores promptissime capessere; nec illud etiam obscurum est, multos reges exemplo doctrinæ tuæ incitatos, omissis iis rebus quibus nunc impense gaudent, istud studiorum et disciplinæ genus expetituros. Verum ego, quamvis hæc sciam, nihilominus tamen et facio et faciam idem quod in ludis gymnicis a spectatoribus fieri solet: nam illi acclamant cursoribus non ignavissimis, sed victoriæ proximis.

33. Quare meum et cæterorum amicorum officium est, ea tum dicere tum scribere per quæ te acuamus ad ea desideranda quæ tibi etiam nunc placuerunt: te vero decet nihil prætermittere, sed ut in præsentia sic in posterum quoque curam tui gerere, et exercere ingenium, ut et patre dignum te præbeas et cæteris tuis majoribus. Nam cum omnibus convenit magni facere sapientiam, tum vobis qui in multa maximaque habetis imperium in primis. Non autem eo contentus esse debes, si iis qui nunc sunt jam sis præstantior, sed indignari, si ipse et tali præditus ingenio, et si prima origo repetatur Jove, sin ad proxima veniamus e viro virtute præstantissimo natus, non multum antecellas tum cæteris tum iis etiam qui in pari dignitatis gradu sunt collocati. Est autem in te situm ne his frustrere: nam, si in studio sapientiæ perseveraris et tantos progressus feceris quantos hactenus, celeriter talis evades qualem te esse decet.

ISOCRATIS

HELENÆ LAUDATIO.

1. Sunt qui sibi valde placeant, si argumentum absurdum et admirabile aggressi de eo tolerabiliter dicere queant: et per omnem ætatem in ore habent alii non posse mentiri quemquam aut contradicere neque duas de rebus iisdem contrarias orationes habere, alii fortitudinem et sapientiam et justitiam idem esse, neque nos istarum rerum natura quicquam habere, sed unam esse scientiam qua hæc omnia tradantur; alii tempus rixis terunt quæ quidem utilitatis nihil afferunt, sed negotia facessere possunt auditoribus.

2. Ego vero si nuper ineptias istas in eloquentiæ studium invectas viderem illosque inventorum novitate gloriari, eorum insolentiam non perinde mirarer: nunc quis adeo rudis est qui nesciat Protagoram ac illius temporis sophistas et talia et his longe operosiora scripta nobis reliquisse? Nam qui superari ab ullo posset Gorgias qui nihil in rerum natura esse dixit quod sit, aut Zeno qui probare conatur eadem et posse et non posse fieri, aut Melissus qui, quum res infinitæ sint, rationes invenire conatus est quibus demonstraret unum quiddam esse totam rerum universitatem?

3. Etsi autem illi tam evidenter ostenderunt facile esse de quacunque re si libeat falsam orationem comminisci, adhuc tamen in eo loco immorantur isti: quos decuit omissis præstigiis illis, quæ quum verbis alios convincere se profiteantur, reipsa jam olim ipsæ convictæ sunt, veritati studere, et suos auditores in iis rebus quæ in vita communi usum habent erudire, atque in actionibus civilibus earumque peritia exercere, illud cogitantes, longe præstabilius esse de rebus utilibus mediocres opiniones habere quam supervacanearum exquisitam cognitionem, et aliis paulo superiorem esse in magnis quam in parvis, præsertim iis quæ vitam nihil adjuvant multum excellere.

4. Verum istis nihil aliud curæ est, nisi ut ab adolescentibus pecuniam auferant. Idque præstare potest rixosa illa eloquentia: nam, qui neque publicam neque privatam rem curant, hi disputationibus illis delectantur maxime quæ prorsus omni carent utilitate.

5. Ac adolescentibus quidem omnino venia hujus erroris danda est; quum omnibus in rebus ea maximi faciant quæ supervacanea sunt et a communi sensu abhorrent: qui autem magistros se perhiberi volunt reprehendendi sunt, qui, quum eos accusent qui in

privatis contractibus fraudant et fallunt aliquos et sermone ad injurias abutuntur, ipsi multo gravius delinquunt. Nam illi quidem damnum dant alienis, hi vero suis familiaribus potissimum incommodant.

6. Mentiendi licentia tantopere aucta est, ut jam quidam, dum istos hujusmodi rebus ditari vident, scribere audeant mendicorum et exsulum vitam magis expetendam esse quam hominum cæterorum. Id autem venantur ut vulgo persuadeant, se, quum de rebus ita improbatis verba suppetant, ad res præclaras exponendas luculenta oratione facile abundaturos. Mihi vero nihil æque ridiculum videtur ac quod istis rationibus probare student se rerum civilium peritos esse, quum in iis ipsis quæ pollicentur specimen eruditionis suæ præbere possent: nam, qui prudentia præstare cæteris et sophistæ videri volunt, excellere ac superare indoctos debent, non rebus quas alii negligunt, sed iis quas universi æmulantur. Nunc perinde faciunt, ac si is qui se pugilum præstantissimum esse profiteatur, eum in locum descendat quo nemo sequi dignetur. Quis enim sanæ mentis homo calamitates laudare instituat? Facile igitur cernitur eos ob ingeniorum infirmitatem huc confugere. Est enim ejusmodi scriptionum una quædam via, nec ad inveniendum nec ad discendum nec ad imitandum difficilis: communes autem et fide dignæ et verisimiles orationes per multas formas et observationes cognitu difficiles tum inveniuntur tum discuntur, ac tanto difficilius componuntur, quanto gravitas scurrarum levitate, res seria ludis et jocis, est laboriosior. Idque ex eo intelligitur: quod neminem unquam, qui apiculas et salem et reliqua ejus generis laudare voluit, verba defecerunt; qui vero de rebus omnium confessione præclaris et bonis aut viris virtute præstantibus dicere conati sunt, hi universi longe tenuius dixerunt quam argumenti magnitudo postulabat. Non enim ejusdem est ingenii pro utrorumque dicere dignitate, sed ut expeditum parva oratione superare, sic ingentium æquare dicendo magnitudinem difficillimum: ac de rebus luculentis difficile est aliquid afferre in medium quod nemo ante usurparit, de rebus autem contemptis et humilibus quicquid vel in buccam venerit, omne proprium fuerit.

7. Quapropter eum qui de Helena scripsit maxime laudo inter eos qui dicendo aliquid illustrare voluerunt, quod eam mulierem celebrandam duxit, quæ et genere et forma et gloria multum excelluit. Sed et illum tamen parvum quiddam fefellit: nam, quum se laudationem scripsisse profiteatur, defensionem potius factorum illius edidit. Neque vero ejusdem generis est nec de rebus iisdem habetur oratio, imo nihil fieri posset magis contrarium: defendendi enim sunt qui criminis alicujus accusantur, laudandi qui bono quopiam aliis antecellunt.

8. Ne vero id quod facillimum est facere videar, ut in reprehensione aliorum nihil ipse meum proferam, de hac ipsa facere verba conabor, prætermissis omnibus iis quæ cæteri dixerunt.

9. Orationis autem exordium a primordio generis ipsius ducam. Nam, quum semidei plurimi a Jove procreati sint, solius hujus mulieris pater vocari voluit. Et quamvis Alcmenæ filium maximi fecerit, tanto plus tamen honoris Helenæ habuit, ut illi robur dederit, quod vi cæteros omnes vincere potest, huic pulcritudinem attribuerit, quæ ipsi robori solet imperare. Quia vero non quiete et otio sed bellis et periculis splendorem atque excellentiam comparari sciebat, nec eorum corpora tantum immortalitate donare sed ipsos etiam perpetuitate nominis ornare decreverat, alterius vitam laboribus et periculis plurimis obnoxiam esse voluit, alterius naturam illustrem et expetendam reddidit.

10. Ac primum Theseus, Ægei verbo, reipsa Neptuni filius, visa ea dum quidem immatura esset adhuc, sed aliis jam nunc præstaret, usque adeo pulcritudine ejus superatus est is qui alios vincere solebat, ut, quum patriam haberet amplissimam et regnum tutissimum, in illis ipsis bonis absque hujus familiaritate vitam sibi acerbam fore putaret; sed quia eorum voluntate quorum erat auctoritas ea potiri non poterat — nam illi et ætatem puellæ et oraculum Delphicum exspectabant —, despecto Tyndarei regno, et Castoris Pollucisque viribus, et periculis omnibus quæ a Lacedæmoniis impendebant neglectis, Aphidnam Atticæ oppidum vi raptam pertulit, tantoque se Pirithoi beneficio qui ejus rapiendæ socius fuerat affectum esse putavit, ut, quum ille ambire Proserpinam Jovis et Cereris filiam vellet eumque ut secum ad inferos descenderet rogaret, quum dehortando et dissuadendo nihil profecisset, quanquam in conspectu erat calamitas tamen eum comitatus sit, existimans hanc mercedem ejus deberi meritis et susceptæ una periculi societati, ne ulla Pirithoi jussa detrectaret.

11. Quod si is qui hæc egit vulgaris aliquis fuisset et non vir excellentissimus, nondum constaret utrum hæc oratio laus Helenæ an Thesei potius esset accusatio: nunc inter cæteros illustres viros, alium fortitudinis, alium sapientiæ laude, alios aliis hujusmodi virtutibus caruisse reperias, huic vero soli defuisse nihil, sed virtutem numeris omnibus absolutam contigisse. Lubet autem de eo dicere prolixius: nam laudatores Helenæ hoc argumento maximam sibi fidem conciliaturos existimo, si ostenderint amatores et admiratores ejus, ipsos aliis admirabiliores exstitisse.

12. Nam quæ nostra ætate facta sunt, de iis haud injuria nostrum judicium interponimus, in rebus vero a nostra memoria ita remotis par nos est illorum temporum prudentibus viris assentiri. Ac pulcherrimum de Theseo dicere illud habeo, quod Herculis temporibus natus ita se gessit ut parem cum illo gloriam consequeretur. Nec

enim simili armorum genere duntaxat sese ornarunt, sed eadem quoque studia coluerunt, ut decebat eorum necessitudinem. E fratribus enim geniti, alter Jove, Neptuno alter, fraternas etiam cupiditates habuerunt. Nam hi soli ex omni memoria pro defensione humani generis pugilum instar semper velut in procinctu steterunt.

13. Sic autem contigit, ut alter celebriora et majora, alter utiliora et conjunctiora Græcis, certamina subiret: nam illi Eurystheus imperabat ut boves ex Erythea abigeret, ut mala Hesperidum afferret, ut Cerberum adduceret, et alios ejus generis labores susciperet, quibus nihil aliis commodaret, sed ipse in discrimen atque periculum vocaretur; hic vero quum juris esset ea certamina delegit, quibus vel Græciam vel patriam suam beneficiis cumularet. Proinde, tum taurum et a Neptuno immissum et Atticam vastantem, cum quo universi congredi non audebant, solus ipse domuit magnoque metu et magna omnes qui urbem incolebant trepidatione liberavit: tum inita cum Lapithis societate et expeditione contra centauros bimembres celeritate et viribus et audacia præstantes suscepta, qui urbes alias vastarant aliis imminebant aliis minitabantur, his prælio victis, mox et eorum ferociæ modum statuit, neque multo post genus omne prorsus delevit. Circa eadem tempora quum monstrum illud in Creta educatum atque ex Pasiphae Solis filia natum exstitisset, cui tributi nomine nostra urbs bis septenos pueros ex oraculo mittebat, quum videret eos duci toto populo comitante ad necem indignam certumque interitum et viventes adhuc lugeri pro mortuis, tanta indignatione exarsit ut potius esse duxerit emori quam vivere et imperare civitati quæ tam miserabile tributum hostibus pendere cogeretur. Conscenso igitur una cum illis navigio, et ea natura superata quæ quidem e viro et tauro conflata esset, tantoque robore polleret quanto par est eam quæ talibus corporibus constat, non pueros solum parentibus incolumes restituit, sed urbem etiam tam injusto tamque acerbo et inevitabili edicto liberavit.

14. Equidem sum animi dubius quid consilii de reliquis capiam: posteaquam enim ad Thesei facinora perveni deque illis dicere cœpi, vereor ut deceat in medio veluti cursu oratione abrupta Scironis et Cercyonis aliorumque ejus generis immanitatem prætermittere, quibus ille fortiter superatis multarum et magnarum calamitatum Græcis remedium attulit, sed me excedere modum ac providendum esse video ne qui me putent de hoc laborare magis quam de ea propter quam hæc instituta fuit oratio. Quæ utraque quum ita se habeant, plurima transire silentio statui propter morosos auditores, ac cætera quam potero brevissime percurrere, ut partim illis partim mihi ipse gratificer, neque prorsus illis cedam qui obtrectare atque omnia quæ dicuntur cavillari consueverunt.

15. Fortitudinis igitur suæ specimen in his facinoribus edidit, quibus ipse solus pugnavit, rei militaris autem scientiam in præliis ostendit, quæ totius civitatis copiis munitus fecit, pietatem porro erga deos immortales in Adrasti et liberorum Herculis supplicationibus — nam hos prælio victis Peloponnensibus conservavit, illi eos qui sub Cadmea ceciderant Thebanis invitis sepeliendos tradidit —, cæteras vero virtutes et moderationem tum in his quæ jam diximus tum in urbis administrandæ ratione.

16. Quum enim animadverteret eos qui civibus per vim imperare studerent servire aliis, et qui cæteris vitam periculosam redderent metu perterritos vivere cogique bella gerere, civibus quidem adjutoribus contra externos hostes, copiis vero aliunde paratis contra ipsos cives, præterea spoliare templa deorum et optimos quosque cives interficere et diffidere conjunctissimis, et nihilo vivere tranquillius quam eos qui in vincula conjecti judicium capitis subituri sunt, et quum foris felices videantur, ipsos intra sese pluribus quam alios confici molestiis — quid enim acerbius est quam in metu vivere ne a proximo quoque juguleris, et custodes non minus formidare quam insidiatores —, his igitur omnibus contemptis, quum id genus hominum non esse principes sed pestes civitatum existimaret, facile esse demonstravit simul et imperare et nihilo deteriore esse conditione quam eos qui pari et æquo jure vivunt cum cæteris civibus.

17. Ac primum civitatem, quæ prius sparsim et vicatim habitabat, in unum locum congregatam tantam effecit, ut etiam nunc ex eo tempore Græcarum urbium sit amplissima: deinde patriam communem omnibus constituit, et liberatis civium animis, in contentione honorum parem aditum ad magistratus omnibus esse voluit; confidebat enim se non minus fore principem si sese exercerent quam si ignavia torperent, atque sciebat eos honores longe suaviores esse qui a viris magnanimis deferrentur quam eos qui a servitute oppressis haberentur. Tantum autem abfuit ut quicquam civibus invitis ageret, ut et ipse summam rerum administrare populum juberet, et illi solum eum regnare vellent, existimantes ejus monarchiam fideliorem et æquiorem esse quam suam democratiam. Non enim quod alii solent labores civibus mandabat, voluptates solus ipse capiebat, sed pericula sibi privatim vendicabat, utilitates in commune conferebat. Itaque vitam et sine ullis insidiis et summa omnium caritate peregit; non peregrino milite imperium muniendo, sed benevolentia civium se tuendo, potestate rex, beneficiis popularis. Tanta enim æquitate tam præclare urbem administravit, ut etiam hodie quoddam ejus mansuetudinis vestigium in nostris institutis reliquum animadvertatur.

18. Eam igitur, quæ et Jove nata et tantæ virtuti ac modestiæ dominata est, nonne laudari decet ac honorari longeque omnibus

omnium temporum hominibus anteferri? Nec enim testem fide digniorem neque judicem magis idoneum bonorum quibus Helena prædita fuit quam Thesei mentem adducere poterimus. Ne vero ex inopia hoc loco immorari aut viri unius ad eam laudandam abuti gloria videar, ea quæ restant explicabo.

19. Nam, quum post Thesei descensum ad inferos Lacedæmonem reversa jam nubilis esset, universi reges illius temporis et principes idem quod Theseus de ea senserunt. Etsi enim potestas eis dabatur primarias e suis urbibus mulieres deligendi, spretis tamen domesticis nuptiis ad eam ambiendam profecti sunt. Quum vero nondum esset exploratum, communi adhuc fortuna, quisnam ejus nuptias obtineret, adeo tamen nemo erat qui vocaret in dubium quin armis de ea dimicandum foret, ut congressi fidem mutuo dederint se omnino adjuturos eum qui connubio illius potiretur, si quis eam per vim abduxisset; putabat enim quisque se sibi præsidium illud parare. Ac spe quidem privata uno viro excepto sunt omnes frustrati, communis autem quæ de ea fuit opinio fefellit neminem.

20. Post parvum enim temporis spatium orta inter deas lis est de præstantia formæ et ejus arbiter honorarius Priami filius Alexander delectus, qui Junone regnum Asiæ, Minerva victoriam in bellis, Venere conjugium Helenæ pollicente, quum non posset corpora dijudicare neque divinorum vultuum fulgorem sustinere ac munerum potius esse judex cogeretur, consuetudinem Helenæ cæteris omnibus anteposuit, non quod voluptates præcipue spectaret — etsi enim eas viri sapientes multis aliis rebus præferunt, non tamen eo impulsus est —, sed Jovis gener fieri [et nominari] studuit, quem honorem longe majorem et præclariorem quam Asiæ regnum existimabat; magna enim imperia et potentiam etiam nihili hominibus olim obventura, tali vero muliere ex omni posteritate dignatum iri neminem: animadvertit etiam se nullum pulcrius patrimonium suis liberis posse relinquere, quam si tam paternam quam maternam originem ad Jovem referrent. Quippe qui sciret cætera fortunæ commoda celeriter aut interire aut transire ad alios, sed nobilitatem semper apud eosdem permanere; quare hunc delectum in totius sui generis commodum cessurum prospiciebat, quum cætera munera non ultra sui ævi terminos duratura essent.

21. Nemo itaque vir cordatus est quin hæc prudentissime cogitata fateatur, quidam autem, ex eorum numero qui nihil quod rem antecessit considerant sed ex eventu judicant omnia, convitiis eum incessere non dubitarunt; quorum amentia ex ipsis maledictis animadverti ab omnibus facile potest. Quid enim magis ridiculum admittere queant quam si sua ingenia illi antecellere putent cui primas deæ detulerunt? Nec enim quibus de rebus tanta inter ipsas orta erat contentio, eas cujuslibet auctoritati dijudicandas permiserunt, sed de optimo judice deligendo non eas minus fuisse sollicitas, quam de re ipsa laborasse, facile apparet. Considerandum est autem qualis fuerit et judicium de eo faciendum non e victarum iracundia, sed ex illarum omnium sententia, quum ejus mentem præ cæteris delegerunt. Nihil enim prohibet a potentioribus male accipi etiam innocentes; eum autem honorem adipisci, ut qui mortalis est dearum judex fiat, id vero contingere non potest nisi viro laude sapientiæ præstantissimo.

22. Miror autem esse quenquam qui male sibi consuluisse illum putet, qui cum ea vivere decreverit propter quam multi ex semideis emori voluerunt. An vero non desipuisset, qui deas de forma contendere sciret, si formam ipse sprevisset nec id maximum donum existimasset, quod ab illis quoque maximi fieri vidisset?

23. Quis vero conjugium Helenæ aspernatus esset, qua rapta Græci non secus ac si tota Græcia vastata fuisset indignati sunt, et barbari ita superbierunt quasi nos omnes superassent? Neque vero obscurum est quibus animis utrique fuerint: nam, quum ante alteri alteris multa crimina intulissent, propter alia nihil moverunt, ob hanc autem tantum bellum concitarunt, non solum iræ magnitudine, sed et longitudine temporis et apparatuum copiis, quantum ad eum diem nullum fuerat unquam. Etsi autem potestas dabatur alteris Helena reddita urgentibus malis liberari, alteris ea neglecta omne deinceps tempus ætatis domi secure degere: neutri tamen hæc voluerunt: sed illi et urbes exscindi et agros vastari siverunt, ne Græcis eam redderent, hi peregre consenescere et suos nunquam intueri quam hac relicta domum reverti maluerunt. Et hæc egerunt non quod vel Alexandrum vel Menelaum tanti facerent, sed alteri pro Asia, alteri pro Europa dimicabant, existimantes in utra corpus ejus incoleret, eam regionem feliciorem fore.

24. Tanta certe cupiditas incessit laborum et expeditionis illius non Græcis tantum et barbaris sed diis etiam, ut ne filios quidem suos a Trojani belli discriminibus abesse vellent; nam, quamvis prævidisset Jupiter fatum Sarpedonis, Aurora Memnonis, Neptunus Cygni, Thetis Achillis, tamen eos cohortati cæteris adjunxerunt, existimantes gloriosius eis fore si de filia Jovis dimicantes occumberent quam si periculorum illorum expertes domi consenescerent. Quis vero miretur eos de suis filiis ita statuisse? quum ipsi dii eo bello multo acrius et vehementius præliati sint quam contra gigantes: nam illos quidem conjunctis viribus propulsarunt, propter hanc ipsi inter sese dimicarunt.

25. Recte autem et illi sic senserunt, et hæc mihi grandiloquentia concessa est: nam insigni pulcritudine prædita fuit, quæ in tota rerum natura nihil est augustius nihil pretiosius nihil divinius. Cujus vires hinc facile intelliguntur: eorum enim quæ vel fortitu-

dine vel justitia vel sapientia non sunt prædita multa invenias honorata magis quam unamquamque harum virtutum, eorum autem quæ pulcritudine destituuntur nihil diligi, sed contemni potius omnia quæ hujus boni expertia sunt, et virtutem eo potissimum celebrari, quod omnium actionum pulcherrima sit, reperiemus. Quantum autem pulcritudo antecellat omnibus rebus, e nostris affectionibus erga formosos potest intelligi. Nam cæteris rebus, quarum usus aliquis nobis esse potest, tantum potiri volumus, animi vero propensione ulterius haud progredimur: at pulcrorum amor natura nobis est insitus, cujus tanto majores vires sunt quam ut deliberandi spatium præbeat, quanto res ipsa est præstantior. Ac iis quidem qui vel sapientia vel alia quapiam facultate præcellunt invidemus, nisi nos quotidianis beneficiis alliciant et sui amorem quasi extorqueant: formosis autem e primo statim adspectu benevolentia conjungimur, et solos eos quemadmodum deos colendo non defatigamur, sed libentius eis inservimus quam aliis imperamus, majoremque illis gratiam habemus si multa imperent quam si nihil faciendum denuntient. Jam si qui alteri cuipiam præcellentiæ obnoxii sunt, eos insectamur et adulatores nominamus, servos autem pulcritudinis elegantes et industrios existimamus. Tanta denique pietate et cura formam complectimur, ut, si qui formosorum malo consilio florem ætatis prostituerint, severiore censura notemus quam eos qui aliena corpora violarunt: qui vero ita suam formam custodiunt, ut tanquam in templum nullus improbis pateat aditus, eos reliqua ætate perinde ac si toti civitati benefecissent honoramus.

26. Et quid opus est humanis opinionibus recensendis immorari? quum Jupiter optimus maximus in aliis potentiam suam demonstret, ad pulcritudinem vero humili persona suscepta accedendum esse censeat. Amphitryoni enim factus similis ad Alcmenam venit, in aureum imbrem mutatus cum Danae congressus est, oloris figura in sinum Nemesis confugit, atque iterum ejusdem avis speciem quum haberet Ledam sibi despondit; denique semper arte quapiam nunquam vi talem naturam eum consectatum esse constat. Et apud deos forma tanto est quam apud nos honoratior, ut etiam suis uxoribus quum ab ea vincuntur ignoscant: multæque dearum immortalium proferri possunt, quæ quum humanæ formæ succubuerent, tantum abfuit ut ulla rem eam sibi dedecori esse putaret aut clam habere studeret, ut tanquam re bene ac laudabiliter gesta hymnis celebrari potius quam sileri voluerint. Cujus rei signum illud evidentissimum est: quod plures ob formæ præstantiam immortalitatem adeptos esse scimus quam propter virtutes cæteras universas.

27. Quibus Helena tanto meliore conditione fuit, quanto eis etiam facie præstitit. Non enim immortalitatem tantum adepta est, sed et potestatem divinam consecuta primum fratres qui fato jam concesserant inter deos retulit: cui mutationi quum auctoritatem et fidem afferre vellet, honores ita manifestos eis dedit, ut in mari conspecti periclitantes servent quicunque ipsos pie invocarint. Deinde Menelao tantam gratiam retulit pro laboribus et periculis sua causa susceptis, ut quum genus omne Pelopidarum interisset malis inexplicabilibus oppressum, non tantum ex illis calamitatibus eum eripuerit, sed et mortalem ejus sortem divinitate mutarit eumque contubernalem sibi et assessorem in omne ævum constituerit. Quarum mihi rerum Spartiatarum urbs diligentissima vetustatis custos re ipsa testimonium perhibebit: nam in hunc usque diem Therapnis in Laconia patrio ritu sancte illis sacra faciunt, non ut heroibus sed utrique ut divis.

28. Ostendit etiam Stesichoro poetæ suam potentiam: qui quum initio sui carminis eam nonnihil perstrinxisset maledictis, surrexit oculis orbatus, sed ubi causa ejus calamitatis intellecta palinodiam quam vocant fecit, illius beneficio visum recepit. Quinetiam Homeridarum quidam aiunt, eam noctu Homero adstitisse ac mandasse ut de iis scriberet qui ad Trojam militassent, quo mors eorum optabilior quam aliorum vita redderetur; ac poesim ejus, ex parte quidem Homeri etiam solertia, in primis vero propter Helenam, ita gratiosam et apud omnes celebrem esse factam.

29. Eos igitur qui opibus pollent donariis et sacrificiis et supplicationibus cæterisque cultibus placare et honare decet eam, et eruditos aliquid de ea dicere quod præclaris ipsius dotibus dignum habeatur, ut quæ tum irrogare pœnam tum gratiam referre possit: nam liberaliter institutos tales ei primitias offerre convenit.

30. Plura sunt autem quæ præterii quam quæ commemoravi. Nam præter artes et ingeniose cogitata cæterasque utilitates, quæ in illam Trojanumque bellum referri possent, jure id quoque Helenæ adscribetur, quod barbaris non servimus. Constat enim, quum propter eam Græci concordiam iniissent et communem expeditionem contra barbaros suscepissent, tum primum Europam de Asia triumphasse; unde res nostræ ita mutatæ sunt, ut superioribus temporibus, si qui apud barbaros calamitate premebantur, imperium in Græcas urbes sibi arrogarent, nam Danaus ex Ægypto profugus Argos occupavit, Cadmus Sidonius Thebis imperavit, Cares insulas tenuerunt, Pelops Tantali filius universam Peloponnesum subegit: post illud autem bellum nostræ gentis opes ita auctæ sunt, ut et magnas urbes et multas provincias barbaris eripuerit. Quare, si qui sunt qui hæc velint expolire et dilatare, non eis occasio defutura est Helenæ extra ea quæ diximus laudandæ, sed multa [et præclara] et nova de ea dicendi materia suppeditabitur.

ISOCRATIS

BUSIRIS.

ARGUMENTUM

INCERTO AUCTORE.

Hæc oratio ad Polycratem sophistam quendam scribitur, paupertate ad docendam rhetoricam adactum, qui quum genere Atheniensis esset, tum in Cypro docebat. Scribit autem Isocrates ut amicus, ad ea ejus errata corrigenda quæ in orationibus duabus, laudatione Busiridis et accusatione Socratis, admiserat. Hic enim est qui Anyto et Meleto eam orationem suppeditavit qua Socrates capitis accusatus est. Accusationis autem capita fuerunt hæc, quod novos deos apud Athenienses introduceret, atque aviculas et canes et ejus generis alia coli juberet, eoque pacto studiosos adolescentes corrumperet. Quæsiverunt quidam cur non aperte contra illum disputarit, an magistro illi pepercerit? Respondemus, eum iram esse veritum Atheniensium, qui Socratem recens condemnarant: quos hac oratione velut arguere videtur injustæ condemnationis. Nam et ipsi postquam impie Socratem supplicio affecissent agnoverunt, et gravi pestilentia afflicti necis illius pœnas dederunt. Periit autem Lachete prætore. Unde post edixerunt, ne quis in posterum Socratis publice, ut in communi theatro, meminisset. Narratur autem hujusmodi quiddam accidisse: Euripidem, quum aliquid de eo dicere vellet nec id tamen auderet, finxisse fabulam de Palamede, ut sub ejus persona occasionem haberet obscure ad Socratis interitum et factum Atheniensium alludendi his verbis, Occidistis occidistis Græcorum optimum. Animadvertente autem populo hæc verba ad Socratem pertinere, ortam in toto theatro esse complorationem. Scribit igitur Isocrates hanc orationem ad Polycratem reprehendendi causa. Si quis autem requirat cur non et altera oratio de Socrate sit ab auctore nostro exposita, is meminerit quod jam diximus, vitandæ offensionis Atheniensium ergo, qui recens illum condemnarant, id esse prætermissum. Busiridis argumentum hoc est. Busiris Libyæ et Neptuni filius, natus in Libya regione, spreta patria in Ægyptum profectus, urbem sibi cognominem Busirim condidit, quæ id nomen etiam hodie retinet. Crimini autem ei datum est, quod non tantum non admitteret hospites, sed etiam sacrificaret. Polycrates igitur, ut sophista et scriptor orationum, defensionem Busiridis et criminum quæ illi objiciebantur purgationem scribere instituit, in quo ab Isocrate reprehenditur, qua ratione scribenda fuisset laudatio admonente. Quare et hæc oratio inter quatuor laudatioues numeratur.

1. Quum æquitatem tuam, Polycrates, mutatumque vitæ genus ex aliis cognovissem et orationum tuarum quasdam ipse legissem, de tota quidem docendi ratione, ad quam necessitate compulsus es, cupidissime tecum ac libere disseruissem — arbitror enim omnium esse officium, qui et exercitatiores sunt et solidiorem rei cognitionem

habent, ut hanc quasi stipem ultro conferant ad eos sublevandos qui nulla sua culpa calamitosi philosophia docenda rem facere conantur —, sed quia nondum ita contigit ut conveniremus, cætera quidem differemus, dum coram copiosius colloqui licuerit, quæ vero in præsentia tibi conferre possem, ea ut ad te scribenda sic cæteros summo studio celanda esse duxi. Etsi autem intelligo plerisque velut innatum esse ut quum admonentur non ad secuturas utilitates respiciant, sed reprehensiones tanto iniquioribus animis ferant, quanto severiore censura in errata inquisitum fuerit: subeundæ tamen hæ sunt offensiones his qui aliquibus ex animo bene volunt, operaque danda est ut qui hoc modo erga consiliarios affecti sunt ab ista opinione deducantur.

2. Quum igitur animadvertam defensione Busiridis et Socratis accusatione te vel in primis gloriari, ostendere tibi conabor te in utraque oratione longe ab oratoris officio aberrasse. Nam quum nemo ignoret ei quem laudare volumus tribuenda esse plura bona quam revera habeat, in vituperando autem contrariam viam esse insistendam, tantum abest ut eam in dicendo rationem tu secutus sis, ut Busiridis defensionem professus non modo crimina quæ illi objiciuntur non refutaris, sed et tam insignem ei notam immanitatis inusseris, ut nihil contumeliosius excogitari queat: nam, quum alii quibus illi maledicere visum est unam in eo mactationem hospitum exsecrentur, tu etiam devorare homines solitum es criminatus; quum vero Socratem accusare instituisses, Alcibiadem ei quasi laudare velles discipulum tribuisti, quem ab eo fuisse eruditum nemo norat, sed longe aliis antecelluisse omnes confitentur. Itaque si defunctis potestas daretur suo arbitratu de tuis orationibus statuendi, alter talem tibi gratiam haberet pro accusatione qualem nemini laudatorum suorum, alter, tametsi in alios fuisset humanissimus, sic indignaretur ut tua verba quovis supplicio vindicaret. An vero non erubescendum potius est illi quam gloriandum, quem diligi magis constet ab iis quos vituperarit quam ab iis quos laudandos susceperit?

3. Adeo autem tibi curæ non fuit consentanea loqui, ut dixeris eum Æoli et Orphei gloriam æmulatum esse, idemque demonstres nihil illi studio fuisse quod cum eorum congrueret institutis. Numquid enim facinora istius cum factis Æoli quæ memorantur conferemus? At is quidem hospites in suum litus ejectos in patriam quenque suam reducendos curavit: iste vero, si tibi quidem habenda fides est, hospites immolatos devoravit. Anne eum cum Orphei factis comparabimus? At his mortuos ab inferis reduxit, iste viventes ante fatum orco tradidit. Quare summopere scire velim quid is facturus fuisset, si eos contempsisset, quem in admiratione virtutis eorum omnia contraria studio habuisse constat. Illud

autem omnium est absurdissimum, quod in genealogiis versatus dicere non dubitasti eum illos esse æmulatum, quorum patres illis temporibus nati nondum erant.

4. Ne vero id quod cuivis in promptu est facere videar, ut tua dicta reprehendam meorumque nihil proferam, conabor tibi paucis ostendere in hoc ipso argumento, quanquam id minime quidem probum est neque honestam orationem suppeditat, quæ sit tum laudandi tum defendendi ratio ineunda.

5. De nobilitate igitur Busiridis quis non facile dixerit? cui pater Neptunus, Libye Jovis ex Epapho neptis mater fuit, quam mulierem primam ferunt regno potitam regioni suum nomen indidisse. Quum autem tales ei parentes contigissent, non splendore solo natalium superbiit, sed suæ virtutis etiam perpetuum monumentum esse relinquendum existimavit.

6. Quare maternum imperium aspernatus ut naturæ suæ præstantia minus, multis vi armorum subactis maximaque potentia parta in Ægypto regnum constituit, ratus sedem illam non iis tantum quas obtineret, sed et universis regionibus multum præstare. Videbat enim cætera loca non commode nec convenienter ad universi naturam posita, partim imbribus inundari, partim fervoribus infestari, hanc vero provinciam in commodissima orbis parte sitam plurimorum ac potius omnis generis bonorum esse feracissimam, et Nilo immortali muro circumdatam, qui eam non tantum muniat sed insita vi etiam liberaliter alat, insuperabilis et inexpugnabilis insidiatoribus, iis autem qui intra eum habitant ad derivationes et alia complura opportunus. Nam præter ea quæ diximus potentiam quoque eorum in cultura terræ prope divinam effecit: imbrium enim et siccitatum, quorum aliis Jupiter promus condus est, horum utrorumque potestatem quivis per se habet. Ac tam immensa felicitate sunt, ut si præstantiam spectes naturamque regionis et campos latissime patentes terra continente fruantur, exportatione autem rerum quibus abundant et importatione quarum egent ob fluminis hujus commoditatem insulam incolant: nam circumcirca eam ambiens et totam interfluens magnam eis opportunitatem utriusque rei suppeditat. Inde igitur auspicatus unde sapientes ordiri decet, locumque quam amœnissimum occupavit, eumque talem unde incolis omnia ad victum necessaria abunde suppeterent.

7. Deinde civibus ordine distributis, alios sacris præfecit, alios opificiis destinavit, alios rei militari vacare coegit, existimans res necessarias et opes tum e terræ cultu tum ex opificiis suppeditari oportere, earum autem custodiam tutissimam esse tum rei militaris exercitationem tum pietatem erga deos.

8. Omnes igitur numeros earum rerum per quas optime respubl. constitui queat absolvit; nam ut singuli easdem res perpetuo tractarent imperavit, haud ignarus eos qui subinde aliud atque aliud munus susciperent nihil exquisite cognitum habere, eos autem qui rebus iisdem perpetuo essent occupati in suo scientiæ genere plurimum excellere. Unde hoc consecuti sunt ut et in singulis artibus longe plus aliis artificibus præstent quam cæteri artifices hominibus illarum ignaris: et ordinem, quo regnum cæteraque reipubl. munia tuentur, tam præclarum servent, ut etiam philosophi celeberrimi, quum his de rebus disputationes instituunt, Ægyptiam reipublicæ formam cæteris anteponant, et Lacedæmonii, qui partem quandam inde ad se transtulerunt, suam rempublicam optime administrent. Nam ut militum nemo sine venia magistratuum peregre abeat et concœnationes et corporum exercitationem, prætereaque ne inopia rerum necessariarum coacti publica edicta negligant aut aliis artibus occupentur, sed omnem ætatem omneque studium in armis et expeditionibus consumant, ab Ægyptiis hæc omnia petita sunt. Tanto autem pejus his institutis utuntur, quod ipsi omnes militiæ dediti vi aliis sua eripere student, illi autem ita vivunt ut eos decet qui nec sua negligunt nec insidiantur alienis. Quantum porro inter utramque gerendæ reipublicæ rationem intersit ex eo perspici potest: quod si omnes pigritiam et avaritiam Lacedæmoniorum imitemur, mox tum ob annonæ penuriam tum propter intestina bella perierimus; sin Ægyptiorum instituta secuti alii opus facere alii horum opes tueri voluerimus, suis quique contenti finibus beatam vitam exigemus.

9. Atque etiam sapientiæ studium illi merito acceptum referetur. Nam sacerdotibus ita prospexit, primum ut e sacris reditibus opes haberent; deinde, quia legibus eorum sanctimonia summa requiritur, ut temperanter viverent; denique, quum immunes sint a militia cæterisque laboribus, ut quiete atque in otio degerent; illi igitur his usi commoditatibus ad corpora juvanda medicinam invenerunt, non eam quæ periculosis medicamentis utitur, sed ejusmodi quæ, quum æque tuto sumi possint ut cibi quotidiani, tantas utilitates habent ut nemo neget eos et saluberrimis esse corporibus et diutissime vivere: ingeniis autem philosophiæ exercitationem demonstrarunt, quæ tum leges sancire tum rerum naturam indagare potest. Ac senibus quidem præcipuas res gestas mandaverunt, adolescentibus autem persuaserunt ut omisso voluptatum studio in astrologia et arithmetica et geometria versarentur, quarum facultatem alii ut ad alia conducibilem laudant, alii eas ad virtutem quoque consequendam adjumenti plurimum afferre contendunt.

10. Maximis autem laudibus et admiratione digna est eorum religio et deorum immortalium cultus. Nam qui ita se pararunt, ut vel scientiæ vel virtutis nomine majorem de se quam pro dignitate opinionem excitarint, hi deceptis nocent: qui autem divinis rebus ita præsunt, ut et auxilia et pœnæ certiores ac paratiores quam sunt

esse videantur, hi vero vitæ mortalium plurimum prosunt. Nam qui ab initio timorem hunc nobis injecerunt, in causa fuere ne inter nos plane bestiarum more viveremus. Illi igitur hæc ita sancte augusteque administrant, ut etiam jurisjurandi religio illorum sacris interpositis sanctior sit quam quæ apud alios recepta est, et ut existiment singulis peccatis confestim paratam esse pœnam, neque fore ut in præsentia delitescant aut ultio in liberos differatur. Neque temere sic opinantur: multas enim eis et varias sanctitatis exercitationes ille constituit, ut qui quædam ex animalibus apud nos contemptis coli et honorari lege lata voluerit, non quod eorum vim ignoraret, sed partim vulgus assuefaciendum esse ad observanda omnia principum edicta existimavit, partim in rebus manifestis experiri voluit quid de occultis sentirent. Nam qui hæc negligerent, eos fortassis etiam majora contempturos; qui autem æque in omnibus ordinem conservarent, eos jam edidisse specimen suæ in colenda religione constantiæ arbitrabatur.

11. Multa, nisi festinatio prohiberet, et mira de sanctitate Ægyptiorum commemorari possent, quæ ego neque solus neque primus perspexi, sed multi tum nostræ tum superioris ætatis homines, quorum de numero fuit etiam Samius ille Pythagoras: qui, quum in Ægyptum profectus illorum disciplinæ se tradidisset, tum reliquam philosophiam primus in Græciam intulit, tum sacrificiorum et consecrationum in templis majus quam cæteri studium habuit, existimans, etiamsi propterea nihilo plus a diis impetrasset, ut maximam celebritatem sermonis hominum ea re se consecuturum. Id quod ei et contigit: tantum enim nobilitate cæteris excelluit, ut et adolescentes omnes ejus discipuli esse cuperent, et senes cum eo vivere mallent suos liberos, quam rem familiarem curare. Atque his abrogari fides non potest: nam etiam nunc, qui se discipulos ejus esse profitentur, eos magis tacentes admirantur quam alios eloquentiæ gloria præstantissimos.

12. Fortassis autem iis quæ diximus occurres, me regionem quidem et leges et pietatem atque etiam sapientiam Ægyptiorum laudare, sed harum rerum auctorem eum esse quem posuerim, nulla ratione demonstrare posse.

13. Ego vero, si quis alius hoc mihi opponeret, erudite me ab eo reprehendi putarem: sed tibi sic argumentari nefas est. Quum enim Busiridem laudare voluisses, dicere non dubitasti eum et Nilum vi ab suo cursu abruptum regionem circumfluere coegisse, et exteros qui eo advenissent immolatos devorasse; nec ullum argumentum, quo probaretur hæc ab eo esse facta, potulisti. Nonne igitur ridiculum fuerit te ab aliis exigere quæ tute ne minima quidem ex parte præstitisti? Nam longe absurdiora quam nos dicis, qui nihil illi quod fieri nequeat tribuimus, sed leges et reipublicæ constitutionem, quæ præstantium virorum opera sunt: tu vero talium facinorum opificem eum nobis exhibes, quorum neutrum quisquam mortalium fecerit; nam alterum belluinæ immanitatis est, alterum potentiæ divinæ. Deinde ut falsa uterque dicamus, ego tamen his verbis usus sum quæ laudantium sunt, ut tu iis quæ vituperantibus conveniunt: quare non veritatem tantum neglexisti, sed et a tota forma laudationum aberrasti.

14. Jam si tuis omissis mea oratio excutienda est, nemo ei jure fidem abrogabit. Nam si quem alium hæc fecisse constaret quæ ego illi tribuo, ne ipse quidem negarim me nimis audacem esse, qui notam omnibus veritatem extorquere studerem. Nunc, quum res in medio posita et niti conjectura necesse sit, quemnam aliquis institutorum et legum quæ apud Ægyptios sunt, si verisimilitudo spectetur, auctorem potius esse credat quam eum qui sit et Neptuno genitus et maternum genus ad Jovem referat et maxima potentia præditus et apud Græcos nominatissimus fuerit? Nec enim consentaneum est his rebus omnibus inferiores aliquos potius quam illum tanta beneficia invenisse.

15. Quin etiam ipsa ratione temporum convitiatorum verba mendacii facile convincuntur: nam iidem sunt qui Busiridem et cæsorum hospitum accusent et ab Hercule interfectum esse dicant: constat autem inter omnes historicos Perseo Jovis et Danaæ filio quatuor ætatibus Herculem esse juniorem, Busiridem vero plus quam ducentis annis seniorem. At vero quid absurdius te, quum factam illi calumniam refutare institueres, quam argumentum hoc tam evidens tam firmum prætermisisse?

16. Verum tu, veritatis nulla ratione habita, poetarum maledicta secutus es, qui ex diis immortalibus genitos atrociora tum perpetrasse tum perpessos esse asserunt quam filios hominum nefariorum, talesque fabulas de ipsis diis commenti sunt, quales nemo in suos inimicos dicere audeat: nec enim furta solum et adulteria et apud homines servitutes eis exprobrarunt, sed et liberorum devorationes et patrum exsectiones et matrum vincula et multa alia tetra facinora de illis confinxerunt. Quorum nondum illi quidem meritas pœnas dederunt, non tamen omne supplicium effugerunt; nam alii errones et mendici fuerunt, alii cæcati sunt, alius pulsus patria bellum perpetuum contra domesticos suos gessit, Orpheus autem, harum fabularum præcipuus auctor, in frusta discerptus interiit: quare si sapimus, illorum deliramenta non imitabimur, neque committemus, quum leges tulerimus ne alter alteri maledicat, ut omnis licentia quidvis de diis effutiendi detur, sed cavebimus potius et tam eos qui talia dicunt quam qui credunt impie agere putabimus.

17. Ego vero non deos tantum sed illorum filios etiam alienos ab omni scelere et vitio credo, tum ipsos natura virtutes omnes

insitas habuisse, tum aliis ad honestissima et præclarissima quæque studia duces et magistros exstitisse. Absurdum enim est, quum nostræ sobolis prosperitatem diis acceptam referamus, eos existimare suam ipsorum nihil curare. Quod si cui nostrum potestas naturæ humanæ moderandæ daretur, quis est qui famulos suos improbos esse pateretur? at illos damnamus, quasi ex sese genitos tanta impietate et improbitate esse paterentur. Tu quidem te putas etiam tibi prorsus alienos, si te magistro utantur, optimos esse redditurum, deos vero nullam prorsus existimas curam habere virtutis suorum liberum. At ista ratione a duobus turpissimis criminibus non absunt: nam si bonos eos ne quidem esse volunt, deteriore sunt quam homines ingenio, sin quum veliut, qua ratione id efficiant non habent, sophistis sunt imbecilliores.

18. Etsi autem multa in re insunt per quæ et laudatio et defensio dilatari posset, non tamen pluribus verbis opus esse censeo: nec enim apud alios ostentandi mei, sed erudiendi tui causa, utque ostenderem quomodo horum utrumque fieri debeat, hæc disserui: nam oratio quidem a te conscripta non defensio Busiridis sed criminum confessio recte existimari potest. Nec enim eum culpa vacare ostendis, sed alios nonnullos eadem illa fecisse declaras, facillimo delinquentibus refugio excogitato. Quum enim non facile sit ullum reperire scelus quod nondum sit perpetratum, si facinorum convictos nihil grave admisisse putabimus, modo alios eadem fecisse constet, nonne omnibus expeditas defensiones faciemus, et male cogitantibus magnam fenestram ad licentiam aperiemus?

19. Optime autem perspicies quam stulte ista dicta sint, si ad te ipsum omnia retuleris. Illud enim cogita: si de magnis et nefariis criminibus accusatus ad istum modum ab aliquo defenderere, quid animi tibi fore censes? equidem scio te illi multo infensiorem futurum quam ipsis accusatoribus. An vero turpe non est alios ita defendere, quemadmodum te defendi iniquissimo animo ferres?

20. Illud quoque considera, et apud animum tuum cogita: si quis tuorum familiarium induci se pateretur ad ea facienda quæ tu laudas, annon miserrimus esset omnium et qui nunc sunt et qui unquam fuerunt? Scribendæne sunt ejusmodi orationes, quarum id summum bonum sit, si nemini auditorum persuadere possint?

21. Fortassis autem dices nec te id fefellisse, sed exemplum studiosis relinquere voluisse fœda crimina et causas difficiles defendendi. Verum si prius ignorabas, nunc saltem te intellexisse arbitror, multo facilius aliquem absolutum iri si nec os aperuerit quam si isto modo suam causam egerit. Jam quum studia

iterarum veluti fatali calamitate urgeantur et in odio sint, istius generis orationibus majorem etiam in illa invidiam concitatum iri constat.

22. Itaque si mihi obtemperare volueris, aut in posterum (idque potissimum fuerit) nulla improba argumenta tractabis, aut operam certe dabis ut ea dicas per quæ nec tuam existimationem imminuas nec imitatores tui corrumpas nec eloquentiæ disciplinæ crimen confles.

23. Neque vero mirari debes, me et natu minorem nec ulla necessitudine tibi devinctum monere te adeo alacriter instituisse: nam hujusmodi de rebus dare consilia neque natu maximorum neque conjunctissimorum, sed eorum esse munus existimo, qui prodesse plurimum et volunt et possunt.

ISOCRATIS

PANATHENAICUS.

1. Quum junior essem, orationes scribere institui non fabulosas neque portenti mendaciique plenas, quibus hominum vulgus magis gaudet quam ad salutem suam pertinentibus, neque eas in quibus res olim gestæ et bella Græcorum explicantur, quamvis scirem eas jure laudari, nec eas etiam quæ simplices habentur et omni elegantia carent, quas causidici adolescentibus meditandas esse censent, siquidem vincere studeant adversarios, sed his omnibus omissis illas tractabam quæ quid et reipubl. nostræ et Græcis omnibus expediret ostenderent, et tum enthymematis multis refertæ essent, tum non pauca contraposita et comparia continerent cæterasque figuras quæ in eloquentiæ studio effulgent atque auditores gestu et voce applaudere cogerent: nunc vero longe alia mea ratio est. Nec enim annis nonaginta quatuor, quos ego natus sum, nec omnino iis qui canos jam habent, convenire arbitror ut eo modo adhuc dicant, sed ita potius quemadmodum omnes sperent si optarint, nemo autem facile possit nisi et tolerare labores et vehementer ingenium intendere voluerit. Hæc propterea sum præfatus, si quibus hæc oratio quæ nunc recitabitur mollior prius editis videbitur, ne eam cum illarum varietate conferant, sed ea ratione quam probari nobis in præsentia ostendimus de ea judicent.

2. Disseram autem et de rebus nostræ urbis gestis et de virtute majorum, non ab illis ducto exordio, sed ab iis quæ ipsi mihi evenerunt: hæc enim antevertenda esse duco.

3. Ego quum honeste ac sine cujusquam molestia vivere perpetuo studuerim, ab improbis et obscuris quibusdam sophistis nullo non tempore sum calumniis exagitatus, unde, quum alii me non satis pernossent, talem judicarunt qualem esse ab aliis audierant. In primis igitur et de me ipso dicam et de illis qui sic de me sentiunt, ut, si forte id consequi liceat, et maledicta illorum reprimam, et aliis ostendam in quibus versarer studiis: quæ si oratione consentanea explicare potuero, spes mihi est, et reliqui ævi sine molestia exigendi, et hujus orationis cum attentione majore eorum qui adsunt absolvendæ.

4. Non autem eloqui verebor, tum perturbationem in animo meo nunc exortam, tum absurditatem eorum quæ nunc intelligo, neque disputabo an recte faciam. Ego enim maxima bona consecutus, quibus se præditos esse omnes optent, primum sanam mentem in sano corpore, nec ea mediocriter, sed ut cum illis certare possem quorum in his rebus singularis felicitas esse putatur; deinde tantas rei familiaris copias, ut nulla unquam re mediocri quamve homo prudens expetendam censeat caruerim; denique illud etiam, ne unus ex abjectis et contemptis essem, sed ex eorum numero de quibus eruditissimi et honestissimi quique Græcorum ut de viris bonis et doctis et sentiunt et loquuntur: quæ omnia quum mihi contigerint, alia excellenter alia sufficienter, tamen mihi vitam jucundam non efficiunt, sed mea senectus ita morosa, ita pusilla, ita querula est, ut sæpe et ingenium meum mihi displicuerit, quod nemo alius contempsit; et fortunam meam sim miseratus, quum nihil haberem aliud in quo hanc accusarem nisi quod meum philosophiæ studium quædam calamitates et calumniæ interpellarunt, ingenium vero meum scirem et ad res gerendas infirmius ac mollius esse quam oporteat, et ad eloquentiam neque perfectum neque ab omni parte idoneum, atque ut ad hoc idoneum ut cujusque rei veritatem conjectura melius indagare possit quam ii qui scientiam profitentur, ita si in conventu magnaque hominum frequentia illis ipsis de rebus dicendum sit, omnium est ut ingenue fatear ineptissimum. Nam quæ duæ res in civitate plurimum possunt, vocis magnitudo et audacia, eæ sic mihi desunt, ut haud scio an ulli civium: quibus facultatibus qui destituuntur, contemptiores obambulant et tenuius æstimantur quam qui in ærarios relati tribu moventur: his enim spes aliqua subest mulctæ dissolvendæ, illi naturam haud unquam mutaverint.

5. Non tamen propter hæc animo abjecto commisi ut prorsus inglorius et in obscuro viverem, sed quum mihi capessendæ reipubl. facultas negata esset, ad sapientiæ vehemens studium et ad ea scribenda quæ cogitando eruissem confugi, neque minuta quædam, aut privatos contractus, aut de quibus nonnulli nugantur, tractanda suscepi, sed de statu Græciæ deque regiis et reipublicæ negotiis disserui, propterea que me jure tanto honoratiorem futurum iis qui suggestum conscenderent speravi, quanto majoribus et pulcrioribus de rebus quam illi dicerem. Verum nihil tale mihi contigit. Quum nemo ignoret multos oratorum ea esse audacia ut non reipubl. utilitatem sed quæstum et sordes suas spectent in concionibus habendis, me autem et meos non tantum a peculatu alieniores esse quam alios, sed et de nostra re familiari ut consulamus civitatis necessitatibus majores quam pro opibus nostris sumptus facere: illos pro suggesto aut propter pecunias apud sequestrem depositas invicem

convitia dicere aut sociis esse molestos aut sine discrimine quosvis calumniari, me vero earum orationum principem exstitisse quæ Græcos tum ad concordiam inter ipsos tum ad expeditionem contra barbaros suscipiendam exhortantur, et suadent communiter ab omnibus colonias in tantam et talem regionem deducendas esse, quam qui de ea audivere fatentur et nos, si omissa ista insania resipuerimus, et celeriter sine laboribus atque periculis occupaturos, et illam facile sedes et victum suppeditaturam omnibus nobis qui rerum necessariarum penuria laboremus: his actionibus, si omnes in unum congregati diligentissime vestigarent, nunquam vel pulcriores vel majores vel magis nobis omnibus conducibiles invenirent.

6. Quamvis igitur inter meum et illorum animum tantum distet, tantoque meum institutum sit honestius, non tamen æqua sunt populi de nobis judicia, sed perturbata et plane inconsiderata. Nam quum oratorum mores vituperet, illos ipsos reipublicæ præfectos facit et omnium dominos constituit, meas autem orationes dum laudat, ipsi mihi invidet, non ob aliud nisi ob eas quas probat: adeo in nulla gratia sum apud vulgus hominum.

7. Quid vero mireris eos qui ita nati sunt ut nullam excellentiam ferre possint, quum illi etiam, qui se præclaros esse putant meque et magni faciunt et imitari cupiunt, longe infensiores mihi sint indoctis? Quibus quosnam improbiores invenias — dicam enim, tametsi audacius atque acerbius quam pro ætate mea dicere videbor —, qui quum ne minimam partem eorum quæ a me dicta sunt auditoribus suis tradere queant, et exemplis mearum orationum utantur et inde victitent, tantum abest ut mihi gratiam habeant, ut me ne quidem negligere velint, sed semper obtrectare studeant?

8. Dum igitur meas orationes male tractarent, et quam pessime fieri poterat eas cum suis conferentes legerent et non recte dividerent et divellerent et omnibus modis corrumperent, non curavi ea quæ mihi nuntiabantur, sed æquo animo tuli: paulum autem ante magna Panathenæa propter eos graviter commotus sum. Quidam enim familiarium meorum obviam facti mihi dicebant tres aut quatuor gregarios sophistas, qui se omnia scire profitentur et celeriter quovis in loco sunt, in Lyceo considentes tum de aliis poetis tum de Homeri et Hesiodi poesi disseruisse, nihil quidem suum afferentes, sed et horum carmina rhapsodorum more decantantes et elegantissima quæque dicta veterum referentes: quum autem corona circumstantium disputationem eorum approbasset, unum quendam audacissimum cœpisse me calumniari, quum diceret me ejus generis omnia contemnere, et studia et institutionem aliorum omnium evertere, qui omnes delirare dicam præter eos qui a me sint instituti; quæ quum dicta fuissent, quosdam ex iis qui adessent a me fuisse alienatos. Ego vero quantopere doluerim ac perturbatus sim quum audivissem aliquos illa dicta comprobasse, dicendo consequi non possum: putabam enim ita esse notum me cum gloriosis istis bellum gerere et de me ipso modice, vel potius intra modum et submisse, dicere, ut nemini unquam talem insolentiam suis mihi verbis affingenti fides haberetur. Verum initio non sine causa deploravi meam infelicitatem, quæ ab isto genere hominum orta perpetuo me secuta est: hæc enim causa est et mendaciorum quibus mea fama contaminatur et calumniarum et invidiæ, eademque obstitit ne de me pro merito meo existimetur, neque ita ut palam est, utque discipuli mei et familiares de me sentiunt qui nos ab omni parte perspexerunt. Verum hæc mutari non possunt, sed ea quæ præterierunt boni consulere necesse est.

9. Quum autem multa in mentem mihi veniant, incertus sum an recriminari debeam illos, qui de me perpetuo mentiri solent eaque in me conferre a quibus sum prorsus alienus non dubitant. Sed si rem seriam agere instituerem ac prolixam de iis hominibus haberem orationem quorum nemo sibi ullam censet habendam esse rationem, jure stultus esse viderer. Neglectis igitur istis apud vulgus qui mihi inique invideant meipsum excusare, eosque docere conari ut neque jure nec merito meo ita de me sentiant debeam? Ast quis non stultissimum me esse pronuntiet, si eos, qui non aliam ob rem infensi mihi sunt nisi quod eleganter quædam dicere visus sum, placatiores mihi fore putem si eodem modo quo prius disseruero, ac non acerbiores potius futuros? præsertim ubi viderint, ne in extrema quidem senectute me delirare desivisse? Ac ne illud quidem faciendum mihi quisquam censuerit, ut his neglectis et abrupta in medio disputatione hac eam orationem absolvam, quam institui quaque ostendere decrevi nostram urbem plura in Græcos beneficia contulisse quam Lacedæmonios: quod si jam facerem nèque his quæ scripsi finem imponerem neque secuturæ orationis exordium conclusioni horum quæ jam diximus commode apteque attexerem, similis eorum viderer qui temere et importune et confuse quicquid in buccam venit effutiunt; quæ cavenda nobis sunt. Optimum igitur ex his omnibus fuerit, posteaquam de iis quorum me postremum accusarunt sententiam meam aperuerim, tum demum ea dicere quæ initio constitui: si enim scripto publicaro atque ostendero quæ sit mea de institutione deque poetis sententia, desituros eos arbitror falsas causas comminisci et quidvis garrire.

10. Tantum igitur abest ut disciplinam a majoribus relictam contemnam, ut eam quidem nostra ætate constitutam laudem, geometriam dico et astrologiam dialogosque contentiosos dictos, quibus juniores quidem plus æquo gaudent, seniorum vero qui eos tolerabiles esse dixerit nemo est. Verumtamen ego moneo illos qui avide ista amplectuntur ut laborent atque ad ista omnia animum intendant;

dico enim disciplinas illas, ut nihil aliud afferrent boni, dehortari tamen adolescentes et avertere a multis aliis delictis. Itaque nullas existimo huic ætati inveniri posse utiliores exercitationes aut magis convenientes: sed natu majoribus et iis qui jam ad virilem ætatem pervenerunt studia ista apta esse nego. Nonnullos enim video qui, quum disciplinas istas ita perfecte cognitas habeant, ut et alios docere queant, sua illa scientia nec tempestive utantur, et in aliis vitæ negotiis discipulis sint imprudentiores: nec enim audeo dicere famulis. Idem etiam sentio de iis qui conciones habere possunt, et de his qui conscriptione orationum laudem invenerunt, denique de omnibus qui aliqua vel arte vel scientia vel facultate præcellunt. Novi enim etiam ex isto genere multos qui neque suas res probe gesserunt neque in privatis congressibus tolerari possunt, et reliquorum civium judicia negligunt, et aliis multis et magnis peccatis constricti tenentur: quare ne hos quidem existimo eo habitu esse præditos de quo ego dissero.

11. Quos igitur in eruditorum habeo numero, quando et artes et scientias et facultates improbo? Primum eos qui recte utuntur negotiis quotidie incidentibus, et occasiones modumque rerum prudenter animadvertunt, et plerunque id deligere possunt quod utilissimum est: deinde qui ita ut decet et ut æquum est omnes eos quovis tempore tractant cum quibus aliquid rei habent, quique, quum aliorum acerbitatem et importunitatem æquis animis et facile ferant, ipsi moribus facillimis sunt et quam moderatissimis in vitæ consuetudine: præterea qui semper voluptatibus imperant, et rebus adversis non nimium franguntur, sed in iis et officii humani et naturæ virilis meminerunt: quarto qui secundis rebus, quod maximum est, non corrumpuntur nec a semetipsis discedunt nec animis efferuntur, sed moderationem prudentium virorum propriam retinent, nec magis fortunæ muneribus quam natura insitis ingenii et prudentiæ insignibus delectantur. Qui autem non ad horum singula sed ad hæc universa simul animis bene compositis sunt, eos affirmo et prudentes esse et perfectos viros et omnibus virtutibus ornatos. Ac de eruditis quæ statuam hæc sunt.

12. Quod autem ad Homeri et Hesiodi cæterorumque poesim attinet equidem aliquid dicere cupio — arbitror enim me effecturum ut isti in Lyceo versus illorum canere et de eis nugari desinant —, sed animadverto me eum modum impetu quodam prætervehi qui exordiis est præfinitus. Est autem viri prudentis non indulgere dicendi copiæ si quispiam satius atque cæteri res aliquas eloqui possit, sed conservare modum earum rerum de quibus quovis tempore disseruerit: idque mihi faciendum est. De poetis igitur alias dicemus, nisi me senium prius abstulerit, aut de rebus gravioribus quam istæ sunt aliquid dicere possim.

13. Verba autem faciam de beneficiis in Græcos a nostra civitate collatis, non quin eam plus laudarim quam omnes et poetæ et oratores: sed quia nunc idem aliter quam olim facere decrevi. Tum enim in orationibus aliis de rebus institutis mentionem ejus faciebam, nunc autem hanc orationem de ea ipsa institui. Neque vero ignoro quam provecta ætate quam ingenti de re dicere aggrediar, sed quum et optime sciam et sæpe dixerim res exiguas oratione facile posse amplificari, difficillimum autem esse facta excellenti magnitudine et pulcritudine laudando æquare: nihilominus tamen ab incœpto desistendum non est, sed perficiendum quod suscepimus, si quidem vita suppetet, præsertim quum multa me ad hanc orationem scribendam incitent; ac illi primum qui nostram urbem petulanter accusare solent, deinde qui bono quidem studio sed et imperitius nec pro dignitate eam prædicant, præterea qui prædicare illam præ cæteris non dubitant, non humano more, sed sic ut eis multi se opponant, omnium vero maxime hæc ætas, quæ alios dehortari solet: spero enim, si mihi successerit, gloriæ meæ aliquid accessurum, sin tenuius forte quam oportuerit dixero, me facile ab auditoribus veniam impetraturum.

14. Ac quæ tum de me ipso tum de aliis, ut musici antequam canere incipiant, quasi præludii causa præfari volui, hæc sunt. Eorum autem qui urbem aliquam accurate ac pro merito laudare voluerint officium esse puto, non ipsius tantum de qua dicere instituerunt facere mentionem, sed, quemadmodum purpuram atque aurum spectamus et probamus aliorum collatione quæ et speciem eandem præ se ferunt et ejusdem esse pretii putantur, sic urbibus etiam e regione collocandas esse, non parvas magnis neque aliis [perpetuo] parere solitas iis quæ perpetuo imperare consueverunt, nec quæ aliorum ope indigent iis quæ opem ferre possunt, sed eas quæ et consimili potentia et iisdem in negotiis versatæ sunt et parem potestatem habuerunt: sic enim de eis verissime statuetur. Si quis ergo nos hoc modo spectet et conferat non cum qualibet sed cum Spartana civitate, quam plerique moderate sane laudant, nonnulli autem tanquam illic semidei habitent sic de ea meminerunt, eos et potentia et rebus gestis et beneficiis in Græcos collatis longiore intervallo a nobis relictos esse constabit quam ab eis cæteros.

15. Ac veteres quidem dimicationes pro Græcis susceptas postea narrabimus, nunc autem de illis habebo sermonem inde exorsus, quum Achaicas urbes occuparunt et regionem cum Argivis et Messeniis partiti sunt: hinc enim sunt nobis dicendi capienda primordia. Nostros igitur majores apparebit et concordiam Græcorum et inimicitias barbarorum, jam inde a Trojanis temporibus susceptas, conservare et in iisdem studiis perseverare.

16. Ac primum Cyclades insulas, de quibus Minoe Cretensi

rerum potiente multa certamina fuerunt, Caribus qui postremo eas omnes occuparant ejectis, non in suum peculium convertere ausi fuerunt, sed Græcorum egentissimis colendas tradiderunt: deinde in utraque continente multis et magnis urbibus conditis, cum barbaros a mari pepulerunt, tum Græcos docuerunt quo pacto suas urbes gubernare et contra quos bella gerere deberent si Græciam vellent amplificatam. Lacedæmonii vero circa idem tempus tantum abfuerunt ut aliquid majorum nostrorum operibus simile præstarent sive barbaros oppugnando sive Græcis benefaciendo, ut ne quiescere quidem voluerint, sed, quum et urbem alienam et agri non modo quod satis esset, sed quantum nulla Græca urbs, haberent, his contenti non fuerint, sed ipso eventu edocti, si leges spectemus, urbes et regiones eorum videri qui eas juste legitimeque partas possiderent, revera autem eorum fieri qui præcipue rem militarem exercerent et in prœliis hostes superare possent, hæc inquam cum suis animis cogitantes, agricultura neglecta et opificiis et rebus cæteris omnibus, nunquam destiterunt singulatim quasque Peloponnesi civitates oppugnare et vexare, donec omnes everterant Argivorum urbe accepta. Nostras igitur actiones illud consecutum est, ut et Græciæ opes augerentur et major esset Europæ quam Asiæ potentia, et inopes porro Græci urbes caperent atque agros, barbari vero, quorum ante magna ferocia fuerat, patria pulsi animis humilioribus essent; Spartanorum autem, ut ipsorum urbs augeretur et omnium Peloponnesi civitatum imperio apud alios illustris esset magnaque cum observantia coleretur. Itaque laudanda est ea quæ multa in alios beneficia contulit, quæ autem suum tantum compendium spectat iniqua existimanda, eorumque amicitia expetenda est qui alios æque tractant ac semetipsos, metui vero et formidari par est eos qui, quum semetipsos amantissime complectantur, suam urbem sic administrant, ut alieni ab aliis et hostilibus in eos animis esse videantur. Hæc igitur fundamenta ab utraque urbe jacta sunt.

17. Post exorto bello Persico, quum Xerxes qui tum regnabat triremes mille et trecentas, pedestris exercitus quinquies millies millia universorum, septies centena millia bellicosorum, coegisset, tantisque viribus bellum Græcis intulisset, Spartiatæ quidem, quum Peloponnensibus imperarent, ad navale prælium, quæ belli totius inclinatio secuta est, decem tantum triremes contulerunt, patres vero nostri extorres facti urbeque relicta, quod illo tempore munita non esset, plures naves præbuerunt et majoribus copiis instructas quam universi qui eo prælio pugnarunt: ac ducem Eurybiadem illi miserunt, qui si ea quæ destinarat perfecisset, nihil obstitisset quominus Græci periissent; nostri Themistoclem, qui sine controversia omnibus visus est in causa fuisse ut et navale prælium rite conficeretur et cæterorum omnium illius temporis successuum auctor. Idque ex eo maxime perspicitur, quod ii qui periculorum socii fuerant ademptum Lacedæmoniis imperium ad nostros detulerunt. Enimvero quinam peritiores judices et integriores rerum eo tempore gestarum constitui queant, quam ii qui ipsi pugnæ interfuerunt? Quod vero beneficium majus dici potest eo quo tota Græcia potuit conservari?

18. His rebus gestis evenit ut utraque civitas maris imperio potiretur, quod utri tenuerint, urbes fere omnes dicto audientes habent. Ac neutram quidem civitatem omnino laudo; in multis enim ambæ reprehendendæ sunt: verum in hac quoque curatione non minus eis antecelluimus quam in actionibus paulo ante commemoratis. Nostri enim patres sociis persuaserunt ut eam reipublicæ formam amplecterentur, qua ipsi perpetuo usi fuerant; quod signum est benevolentiæ et amicitiæ, si qui aliis auctores fuerint iisdem institutis utendi quæ sibi profuisse putarint: Lacedæmonii vero rem publicam constituerunt neque suæ nec aliarum urbium similem, sed decuriones singulis urbibus præfecerunt, quos qui triduum aut quatriduum continenter accusarit, nullam partem exposuisse videatur injuriarum. Singulatim igitur tot et tantas velle recensere dementiæ fuerit: pauca vero de omnibus dicere, quæ auditores justa indignatione commoverent, si junior essem fortasse potuissem; nunc nihil tale in mentem mihi venit, nisi quod inter omnes constat, illos injustitia et rapacitate veteres ita superasse, ut cum sibimetipsis et amicis et patriæ suæ interitum accersiverint, tum Lacemonios apud socios in crimen et odium adductos in tot tantasque calamitates conjecerint, quot et quantas nemo unquam eis eventuras esse credidisset.

19. In primis igitur hinc perspici poterit quanto nos moderatius et clementius omnia gesserimus, secundo loco ex eo etiam quod jam dicetur: nam Spartiatæ vix decem annos imperarunt, nos quinque et sexaginta perpetuos. Enimvero sciunt omnes, urbes aliis subjectas diutissime in eorum fide permanere a quibus minimis malis afficiuntur. His igitur de causis ambæ susceptis odiis in bella et tumultus inciderunt, in quibus nostra urbs, quum et Græci et barbari omnes eam invasissent, decennium resistere seque tueri potuit, Lacedæmonii vero, dum adhuc terra imperarent, cum Thebanis solis bello gesto unoque prælio superati, omnibus opibus amissis, non minoribus infortuniis et calamitatibus quam nos conflictati sunt; præterea nostra urbs paucioribus annis vires suas recepit quam bello subacta fuerat, Spartiatæ vero post cladem acceptam, ne multiplici quidem temporis spatio se in integrum restituere pristinumque dignitatis gradum recuperare potuerunt, sed in iisdem malis adhuc versantur.

20. Nunc quales utrique nos contra barbaros præbuerimus, expli-

candum est: hoc enim restat. Sub nostro igitur imperio non licuit eis neque pedestribus copiis intra Halyn fluvium descendere neque longis navibus cis Phaselidem appellere: Lacedæmoniis autem imperantibus non tantum eis potestas data est eundi et navigandi quo vellent, sed dominatu etiam multarum Græcarum urbium sunt aucti.

21. Annon igitur ea urbs, quæ et fœdus cum rege generosius atque animosius fecit, quæ maximis plurimisque tum barbaros cladibus tum Græcos beneficiis affecit, quæ oram Asiæ maritimam ac multas alias provincias et hostibus ademit et sociis tribuit, quæ tam illorum ferociam compescuit quam horum inopiæ consuluit, quæ in bellis pro sua salute gestis fortius dimicavit quam illa quæ ob rem militarem maxime celebratur, quæ calamitates celerius quam isti ipsi propulsavit, magis laudanda est et honoranda præ illa quæ in his rebus omnibus fuit inferior? Ac de rebus gestis et periculis simul et contra eosdem aditis hæc habeo in præsentia quæ per collationem dicerem.

22. Arbitror autem eos qui hæc inviti audiunt vera esse non negaturos, neque etiam facinora pulcriora commemoraturos per quæ Lacedæmonii multis Græcos beneficiis affecerint, sed nostram urbem accusaturos esse, id quod semper studio sibi habent, eaque narraturos quæ dum maris imperium teneremus acerbissima acciderunt, accusationes item et judicia quæ socii hic acceperunt et tributorum exactionem criminaturos, maxime autem Meliorum Scionæorumque et Toronæorum malis immoraturos, existimantes se urbis nostræ beneficiis paulo ante commemoratis quasi labem et maculam criminationibus illis adspersuros esse.

23. Ego vero ea omnia, quæ urbi nostræ vere objiciuntur, neque refutare dicendo possim nec id facere instituam; nam, quum, id quod prius etiam alicubi dixi, alii ne deos quidem expertes omnis peccati esse putent, erubescerem, si studerem et persuadere conarer rempubl. nostram in nulla unquam re deliquisse: illud tamen me facturum puto, ut ostendam, Spartanorum urbem in iisdem illis rebus nostra multo fuisse acerbiorem ac sæviorem, et eos qui in illorum gratiam nobis maledicunt omnium stolidissimos, et ut a nobis ipsorum amici male audiant in causa esse; quum enim in iis nos accusarint, quæ in Lacedæmonios potius cadunt, non deerit nobis occasio majus crimen quam in nos collatum fuerit in illos regerendi.

24. Veluti nunc etiam, si de sociis hic in judicium adductis mentionem fecerint, quis adeo stupidus est, quin facile respondeat plures Græcos a Lacedæmoniis indicta causa esse interfectos quam a nobis, ex quo urbem incolimus, in jus vocatos et causam dicere coactos?

25. Eodemque modo, si de tributorum exactione aliquid dixerint, respondere poterimus: ostendemus enim nostros civitatum quæ tributa pependerint commodis longe melius consuluisse quam Lacedæmonios. Primum enim nullo edicto nostro, sed suo potius decreto id fecerunt, quum maris imperium nobis offerrent: deinde non nostræ salutis causa pependerunt, sed ut popularem statum libertatemque suam tuerentur, neve ad paucorum potentiam summa rerum revocata in tam ingentia mala inciderent quanta sub decurionibus et violentia Lacedæmoniorum tolerarant. Præterea nihil contulerunt ex iis quæ ipsi conservarant, sed ex his quæ nostra ope illis relicta erant: de quibus, si vel modica prudentia essent, merito gratiam nobis habuissent. Quum enim urbes eorum suscepissemus, partim a barbaris omnino eversas, partim vastatas, eo illas perduximus ut, quum de suis proventibus parum nobis impertirent, nihilo pauperiores essent Peloponnensibus nihil tributi pendentibus.

26. Jam quod ad eos attinet qui ab utraque urbe sunt eversi, quod nonnulli nobis solis opprobrant, ostendemus eos quos illi nunquam laudare desinunt multo crudeliora perpetrasse. Nobis enim usuvenit ut quasdam insululas, tales utique et tantas ut Græci plerique eas ignorent, læderemus, illi autem maximis Peloponnesi urbibus quæ omnibus modis cæteris præcellunt eversis earum opes ipsi tenent, quas, etsi antiquitus earum nulla merita exstarent, maximis a Græcis affici præmiis ob expeditionem Trojanam decuisset, in qua tum pro principibus se gesserunt tum duces miserunt qui virtutibus præditi fuere, non iis modo quæ in plebeiis etiam et contemptis hominibus inveniantur, sed illis quæ improbo nemini contingere queant. Messena enim Nestorem præbuit omnium sua ætate prudentissimum, Lacedæmon Menelaum, qui ob modestiam justitiamque solus meruit Jovis gener esse [et appellari], Argivorum civitas Agamemnonem non una atque altera virtute præditum, sed omnibus quas nominare queas, neque iis mediocriter sed excellenter: neminem enim ex omnibus inveniemus qui res vel magis officio suo convenientes vel pulcriores vel majores vel Græcis utiliores aut pluribus laudibus dignas gerendas susceperit. Et his quidem ita simpliciter enumeratis non mirum fuerit a multis fidem derogari, si vero singula paucis explicentur, omnes me vera dicere fateantur.

27. Equidem perspicere non possum, sed dubito quibus deinceps mihi verbis utendum sit ut recte statuisse videar. Pudet enim de virtute Agamemnonis tam multa præfatum, nullum ejus præclarum facinus afferre in medium, ne auditoribus ex illorum esse genere videar qui temere ac insolenter quicquid in buccam venerit effundunt: contra vero ea quæ per digressionem commemorantur non laudari solere video sed et molestiam parere, et cum multos esse qui eas importune usurpent, tum multo plures qui re-

prehendant. Quare vereor ne mihi etiam tale aliquid usuveniat. Verum decrevi opem illi ferre, cui idem quod mihi et multis aliis accidit, ut ea gloria fraudaretur quæ meritis ejus debebatur; qui quum illis temporibus optime de Græcia meritus fuerit, minus laudatur quam qui nihil unquam memorabile gesserunt.

28. Quid enim ei defuit, qui tantum honorem sit adeptus, quo si omnes in unum congressi majorem quærant, nequaquam sint inventuri? Solus enim Græciæ totius imperator evasit: delectusne ab omnibus an ea dignitate per sese parta, dicere non possum. Sed sive hoc sive illo modo imperium fuerit assecutus, cæteris nihil reliqui fecit qui alio quopiam modo fuerunt honorati quod ad suæ gloriæ excellentiam addi posset. Hanc vero potentiam nactus nulla Græcarum urbium est cui molestus fuerit; sed ab aliquibuspiam durius et acerbius tractandis adeo fuit alienus, ut, cum Græcis bello et turbis et multis aliis malis agitatis incidisset, eos illis incommodis liberarit: quibus inter se reconciliatis et omnibus rebus quæ ostentationis et monstri plus habent quam publicæ utilitatis despectis, exercitum contraxit et contra barbaros duxit. Quo nullum strategema præstantius aut Græcis utilius ostendi potest vel celeberrimorum ejus ætatis vel cujusquam ex omni posteritate. Quæ quum ille gesserit et exemplum aliis reliquerit, non ita celebratus est ut merebatur, eorum culpa qui portenta beneficiis, mendacia veritati præferunt; tantaque præstantia vir illis etiam est minore gloria qui eum nec imitari sunt ausi.

29. Neque vero propter hæc tantum laudandus est, sed ob ea etiam quæ circa idem tempus gessit. Nam tanta in eo fuit animi magnitudo, ut non contentus e singulis urbibus tot privatæ conditionis milites delegisse quot libitum fuit, regibus etiam qui in suis urbibus faciunt quæ volunt et aliis imperant, sibi ut parerent iis persuaserit, et contra quoscunque duxisset sequerentur, et imperata facerent, et regia despecta vita militariter degerent, atque etiam pericula adirent et bellum gererent non pro sua patria et regno, sed verbo pro Helena Menelai uxore, reipsa pro eo ne Græciam barbari vel eodem modo tractarent, vel ita ut olim tractarant quum Pelops totam Peloponnesum, Danaus urbem Argivorum, Cadmus Thebas, occupasset. Quæ quis alius animo prospexisse aut quis obstitisse videri potest ne quid ejusmodi postea fieret, nisi illius ingenium et potentia?

30. Jam id quod sequitur minus quidem est quam ea quæ ante diximus, sed majus tamen iis quæ sæpe laudari solent memoriaque dignius: quum enim exercitus ex omnibus urbibus convenissent, tanta multitudine quantam consentaneum est, qui multos sibi habebat partim e familia deorum partim ex ipsis diis genitos, nec ita ut vulgus affectos nec iisdem ingeniis præditos quibus alii, sed iracundia et impetu et invidia et ambitione plenos, tamen eos ipsos decem annos continuit non magnitudine stipendiorum neque pecuniarum sumptibus, quæ nunc conciliandæ retinendæque potentiæ ratio est, sed tum ea re quod et prudentia cæteris longe præstabat et commeatum ex hostili agro militibus suppeditare poterat, tum vero quod aliorum saluti rectius quam alii sibi ipsi consulere putabatur. Proinde finis, quem his rebus imposuit, vel in primis admiratione dignus est: nec enim indecorus neque a supra commemoratis abhorrens is fuit; nam verbo quidem contra unam civitatem bello gerendo, revera autem non tantum contra omnes eos qui Asiam incolunt sed contra multas etiam alias gentes barbaras dimicando, nullis periculis defatigatus est, non prius discessit, quam ejus urbem qui delinquere ausus fuerat excidisset et ferociam injuriasque barbarorum coercuisset.

31. Neque vero ignoro quam multa de Agememnonis virtute dixerim, neque illud etiam me præterit, si qui sigillatim ea considerent quidnam esset improbandum, qui detrahere quicquam auderet, fore neminem, sed, si ordine omnia legantur, omnes reprehensuros ut multo prolixiora quam oportuerit.

32. Ego vero, siquidem ignorassem me modum excedere, erubuissem me, qui de rebus quas nemo alius conari audeat scribere sim aggressus, usque adeo esse stupidum: nunc certius scivi, quam isti qui me reprehendere audent, hæc in multorum esse reprehensionem incursura: sed gravius fore censui, si de tali viro disserens aliquas ejus laudes quas mei officii esset exponere præterirem, quam si in hac parte aliquibus temporis et modi rationem non habere viderer. Atque etiam apud humanitate politissimos auditores laudi mihi fore censui, si de virtute verba faciens magis in eo elaborarem ut pro dignitate illius dicerem quam ne essem æquo prolixior; idque quum satis scirem, tum neglectum orationis modum meam gloriam imminuturum, tum prudens de ipsis rebus consilium istis quos laudarem profuturum: tamen utilitate neglecta justitiam delegi. Neque vero solum in his quæ nunc dicta sunt me hoc animo fuisse apparebit, sed prorsus in omnibus; notum enim est me etiam inter discipulos meos iis hactenus magis delectatum esse qui vitæ probitate et rebus gerendis excelluerunt quam qui eloquentia claruerunt. Enimvero orationum, etiamsi nihil in illis omnino meum esset, omnes me auctorem dicerent; recte factorum autem tametsi omnes me fuisse suasorem scirent, nemo tamen est quin eum ipsum qui res perfecisset potius laudandum duceret.

33. Verum nescio quo abripior: quum enim ad supra dicta adjicienda esse ea quæ restant arbitrarer, longissime ab instituto digressus sum. Nihil igitur aliud restat, nisi ut petita senectuti meæ oblivionis et loquacitatis venia, quæ vitia nostram ætatem comi-

tantur, ad illum locum redeam ex quo in hanc garrulitatem incidi. Unde vero aberrarim, jam nunc perspectum habere me puto.

34. Nam istis qui nostræ urbi Meliorum et talium oppidulorum calamitates opprobrant respondi, non quod in illis rebus nullum peccatum inesset, sed ostendi eos quos isti diligunt multo plures urbes et majores quam nos evertisse, inter quæ de virtute Agamemnonis et Menelai et Nestoris disserui, mendacium quidem nullum, sed plura fortasse quam decuit locutus. Existimabam enim inde in propatulo fore insignem fuisse injuriam illorum qui ausi fuissent eas urbes evertere quæ tales viros genuissent et educassent; de quibus plura etiam eaque præclara dici possent. Sed stultum fortassis est uni facto immorari, quasi exquirendum sit quidnam de crudelitate et sævitia Lacedæmoniorum dici queat, et non maxima copia suppetat.

35. Qui non contenti erga has urbes et viros tales deliquisse, eos etiam, qui ex eodem loco oriundi communiter cum eis expeditionem susceperunt et eadem pericula subierunt, de Argivis et Messeniis loquor, iisdem cladibus quibus illos afficere studuerunt. Ac Messenios quidem non prius oppugnare destiterunt quam regione ejecissent; Argivi autem ejusdem cladis propulsandæ causa etiam nunc bellum gerunt. Jam quemadmodum cum Platæensibus egerint, absurde facerem, si his commemoratis eorum non meminissem: in quorum agro nobiscum et cum aliis sociis castra metati sunt, et quo in loco nos, quum aciem contra hostes instruxissemus, et sacra diis quos illi consecrarant fecissemus, non iis modo Græcis qui nobiscum conjuncti, sed illis etiam qui partes hostium sequi coacti fuerant, libertatem restituimus, et hæc egimus quum solos Platæenses omnibus Bœotiis adjutores haberemus; quos non longo temporis intervallo post, in Thebanorum gratiam, Lacedæmonii urbe capta omnes interfecerunt, iis exceptis qui fuga salutem quæsiverunt. Erga quos nostra urbs se longe aliam quam Spartiatæ præbuit: illi enim in bene meritos de Græcia et cognatos suos ita grassati sunt, nostri vero et Messeniorum reliquis Naupactum habitandum dederunt, et Platæenses quicunque advenerant civitate donarunt et rerum omnium pari jure secum frui permiserunt. Quare si nihil aliud de his urbibus dicere possemus, ex his tamen utriusque mores facile perspicerentur, planumque fieret utra plures et majores civitates evertisset.

36. Sed nunc accidere mihi quiddam sentio contrarium iis quæ paulo ante dixi: tunc enim in ignorantiam et errorem et oblivionem incidebam, nunc satis scio me ab ea lenitate orationis deficere, quam quum primum scribere cœpissem mihi proposueram, et tum de rebus quas prætermittere decreveram velle disputare, tum audaciorem esse factum quam pro natura mea, tum in quibusdam

quæ eloquor temperare mihi non posse propter copiam eorum quæ dicenda mihi affluunt. Postquam igitur audacter loqui cœptum, osque solutum est, et tale fundamentum orationis meæ jactum ut ea silentio præteriri neque debeant neque possint, per quæ demonstrari potest nostram urbem de Græcis melius esse meritam quam Lacedæmonios, non reticenda sunt etiam cætera mala quæ nondum quidem recitata sed inter Græcos facta sunt, et ostendendum nostros ea sero didicisse, Lacedæmonios vero quædam primos quædam solos admisisse.

37. Plurimi sane utramque urbem accusant, quod quum videri velint pro Græcis contra barbaros dimicasse, civitatibus ut sui juris essent et ut singulis expediret sua componerent non permiserint, sed, tanquam bello captas partitæ, sic omnes servitute oppresserint; quod perinde sit ac si qui famulos ab aliis abductos atque in libertatem assertos sibi servire cogant.

38. Ut autem hæc et longe plura his atque acerbiora dicerentur, non in causa nos fuimus, sed illi qui et nunc verbis nostris se opponunt et superiori tempore nostris actionibus omnibus sunt adversati. Nostros enim majores infinitis superiorum temporum spatiis nemo demonstrabit vel unam urbem sive majorem sive minorem oppressisse, Lacedæmonios vero norunt omnes, ex quo in Peloponnesum venerunt, nihil aliud agere aut moliri nisi ut vel omnibus imperent, quod in primis optant, vel si id fieri nequeat, saltem Peloponnensibus. Præterea quod ad seditiones et cædes et mutationes rerumpublicarum attinet, quas quidam utrique nostrum objectant, omnes illi urbes paucis exceptis talibus calamitatibus et morbis impleverunt; nostræ vero urbi ante cladem Hellespontiacam objicere nemo audet ullum tale facinus in socios commissum. Sed quum Lacedæmonii adepti Græciæ dominatum summa rerum denuo exciderent et, ut his temporibus fieri solet, reliquæ urbes seditiosæ essent, duo aut tres nostrorum ducum — nec enim veritatem dissimulabo — in earum quasdam injurii fuerunt, sperantes se, morem Lacedæmoniorum imitatos, facilius eas in officio continere posse. Quare jure omnes illos potius accusabimus ut talium operum auctores et doctores, nostratibus autem, ut discipulis quos pollicitationes deceperunt et spes frustrata est, merito venia dabitur.

39. Postremum autem illud, quod soli et per se egerunt, quis ignorat? quum communes inimicitiæ nobis cum barbaris eorumque regibus intercedant, nos multis petitos bellis et interdum gravibus conflictatos malis, quum etiam ager noster subinde vastaretur et scinderetur, nunquam ad eorum amicitiam et societatem respexisse, sed propter insidias Græcis per eos structas constantius eos odisse quam illos qui nos in præsentia infestabant: Lacedæmonios autem nec accepto ullo malo nec accepturos neque metuentes tam insatia-

bili cupiditate flagrasse, ut imperio terrestri non contenti, maris etiam dominatum desiderarint, iisdemque temporibus et socios nostros ad defectionem impulerint, libertatem polliciti, et cum rege de amicitia et societate egerint, affirmantes se illi omnes Asiæ incolas tradituros; his conditionibus fide utrinque data nobisque debellatis, quibus jurejurando accepto libertatem promiserant, eos graviore servitute quam Helotes oppresserunt, eamque regi gratiam retulerunt ut ejus fratri Cyro natu minori persuaserint, ut cum eo de regno armis contenderet, collectoque exercitu Clearchum ducem contra eum miserint; frustrati autem in his spe sua et cogniti quales essent, et omnium odiis susceptis, bello petiti et tantis turbis agitati sunt, quantis eos consentaneum est qui et Græcos et barbaros violarint. Quibus de rebus haud scio plura dicere quorsum attineat, nisi quod navali prælio tum a regiis exercitibus tum imperatoria Cononis solertia superati talem pacem fecerunt, qua nemo demonstrare potest neque turpiorem ullam unquam esse factam neque contumeliosiorem neque Græcorum negligentiorem aut magis eorum verbis contrariam qui virtutem prædicant Lacedæmoniorum: nam, quum rex dominos Græcorum eos effecisset, regnum ei et fortunas omnes eripere studuerunt; postquam vero navali prælio superatos humiles reddidit, non parvam illi Græcorum partem tribuerunt, sed omnes eos qui Asiam incolerent, et apertis verbis in literas retulerunt ut illis suo arbitratu ipse uteretur, nec erubuerunt tales pactiones facere de viris quorum societate usi et nos subegerant et Græcos in suam potestatem redegerant et in spem venerant Asiæ totius occupandæ, sed tale fœdus et in suis templis descripserunt et socios idem facere coegerunt.

40. Ac alios quidem non desideraturos puto longiorem orationem, quum ex his ipsis abunde intellexisse sibi videantur cujusmodi urbs utraque in Græcos fuerit: ego vero non in eadem sententia sum, sed argumentum hoc a me institutum cum alia verba multa requirere arbitror, tum vero ea quæ illorum amentiam demonstrent qui his quæ dicta sunt adversari sunt aggressi; quæ quidem facile me inventurum reor.

41. Nam inter eos qui facta Laconum omnia probant, optimos quosque et prudentissimos Spartiatarum rempublicam esse laudaturos existimo, et, quod ad eam sane rem attinet, in vetere sententia permansuros, de rebus autem contra Græcos gestis meæ orationi assensuros: qui vero non his modo sed vulgo etiam deteriores sunt, et, quum nulla de re alia tolerabiliter dicere queant, de Lacedæmoniis tacere non possunt, sed, si eos immensis laudibus extulerint, se eadem fore gloria censent qua ii florent qui longe illis copiosiores et præstantiores habentur: hos igitur, ubi occupata loca esse omnia et ne unum quidem nostræ orationis caput se refutare posse viderint, disputationem de rebuspublicis arrepturos et instituta illorum cum nostris in contentionem adducturos esse reor, ac temperantiam in primis et obedientiam cum negligentia nostra, ob easque res Spartam laudaturos.

42. Quod si facere instituerint, cordati viri eos nugas agere judicare debebunt. Ego enim non disputationem de rebuspublicis institui, sed illud probare volui, nostram urbem de Græcia melius esse meritam quam Lacedæmonios. Quo ex numero si quid convellerint, aut alia communia facta protulerint quibus illi nos superarint, merito laudabuntur: si vero ea dicere cœperint de quibus ego nullam prorsus mentionem feci, jure stupidi omnibus videbuntur.

43. Verumtamen quum eos orationem de rebuspubl. in medium allaturos putem, non gravabor ea quoque de re disserere: spero enim me ostensurum, illo ipso nostram urbem magis excellere quam iis quæ supra diximus.

44. Neque vero quisquam opinetur de hac republica me dicturum, qua pro vetere uti coacti sumus, sed de ea quæ apud majores nostros fuit, qua nostri patres non contempta hanc arripuerunt, sed in aliis quidem rebus illam longe præclariorem, ad maris vero imperium hanc utiliorem esse judicarunt: quo suscepto et diligenter administrato tum Spartanorum insidias ulcisci tum Peloponnensium omnium robur, quo urbs nostra illis temporibus maxime urgebatur, bello superare potuerunt. Quare nemo jure culpaverit eos qui hanc delegerunt: neque enim spe sua frustrati sunt, nec ignorarunt quid utrique imperio vel bonorum vel malorum inesset, sed satis norant terrestrem principatum, boni ordinis, modestiæ, obedientiæ, cæterarumque rerum ejus generis studium requirere, potentiam vero marinam non his rebus augeri, sed artibus nauticis et hominibus qui remos agere possunt, quique sua perdiderunt et ex alieno victum quæritare consueverunt; quod hominum genus quum in urbem confluxisset, satis apparebat et veteris reipublicæ disciplinam dissolutum iri et sociorum benevolentiam cito a nobis abalienandam esse, ubi eos, quibus prius urbes et agros dederant, vestigalia et tributa pendere cogerent, ad solvendam istis mercedem quos paulo ante dixi. Sed tamen, quum eorum quæ prius posita sunt nihil ignorarent, urbi tanta et magnitudine et gloria expedire et convenire quasvis difficultates potius quam Lacedæmoniorum imperium perpeti existimabant: et, quum duæ res quarum neutra bona esset proponerentur, optionem eam præstare ut ipsi aliis malefacerent quam ut grassationes aliorum tolerarent, et contra jus aliis potius imperarent quam ut hujus culpæ fuga injuste Lacedæmoniis servirent. Quæ utique omnes viri prudentes et præoptarent et vellent, sed pauci quidam, qui sapientes scilicet

videri volunt, si rogarentur repudiaturi essent. Causas igitur, propter quas eam rempubl. quæ a quibusdam reprehenditur ei quæ ab omnibus laudatur prætulerunt, paulo copiosius, sed vere, exposui.

45. Nunc et de hac quam institui et de majoribus nostris verba faciam, ab illis temporibus exorsus, quum tam democratiæ quam oligarchiæ nomen ignoraretur, sed et barbaricæ gentes et omnes Græciæ civitates regibus parerent. Rem autem altius propterea repetere volui, primum quod existimo convenire ut qui de laude virtutis contendunt a primo statim ortu aliis antecellant; deinde, quum de viris præstantibus quidem illis sed nulla mihi necessitudine conjunctis plura quam decuit disseruerim, majorum nostrorum, qui rempublicam pulcherrime administrarunt, puderet me ne brevem quidem facere mentionem, qui tanto illis qui principatus tenent præstantiores fuerunt, quanto viri mansuetissimi et prudentissimi bestiis immanissimis et sævissimis antecellunt.

46. Quod enim infandum et nefarium facinus tum in aliis urbibus, tum vero in his potissimum quæ maximæ et sunt et habentur, non fuisse perpetratum inveniemus? nonne cædes fratrum et patrum et hospitum plurimæ subinde factæ? non mactationes matrum et incesti concubitus indeque suscepti liberi unde ipsi nati erant? non devoratio liberum conjunctissimorum insidiis concinnata? non ejectiones eorum quos genuerant, et submersiones et excæcationes et tanta maleficiorum multitudo, ut eorum nemini unquam materia defuerit qui in singulos annos illorum temporum calamitates in theatrum producere solent?

47. Hæc non quo illos vituperarem, sed ut ostenderem apud nostros non tantum tale nihil esse factum, recensui; hoc enim non virtutis, sed paulo minoris quam qua scelestissimi quique sunt improbitatis signum esset: decet autem eos qui aliquos insignibus laudibus ornare student, non id solum demonstrare, non improbos eos esse, sed omni genere virtutum et superioris et nostræ ætatis hominibus præstitisse. Quæ eadem de nostris quoque majoribus dici possunt.

48. Nam ita sancte et præclare tam civitatem quam rem suam familiarem administrarunt, ut illis dignum fuit qui et a diis geniti erant, et primi tum urbem condiderant tum legibus usi erant, et omni tempore studuerant ut erga deos pietati sic erga homines æquitati, quique nec permixti aliis nec advenæ, sed soli Græcorum indigenæ fuerunt, eandemque regionem nutricem habuerunt e qua nati essent, et perinde ut optimi quique patres et matres suas dilexerunt, diisque porro immortalibus ita cari ut, quod difficillimum et rarissimum esse creditur, inveniri quasdam tyrannicas et regias familias quæ quatuor ætates et quinque permanserint, id quoque illis contigerit. Nam Erichthonius Vulcano et Tellure genitus a Cecrope, qui masculis liberis orbus decesserat, hæreditatem et regnum accepit: hinc omnes eum secuti, non pauci numero, opes et imperia per successionem suis liberis reliquerunt usque ad Theseum.

49. De cujus equidem virtute rebusque gestis magnopere velim me prius nihil disseruisse: longe enim aptius in oratione hac de urbe nostra instituta de eo diceretur. Sed difficile fuit, vel potius fieri non potuit, ut ea quæ illo tempore in mentem veniebant ad hanc occasionem reservarentur, quam oblatum iri minime præsentirem. Illa igitur omittemus quæ olim in ejus temporis usum convertimus, et unius tantum facti mentionem faciemus, quod ita accidit ut neque sit prius expositum neque factum ab ullo alio nisi a Theseo, virtutis vero ejus et prudentiæ insigne præbeat documentum.

50. Nam quum regnum haberet tutissimum et maximum, in quo multas et præclaras res gesserat tum bella suscipiendo tum civitatem administrando, omnia hæc despexit, et gloriam laboribus certaminibusque partam, quam neque vetustas obrueret nec oblivio deleret, ignavæ beatæque vitæ prætulit qua propter regnum in præsentia frui licuisset. Et hæc egit, non ubi consenuisset, fastidio quodam et satietate bonorum illorum adductus, sed in ipso ætatis flore urbem, ut ferunt, multitudini regendam permisit, ipse autem tum pro ea tum pro aliis Græcis adire pericula non destitit.

51. Ac de Thesei quidem virtute nunc ut licuit admonere auditores voluimus, olim facinora ejus omnia non negligenter persecuti: de illorum autem laudibus qui urbis administrationem ab eo susceperunt, nescio quid dicendum sit animi tanta præstantia dignum. Qui, quum rerumpublicarum distinctiones ignorarent, in deligendo non aberrarunt ab ea republica quæ confessione omnium non humanissima tantum et æquissima esset, sed et omnibus qui ea uterentur utilissima et jucundissima. Democratiam enim constituerunt, non eam quæ temere misceret omnia, et in petulantia libertatem, in licentia quidvis agendi felicitatem collocaret, sed quæ talia improbaret, atque aristocratia uteretur: quæ quum utilissima sit, a vulgo, ut ea in qua census ratio habetur, in rebuspubl. numeratur, non quod ex inscitia ignorent, sed quia nihil unquam cogitationis ea de re susceperunt.

52. Ego vero formas rerumpublicarum tres duntaxat esse dico, oligarchiam, democratiam, monarchiam: qui igitur his utuntur, si magistratus et cætera munia civium prudentissimis et optime ac justissime curaturis omnia mandent, eos in quavis republica tum inter se tum erga alios felici statu futuros; qui vero audacissimos et improbissimos deligunt, qui tum reipublicæ utilitatem negligant

tum ad explendam suam avaritiam quidvis parati sint et facere et perpeti, civium eandem quæ magistratuum est improbitatem fore [esse velint, hos contra et sibimetipsis et civibus pessime consulere judico]; qui autem neque sic neque ut prius dixi sese parant, sed quum securi sunt, eos maxime honorant qui ad gratiam loquuntur, in metu vero et periculis, ad optimos et prudentissimos quosque confugiunt, eos per vices alias feliciores fore alias calamitosiores.

53. Hæc igitur natura et vis est rerumpublicarum; atque hæc aliis multo plura verba suppeditatura existimo quam nos fecimus, mihi vero non de omnibus illis, sed de sola majorum nostrorum republica, esse disserendum: hanc enim pollicitus sum demonstraturum majoris esse pretii quam eam quæ Spartæ constituta est.

54. Erit autem oratio his qui me libenter de bona republica dicentem audituri sunt neque molesta nec intempestiva, sed apta et conveniens superioribus; illis vero qui gravem et severam orationem adspernantes iis maxime delectantur qui in celebritatibus convitia dicunt, vel, si furore illo abstinuerint, aut res omnium vilissimas aut mortalium nequissimos laudant, iis eam visum iri puto quam oporteat prolixiorem. Verum ego nihil unquam ejusmodi auditores curavi, ut nec alius quisquam vir prudens, sed eorum rationem habui, qui et illa quæ jam dixi præ omnibus aliis memoriæ mandaturi, neque disputationis prolixitatem, etiamsi decies mille versuum ea fuerit, reprehensuri sunt, sed sui arbitrii esse putabunt tantum legere et percensere quantum ipsi volent, omniumque maxime eorum qui nihil libentius audiant ea oratione qua vel præstantium virorum virtutes vel reipublicæ bene constitutæ mores commemorentur: quæ si quidam imitari possent et vellent, cum ipsi magna gloria ætatem exigerent tum suas urbes felices redderent. Ac quales mihi auditores dari optarim, dixi; vereor autem, etiamsi tales contigerint, ne longe tenuius quam pro rerum gravitate de quibus disserere institui dicam. Sic tamen ut potero de eis verba facere aggrediar.

55. Quod igitur nostra urbs illis temporibus melius quam aliæ administrata fuit, id regibus, de quibus paulo ante dixi, acceptum referri debet. Hi enim fuerunt qui populum ad virtutem, ad justitiam, magnamque modestiam instituerint, et suis actionibus id docuerint, quod ego posterius dico quam ipsi fecerunt, quamvis reipublicæ formam civitatis esse animam, cujus ea vis sit quæ mentis in corpore: nam hæc est quæ et omnibus de rebus deliberet, et res secundas tueatur, et effugiat adversas, auctor atque effectrix omnium quæ civitatibus contigerunt.

56. Quæ quum didicisset populus, ejus rei propter mutationem oblitus non est, sed in hoc magis quam in alia incubuit, ut duces sortiretur, qui et statum popularem expeterent, et iis moribus essent

præditi quibus illi qui olim regnassent, ne per incuriam summæ rerum omnium eos præficeret quibus nemo privatim quicquam mandatum vellet, aut committeret ut illi ad gubernacula civitatis sederent quorum in confesso esset improbitas, aut vocem illorum ferret qui, quum sua ipsi corpora probris affecissent, aliis præscribere studerent quemadmodum urbs sobrie feliciterque regenda esset, aut illis in republ. locus daretur qui patrimoniis in fœdas voluptates profusis peculatu et rapinis inopiæ suæ consultum vellent, aut illis qui, quum ad gratiam semper loqui cuperent, in multa ingrata et molesta conjicerent eos qui ipsis obtemperassent; nam hujus quidem generis homines omnes a consiliis esse removendos nemo est omnium quin existimet, neque vero hos solum sed illos etiam qui, quum aliorum possessiones reipublicæ esse dicant, proprias civitatis opes depeculari ac diripere audent, et se amare populum simulant, quem apud omnes alios in odium adducunt, qui, quum Græcis verbo metuant, eos re vexant et calumniantur et efficiunt ut ita erga nos affecti sint, ut pleræque civitates bellis conflictantes malint hostibus portas quamprimum aperire quam nostra præsidia intromittere. Nemo perscribere ac enumerare possit omnem improbitatem et scelera istorum.

57. Quæ quum illi odissent, non temere quosvis ad consilia et magistratus admittebant, sed optimos et prudentissimos quosque et vitæ integritate spectatissimos, atque hos ipsos tum imperatores creabant tum si quoquam necesse esset legatos mittebant, tum magistratus urbanos omnes illis mandabant, existimantes, qui pro concione optima suadere et vellent et possent, eosdem etiam seorsim omnibus in locis et de omnibus negotiis eodem animo parique prudentia futuros: neque vero opinione sua frustrati sunt.

58. Nam quum hac mente essent, paucis diebus leges in tabulas relatas et publice propositas viderunt, non his quas nunc habemus similes, neque confusionis plenas et inter sese pugnantes, ita ut tam ratæ quam antiquatæ prope nihil auctoritatis habeant, sed primum paucas, sic tamen ut et satisfacerent et cognitu faciles essent iis qui usuri erant illis, deinde justas et utiles et inter se consentientes, et magis in hoc intentas, ut publica instituta præclara essent quam ut privata commercia sine fraude fierent, quales esse decet in republica bene constituta. Circa eadem tempora magistratus creabant eos qui a tribulibus et popularibus delecti erant; neque vero dignitates tales fecerant quæ magnopere ambiendæ aut expetendæ essent, sed multo magis muneribus similes, iis quibus mandata fuerint sane molestis, sed et honoris aliquid afferentibus: oportebat enim eos qui delecti erant et rem familiarem negligere, et largitionibus quæ magistratibus dari solent non minus quam donariis templorum abstinere — quæ quis est qui his moribus ferre velit? — quod si qui

officio functi essent, eos mediocriter collaudatos aliam talem curationem suscipere oportebat, qui vero paululum de via declinassent, summis probris et maximis suppliciis affici; quare nemo civium ut nunc fit magistratus appetebat, sed magis gestiebat eos tunc effugere quam nunc consequi, omnesque putabant nunquam exsistere posse veriorem democratiam aut firmiorem aut multitudini utiliorem ea quæ et talium functionum populo immunitatem daret, legendorum autem magistratuum auctoritatem et puniendi delinquentes tribueret; quæ non alia potestas est quam felicissimorum tyrannorum.

59. Et hæc pluris quam ego dico eos fecisse, illud maximo argumento est quod populus alias reipublicæ formas quæ displicent oppugnare et destruere et magistratus occidere solet, hac vero usus est non paucioribus quam mille annis, in eaque perseveravit ab illo tempore quo accepit usque ad Solonis ætatem Pisistratique principatum; qui populi gubernator factus, quum reipublicæ multum nocuisset optimosque cives tanquam oligarchicos ejecisset, tandem populari statu abrogato tyrannidem occupavit.

60. Fortassis autem aliqui me absurde facere dicent — nihil enim vetat hanc orationem reprehendere —, qui hæc dicere audeam tanquam de rebus perfecte mihi cognitis, quibus dum gererentur non interfuerim. Sed ego me nihil horum temere facere puto. Nam si ego solus sermonibus de veterum institutis et scriptis, quæ ab illo tempore ad nos pervenerunt, fidem haberem, non injuria reprehenderer: nunc multos eosque prudentes viros facere idem quod me apparet. Præterea, si argumenta et orationem a me postulentur, probare queam omnes homines auribus plura quam oculis cognoscere, et majores et pulcriores res scire quas ab aliis audierint quam quibus ipsi interfuerint. Cæterum hujusmodi reprehensiones neque negligendæ sunt — nam, si a nemine diluerentur, fortasse veritatem læderent — neque refutandis illis diutius immorandum, sed ubi tantum aliis subindicatum fuerit ex quo adversarios nugas agere ostendatur, ad propositum redeundum et absolvendum id quod institutum fuit; quod ego quoque faciam.

61. Ordinationem igitur reipublicæ, et tempus per quod ea sunt usi, quantum satis est exposuimus: restat igitur ut quæ actiones bonum civitatis statum secutæ sint explicemus. Ex his enim adhuc rectius intelligetur nostros majores rempublicam meliorem habuisse tum quam alios et modestiorem, atque iis et magistratibus et consiliariis esse usos quorum auctoritati parere prudentiæ est.

62. Sed ne hæc quidem prius dicenda mihi sunt, quam pauca præfatus fuero. Si enim, neglectis eorum reprehensionibus qui hoc unum didicerunt, vel de aliis rebus gestis vel de militari disciplina, quibus usi majores et barbaros superarunt et a Græcis bene

audierunt, narravero, fieri non poterit quin aliqui me dicant leges recitare quas et Lycurgus tulerit et Spartani observent.

63. Ego vero me dicturum esse multa fateor quæ illic recepta sunt, non quod Lycurgus illa vel invenerit vel excogitarit, sed quod majorum nostrorum gubernationem quam optime imitatus domi democratiam instituit aristocratia temperatam, qualis apud nos fuit, et magistratus non sortito sed per suffragia creari voluit, legemque tulit ut seniores qui rebus omnibus præsunt tanto studio et cura legerentur, quanta ferunt a majoribus nostris Areopagitas esse lectos, et eandem illis auctoritatem tribuit, quam sciret senatum apud nos habuisse.

64. Lacedæmoniorum igitur eam esse rempublicam quæ apud nos olim quoque fuerit, e multis audire licet, si qui scire id cupiunt: jam rei militaris peritiam non prius excoluisse neque melius tractasse Spartanos quam nostros, certaminibus et bellis, quæ facta esse illis temporibus omnes confitentur, me ita perspicue ostensurum arbitror, ut nec inepte Laconum studiosi habituri sint in quo meis verbis contradicant, nec illi etiam qui nostra simul et mirantur et invident et imitari cupiunt.

65. Ab eo autem exordiar quod auditu fortasse non omnibus jucundum, sed dictu tamen non erit inutile. Si quis enim dicat duas has urbes plurima beneficia in Græciam contulisse atque maximis malis eandem post Xerxis expeditionem affecisse, non poterit non dixisse verum iis videri qui res gestas illorum temporum cognitas habent. Nam et quam fortissime fieri potest contra ejus potentiam dimicarunt, et eo facto, quum decuisset etiam ea quæ restabant, eas rite administrare, in eam non amentiam sed insaniam sunt impulsæ, ut cum eo qui ipsas oppugnarat, qui utramque urbem delere funditus, qui cæteros Græcos servitute opprimere destinarat, tali præsertim, quem facile terra marique superassent, pacem in omne tempus tanquam cum bene merito fecerint, et altera alterius virtutibus invidentes bello suscepto tanta pertinacia et æmulatione inter se contenderint, ut sese mutuo cæterosque Græcos perdere non prius destiterint, quam communi hosti eam potestatem dedissent ut is nostram urbem per Lacedæmoniorum potentiam in summum discrimen adduceret, ac rursum Lacedæmonios per nostram urbem. Quamvis autem barbarus eas prudentia tam longe superasset, tamen neque illis temporibus ob acceptas clades ita uti par fuit ipsasque decuit doluerunt, neque nunc Græcarum urbium maximas colere pudet ejus opes contentione quadam assentationis; nam Argivi quidem et Thebani Ægyptum illi missis auxiliis subegerunt, ut quam maxima potentia munitus Græcis insidiaretur, nos autem et Spartani, quum societate conjuncti simus, alieniores alteri ab alteris animos habemus quam ab iis contra quos utrique bella gerimus. Cujus

rei non parvum illud signum est, quod nec ulla de re communi consilio deliberamus, et utrique seorsim legatos ad illum mittimus, sperantes, utri eum magis propitium habuerint, in eorum potestate fore Græciæ dominatum, adeoque sumus amentes ut non animadvertamus solere eum illos a quibus colitur contumeliose tractare, cum iis autem, qui adversantur et ejus potentiam contemnunt, omni modo dare operam ut redeat in gratiam.

66. Hæc recensui, quum satis scirem non defuturos qui dicere auderent ea quæ dixerim nihil ad institutum pertinere. Ego vero nunquam quicquam esse dictum existimo quod supra dictis magis conveniat, aut quo manifestius demonstretur majores nostros maximis in rebus fuisse prudentiores illis qui tum nostram tum Spartanorum urbem post bellum cum Xerxe gestum gubernarunt. Satis enim constat eas et illis temporibus pacem cum barbaris fecisse, et cum seipsas tum alias civitates perdidisse, et nunc Græcis imperare velle, et legatos ad regem mittere ad expetendam ejus amicitiam et societatem : qui vero quondam nostram urbem tenuerunt, nihil tale fecerunt, sed plane contrarium ; nam Græcis urbibus abstinere tam constanter eis decretum fuit quam religiosis hominibus donariis templorum, bellum autem maxime necessarium et justissimum, a quo mortalium nemo immunis esse deberet, id putabant quod contra immanitatem belluarum gereretur, proximum quod Græcorum auxilio inferretur barbaris qui et natura essent hostes et perpetuo nobis insidiarentur. Hæc quæ dixi non ipse excogitavi, sed ex illorum rebus gestis sum ratiocinatus.

67. Nam quum alias urbes in multis malis et bellis et turbis versari, suam vero solam recte gubernari viderent, non existimarunt eorum esse officii qui et rectius saperent et rebus secundioribus uterentur connivere ac pati cognatas urbes interire, sed et rationem ineundam et operam esse dandam ut universas malis illis liberarent. His cogitationibus susceptis dissidia saniorum civitatum legationibus et disceptationibus tollere studuerunt ; si quæ vero seditiosiores erant, cives summæ apud se auctoritatis ablegarunt, qui et consiliis eas in rebus illis juvarent, et congressi tum cum iis qui domi vivere non poterant, tum cum iis quorum insita ferocia legum decretis adversabatur, quod hominum genus urbibus plerumque perniciosum est, persuaserunt ut secum in militiam profecti vitam illa meliorem quærerent. Quum igitur multi essent qui ea vellent et obtemperarent, constituto ex illis exercitu, et barbaros qui insulas occuparant expulerunt et eos qui utramque Asiæ oram tenebant aggressi, omnibus ejectis, egentissimos Græcorum ibi collocarunt. Hæc et ipsi agere et aliis ad imitandum proponere non destiterunt, donec audissent Spartanos Peloponnesi urbes, ut dixi, subegisse : tum vero sua tueri coacti sunt.

68. Quid igitur boni bella illa et occupationes mittendi colonias secutum est ? hoc enim existimo plerosque potissimum audire velle. Ut Græci ditiores et copiosiores fierent magisque consentirent tanta et tali multitudine hominum liberati, ut barbari extorres et profligati submissioribus animis essent quam prius, ut harum rerum auctores insignem caperent gloriam duploque majorem fecisse Græciam quam initio fuerat apparerent.

69. Ac majus quidem beneficium quam hoc et communius Græcis a nostris majoribus datum reperire non possum : quod autem sit cum peritia rei militaris conjunctius, nec minore prædicatione dignum et omnibus magis manifestum habituri forte sumus quod dicamus.

70. Quis enim ignorat, aut Bacchanalibus e tragicis actoribus non audivit, quas Adrastus clades ad Thebas acceperit ? qui Œdipi filium, suum generum, in regnum restituere conatus, maximas Argivorum copias amisit, et omnes centuriones vidit interemptos, ipse per dedecus servatus ; et quia nec fœdus impetrare nec cæsos afficere sepultura poterat, supplex urbi nostræ factus, Theseo adhuc eam gubernante, oravit ne tales viros insepultos jacere aut vetus institutum et patriam legem apud universos homines receptam abrogari sineret, quæ non mortali prodita ingenio sed a divina potentia imperata videretur. Quibus populus auditis, nulla mora interposita, legatos Thebas misit, qui suaderent ut et de reddendis cadaveribus sanctius consilium inirent et æquius responsum quam dudum darent, atque illud subindicarent, nostram urbem eis non permissuram ut communem omnium Græcorum legem violarent. Quæ quum audissent qui tum Thebis imperabant, aliter statuerunt quam et plerique de eis sentiunt, et ipsi prius decreverant, sed et modeste suam causam egerunt et accusatis iis a quibus oppugnati essent nostræ urbi cadavera tollenda tradiderunt.*

71. Ac nemo putet me iis quæ in oratione Panegyrica de his ipsis scripsisse videar ex inscitia dicere contraria : ego enim existimo neminem eorum qui hæc perspicere potuerunt tanta esse væcordia et invidia refertum, qui me non laudet ac prudenter facere censeat quod tunc illo nunc hoc modo de eis disseruerim. De his igitur scio me recte scripsisse atque utiliter : quantum autem nostra urbs illo tempore bellica fortitudine præstiterit — nam ut hoc demonstrarem, ea recensui quæ Thebis facta sunt —, id existimo ista ipsa re omnibus planissimum fieri, quæ et regem Argivorum urbi nostræ supplicem fieri coegerit, et Thebanorum dominos eo redegerit ut maluerint nostræ urbis sermonibus quam legibus a numine latis obtemperare : quorum urbs nostra nihil certe perficere potuisset, nisi et auctoritate et potentia cæteris longe præstitisset.

72. Quum autem multa et præclara majorum facinora dicenda

habeam, dispicio qua ratione de eis disseram. Hæc enim majori mihi curæ sunt, quam cætera: quum jam in ultima propositi mei parte verser, quo me probaturum asserui majores nostros in bellis et præliis magis antecelluisse Spartanis quam cæteris rebus omnibus. Erit autem hæc oratio ab opinione multorum abhorrens illa quidem, sed non minus vera tamen quam superiora. Modo equidem dubitabam utrum dimicationes et pugnæ Spartanorum an vero nostrorum civium prius recensendæ essent: nunc ab illis ordiri placet, ut ad finem disputationis hujus facinora reservem clariora et æquiora.

73. Posteaquam igitur Dorienses in Peloponnesum cum exercitu profecti pulsis per injuriam veteribus incolis eorumque agris occupatis trifariam urbes diviserunt, qui Argos et Messenam sortiti erant, eo fere modo civitates suas administrarunt quo reliqui Græci, tertiam autem eorum partem, quos nunc Lacedæmonios dicimus, ita seditiosos fuisse ab iis qui res illorum perquirunt est proditum ut nullos aliorum Græcorum, optimates autem, quum elati superbia plebem oppressissent, longe aliam rationem et ab aliorum omnium qui similes turbas experti essent consuetudine abhorrentem pacandorum tumultuum constituendæque reipubl. inivisse: nam cæteros quidem adversam factionem in eadem civitate vivere et omnium commodorum societate magistratibus duntaxat et honoribus exceptis frui pati; — quos dementes haberi a prudentibus Spartanorum, si existiment sibi et reipubl. nihil ab iis esse periculi quos insignibus injuriis affecerint —; ipsos vero nihil tale fecisse, sed inter sese æqualitatem et democratiam ejusmodi constituisse, qualis deceat eos qui perpetuo concordes esse debeant, plebem autem circum se in vicinia collocasse, servitute oppressis illorum animis non minus quam famulorum; quæ quum perfecissent, agri, quem inter omnes æqualiter esse distributum oportuerat, ipsos qui pauci essent non optimam duntaxat, sed et tantam vendicasse partem quantam nulli Græcorum habeant, et multitudini tantum deterrimæ terræ impertiisse ut magno labore vix excolere possint quantum ad vitam sustentandam sit necessarium; postea divisa inopi multitudine, humiles et multos in locis quam fieri potuerit angustissimis considere coactos, qui quum iis nominibus appellentur quasi civitates incolant, revera minus auctoritatis et opum habeant quam nostratia municipia; quum autem eis eripuissent omnia quæ liberis hominibus permittenda sunt, maximam periculorum partem in eos inclinasse; nam tum in expeditionibus, quæ ductu regis fiebant, viritim in acie juxta Spartanos stetisse, et quosdam etiam in prima acie collocatos esse, tum si, quum aliquo supplementa mittenda essent, vel labores vel pericula vel moram belli reformidarent, hos misisse ut sua capita pro aliorum salute periculis objectarent. Et quid multis opus est

omnes recensere injurias quibus multitudo afficitur, quin potius maximo malo prolato cætera missa facimus? Nam eorum qui et ab initio tantas acerbitates perpessi sunt, et ad quasvis occasiones operam ita strenuam navant, ephoris licet indicta causa tot occidere quot libitum eis fuerit: quæ quidem sanguinaria crudelitas apud cæteros Græcos nefarium scelus habetur, si vel in perditissimos servos exerceatur.

74. De Spartanorum autem in cives olim suos sævitia et peccatis in eos admissis ideo pluribus disserui, ut interrogarem eos qui facta illorum omnia probant, num etiam hæc laudent, et prælia cum istis gesta pia atque præclara putent. Ego quidem magna illa existimo fuisse et acerba, quæ ut victis ingentia mala sic victoribus emolumenta plurima peperere, propter quæ isti bella perpetuo gerunt, sed neque sancta neque honesta neque decora iis qui præstantiam illam sibi vendicant, non quæ in artibus et multis aliis rebus sic dicitur, sed veræ virtutis, quæ viris bonis et honestis cum pietate et justitia in animis innascitur, de qua omnis oratio est. Qua quidam neglecta eos laudant qui plura quam alii peccata contraxerunt, nec animadvertunt se mentem suam aperire ac illud prodere, quod eos etiam laudaturi sint qui maximis quidem opibus polleant, sed et fratres suos et amicos et socios occidere non dubitarent ut illorum quoque pecunia potirentur: nam talia facinora similia sunt factis Spartanorum, quæ qui probant, eos necesse est idem de iis etiam sentire quæ modo commemoravimus.

75. Miror autem si qui sunt qui prælia et victorias præter jus et æquum partas, non esse turpiores et pluribus probris scatere censeant quam clades sine ignavia acceptas, præsertim quum sciant, magnos exercitus quamvis sceleratos sæpe superiores esse viris honestis qui pro patria pugnare non dubitant. Quos multo laudari justius est quam eos qui alienarum opum cupiditate mortem oppetere non recusant, conductitiis militibus similes: nam hæc improborum hominum opera sunt; quod vero boni viri nonnunquam infelicius quam qui student injuriis inferendis præliantur, id incuriæ deorum fortassis est tribuendum. Et hac ratione uti queam etiam de calamitate quam Spartani ad Thermopylas acceperunt, quam quicunque audiverunt laudant omnes et mirantur magis quam prælia et victorias quibus adversarii quidem superati, sed et illi violati sunt quos minime oportebat; et sunt tamen qui ea laudare non dubitent, ignari nimirum nihil neque sanctum neque honestum esse eorum quæ citra justitiam et dicantur et fiant. Quæ res Spartanis nunquam curæ fuerunt: nihil enim aliud spectan tnisi ut aliena quam plurima occupent.

76. Nostri autem nihil omnium rerum ita expetiverunt, nisi ut apud Græcos gloria florerent: existimantes nullum posse judicium

fieri vel verius vel æquius illo quæ a tota gente pronuntiatum esset. Eos autem ita sensisse cum ex aliis eorum actis in republica perspicitur, tum e rebus maximi momenti. Nam quum Græci tria bella præter Trojanum cum barbaris gesserint, in his omnibus suam urbem principem exhibuerunt. Quorum unum fuit Xerxeum, in quo quicquid periculi adeundum fuit tanto præstantiores fuere Lacedæmoniis quanto illi aliis: alterum eo tempore quo coloniæ condebantur ortum, ad cujus societatem Doriensium nemo venit, nostra vero urbs se ducem professa tenuiorum et quorumvis aliorum rem ita vertit et mutavit eoque redegit ut, quum barbari soliti fuissent reliquo tempore maximas quasque Græcarum urbium occupare, Græci ea quæ prius ferebant facere possent.

77. Ac de duobus quidem bellis satis antea diximus, nunc de tertio verba faciam, quod conflatum est quum et Græcæ urbes nuper conditæ essent et nostra civitas adhuc regibus pareret. In quorum tempora et bella plurima et maxima pericula inciderunt, quæ omnia neque cogitatione complecti neque oratione explicare queam; omissis igitur eorum plurimis quæ tum facta sunt eademque dictu non ita necessaria, quam brevissime potero referre conabor tum eos qui nostram urbem oppugnarunt tum pugnas memorabiles harumque duces, tum causas quas hostes prætexebant potentiamque gentium quæ illos secutæ fuerunt: hæc enim satis multa erunt quæ cum adversariorum factis comparentur.

78. Nam Thraces cum Eumolpo Neptuni filio in agros nostros irruperunt, qui cum Erechtheo de urbe contendens Neptunum prius eam occupasse quam Minervam asserebat: Scythæ cum Amazonibus, quæ Martis filiæ dicebantur, propter Hippolytam bellum faciebant, quæ, patriis legibus violatis, Thesei amore capta et inde eum secuta ac nupta illi fuerat: Peloponnenses cum Eurystheo, qui quum Herculi pœnas injuriarum non dedisset, bello contra majores nostros suscepto ut ejus liberos vi hinc abduceret — ad nos enim confugerant —, ea pertulit quæ merebatur; tantum enim abfuit ut supplices in potestatem suam redegerit, ut prælio superatus et captus a nostris, ipse supplex illis factus quos sibi dedendos postularat occubuerit: post qui missi a Dario fuerant ad vastandam Græciam, exscensu ad Marathonem facto, pluribus et majoribus cladibus acceptis quam ipsi nostræ urbi se allaturos sperarant, fuga se ex universa Græcia proripuerunt.

79. His omnibus igitur quos recensui, qui non una impressionem fecerunt nec iisdem temporibus, sed ut et occasiones et singulorum utilitates et voluntas tulerant, prælio superatis illorumque injuriis propulsatis, non a statu suo post tantas res gestas declinarunt, neque id eis accidit quod iis qui, quum prudenter consulendo et recte agendo magnas opes insignemque gloriam sint adepti, post ob successuum magnitudinem elati superbia et sana mente amissa in deteriorem etiam et humiliorem priore fortunam deferuntur, sed talibus omnibus evitatis instituta vetera ob rectam reipublicæ administrationem retinuerunt, magis freti animi sui virtute suaque prudentia quam prœliis commissis, majoreque in admiratione habiti apud alios ob constantiam hanc et sobrietatem quam propter tolerantiam laborum et periculorum: omnes enim videbant multos etiam flagitiis coopertos animosos esse in prœliis, sed moderationis et prudentiæ, quæ rebus in omnibus utilis omnes juvare possit, expertes esse improbos, et hanc propriam eorum esse laudem qui bene nati beneque educati et instituti sunt, cujusmodi fuerunt illi qui tum urbem rexerunt, quibus successus illi quos diximus omnes sunt accepti referendi.

80. Equidem video alios maximis facinoribus et in primis memorabilibus concludere solere orationes, atque eos qui sic judicant et agunt sapere censeo, sed tamen ita accidit ut ego aliter faciam et plura dicere necesse habeam. Quod cur a me fiat, paulo post ostendam, ubi pauca omnino prius dixero.

81. Tantam hujus orationis partem perscriptam, quanta jam recitata est, cum adolescentulis tribus aut quatuor familiariter mecum vivere solitis corrigebam: quæ quum nobis recensentibus probata conclusione tantum indigere videretur, consultum esse duxi quendam, qui me præceptore usus atque in oligarchia versatus eo animo erat ut perpetuo laudaret Lacedæmonios, accersere, ut, si quid forte falso dictum nos præteriisset, id ille animadversum nobis indicaret. Venit igitur ille vocatus et lecta oratione — nam quæ alia intercesserunt quid multis dicere attinet? — cæterorum quæ scripseram nihil moleste ferebat, sed et summis laudibus efferebat, et de singulis partibus eadem fere dicebat quæ nos quoque sentiebamus: non obscuram tamen significationem dabat sibi displicere ea quæ de Lacedæmoniis dixissemus. Idque mox ostendit: ausus est enim dicere, etiamsi nullum aliud in Græcos beneficium contulissent, ob illud tamen eis jure omnes gratiam habituros, quod, pulcherrimis institutis inventis, eadem et ipsi usurpassent et aliis demonstrassent.

82. Hoc ita breviter et paucis dictum in causa fuit ne ibi finirem orationem ubi decreveram, ac turpe fore ducerem minimeque ferendum, si quenquam ex meis discipulis in conspectu meo verbis improbis uti paterer. Hæc cogitans interrogabam nihilne curaret eos qui adessent, nec impia et falsa et multis contradictionibus referta dicere erubesceret? Intelliges autem (inquam) ita esse, si prudentiores interrogaris quæ instituta pulcherrima esse putent? deinde quantum temporis effluxerit ex quo Spartani in Peloponneso consederunt? Nemo enim est quin religiosum cultum deorum et justitiam

erga homines et prudentiam in aliis rebus omnium pulcherrima instituta esse censeat, Spartanos autem non amplius septingentis annis eum locum tenuisse consentiat. Quæ quum ita sint, siquidem tu vera prædicas quum pulcherrima instituta eos invenisse dicis, necesse est alios qui multis ante sæculis fuerunt, quam Spartani sedes istas occuparent, eorum expertes fuisse, eos etiam qui Trojam expugnarunt, et Herculis ac Thesei æquales, Minoem item Jovis filium et Rhadamanthum et Æacum et reliquos omnes qui ab universis propter istas virtutes divinis laudibus celebrantur, falsaque frui gloriola: si vero tu nugas agis, et omnino par est diis genitos virtutibus istis magis et ipsos esse usos et posteris imitandas eas proposuisse, fieri non potest quin furere videaris omnibus audientibus, qui adeo temere quosvis et inique laudes. Deinde si eos commendes, quid ego dixissem plane non audito, delirasses quidem, sed tibi tamen ipse contrarius esse non videreris: nunc vero tibi qui meam orationem laudaris, quæ ostendebat multa crudeliter et nefarie Lacedæmonios et in cognatos suos et in alios Græcos fecisse, qui inquam tibi dicere licuit eos, qui his criminibus obnoxii sunt, pulcherrimorum institutorum principes exstitisse?

83. Præterea illud etiam te præteriit, quod quæ desint vel institutis vel artibus vel quibusvis aliis rebus, ea non excogitari a quibuslibet, sed ab his qui ingeniis excellunt et e veterum inventis discere plurima potuerunt et investigationi rerum majore studio incumbere voluerunt. A quibus rebus Lacedæmonii longe barbaris essent alieniores: hos enim multorum inventorum fuisse tum discipulos tum doctores, istos vero a communi institutione ac studiis tam longe abesse ut ne literas quidem discerent, quæ tantam vim haberent ut, qui iis instructi essent et uterentur, non ea solum cognoscerent quæ sua ætate gererentur, sed illa etiam quæ ab omni memoria facta essent. Tu tamen earum ignaros pulcherrimorum institutorum inventores esse affirmare non dubitasti, quamvis scires eos ad tales exercitationes liberos suos assuefacere, per quas sperent eos aliis non esse benefacturos, sed Græcis maxima detrimenta importaturos.

84. Quæ si omnia percensere velim, et mihi et auditoribus magnum fastidium ea parerent; sed ubi unum duntaxat recitaro, quod et amant et studio in primis habent, omne ingenium et mores eorum me declaraturum arbitror. Illi enim quotidie pueros mox a lecto, cum quibus singulis libitum est, ablegant verbo ad venationem, re ad eos per furtum spoliandos qui ruri habitant: in quo accidit ut deprehensi et nummos solvant et plagas accipiant; qui vero scelera plurima admiserunt eaque celare potuerunt, hi tum inter pueros aliis præferuntur, tum viri facti, si in illis studiis permanserint quæ pueri meditati erant, aditum sibi ad summos honores patefecerunt. Quod si quis ostenderit disciplinam ullam apud eos in majore pretio aut honoratiorem esse, fatebor me nihil verum unquam ulla de re dixisse. Enimvero quidnam istiusmodi facinorum vel pulcrum vel honestum est, ac non potius erubescendum? Annon igitur amentes habendi sunt qui eos laudant, qui a communibus legibus tam longe recesserunt neque in ulla re vel cum Græcis vel cum barbaris consentiunt? Alii enim maleficiis et furtis deditos servorum nequissimos judicant, illi autem istorum facinorum principes inter pueros excellere et maxime honorandos esse putant. Quis vero sanæ mentis homo non ter emori malit quam de se famam dissipari quod per hujusmodi studia virtutis exercitationem meditetur?

85. His ille auditis nihil omnino quod dixeram confidenter refutavit, nec tamen obticuit prorsus, sed tua quidem (me innuens inquit) oratio eo pertinet, quasi ego omnia illorum probem et præclara esse putem: ego vero et puerorum licentiam quæ apud illos est et alia multa jure abs te culpari censeo, me autem accusari injuria. Nam quum orationem legerem, cum ea quæ de Lacedæmoniis dicta essent ægre ferebam, tum illud multo magis quod nullam pro eis afferre defensionem possem, quos hactenus laudare consuevissem. Hoc æstu animi quum jactarer, id afferebam quod reliquum erat, scilicet, si non ob aliud, propter illud saltem habendam eis esse gratiam a nobis omnibus, quod pulcherrimis institutis constanter uterentur. Eaque verba neque ad pietatem neque ad justitiam aut prudentiam, quæ tu percensuisti, referebam, sed ad gymnasia ibi recepta, ad exercitationem fortitudinis, ad concordiam, ad studium denique rei mili-

taris singulare, quæ omnes prædicent, et illis usitatissima esse fateantur.

86. Quæ quum respondisset, acquievi: non quod ullum accusationis caput diluisset, sed quod id quod acerbissime dictum fuerat occultaret non inerudite sed sapienter, et cætera modestius defendisset quam dudum jactarat.

87. Verumtamen ut illud omitterem, me habere dicebam cur illa ipsa longe gravius quam puerorum furacitatem accusarem. Siquidem (inquam) illis studiis suos liberos corruperunt, illis vero, quæ tu modo commemorasti, Græcos perdiderunt. Quod ita esse facile perspicitur. Existimo enim confessione omnium pessimos viros esse gravissimaque pœna dignos, qui res ad hominum salutem inventas ad aliorum perniciem convertunt, et iis neque contra barbaros neque contra delinquentes neque contra eos qui in agros ipsorum impetum faciunt, sed contra conjunctissimos et cognatos suos abutuntur; id quod Spartiatæ fecerunt. Nam qui dici fas est illos re militari recte uti, qui, quos conservatos oportuit, eos perdere non destiterunt?

88. Neque vero tu solus ignoras qui rebus bene utantur, sed Græcorum pars fere maxima. Nam si quos viderint aut ex aliquibus audierint studiose versari in iis studiis quæ pulcra habentur, laudant illos et multa verba de eis faciunt, quum ignorent quid eventurum sit. Decet autem veros etiam istorum æstimatores initio tranquillos esse ac nullam de eis habere opinionem, postquam vero ad id tempus venerint, quo eos et dicentes et agentes videant sive privatis sive publicis de rebus, tum demum singulos acute contemplari atque eos qui juste et honeste illis utuntur quæ meditati sunt laudare et honorare, delinquentes autem et improbos reprehendere et odisse et cavere sibi ab eorum moribus, qui eam esse naturam rerum sciant ut nobis per se neque prosint neque obsint, sed usum hominum et actiones causam nobis esse omnium eventuum. Idque inde perspicitur, quod ubique terrarum eædem res planeque nihil differentes aliis prosunt aliis obsunt. Ut autem cum simplicitate haud consentit singulas res naturam sibi ipsis contrariam nec eandem habere, sic prorsus diversa usuvenire his qui recte et juste agunt et iis qui libidinose vivunt ac turpiter, quis homo prudens absurdum esse existimaverit?

89. Quod ipsum de concordia quoque dici potest: nam hujus etiam non est aliud quam cæterarum rerum ingenium; quandam enim concordiam plurima bona peperisse reperiemus, quandam ingentibus malis et calamitatibus præbuisse occasionem. Cujusmodi et Spartanorum istam esse dico: non enim dissimulabo veritatem, tametsi aliquibus supra modum absurda et incredibilia dicere videbor. Hi enim suo consensu freti de rebus externis, tanquam artificium exercentes, efficiebant ut cæteri Græci inter sese dissiderent, et, quod aliis civitatibus omnium malorum gravissimum est, id omnium utilissimum sibi esse crediderunt. Quæ civitates igitur factionibus distractæ erant, eas ipsi arbitratu suo tractare poterant. Quare nemo eos propter concordiam jure laudaverit, nihilo magis quam piratas aut eos qui maleficio et scelere pascuntur: nam hi quoque inter se consentientes alios interficiunt. Si quibus autem hæc collatio indecora videtur neque illorum existimationi esse consentanea, hac omissa de Triballis dico, quos omnes aiunt concordiores esse quam ullos alios homines, sed non finitimos tantum et in vicinia sua habitantes perdere, sed eos omnes ad quos penetrare possunt. Neque vero decet ut virtutis studium professi illos imitentur, sed vim potius ac naturam sapientiæ et justitiæ cæterarumque virtutum. Hæ enim non sibimetipsis benefaciunt, sed quorum animis constanter insederint, eos felices reddunt et beatos: Lacedæmonii contra, quoscunque accesserint, perdunt, aliorumque bona omnia ad se pertrahunt.

90. His dictis, eum cum quo colloquebar repressi, virum acrem et multarum rerum peritum et in arte oratoria non minus exercitatum quam quemvis meorum discipulorum. Cæterum adolescentuli, qui his omnibus interfuerant, non idem senserunt quod ego; nam me quidem laudarunt ut qui juvenilius exspectatione ipsorum disseruissem et in eo certamine me præclare gessissem, illum autem contempserunt, non vero judicio, sed errore de utroque nostrum. Nam ille quidem discedebat prudentior factus et animo ita contracto modestoque, ut sapientes decet, et, quod Delphis scriptum est, et seipsum et Lacedæmoniorum ingenium magis quam prius cognoverat: ego vero, ut fortasse non invita Minerva disputaram, sic ob hoc ipsum amentior factus eram, et animosior quam nostram ætatem decet, et plenus perturbatione ac tumultu juvenili.

91. Ac me sic affectum esse satis apparebat: nam quum animo sua tranquillitas restituta nonnihil esset, non prius conquievi quam eum sermonem, quem modo cum voluptate habueram, paulo post molestum futurum, puero dictassem. Quum vero triduum aut quatriduum intercessisset, relegens eadem et ordine considerans, ea quæ de nostra urbe dixeram non culpabam — nam omnia recte præclareque de ea scripseram —, quum vero ad Lacedæmoniorum res venissem, indolui ac graviter tuli: nec enim moderate de eis disseruisse videbar nec ita ut de aliis, sed temere et negligenter nimisque acerbe ac prorsus inconsiderate; quare sæpe incitatus cupiditate vel delendi vel comburendi eam orationis partem, mutabam consilium, misertus senectutis meæ et laboris quem illi conficiendæ impenderam.

92. Dum vero his curis æstuarem ac multas mutationes subirem, consultissimum esse duxi ut, meorum auditorum iis qui domi essent accersitis, cum eis deliberarem, utrum hæc oratio prorsus delenda esset an vero edenda ut a volentibus legeretur, ac omnino decreveram utrum illis visum esset, id agere. His decretis, nulla mora interposita, mox et convocati erant quos dixeram, et denuntiatum qua de causa convenissent, et lecta oratio atque laudata et cum plausu excepta et ea consecuta omnia quæ successum declamationum sequuntur.

93. His omnibus peractis, alii inter se disputabant, de iis nimirum quæ lecta erant: sed is quem initio in consilium adhibueram, laudatorem illum Lacedæmoniorum dico, cum quo plura quam decuit disserui, silentio facto, defixis in me oculis, Equidem (inquit) dubito quid in præsentia mihi sit faciendum; nec enim negare volo quæ dixisti, nec omnino possum credere. Miror enim sive ita doluisti ac tam graviter tulisti, ut dicis, dicta illa de Lacedæmoniis — nihil enim tale in iis scriptum esse video —, sive consultoribus de oratione ista uti quum velles nos convocasti, quos satis nosti quicquid tu dixeris aut feceris collaudare. Quum autem prudentiores omnes ea, in quæ magno studio incumbunt, communicare soleant aut cum sapientioribus, aut certe cum iis qui sententiam suam pronuntiaturi sunt: tu fecisti contrarium. Ac neutram quidem harum rationum ego probo, sed et nos callide convocasse et laudationem civitatis fecisse videris non simpliciter, neque ita ut nobiscum collocutus es sed periclitari nos voluisse, an serio in studia incumbamus et ea meminerimus quæ inter docendum dici solent ac perspicere queamus qua ratione scripta sit oratio; tuam vero urbem laudare instituisse prudenti consilio, ut et multitudini civium gratificareris et laudem apud eos invenires qui vos benevolentia prosequuntur.

94. In isto igitur proposito cogitasti, si de ea sola verba faceres et fabulosa illa diceres quæ omnibus in ore sunt, quicquid diceretur simile visum iri iis quæ ab aliis scripta essent, id quod tu tibi turpissimum et molestissimum esse duceres: sin his omissis ea facta recitares quæ confessione omnium vera sunt et Græcis plurimum profuerunt, et illa cum rebus gestis Lacedæmoniorum conferres, et majorum vestrorum laudes cum illorum vituperatione conjungeres, tum orationem clariorem visum iri audientibus, tum in iisdem te mansurum, quod majori quibusdam admirationi futurum esset, quam ea quæ aliis scripta essent. Initio igitur videris ita disposuisse et deliberasse de rebus.

95. Quum autem scires te Spartanorum constitutionem ita laudasse ut nemo alius fecit, metuisse ne auditores iis te similem esse ducerent qui quicquid in buccam venerit effutiunt ac eos vituperare quos prius ultra cæteros laudibus extulisses; hæc cogitans considerasti quidnam de utrisque dicendum esset ut et vera diceres de ambobus, et tuos majores laudare arbitratu tuo posses, et Spartanos iis quibus invisi sunt accusare videreris, quod minime faceres sed clam et obscure commendares: talia dum inquireres, facile reperisti ambigua dicta quæ nihilo plus cum laudantibus quam cum vituperantibus facerent, sed in utramque partem flecti ac multas admittere disceptationes possent; qualibus uti, si de contractibus et emolumentis in foro litiges, turpe sit et magnum signum improbitatis, quum autem de natura hominum rebusque præclaris et ab eruditione non alienis disseritur, præstantis ingenii argumentum. Cujus generis est ista quam audivimus oratio: qua tuos majores pacis fecisti studiosos et Græcorum amantes et æqualitatis in rebus publicis duces, Spartanos vero superbos et bellicosos, et primas ubique sibi vendicantes, cujusmodi omnes eos esse existimant.

96. Talibus igitur ingeniis quum utrique sint, alteros ab omnibus laudari et videri bene velle multitudini, alteris multos invidere et infensos esse, nec deesse tamen qui eos laudent et mirentur ac dicere ausint majoribus bonis eos esse præditos quam sint ea quæ majoribus tuis insunt: nam et superbiam a majestate,

laudata re, non abhorrere, et qui tales sint omnibus magis magnanimi videri quam qui æqualitatem introducant, et homines bellicosos longe præstare pacis studiosis; qui neque parare possint quæ non habeant nec ea quæ habeant fortiter tueri, illos autem utrumque posse, tum capere quæ desiderent, tum servare quæ semel occuparint: quæ perfectorum virorum officia esse videantur. Verum de præcellendi studio pulcriora etiam dicere se posse censent quam quæ nunc dicta sunt: nam qui contractarum rerum fidem frangant et alios circumveniant et falsis ratiunculis deludant, eos neque justos neque præcellentes esse putant, sed et avaros et improbos — quod enim male de ipsis existimetur, et contemni eos et omnibus in rebus esse deteriore conditione —, Spartanorum autem præcellendi studium et regum et tyrannorum cum optabile esse atque ab omnibus expeti, tum neminem incessere convitiis aut exsecrari eos quorum tantæ sint facultates atque opes; neque inveniri tam abjecto ingenio quenquam quin optet talem a diis potestatem tribui sibi ipsi in primis, aut saltem sibi conjunctissimis: unde perspicuum est summum bonum videri nobis aliis antecellere. Ambitum igitur tuæ orationis in hanc sententiam complexus mihi esse videris.

97. Quod si putassem te parsurum esse his quæ dicta sunt et hanc orationem sine reprehensione prætermissurum, ne ipse quidem plura dicenda mihi censuissem: nunc, quia nihil de his pronuntiavi quorum gratia in consilium advocatus sum, id tibi curæ non fore arbitror — nec enim, quum nos convocares, ea res serio abs te agi videbatur —, sed instituisti, opinor, orationem cæteris nulla re similem, quæ quidem segniter ac otiose legentibus simplex videretur ac intellectu facilis, diligenter autem intuentibus et id quod alios latuisset perspicere conantibus difficilis appareret et non exposita cujusvis intelligentiæ, multisque historiis et recondita eruditione referta, plena etiam omnigena varietate et (ut ita dicam) mendaciloquentia, non ea quæ cives improbe lædere consuevit, sed quæ cum urbanitate juvare et oblectare possit auditores: quorum nihil me sivisse ita se habere dices ut ea tu se habere volueris; nam si ego quæ vis sit orationis edocuero et tuum consilium exposuero, me non animadvertere dices orationem per me tanto magis ingloriam reddi, quanto eam dilucidiorem fecerim et legentibus notiorem; quum enim ignorantibus scientiam tradam, me efficere ut oratio deserta sit et eam honore privare qui ei accessisset ob illos qui laborant et sibi ipsis negotium facessunt.

98. Ego vero me prudentia quam longissime fieri possit te esse inferiorem fateor, sed tamen ut hoc scio, sic illud etiam non ignoro, urbe nostra maximis de rebus deliberante sapientissimos interdum a communi utilitate aberrare, et fieri nonnunquam ut forte fortuna quispiam e vilium contemptorumque numero et recte sensisse et optime dixisse videatur: quare mirandum non erit, si in hoc quoque negotio tale aliquid nunc evenerit, ubi tu existimas te maximam laudem consecuturum, si quam diutissime disputaris quo animo orationem composueris; ego vero tecum optime actum iri puto, si sententiam, qua in ea conficienda usus es, quam paucissimis perspicuam reddere possis tum aliis universis tum Lacedæmoniis, de quibus multa verba fecisti, quorum nonnulla justa sunt et gravia, quædam petulantia et nimis odiosa; quæ si quis eis ostendisset, antequam ego meum judicium interposuissem, fieri non potuisset quin et offensi et irati tibi essent ut qui accusationem contra ipsos scripsisses. Nunc Spartanorum plerosque nihil de vetere sua consuetudine puto mutaturos, neque orationes hic scriptas magis curaturos esse quam ea quæ extra columnas Herculis dicuntur; eorum autem prudentissimos, qui orationum tuarum aliquas habent ac mirantur, si quem nacti lectorem fuerint et tempus ut secum ipsi diligenter omnia perpendant, nihil ignoraturos eorum quæ dicuntur, sed et laudes animadversuros quæ in urbem suam enumeratis rebus gestis conferuntur, et convitia contempturos quæ sine re dicuntur verborumque tantum asperitatem habent, et existimaturos maledicta quæ in libro insint ab invidia esse profecta, res vero gestas et prælia, propter quæ et ipsi multum sibi tribuunt et ab aliis tribui vident, te scripsisse et ab oblivione vindicasse, collectis seorsim omnibus et per collationem explicatis; illud quoque tibi acceptum referent, si ea multi et legere et percensere velint, non quod illorum res gestas audire desiderent, sed quod cognoscere studeant quomodo tu de eis disserueris.

99. Hæc cum animis suis cogitantes et repetentes neque veterum facinorum obliviscentur, ob quæ majores ipsorum laudasti, sed hæc etiam sæpe secum ipsi reputabunt, primum se quum Dorienses essent, ac suas urbes parvas et inglorias esse viderent multarumque rerum egentes, illis neglectis bellum intulisse civitatibus Peloponnesi primariis, Argis et Lacedæmoni et Messenæ, victoriaque parta et urbibus et regione eos exegisse quos superassent, ac possessiones illorum omnes tunc occupasse quas etiam nunc tenent, quo majus facinus et admirabilius nemo ostendet illis temporibus editum, aut quicquam esse gestum felicius aut diis magis propitiis quam id per quod et suæ inopiæ consuluerunt et alienam felicitatem obtinuerunt. Atque hæc cum omnibus expeditionis illius sociis gesserunt.

100. Postquam autem cum Argivis et Messeniis regionem partiti Spartam seorsim se contulissent, illis temporibus animorum tanta magnitudine eos fuisse dicis ut, quum non plures bis mille essent, se vita indignos judicarent, nisi omnibus Peloponnesi urbibus potiri possent; quo consilio quum bellum suscepissent, licet multis miseriis et periculis circumventi non abjecerunt animos neque conquieverunt, priusquam eas omnes Argivorum urbe excepta subegissent; quum autem jam et ditionem amplissimam et potentiam maximam et tantam gloriam consecuti essent quantam eos par est qui res tantas gesserant, hoc sibi non minus laudi duxerunt, quod soli Græcorum omnium hac peculiari et præclara prærogativa gloriari possent, se tam paucos numero nullius unquam urbis quantumvis amplæ ductum secutos esse aut imperata fecisse, sed sua libertate perpetuo retenta bello barbarico Græcorum omnium duces constitutos, eoque honore non sine causa affectos, sed propterea quod ex universo genere mortalium illis temporibus in plurimis præliis versati in nullo rege duce succubuissent, sed omnes superassent, quo nullum majus ac certius signum dici potest fortitudinis et tolerantiæ et consensionis inter ipsos, eo quod jam dicetur excepto: nam quum tanta multitudo sit Græcarum civitatum, cæterarum nulla dici aut inveniri potest, quæ non in calamitates illas inciderit urbibus accidere solitas, Spartæ autem nemo potest ostendere

factas esse vel seditionem vel cædes vel fugas injustas, vel direptiones pecuniarum vel stupra uxorum et liberum, imo ne reipub. quidem mutationem neque novas tabulas neque agrorum divisionem neque quicquam aliud insignium calamitatum. Quæ quum reputabunt, fieri non poterit quin tui etiam, qui ista congesseris et tam eleganter disserueris, recordaturi et magnam tibi gratiam habituri sint.

101. Non autem nunc idem quod prius de te sentio. Nam superiori tempore tum ingenium tuum et vitæ ordinem et industriam tum vero philosophiæ veritatem in primis mirabar, nunc vero te felicissimum et beatissimum judico: videris enim mihi vivens etiam gloria fore non quidem majore quam merearis — vix enim id fieri potest —, generaliore tamen et evidentiore hac qua nunc flores; defunctus autem immortalitatis particeps futurus, non ejus qua dii fruuntur, sed illius qua memoria eorum qui re aliqua memorabili alios superant ad posteros propagatur. Et hæc jure tibi contingent: nam utramque urbem præclare laudasti et convenienter, alteram ex opinione multitudinis, quam nulli viri celebres contempserunt, sed dum eam consequi student omnia pericula subierunt, alteram secundum cogitationes eorum qui veritatem attingere conjectura student, apud quos in magna existimatione esse præstabilius est quam apud alios, si duplo plures quam nunc sunt exsisterent.

102. Quum autem inexplebili hoc tempore cupiditate flagrem, et multa dicenda habeam tum de te tum de utraque urbe tum de oratione hac, tamen omissis illis, de eo sententiam dicam, cujus gratia me accersitum esse dicis. Tibi enim auctor sum ut hanc orationem neque comburas neque aboleas, sed, sicubi aliquid deest, corrigas, et omnibus disputationibus quæ de ea habitæ sunt adscriptis legere volentibus impertias, si modo rem gratam facere studes optimis viris inter Græcos et vere non simulate philosophantibus, et illos afficere molestia, qui quum tua magis quam alii mirentur, orationes tuas in hominum frequentia proscindunt, in qua plures sunt qui dormiant quam qui auscultent, quique sperant, si vulgus hominum deceperint, suas declamatiunculas cum scriptis a te orationibus posse contendere, ignari nimirum se longius abesse ab excellentia tua quam gloria

Homeri vincuntur illi qui in eodem genere poesi elaborarunt.

103. Quibus ille dictis ab iis qui aderant petiit ut ea de re cujus gratia convocati essent sententiam dicerent, illi vero non applauserunt, quod omnibus eleganter disserentibus facere solent, sed exclamarunt quasi excellenter perorasset, factaque circa eum corona laudabant, mirabantur, beatum prædicabant; ac ejus quidem orationi quod adjicerent aut demerent nihil habebant, sed pedibus euntes in ejus sententiam ea mihi facienda censebant quæ ille monuisset. Verum ne ego quidem tacitus adstabam, sed tum ingenium ejus laudabam tum diligentiam, de cæteris autem quæ dixerat nihil locutus sum, nec quam prope conjecturis suis ad meam sententiam accessisset nec quam longe aberrasset, sed eam persuasionem quam a se ipse acceperat eum tenere sinebam.

104. Ac vero de his quæ proposui, satis dictum esse puto; nam singula quæ prius dicta sunt repetere, alienum est ab hoc genere orationum: dicam autem de his quæ in hac oratione mihi privatim acciderunt. Eam ego quidem scribere institui tot annos natus quot initio dixi: quum vero media pars scripta esset, morbus me invasit, qui ut nominari verecunde non potest, sic non seniores tantum triduo aut quatriduo tollere potest sed multos etiam integræ ætatis; cum quo perpetuum triennium ego sum luctatus, et ea tolerantia singulos dies transegi, ut et ii qui sciunt et qui ex iis audiverunt meam illam tolerantiam mirentur magis quam ea quæ superiori tempore mihi laudem pepererunt. Quum vero jam et animum despondissem et viribus destitutus essem tum morbo tum senectute, quidam eorum qui me visebant, et eam orationis partem quæ scripta erat sæpe legerant, rogarunt et suaserunt ne dimidiatam et inelaboratam relinquerem, sed parvi temporis labore suscepto etiam reliquis absolvendis animum adjicerem. Neque vero ita loquebantur, ut defungendi causa id facerent, sed et quæ scripseram laudibus efferebant, et ea dicebant, quæ si qui audivissent neque familiaritate neque benevolentia nobiscum conjuncti, fieri non potuisset quin existimassent et illos fucum mihi facere, et me errore mentis affici et fore stultum, si verbis eorum fidem habuissem. Quanquam autem sic affectus eram, per ea quæ dicere ausi sunt, sum persuasus — quid enim prolixa oratione opus est — quæ restabant complere, quum quidem triennio tantum ab anno ætatis centesimo abessem, et sic afflicta valetudine, qua alius tantum abest ut orationem scribere instituisset, ut nec ab alio elaboratam et ostensam audire voluisset.

105. Cur vero hæc commemoro? Non utique ut orationi meæ veniam petam — nec enim sic disseruisse mihi videor — sed primum ut ostendam quid mihi usuvenerit, deinde ut eos auditores laudem

qui hanc orationem probant quique existimant, eas orationes quæ docent et artem monstrant, iis quæ vel ad ostentationem vel ad forensia certamina comparatæ sunt, præferendas et eruditiores judicandas esse, eas item quæ veritati studeant illis esse potiores quæ auditoribus fucum facere ac receptas opiniones extorquere conentur, pluris etiam eas fieri debere quæ delicta reprehendant atque admoneant quam quæ voluptati et auræ populari serviant; eos autem qui diversum ab his sentiunt monere volui, in primis ne suis sententiis plus æquo tribuant, neque vera eorum judicia esse putent qui sunt animis otiosis, secundo loco ne temere ac inconsiderate pronuntient de his quæ prorsus ignorant, sed tantisper exspectent ac differant dum illis assentiri queant qui de iis quæ ostenduntur orationibus peritissime judicant: nemo enim eos qui hac modestia fuerint ineptos et stolidos judicabit.

ISOCRATIS
CONTRA SOPHISTAS.

1. Si omnes isti qui docere instituunt vera dicere vellent, neque majora promitterent quam præstare solent, vulgo non male audirent. Nunc eorum audacia, qui se nimis inconsiderate jactant, factum est ut rectius sibi consulere videantur ii qui in otio degere malunt quam sapientiæ studiosi.

2. Quis enim non simul et oderit et contemnat primum eos qui in rixis versantur, qui quum veritatis indagationem præ se ferant, statim ab initio suarum pollicitationum mentiri non dubitent: omnibus enim perspicuum esse arbitror futurarum rerum prænotionem non esse nostri ingenii, sed humanæ prudentiæ captum usque adeo excedere, ut Homerus opinionem sapientiæ maximam consecutus etiam deos interdum de futuris deliberantes introduxerit, qui etsi animum eorum non perspectum habuit, nobis tamen ostendere voluit id ex eorum esse numero quæ vires humanas superarent.

3. Isti autem tanta sunt audacia, ut persuadere conentur adolescentibus eos, si ipsis magistris usi fuerint, et quid agendum sit scituros et per eam scientiam felicitatis fore compotes. Quum autem tantorum bonorum doctores et dominos se constituerint, ea trinis aut quaternis indicare minis non erubescunt. At si quid aliarum rerum longe infra justum pretium venderent, ne ipsi quidem se desipere negarent; nunc, quum virtutem et felicitatem universam tantillo æstimant, tanquam sapientes aliorum præceptores esse volunt. Et auro quidem et argento atque divitiis, quæ minuendi forma pecuniolam appellant, indigere se negant, quum appetitione parvi lucelli discipulis tantum non immortalitatem polliceantur. Jam, quod omnium maxime ridiculum est, iis diffidunt a quibus numeranda merces est, quibus se justitiam tradituros promittunt, quorum autem magistri nunquam fuerunt, eos pro discipulis spondere jubent; qua sane re non male sibi cavent, sed eadem pollicitationes suas evertunt. Nam qui aliquid aliud docent, eos quam accuratissime sibi providere decet ne in contractibus fraudentur — nihil enim prohibet quominus ii, qui alterius cujuspiam artis peritiam adepti sunt, pacta et conventa violent — : eos autem qui ex virtute et temperantia quæstum faciunt, quid absurdius quam non discipulis

potissimum fidem adhibere? nam si erga cæteros se bonos et æquos præbuerint, non utique illis injuriam facient, quorum opera tales evaserunt.

4. Quum igitur indoctorum quidam his omnibus consideratis animadvertunt eos qui sapientiam docent et felicitatem tradunt, ipsos angustia rei familiaris premi et a discipulis mercedulam exigere, et quas in verbis contradictiones observent, easdem in actionibus ipsis non perspicere, et in affectatione scientiæ futurorum, de iis quæ ante pedes sunt nihil opportuni vel dicere posse vel deliberare, sed eos magis inter se consentire et plura dextre perficere qui opinionibus ducuntur quam qui se scientiam habere gloriantur, jure opinor istos contemnunt, et nugas esse atque sordes non animi eruditionem existimant ejus generis disputationes.

5. Neque vero hi tantum accusandi sunt sed etiam civilis disciplinæ magistri: qui quum et ipsi veritatem secure negligant, hoc artis esse putant, si quamplurimos et exiguitate mercedis et magnificentia pollicitationum ad se pellexerint ut aliquid ab eis capere possint; qui adeo stupidi et ipsi sunt et alios esse censent, ut quum deteriores orationes scribant quam aliqui indocti ex tempore habeant, tamen se discipulos suos ita velle ad artem oratoriam acuere polliceantur ut nihil quod in rebus insit prætermissuri sint; nec in ea facultate vel usui rerum vel ingenio discipuli quicquam tribuunt, sed eloquentiæ præcepta perinde ut literarum scientiam se tradituros aiunt, quæ utriusque rei natura sit non considerantes, sed ob excellentiam promissionum tum se in admiratione futuros tum oratoriæ institutioni pretium accessurum esse existimantes; in quo certe falluntur, artibus enim auctoritatem conciliant non qui multa insolenter de eis jactare audent, sed qui id eruere ac proferre possunt, quod unaquaque continetur.

6. Ego vero tantum posse philosophiam, quantum isti jactant, magnis opibus anteferrem — fortassis enim neque nos postremi essemus neque fructus ex ea minimos caperemus — : sed quum non ita se res habeat, nugatores istos tandem conticescere velim; non enim delinquentibus tantum male dici, sed et cæteros universos, qui in hoc studiorum genere versantur, peti video.

7. Et illis discipulos committi miror, qui non animadvertunt se ejus artis quæ et ordinata est et opere cernitur afferre exemplum. Quis enim istis exceptis ignorat, literas loco moveri non posse semperque easdem manere? unde iisdem in iisdem quidem verbis perpetuo utimur, quum eloquentiæ sit diversissima ratio: nam quod ab alio dictum est dicenti post illum non perinde expedit, sed is peritissimus artis esse creditur, qui pro dignitate rerum dixerit, eaque protulerit quæ ab aliis ante inventa non fuerint. Maximum autem hujus dissimilitudinis argumentum illud est, quod orationes præclaræ esse

non possunt, nisi temporum et decori et novi diligens habita ratio fuerit, literæ autem horum nihil desiderant. Qui igitur hujusmodi exemplis utuntur, eos multo æquius esset dependere quam accipere pecuniam, qui, quum ipsi doctoris opera in primis egerent, alios erudire aggrediantur.

8. Quod si non tantum alii accusandi sunt, sed mea quoque sententia explicanda est, omnes mihi assensuros arbitror multos artibus eruditos privatam vitam exegisse, alios nullo unquam præceptore usos et dicendi peritiam et reipubl. gerendæ scientiam esse assecutos. Nam tum eloquentiæ tum cæterarum rerum omnium facultates et a natura dantur hominibus ingeniosis et usu rerum atque exercitatione comparantur; institutio autem eosdem et acuit et ad vitam degendam reddit instructiores — nam ea in quæ hactenus velut errantes inciderant, quasi e penu confestim depromere illos docet —, at si qui sunt infirmioribus ingeniis præditi, hi quantumvis diligenti institutione nunquam eo pervenient ut vel dextre in rebus gerendis versentur vel elegantes orationes scribant, id quidem fortassis assequentur ut ipsi sese quodammodo vincant et multis in rebus prudentiores fiant.

9. Libet autem, postquam huc provectus sum, dilucidius hæc exponere. Dico igitur genera illa præceptionum, ad quarum normam orationes omnes et dicimus et componimus, si quis magistrum non facile pollicentem sed artis peritum invenerit, cognitu non esse perdifficilia: in singulis autem rebus, quæ prius discernendæ et inter se miscendæ et ordine disponendæ sunt, neque ab illis nec a decoro aberrare, sed et argumentis totam orationem decenter variare et verba ita collocare ut numerosa sint et musicum quendam concentum efficiant, hæc demum curam ingentem postulant et animum generosum atque sagacem requirunt; præterquam autem quod necesse est discipulum ab ingenio non destitui, etiam genera causarum nosse et in illarum usu exerceri necesse est, magistrum vero et explicare præcepta omnia quam accuratissime fieri potest oportet, ita ut nihil quod doceri possit prætermittat, et discipulis tale exemplum rerum cæterarum se præbere ut, qui id expresserint imitarique potuerint, statim ornantius et elegantius quam alii dicere videantur. Quæ omnia si conjuncta fuerint, tum demum studiosi perfectum aliquid habituri sunt: sin quicquam ex his quæ diximus desiderabitur, necesse erit ab ea parte discipulos minus paratos esse.

10. Equidem bene scio sophistas istos modo subortos et istam arrogantiam recens amplexos, etsi magna est eorum et multitudo et insolentia, omnes tamen ad hoc argumentum pertinere.

11. Restant ii qui, ante nostram ætatem artes quas vocant scribere ausi, non sine reprehensione dimittendi sunt: promiserunt enim se docturos quomodo in judicio contendendum sit, odiosissimo vocabulo delecto; id quod invidos eorum potius quam hujus doctrinæ principes facere decuisset, præsertim quum ea quæ doctrina comprehendi possunt in illa re, nihilo plus ad forenses controversias quam ad cætera genera orationum conferre queant. Tanto autem sunt deteriores iis qui in contentionibus volutantur, quod hi, quum tales oratiunculas recitent, quibus si quis in rebus gerendis insisteret statim in omnibus esset improbandus, tamen virtutem et temperantiam iis contineri profitentur: illi autem, quum ad gerendæ reipublicæ doctrinam percipiendam adhortentur, neglectis aliis quæ in ea re insunt commoditatibus, curiositatis et avaritiæ se doctores nominare non dubitant. Licet ii, qui doctrinæ istius præceptis obtemperarent, facilius fortassis ad æquitatem quam ad eloquentiam acuerentur. Neque me quisquam in ea opinione esse putet, quasi justitiam posse doceri sentiam: nullam enim prorsus talem artem esse puto, quæ ingeniis virtutem non appositis vel temperantiam vel justitiam inserat; sed tamen aptissimam esse puto eloquentiæ disciplinam ad cohortationem quandam et exercitationem virtutis.

12. Ne vero et aliorum pollicitationes diluere, et ipse rem supra modum exaggerare videar, desino, et hæc me aliis etiam facile probaturum confido, iis argumentis et rationibus quæ me in hanc sententiam adduxerunt.

ISOCRATIS

PLATAICUS.

1. Quum sciamus, Athenienses, vos et affectis injuria libenter opitulari solitos et pro acceptis beneficiis cumulate referre gratiam, venimus supplicaturi ne nos tempore pacis patrio solo a Thebanis pulsos negligatis. Etsi autem jam multi ad vestram fidem confugerunt et omnia quæ petierant adepti sunt, curam tamen urbis nostræ vobis in primis putamus suscipiendam: nec enim ullos, qui vel injustius quam nos tantis calamitatibus sint oppressi, vel qui vestram urbem diutius et fidelius coluerint, invenietis. Ea præterea petituri sumus, quæ ut periculi prorsus nihil habent, ita si a vobis impetraverimus, omnes vos sanctissimos et justissimos Græcorum judicabunt.

2. Quod si Thebanos omnino ita esse paratos non videremus ut vobis persuadere studerent se nulla nos affecisse injuria, nostram orationem paucioribus absolveremus: quum autem ea nostra sit infelicitas, ut non cum istis tantum nobis conflictandum sit, sed etiam cum eloquentissimis oratoribus, quos nostris bonis conciliatos suæ causæ patronos adhibuerunt, necessitas postulat ut rem prolixius explicemus.

3. Difficile quidem est non minora dicere quam perpessi sumus: nam quæ oratio nostris malis æquari queat? aut quis orator Thebanorum in nos crudelitatem satis acriter accuset? Opera tamen danda est ut sicut possumus istorum iniquitatem et violentiam patefaciamus. Illud autem maxime indignamur, quod non modo longe deteriore conditione sumus quam cæteri Græci, sed quod pace constituta fœderibusque sancitis non modo communis libertatis expertes sumus, verum ne moderatam quidem servitutem potuimus impetrare.

4. Oramus igitur, Athenienses, ut cum benevolentia nos audiatis, cogitantes nihil accidere nobis posse quod cum omni ratione tantopere pugnet, quam quum perpetuis urbis vestræ inimicis libertatem restitueritis, nos ne supplicantes quidem eadem quæ inimicissimis data sunt posse adipisci.

5. Ac expositioni rerum actarum longius immorari non video quorsum attineat: quis enim ignorat eos et agrum nostrum divisisse et urbem evertisse? de iis autem vos præmonendos esse ducimus, per quæ se vobis fucum facturos putant.

6. Interdum enim dicere audent nos propterea sic tractatos esse, quod in eorum concilio esse noluerimus. Vos autem cogitate primum æquumne sit ob tanta scilicet crimina tam iniquas et acerbas exigere pœnas, deinde an vobis videatur Platæensium urbi vim potius fuisse afferendam quam persuadendum ut cum Thebanis se conjungeret. Equidem nihil istis esse audacius existimo, qui et nostras urbes evertant, et ad suæ reipublicæ communitatem adigant qua non opus est nobis. Præterea in nos aliter grassantur quam in alios. Quum enim persuadere nostræ urbi non possent, nos, quemadmodum Thespienses et Tanagræos, subigere duntaxat sub Thebanam jurisdictionem debuissent: sic enim intolerabilibus malis oppressi non essemus. Nunc non id eis fuisse propositum, sed agri nostri occupationem, satis apparet. Miror equidem ad quod vetus exemplum referentes aut qua juris regula utentes hæc dicturi sint se a nobis postulare. Nam si patrium morem considerant, non aliis imperare, sed Orchomeniis pendere tributum debent; ita enim se res olim habuit: sin fœdera esse rata volunt, sicut æquum est, negare qui poterunt se per injuriam ea violare? quæ parvas civitates non minus quam magnas suis uti legibus jubeant.

7. Arbitror autem eos non fore tam impudentes ut hæc negare audeant, sed illam causam arrepturos, nos Lacedæmoniis in bello fuisse conjunctos, se igitur nostro excidio societatis universæ commodis consuluisse.

8. Ego vero æquum esse censeo ne ullum crimen, ulla excusatio, plus valeat fœdere et jurejurando: verumtamen si qui ob Lacedæmoniorum societatem plectendi sunt, non æquum fuit Platæenses potissimum ex universis Græcis deligi; nec enim voluntate nostra illis sed coacti servivimus. Quis vero credat tanta nos fuisse amentia, ut eos qui urbem nostram everterant iis præferremus qui sua civitate nos donarant? Enimvero difficile erat novis rebus studere, quum et nos parvum oppidum haberemus et tanta esset illorum potentia, atque etiam harmostes cum præsidio intra portas esset et Thespiis tantus exercitus castra haberet, qui nos non tantum citius quam Thebani sed justius etiam perdidisset: hos enim non decuit pace constituta veteres offensas ulcisci, illi autem in bello deserti jure nos maximo supplicio affecissent. Jam nec illud ignorare vos arbitror, multos etiam ex aliis Græcis coactos esse corporibus illos sequi, animis et benevolentia vobiscum conjunctos. Quibus quid animi fore censendum est, quum audierint Thebanos Atheniensi populo persuasisse nemini esse parcendum qui subactus a Lacedæmoniis fuerit? Non enim alio quam huc istorum spectare videtur oratio: nec enim ob crimen aliquod peculiare nostram urbem ever-

terunt, sed idem hoc illis etiam objicere poterunt. Quare cogitandum est, et providendum ne istorum insolentia multos qui jam Lacedæmoniorum imperium oderunt reconciliet, atque efficiat ut suam salutem in illorum societate positam arbitrentur.

9. Recordamini porro vos proximum suscepisse bellum non propter vestram aut sociorum libertatem — omnes enim eam habebatis —, sed eorum causa quibus contra jusjurandum et fœdus libertas erepta erat. Acerbissimum igitur fuerit, si eas urbes, quas Lacedæmoniis servire iniquum putastis, nunc a Thebanis everti patiemini, qui vestram clementiam adeo non imitantur, ut, quod omnium miserrimum habetur, bello capi, illud ipsum ab hac urbe nos perpessos esse præstitisset quam istos vicinos habuisse: nam quorum vos urbes vi expugnastis, hi, mox præfecto Laconico et servitute a se repulsa, nunc concilii par jus et libertatem receperunt; qui autem prope istos habitant, hi partim nihilo minus quam ære empta mancipia serviunt, partim isti prius eos exagitare non desinent quam eodem modo quo nos tractarint. Ac Lacedæmonios quidem accusant ob Cadmeam occupatam et præsidia urbibus imposita, ipsi autem se nihil grave committere putant, qui non præsidia imponunt, sed aliorum mœnia subruunt, alios funditus perdunt, tantaque sunt impudentia [et improbitate], ut suæ salutis curam haberi ab omnibus sociis postulent, quum alios servitute opprimendi potestatem sibi arrogent. Quis igitur non oderit cupiditatem istorum, qui et dominari student imbecillioribus, et cum potentioribus æquum jus affectant? et vestræ quidem urbi agrum ab Oropiis datum invident, ipsi autem alienum vi partiuntur?

10. Neque hac improbitate contenti se propter communem sociorum utilitatem hæc egisse dictitant. Quum autem hic concilium sit et vestra urbs prudentius quam Thebana deliberare possit, eos non huc venire ad purganda sua facta, sed, priusquam hujusmodi quicquam agerent, ad vos consilii capiendi causa profectos esse decuisset. Nunc ubi nostras opes ipsi privatim diripuerunt, adveniunt crimen cum omnibus sociis communicaturi. Quod vos, si sapitis, non admittetis: longe enim honestius est eos ad vestram sanctitatem imitandam cogi, quam persuaderi vobis ut participes sitis injuriarum quas illi faciunt, qui nihil decernunt quod cum judiciis aliorum consentiat. Inter omnes enim constare arbitror prudentium hominum esse munus dare operam ut et in bello quovis modo sint hostibus superiores, et pace constituta nihil pluris faciant fœderibus et jurejurando. Isti autem tum in omnibus legationibus nihil nisi libertatem, nisi leges singulis usitatas jactabant: postquam vero impunitatem sibi faciendi quicquid libeat datam esse censent, neglectis cæteris omnibus privata compendia et violentiam suam defendere audent, ac dicere quod Thebani nostras fortunas occu-

parint, id vero esse e republica sociorum, suo malo ignorantes nihil unquam injusta lucra cuiquam profuisse, sed multos, qui aliena per injuriam appetiverunt, jure de suis in maxima pericula venisse.

11. Jam ne illud quidem dicere poterunt, se fidem constanter servare iis cum quibus se conjunxerint, metuendum autem esse ne recuperata patria nos ad Lacedæmonios deficiamus: nostrum enim oppidum bis expugnatum esse propter amicitiam vestram, istos sæpe hanc urbem injuriis affecisse, reperietis.

12. Ac veteres proditiones recensere, operosum fuerit: sed Corinthiaco bello propter istorum injurias conflato, quum Lacedæmonii contra eos exercitum duxissent, a vobis conservati, non modo gratiam non retulerunt, sed, quum bellum sedassetis, relictis vobis ad Lacedæmonios se contulerunt. Ac Chii quidem et Mitylenæi et Byzantii in fide manserunt, isti autem qui tantam urbem incolerent ne quiescere quidem ac neutrarum esse partium sunt ausi, sed ea timiditate et improbitate [et amentia] fuerunt, ut fide data affirmarint se illos contra vos qui urbem ipsorum servaveratis secuturos esse: propterea divinitus illis pœna hæc inflicta est, ut occupata Cadmea sint ad vos confugere coacti. Unde etiam perfidia eorum maxime perspecta est: nam denuo vestris auxiliis conservati et in patriam restituti ne minimum quidem tempus in fide manserunt, sed mox legatis Lacedæmonem missis ultro servituti se obtulerunt, parati servare omnia quæ pridem promisissent. Quid multis opus est? Nisi enim illi jussissent exsules recipi et facinorosos urbe pelli, nihil obstitisset quominus inita cum Lacedæmoniis a quibus læsi erant societate vos optime de se meritos bello petiissent.

13. Qui igitur et nuper erga vestram urbem se tales præbuerunt, et olim totam Græciam prodiderunt, veniam tamen adeo voluntariis et tantis injuriis impetrarunt, hi nobis eorum quæ coacti fecimus nullam gratiam faciendam censent, sed, quum Thebani sint, Laconum studium aliis objicere non dubitant, quos omnes scimus diutissime Lacedæmoniis servisse et pro illorum imperio promptius quam de sua salute dimicasse. Cui enim impressioni hanc in regionem factæ non interfuerunt? Qui vobis perpetuo inimiciores et infestiores quam isti fuerunt? Nonne in Decelico bello vos gravius afflixerunt quam ii qui vestros fines populabantur? Nonne quum cladem accepissetis, soli e sociis decreverunt vestram urbem et evertendam esse et agrum in ovium pascua convertendum, quemadmodum Crisæum campum? Itaque si Lacedæmonii Thebanis auscultassent, nihil obstitisset quominus vos, qui Græcos omnes conservastis, ipsi a Græcis patria et libertate spoliaremini et in maximas calamitates incideretis. Quod vero tantum beneficium com-

memorabunt, aut quod satis grave supplicium luent ad exstinguendas vestras inimicitias, quas his de causis jure subiissent?

14. Nulla igitur istis post tanta delicta excusatio superest, at patronis eorum hoc unum relinquitur, ut dicant Bœotiam nunc propugnare pro vestra regione, si vero vos ab eorum amicitia removeritis, id sociis male cessurum esse: magnum enim in hoc momentum fore, si istorum urbs cum Lacedæmoniis se conjunxerit.

15. Ego vero nec e re sociorum esse puto ut imbecilliores potentioribus serviant—etenim superiori tempore propter hanc rem bella gessimus—, nec Thebanos in eum furorem deventuros ut [vestra] societate repudiata Lacedæmoniorum potestati suam urbem permittant, non quod eorum ingeniis fidendum putem, sed quia scio ipsos intelligere, alterutrum necessario futurum, vel ut in urbe manentes occidantur et quæ perpetravere simili pœna luant, vel ut in exsilium euntes egeant spe prorsus omni destituti. Num enim cum civibus eis bene convenit, quorum alios interfecerunt alios urbe ejecerunt direpta eorum re familiari, aut cum aliis Bœotiis, quibus non modo per injuriam imperare conantur, sed et quorundam mœnia subruerunt quorundam agros rapuerunt? Neque etiam ad vestram civitatem quasi postliminio redire poterunt, toties a se tam aperte proditam et desertam; quare fieri non potest ut pro alieno oppido vestras suscipiant inimicitias, quo suam urbem adeo temere ac indubitanter amittant, sed et in omnibus actionibus multo moderatiores erunt, et vos tanto magis observabunt, quanto magis sibimetipsis timuerint. Quibus autem ingeniis et quomodo tractandi sint, actis Oropiis ostenderunt: nam dum potestatem sibi datam esse putarunt faciendi quod libuisset, vobiscum non ut cum sociis egerunt, sed ut infestissimis hostibus insultarunt: quum autem ob ea delicta fœderibus eos decreto facto excluderetis, abjecta superbia et ferocia ad vos humiliore gestu magisque supplices venerunt, quam nos hoc tempore. Quare si qui oratorum vos perterrefacere conabuntur, periculum esse [dicentes] ne mutata sententia cum hostibus se conjungant, nihil ea re moveri debebitis: ea enim necessitate premuntur, ut multo libentius vestrum imperium quam societatem Lacedæmoniorum sint subituri.

16. Ut autem contraria omnia facturos concedamus, tamen ne sic quidem decere arbitror majori curæ vobis esse urbem Thebanorum quam fœdus et jusjurandum; cogitandum enim primum vestri moris esse ut non pericula sed probra et dedecus metuatis, deinde usuvenire ut in bello superiores sint non qui civitates vi evertunt, sed qui sanctius et clementius Græciam administrant.

17. Et hæc plurimis exemplis demonstrari queunt: sed quis est qui vel ea quæ nostris accidere temporibus ignoret? nonne Lacedæmonii vestram potentiam quæ insuperabilis videbatur represserunt, quamvis initio non optime ad navale bellum instructi, sed tantum opinione hac Græcis ad se pellectis? vicissim et vos imperium eis eripuistis, quamvis urbem non munitam et parum firmam haberetis, justitiæ societate et præsidio freti? Atque illa regi Persarum non esse adscribenda, his postremis temporibus est manifeste declaratum; nam quum ipse rex extra rem omnino esset, vos omni spe destituti, omnibus pene civitatibus Laconum servitute oppressis, bello tamen eis tanto superiores fuistis ut pacem cupidissime sint amplexi.

18. Nemo igitur vestrum cohorrescat, si pericula propter justitiam adeunda fuerint, neque sibi socios defore putet, si opitulari volueritis injuria oneratis et non solis Thebanis: contra quos si nunc sententiam tuleritis, ut ad vestram amicitiam multi se conferre velint efficietis. Ubi enim vos paratos esse bella æque contra omnes pro defensione fœderum suscipere ostenderitis, quinam tam erunt amentes ut cum oppressoribus Græciæ se conjungere malint quam vobiscum libertatis ipsorum defensoribus? sin aliter animati estis, quibus verbis Græcos allicietis, bello iterum ingruente, si libertatem prætendentes Thebanorum libidini quaslibet civitates vastandas permiseritis? Quo pacto levitatis et inconstantiæ crimen effugietis, si Thebanos jusjurandum et fœdera violare sinetis, pro quibus ipsis sanciendis vos Lacedæmoniis inferre bellum profiteamini? Quum ipsi vestris possessionibus cedere volueritis, ut societatem quam maximam redderetis, istosne aliena tenere et ea facere sinetis propter quæ universi pejus de vobis existimabunt? Illud autem omnium scelestissimum, si vobis deliberatum erit istis opem ferre qui continenter a Lacedæmoniis steterunt, si quid eis fœderi contrarium illi imperarint, nos vero, qui longissimo tempore vestram sectam constanter secuti sumus, in extremo duntaxat bello parere Lacedæmoniis coacti, propter hanc causam mortalium omnium miserrimos esse patiemini.

19. Quos enim nobis miseriores quisquam inveniat? qui et urbe et agro et opibus uno die spoliati, rebus omnibus necessariis æque omnes destituti, errones et mendici facti sumus, ignari quo nos convertamus [pulsi enim patria, desperabundi et errantes Græciam circuimus] et omnibus habitationibus anxii: sive enim calamitosos aliquos invenerimus, dolemus, qui præter mala domestica etiam alienorum fieri participes cogamur; sive ad felices perventum est, dolor noster recrudescit, non quod illorum opibus invideamus, sed quia in aliorum rebus secundis nostras miserias quantæ sint perspicimus, quæ nos nullam diem sine lacrymis exigere sinunt; nam et patriam lugere et hanc mutationem lamentari nullo tempore desistimus. Quid enim nobis animi esse censetis, quum videmus parentes nostros senio confectos longe aliter quam pro dignitate tra-

ctari? neque liberos nostros ea spe qua eos suscepimus educari, sed multos ob parvas quasdam ratiunculas servire? alios ire mercede locatum suam operam, alios ut quisque potest victum quæritare, aliter quam et gloria majorum et sua ætas et nostrorum animorum magnitudo postulabat? Illud autem omnem doloris acerbitatem vincit, si quis videat a se invicem divelli non cives tantum a civibus, sed et uxores a maritis et filias a matribus, et totam cognationem dissipari, quod nostrorum civium multis ob egestatem usuvenit: victus enim communis amissus effecit ut spe privata singuli nitantur. Ac vos ne cætera quidem probra ignorare arbitror quæ paupertas et exsilium afferunt, quæ nos, etsi molestius animo quam cætera mala ferimus, tamen silentio præterimus, non nimis accurate in calamitates nostras inquirendum esse rati.

20. Oramus autem ut ipsi vos illa considerantes aliquam nostri curam suscipiatis. Nec enim vobis alieni sumus, sed cum benevolentia universi vobiscum conjuncti, tum cognatione maxima nostrum pars; nam propter concessum affinitatis jus e vestrorum civium filiabus plerique nati sumus: quare vobis non licet ea negligere quæ petituri venimus. Quid enim fieret inconvenientius, quam vos, quum olim vestræ patriæ jus nobis dederitis, nunc nostram urbem restituendam non censere? Deinde nec illud consentaneum est, quum singulorum, quos vel fortunæ temeritas afflixit vel hominum injuriæ, misereamini; totam urbem, sic contra omnem æquitatem eversam, nihil omnino misericordiæ posse a vobis impetrare, quum præsertim ad vestram fidem confugerit, et vobis antehac semper gloriosum et honorificum fuerit supplicum esse misertos.

21. Nam majores vestri Argivorum precibus, qui supplices petierant ut sub Cadmea interfectos tollerent, adducti, Thebanos æquiora sequi consilia quum coegissent, non ipsi solum illis temporibus claruerunt, sed urbi etiam vestræ immortalem gloriam in omne deinceps ævum reliquerunt, quæ vobis nunc temere amittenda non est. Etenim turpe sit, facta majorum sibi laudi ducentes, interim secus de supplicibus statuere.

22. Præsertim quum nos propter res multo majores et æquiores vobis supplicemus: nam illi, quum prius alienam ditionem oppugnassent, vos rogarunt, nos, patria nostra amissa; illi vos ad mortuorum sepulturam vocabant, nos ad reliquiarum conservationem. Neque vero par ac simile est sepultura prohiberi mortuos et viventes patria fortunisque omnibus spoliari, ac illud quidem iis qui prohibent contumeliosius est quam iis qui prohibentur, sed sine ullo receptu carentem patria singulis diebus affligi et suis opem adeo ferre non posse, ut cura de eis abjicienda sit, quorsum dicere attinet quanto sit aliis calamitatibus acerbius?

23. Quapropter vobis universis supplicamus ut nobis nostrum agrum et urbem restituatis, ac seniores commonefacimus ut cogitent quam miserabile sit hac ætate calamitosum conspici et quotidiani victus penuria laborantem, adolescentes oramus et obtestamur ut æquales suos juvent ne, quum plura mala quam diximus tulerint, plura tolerare cogantur. Debetis autem nobis solis Græcorum hanc veluti stipem, ut profligatis opitulemini. Nam et majores nostros aiunt, quum vestri patres bello Persico hac terra excessissent, solos ex his qui extra Peloponnesum habitant, societate periculorum adita, conservandæ civitatis adjutores fuisse: itaque jure nobis idem beneficium reddetis, quod priores in vos contulimus.

24. Quod si vobis decretum esset personas nostras omnino negligere, tamen a vestra virtute alienum fuerit committere ut ea regio vasta et inculta jaceret, in qua clarissima vestræ virtutis ac cæterorum qui illi prælio interfuere monumenta sint relicta: nam reliqua trophæa ab alia civitate contra aliam sunt erecta, illa pro tota Græcia contra totius Asiæ potentiam sunt constituta. Quæ quidem Thebani jure aboleverint—iis enim illorum operum memoria contumeliosa est —, vobis autem conservanda sunt, quod illa facinora vos Græciæ duces effecerunt. Neque vero heroum qui locum illum tenent obliviscendum est, cavendumque ne illorum honores intercidant, quibus vos quum litassetis id periculum subiistis, quo et istos et alios Græcos omnes in libertatem vindicastis. Est etiam majorum quædam habenda ratio, neque pietatis in illos officia sunt prorsus negligenda, qui quibus animis essent, si modo defuncti aliquid rerum nostrarum intelligunt, si animadverterent vobis rerum potientibus eos qui barbaris servire voluerunt aliorum dominos esse factos, nos vero, qui in prælio pro tuenda libertate gesto strenuam operam navavimus, solos e Græcis omnibus esse profligatos, fortiumque virorum monumentis justa non persolvi propterea quod nulli adsint qui id faciant, sed Thebani qui contraria fecerunt eam regionem teneant: illud etiam recordamini Lacedæmonios a vobis acerrime ob hoc fuisse accusatos, quod Thebanis, Græcorum proditoribus, gratificantes, nos benemeritos perdidissent. Ne igitur admittatis ut hæc convitia in vestram urbem retorqueantur, neque istorum libidinem existimationi vestræ præferatis.

25. Etsi autem multa dici possent, quibus ad curam nostræ salutis excitemini, tamen non possum [brevi oratione] complecti omnia; quamobrem vos decet tum prætermissa perspicere, tum vero jurisjurandi et fœderum, itemque nostræ benevolentiæ et inimicitiarum quæ vobis cum istis sunt, recordatos, ita statuere de nobis ut jus et æquum postulabit.

ISOCRATIS
DE PERMUTATIONE.

1. Si hæc quæ jam legetur oratio similis esset iis quæ vel ad forenses controversias vel ad ostentationem fiunt, nihil opus fuisset de ea præfari: nunc propter novitatem et discrimen necesse est causas prius exponere, cur eam aliis ita dissimilem scribere instituerim: his enim non indicatis multis absurda fortasse videretur.

2. Ego, quum scirem quosdam sophistas mea studia calumniari, ac dicere me forenses orationes scribere solere — in quo perinde faciunt ac si quis Phidiam, qui Minervæ simulacrum fecit, puparum fictorem appellare auderet, aut Zeuxidis et Parrhasii eandem esse artem diceret, quæ illorum est qui tabellas pingunt —, nunquam tamen illam mei extenuationem ultus sum, quod existimabam tum nugas illorum nullam vim habere, tum constare inter omnes me et scribere et dicere instituisse non de privatis contractibus, sed de talibus et tantis rebus, ut de iisdem nemo alius quicquam conetur, præter eos qui vel me doctore usi sunt vel hos imitari voluerunt. Longo igitur tempore ætatis meæ putabam tum ob institutum hoc tum ob perpetuum quietis studium omnes indoctos et plebeios homines æquos et benevolos me habere: nunc, quum vitæ finis prope mihi instat, facultatum permutatione ob triremium instruendarum munus facta eaque de re judicio conflato, etiam illorum quosdam non sic erga me affectos esse animadverti ut speraveram, sed alios de vitæ meæ ratione falsissima persuasione imbutos eo inclinare ut iis auscultent qui absurdi aliquid de me dicunt, alios, quum satis sciant quibus in rebus verser, invidere mihi non minus quam sophistas et delectari iis qui falsam de me habent opinionem. Atque hanc mentem suam esse declararunt: nam quum adversarius de ipsa causa nihil æqui diceret nec meam defensionem refutaret, sed et eloquentiæ meæ vim calumniaretur, et in multitudinem discipulorum et opulentiam insolenter inveheretur, munus illud mihi obeundum esse judicarunt. Ac sumptus quidem ita tulimus, ut eos decet qui neque rebus hujusmodi nimis percelluntur neque pecunias negligenter ac temere abjiciendas censent.

3. Quum vero, ut dixi, plures esse sensissem qui prave de me judicarent, cogitabam qua ratione et illis et posteris ostenderem tum qui mei mores essent tum qualem vitam degerem tum in quo do-

ctrinæ genere versarer, ne sic velut indicta causa me damnari talium criminum sinerem, nec (ut modo factum) in maledicorum potestate essem. Quæ quum animo agitarem, me non alia ratione facilius id assecuturum animadverti, quam si oratio tanquam imago animi et totius vitæ meæ scriberetur: per eam enim spes erat meas rationes maxime cognitum iri, et eam ipsam longe pulcrius monumentum mei relictum iri quam ærea donaria.

4. Ac si me quidem laudare vellem, sentiebam nec omnia me complecti posse quæ decrevissem, nec cum gratia de iis et sine invidia posse dicere: si autem me in judicium esse vocatum et in discrimen adductum ponerem, et qui mihi dicam impegisset ac negotium facesseret esse calumniatorem, qui quidem iis criminationibus uteretur quas in judicio permutationis attulisset, me autem verba facere per speciem defensionis, sic mihi demum præclaram occasionem datum iri de rebus omnibus arbitratu meo disserendi.

5. Hæc igitur animo agitans hanc orationem scripsi, non florente ætate, sed natus annos duos et octoginta. Quapropter venia danda erit, si prius a me editis mollior esse videbitur. Nec enim facilis fuit neque simplex, sed multum laboris variamque tractationem postulavit. Nam quæ hic scripta sunt partim in judiciis dici commode queunt, partim ad talia certamina non quadrant, sed de philosophia libere dicta vim ejus ostendunt: est etiam tale aliquid, quod adolescentibus disciplinarum et eruditionis cupidis audivisse conducat, multa quoque olim a me scripta inserta sunt his quæ nunc dicuntur non temere nec intempestive, sed instituto meo convenienter. Tantam igitur orationis prolixitatem contueri, et tot formas adeoque inter se distantes conjungere et contrahere, et sequentes antegressis adaptare, atque efficere ut inter se universæ consentirent, non parvi omnino laboris fuit. Tamen non destiti, et si adeo natu grandis, priusquam eam absolvissem, verissimam illam omnino quidem, sed cætera talem qualis videbitur audientibus.

6. Oportebit autem etiam illos qui eam legent aut recitabunt, primum quasi mixta sit oratio et ad hæc argumenta omnia accommodata sic auscultare, deinde studiosius advertere quid dicendum restet quam quid ante sit dictum, præterea non id agere ut primo impetu totam perlegant, sed tantam ejus partem quæ auditoribus molestiam non pariat. Nam his observatis, rectius perspicietis an aliquid dixerimus nostra existimatione dignum.

7. Et hactenus quidem præfandum fuit: nunc autem defensionem legite, quæ quidem fingitur de judicio esse scripta, sed id propositum habet ut et veritatem de me ostendat et ignorantes doceat, et id efficiat ut qui nobis invident magis etiam eo morbo crucientur: gravius enim eis supplicium irrogare non possum.

8. Eos ego improbissimos omnium et maxima pœna dignos esse

puto, qui de iis rebus alios accusare audent, quibus ipsi constricti tenentur; quod Lysimachus fecit. Qui, quum ipse de scripto dicat, de meis scriptis plura verba fecit quam aliis de rebus omnibus, quod perinde est ac si quis alium sacrilegii reum ageret, qui donaria deorum ipse in manibus haberet. Vehementer autem vellem me ab eo tam eloquentem judicari, quam apud vos dixit: nunquam enim negotium mihi facessere instituisset. Nunc me, quem causam inferiorem dicendo posse facere superiorem ait, usque adeo contemnit, ut ipse speret se mentientem vera dicente me facile fore superiorem. Tantis equidem ab omni parte difficultatibus conflictor, ut, quum alii calumnias orationibus refutent, meas Lysimachus orationes maxime traduxerit, ut, si quidem satisfecisse causæ videar, in me hærere appareat eloquentiæ crimen ab eo mihi allatum, sin tenuius quam pro ea exspectatione quam apud vos de me concitavit disseruero, me causam deteriorem habere putetis. Vos igitur oro ut verbis adversarii fidem nec habeatis nec abrogetis, antequam defensionem quoque nostram totam audiveritis, cogitantes supervacaneum fuisse reis pro se dicendi potestatem dari, si ex accusatoris oratione recte ferri sententia potuisset. Nunc, utrum bene an vero male causam peroraverit, nemo qui adest ignorat: an autem vera dixerit, judicibus ex oratione prioris intelligere non ita promptum est, sed boni consulendum si ex utriusque verbis veritatem elicere possint.

9. Neque vero eos ego miror qui plus temporis consumunt in accusandis impostoribus quam in semetipsis defendendis, neque illos etiam qui dicunt summum malum esse calumniam: quid enim ea fieri possit maleficentius? quæ facit ut de mentientibus bene existimetur, ut plane innocentes injurii esse videantur, ut judices pejerent, quæ denique veritatis lucem exstinguit, et caligine mendaciorum auditoribus involutis quemvis civium per injuriam interficit? Quare providendum vobis est ne tale quid usuveniat, aut ipsi ea committatis quæ ab aliis facta reprehenderitis. Arbitror autem vos non ignorare nostram urbem sæpe pœnituisse judiciorum quæ per iracundiam potius quam re examinata facta fuerunt, adeo ut paulo post et impostores punire desiderarit, et calumniis oppressos rebus uti secundioribus quam prius optarit.

10. Hæc igitur tenenda sunt, ne verbis accusatorum temere credatis, neque cum tumultu et sævitia reorum excusationibus adversemini. Neque enim decet ut qui aliis in rebus clementiæ nomine præ Græcis omnibus prædicamini, in his judiciis ea videamini facere quæ isti sint opinioni contraria; et, quum alibi moris sit calculorum partem in judiciis capitalibus reis addi, apud vos eos qui in periculum adducti sunt deteriore etiam esse conditione quam calumniatores; et, quum quotannis juretis vos eadem æquitate audituros tam reos quam accusatores, tam longe ab æquabilitate illa recedere,

ut quicquid delatores crimini dederint approbetis, qui vero se tueri conantur, eorum aliquando ne vocem quidem toleretis; et, quum in iis urbibus habitandum esse non putetis in quibus indicta causa civium aliqui perimantur, istuc ipsum ab iis fieri ignoretis qui non eandem reis benevolentiam præstant. Jam illud omnium iniquissimum est, si quis ipse in judicium adductus fuerit, eum calumniatores accusandos esse censere, quum vero alteri jus dicit, in eadem sententia non permanere. Enimvero sapientis est judicis talem erga alios se præbere, quales in se alios esse vellet, quum præsertim in tanta sycophantarum audacia metuendum sit omnibus, ne in idem periculum vocati eadem, quæ ego nunc apud eos qui suffragia de me laturi sunt, dicere cogantur.

11. Nec enim vitæ moderatione atque innocentia sua quisquam ita fretus esse debet, ut sibi persuadeat se propterea sine ullius incommodi metu vitam in urbe acturum: quibus enim et sua negligere et alienis insidiari deliberatum est, non illi quidem civibus modestis parcunt, facinorosos autem ad vos adducunt, sed experti vires suas in innocentibus, ab iis quorum scelera palam sunt plus argenti extorquent.

12. Quo eodem animo Lysimachus mihi etiam periculum creavit, quum existimaret hoc contra me judicium ab aliis sibi vectigal pariturum, et, si me vicisset eloquentia, quem aliorum magistrum vocat, neminem fore persuasum haberet, qui vim ipsius sustineri posse confideret. Idque se facile confecturum sperat, qui et vos præpropere nimium criminationes atque calumnias approbare videat, et me non ita ut existimatio mea postulet easdem posse refutare tum ob senectutem tum propter imperitiam istiusmodi actionum. Sic enim vixi hactenus, ut nemo unquam vel in oligarchia vel in democratia me ullius vel contumeliæ vel injuriæ accusarit, neque arbiter neque judex fuerit qui de meis actionibus unquam quicquam pronuntiarit: nam hæ meæ artes fuerunt ut ne quid ipse erga quenquam delinquerem, mihi vero si qua facta esset injuria, ut non judicio me de inimicis vindicarem, sed controversias eorum amicis dirimendas permitterem. Quorum nihil mihi profuit, sed quum vitam ad hanc usque ætatem sine ullius querela produxerim, in eodem periculo versor ac si omnes offendissem. Non tamen prorsus abjeci animum ob mulctæ magnitudinem, sed, si cum benevolentia me audire volueritis, magnam spem habeo, si qui de meæ vitæ ratione falso existimant et assentiuntur illis qui me conviciis deturbare student, fore ut quamprimum de ea opinione deducantur; qui vero me qualis sum, talem etiam esse putant, in ea sententia confirmentur. Ne vero vobis molestiæ sim dum multa ante rem dico, his omissis, ea vos jam docere conabor de quibus suffragia inituri estis. Proinde accusationem mihi lege.

ACCUSATIO.

13. Adversarius igitur accusatione ista me in odium conatur adducere, quod corrumpam adolescentes præceptis eloquentiæ tradendis, quibus instructi contra jus et æquum victoriam in judiciis adipiscantur; cæteris autem verbis suis tantum me facit, quantus nemo unquam fuit neque causidicus in judicum subselliis versatissimus neque in otio philosophiæ studiis deditissimus: nec enim privatos duntaxat homines mihi fuisse discipulos ait, sed et oratores et duces et reges et tyrannos, a quibus magnam pecuniæ vim partim acceperim partim nunc etiam accipiam. Hac autem de causa hoc modo actionem instituit, quod existimaret ista de me atque opibus et multitudine discipulorum jactitando se mihi apud omnes auditores invidiam conflaturum, judiciorum autem tractatione interserenda vestram iracundiam et odium contra me concitaturum: quibus affectibus judices perturbati reis iniquissimi fiunt.

14. Sed ego eum quædam immodice exaggerasse, quædam prorsus ementitum esse, facile me probaturum confido. Peto autem a vobis, ne verbis maledicorum et calumniatorum quæ de me prius audivistis auscultetis, neve ea credatis quæ sine ulla probatione, sine judicio, dicta fuerint, aut iis opinionibus in quas illi vos per injuriam adduxerunt insistatis, sed qualis esse vobis ex hac accusatione et defensione visus fuero, ita de me statuatis: nam hoc pacto decernentes, et ipsi recte ac secundum leges judicabitis, et jus ego meum adipiscar.

15. Neminem igitur vel eloquentia vel scriptis meis esse læsum, hoc discrimen maximo esse testimonio crediderim. Nam si quem offendissem, is, etsi tempore superiore quievisset, hac certe occasione arrepta me vel accusaret vel testimonio oppugnaret. Quum enim iste nullo unquam verbo a me læsus in tantum me periculum adduxerit, quanto magis illi quibus malefecissem a me pœnas expetere conarentur. Nam illud quidem neque consentaneum est nec omnino fieri potest, ut ego multos offenderim, illi vero qui in calamitates per me conjecti sunt quiescant nec accusare ausint, et in periculis meis majore erga me mansuetudine utantur quam isti quibus nulla est a me orta injuria, quum eis liceret conquestione incommodorum suorum summum mihi supplicium irrogare. At neque prius neque nunc quicquam tale mihi quenquam objecisse constat. Quare, si accusatori concederem et ultro largirer me omnium hominum esse eloquentissimum, et orationum quæ vobis molestæ essent talem scriptorem qualis nemo alius exstitisset, humanitatis potius laudem quam pœnam merear: nam excellere aliis vel eloquentia vel rebus gerendis fortunæ merito tribuetur, verum ingenio bene et moderate esse usum probitatis meæ propria laus fuerit.

16. Etsi autem hæc de me ipso dicere possum, tamen ne sic quidem eas orationes mihi studio fuisse apparebit. Idque ex quotidianæ vitæ meæ consuetudine potissimum cognoscetis, quæ veritatem longe certius indicat quam verba calumniatorum. Arbitror enim hoc ignorare neminem omnes homines in eo loco versari solere, unde victum parare decreverunt. Qui igitur e contractibus qui in vestrum judicium afferuntur atque ex istiusmodi occupationibus victitant, eos in foro tantum non habitare videatis, me vero nemo unquam nec in conciliabulis nec in judiciis nec in prætoriis nec apud arbitros vidit, quæ ego ita omnia fugio ut nullus civium aliorum. Deinde illos apud vos solos rem posse facere, si quo autem alio navigarint, nec unde famem depellant habere; mihi autem eas copias, quas iste tam magnidicis verbis effert, ab externis omnes contigisse reperietis: præterea istis sese adjungere illos qui vel ipsi in malis sunt vel aliis negotium exhibere volunt, mihi vero Græcorum omnium otiosissimos. Audistis et accusatorem inter alia dicere me a Nicocle Salaminiorum rege multa et magna munera accepisse. Atqui quis vestrum est qui credat, illa mihi propterea dedisse Nicoclem, ut causas agere disceret, qui controversias aliorum tanquam dominus disceptabat? Ex ipsius igitur adversarii verbis facile intelligitur, me a rebus illis alienissimum esse quæ ad forensia negotia pertinent. Jam illud etiam notum est omnibus, plurimos esse qui litigantibus in judiciis orationes parent. Quorum neminem, quum tanta turba sit, dignum esse habitum constat cujus fidei discipuli mandarentur; ego vero, ut accusator ait, plures habui, quam omnes alii qui in studio literarum versantur. Enimvero quis credat eos, quorum studia tantum distant [et inter sese differunt], in iisdem versari actionibus?

17. Etsi autem multa discrimina tum meæ vitæ tum dicarum possem ostendere, eo modo tamen potissimum vos ab ista opinione deduci posse censeo, si quis vobis ostenderit mihi nullos earum rerum discipulos fuisse de quibus accusator dixit, neque me forensium orationum egregium esse artificem. Arbitror enim vos, refutato crimine quod in me conjectum fuit, priore opinione ultro repudiata cupide audituros quo genere orationum tractando tantam mihi gloriam compararim. Ac veritatem quidem dicere an mihi profuturum sit, nescio; difficile enim est vestram intelligere sententiam, sed tamen apud vos libere loquendum. Nam vel discipulorum puderet, quum sæpe dixerim me optare civibus omnibus et vitæ meæ rationem et genus orationum quod tractem esse notum, si nunc eas vobis non ostenderem, sed occultarem. Tanquam igitur veritatem audituri, sic animadvertite.

18. Ac illud in primis intelligendum est, genera doctrinarum non esse pauciora quam poematum quæ certis dimensionibus constant.

Nam alii familiis semideorum inquirendis ætatem contriverunt, alii de poetis aliquid meditati sunt, alii res in bellis gestas congerere voluerunt, alii in responsionibus et interrogationibus sunt versati, quos a contradicendi studio Antilogicos appellant. Sed immensi negotii fuerit omnes orationum formas enumerare: ejus igitur quæ mea interest mentione facta, cæteras omittam. Sunt enim qui nec ea quæ diximus ignorent, sed orationes eas scribendas susceperint, quæ non de privatis negotiis agunt, sed de statu Græciæ et rerumpublicarum, et quæ in maximis celebritatibus recitentur; quas nemo est quin carminibus, quæ musica ratione ac numeris constant, quam forensi dictioni similiores esse fateatur. Nam et sermonis genus habent magis poeticum et majorem rerum varietatem continent, et argumenta elatiora magisque nova consectantur, atque etiam tota oratio aliis figuris illustrioribus et pluribus adornatur. Quæ qui audiunt non minore voluptate afficiuntur quam si recitationi poematis interessent, ac multi exsistunt qui eadem discere cupiant, existimantes qui in hoc genere excellant, eos multo sapientiores et meliores esse ac plus prodesse posse quam probatos etiam causidicos. Quippe qui sciant hos cupiditate facessendi aliis negotia litigandi peritiam sibi peperisse, illos ex earum orationum quas modo dicebam studio facultatem eam consecutos; eos qui litium jura perdidicerunt eo die duntaxat ferri posse quo causas agunt, hos in omnibus congressibus et omnibus temporibus in pretio haberi et bonos viros perhiberi: præterea illos, si semel atque iterum in judiciis conspiciantur, in odium et reprehensionem incurrere; hos, quo sæpius et cum pluribus congressi fuerint, eo majore in admiratione esse: ad hæc causidicos illam orationis excellentiam minime posse assequi, hos, si vellent, forenses etiam orationes facile habituros. Hæc illi reputantes et hanc studiorum sectam longe præstantiorem rati, ejus eruditionis participes fieri volunt; id quod mihi quoque non detrectatum fuit, sed magnam et gratiam peperit et celebritatem.

19. De mea igitur seu facultatem dicere vultis seu philosophiam seu exercitationem, simplicem veritatem audivistis. De me ipso autem legem feram etiam graviorem quam de aliis, et aliquid audacius quam pro ætate mea dicam. Peto enim non modo, si noxiis orationibus operam do, ne mihi quicquam veniæ detis sed, nisi in talibus elaboro in qualibus nemo alius, ut maximis suppliciis me afficiatis. Neque vero tam confidenter hæc jactarem, nisi vobis eas etiam ostensurus essem, ut quid intersit facile perspiciatis.

20. Sic enim se res habet. Ego pulcherrimam et justissimam defensionem eam esse duco, quæ quam fieri potest certissime judicibus demonstrat eas res, quibus de rebus suffragia sunt ferenda, ut ne in errorem inducantur aut dubitent utri vera dicant. Quod

si mihi lis intenderetur rei cujuspiam male gestæ, in conspectum ego vestrum eam afferre non possem, sed vobis necesse esset ex oratione rei naturam conjecturis utcunque indagatam dijudicare: quum autem orationes meæ culpentur, puto me veritatem vobis dilucidius expositurum. Ipsas enim vobis ostendam tum dictas a me tum scriptas, ut non ex opinione sed ex certa cognitione de eis judicetis. Ac omnes quidem integras recitare non possum; tempus enim nobis datum exiguum est: sed tanquam frugum, sic cujusque specimen quoddam proferre conabor. Parva enim parte audita facile tum mores meos perspicietis tum vim orationum omnium cognoscetis. Rogo autem, si qui ea quæ jam recitanda sunt sæpe legerunt, ne a me in præsentia novum aliquid requirant, neque me importunum propterea existiment, quod eas proferam quibus vestræ aures jam olim personuerunt. Nam si eas ostentationis causa recitarem, jure hoc nomine reprehenderer: nunc in judicium et discrimen vocatus ad hunc modum eis uti cogor. Quid enim magis a me ridiculum fieri possit quam si, quum accusator criminatus sit me orationes scribere quæ et reipublicæ noceant et adolescentes corrumpant, alio modo me defenderem, quum iis ipsis prolatis liceat omnem calumniam refutare? Peto igitur ut propter hæc veniam mihi detis et adjutores sitis. Orationes autem absolvere aggrediar, paululum adhuc præfatus, ut ea quæ dicentur, facilius assequamini.

21. Nam quæ prima vobis ostendetur iis est scripta temporibus, quum Lacedæmonii Græcis imperarent, nostræ vero opes tenues essent. Hortatur autem Græcos ad expeditionem contra barbaros suscipiendam, et cum Lacedæmoniis de principatu contendit. Hoc argumento ad tractandum suscepto, quicquid Græcia bonorum habeat, id nostræ urbi acceptum esse referendum ostendo. Quo autem evidentius principatum nostræ urbis esse demonstrarem, disputatione de illis beneficiis seorsim instituta, ad hunc fere modum sum exorsus, reipublicæ nostræ propter bellica pericula plus etiam honoris quam ob cætera merita deberi. Equidem putavi meipsum ista recitaturum: sed me senectus impedit animumque despondere cogit. Ne igitur prorsus deficiam, quum mihi multa dicenda restent, facto a nota initio ea lege quæ de ipso principatu scripta sunt.

E PANEGYRICO.

Arbitror autem majores nostros non minus ob pericula quam propter alia beneficia esse honorandos.

* * * * * * * *

et qui tum pro salute omnium in prima acie stetimus, nunc alios sequi cogamur?

22. Ac principatum quidem merito nostræ esse civitatis facile ex iis quæ diximus cognoscetur. Cogitate igitur cum animis vestris, corrumperene adolescentes videar, an vero ad virtutem et subeunda

pericula pro republ. potius adhortari, æquiusne sit ob hanc mihi orationem mulctam irrogari, an potius maximam a vobis gratiam referri, qui iis laudibus tum urbem nostram tum majores tum præclara illorum temporum facinora ornarim, ut et ii qui prius idem argumentum tractarant, eorum pudore quæ dixerant, omnes suas orationes aboleverint, et qui etiam hodie inter eloquentes habentur, hisce de rebus diffisi ingeniis suis nihil jam dicere audeant.

23. Quæ quum ita sint, tamen exsistent aliqui ex istis qui ipsi quidem excogitare nihil aut dicere possunt quod audire sit operæ pretium, sed in eo studio ætatem consumpserunt ut aliorum dicta cavillentur et exagitent, qui eleganter quidem hæc esse dicta fateantur — bene enim invideant dicere —, longe tamen utiliores eas orationes esse dictitent, quæ ea quæ nunc prave ac temere gerantur reprehendant quam quæ res olim gestas laudent, et quæ quid agendum sit suadeant quam quæ vetera facinora commemorent.

24. Ut igitur neque hæc possint dicere, omissa defensione superiorum tantam vobis alterius orationis partem recitare conabor, quanta modo recitata est: ex qua me in harum rerum omnium curam sedulo incubuisse constabit. Agitur autem initio de pace facienda cum Chiis et Rhodiis et Byzantiis: quum enim ostendissem e republ. esse ut bellum deponeretur, accuso dominatum in Græcos usurpatum et damno maris imperium, ac nihil id esse aliud pronuntio quam monarchiam quandam, sive actiones sive clades spectentur; commemoro etiam, quid ex eo nostræ civitati, quid Lacedæmoniis, quid aliis omnibus, usuvenerit. His explicatis, et Græciæ calamitates deploro, et cives admoneo ut malis illis remedium aliquod invenire studeant; denique ad colendam justitiam adhortor et errata reprehendo et de republica in posterum ordinanda do consilium. Orsus igitur inde ubi his de rebus disserere incipio, hanc etiam partem recita.

EX ORATIONE DE PACE.

Sic autem censeo, pacem non tantum decernendam, sed non prius dimittendam esse concionem quam ratio fuerit inita qua eam conservemus.

* * * * * * *

Dies me defecerit si in omnia nostrarum actionum delicta coner severius inquirere.

42. Qua ratione igitur hoc tumultu liberabimur? quo pacto reipubl. statum corrigemus et in melius provehemus? Primum si desierimus calumniatores habere pro popularibus honestosque viros pro oligarchicis: illud enim tenendum est, natura neminem neque popularem neque paucorum esse potentiæ studiosum, sed eam quemque reipublicæ formam expetere maxime, qua maxime honoratur. Quod si coletis et amplectemini bonos viros præ malis, sicut olim factum fuit, ad vestras rationes magis accommodatos habebitis tribunos plebis et reliquos magistratus. Secundo si vobis adjungere præsidia sociorum non bellis aut obsidionibus, sed beneficiis, institueritis: ex his enim amicitias oriri consentaneum est, ex iis autem rebus quales nunc agitamus, inimicitias. Tertium est ut secundum pietatem in deos nihil

majori studio habeatis quam ut Græci quam honestissime de vobis et sentiant et loquantur: nam, quos illi sic animatos viderint, his ultro et potentatus et principatus deferunt.

* * * * * * *

Nam in rebus Græciæ secundis eruditorum etiam hominum res multo fieri meliores consueverunt.

25. Duarum igitur orationum quasdam partes audivistis, sed et e tertia pauca recitabo, ut omnes meas orationes ad virtutem et justitiam referri planius intelligatis. Monet autem hæc quæ jam legetur oratio, Nicoclem, qui eo tempore Cypri regnum tenebat, quomodo civibus sit imperandum: neque vero eodem modo scripta est quo eæ quæ jam lectæ sunt. In illis enim quicquid dicitur, id cum superiori perpetua serie cohæret ac devinctum est, in hac autem contrarium fit. Dissolutas enim et distinctas a prioribus præceptiones in capita quæ vocantur redegi, ut omnia quæ suadeo paucis verbis explicarem. Id autem argumentum propterea tractavi, quod existimabam monendo præcipiendoque me et ejus ingenio maximas utilitates allaturum et mores meos optime demonstraturum. Qua eadem de causa vobis etiam nunc eam ostendere constitui, non quod inter cæteras ornatissime scripta sit, sed quæ ex ea optime cognosci queat quo pacto et cum plebeiis hominibus et cum principibus viris agere soleam: hinc enim apparebit me libere et e dignitate nostræ civitatis cum eo disseruisse, nec divitiis illius nec potentiæ adulantem, sed et populi causam egisse, et ei gubernationem quam fieri potuit lenissimam (quantum in me quidem fuit) constituisse. Quum autem cum rege agens populo sim patrocinatus, quanto magis in populari versantibus republ. hortator et auctor ero colendæ multitudinis.

26. Ac in exordio quidem et primo veluti limine orationis reprehendo principes, qui, quum excolere mentem et ingenium exercere magis quam alii deberent, pejus instituti sint hominibus privatis. Ea disputatione absoluta, Nicoclem moneo ne secordiæ indulgeat neve eo [omisso] animo sit, quasi regnum tanquam sacerdotium suscepisset, sed ut spretis voluptatibus animum rebus gerendis intendat. Illud etiam ei persuadere conor, rem absurdissimam existimandum, si deteriores cum imperio præesse videat præstantioribus ac prudentioribus dare mandata stultiores; atque assero fore ut quanto magis aliorum inscitiam contemnat, tanto diligentius ingenium suum exerceat. Ducto igitur initio a postrema parte orationis hujus quoque lege quod superest.

EX ORATIONE AD NICOCLEM.

In primis autem ipse te cohortabere, si id absurdum duxeris deteriores præesse præstantioribus et stultiores prudentioribus imperare.

* * * * * * *

Sapientes a te habeantur non qui de rebus minutis curiose rixantur, sed qui de maximis egregie disserunt. Aut præceptis nostris utere, aut ipse his quære meliora.

26.* 1. Et ex orationibus quidem satis nobis sit quod protulimus, præsertim adeo prolixis; a tenui quippe parte scriptorum a me olim non abstinebo: sed dicam siquid mihi videbitur præsenti tempori convenire: nam profecto essem absurdus, si quum videam alios meis scriptis uti, ego solus abstinerem ab iis quæ antea recitaverim; hac maxime occasione qua non solum tenuibus partibus, sed integris locis uti apud vos statui. Hæc igitur prout sè res dabit faciemus. Dixi vero quodam in loco, priusquam eæ orationes legerentur, me dignum fore non solum, si noxias orationes conficerem, dare pœnas vobis; sed etiam nisi tales conscriberem quales nemo alius, maximam pati animadversionem. Si qui igitur vestrum esse arbitrati sunt magnificentius jactatum nimisque magnum illud dictum, non profecto jam in eadem sententia jure manebunt: existimo enim me fidem solvisse talesque esse eos qui lecti sunt sermones, quales vobis ab initio proposui. Volo tamen apud vos paucis defensionem persequi uniuscujusque, magisque adhuc apertum facere me vera de iis et antea dixisse et nunc quoque dicere.

26.* 2. Ac primum quidem quænam esse potest sanctior oratio aut æquior quam quæ majores pro eorum virtute gestisque collaudet? Deinde quænam civilior atque urbi convenientior ea quæ tum ex aliis beneficiis tum ex discriminibus quæ adivimus ostendit imperium ad nos potius quam ad Lacedæmonios pertinere? Præterea quis sermo de pulcrioribus majoribusve negotiis agit quam is qui ad expeditionem contra barbaros hortatur Græcos iisdemque concordiam inter se suadet? In prima igitur oratione de his disserui, in posterioribus autem minora quidem quam hæc tam grandia tractavi, non tamen ineptiora vel urbi minus conducentia. Quorum vim sentietis, si ea comparabitis cum aliis quæ probata atque utilia esse videntur. Puto quidem omnes homines confiteri plurimorum ac maximorum bonorum causam esse in vita humana leges: ita tamen comparatum est ut harum usus in iis tantum prodesse nobis possit quæ in urbe aguntur atque in privato quod inter nos exercemus commercio; meis vero orationibus si obtemperaretis, Græciam universam pulcre recte et cum urbis nostræ emolumento regeretis: oportet autem cordatos homines utrique huic rei studere, eam porro quæ major est plurisque facienda alteri præferre, deinde et illud sentire, quod leges quidem condere sexcenti et aliorum Græcorum et barbarorum valeant, dicere autem de utilibus rebus ex urbis et Græciæ dignitate non sane multi queant; quapropter eos, qui talibus orationibus excogitandis operam dant, tanto oportet pluris facere conditoribus et latoribus legum, quanto illi rariores sunt et ægrius fiunt et prudentiore egent animo, præsertim hisce temporibus. Nam cum quidem incipiebat genus humanum creari et in urbibus congregari, par fuit ejusdem esse conditionis et legum et orationum conquisitionem: postquam vero huc progressi sumus ut et orationes recitatæ et leges conditæ innumeræ sint, quumque legum quidem laudentur antiquissimæ, orationum autem recentissimæ, non jam paris ingenii negotium id est; sed leges ferre instituentibus commoda est multitudo antea conditarum — nihil enim opus est eos novas quærere, sed satis est quæ sunt apud alios probatæ colligere, quod facile quisquis id voluerit faciet —, iis vero qui componendis orationibus vacant, eo quod plurima jam sint occupata, contrarium accidit: nam, si eadem ac prius recitata dicant, impudentes ac nugatores videbuntur, nova si quærant, operose invenient. Quare dixi utrosque quidem merito laudandos, luculentius tamen eos, qui possunt id quod est difficilius præstare. Jam et iis, qui sibi sumunt ut alios ad temperantiam et justitiam hortentur, nos veraciores atque utiliores deprehendemur. Ii enim hortantur ad virtutem et sapientiam quandam, quæ cæteris quidem ignota, apud ipsos autem controversa est, ego vero ad eam quæ cunctis in confesso est: et illis utique sufficit, si quos fama nominum possint in suam pertrahere consuetudinem, ego vero nunquam coarguar privatum aliquem ad me invitasse, civitati porro universæ suadere conor ea aggredi, ob quæ et cives bene habebunt et cæteros Græcos præsentibus malis eripient. Jam qui omnes cives impellere studeat ut melius et æquius Græcis præsint, quomodo, inquam, hunc credibile est convenientes ad se corrumpere? Quis autem, si hujusmodi orationes invenire valeat, noxias potius noxiisque de rebus quærere aggrediatur? præsertim vero si ea sit ab his orationibus consecutus quæ ego.

26.* 3. His enim scriptis editisque et famam apud multos obtinui et auditores complures recepi, quorum nemo apud me mansisset, nisi talem me deprehendisset, qualem exspectarat: nunc vero quum tot fuerint mei discipuli, quorum alii tres, alii quatuor annos mecum vixere, neminem patebit de me aliquid questum; immo absoluta institutione, quum jam navigaturi essent ad suos parentes ac notos, ita erga scholam videbantur affecti ut cum desiderio et lacrymis discederent. Utris vero decet vos fidem habere, iis ne qui omnino norunt meos sermones ac mores, an ei qui nihil mearum rerum scit, calumniatorem autem agere instituit? Qui eo improbitatis et audaciæ venit, ut accusans me, quod ita dicere doceam ut homines præter jus superiores evadant, argumentum quidem hujus rei nullum protulerit, orationem autem in eo consumpserit ut contenderet rem indignam esse juvenes corrumpi; quasi vero aut aliquis hoc neget, aut ipse quod omnes fatentur probare debuisset, et non potius illud unice ostendere, me nimirum huic facinori esse obnoxium. Sane si quis, hoc [Lysimacho] ceu plagiario et fure et grassatore in judi-

cium adducto, nihil quidem hujusmodi ostenderet illum patrasse, dissereret autem quam quodvis ex his criminibus grave sit, ipse Lysimachus diceret accusatorem nugari atque insanire; et tamen ipse se eodem orationis genere usum latere vos putat. Ego autem vel insipientissimos hoc scire arbitror, judicandas esse probabiles et satis validas accusationes, non eas quibus uti etiam contra innocentes liceat, sed quas non nisi in peccantes dicere possimus: at his neglectis Lysimachus orationem nihil ad crimen pertinentem recitavit. Opus enim erat eum et sermones meos indicare, quibus familiares corrumpam, et discipulos nominare qui ex mea consuetudine facti essent nequiores: nunc vero neutrum horum fecit, sed justissima omnium accusatione prætermissa vobis facere fucum conatus est. Ego autem unde par est et æquum, ex his ipsis nempe defensionem meam exornabo. Et orationes quidem paullo ante legimus vobis, eos autem qui me a pueris ad senectam usque usi sunt proferam, proque iis de quibus dicam testes ex vobis ipsis excitabo eos qui mihi coætanei vixerunt. Primi igitur ad me accesserunt Eunomus et Lysithides et Calippus, post hos Onetor, Anticles, Philonides, Philomelus, Charmantides. Atque hos omnes civitas aureis coronis donavit, non profecto ut alienorum cupidos, sed ut viros bonos et qui sua multa in civitatem insumpsissent. Apud hos quo me vultis officii gradu collocate: nam ad rem quidem præsentem quod attinet, id omnino mihi commodum accidit. Sive enim putetis me consiliarium et magistrum horum fuisse, gratiam mihi jure potiorem habebitis quam iis qui in Prytaneo ob virtutem aluntur: nam horum quisque unum se præclarum virum exhibuit, ego vero tantum numerum quantum vobis nuper exposui. Sive eorum facinorum nulla ego cum illis exstiti causa, sed iis tantum sodalibus et amicis usus sum, sufficientem mihi hanc contra eam quam patior accusationem puto apologiam: si enim præmio ob virtutem donatis placui, cum sycophanta autem non consentio, qui merito judicer familiares corrumpere? Alioqui ego omnium miserrimus essem, si, quum cæteri homines ex studiis et societatibus alii quidem malam alii bonam famam consequantur, ego unus hoc argumento non me satis probarem, sed postquam cum viris tantis convixerim, meque inculpatum usque ad hanc ætatem exhibuerim, similis denique eorum videar qui ob alias societates et studia in criminationes incurrunt. Libenter autem cognoscerem quid essem passurus, si quis mihi talis familiaris fuisset qualis meus accusator, quandoquidem ego, qui universum genus hujusmodi hominum odio persequor iisdemque invicem sum invisus, in hoc tamen discrimen deveni. Atqui ne ille quidem merito me lædet sermo, quem forte nonnulli qui mihi prorsus sunt infensi de me dicere audebunt, quod iis nimirum quos nominavi ita tantummodo usus sim ut cum iis colloqui quidem sim con-

spectus, verum alios mihi fuisse multos et turbulentos discipulos quos celem vos. [At ego sermonem in promptu habeo, qui has omnes calumnias coarguat atque dissolvat:] volo enim, si qui e meis familiaribus boni viri evaserunt erga urbem amicos et suam domum, a vobis illos laudari, mihi autem nullam pro his gratiam haberi; sin mali eoque ingenio, ut deferre in judicium et accusare et aliena appetere soleant, vos de me pœnas sumere. Porro quænam provocatio fieri potest hac invidiosa minus aut æquior, qua ego bonos et honestos mihi non vindico, si qui autem mali fuerunt, pro his pœnam subire paratus sum? Et sermo profecto hic non frustra prolatus est, sed permitto et accusatori et cuivis alii volenti, si quem habet hujusmodi nominare; non quod non libenter aliqui adversus me mentituri sint, sed, quod hi statim nobis patefient, et pœna ad illos non ad me pertinebit. Et quod quidem attinet ad illatam mihi accusationem quodque discipulos non corrumpem, non video quomodo evidentius me purgare potuissem.

26.* 4. Injecit præterea mentionem et amicitiæ meæ cum Timotheo, et utrumque nostrum calumniari conatus est; neque eum puduit de viro mortuo et qui multa bona civitati creasset maledicos et admodum protervos sermones effutire. Ego vero existimassem, etiamsi aperte convincerer esse reus, tamen propter consuetudinem cum illo me servari oportere: sed quia Lysimachus vel iis argumentis me nititur lædere quibus merito juvandus essem, de his quoque disserere opus est. Idcirco autem hujus mentionem non feci simul cum cæteris meis necessariis, quia eorum res gestæ valde differunt. Ac de illis quidem nihil ineptum blaterare adversarius ausus est, at in vituperatione Timothei diligentius est versatus quam in iis rebus de quibus intulit accusationem. Tum illi paucis sunt præfecti rebus, eorum vero quæ unicuique sunt commissa ita curam gesserunt ut quem paullo ante dixi honorem consecuti sint; hic autem multis et magnis diuturnoque tempore præfuit. Ut prorsus non decuerit indiscriminatim de hoc aliisque amicis verba facere, sed opus fuerit ita discernere atque ordinare de iis sermonem. Oportet autem et orationem de illo non videri alienam a præsenti negotio, neque me dicentem extra causam: et privatos quidem ubi de suis quisque gestis dixerunt, par est aut de suggestu descendere aut videri frustra satagere, verum eos qui consiliarii et magistri esse putantur non secus pro familiaribus suis quam pro se ipsis apologiam instruere necesse est, præsertim si quis ob eam causam reus agatur; quod mihi scilicet accidit. Atque alius quidem contentus esset dicere, æquum non esse se censeri participem si qua in re Timotheus haud felici successu usus esset; cum scilicet ne donorum quidem aut honorum partem ipse perceperit qui Timotheo decreti sunt, immo neque ab ullo rhetore sit laudatus tanquam si illius consiliarius

fuisset: æquum autem esse aut et commodorum in societatem venire aut ne adversitatibus quidem contingi. Me vero puderet ita loqui, quin et eandem atque de cæteris provocationem facio: volo enim, siquidem malus vir fuit Timotheus multaque in vos peccavit, ego particeps esse pœnasque dare neque secus ac reus puniri: sin autem et civis bonus et dux talis qualem nullum nos scimus ostendetur, ille videlicet a vobis laudandus erit gratiaque ei habenda, de hac autem adversus me accusatione, ex iis quæ a me sunt patrata, quod justum vobis videbitur, judicabitis.

26.* 5. Coacervatim vero hoc habeo dicere de Timotheo quodque omnia simul comprehendit, tot eum cepisse urbes vi quot nemo unquam imperator neque ex hac urbe neque ex reliqua Græcia, et harum aliquas, quibus captis universa vicinia coacta est nostræ urbi amica fieri. Tantam unaquæque habebat vim! Quis enim nescit Corcyram opportunissimo et pulcherrimo omnium circa Peloponnesum situ collocatam, Samum autem in Ionia, Sestum et Crithotem in Hellesponto, Potidæam et Toronem in Thracia? Quas ille omnes subactas tradidit vobis, sine magnis impensis, sine detrimento sociorum, nulla necessitate vobis imposita multas collationes militares afferendi; sed, cum ei ad cursum circa Peloponnesum tredecim tantum talenta urbs dedisset et quinquaginta triremes, Corcyram urbem cepit octoginta instructam triremibus, ac circa illud tempus Lacedæmonios navali prælio superavit, hancque pacem eos coegit componere, quæ tantam utrique urbi mutationem attulit, ut nos quidem ab ea die sacrum ei [Paci] faciamus quotannis, tanquam nulla fuerit æque urbi utilis, Lacedæmoniorum vero post illud tempus sive classis navigans intra Maleam sive terrestris exercitus Isthmum prætergrediens a nemine conspectus sit, quod eis fuisse causam cladis ad Leuctra jure quis deprehendat. His gestis, expeditione suscepta contra Samum, quam Pericles ille, qui maximam prudentiæ justitiæque et modestiæ laudem est assecutus, ducentis navibus et mille talentis oppugnaverat, hanc Timotheus, cum nihil omnino a vobis accepisset neque a sociis collegisset, post decim mensium obsidionem in potestatem suam redegit octo millibus peltastarum triremibusque triginta, quibus et stipendium ex hostico solvit. Jam si quis alius paria opera fecisse videtur, fateor me nugari, quod singulari modo eum laudare coner qui nihil præstantius cæteris fecerit. Hinc igitur navigans Sestum et Crithotem cepit; quumque aliis temporibus neglecta fuisset Chersonesus, vos ei ut mentem adverteretis impulit. Denique Potidæam, in quam urbs nostra quadringenta et bis mille talenta antea consumpserat, cepit opibus quas ipse suppeditavit et tributis e Thracia collectis: tum universos Chalcidenses debellavit. Quod si oportet non singillatim sed compendio dicere, quatuor supra viginti urbium vos dominos fecit, minoribus expensis

quam patres nostri in unam Meliorum obsidionem erogarunt. Vellem vero, ut facile fuit gesta enumerare, ita posse me breviter tempora declarare quibus horum quæque sunt acta, et statum urbis, hostiumque potentiam: multo enim vobis benefacta majora viderentur, atque ille pluris faciendus. Nunc vero hæc propter eorum multitudinem mittam.

26.* 6. Vos autem libenter audituros arbitror, cur nam laudatorum apud vos virorum et qui bellicosi existimarentur, aliqui ne pagum quidem capere potuerint, Timotheus autem neque corporis natura valida præditus neque in vagis exercitibus tritus, sed vobiscum in urbe versatus tam grandes res gesserit. Et sermo quidem de his invidiosus est, neque tamen sine fructu dicetur. Ille enim adeo cæteris præstitit, quia de Græcorum et Sociorum rebus eorumque regimine non eandem ac vos sententiam gerebat: vos enim imperatores deligitis robustissimos corpore et qui in mercenariis sæpe exercitibus versati sint, tanquam si per hos opportunum aliquid confecturi essetis; ille autem hujusmodi centurionibus et tribunis utebatur, [quorum nonnulli, quia cum eo militarunt, homines frugi urbique utiles evaserunt,] ipse autem iis erat eximius, quorum bonum imperatorem oportet esse prudentem. Atqui ea quamnam vim continent? — præstat enim non tantum indicasse sed omnino aperte hæc evolvere. — Primum quidem ut possis cum quibus sit bellandum cognoscere, et quinam socii adsciscendi: fundamentum hoc est enim imperatorii muneris, in quo si quis peccet, necesse est bellum damnosum, asperum, et frustra laboriosum evadere. In his igitur deliberandis non solum nemo ei fuit par, sed ne proximus quidem. Facile autem est ex ipsis factis id cognoscere: plurimis enim bellis injussu urbis susceptis, omnia prospero eventu gessit cunctisque Græcis visus est ea juste fecisse. Sane prudentis consilii quis isto clarius et gravius argumentum exhibeat? Quid secundo loco expedit bono imperatori? Exercitum contrahere convenientem bello quod gerit, atque hunc ordinare eoque utiliter uti. Quod autem Timotheus eo sciret bene uti, gesta ipsa declararunt: quod vero et apparatu splendido quique hanc urbem deceret omnes superarit, nemo vel inimicorum inficiari audeat. Quis præterea commilitonem in utroque hoc illum excelluisse non judicet, in tolerando scilicet necessitates atque egestates exercitus, rursusque copiam comparando? Sciunt enim illum sub initium bellorum, quod nihil ab urbe acciperet, in extrema necessitate fuisse constitutum; et tamen ex hoc statu eo res deducere potuisse, et ut bello superior esset et integrum militibus stipendium solveret. Quæ quum tanta sint tamque gravia, jure tamen is propter ea quæ addam luculentius adhuc laudari potest. Quum enim vos videret eos tantum putare viros, qui et minantur et cæteras civitates terrent quique novum

aliquid semper inter socios moliuntur, huic vestræ opinioni non est obsecutus, noluitque cum urbis detrimento famam consequi, sed hoc curavit et fecit, ut nulla eum Græca urbs timeret, sed cunctæ alacri essent animo præter eas quæ peccarent: sciebat enim et qui timent odio persequi illos quorum causa id patiuntur, urbemque nostram ex aliarum benevolentia factam esse beatissimam et maximam, ex odio autem parum abfuisse quin in extremos casus incideret. Quæ ipse reputans urbis quidem viribus evertit hostes, mansuetudine autem sua aliorum amicitiam comparavit, hoc judicans facinus majus et pulcrius quam multas urbes capere et sæpe pugna vincere. Adeo vero studuit ne qua urbs vel leviter suspicaretur sibi ab eo strui insidias, ut si forte præternavigaturus esset aliquam ex iis quæ tributum non penderent, mitteret qui magistratibus id nunciaret, ne forte coram portubus repente conspectus in tumultum et trepidationem eos conjiceret. Quod si ad aliquam regionem appulerat classem, non profecto sinebat milites rapere et furari domosque spoliare, sed tantam adhibebat curam ne quid horum fieret, quantam rerum domini: neque enim hoc mente spectabat, ut in his rerum articulis gratiam ipse iniret apud milites, sed ut urbs apud Græcos. Præterea captas bello urbes tam humaniter tractavit et juste quam nemo alius socias, putans, quod si talis erga eos cognosceretur qui contra se pugnassent, maximum præstiturus esset argumentum se nunquam in cæteros delinquere ausurum. Igitur propter opinionem ex his conflatam multæ urbes quæ vobis erant infensæ apertis eum portis exceperunt; in quibus nihil ipse perturbavit, sed ut eas constitutas ingrediens repererat, ita egrediens reliquit. Horum vero omnium caput est, quod quum solerent aliis temporibus multi et terribiles evenire in Græcia casus, sub ejus imperio nemo vel seditiones excitatas inveniat vel civilium constitutionum mutationes vel cædes vel exsilia vel quidvis aliud gravius, sed ita ejusmodi calamitates per ea tempora quieverunt, ut solus memoria nostra Timotheus inculpatam hanc urbem Græcis exhibuerit. Atqui oportet optimum censere ducem non si quis sola fortuna tale aliquid prospere fecerit quale Lysander, quod alii nemini contigerit: sed eum qui in multis variis atque asperis rebus recte et sapienter semper se gesserit, quod nimirum Timotheus præstitit.

26.* 7. Puto itaque ex vobis multos quæ dicta sunt mirari atque arbitrari illius laudes vituperationem esse civitatis, si hæc de eo qui tot urbes ceperit, nullam amiserit, tanquam de proditore judicium exercuit; rursusque si quum ille rationem administratæ reipublicæ reposceretur, quumque crimen in se recepissent de rebus quidem gestis Iphicrates, de pecuniæ vero ratione Menestheus, hos quidem absolverit, Timotheo autem tantam mulctam imposuerit quantam alii unquam nemini. Res nimirum ita se habet: volo enim verba et pro urbe facere. Si vos quidem id quod justum est spectantes hæc considerabitis, fieri non potest quin gravia et acerba omnibus videantur quæ in Timotheum facta sunt: sin reputaveritis ignorantiam qua omnes homines laboramus, invidiasque quæ nobis accidunt, motusque ac turbas quas inter vivimus, nihil horum sine causa aut alienum ab humana natura factum videbitur; immo et Timotheus partem aliquam contulisse ut ne recte judicaretur de his. Is enim, cum nec popularis regiminis neque hominum osor esset neque superbus neque ullo ejusmodi morbo laboraret, propter animi quandam excelsitatem utilem illam quidem imperatorio muneri, usibus vero quotidianis non opportunam, reus eorum quæ diximus omnibus visus est: tam enim erat ineptus ad colendos homines, quam ad res gerendas strenuus. Et tamen sæpe a me hujusmodi sermones audierat: oportere eos qui in rep. versantur et placere volunt, uti quidem factis utilissimis atque optimis sermonibusque verissimis atque æquissimis, sed tamen et illud curare ac spectare, ut venuste et benevole hæc omnia facere et dicere videantur; quod qui negligunt invisiores et graviores apud cives evadunt. Vides (aiebam) ut multorum natura ad voluptatem sit prona, utque magis idcirco ament qui ad gratiam loquuntur quam qui beneficia præstant, magisque eos qui cum festivitate et humanitate fucum faciunt quam qui cum fastu et severitate juvant. Quæ tibi nullatenus curæ sunt, sed si recte res extra domum gesseris, putas et hic degentes æquo in te animo futuros. Hoc vero non sic sed contra solet accidere. Nam si his placueris, quidquid faceris, non pro rei veritate de eo judicabunt, sed prout tibi conduxerit accipient, et errata quidem negligent, prospere autem gesta in cœlum tollent: nam benevolentia ita omnes comparat. Quam tu quidem urbi omnibus artibus studes ab aliis acquirere, judicans maximum esse bonum, tibi autem ipsi ab urbe non putas oportere eandem conciliare; quumque plurimorum bonorum causa fueris, pejus habes iis qui nihil memoratu dignum fecerunt. Merito: hi enim colunt rhetores atque eos qui in privatis conventibus rumores serere valent quique omnia se scire profitentur, tu vero potentissimos eorum non solum negligis, verum etiam oppugnas. Et tamen quot putas propter horum mendacia, alios quidem in calamitates incidisse, alios carere honoribus, [quot autem e veteribus nulla frui nominis celebritate,] qui cæteroqui præstantiores fuere et pluris faciendi quam ii qui hymnis et tragœdiis famigerantur? Sed hi videlicet poetas et fa-

bulatores consecuti sunt, illi autem neminem habuere qui se celebraret. Si mihi igitur parueris sapiensque fueris, non profecto hujusmodi homines spernes, quibus multitudo non in iis solum quæ ad unumquemque civem pertinent, sed in communibus reip. negotiis, fidem habet; atque in hos studium atque observantiam quandam præ te feres, ut bona utrinque utaris fama, ex tuis scilicet gestis et ex horum oratione. Hæc ille audiens recte quidem me loqui dicebat, neque tamen mutare naturam poterat; sed strenuus utique et fortis vir erat atque hac urbe et Græcia dignus, at non accommodatus huic generi hominum, qui se præstantioribus succensent. Itaque rhetores quidem in configendis multis et falsis adversus eum criminibus occupabantur, populus vero in excipiendo quæ ab illis dicerentur. Ad quæ libenter apologiam adornarem, si tempus suppeteret: existimo enim vos audientes odio inflammatum iri in eos qui urbis invidiam contra Timotheum excitarunt quique contumeliosum aliquid adversus eum dicere audent.

26.* 8. Nunc autem hæc omittam, de me autem et de præsenti negotio iterum verba faciam. Jam vero ambigo quomodo reliqua persequar, quidve primum memorem quid posterius: nam ab ordinate dicendo jam excidi. Forte ergo necessarium est, ut se quidque obtulerit, ita de eo dicere: quod igitur mihi nunc in mentem venit, quodque ego sane aperiendum censebam, alius vero quidam absterrebat ne dicerem, non celabo vos. Postquam enim Lysimachus hanc dicam impegit, cœpi considerare hæc ipsa scilicet, ut vestrum unusquisque; vitamque meam et gesta perpendi, plurimumque tempus in iis versandis trivi ex quibus laudem mihi deberi putabam. Id intelligens quidam e necessariis meis sermonem omnium abjectissimum apud me ordiri ausus est: æmulatione quidem digna esse quæ ego dicerem, se tamen vereri, ne multis audientium ingrata forent. Ita enim aiebat nonnulli invidia et egestatibus efferantur atque hostili animo sunt, ut non vitiis sed diligenti vitæ adversentur, oderintque non solum justissimos hominum, sed etiam studiorum optima; ac præter cætera mala impiis quidem faveant atque indulgentes se præbeant, quibus autem invident, hos siquidem possint evertant. Atque hæc facientes non ignorant profecto pro quibus suffragium ferant, sed nocere quidem sperant, revelatum autem iri non exspectant: dum igitur sui similes servant, sibi ipsis patrocinari arbitrantur. Hæc eo exposui, ut meliore consilio te geras utque tutioribus sermonibus apud eos utaris: quanam enim mente exspectandum est hos esse futuros, cum et vitam tuam et tua gesta

recensebis factis eorum nullo modo consentanea, sed qualia apud me recitas? Ostendis quippe et orationes quas scripsisti non vituperatione sed gratia maxima esse dignas, eorumque qui tua familiaritate sunt usi alios quidem nullius vel injuriæ vel peccati reos, alios vero propter virtutem a civitate coronatos; tuam porro vitam quotidianam ita modestam ac compositam qualem haud scio an alius quisquam e civibus degat; præterea neque litem te alicui intulisse neque passum esse excepta hac de permutatione, neque aliis ad id fuisse patronum neque testimonium dixisse, neque aliud quidvis eorum fecisse, in quibus cives omnes versantur. Præter hæc tam tui propria et eximia illud quoque dicis, te a magistratibus et quæ hinc oriuntur emolumentis atque ab omni publica re abstinuisse; inter mille et ducentos autem qui tributum militare conferunt et munera obeunt non te ipsum solum exhibere, sed etiam filium, terque jam trierarchia functi estis, cætera vero ministeria sumptuosius gessistis et pulcrius quam leges jubent. Hæc si audiant ii qui his contraria fecerunt, nonne censes graviter laturos et suam vitam non sane probam reprehendi putaturos? Nam si cernerent te ægre et cum incommodo publicis muneribus et reliquæ administrationi reip. hæc suppeditare, non hoc illis adeo curæ esset: nunc autem putant multo majores opes te ab extraneis accepisse quam contuleris, teque otiosius vivere credunt non cæteris solum, sed etiis qui philosophiæ et iisdem ac tu studiis vacant. Vident enim plurimos eorum, iis exceptis qui tuum vitæ genus institutumque præoptarunt, in publicis et privatis conventibus ostentationis causa dicere, inter se certare acerrime, polliceri, contendere, conviciari, nihil ab improbis differre, sed mutuo sibi negotium facessere; audientibus vero potestatem tribuere, aliis quidem dicta irridendi, aliis laudandi, plurimis aversandi, aliis prout voluerint de se sentiendi: te vero nihil habere cum his commune, sed tum sophistarum tum idiotarum, tum ditium tum pauperum, dissimilem vivere. Quas ob res te fortasse laudabunt qui ratione uti possunt et aliquid sapiunt, qui vero deteriore conditione sunt magisque aliorum virtutibus quam suis miseriis angi solent, fieri non potest quominus tibi subirascantur ægroque animo id ferant.

bulatores consecuti sunt, illi autem neminem habuere qui se celebraret. Si mihi igitur parueris sapiensque fueris, non profecto hujusmodi homines spernes, quibus multitudo non in iis solum quæ ad unumquemque civem pertinent, sed in communibus reip. negotiis, fidem habet; atque in hos studium atque observantiam quandam præ te feres, ut bona utrinque utaris fama, ex tuis scilicet gestis et ex horum oratione. Hæc ille audiens recte quidem me loqui dicebat, neque tamen mutare naturam poterat; sed strenuus utique et fortis vir erat atque hac urbe et Græcia dignus, at non accommodatus huic generi hominum, qui se præstantioribus succensent. Itaque rhetores quidem in configendis multis et falsis adversus eum criminibus occupabantur, populus vero in excipiendo quæ ab illis dicerentur. Ad quæ libenter apologiam adornarem, si tempus suppeteret: existimo enim vos audientes odio inflammatum iri in eos qui urbis invidiam contra Timotheum excitarunt quique contumeliosum aliquid adversus eum dicere audent.

26.* 8. Nunc autem hæc omittam, de me autem et de præsenti negotio iterum verba faciam. Jam vero ambigo quomodo reliqua persequar, quidve primum memorem quid posterius: nam ab ordinate dicendo jam excidi. Forte ergo necessarium est, ut se quidque obtulerit, ita de eo dicere: quod igitur mihi nunc in mentem venit, quodque ego sane aperiendum censebam, alius vero quidam absterrebat ne dicerem, non celabo vos. Postquam enim Lysimachus hanc dicam impegit, cœpi considerare hæc ipsa scilicet, ut vestrum unusquisque; vitamque meam et gesta perpendi, plurimumque tempus in iis versandis trivi ex quibus laudem mihi deberi putabam. Id intelligens quidam e necessariis meis sermonem omnium abjectissimum apud me ordiri ausus est: æmulatione quidem digna esse quæ ego dicerem, se tamen vereri, ne multis audientium ingrata forent. Ita enim aiebat nonnulli invidia et egestatibus efferantur atque hostili animo sunt, ut non vitiis sed diligenti vitæ adversentur, oderintque non solum justissimos hominum, sed etiam studiorum optima; ac præter cætera mala impiis quidem faveant atque indulgentes se præbeant, quibus autem invident, hos siquidem possint evertant. Atque hæc facientes non ignorant profecto pro quibus suffragium ferant, sed nocere quidem sperant, revelatum autem iri non exspectant: dum igitur sui similes servant, sibi ipsis patrocinari arbitrantur. Hæc eo exposui, ut meliore consilio te geras utque tutioribus sermonibus apud eos utaris: quanam enim mente exspectandum est hos esse futuros, cum et vitam tuam et tua gesta recensebis factis eorum nullo modo consentanea, sed qualia apud me recitas? Ostendis quippe et orationes quas scripsisti non vituperatione sed gratia maxima esse dignas, eorumque qui tua familiaritate sunt usi alios quidem nullius vel injuriæ vel peccati reos, alios vero propter virtutem a civitate coronatos; tuam porro vitam quotidianam ita modestam ac compositam qualem haud scio an alius quisquam e civibus degat; præterea neque litem te alicui intulisse neque passum esse excepta hac de permutatione, neque aliis ad id fuisse patronum neque testimonium dixisse, neque aliud quidvis eorum fecisse, in quibus cives omnes versantur. Præter hæc tam tui propria et eximia illud quoque dicis, te a magistratibus et quæ hinc oriuntur emolumentis atque ab omni publica re abstinuisse; inter mille et ducentos autem qui tributum militare conferunt et munera obeunt non te ipsum solum exhibere, sed etiam filium, terque jam trierarchia functi estis, cætera vero ministeria sumptuosius gessistis et pulcrius quam leges jubent. Hæc si audiant ii qui his contraria fecerunt, nonne censes graviter laturos et suam vitam non sane probam reprehendi putaturos? Nam si cernerent te ægre et cum incommodo publicis muneribus et reliquæ administrationi reip. hæc suppeditare, non hoc illis adeo curæ esset: nunc autem putant multo majores opes te ab extraneis accepisse quam contuleris, teque otiosius vivere credunt non cæteris solum, sed etiis qui philosophiæ et iisdem ac tu studiis vacant. Vident enim plurimos eorum, iis exceptis qui tuum vitæ genus institutumque præoptarunt, in publicis et privatis conventibus ostentationis causa dicere, inter se certare acerrime, polliceri, contendere, conviciari, nihil ab improbis differre, sed mutuo sibi negotium facessere; audientibus vero potestatem tribuere, aliis quidem dicta irridendi, aliis laudandi, plurimis aversandi, aliis prout voluerint de se sentiendi: te vero nihil habere cum his commune, sed tum sophistarum tum idiotarum, tum ditium tum pauperum, dissimilem vivere. Quas ob res te fortasse laudabunt qui ratione uti possunt et aliquid sapiunt, qui vero deteriore conditione sunt magisque aliorum virtutibus quam suis miseriis angi solent, fieri non potest quominus tibi subirascantur ægroque animo id ferant.

Tanquam igitur istis sic afficiendis, considera quid tibi dicendum sit, quid prætermittendum. Ego vero et dum ille hæc diceret et nunc etiam omnium hominum absurdissimos et abjectissimos judico, qui ægre hoc audiant, quod me utique ministrantem urbi exhibeam et imperata facientem, non tamen velim vel magistratus sortiri, vel accipere quæ aliis urbs tribuit, vel pati lites vel inferre. Sic enim constitui non divitiarum vel superbiæ causa, neque contemnens eorum vitæ rationem qui aliter ac ego vivunt, sed quietis et otii gratia; præsertim quum viderem hujusmodi homines et apud vos et apud cæteros optima frui opinione, dulcioremque hanc vitam judicarem quam plura negotia tractantium, nec non studiis meis, quæ ab initio suscepi, convenientiorem. Has enim ob causas ita vivere institui: a stipendiis autem qui ex urbe percipiuntur abstinui, grave existimans, si quum ex propriis me alere possem, eos impedirem qui vivere hinc coguntur quominus reditus ex urbe caperent, meique interventus gratia careret aliquis victu necessario. Propter quæ laudem potius consequi debuissem, quam criminationem. Nunc vero vehementer ambigo quonam facto placere his possim. Si enim omni tempore studens ne quem injuria vel incommodo vel molestia afficerem, ob hoc tamen ipsum alicui sum molestus, qua demum opera gratificer? quidve reliquum est nisi ut ego quidem votorum meorum sim impos, hi vero inurbani videantur et iniquo animo affecti erga suos cives?

26.* 9. Et apud eos quidem qui nulla in re cum aliorum sententia consentiunt, sed asperiores sunt in eos qui non male habent quam in improbos, apologiam quærere stultum est; nam, ut patet, quo se quisque integriorem ostendet, eo deterius apud illos causam dicet: jam apud cæteros, de eo quod Lysimachus calumniatus est, me nempe quamplurimas acquisivisse facultates, necesse est dicere, ne pro vero habitus sermo in ministeria me conjiciat graviora ac plura quam ferre possim. Omnino nullus reperietur sophista qui multas divitias collegerit, sed alii quidem tenuiter, alii moderate vitam traduxerunt: qui vero plurimas omnium memoria nostra acquisivit, Gorgias Leontinus is fuit: hic quum apud Thessalos, qui tum beatissimi Græcorum erant, sit commoratus, diuturnoque tempore et vixerit et hujusmodi lucris studuerit, nullam urbem firmiter habitaverit, nihil in publicam rem erogaverit neque militare tributum conferre coactus sit, ad hæc neque uxorem duxerit neque liberos procrearit, atque immunis etiam ab hoc assiduo et sumptuosissimo ministerio fuerit; hic, inquam, tantis opportunitatibus instructus ad ditescendum præ aliis mille tantum stateres reliquit. Atqui, quod attinet ad alienas facultates, non est temere credendum accusatoribus, neque putandum par esse lucrum sophistarum et histrionum; sed qui eandem exercent artem, de iis ex mutua comparatione judicium fiat, et qui parem in arte vim habent, consimili quoque peculio instructi putentur. Si vos igitur æquabitis me vel ei qui plurima lucratus est meque eodem quo illum loco collocabitis, neque vos omnino inconsiderate de his conjicere videbimini, neque nos deprehendemur sive ea quæ ad urbem spectant sive quæ ad nos ipsos male procurasse; sed paucioribus impensis vitam tolerasse, quam quas in publica ministeria fecimus. Jam qui parciores sunt in privatis quam in publicis, jure ac merito laudandi sunt.

26.* 10. Hæc dum loquor subit animum cogitatio, quam urbis status deterior sit factus, quamque hodierni cives a prioribus mente ac judicio differant. Nam cum ego puer eram, tutum adeo atque honorificum putabatur ditem esse, ut tantum non cuncti simularent se majores veris facultates habere, quippe qui vellent in hujus gloriæ partem venire: nunc autem quod dites non simus apologia probandum est, ac porro videndum si qua ratione salvi esse possimus. Nam periculosius est videri divites quam aperte maleficos: hi enim vel consequuntur veniam vel leviter mulctantur, illi funditus pereunt; ac plures reperiemus a suis facultatibus excidisse, quam improbos pœnas dedisse. Sed quid opus est de publicis dicere? Ego ipse enim non parum in meis studiis falsus sum propter hanc opinionem conversionem. Cum enim ego cœpi rebus meis mederi, amissis in bello contra Lacedæmonios cunctis facultatibus meis, ex quibus pater tum urbi se utilem exhibuerat, tum nos ita studiose educaverat ut ego tunc clarior et notior inter æquales et condiscipulos essem quam nunc inter cives; cum igitur, inquam, cœpi aliquorum esse magister, putabam, si possem plura mihi vindicare atque asserere quam artis socii, utrumque de me existimatum iri, et sapientia nimirum excellere et honestius vixisse cæteris. At plane contrarium mihi contigit. Si enim homo ineptus evasissem nec quicquam acquisivissem, nemo mihi molestiam exhibuisset, sed etiamsi aperte fuissem improbus, a sycophantis certe securus vixissem: nunc vero pro gloria quam exspectabam, lites et pericula et invidiæ et criminationes contigerunt. Hoc enim nunc civitas gaudet, bonos nimirum affligere atque deprimere, improbis autem dare copiam dicendi agendique quidquid libuerit, ita ut etiam Lysimachus, qui statuit e sycophantia vivere semperque aliquem civem vexare, ad me accusandum in concionem adscenderit; ego autem qui in neminem unquam peccavi atque a stipendiis in patria percipiendis abstinui, ab extraneis vero qui se beneficiis a me affectos putabant emolumenta comparavi, quasi impia fecerim in hoc discrimen conjectus sum. Atqui par est eos qui sapiunt orare Deos ut quamplurimis civibus hæc insit facultas, ob quam muneribus ab extraneis ditati utiles se, uti ego, civitati essent præstituri. Jam quum multa

adversus me absurda commissa sint, indignissimum omnium accideret, si ii qui mihi divitias dederunt, tantam habeant mihi gratiam, ut etiam nunc me colant: vos autem, in quos mea absumpsi, pœnas cupiatis de me sumere. Immo adhuc indignius videretur, si Pindarum poetam majores nostri ob unam vocem, quod scilicet hanc urbem PROPUGNACULUM GRÆCIÆ nominavit, ita honorarint ut eum et proxenum fecerint et decem millibus drachmarum donarint; mihi autem, qui sæpius et pulcrius urbem ac majores nostros laudavi, ne tute quidem vivere liceat quod vitæ superest. Contra has igitur et cæteras accusationes sufficientem esse puto quæ dicta est defensionem.

26.* 11. Ac ne illud quidem gravabor coram vobis veraciter aperire, quomodo scilicet in præsenti periculo sim affectus, et quid antea de eo senserim. Ego pro me ipso magnas spes gerebam feliciter me causam dicturum; nam vitæ meæ gestisque confidebam multaque et justa putabam posse me pro his dicere: cum autem vidi male affectos erga eloquentiæ disciplinam non eos solum qui solent omnibus esse infensi, verum etiam ex aliis civibus complures in eam exasperatos, timebam ne privata quidem mea causa negligeretur, ex generali autem accusatione quæ in sophistas fit indignum aliquid paterer. Sed enim quum progrediente tempore cœpissem reputare et dispicere quid præsenti negotio conferret, timorem eum ac trepidationem dimisi; neque id temere, sed ex justis momentis ratiocinans ac consolans me ipsum; nam viros æquos ex vobis, apud quos ego loquerer, sciebam non manere in opinionibus injuste susceptis, sed veritatem sequi atque a justa dicentibus de sententia deduci; tum philosophiam existimabam pluribus argumentis probare me posse injuria vituperari, multoque potiore jure eam diligi quam odio haberi. Atque in hac sane sententia adhuc maneo. Neque porro mirandum est si qua optima studia ignorari ac latere contingat, neque si nonnulli falsam de iis opinionem contraxerint: nam paria erga nos ipsos et erga alia innumera nos pati deprehendemur. Urbs quippe nostra quæ multorum bonorum et nunc est et olim fuit causa civibus suis cæterisque Græcis, multisque commoditatibus abundat, hoc habet incommodissimum, quod propter amplitudinem atque incolarum multitudinem non adeo oculato utitur accuratoque judicio, sed torrentis more, ut quodque corripuerit sive homines sive res, sic trahit in præceps, et contrariam debitæ opinionem quibusdam affingit; quod huic quoque contigit disciplinæ. Quæ vos reputantes par est nulla de re sine ratione sententiam ferre, neque sic animo comparatos esse cum jus dicitis ut in privatis disputationibus, sed unamquamque rem diligenter perpendere veritatemque indagare, jurisjurandi memores atque legum, secundum quas convenistis judicaturi. Est autem non de parvis causa et judicium in quo versamur, sed de maximis: non enim de me tantummodo laturi estis suffragium, sed et de ea professione cui multi ex adolescentibus student. Arbitror vos non ignorare urbis negotia seniores his succedentibus juvenibus tradituros. Quum hic orbis sit perpetuus, necessario futurum est, ut quo modo adolescentes instituti fuerint, eodem se urbs habeat: quare non est committendum ut syncophantæ in hoc tam gravi negotio prævaleant, neque ii qui illis pecuniam non dederunt puniendi, neque iis contra qui sycophantas muneribus corruperunt ut suo arbitrio vivant permittendum: sed si philosophia quidem hanc habet vim ut adolescentes corrumpat, non eum solum punire oportet quem aliquis sycophanta detulerit, sed omnes ejus sectæ homines exterminare; sin ea contra ita comparata est ut juvet melioresque ac laudabiliores efficiat sectatores suos, ii quidem qui eam calumniantur reprimendi sunt, sycophantæ infamandi, adolescentibus autem consilium dandum ut hoc potius quam aliud vitæ genus amplectantur.

26.* 12. Ac multo mallem, si quidem in fatis erat me hanc subire criminationem, adolescenti mihi hoc accidisset periculum; neque enim animo concidissem, sed et adversarium repulissem et philosophiam defendissem validius: nunc autem vereor, ne quum hujus ope pro aliis rebus recte dixerim, pro hac ipsa deterius disseram quam pro iis quarum me minorem decebat curam gerere. Et contentus profecto essem — dicam enim vere etsi vanus est sermo — jam vitam finire, ubi pro dignitate argumenti dixissem vobisque persuasissem ut tales existimaretis literarum disciplinas quales revera sunt, potius quam vivere multo diuturniore tempore, videns eam ut nunc tali apud vos fortuna utentem. Ac sentio sane me multo abjectius quam cupio de ea dicturum: tamen pro viribus conabor exponere et ejus naturam et vim qua pollet, et cuinam alii arti sit specie similis, in quo sui asseclas juvet, quæque nos spondeamus; puto enim vos, quod verum est cognito, melius de illa et consulturos et judicaturos. Obsecro autem vos si forte videbor uti sermonibus longe aliis ab iis qui apud vos dici solent, ne ægre feratis, sed vosmet indulgentes præbeatis, reputantes eos, qui de rebus diversis a cæteris disputant, opus esse hujusmodi quoque oratione de iis uti. Postquam igitur sustinueritis genus et libertatem eorum quæ a me dicentur, meque siveritis concessum defensionibus tempus implere, uti vestrum unicuique videbitur justum et legitimum, sic ferte suffragium.

26.* 13. Volo autem de oratoria institutione, more eorum qui genealogias recensent, apud vos primum disserere. Ac in confesso est quidem naturam nostram corpore constare et anima; horum autem nemo est qui præcipuam non dicat animam plurisque faciendam: hujus enim est deliberare et privata et publica, corporis

autem exsequi quæ ab anima decreta sunt. Quæ quum ita se habeant, videntes quidam qui multo ante nos exstiterunt, ad cæteras quidem res artes esse plures adornatas, ad corpus vero et animam nihil hujusmodi excogitatum, invenientes duplices disciplinas, eas nobis reliquerunt: ad corpora quidem pædotribicam, cujus pars quædam est gymnastica; ad animas autem philosophiam, de qua ego verba facturus sum, quæ disciplinæ sunt sibi invicem respondentes et connexæ et consentientes, et quibus earundem doctores tum animas prudentiores tum corpora utiliora reddunt; neque hi valde a se mutuo institutiones dissociant, sed affinibus utuntur et doctrinis et exercitiis et cæteris eruditionibus. Ubi enim receperunt discipulos, pædotribæ quidem schemata quæ sunt excogitata ad palæstram alumnos docent, philosophi autem formas quibus sermo utitur discentibus tradunt. Ubi vero horum rudimentorum peritos effecerint accurateque in his formarint, iterum exercent eos, atque ad agendum assuefaciunt, et connectere inter se singula quæ didicerint cogunt, ut hæc firmius retineant et propius ad opportune agendum sententiis accedant. Nam vis opportune agendi comprehendi scientia nequaquam potest; illa enim vis ad quasvis occasiones præceptis caret: qui autem plurimum in eam incumbunt atque eventus mente complecti possunt, multo sæpissime rem tenent. Hoc igitur modo curaque erudientes possunt quidem utrique magistri usque eo promovere discipulos, ut hi incrementum doctrinæ capiant melioribusque polleant alii mentibus alii corporibus; neutri tamen eam artem habent, qua illi quidem athletas, hi rhetores perfectos quos vellent efficiant, sed aliquam quidem conferunt partem, at facultates ipsæ omnino iis contingunt qui ingenio et diligentia præcellunt. Atque imago quædam philosophiæ hæc ferme est.

26.* 14. Puto autem vos magis adhuc ejus vim cognituros, si recenseam cujusmodi pollicitationes iis faciamus qui ad nos accedere volunt. Dicimus enim oportere eos, qui in dicendo aut agendo aut quavis alia disciplina futuri sunt excellentes, primum quidem ad hoc præclare a natura comparatos esse, quod profitendum elegerint, secundo institui atque ea præcepta accipere quæ de unaquaque disciplina exstant, tertio peritos fieri atque in usu eorumque exercitatione versari: his enim in qualibet arte perfectos et valde præstantes creari. Ex his tribus utrosque oportere, docentes scilicet et discentes, propriam symbolam conferre, hos quidem idoneum ingenium, illos vero vim qua docere valeant, communem vero utrisque exercitationem ad praxim: opus est enim illos quidem studiose præcipere discentibus, hos autem firmiter hærere imperatis. Hæc igitur sunt quæ de omnibus artibus pronunciamus: si quis autem prætermissis cæteris me rogaret quid maxime conducat oratoriæ institutioni, responderem naturam præcipuam esse multumque cætera

excedere; is enim qui habeat mentem inveniendo, discendo, laborando, memoria tenendo aptam, vocem præterea et os adeo purgatum ut non oratione tantum sed ejusdem venustate persuadere auditoribus possit, ad hæc confidentiam non eam quidem quæ impudentiæ argumentum est, sed quæ non sine modestia ita animum afficit ut nihilominus audeat sive hic in conventu civium verba faciat sive apud se commentetur, quis non videt, etiamsi is non exquisitissimam institutionem sortitus sit, sed vulgarem et cunctis communem, tamen rhetorem talem futurum qualis haud scio an aliquis Græcorum exstiterit? Sed et illos scimus qui deteriore quidem ingenio erant præditi, studiis tamen et exercitationibus fuere dediti, non se ipsos solum superasse, verum etiam ingeniosos qui animi cultum valde neglexissent: quare horum alterutrum facere potest et ad dicendum et ad agendum valentem, utrumque autem si in eodem sit, eum præstantissimum inter cæteros reddet. De ingenio igitur et de exercitatione hæc sentio: de institutione autem per præcepta idem dicere nequeo, nec ea similem aut proximam his habet vim. Si quis enim didicerit cunctas leges orationis seque iis accuratissime omnium imbuerit, orationum quidem scriptor plerisque concinnior fortasse erit; quum vero ad populum accesserit, si una confidentia careat, nihil dicere queat.

26.* 15. Neque porro aliquis putet me apud vos quidem minuere pollicitationes, cum autem coram iis loquor qui ad me convenire decreverunt, omnem mihi vim tribuere: cavens enim hujusmodi accusationes cum hanc facultatem tractare cœpi, scriptam orationem edidi, in qua comperiar et eos qui grandiora faciunt promissa increpare et meam sententiam aperire. Quæ igitur in aliis arguo prætermittam; nam prolixiora sunt quam præsens tempus patitur: quid vero ipse declarem aggrediar vobis recitare. Ordior autem hinc:

EX ORATIONE CONTRA SOPHISTAS.

Quod si non tantum alii accusandi sunt, sed mea quoque sententia explicanda est

* * * * * *

prout quidquam ex his desiderabitur, necesse erit et ab ea parte discipulos esse deteriores.

Hæc concinnius sunt dicta quam quæ antea recitata fuere: volo autem per hæc illud declarare, quod vobis maximum argumentum esse debet æquitatis meæ; neque enim quum essem junior, jactator fuisse videbor et grandium promissor; postquam autem re sum fruitus seniorque factus, jam elevare loquendo philosophiam, sed eodem sermone usus et quum essem adolescens et cum illam dimitto, et incolumis et in discrimine constitutus, et apud discipulos et apud eos qui de me sententiam laturi sunt; quare haud scio qua ratione aliquis veracior aut justior erga illam fuisse ostendi possit. Hæc igitur iis adjiciantur quæ prius de nobis dicta sunt.

26.* 16. Non sum autem nescius, nondum ea quæ dixi movere inimicos posse de suscepta sententia, sed multa adhuc opus esse variaque oratione, ut aliam ab ea quam nunc gerunt mentem induant. Porro oportet ne nos quidem priores a docendo disserendoque deficere; ex quo alterutrum [consequemur] ut vel eorum mentes immutemus, vel contumelias saltem et criminationes quas nunc in nos conjiciunt mendaces coarguamus. Est autem duplex vituperatio. Aiunt enim nugas esse et ludificationem sophistarum scholam: nullam quippe esse institutionem, ex qua quis aut ad dicendum vehementior aut ad res gerendas prudentior evadat; verum qui ad hæc natura paratiores sunt, eos nimirum cæteris antecellere. Alii autem efficaciores quidem pronunciant eos qui in hac disciplina versantur, sed enim corrumpi ac improbiores fieri: ubi enim artem consecuti sunt, alienis insidiari. Quod igitur neutri horum quidquam sanum aut verum dicant, vehementer spero me omnibus ostensurum. Ac primum quidem considerate, qui aiunt nugas esse literariam institutionem, eos omnino ipsos aperte nugari. Traducunt enim illam quasi nihil prodesse queat, sed deceptio ac ludificatio sit; vellent autem discipulos nostros, statim ac ad nos accesserint, differre jam a se ipsis, paucisque diebus contritis sapientiores in dicendo et superiores videri iis a quibus ætate et exercitatione vincuntur, anno autem uno apud me exacto rhetores omnes esse bonos immo perfectos nec ineptiores ignavos laboriosis aut humilis ingenii iis qui generosos animos sortiti sunt. Atque hæc exigunt quum neque me unquam audiverint talia spondentem, neque in aliis artibus et disciplinis simile quid contingere viderint, immo quum omnes cognitiones labore acquiri soleant, neque cuncti qui eas discimus æque in iis proficiamus, sed duo aut tres ex omnibus ludis pugiles evadant, reliqui autem ignobiles abeant. Verum enimvero quis non stultos judicet eos qui illam vim, quæ cæteris haud dubiis artibus non insit, ab hac exigere audent quam nullam artem esse dicunt, quique ab ea quam ipsi exsistere negant plures utilitates requirunt quam ab iis quæ certo inventæ esse videntur? Oportet autem cordatos homines non inæqualiter judicare de similibus rebus, neque improbare disciplinam hanc quæ idem ac plurimæ aliæ artes efficit. Quis enim vestrum nescit multos a sophistis neque illusos esse neque ita affectos ut isti aiunt, sed alios quidem bonos causidicos effectos, alios ad docendum idoneos; qui vero ex his vitam privatam prætulerunt, tum in congressibus elegantiores esse quam antea fuerant, tum sermonum judices ac consiliarios oculatiores quam alii plurimi? Qui ergo contemnere hanc disciplinam liceat, quæ se utentes tales reddere possit? Jam et hoc cuncti fatebuntur, nos illos absolutissimos in quavis arte atque opificio judicare, qui discipulos quam fieri potest simillimos inter se artifices effecerint. Atqui

philosophiæ hoc ipsum quoque contigisse apparebit. Quotquot enim magistrum nacti sunt non fucatum sed vere sapientem, tam simili orationis genere utuntur ut omnibus pateat eos ejusdem institutionis fuisse participes. Et tamen, si nulla communis iis intercessisset consuetudo nullaque artis conversatio, fieri non poterat ut in tanta similitudine constituerentur. Præterea nemo vestrum plures e simul educatis nominare non potest, qui pueri quidem rudiores erant condiscipulis, grandiores autem facti longo intervallo superarunt prudentia eloquentiaque eos ipsos quibus pueri erant inferiores. Unde quivis cognoscere queat, disciplina quantam vim habeat: patet enim cunctos ea tunc usos mentis facultate quam a natura habuissent; viri autem facti adeo alteri visi sunt præstare alteris ac commutasse inter se ingenium, eo quod hi solute et ignave viverent, illi rebus gerendis et sibi ipsis excolendis vacarent. Quod si nonnulli propria tantum industria meliores fiunt, quid ni assumpto præside et seniore multarumque rerum perito, quique alia quidem ab aliis acceperit, alia ipse excogitarit, quid ni inquam multo magis et suam facultatem augeant et inter cæteros præstent? Sed non ob hæc solum, verum etiam ob reliqua argumenta, merito omnes mirentur eorum inscitiam qui tam temere philosophiam spernere audent: primum quidem si quum videant omnia opificia atque artes commentatione ac sedulitate acquiri, ad ingenium excolendum nihil hanc curam valere putant; deinde si corporum quidem nullum adeo ineptum esse dicant, quod exercitio et labore non fiat melius, animas vero natura corporibus nobiliores nihilo existiment præstantiores fieri institutione curaque opportuna; præterea si ad equos quidem et canes et plurimas bestias artes tenere quosdam videant, quibus alias animosiores, alias mitiores, alias intelligentiores efficiunt, ad hominum vero naturam putent inventam hujusmodi nullam institutionem, quæ ipsos ad aliqua ex his, ad quæ etiam belluas, ducere valeat, sed tantam esse omnium nostrum infelicitatem pronuncient, ut fateantur quidem nostri ingenii vi unamquamque rem fieri meliorem atque utiliorem, nos vero ipsos qui hac pollemus intelligentia qua omnia facimus præstantiora, dicere audeant nihil mutuo juvare posse ad vitæ bonitatem. Omnium autem gravissimum est, si singulis annis contuentes in spectaculis leones mansuetiores erga suos curatores quam quosdam homines erga suos benefactores, ursasque sese versantes luctantesque ac nostras artes imitantes, ne hinc quidem cognoscere valeant quantam institutio et cura vim habeant, quamque eæ celerius nostræ naturæ quam belluarum prodesse queant: itaque potiore ne jure miretur quis mansuetudinem ferocissimis belluis inductam, an feritatem quæ animis istiusmodi hominum inest? Equidem longe plura de his dici possent: sed si nimis multa de iis disseram quæ apud plurimos certa

26.* 16. Non sum autem nescius, nondum ea quæ dixi movere inimicos posse de suscepta sententia, sed multa adhuc opus esse variaque oratione, ut aliam ab ea quam nunc gerunt mentem induant. Porro oportet ne nos quidem priores a docendo disserendoque deficere; ex quo alterutrum [consequemur] ut vel eorum mentes immutemus, vel contumelias saltem et criminationes quas nunc in nos conjiciunt mendaces coarguamus. Est autem duplex vituperatio. Aiunt enim nugas esse et ludificationem sophistarum scholam: nullam quippe esse institutionem, ex qua quis aut ad dicendum vehementior aut ad res gerendas prudentior evadat; verum qui ad hæc natura paratiores sunt, eos nimirum cæteris antecellere. Alii autem efficaciores quidem pronunciant eos qui in hac disciplina versantur, sed enim corrumpi ac improbiores fieri: ubi enim artem consecuti sunt, alienis insidiari. Quod igitur neutri horum quidquam sanum aut verum dicant, vehementer spero me omnibus ostensurum. Ac primum quidem considerate, qui aiunt nugas esse literariam institutionem, eos omnino ipsos aperte nugari. Traducunt enim illam quasi nihil prodesse queat, sed deceptio ac ludificatio sit; vellent autem discipulos nostros, statim ac ad nos accesserint, differre jam a se ipsis, paucisque diebus contritis sapientiores in dicendo et superiores videri iis a quibus ætate et exercitatione vincuntur, anno autem uno apud me exacto rhetores omnes esse bonos immo perfectos nec ineptiores ignavos laboriosis aut humilis ingenii iis qui generosos animos sortiti sunt. Atque hæc exigunt quum neque me unquam audiverint talia spondentem, neque in aliis artibus et disciplinis simile quid contingere viderint, immo quum omnes cognitiones labore acquiri soleant, neque cuncti qui eas discimus æque in iis proficiamus, sed duo aut tres ex omnibus ludis pugiles evadant, reliqui autem ignobiles abeant. Verum enimvero quis non stultos judicet eos qui illam vim, quæ cæteris haud dubiis artibus non insit, ab hac exigere audent quam nullam artem esse dicunt, quique ab ea quam ipsi exsistere negant plures utilitates requirunt quam ab iis quæ certo inventæ esse videntur? Oportet autem cordatos homines non inæqualiter judicare de similibus rebus, neque improbare disciplinam hanc quæ idem ac plurimæ aliæ artes efficit. Quis enim vestrum nescit multos a sophistis neque illusos esse neque ita affectos ut isti aiunt, sed alios quidem bonos causidicos effectos, alios ad docendum idoneos; qui vero ex his vitam privatam prætulerunt, tum in congressibus elegantiores esse quam antea fuerant, tum sermonum judices ac consiliarios oculatiores quam alii plurimi? Qui ergo contemnere hanc disciplinam liceat, quæ se utentes tales reddere possit? Jam et hoc cuncti fatebuntur, nos illos absolutissimos in quavis arte atque opificio judicare, qui discipulos quam fieri potest simillimos inter se artifices effecerint. Atqui

philosophiæ hoc ipsum quoque contigisse apparebit. Quotquot enim magistrum nacti sunt non fucatum sed vere sapientem, tam simili orationis genere utuntur ut omnibus pateat eos ejusdem institutionis fuisse participes. Et tamen, si nulla communis iis intercessisset consuetudo nullaque artis conversatio, fieri non poterat ut in tanta similitudine constituerentur. Præterea nemo vestrum plures e simul educatis nominare non potest, qui pueri quidem rudiores erant condiscipulis, grandiores autem facti longo intervallo superarunt prudentia eloquentiaque eos ipsos quibus pueri erant inferiores. Unde quivis cognoscere queat, disciplina quantam vim habeat: patet enim cunctos ea tunc usos mentis facultate quam a natura habuissent; viri autem facti adeo alteri visi sunt præstare alteris ac commutasse inter se ingenium, eo quod hi solute et ignave viverent, illi rebus gerendis et sibi ipsis excolendis vacarent. Quod si nonnulli propria tantum industria meliores fiunt, quid ni assumpto præside et seniore multarumque rerum perito, quique alia quidem ab aliis acceperit, alia ipse excogitarit, quid ni inquam multo magis et suam facultatem augeant et inter cæteros præstent? Sed non ob hæc solum, verum etiam ob reliqua argumenta, merito omnes mirentur eorum inscitiam qui tam temere philosophiam spernere audent: primum quidem si quum videant omnia opificia atque artes commentatione ac sedulitate acquiri, ad ingenium excolendum nihil hanc curam valere putant; deinde si corporum quidem nullum adeo ineptum esse dicant, quod exercitio et labore non fiat melius, animas vero natura corporibus nobiliores nihilo existiment præstantiores fieri institutione curaque opportuna; præterea si ad equos quidem et canes et plurimas bestias artes tenere quosdam videant, quibus alias animosiores, alias mitiores, alias intelligentiores efficiunt, ad hominum vero naturam putent inventam hujusmodi nullam institutionem, quæ ipsos ad aliqua ex his, ad quæ etiam belluas, ducere valeat, sed tantam esse omnium nostrum infelicitatem pronuncient, ut fateantur quidem nostri ingenii vi unamquamque rem fieri meliorem atque utiliorem, nos vero ipsos qui hac pollemus intelligentia qua omnia facimus præstantiora, dicere audeant nihil mutuo juvare posse ad vitæ bonitatem. Omnium autem gravissimum est, si singulis annis contuentes in spectaculis leones mansuetiores erga suos curatores quam quosdam homines erga suos benefactores, ursasque sese versantes luctantesque ac nostras artes imitantes, ne hinc quidem cognoscere valeant quantam institutio et cura vim habeant, quamque eæ celerius nostræ naturæ quam belluarum prodesse queant: itaque potiore ne jure miretur quis mansuetudinem ferocissimis belluis inductam, an feritatem quæ animis istiusmodi hominum inest? Equidem longe plura de his dici possent: sed si nimis multa de iis disseram quæ apud plurimos certa

sunt, timeo ne id facere videar quia mihi desint argumenta pro controversis.

26.* 17. His igitur relictis, jam ad illos convertar qui quidem philosophiam non contemnunt, multo vero acerbius eam calumniantur, improbitatesque eorum qui sophistas se dicunt, sed aliud quid faciunt, conferunt in eos qui nihil cum illorum studiis commune habent. Ego autem non pro omnibus qui se posse docere profitentur verba faciam, sed pro iis qui merito hac opinione fruuntur. Puto autem me aperte ostensurum vituperatores nostros longe a veritate aberrare, si volueritis ad finem usque audire quæ dicam. Ac primum quidem definire opus est quid spectantes quidve consequi volentes audent quidam peccare: si enim hæc recte complectemur, melius cognoscetis vera ne sint an falsa quæ nobis adscribuntur crimina. Ego igitur voluptatis aut lucri aut honoris causa omnes omnia agere dico: ultra hæc enim nullam cupiditatem hominibus accidere video. Quod si hæc ita se habent, reliquum est ut consideremus, quid horum nos consequemur adolescentes corrumpendo. Utrum lætabimur videntes an etiam audientes eos esse pravos atque tales a civibus judicari? Quis vero ita durus est, qui non angeretur hujusmodi patiens accusationem? Enimvero neque suspiceremur neque magno in honore haberemur, si tales discipulos nostros emitteremus; immo longe majori contemptui ac odio essemus quam qui aliis improbitatibus sunt obstricti. Sed fac ista nos despicere, non profecto maxima stipendia acciperemus si ita institutionem moderaremur. Puto videlicet hoc omnes cognoscere, sophistæ mercedem pulcherrimam ac maximam accidere, si discipulorum quidam boni honesti ac frugi evadant optimaque apud cives opinione utentes: hi enim multis injiciunt cupiditatem ejusdem scholæ, improbi autem etiam eos qui se prius in disciplinam tradere cogitaverant avertunt; ut plane nemo quid in his sit melius non videat, quum res tam lato intervallo inter se differant.

26.* 18. Sed enim fortasse aliquis ad hæc dicere audebit plures homines propter incontinentiam iis quæ ratio suadet non acquiescere, sed utilitate contempta ad voluptates proruere. Ego vero fateor et alios multos et nonnullos etiam qui se sophistas profitentur hoc esse ingenio. Sed tamen ne horum quidem quisquam est ita intemperans, qui velit etiam discipulos esse tales: nam voluptatum quidem quæ ex incontinentia illis acciderent ipse particeps esse non posset, famæ vero quæ ex improbitate eorundem conflaretur plurima parte frueretur. Deinde quosnam corrumperet vel quomodo comparatos reciperet discipulos? Nam et hoc quærendum est: num scilicet male jam moratos et pravos? Quis vero, quæ proprio ingenio novit, ab alio discere queat? Sed dicetis, recipiet corrumpendos bonos et honestorum studiorum cupidos. Verum ne

unus quidem horum cum iis qui pravum aliquid dicunt aut faciunt confabulari patietur.

26.* 19. Illud quoque libenter rescirem ab adversariis meis, quid de iis sentiant qui e Sicilia et Ponto aliisque ex locis ad nos huc navigant ut instituantur? Num eos putant, quia careant ibi pravis hominibus, huc iter suscipere? At ubique magnam copiam quivis inveniat hominum qui secum improbe agere et peccare parati sint. At, dicetis, ut malefici et sycophantæ fiant, multa impendunt. Sed primum quidem qui hac sunt mente, multo libentius aliena accipient, quam quicquam de suo aliis dabunt: deinde quinam improbitatis acquirendæ causa pecuniam insumant, quum liceat ipsis sine ulla impensa esse talibus, statim ac voluerint? Neque enim discere hæc, sed tantum aggredi oportet. Jam vero patet eos et huc navigare et stipendia pendere, cunctaque hæc ideo facere quod et se meliores evasuros et eos qui hic docent multo esse cordatiores quam suos indigenas putant: quibus rebus par esset cives universos gloriari, plurimique eos facere qui hanc opinionem civitati crearunt. Sed sunt quidam ita vecordes, ut quum videant tum advenas qui huc appulerunt tum institutionis præsides nihil pravi molientes, sed in civitate alienissimos a negotiis et quietissimos, sibi vero ipsis vacantes ac societates inter se celebrantes, præterea parce et modeste quotidianam vitam degentes, et orationum studiosos, non earum quæ pro privatis negotiis dicuntur neque quibus aliqui molestia afficiuntur, sed quæ cunctis hominibus probantur, tamen audeant iis obtrectare, ac dicere eos hanc colere disciplinam, ut in causis præter jus superiores evadant. Porro quinam ex iis qui ad injustitiam et improbitatem sese exercent, continentius reliquis vivere vellent? Quosnam vero viderunt ii, qui hæc blaterant, improbitatem differre atque in futurum reservare, et non potius præsentem propensionem recta sequi?

26.* 20. Sed vel his omissis, siquidem dicendi vis facit alienis insidiari, omnes disertos oporteret turbulentos esse ac sycophantas: hanc enim causam in omnibus pariter operari necesse est. Nunc autem et inter superstites cives et inter nuper defunctos deprehendetis, qui plurimum eloquentiæ studium præ se tulerint, optimos eorum esse qui suggestum conscendunt; præterea antiquos rhetores qui magnum nomen sunt consecuti, plurimorum bonorum urbi exstitisse auctores, initio ducto a Solone. Hic enim dux populi constitutus eas leges tulit, ita res ordinavit urbemque composuit, ut nunc quoque administratio ab eo constituta probetur: deinde Clisthenes a tyrannis ex urbe ejectus, quum eloquentia persuasisset Amphictyonibus ut ex pecunia numinis sibi fœnerarent, et populum reduxit et tyrannos expulit et illam liberta-

tem constituit quæ maximorum Græcis bonorum causa exstitit: post hunc Themistocles dux in Persico bello creatus, quum auctor fuisset majoribus nostris urbem relinquendi — quod quisnam persuadere valuisset, nisi eloquentissimus esset? —, eo res eorum duxit ut, quum ad paucos dies eversi fuissent, ad multum tempus domini Græcorum constituti sint: ad extremum Pericles, quum bonus esset populi ductor et rhetor optimus, ita urbem delubris, donariis, et cæteris omnibus exornavit, ut etiam nunc qui in eam adveniunt, putent dignam eam esse quæ non Græcis solum sed toti orbi imperet; ad hæc in arcem non minus decem millibus talentorum invexit. Atqui ex his viris qui tanta patrarunt nulli eloquentiam neglexerunt, sed tanto impensius cæteris ei studuerunt, ut Solon quidem unus e septem Sophistis appellatus sit atque hoc habuerit cognomentum, quod nunc contemnitur atque in judicium apud vos vocatur; Pericles autem duorum fuerit auditor, Anaxagoræ Clazomenii et Damonis qui eo tempore sapientissimus civium videbatur. Undenam igitur manifestius ostendetur, non vim eloquentiæ maleficos homines reddere, sed eos potius, qui eodem ingenio sunt ac meus accusator, pravis videlicet et sermonibus et factis uti?

26.* 21. Possum autem et loca indicare, ubi cupientibus licet videre turbulentos et eorum criminum reos quæ ipsi in sophistas conjiciunt. In tabulis enim quæ ab archontibus proponuntur, necesse est, in thesmothetarum quidem utrosque inveniri et qui civitatem lædunt et sycophantas, in tabulis autem XIvirorum et publice facinorosos et horum duces, denique in tabulis XLvirorum eos qui in privatis negotiis injurii sunt et qui injustas lites intendunt: quibus plerisque in tabulis et hunc et hujus sodales scriptos invenietis, me autem et qui meum vitæ genus sequuntur in nullo horum alborum, sed ita res quemque suas curantem ut nihil contentionibus egeamus quæ apud vos agitantur. Jam vero eos qui neque in his litigiis versantur neque incontinenter vivunt neque omnino in ulla turpitudine sunt, quid ni potius laudari quam judicium subire par est? Patet enim nos docere discipulos eadem quæ facimus.

26.* 22. Sed adhuc manifestius ex iis quæ dicam cognoscetis quam longe a corrumpendo adolescentes absimus. Si quid enim hujusmodi faceremus, non profecto Lysimachus nec quivis alius sycophanta me horum causa vexaret, sed parentes cerneretis ac cognatos auditorum meorum indignantes, accusantes, pœnasque quærentes de me sumere. Nunc autem ipsi et liberos suos nobis commendant et stipendia pendunt et gaudent cum eos vident diem apud me consumere; at vero sycophantæ accusant et negotium mihi facessunt, quibus quinam libentius multos civium viderent corrumpi et pravos effici? Sciunt enim se in his dominari, a bonis

autem honestis et cordatis viris perdi, siquando deprehendantur. Quare isti prudenter faciunt, cum omnes has abolere disciplinas nituntur, in quibus quos meliores effectos viderint, inimiciores putant futuros suis vitiis et sycophantiis; vos autem decet contraria his facere, atque ea putare pulcherrima studia quibus hos potissimum adversari videtis.

26.* 23. Sed iterum absurda passus sum: dicam enim, licet nonnulli me valde inconstantem appellaturi sint. Paullo quippe ante aiebam multos bonos et honestos viros falsis de philosophia imbutos opinionibus in eam esse exasperatos: nunc autem ita evidentes atque omnibus perspectos sermones meos arbitratus sum, ut nemo mihi videatur vim illius ignorare, vel in me quasi discipulorum corruptorem sententiam ferre, vel hujusmodi aliquid pati de quo paullo ante cum illis expostulabam; sed si vere dicendum est atque id quod menti meæ occurrit, ego existimo eos qui mihi adversantur omnino et sapientiæ et eloquentiæ cupidos esse, sed ipsos quidem has artes negligere, alios per socordiam, alios quia suis ingeniis diffidant, alios aliis de causis — quæ innumeræ esse possunt —, illis autem qui vehementer ea colunt atque adipisci student, quorum ipsi desiderio tenentur, subirasci, invidere, animis concitatis in eos esse, et similia amantium pati: nam quæ criminatio hac convenientior in eos conferri potest? a quibus beati quidem prædicantur ac laudantur ii qui recte uti sermone possunt, increpantur autem adolescentes qui hoc honore potiri student. Ac nemo quidem est qui a diis non peteret se in primis esse eloquentem; sin minus se, certe liberos ac familiares suos: eos autem qui labore et literarum studio hoc efficere nituntur quod ipsi a diis consequi vellent, nihil opportunum facere aiunt, sed interdum quidem ut deceptos et illusos simulant irridere eos, quum iidem autem adolescentes facultatem dicendi nacti fuerint, aliter de iis loquuntur, tanquam ipsi videlicet injuste in causis prævalere possint. Et consultores utique, quum aliquod periculum urbem corripuerit, hos adhibent, qui optime de re gerenda dicere valent, faciuntque id quod isti suaserint; eos porro qui dant operam ut hos utiles talibus temporibus urbi exhibeant, putant esse vituperandos. Et Thebanis quidem cæterisque hostibus inscitiam exprobrant, eos autem qui totis viribus nituntur morbum hunc vitare maledictis incessunt. Atque hoc non perturbationis tantum argumentum est, verum etiam contemptus deorum: nam Suadam unam ex deabus esse existimant videntque urbem singulis annis huic sacrum facere; illos autem qui ejus facultatis quam dea habet fieri participes volunt, tanquam pravæ alicujus rei studiosos corrumpi dictitant. Omnium autem gravissimum est, quod animam quidem nobiliorem corpore sine dubio judicant, et tamen ita sentientes amplectuntur potius gymnasticæ quam philosophiæ studiosos. Jam

vero quid 'ni stultum sit eos qui viliora curant magis laudare quam qui nobiliora, et quidem scientibus cunctis ob bonum corporis habitum nullum unquam clarum facinus ab hac urbe esse patratum, viri autem [unius] prudentia beatissimam et maximam Græcarum urbium effectam esse.

26.* 24. Ac multo plures congerere posset horum hominum repugnantias is qui junior me esset ac præsentis temporis rationem non haberet: sed sin minus hæc, certe adhuc unum de iisdem dicendum est. Age enim, si qui multis divitiis acceptis a majoribus suis urbi non essent utiles, cives vexarent, pueros ac fœminas dehonestarent, num quis opum accumulatores arguere auderet, non autem ipsos qui peccant puniendos putaret? Quid? si qui certare armis eruditi contra hostes quidem scientia non uterentur, seditione autem facta multos cives interimerent, vel pugilatum et pancratium quam optime edocti agones quidem negligerent, obvios autem pulsarent, quis non horum magistros laudaret, male autem iis quæ didicerunt utentes occideret? Oportet igitur et erga eloquentiam eadem mente esse, qua erga cætera, nec de similibus contraria judicare, neque se præbere in eam disciplinam infensos, a qua præ omnibus quæ in natura humana sunt bona plurima dimanarunt. Namque aliis quæ habemus, uti jam ante dicebam, nihil a belluis differimus, immo multis celeritate, robore, aliisque facultatibus inferiores sumus: indita autem nobis persuadendi invicem vi declarandique inter nos ipsos quidquid velimus, non modo a ferina vita discessimus, sed et congregati urbes condidimus, leges tulimus, artes invenimus, cunctaque pœne quæ per nos excogitata sunt sermo nobis comparavit. Hic enim justi et injusti, honesti et turpis, jura sancivit, quibus haud constitutis fieri non posset ut simul habitaremus. Hoc et malos arguimus et bonos laudamus. Hoc et insipientes erudimus et sapientes exploramus: nam dicere ut oportet recte sentiendi maximum indicium putamus, sermoque verax, æquus, justus, animæ bonæ et sinceræ imago est. Hoc et de controversis disputamus et incognita quærimus: nam quibus argumentis persuademus aliis dicendo, iisdem deliberantes utimur; et eloquentes quidem vocamus qui ad populum dicere possunt, prudentes autem putamus qui apud se ipsos optime de rebus gerendis disputant. Quod si summatim de hac facultate dicendum est, nihil prudenter factum reperiemus sine sermone, sed et operum et consiliorum omnium ducem fuisse hunc, ac eo maxime usos qui cordatissimi fuerunt. Quarum rerum nullam rationem habens Lysimachus eos accusare ausus est qui huic disciplinæ student, quæ tot tantorumque bonorum causa est.

26.* 25. Quid autem hunc miremur, quum quidam etiam ex iis qui in contentiosis orationibus exercentur, similiter eloquentiam

vituperent communem et utilem, ut stultissimi homines solent; non quia ejus vim ignorant, quodque celerius hæc suos asseclas juvabit, sed quia sperant, hac in crimen conjecta, se suam artem honoratiorem esse effecturos. Contra quos possem multo fortasse acerbius disserere quam contra nos illi; neutrum tamen, ut arbitror, faciendum est, neque scilicet ii imitandi qui invidia tabescunt, neque ii reprehendendi qui nihil quidem auditoribus suis nocent, sed minus quam cæteri valent ad benefaciendum. Pauca nihilominus de iis dicam, maxime quod idem ii in nos fecerunt; tum ut vos clarius cognita eorum facultate, sic de utriusque nostrum sentiatis ut æquum est; ad hæc ut ostendam nos qui in civilibus orationibus versamur, quas illi odia excitare dictitant, multo ipsis esse mitiores: ipsi enim semper de nobis ineptum aliquid garriunt, ego vero nihil ejusmodi dicam, sed vera de iis narrabo. Existimo enim eos qui in contentiosis disputationibus dominantur, tum eos qui astrologiæ et geometriæ et hujusmodi disciplinis operam dant, non nocere, immo prodesse auditoribus, minus quidem quam ipsi spondent, plus autem quam aliis videntur. Plurimi enim hominum existimant nugas et tricas esse has disciplinas: nulla enim pars earum sive ad rem privatam sive ad publicam confert, vel memoriæ ad ullum temporis spatium insidet discentium, eo quod eæ neque vitam comitentur neque rebus gerendis opitulentur, sed omnino extra numerum rerum necessariarum sint. Ego autem neque sic neque longe aliter de istis judico; sed et qui putant nihil prodesse hanc institutionem rebus gerendis, ii recte mihi judicare videntur, et qui eam laudant, vera dicere. Propterea vero non consentientem sibi sermonem dixi, quod ne hæ disciplinæ quidem similem naturam prorsus habent cæterarum quibus erudimur. Cæteras enim tum nobis prodesse comparatum est, quum earum peritiam acquisiverimus; ex his autem studiosissimi quidem earum nihil utilitatis percipient, nisi forte quis decreverit hinc victum lucrari, sed tamen juvenes discentes juvantur: nam quum hi in superfluitate et severitate astrologiæ et geometriæ versati fuerint atque abstrusioribus rebus coacti mentem advertere, præterea assueti dicere et sese exercere circa dicta et demonstrata et mentem haud vagantem habere, his inquam exerciti et exacuti facilius celeriusque graviores et nobiliores disciplinas suscipere ac discere poterunt. Philosophiam igitur non puto posse appellari eam quæ nihil in præsenti sive ad dicendum sive ad agendum prosit; exercitationem autem quandam animi et præparationem philosophiæ voco disciplinam hanc, robustiorem quidem ea qua pueri utuntur in scholis, sed maxima ex parte similem: nam, qui grammaticæ, musicæ, et reliquæ puerili institutioni dant operam, ad melius quidem dicendum vel deliberandum nihildum incrementi capiunt, ipsi tamen ad majores gravioresque doctrinas evadunt

expeditiores. Insumendi igitur in disciplinam hanc aliquod tempus auctor sum adolescentibus, non tamen sinendi ut sua ingenia in his exarescant, aut in fabulas veterum sophistarum delabantur, quorum alii infinitum numerum dixerunt rerum exsistentium, Empedocles autem quatuor, pugnamque et fœdus inter eas, Ion non plures tribus, Alcmæon duas, Parmenides et Melissus unam, Gorgias omnino nullam. Existimo enim hujusmodi opinionum nugas similes præstigiis quæ nullius usus sunt, sed quæ circumstantium stultorum corona cinguntur; oportere autem ab iis, qui aliquid frugi præstare volunt, et sermones vanos et res quæ nihil ad vitam conferunt tolli ex omnibus disciplinis.

26.* 26. Ac de his mihi sufficit hactenus et dixisse et consuluisse: ad sophiam vero et philosophiam quod attinet, iis qui diversas ab hac causas dicunt loqui opportunum non erit de nominibus istis — sunt enim aliena ab omnibus litigiis —, me autem, quoniam et harum causa judicium subeo et quæ a quibusdam philosophia dicitur eam esse nego, decet quænam jure talis reputetur definire atque apud vos aperire. Atqui singulariter prorsus de iis sentio. Quia enim naturæ humanæ non licet eam scientiam acquirere, qua videremus quid deinceps faciendum aut dicendum sit, sophos quidem judico qui sententia plerumque possunt optimum assequi, philosophos autem qui in iis se exercent, ex quibus celerrime hanc scientiam acquirent. Quæ autem studia hanc contineant vim, habeo sane dicere, sed piget efferre: sunt enim mira et inexspectata atque a cæterorum opinione ita remota, ut verear ne eorum initio audito tumultu et clamore totum judicium personetis. Sed licet ita sim affectus, aggrediar tamen de iis dicere: puderet vero si quibusdam viderer propter senectutem et exiguam vitam timidus deserere veritatem. Obsecro autem vos ne præjudicio quodam putetis me ita insanum, ut licet in judicio pericliter, aggressurus essem ad proferendos sermones sententiis vestris contrarios, nisi et prædictis consentaneos putarem, et possem vere ac aperte eos comprobare. Sentio igitur hujusmodi artem, quæ improbos adjuvet ad virtutem justitiamque acquirendam, neque antea fuisse neque nunc adhuc exsistere, eosque qui tales sponsiones faciunt dicta retractaturos atque a nugis cessaturos prius quam hujusmodi disciplinam inveniant: verumtamen eos arbitror semetipsos meliores reddere posse, si ad bene dicendum impense incumbant, curentque se fieri idoneos ad persuadendum audientibus, et si præterea studeant præstare inter cæteros homines, non ita quidem ut stulti id intelligunt, sed ut revera præcellentes evadant. Quod hæc ita se habeant, statim, puto, patebit. Ac primum quidem qui dicere aut scribere aggreditur sermones laude et honore dignos, fieri non potest ut sumat materiam injustam aut tenuem aut de privatis negotiis, sed magnam, pulcram,

humano generi utilem atque ad remp. pertinentem capiet: nisi enim talem excogitet, nihil opportunum conficiet. Deinde rerum quæ ad argumentum faciunt splendidissimas et convenientissimas eliget: jam vero qui res tales assuevit contueri et perpendere, is non tantum ad eum qui præ manibus est sermonem, sed ad alias etiam tractationes eandem vim retinebit; quare simul et dicere et sentire recte continget iis qui philosophice et studiose ad eloquentiam incumbent. Nam neque qui aliquibus suadere aliquid vult, negliget ipse virtutem, sed longe plus his ei studebit, ut quam æquissimam apud bonos cives existimationem obtineat. Quis enim nescit et sermones videri veriores proborum quam eorum qui male audiunt, et argumenta plus posse quæ ex vita consurgunt quam quæ verbis suppeditantur? ita ut quanto quis vehementius optat persuadere auditoribus, tanto magis conari debeat bonus esse et honestus ac bene apud cives audire. Ac nemo vestrum putet alios quidem omnes cognoscere quanti momenti sit ad persuadendum placere judicibus, philosophos autem solos ignorare benevolentiæ vim: nam multo cæteris accuratius tum hoc sciunt, tum etiam probabilia et conjecturas et universum argumentorum genus eam solum partem juvare, ad quam unumquodque eorum dictum sit, famam vero boni et honesti viri non tantum reddere probabiliorem sermonem, sed honorabiliores etiam actiones ejus qui hac opinione fruitur; qua de re cordatis viris laborandum est magis quam de reliquis omnibus.

26.* 27. Quod igitur attinet ad studium præstandi cæteris, quod omnium probatu difficillimum a me dictum est, si quis existimat alienorum fraudatores, deceptores, aut quovis alio modo maleficos præstare cæteris, non recte sentit; nulli enim homines in tota vita aut deteriore quam hi conditione sunt, aut pluribus in angustiis versantur, aut probrosius vivunt, aut omnino infeliciores sunt: oportet autem existimare et nunc præstare cæteris et præstituros in posterum, apud deos quidem eos qui sunt pientissimi et in eorum cultu diligentissimi, apud homines vero qui in eos quibuscum versantur sunt benevolentissimi et qui prorsus egregii videntur. Atque hæc et ita revera se habent, et sic de iis loqui præstat: nunc enim adeo inversa sunt multa et confusa in urbe, ut ne nominibus quidem idoneis utantur nonnulli, sed ea a nobilissimis facinoribus ad vilissima studia transferant. Nam scurras qui subsannare et mimice agere valent egregios appellant, quum contra opus esset eos qui virtute excellunt hanc obtinere appellationem; et eos qui vitiis atque improbitatibus dediti parva quidem assequuntur, malam autem famam acquirunt, præstandi cæteris studiosos putant, non vero ita sentiunt de sanctissimis et justissimis viris qui bonitate nedum improbitate cæteris præstant; et eos qui necessaria negligunt, veterum autem sophistarum præstigiis delectantur, philosophari aiunt, contemnuntque

illos qui ea didicerunt atque exercuerunt quibus et suam privatam domum et remp. bene administrarent, quarum rerum scilicet gratia et laborandum et philosophandum et omnia agendum est. A quibus vos multo abhinc tempore adolescentes avertitis, dum institutionem hanc calumniantibus aures præbetis. Jamque effecistis ut horum modestissimi in compotationibus et conventiculis et desidia et lusibus ætatem ducant, quia neglexistis scilicet curare qua ratione meliores evaderent; jam ii qui pejore natura sunt, in iis incontinentiis totos dies agunt, in quibus antea ne servus quidem paullo modestior versari ausus esset: ac eorum alii ad Enneacrunum vinum refrigerant, alii in cauponis potant, alii in lustris alea ludunt, multi in tibicinarum ludis tempus terunt. Atque illos quidem qui juvenes ad hæc impellunt, nemo eorum qui curam hujus ætatis se gerere dicunt ad vos detulit: nobis autem et malum infertur, quibus par esset gratiam haberi, si nullo alio nomine, certe quia auditores nostros ab hujusmodi vitæ genere deterremus. Ita porro iniquum est in omnes sycophantarum genus, ut eos quidem qui viginti atque etiam triginta minis meretrices redimunt, quæ reliquam quoque domum simul profligaturæ sunt, adeo non objurgent ut et gratulentur eorum incontinentiis; eos vero, qui quantulumcumque pecuniæ in propriam institutionem impendunt, corrumpi dicant. Verum quinam iniquius hac accusatione petantur, quam hi qui in tali ætatis flore spreverunt eas voluptates, quas æqualium plurimi appetunt? quum autem in eorum potestate esset desidere sine ullis impensis, laborare maluerunt cum dispendio: jamque vix e pueris egressi ea sciebant quæ multi e senioribus ignorant; oportere nimirum eum qui bene ac decenter moderari ætatem ac vitæ pulcrum initium facere velit, sibi primum quam aliis curam impendere, neque præmature quærere ut aliis præsit antequam suæ ipsius mentis rectorem sit passus, neque tam gaudere et exsultare reliquis bonis quam iis quæ in animo per institutionem gignuntur. Jam qui hac sunt mente, quid ni laudentur ac optimi et continentissimi inter coætaneos habeantur, nedum vituperentur? Miror autem, si qui eos qui natura sunt eloquentes beatos prædicant tanquam bonum quid pulcrumque sortitos, illos autem qui tales fieri volunt conviciis lacessunt quasi iniquæ et vitiosæ institutionis studiosos. Jam vero quænam res natura sua bona, si studio ea comparetur, turpis aut mala fiat? Nihil ejusmodi reperiemus, immo aliis in rebus eos qui industria sua bonum aliquod consequi potuerunt, luculentius laudamus quam eos qui id a majoribus receperunt. Nec injuria: expedit enim cum in cæteris rebus, tum maxime in eloquentia, non fortunam sed curam celebrari. Qui enim a natura et fortuna sunt eloquentes, non optimum sibi proponunt, sed ut sunt comparati, ita uti oratione solent: qui autem philosophia et studio vim hanc consecuti sunt, nihil non meditate dicentes, minus

circa res ipsas peccant. Quare omnibus cupiendum est multos esse ex institutione eloquentes, maxime autem vobis: vos enim præstatis atque excellitis inter alios non bellicis studiis, nec quia optime remp. administratis aut quia accuratissime leges observatis quas vobis majores reliquerunt, sed iis rebus quibus natura hominum belluis genusque Græcorum barbaris præstant, quia nimirum ad sapientiam et eloquentiam melius cæteris erudimini. Quare omnium iniquissimum foret, si eos qui volunt inter coætaneos excellere iis ipsis rebus, quibus vos inter cunctos, corrumpi pronunciaretis, eosque qui ea disciplina utuntur, cujus vos principes estis, calamitate aliqua implicaretis.

26.* 28. Par quippe est ne hoc quidem latere vos, omnium qui dicere aut docere possunt civitatem nostram jure videri fuisse magistram. Merito: patet enim et præmia proponere maxima iis qui hanc facultatem tenent, et exercitationes plurimas ac mire varias exhibere iis qui ad causas orandas animum applicuerint atque in his disciplinis sese exercere velint; præterea experientiam, quæ maxime facit eloquentes, hinc cunctos desumere; tum et linguæ communem usum et moderationem et reliquum leporem ac philologiam non parum conferre putant ad eloquentiæ institutionem; quare non immerito existimant cunctos eloquentes hujus urbis esse discipulos. Cavete igitur ne omnino sit ridiculum de hac fama absurdum quid dicere, qua vos magis apud Græcos quam ego apud vos utor: nullum enim crimen nisi vestrum ipsorum aperte damnaretis; idemque faceretis ac si Lacedæmonii eos qui bellica exercent punire vellent, aut Thessali de equestris artis studiosis pœnas capiendas censerent. Quapropter cavendum vobis est, ne quid ejusmodi contra vosmet peccetis, neque credibiliores reddatis sermones eorum qui urbem vituperant quam eorum qui laudant.

26.* 29. Existimo autem vos non ignorare alios quidem Græcorum vobis esse infensos, alios vero quam maxime vobis esse amicos spemque salutis in nobis collocare. Dicunt autem hi postremi hanc solam esse urbem, reliquas vero pagos; jureque hanc Græciæ urbem appellari et propter magnitudinem et propter commoditates quæ hinc aliis accidunt, maxime vero ob incolarum morem: nullos enim esse humaniores aut tractabiliores vel quibuscum familiarius toto vitæ tempore versari quis velit. Tanta porro exaggeratione utuntur, ut ne graventur quidem dicere, se libentius a viro Atheniensi puniri quam ab aliorum barbarie beneficio affici velle. Illi contra qui vos oderunt, his laudibus obtrectant; sycophantarum autem acerbitatem et incommoda narrantes universam urbem tanquam inhospitalem et crudelem criminantur. Est igitur sapientium judicum, eos quidem qui horum sermonum causa sunt interimere, utpote qui ingens dedecus urbi creant; illos autem qui laudum

earum quæ de urbe prædicantur partem aliquam conferunt, honorare magis quam athletas qui in coronariis agonibus vincunt: multo enim illi pulcriorem et convenientiorem gloriam urbi acquirunt. Nam quod attinet ad corporum exercitia multos æmulatores habemus, in literis vero primas cuncti nobis deferunt. Oportet igitur, si qui paullum res æstimare valent, eos, qui excellunt iis rebus ob quas civitas bene audit, manifeste honorare, nedum illis invidere, neque secus ac cæteri Græci solent de ipsis decernere. Quod nunquam vobis cordi fuit? sed ita ab utilitate vestra aberrastis ut cariores habeatis eos per quos male auditis, quam per quos laudamini, ac magis populares eos judicetis qui in causa sunt ut multi huic urbi sint infensi, quam eos qui omnes quibuscum versantur urbi conciliant. Siquidem igitur sapitis, ab hac perturbatione cessabitis, neque ut nunc alii quidem inimici alii negligentes eritis philosophiæ, sed existimantes animi cultum pulcherrimam esse et honestissimam occupationem, hortabimini adolescentes, qui sufficienti patrimonio sunt prædíti ac sibi vacare queunt, ad hoc exercitium et studium; eosque, qui laborem subire volunt seque utiles urbi comparare, plurimi facietis; qui vero abjecte vivunt ac nihil aliud cogitant nisi ut bonis sibi relictis luxuriose fruantur, eos aversabimini proditoresque urbis et majorum gloriæ judicabitis: vix enim, si sic sentient erga utrosque eorum vos affectos, volent juniores despecta desidia mentem sibi et philosophiæ advertere. In memoriam revocate præstantiam magnitudinemque rerum ab hac civitate majoribusque gestarum, et vobiscum ipsi commemorate ac considerate, qualis erat et quo loco natus quaque ratione institutus is qui tyrannos ejecit, populum reduxit, et libertatem constituit; qualis ille qui barbaros ad Marathonem pugna vicit gloriamque ex hac partam urbi acquisivit; quis et is esset qui post illum Græcos liberavit majoresque nostros ad principatum et dominationem quam tenuerunt evexit, quique præterea opportunitatem Piræei notavit et mœnia invitis Lacedæmoniis urbi circumjecit; quis vero is qui post hunc argento et auro arcem complevit domosque privatas magna copia et divitiis instruxit: invenietis autem, si hos singulos perpendetis, non ex classe eorum fuisse qui ignave vivunt aut sycophantiose neque similes majori civium numero eos qui hæc patrarunt, sed præstantes et primos non solum nobilitate et fama, verum etiam prudentia et eloquio, omnium bonorum auctores exstitisse. Quæ animis reputantes, æquum est, vos quod quidem ad plebem attinet, hoc curare ut in causis de privatis negotiis jus suum obtineant atque in aliorum communium bonorum partem veniant; eos autem qui natura et disciplina præstant quique tales fieri nituntur, complecti, honorare et colere, quippe qui sciatis ad pulcra et præclara facinora duces se præbere, urbem e

periculis posse servare, libertatem conservare, in his, non vero in sycophantis, esse repositum.

27. Etsi autem multa in mentem mihi veniunt, nescio tamen quid de eis statuere debeam: nam singula quæ cogito per se mihi dictu commoda et æqua videntur, si vero nunc omnia proferantur, magna molestia et me et auditores affectura esse. Atque adeo vereor ut prolixa etiam superiorum commemoratio fastidium effugerit. Omnes enim tam insatiabili dicendi cupiditate tenemur, ut opportunitatem laudemus nec quicquam præstabilius esse dicamus; quum vero aliquid habere videmur quod dicamus, neglecto modo semper aliquid prioribus paulatim adjiciendo in extremam importunitatem incidamus. Nam et ego, qui hæc dico ac sentio, vobiscum adhuc disserere volo.

28. Indignor enim quum sycophantiam conditione meliore esse video quam philosophiam, et illam quidem accusare, hanc vero causam dicere. Quod quis veterum fuit qui futurum esse crederet, apud vos præsertim qui sapientiores aliis haberi vultis? Apud majores certe quidem alia ratio fuit. Nam eos qui sophistæ dicebantur magni faciebant eorumque familiares beatos judicabant, sycophantas autem perniciosissimos homines existimabant. Cujus rei maximum signum illud est, quod Solonem, qui primus civium hoc cognomen sortitus fuit, gubernatorem ac principem civitatis esse voluerunt; in sycophantas autem graviores quam in alios maleficos leges tulerunt. De summis enim injuriis in uno judicari prætorio voluerunt, hos vero et ad sexviros citari, et deferri apud senatum, et apud populum accusari sinunt, existimantes istius generis artifices omnem improbitatem excedere. Nam alios id studere tantum ut sua maleficia tegant, istos ubique ostentare suam crudelitatem et inhumanitatem odiumque de industria quæritare.

29. Ac illi quidem sic de eis statuerunt: vos vero tantum abest ut puniatis eos, ut his et accusationes aliorum mandetis et iisdem legumlatoribus utamini. Atqui decebat eos nunc in odio majore esse quam olim. Tunc enim pervulgatis duntaxat in negotiis nostræ urbis et subinde in orbem redeuntibus nocebant civibus; quum vero aucta urbe et magistratum nacta majores nostri, audaciores facti quam oportuit, viris bonis ac præstantibus, quorum virtute respublica est amplificata, quam consecuti sunt auctoritatem inviderunt, et homines improbos audaciaque plenos expetiverunt, opinati eos quod et audaces sint et nullas inimicitias reformident popularem statum posse tueri, et quum ex infimo loco emerserint, non superbos aut novarum rerum fore studiosos — ex ista mutatione quæ in rempublicam pericula invecta non sunt, quæ maxima mala qui istis ingeniis homines erant et dicto et facto non perfecerunt? Nonne laudatissimis civibus et reipubl. maxime profuturis oligarchiæ et Laco-

num studium objicere non prius destiterunt, quam eos perpulissent ut objecta crimina vere in se admitterent et tales fierent quales esse a calumniatoribus dictitabantur? socios vero vexando et calumniando, et optimos quosque re familiari spoliando, eo redegerunt, ut a nobis alienati ac repulsi Lacedæmoniorum amicitiam et societatem adamarint? Quibus de rebus bello nobis concitato, multos civium conspeximus partim trucidatos, partim captos ab hostibus, partim rei familiaris penuria oppressos, atque etiam popularem statum bis abrogatum, et patriæ mœnia diruta, et, quod maximum est, urbem in periculum servitutis et excidii adductam et arcem ita ut hostes in ea habitarint occupatam.

30. Sed enim sentio, quanquam efferor iracundia, nos aqua defici, ac me incidisse in materiam quæ totum diem postularet atque ad accusationem esse delapsum. Præterita igitur multitudine calamitatum, quarum isti auctores fuere, et rejecta molestia et turba eorum quæ de istorum calumniis dici possent, paucis omnino adjectis orationem jam nunc concludam.

31. Alios quidem reos video, ubi jam defensionis finem attigerunt, supplicare, obtestari, liberos suos atque amicos ad deprecandum subornare; ego vero neque decere quicquam istius generis hanc meam ætatem existimo, et præter hoc quod ita sentio, etiam erubescerem, si alia res saluti ac præsidio mihi fuisset quam orationes ante recitatæ [a me et conscriptæ]. Scio enim me ita sancte et juste locutum esse tum de republ. tum de majoribus nostris tum de diis immortalibus in primis, ut, si qua illis rerum humanarum cura est, nec ea quæ mihi nunc accidunt eos ignorare putem. Quare nihil exhorresco quicquid de me statueritis, sed confido et in spe optima situs sum mihi tunc ultimum vitæ diem adventurum, quando id vobis expediet, hoc signo adductus, quod hactenus etiam in hunc usque diem ita vixi, quemadmodum pios homines vivere decet, quorum diis mutua cura est. De me igitur, ut qui hoc animo sim, quique existimem quicquid vobis visum fuerit id e re mea futurum, ut libitum placitumque fuerit, ita vestrum quisque suffragium ferat.

ISOCRATIS

DE BIGIS.

1. De Jugo igitur equorum, patrem meum eos habuisse non Tisiæ ereptos, sed de civitate Argivorum emptos, et e legatorum qui illinc venerunt et cæterorum qui rem noverunt testimoniis audivistis. Omnes autem eodem modo me calumniari solent. Quum enim de privatis negotiis me in jus vocent, de rebus ad rempublicam pertinentibus accusant, et plus temporis consumunt patre meo criminando quam eo de quo ipsi jusjurandum calumniæ dederunt explicando, et leges usque adeo contemnunt, ut injuriarum, quibus ab eo vos affectos esse dicunt, a me pœnas exigant. Ego vero sic existimo, crimina publica nihil attinere ad privatas controversias: sed quia Tisias patris exsilium sæpe mihi objicit, in exquirendis vestris quam suis rebus curiosior, de his ipsis me purgare necesse habeo: erubescerem enim, si cui civium minus de illius existimatione quam de meis periculis sollicitus esse viderer.

2. Ac quod ad seniores attinet res paucis absolvi posset; omnes enim sciunt per eosdem viros et popularem statum sublatum esse et patrem meum urbe pulsum: propter juniores autem, qui, quum post res illas gestas nati sint, calumniatores sæpe audiverunt, narrationem altius exordiar.

3. Qui populo pridem insidiati fuerant, et Quadringentos constituerant, patrem meum ad coeundam secum societatem vocaverunt; quod quum ille recusasset, quia virum esse videbant in rebus gerendis acrem et populo fidelem, non putarunt se ulla vetera instituta loco movere posse, nisi illum e medio sustulissent. Quia vero sciebant urbem de religione gravissime irasci solere si quis Cereris initia violasset, cæteris vero in rebus si democratiam abrogaret, utrumque crimen hoc commenti, retulerunt ad senatum patrem meum cœtus habere secum ad res novandas, qui quidem in Poulytionis ædibus concœnantes mysteria celebrarent. Urbe igitur propter criminum magnitudinem concitata, et concione celeriter convocata, tam evidenter eos mendaciorum coarguit, ut accusatores populus libenter suppliciis affecisset, eum vero ducem in Siciliam crearit. Posthæc ipse trajecit quasi jam calumnia liberatus; isti vero senatu sollicitato et oratoribus sibi per largitiones adjunctis rem de integro commoverunt et delatores subornarunt. Quid multis opus est? nec enim prius conquierunt quam et patrem ab exercitu revocassent,

et ex ejus amicis alios occidissent alios urbe ejecissent. Is igitur audita et hostium potentia et familiarium suorum calamitatibus, quamvis indigne secum agi existimans, quod præsens ne in judicium quidem adductus, absens autem condemnatus esset, ne sic tamen ad hostes defecit; tantaque diligentia cavit ne patriam re ulla vel in exsilio offenderet, ut Argos profectus otium egerit, illi vero prioribus injuriis haud contenti persuasere vobis eum tota Græcia pellendum esse inque cippo proscribendum et per legatos ab Argivis exposcendum. Quapropter animi dubius quo se in his malis converteret, exclusus undique, nullaque spe salutis alibi relicta, tandem ad Lacedæmonios confugere est coactus.

4. Et res quidem sic acta est: eo vero insolentiæ processerunt inimici, ut, cum pater tanta iniquitate pulsus urbe fuerit, eum tamen quasi summum scelus admisisset accusant, [et crimini dare student] eum et Deceleam contra remp. muniisse et insulas ad defectionem impulisse et magistrum hostium exstitisse. Ac alias eum a se contemni simulant, ut qui nihil aliis antecelluerit, nunc autem quæcunque acta sunt ei uni adscribunt, et ab eo quo pacto bella gerenda sint edoctos esse aiunt Lacedæmonios, qui eam artem ipsi alios docere possunt. Ego vero, nisi temporis angustiis excluderer, facile ostenderem eum alia jure egisse, de aliis injuste in crimen vocari. Quid vero fieri queat iniquius, quam, quum pater meus post fugam præmium acceperit, me propter illius exsilium plecti?

5. Censeo autem jure illi omnino veniam a vobis esse tribuendam: nam a triginta tyrannis expulsi iisdem quibus ille malis conflictati estis. Unde in animum revocandum est, ut quisque vestrum affectus fuerit et quid animi habuerit et quid periculi non adisset, ut ne inquilini loco diutius esse cogeretur, et ut in patriam reversus pœnas de iis sumeret, qui se ejecissent. Quam urbem, quem amicum, quem hospitem non adistis precaturi ut vobis adjumento essent ad patriam recuperandam? Quid a vobis omissum est, quod reditum pareret? Annon occupato Piræeo et segetes vastastis et agros cæsis arboribus populati estis? non suburbia incendistis? non muros denique oppugnastis? Hæc ita decere ac ex officio facienda censuistis, ut, si qui de numero exsulum quieti se dedidissent, illis magis irasceremini quam calamitatum auctoribus.

6. Quamobrem culpandi non sunt qui eadem quæ vos concupiverunt, nec in improborum numero habendi viri qui patria pulsi redire ab exsilio studuerunt, sed illi potius qui quum domi manserint exsilio digna perpetrarunt: neque inde ordiendum est, si judicare velitis qualis pater meus civis fuerit, quum urbs jam nihil ad eum attineret, sed ab eo tempore considerandum, qualem erga populum se præbuerit antequam in exsilium ageretur, ut, quum ducentos duntaxat armatos haberet, maximas Peloponnesi urbes a

societate Lacedæmoniorum abduxerit, ad vestram societatem adduxerit, quanta illis pericula intulerit, ut in Siciliam exercitum duxerit. Nam ob hæc vos gratiam ei habere debetis: quæ vero in calamitate acciderunt, illis per quos exactus est imputare.

7. Memoria repetite quanta post reditum beneficia in rempublicam contulerit, ac illud in primis, quo statu rerum eum susceperitis; quum quidem imperium populi abrogatum esset, quum cives factiosi tumultuarentur, quum milites a magistratibus hic constitutis dissiderent, et utrique in eam insaniam incidissent ut neutris spes ulla salutis relinqueretur: nam alteri eos qui urbem tenebant inimiciores sibi putabant quam Lacedæmonios, alteri eos qui Deceleæ erant accersebant, existimantes satius esse patriam hostibus tradere quam eos in civitatem recipere qui bella pro republica gerebant. Quum igitur hi civium animi essent, et hostes terra marique tenerent omnia, atque etiam vos pecunias non haberetis, rex Persarum autem illis affatim suppeditaret, prætereaque nonaginta naves e Phœnicia Aspendum venirent paratæ ad opem ferendam Lacedæmoniis, quum igitur in tantis malis inque talibus periculis civitas versaretur, a ducibus accersitus non fastum præ se tulit ob eas res, non ob anteacta succensuit, neque consilium cepit de futuris, sed mox cum republica quidvis perpeti maluit quam cum Lacedæmoniis esse felicissimus, ac planum fecit omnibus se bellum gessisse cum suis inimicis non vobiscum, et in urbem redire non evertere urbem voluisse. Vobiscum autem conjunctus et Tissapherni persuasit ne pecunias suppeditaret Lacedæmoniis, et effecit ne socii a vobis desciscere pergerent, et de suo militibus stipendia solvit, et libertatem populo restituit, et cives inter se reconciliavit, et Phœnissas naves avertit. Posthæc vero, quot triremes ceperit, quot prælia vicerit, quot urbes vi expugnarit, quam multis oratione vestram amicitiam persuaserit, singulatim enumerare immensi negotii esset: quum autem urbs illis temporibus plurima prælia commiserit, nunquam tamen patre meo duce hostes trophæum contra nos erexerunt. Ac rerum illius ductu gestarum equidem scio multas me præterire, quas accurate commemorare propterea nolui, quod fere omnes illas meministis.

8. Invadunt et in privatam patris mei vitam libidinose nimis et confidenter, nec ea libertate verborum in mortuum invehi dubitant, qua eo vivente uti non auderent, tantaque dementia illos invasit, ut existiment se tum apud vos tum apud alios eo majore gloria futuros, quo plura et majora in eum maledicta congesserint; quasi vero quisquam ignoret etiam nequissimis hominibus licere non de viris tantum præstantissimis sed de diis etiam immortalibus contumeliose loqui.

9. Fortassis igitur curare sermones omnium dementiæ fuerit: sed

tamen vel in primis cupio de patris moribus ac studiis verba facere apud vos, re paulo altius repetita et mentione majorum facta, ut intelligatis a prima nobis origine maxima inter cives et pulcherrima ornamenta contigisse.

10. Nam pater meus ex gente Eupatridarum fuit, quorum nobilitas de ipso cognomine facile intelligitur, materna stirpe Alcmæonida, qui divitiarum evidentissimum monumentum reliquerunt — Alcmæon enim primus civium Olympiæ bigis equestribus vicit —, benevolentiam autem suam erga populum tyrannicis temporibus declararunt: quamvis enim cognatione cum Pisistrato conjuncti essent, et priusquam is imperium cepisset, familiarissime illo uterentur, tamen ejus tyrannidis socii ac participes esse noluerunt, sed exsulare patria quam cives servitute oppressos intueri maluerunt. Et, quum ea seditio quadraginta durasset annos, tyrannis ita præ cæteris invisi fuerunt, ut eorum factione victoriam adepta non tantum ædes ipsorum diruerentur sed sepulcra etiam effoderentur, a coexsulibus autem tanta eis fides habita est, ut omni eo tempore populi duces fuerint. Postremo Alcibiades et Clisthenes, alter paternus alter maternus patris mei proavus, imperatores designati ab exsilio populum reduxerunt, et tyrannis ejectis eam democratiam constituerunt, in qua cives ad fortitudinem ita instituti sunt, ut barbaros, qui contra totam Græciam venerant, soli prælio vincerent; tantaque justitiæ gloria floruerunt, ut ultro eis Græci maris imperium traderent; et civitatem tantam redderent tum potentia tum reliquis copiis, ut, qui eam esse Urbem Græciæ dicunt et aliis magnificis verbis ornare solent, vera dicere videantur.

11. Caritatem igitur populi tam vetustam et sinceram et beneficiis maximis partam a majoribus accepit: ipse vero pupillus relictus est — nam pater ejus in Coroneo prælio cum hostibus dimicans ceciderat —, tutorem autem Periclem habuit, quem omnes utique fateantur omnium civium fuisse et modestissimum et justissimum et sapientissimum. Quod ipsum etiam in præclaris habendum esse duco, si cui talibus orto natalibus tam præstans vir et tutor et educator et vitæ magister contigerit. Jam quum adolevisset, a virtute illorum quos jam diximus non degeneravit, nec ipse otio ac luxu diffluens majorum virtute gloriari voluit, sed statim tanta fuit magnitudine animi, ut existimaret oportere propter semetipsum et illorum res gestas in memoriam revocari.

12. Ac primum quum Phormio mille Athenienses armatos contra Thraciam duceret, fortissimis delectis, cum his profectus ita se gessit in præliis ut corona ornaretur et ab imperatore panoplia donaretur. Enimvero quodnam ejus officium [esse credi debet], qui laudes maximas mereatur? Annon cum præstantissimis civibus militantem primas ferre, et ducentem contra Græcorum fortissimos

exercitum in omnibus pugnis exsistere longe superiorem? At ille alterum adolescens adeptus est, alterum jam natu grandior præstitit.

13. Posthæc matrem meam uxorem duxit. Nam et hanc eum præmii loco propter excellentem virtutem accepisse censeo. Cujus pater Hipponicus, quum et opibus primus esset inter Græcos et genere nemine civium inferior et suis temporibus in summo honore et admiratione habitus, quumque filiam porro cum dote maxima et gloria insigni esset elocaturus, omnes et quidem optarent nuptias illas, principes vero tantum ambirent, patrem meum delectum ex omnibus generum adjungere desideravit.

14. Circa eadem tempora quum videret Olympicam celebritatem ab omnibus amari maximique fieri, et Græcos ibi et opes suas et vires et ingeniorum dexteritatem ostentare, nec eos tantum qui se ibi bene gessissent in admiratione esse, sed et eorum qui vicissent urbes celebrari, prætereaque munera quæ hic obirentur civibus deberi pro re familiari ac privata, quæ vero in illam celebritatem conferrentur ad omnes pertinere Græcos et pro republica nostra fieri, hæc inquam reputans, quamvis nec ingenio nec robore corporis ulli cederet, gymnica tamen certamina despexit, quum sciret pugilum nonnullos et sordido genere ortos et minime liberaliter institutos esse et in obscuris oppidulis habitare, verum ad alendos equos animum adjecit, quod ut beatissimorum munus est, sic nemo vilis præstare queat, nec eos tantum qui tum cum eo contendebant, sed omnes qui unquam vicerant, superavit. Nam et tot bigas immisit, quot bigis ne maximæ quidem urbes certaverunt, et tam egregias, ut et primus esset et secundus et tertius. Ad hæc in sacrificiis et aliis quos feriæ illæ solennes requirunt sumptibus tanta fuit liberalitate et magnificentia, ut aliorum publicæ opes illius privatis minores haberentur. Denique sic ab illa festivitate discessit, ut principum virorum felicitas præ ejus gloria parva videretur, et qui eo tempore vicerant in admiratione esse desinerent, et iis, qui in posterum equos alere instituerent, nihil reliqui faceret quo excellentiam ipsius superarent. Jam de ejus in hac urbe ædilitatibus et gymnasiarchiis et trierarchiis dicere me pudet. Tantum enim aliis antecelluit, ut qui tenuius quam ille res eas administrarint, ex his se ipsos laudibus efferant: pro illo vero si quis etiam tantorum sumptuum gratiam repeteret, de parvis verba facere videri possit.

15. Quod autem ad rempubl. attinet, nec enim hoc prætermittendum est, quemadmodum eam nec ipse neglexit, multo iis etiam quorum summa gloria est in populum benevolentior et beneficentior exstitit; nam alios propter semetipsos seditiones excitasse, eum vero pro vobis pericula subiisse reperiemus. Non enim quod repelleretur ab oligarchia, sed, quum ad eam accerseretur, popularis fuit: et, quum sæpe licuisset non tantum aliis imperare cum paucis,

sed illis ipsis etiam plus posse, tamen noluit, ac potius esse duxit injuriis a civitate affici quam rempubl. prodere. Atque hæc, dum summa rerum adhuc penes populum esset, persuadere vobis nemo potuisset: nunc factæ seditiones perspicue vobis ostenderunt, qui populares, qui oligarchici, qui neutrius status appetentes, qui utriusque cupidi fuerint. Nam in iis seditionibus bis a vestris inimicis pulsus est: ac in priore, quum primum eum removissent, populi per eos prostrata est auctoritas, in posteriore statim post vestri oppressionem primus ipse fuit quem exsilio mulctarint; usque adeo subinde nostra urbs amplissimos e patris mei felicitate fructus percepit, contraque publicæ urbis calamitates in ejus caput redundarunt. Enimvero multi civium et infensi fuerunt tanquam regnum affectanti, non quod factis suis ejus rei suspicionem daret, sed quia putabant, cum ipsam rem omnibus expetendam videri, tum eam ejus esse potentiam ut ea facillime ipsi potiretur. Quo majorem ei merito gratiam haberetis, quod quum solus civium is esset in quem ea suspicio cadere videretur, pari tamen in republ. æquoque jure cum cæteris vivere voluit.

16. Tam multa porro sunt quæ pro patre meo dicam, ut dubitem cujus nunc mentio facienda, quæ prætermittenda sint: subinde enim ea majora mihi videntur quæ nondum exposita sunt iis quæ jam apud vos diximus. Nam illud quoque nemini dubium esse arbitror, quin eum necesse sit rebus secundis civitatis maxime gaudere, ad quem pars maxima bonorum et malorum redit. Quis autem florente republ. inter omnes cives eo fuit vel felicior vel admirabilior vel æmulatione dignior? quis eadem afflicta vel spe majore vel pluribus opibus vel ampliore gloria est orbatus? Annon postremo triginta tyrannis imperantibus alii urbe duntaxat exsularunt, ipse vero tota Græcia exterminatus est? Annon Lacedæmonii et Lysander non minus laborarunt de eo perimendo quam de imperio vobis adimendo, existimantes muris etiam dirutis se nostræ urbi fidere nihil posse, nisi illum etiam perdidissent qui eos instaurare posset? Quare non ex ejus beneficiis duntaxat, sed etiam ex infortuniis, quæ propter vos tulit, ejus benevolentia facile perspicitur. Apparet enim eum populo suppetias tulisse, formam reipubl. vobiscum eandem expetivisse, ab iisdem afflictum esse, una cum civitate fortunam adversam habuisse, eosdem vobiscum et amicos et inimicos judicasse, omnis generis periculis functum, partim per vos, partim vobiscum, partim propter vos, partim pro vobis; fuit igitur civis omnino dissimilis Charicli istius affini, qui servire hostibus, civibus imperare voluit, qui otium in exsilio egit, in patriam restitutus urbem afflixit. Quis autem esse queat vel amicus nequior vel hostis magis contemnendus? Tu tamen quum sis affinis illius, et sub triginta tyrannis senator fueris, alios incessere non dubitas ac vetera vulnera refricare? neque te pudet ea fœdera violare, quorum beneficio tu in urbe manes? non cogitas, si decretum fuerit ut veteres offensæ vindicentur, tibi et ante me et majora pericula fore subeunda? Nec enim scilicet paternorum delictorum ego pœnas dabo, tibi vero tuorum facinorum gratia fiet. At vero non easdem tibi fuisse causas facile apparet: non enim patria pulsus sed rempublicam una gerens, neque coactus sed ultro, neque ultor sed auctor injuriarum, cives violasti; quare ne defensio quidem istorum criminum tibi concedenda erit.

17. Sed de iis quæ a Tisia gesta sunt fortassis aliquando in istius periculis dabitur uberior dicendi locus: a vobis autem peto ne me inimicis omni præsidio destitutum prædæ esse patiamini, neque exitio mihi sitis. Nam ante plus satis malorum perpessus sum, qui quidem quum primum in lucem prodii, pupillus sum relictus, patre acto in exsilium, matre vero mortua, et annos nondum quatuor natus ob patris fugam in vitæ periculo fui, ac puer adhuc a triginta tyrannis urbe sum ejectus. Et quum ii qui in Piræeum confugerant rediissent, aliique suas opes recuperarent, ego solus agro, quem nobis populus pro publicatis pecuniis dederat, inimicorum violentia sum spoliatus. Tot igitur calamitatibus conflictatus et bis amissa re familiari nunc de quinque talentis causam dico. Et actio quidem instituta est de pecuniis, revera autem id agitur an in civitate mihi manere liceat. Nam, quum eædem mulctæ in tabulas publicas referuntur, non omnes iisdem de rebus in periculum vocantur: nam divitum quidem pecunia agitur, inopum vero qualis ego sum dignitas, cujus jacturam exsilio acerbiorem duco; multo enim miserius est, apud suos cives ignominiose vivere quam apud alios agere inquilinum. Vos igitur oro ut me juvetis, neque ab inimicis contumeliose vexari aut patria spoliari aut hujusmodi cladibus nobilitari patiamini. Jure autem res ipsæ mihi a vobis commiseratione impetrarent, tametsi ego vos eo deducere verbis non possem, si modo commiseratione digni sunt qui nullo suo merito periclitantur ac maximis de rebus in discrimen vocantur, et fortuna tum se tum suis majoribus indigna premuntur, et maximis opibus spoliati maximam vitæ mutationem experiuntur. Quamvis autem multa mihi sunt quæ deplorem, ob hæc potissimum tamen indignor, primum si huic pœnas dare cogar de quo ego sumere deberem, deinde si propter Olympicam patris victoriam ignominia notabor, ob quam aliis præmia dari video, præterea si Tisias nunquam de republica benemeritus et in democratia et in oligarchia magnus ac potens erit, ego vero, quum neutros offenderim, ab utrisque male tractabor: si vos, in aliis quidem actionibus diversam a triginta tyrannis rationem secuti, in me eodem animo quo illi fuerunt eritis, egoque tum quidem vobiscum nunc autem per vos civitate exterminabor.

ISOCRATIS

TRAPEZITICUS.

1. Magna mea res agitur, judices. Nec enim tantum de plurimis pecuniis in discrimen venio, sed existimatio quoque mea, quam ego maximi facio, periclitatur ne aliena injuste concupiscere videar. Satis enim opum etiam his fraudato mihi relinquetur. Sed si absque justa causa tantam pecuniam petere videbor, ea res perpetuæ mihi infamiæ fuerit.

2. Est autem, judices, incommodissimum, in tales incidere adversarios. Nam quicquid cum mensariis agitur fit sine testibus: quod si quis ab eis circumventus fuerit, adversus eos experiri cogitur, qui et amicorum præsidiæ habent et multas pecunias tractant et propter artem boni viri ac fide digni existimantur. Quæ quum ita sint, tamen perspicue declaraturum confido, a Pasione me pecunia fraudari.

3. Quare ab initio [ut potero] vobis rem omnem recensebo. Mihi, judices, pater Sopæus est, quem omnes qui in Pontum navigant ita familiarem Satyro esse norunt, ut et amplam provinciam gubernet, et omnibus copiis militum præsit. Ego vero, quum et de hac urbe et de cætera Græcia audivissem, peregre abire desideravi. Pater igitur duabus navibus frumento plenis pecuniaque data me ablegavit simul et mercandi et spectandi gratia: et, quia Pythodorus Phœnix Pasionem mihi commendarat, ejus mensa usus sum.

4. Aliquanto post, quum pater meus regni affectati apud Satyrum accusatus esset, egoque cum exsulibus conspirasse dicerer, Satyrus et patrem meum in vincula conjicit, et ad Ponticos negotiatores huc scribit ut et pecunias a me auferrent et ipsum redire domum juberent: quod ni fecissem, a vobis exposcerent.

5. Tantis igitur malis, judices, circumventus apud Pasionem fortunas meas deploro: nam ita eum complectebar familiariter, ut non pecunias tantum sed alia quoque ejus potissimum fidei crederem. [Existimabam autem, si pecunias universas amisissem et patri meo aliquid accidisset, me et hic et illic opibus spoliatum ad summam inopiam redactum iri: sin esse mihi pecunias faterer et post Satyri

literas eas postulantis non tradidissem, id et patri et mihi gravissimas calumnias pariturum.] Nobis igitur deliberantibus consultissimum videbatur ut [dicerem omnia me facturum quæ Satyrus imperasset, et] pecunias quas in promptu haberem traderem, quæ vero apud istum essent, eas non modo negarem, sed etiam fœnore plures accepisse tum ab isto tum ab aliis simularem, omnia denique facerem per quæ illis maxime persuaderetur mihi non esse pecunias.

6. Tunc igitur, judices, putabam Pasionem mihi cuncta hæc suadere ex benevolentia: re vero cum Satyri legatis transacta, eum fortunis meis tetendisse insidias animadverti. Nam quum Byzantium navigaturus mea recipere vellem, iste pulcherrimam sibi occasionem esse datam ratus est — quippe quod et pecunia apud se reposita magna esset ac digna impudentia, et ego multis audientibus negassem me quicquam habere, nemoque ignoraret me, quum pecunias legati peterent, fassum esse aliis etiam me debere —, adque hæc, judices, putabat, si hic mansissem, me a civitate Satyro deditum iri, sin alio me contulissem, se facile posse negligere querelas meas, sin rediisem in Pontum, me una cum patre periturum,— hæc igitur cogitans me fraudare pecuniis instituit. Ac apud me quidem simulabat, se in præsentia minus a pecunia paratum reddere non posse: sed, quum rem certo cognoscere volens Philomelum et Menexenum ad eum misissem, inficiatus apud eos est se meum quicquam habere. Tantis igitur ab omni parte malis oppresso mihi quid animi fuisse censetis? Nam si tacerem, id consequebar ut ab isto pecuniis fraudarer; sin dicerem, ut et eas nihilo plus reciperem, et apud Satyrum mihi simulatque patri maximum crimen conflarem. Optimum igitur esse duxi quiescere.

7. Post hæc, judices, mihi nuntiatur et patrem carcere liberatum esse, et Satyrum ita pœnitere omnium quæ fecisset, ut patri et fidem suam arctissime obstrinxerit, et prius imperium amplificarit, et meam sororem suo filio uxorem desponderit. His Pasio auditis, quum me aperte jus meum persecuturum sciret, Cittum puerum occulit, qui quid de pecuniis actum esset conscius erat. Quem quum ego quæsiturus accessissem, quod me nullam actionis meæ probationem evidentiorem habere posse crederem, orationem affert audacissimam et iniquissimam, me et Menexenum puerum qui ad mensam sederet corrupisse et sex ab eo talenta per fraudem abstulisse: ne vero id facinus argui et per tormenta veritas exquiri posset, dicebat nos occultasse puerum, nunc vero ad se accusandum venire, et eum postulare quem ipsi occuluissemus. Hæc quum diceret, et indignabatur et lacrymabatur, et me ad polemarchum trahebat, sponsores postulans, neque prius destitit, quam sex talentum sponsores ei dedissem. Voca mihi harum rerum testes.

TESTES.

8. Testes audivistis, judices: ego vero, quum alias pecunias perdidissem, de aliis per summam contumeliam accusarer, ipse inquirendi causa in Peloponnesum abii, Menexenus vero puerum hic deprehendit, eumque comprehensum postulat in quæstionem tum depositi gratia tum ob ea propter quæ iste nos in crimen vocarat. Pasio autem tanta fuit confidentia, ut eum pro libero assereret, neque vereretur aut metueret, quem a nobis plagio abductum et a quo nos tantam pecuniam abstulisse dicebat, eundem in libertatem asserere ac prohibere ne torqueretur. Jam quod omnium gravissimum est, quum Menexenus puerum a polemarcho sponsione facta exposceret, Pasio septem talenta pro eo deposuit. Prodite testes.

TESTES.

9. His ita peractis, judices, putavit e præteritis actionibus manifeste suam improbitatem elucere, seque deinceps ea delicta correcturum censuit; itaque ad nos accessit, professus se non recusare quominus puerum det in quæstionem. Quæsitoribus delectis ad Vulcani ædem convenimus. Ac ego quidem petebam ut deditus puer flagellaretur et torqueretur, donec eum vera dicere putarent: Pasio vero iste eos a se lectos dicebat non ut carnifices, sed jubebat verbis, si quid vellent, puerum percontari. Orta igitur inter nos controversia, quæsitores dixerunt se puerum non esse torturos, sed æquum esse pronuntiarunt ut Pasio mihi puerum traderet. Is vero a quæstione tantopere abhorrebat, ut de tradendo quidem eis parere nollet, sed argentum solvere paratus esset si condemnatus ab eis esset. Voca testes.

TESTES.

10. Quum autem post congressus, judices, omnes eum injurium et iniquissimum hominem judicarent, qui puerum, quem ego dixeram scire de pecuniis, quum prius ipse occultasset, a nobis occultatum diceret, postea deprehensum ut liberum torquere prohiberet, post eundem pro servo deditum tortoribus delectis verbo torquere juberet, re non permitteret, his igitur de causis sibi nullum patere effugium, si in jus ambulasset, existimans, per internuntium me rogavit ut in templo se convenirem. Quum autem in arcem ventum esset, involuto capite plorabat, ac paupertate se adactum dicebat ut iret inficias, sed brevi daturum operam ut pecunias redderet; meque precabatur ut sibi ignoscerem calamitatemque tegerem, ne rescisceretur se, qui deposita soleret accipere, ad hunc modum deliquisse. Ego vero eum facti pœnitere existimans concedebam, jubebamque rationem inire, qua et ipsi consuleretur et mihi satisfieret. Triduo post congressi fidem mutuo dedimus omnino tacitum iri quæ acta essent, quam iste solvit ut vos ipsi progressu orationis audietis, ac pollicitus est se in Pontum mecum navigaturum et ibi aurum redditurum, ut quam longissime ab urbe mihi satisfaceret, neque quisquam qui hic esset modum reconciliationis nosset, et ipse peregre profectus dicere posset quicquid libuisset: quæ ni fecisset, arbitrium certis conditionibus se ad Satyrum delaturum, ut sesquialteræ partis damnaretur. Conscriptis igitur codicillis inque arcem educto Pyrone Pheræo, in Pontum navigare solito, pacta illi custodienda damus, ea conditione, ut si inter nos convenisset, scriptum combureret, sin minus, ut Satyro traderet.

11. Hæc, judices, inter nos acta sunt: Menexenus autem, iratus ob crimen sibi etiam a Pasione objectum, die illi dicta petiit ut Cittus dederetur, ac Pasioni mentienti mulcta eadem irrogaretur, quæ sibi criminis illius convicto luenda fuisset. Iste vero, judices, me precabatur ut Menexenum placarem: nihilo enim melius secum actum iri, si ex pacto æs alienum in Ponto mihi dissolvisset, et hic nihilominus ridiculus fieret: puerum enim, si torqueretur, omnibus de rebus veritatem dicturum. Ego vero petebam ut arbitratu suo cum Menexeno transigeret, mihi vero præstaret quod promisisset. Illo igitur tempore humilis erat, et quo se verteret nesciebat, non de quæstione tantum et constituto judicio sollicitus, sed etiam de scripto, ne id a Menexeno deprehenderetur.

12. Quum igitur æstuaret, et nullum aliud remedium inveniret, cum pueris rem conficit; tabulas, quæ Satyro reddendæ erant, nisi mihi iste satisfecisset, adulterat. Quod quum primum peregisset, omnium hominum factus audacissimus, ait se neque in Pontum navigaturum neque sibi mecum rei quicquam esse; tabulas coram testibus aperiri jubet. Quid vobis multa dicam, judices? scriptum in tabulis inventum est, eum mihi omnia quæ debuisset persolvisse neque me quicquam ab eo præterea postulare.

13. Rem igitur omnem, quam diligentissime verissimeque potui, vobis recensui. Suspicor autem Pasionem e corruptis tabulis petiturum sibi defensionem atque in illis omne suum præsidium collocasse. Vos igitur me, quæso, attendite: spero enim per hæc ipsa illius improbitatem declaraturum.

14. Primum autem illud cogitate. Quum daremus hospiti pactionem, qua iste sibi omnia remissa esse asserit, ego vero aurum mihi reddendum esse affirmo, jubebamus hospitem, si inter nos transegissemus, comburere tabulas; sin minus, Satyro reddere: et hæc esse dicta uterque nostrum confitetur. Quid vero nobis in mentem venisset, judices, ut juberemus eum tabulas reddere Satyro, nisi inter nos convenisset, si quidem Pasio causa liberatus fuisset, re ad

TESTES.

8. Testes audivistis, judices: ego vero, quum alias pecunias perdidissem, de aliis per summam contumeliam accusarer, ipse inquirendi causa in Peloponnesum abii, Menexenus vero puerum hic deprehendit, eumque comprehensum postulat in quæstionem tum depositi gratia tum ob ea propter quæ iste nos in crimen vocarat. Pasio autem tanta fuit confidentia, ut eum pro libero assereret, neque vereretur aut metueret, quem a nobis plagio abductum et a quo nos tantam pecuniam abstulisse dicebat, eundem in libertatem asserere ac prohibere ne torqueretur. Jam quod omnium gravissimum est, quum Menexenus puerum a polemarcho sponsione facta exposceret, Pasio septem talenta pro eo deposuit. Prodite testes.

TESTES.

9. His ita peractis, judices, putavit e præteritis actionibus manifeste suam improbitatem elucere, seque deinceps ea delicta correcturum censuit; itaque ad nos accessit, professus se non recusare quominus puerum det in quæstionem. Quæsitoribus delectis ad Vulcani ædem convenimus. Ac ego quidem petebam ut deditus puer flagellaretur et torqueretur, donec eum vera dicere putarent: Pasio vero iste eos a se lectos dicebat non ut carnifices, sed jubebat verbis, si quid vellent, puerum percontari. Orta igitur inter nos controversia, quæsitores dixerunt se puerum non esse torturos, sed æquum esse pronuntiarunt ut Pasio mihi puerum traderet. Is vero a quæstione tantopere abhorrebat, ut de tradendo quidem eis parere nollet, sed argentum solvere paratus esset si condemnatus ab eis esset. Voca testes.

TESTES.

10. Quum autem post congressus, judices, omnes eum injurium et iniquissimum hominem judicarent, qui puerum, quem ego dixeram scire de pecuniis, quum prius ipse occultasset, a nobis occultatum diceret, postea deprehensum ut liberum torquere prohiberet, post eundem pro servo deditum tortoribus delectis verbo torquere juberet, re non permitteret, his igitur de causis sibi nullum patere effugium, si in jus ambulasset, existimans, per internuntium me rogavit ut in templo se convenirem. Quum autem in arcem ventum esset, involuto capite plorabat, ac paupertate se adactum dicebat ut iret inficias, sed brevi daturum operam ut pecunias redderet; meque precabatur ut sibi ignoscerem calamitatemque tegerem, ne rescisceretur se, qui deposita soleret accipere, ad hunc modum deliquisse. Ego vero eum facti pœnitere existimans concedebam, jubebamque

rationem inire, qua et ipsi consuleretur et mihi satisfieret. Triduo post congressi fidem mutuo dedimus omnino tacitum iri quæ acta essent, quam iste solvit ut vos ipsi progressu orationis audietis, ac pollicitus est se in Pontum mecum navigaturum et ibi aurum redditurum, ut quam longissime ab urbe mihi satisfaceret, neque quisquam qui hic esset modum reconciliationis nosset, et ipse peregre profectus dicere posset quicquid libuisset: quæ ni fecisset, arbitrium certis conditionibus se ad Satyrum delaturum, ut sesquialteræ partis damnaretur. Conscriptis igitur codicillis inque arcem educto Pyrone Pheræo, in Pontum navigare solito, pacta illi custodienda damus, ea conditione, ut si inter nos convenisset, scriptum combureret, sin minus, ut Satyro traderet.

11. Hæc, judices, inter nos acta sunt: Menexenus autem, iratus ob crimen sibi etiam a Pasione objectum, die illi dicta petiit ut Cittus dederetur, ac Pasioni mentienti mulcta eadem irrogaretur, quæ sibi criminis illius convicto luenda fuisset. Iste vero, judices, me precabatur ut Menexenum placarem: nihilo enim melius secum actum iri, si ex pacto æs alienum in Ponto mihi dissolvisset, et hic nihilominus ridiculus fieret: puerum enim, si torqueretur, omnibus de rebus veritatem dicturum. Ego vero petebam ut arbitratu suo cum Menexeno transigeret, mihi vero præstaret quod promisisset. Illo igitur tempore humilis erat, et quo se verteret nesciebat, non de quæstione tantum et constituto judicio sollicitus, sed etiam de scripto, ne id a Menexeno deprehenderetur.

12. Quum igitur æstuaret, et nullum aliud remedium inveniret, cum pueris rem conficit; tabulas, quæ Satyro reddendæ erant, nisi mihi iste satisfecisset, adulterat. Quod quum primum peregisset, omnium hominum factus audacissimus, ait se neque in Pontum navigaturum neque sibi mecum rei quicquam esse; tabulas coram testibus aperiri jubet. Quid vobis multa dicam, judices? scriptum in tabulis inventum est, eum mihi omnia quæ debuisset persolvisse neque me quicquam ab eo præterea postulare.

13. Rem igitur omnem, quam diligentissime verissimeque potui, vobis recensui. Suspicor autem Pasionem e corruptis tabulis petiturum sibi defensionem atque in illis omne suum præsidium collocasse. Vos igitur me, quæso, attendite: spero enim per hæc ipsa illius improbitatem declaraturum.

14. Primum autem illud cogitate. Quum daremus hospiti pactionem, qua iste sibi omnia remissa esse asserit, ego vero aurum mihi reddendum esse affirmo, jubebamus hospitem, si inter nos transegissemus, comburere tabulas; sin minus, Satyro reddere: et hæc esse dicta uterque nostrum confitetur. Quid vero nobis in mentem venisset, judices, ut juberemus eum tabulas reddere Satyro, nisi inter nos convenisset, si quidem Pasio causa liberatus fuisset, re ad

exitum deducta? Annon evidens est, nos eam pactionem ita fecisse quasi res nondum transacta esset, de qua istum ex tabulis mihi satisfacere oportebat? Jam causas ego dicere possum, judices, ob quas iste promiserit se aurum redditurum. Quum enim nos ex criminibus apud Satyrum erepti essemus nec ipse Cittum depositi conscium occultare posset, existimavit, si puerum in quæstionem dedisset, suas machinationes deprehensum iri, sin id non fecisset, se esse condemnandum; his igitur de causis mecum transigere voluit. Jubete et istum indicare, cujus ego lucri spe aut cujus periculi metu ipsum crimine liberarim? Quod si nihil horum vobis ostendere poterit, annon æquius erit mihi credi de tabulis quam isti? Enimvero, judices, hoc facile intelligitur, si veritus essem ut actio a me probari posset, licuisse mihi etiam nulla pactione facta causa desistere: istum vero tum propter quæstionem tum propter causæ dictionem apud vos non extra periculum esse potuisse, nisi ego accusator assentirer. Quare non me de absolutione, sed istum de solutione pecuniarum pactiones facere oportuit. Deinde id quoque monstri simile est, me priusquam tabulæ conscriberentur rei sic diffisum esse, ut Pasioni non tantum causam omnem remiserim, sed etim pactionem de ea fecerim: postquam vero evidentissimo isto testimonio me ipse damnarim, tum demum apud vos judicio experiri voluisse. Quis vero est qui suis de rebus talia consilia inire velit?

15. Illud autem argumentum omnium evidentissimum est Pasionem in pactione non absolutum, sed se aurum velle reddere pollicitum fuisse: nam quum ei Menexenus diem dixisset, tabulis nondum adulteratis, misso Agyrrhio, qui est utrique nostrum familiaris, petebat ut aut Menexenum placarem aut pactionem secum initam abrogarem. Atqui, judices, num putatis eum fuisse postulaturum ut pactio aboleretur, qua nos si mentiremur convicturus erat? Non ille quidem mutata jam scriptura eadem illa dixit, sed in omnibus ad eam confugit et tabulas resignari jussit. Eum igitur pactionem primum abolere voluisse uti constet, ipsum Agyrrhium testem producam. Adscende.

TESTIMONIUM.

16. Nos igitur pactionem fecisse, non ut Pasio dicere audebit, sed ut ego vobis exposui, satis esse demonstratum arbitror. Neque vero mirandum est eum tabulas adulterasse, non eo tantum quod multa jam talia facta sunt, sed etiam quod quidam Pasionis familiares his multo graviora commiserunt.

17. Pythodorum enim cognomento Tabernarium, qui pro Pasione omnia et dicit et facit, quis vestrum ignorat anno superiore urnis resignatis eos exemisse judices qui a senatu injecti fuerant? Is igitur, qui ob rem parvulam capitis adire periculum ausus est, ut has aperiret, quæ quidem et a consulibus signatæ et ab ædilibus obsignatæ erant, et a quæstoribus custodiebantur, et in arce asservabantur, quid miri est, si tabellas apud hominem peregrinum sitas, tantam pecuniæ vim lucraturi, seu pueris ejus persuasis seu alio quopiam modo re confecta, adulterarunt? De his igitur haud scio plura dicere quorsum attineat.

18. Jam autem Pasio quibusdam persuadere conatus est mihi prorsus nullas pecunias hic fuisse, quod a Stratocle trecentos stateres sim mutuatus. Quare operæ pretium est de his etiam audire, ut sciatis quibus argumentis fretus me pecuniis fraudet.

19. Ego, judices, Stratocle in Pontum navigaturo, quum inde quamplurimas pecunias exportare vellem, precatus sum Stratoclem ut suum aurum mihi relinqueret, idque in Ponto a patre meo reciperet, magni lucri id instar esse putans, si mea pecunia in navigatione non periclitaretur, præsertim quum eo tempore Lacedæmonii maris imperium tenerent. Hoc igitur signo confido eum non probaturum me pecuniam hic non habuisse; mihi vero aurum apud istum fuisse, firmissimas probationes ea ipsa erunt quæ cum Stratocle egi. Nam Stratocle interrogante quisnam sibi pecuniam redditurus esset, si pater ea quæ literis continerentur non fecisset, aut ipse reversus hic me non reperiret, ad Pasionem eum adduxi, qui se et sortem et usuras ei redditurum promisit. An vero putatis, si nihil apud eum depositum habuissem, eum tam facile tantæ pecuniæ sponsorem mihi futurum? Prodite testes.

TESTES.

20. Fortassis autem, judices, de illo etiam testes producet, me apud Satyri procuratores negasse quicquam habere præter ea quæ ipsis tradidissem, item ipsum merces meas invasisse, me confitente trecentas ei drachmas debere, et Hippolaïdam, hospitem et familiarem meum, a se mutuum sumere permisisse.

21. Ego vero, judices, illis quæ dixi malis circumventus, tum iis quæ domi habueram spoliatus, tum quæ hic erant legatis dare coactus, quum nihil mihi reliquum esset, nisi si quid celare possem retento auro quod apud istum depositum erat, fateor me et de trecentis drachmis esse confessum et cæteris in rebus ea et dixisse et egisse, per quæ illis facillime persuasum foret nullas mihi pecunias esse. Quæ non ex inopia me fecisse, sed ut illis fidem facerem, facile intelligetis. Primum enim testes producam, qui me sciunt magnas opes e Ponto attulisse, deinde eos qui viderunt me istius mensa uti, quin illos etiam a quibus eo tempore amplius mille stateres aureos alia pecunia commutavi. Præterea, tributo nobis imperato et aliis censibus habitis, ego plurimum inter omnes

hospites contuli, atque ipse delectus mihi quidem tributum maximum inscripsi, pro Pasione autem deprecatus sum quæstores, quod is meis pecuniis uteretur. Prodite testes.

TESTES.

22. Ipse præterea Pasio, non quidem verbis, sed facto ipso mihi testimonium his de rebus perhibebit. Navem enim onerariam, cui ego multas merces imposueram, quidam detulit quasi Delii cujusdam esset. Quum vero ego eam mihi assererem et in portum subduci juberem, quidam eorum, qui calumniando quæstum faciunt, ea consilia inierant, ut pæne indicta causa ego periissem. Tandem vero persuaderi sibi passi sunt ut vades a me acciperent. Ac Philippus paternus hospes accersitus, venit ille quidem, sed periculi magnitudine perterritus se subduxit: Pasio vero Archestratum mensæ præfectum mihi exhibuit septem talentum sponsorem. Atqui, si parva duntaxat jactura fuisset facienda et me nihil hic habere scivisset, nequaquam pro me tantam pecuniam spopondisset. Sed evidens nimirum est eum mihi gratificantem trecentas a me drachmas postulasse, et septem talentum sponsorem esse factum, quum existimaret satis sibi cautum esse auro meo apud se deposito. Me igitur multum pecuniæ habuisse, eamque in hujus mensa depositam, tum factis Pasionis vobis probavi, tum ex aliis gnaris audivistis.

23. Sic autem, judices, ut mihi quidem videtur, rectissime percipietis omnem controversiam, illud tempus si recordemini, et quo loco res nostræ fuerint spectetis, quum ego Menexenum et Philomelum misi qui depositum reposcerent, ac Pasio primum abnegare ausus fuit. Patrem enim meum fuisse comprehensum et opibus universis privatum, neque mihi licuisse, qui status rerum mearum tum fuit, vel hic manere vel navigare in Pontum, reperietis. Atqui utrum verisimilius est, me in tantis calamitatibus injuste accusare, an Pasionem tum nostris ingentibus malis tum magnitudine pecuniæ impulsum fraudare nos voluisse? Quis vero unquam adeo calumniarum cupidus exstitit, ut ipse in vitæ periculo constitutus alienis opibus insidiaretur? Qua spe, quo consilio contra istum injuste venissem? An ut meam potentiam reformidans mox argentum mihi numeraret? Atqui non ita cum utroque nostrum agebatur. An vero negotio in forum deducto etiam præter æquitatem meliore conditione futurus eram apud vos quam Pasio? At ne hic quidem manere parabam, quum timerem ne me Satyrus deposceret. An ut nullo meo commodo istum inimicum haberem? at nemo in tota urbe fuit quo familiarius uterer. Et quis vestrum est qui me tantæ insaniæ et inscitiæ condemnaret?

24. Est autem, judices, operæ pretium considerare quam absurda et minime credenda Pasio identidem dicere instituat. Quum enim ita mecum ageretur, ut etiamsi fateretur me pecuniis a se fraudari, persequi tamen injuriam non potuissem, tum criminatur me injuste litem inferre conatum esse: quum autem reconciliata Satyri gratia istum omnes judicio convictum iri crederent, tum demum ait me totam sibi litem condonasse. Quo quid fieri potest absurdius?

25. Neque vero in his tantum, sed cæteris pariter in rebus eum sibi contraria tum dicere tum agere palam deprehenditur: qui quum puerum, quem ipse occultarat, plagio per nos abductum conquestus esset, eundemque quum census ageretur pro servo cum cæteris famulis inscripsisset, ubi Menexenus eum in quæstionem postulavit, pro libero asseruerit. Deinde, quum deposito nos fraudaret, criminari non dubitarit nos a sua mensa sex talenta accepisse. Enimvero quum in rebus ita manifestis mentiri non dubitaret, quid ei fidei habendum est de iis quæ solus cum solo egit?

26. Postremo, judices, quum se ad Satyrum navigaturum et quicquid ille pronuntiasset facturum promisisset, etiam in eo me decepit; ac ipse quidem navigare noluit, sæpe me postulante, sed Cittum misit: qui quum eo venisset, se hominem ingenuum esse dixit, genere Milesium, atque a Pasione missum ut exponeret quid actum esset de pecuniis. Satyrus autem utroque nostrum audito jus quidem dicere de contractibus hic factis noluit, quum præsertim iste nec adesset nec quod illic decerneretur facturus esset; sed tam insignem injuriam mihi fieri judicavit, ut navicularios convocatos rogarit ut opem ferrent neque injuria me affici paterentur, et scriptas ad civitatem vestram literas Xenotimo Cancri filio perferendas dederit. Lege.

LITERÆ.

27. Quum autem, judices, tanta meæ causæ sit æquitas, illud evidentissimum signum esse arbitror me pecuniis a Pasione fraudari, quod puerum depositi conscium in quæstionem dare noluit. Quæ enim contra mensarium alia probatio evidentior esse possit? Nec enim scilicet testes adhibemus. Video autem vos quoque neque publicis neque privatis in rebus quicquam fide majore dignum aut verius existimare tormentis, ac fieri quidem posse ut aliqui subornentur qui testes sint rerum non factarum, per cruciatus autem extorta testimonia perspicue ostendere utri vera dicant. Quæ iste haud ignoravit, eaque de causa vos conjectura ut iquam rem vere intelligere maluit. Neque vero dicere potest, quæstiones pro nobis potius quam pro se futuras fuisse, propterea que se puerum dedere noluisse. Omnes enim scitis ei, si contra istum dixisset, per omne

vitæ suæ tempus summam istius crudelitatem fuisse perferendam, sin animi constantia tormentorum acerbitatem superasset, tum libertate donandum tum fraudatæ pecuniæ participem futurum fuisse. Etsi autem tanto meliore conditione futurus erat, conscientia tamen facinorum æstuans et judicium detrectare et alias criminationes subire maluit, ut ne quid certi de negotio per quæstiones compe-riretur.

28. Itaque vos rogo, judices, ut horum memores Pasionem condemnetis, neque arbitremini me ita esse improbum ut, qui in Ponto habitem, et tantas opes habeam ut aliis etiam benefacere possim, Pasionem calumniatum advenerim et de falsis depositis accusatum.

29. Est etiam Satyri et patris mei habenda ratio, qui longo jam tempore vos inter omnes Græcos maximi faciunt, qui quum ob frumenti penuriam sæpe naves aliorum mercatorum vacuas dimiserint, vobis exportandi facultatem dederunt: in privatis etiam contractibus, quorum illi judices sunt, non tantum pari sed etiam liberaliore jure disceditis. Quare vos eorum literas parvi facere non decet. Quæso igitur vos, ut et propter me et propter illos ea quæ justa sunt decernatis, neque Pasionis ementitam orationem plus quam causæ meæ veritatem valere patiamini.

ISOCRATIS

EXCEPTIO

ADVERSUS CALLIMACHUM.

---

1. Si qui etiam alii talem exceptionem in forum attulissent, ab ipsa re exorsus essem: nunc de lege primum dicere necesse est qua in judicium venimus, uti controversia quæ inter nos est cognita pronuntietis, nemoque vestrum miretur, me qui reus sim priorem dicere accusatore. Postquam e Piræeo in urbem reversi quosdam cives ad calumniandum vidistis incitatos, qui pacta solvere instituerent, tum ut illos compesceretis, tum ut aliis ostenderetis vos non coactos sed utilitate reipubl. adductos pacificationem admisisse, Archino rogante legem scivistis, si quis actionem contra datum jusjurandum institueret, ut reo statu translationis uti liceret utque prætores ea de re in primis referrent, et is priore loco diceret qui crimen præscriptione summoveret, uter vero succubuisset, is mulctam solveret, ut qui veteres offensas renovare auderent, non perjurii tantum convincerentur neque divinam duntaxat ultionem exspectandam haberent, sed confestim etiam pœnas darent. Iniquum igitur esse duxi, quum hæc legibus constituta essent, calumniatorem tantum triginta drachmarum periculo certare, rem vero meam totam familiarem in discrimen venire.

2. Ostendam autem Callimachum non tantum contra fœdera litem intendere, sed falsa etiam crimina comminisci, et arbitri quoque sententiam intercessisse. Ac rem vobis omnem ut ab initio gesta est exponam: hoc enim ubi cognoveritis, nullam ei a me ortam esse injuriam, vos et fœdera libentius defensuros arbitror et isti fore iratiores.

3. Decemviris qui post triginta tyrannos constituti fuerunt imperantibus, accidit ut ego cum Patrocle, qui tum regem agebat, familiari meo ambularem. Is Callimacho inimico suo, qui me nunc accusat, pecuniam ferenti factus est obviam. * * * quod ex iis esset qui in Piræeum confugissent. Qua de re contentione orta, factisque mutuis convitiis, cum alii multi concurrerunt, tum forte fortuna Rhino etiam unus e Decemviris accessit. Mox igitur Patrocles ad

eum de pecuniis refert: is ad collegas istorum utrumque ducit. Qui quum senatus auctoritati rem permisissent, facto judicio decretum est pecuniam illam esse publicam. Post, quum exsules e Piræeo rediissent, de Patrocle querebatur eumque accusabat ut auctorem illius calamitatis: re vero cum illo transacta, et decem minis extortis, Lysimachum criminabatur: acceptisque ab eo etiam ducentis drachmis, mihi negotium facessebat. Ac primum quidem illud afferebat me adjutorem illis fuisse, tandem autem ita frontem perfricabat, ut omnem culpam in me unum conferret: quæ fortassis etiam nunc afferre audebit. Ego vero testes ad vos producam, eos primum qui ab initio interfuerunt, uti constet me eum nec apprehendisse neque pecuniam attigisse, deinde collegas etiam, qui sciunt Patroclem non me rem ad ipsos retulisse, atque etiam senatores, e quorum testimoniis cognoscetis illum fuisse accusatorem. Age, voca rerum harum testes.

TESTES.

4. Quum igitur tam multi actis illis interfuerint, tamen iste, perinde ac si nemo esset conscius, tum ipse in circulos sese ingerens et in officinis sedens verba faciebat ut qui pessime a me tractatus pecuniisque spoliatus esset, tum ejus familiares quidam me conveniebant suadentes ut cum eo controversiam illam transigerem, nec male audire vellem aut in magnæ pecuniæ periculum venire, etiamsi mihi optimam habere causam viderer; multa enim in judiciis præter opinionem evenire, et apud vos in ferendis suffragiis casum potius quam æquitatem dominari, quare utilius et conducibilius esse mihi parvo sumptu magnis criminibus liberari quam nulla pecunia numerata tantum periculum subire. Quid vobis ea singulatim commemorem, quæ a me pleraque prætermissa de hujusmodi negotiis dici solent? Tandem igitur parui — nam omnem veritatem vobis dicam — ac ducentas isti drachmas dedi. Ne vero de integro calumniari liceret, arbitrum certis conditionibus Nichomachum Batensem sumpsimus.

TESTES.

5. Ac primum pacta iste servabat, deinde consilio inito cum Xenotimo, qui et leges adulterat et judicia corrumpit et magistratus vexat, malorum denique omnium auctor est, die dicta decem millia drachmarum a me postulat. Quum autem ego teste producto actionem dari posse negarem quod arbitrium intercessisset, testem reum peragere noluit; sciebat enim, nisi quintam suffragiorum partem tulisset, sibi mulctam fore solvendam: sed agendi potestate a magistratu impetrata rursus eandem mihi actionem intendit, ut minore periculo sportularum duntaxat experiretur. Ego vero animi dubius quo in his malis me verterem, tandem consultissimum esse duxi æquato utrimque discrimine in judicium venire. Ac res ita actæ sunt.

6. Audio autem Callimachum in animo habere non tantum falsa mihi crimina impingere, sed arbitrium etiam negaturum, et hujusmodi orationem esse meditatum, se nunquam Nicomachum sumpturum arbitrum fuisse, quem olim nobis familiarem esse sciret, nec esse consentaneum ducentas pro decies mille drachmis accipere voluisse.

7. Vos autem consideretis velim primum nos ad arbitrum venisse re non controversa sed pactione facta. Quare nihil absurdi fecit si Nicomachum arbitrum dedit, sed id potius esset inconveniens, si re jam transacta de arbitro rixaretur. Deinde, si quidem illi decies mille drachmæ deberentur, non veri esset simile, duabus minis fore contentum: sed, quum injuste criminaretur et per calumniam, nihil miri est tantillum accipere voluisse. Præterea si multa postulavit, pauca exegit, non eo argumento probat arbitrium non intercessisse, sed illud potius, se nos initio per injuriam accusasse. Miror autem eum, qui se posse intelligere putet, non esse verisimile se pro decies mille drachmis ducentas accipere voluisse, me excogitare non potuisse credere, si mentiri voluissem, dicendum fuisse me longe plus numerasse. Peto autem, quantum ei argumentum est arbitrii non interpositi, quod in accusatione perscripta non obtinuerit, ut tantum mihi quoque illud signum sit me de arbitrio vera dicere, quod testem reum peragere ne voluisse quidem illum constat.

8. Cæterum, si nec arbitrium factum esset nec ulli de re testimonium dicerent, sed conjecturis duntaxat nitendum esset, ne sic quidem vos non facile quid justum esset cognituros arbitror. Nam si hactenus alios etiam læsissem, non immerito statueretis, me erga istum etiam deliquisse: nunc me neminem civium vel pecuniis mulctasse vel in periculum capitis adduxisse, vel deletum e societate reipublicæ in Lysandri catalogum inscripsisse, constabit. Atqui triginta tyrannorum improbitas multos impulit ad talia facienda: facinorosos enim non modo non puniebant, sed quibusdam etiam scelera imperabant. Nemo autem me vel sub illorum imperio tale quicquam admisisse inveniet: iste vero sibi factam injuriam conqueritur, ejectis jam triginta tyrannis, et Piræeo occupato, et populo rerum potiente, quum jam de pacificatione ageretur. An vero creditis, eum qui sub triginta tyrannis modeste se gesserit, injurias in id tempus faciendas reservasse, quo cæteros suorum facinorum pœnitebat? Quid vero dici potest a veritate abhorrentius, quam me, qui inimicorum ulcisci neminem voluerim, istum lædere instituisse, cum quo nihil unquam rei mihi fuerat?

9. Ac me quidem in causa non fuisse ut Callimachi pecunia publicaretur, satis ostensum esse puto: isti autem non licuisse afferre in judicium illorum temporum controversias, ne tum quidem si fecissem omnia quæ ille arguit, e fœderibus cognoscetis. Cape libellum.

FŒDERA.

10. Annon igitur justam præscriptionis meæ causam habui, quum aperte fœdera omni periculo liberent tam delatores quam quadruplatores atque alios qui simile quippiam designarunt, egoque ostendere possim me neque hæc egisse neque aliud quicquam deliquisse? Lege etiam jusjurandum.

JUSJURANDUM.

11. Ferendum igitur, judices, quum talia fœdera sint, et tali jurejurando firmata, ut Callimachus, eloquentia sua fretus, se vobis persuasurum esse putet ut his contraria decernatis? Quod si actorum civitatem pœnitere videret, minus esset mirandum: nunc non ferendis tantum legibus ostendistis vos fœdera magnifacere, sed etiam Philonem Cœlæum delatum falsæ legationis, quum rem ipsam tueri nullo modo posset, tamen ob hoc unum quod fœdere nitebatur, et dimisistis et ne judicium quidem de eo facere voluistis. Quum autem civitas illis etiam parcendum esse censeat qui se peccasse fatentur, iste prorsus innocentes calumniari non dubitat. Atqui ne illud quidem eum præterit, Thrasybulum et Anytum, tum in urbe potentissimos tum pecuniis multis spoliatos, quamvis quadruplatores norint, tamen eos in jus vocare non audere neque meminisse injuriarum; etsi enim cæteris in rebus plus aliis possunt, quod ad fœdera tamen attinet, æquo et pari jure cum cæteris vivendum sibi censent. Neque hi solum hac æquitate usi sunt, sed nec vestrum quisquam talem actionem instituere ausus fuit. Atqui committendum vobis non est ut jusjurandum, quod in vestris negotiis servatis, propter istius calumniam negligatis, et, quum privatas transactiones auctoritate publica sanciatis, civitatis conventiones privatim a quolibet everti patiamini. Illud autem in primis admiratione dignum fuerit, vos, dum obscurum esset adhuc utrum reconciliatio e republica futura esset necne, ita eam jurejurando firmasse, ut, etiamsi non expediret, stare tamen conventis necesse esset, si nunc demum postquam eventus tam felix fuit, ut etiamsi fides data non esset, hanc reipublicæ formam conservari deceret, a jurejurando recedetis; quum iis qui fœdera delenda esse dixerunt fueritis irati, istum, qui ea jam in literas relata frangere audet, impune dimittetis? Sed neque justa neque vobis digna neque prioribus vestris decretis consentanea faceretis.

12. Cogitate autem vos maximis de rebus judicaturos convenisse. De fœderibus enim suffragia laturi estis, quæ nullo unquam tempore neque vobis erga alios neque aliis erga vos neglexisse profuit: in quibus tanta vis est, ut pleræque res tum Græcorum tum barbarorum ex pactis et conventis transigantur. His enim freti convenimus, et commercia agitamus: per hæc inter nos contrahimus, per hæc tum privatas inimicitias tum communia bella deponimus: hoc uno tanquam communi bono homines omnes uti non desistimus. Quare cum omnium officium est fœdera tueri, tum vestrum in primis.

13. Nec enim diu est, quum nobis bello subactis et in hostium potestatem redactis, quo tempore nostram urbem multi eversam volebant, ad jusjurandum et fœdera confugiendum fuit; quæ si Lacedæmonii violare auderent, quantopere quisque vestrum indignaretur? At quid absurdius quam de his rebus alios accusare, quibus ipse sis obnoxius? Quis vero nobis injuriam fieri crederet, si male tractaremur contra fœdera, quæ nec ipsi magni facere videremur? An vero nobis alii fidem habituri sunt, si eam fidem, quam ipsi mutuo dedimus, adeo temere solvemus? Operæ pretium porro est illud etiam meminisse, nostram urbem, quum majores nostri multa præclare bello gesserint, ob hanc reconciliationem vel in primis celebrari. Nam in præliis multæ urbes ostendi queant quæ strenue dimicarint, de seditione vero nemo ullam proferet quæ prudentius nostra deliberarit. Jam earum rerum quæ in acie geruntur, maximam partem suo quasi jure fortuna vendicat: hæc autem erga nos moderatio est nostræ prudentiæ tribuenda. Quare gloria hæc minime projicienda est.

14. Neque vero me quisquam putet excedere modum, aut rem nimis exaggerare, propterea quod in privato periculo hæc verba feci. Nec enim ego tantum de postulatis pecuniis in discrimen venio, sed ut ego de his, sic vos de iis quæ paulo ante dicta sunt, quibus de rebus neque pro dignitate quisquam dicere nec pœnam satis grandem constituere possit. Tantum enim inter hoc judicium et alia interest, ut cætera quidem ad reos duntaxat attineant, in hoc vero periculum commune civitatis agitur. De hoc bis jurati sententiam dicitis, semel de more judiciorum, iterum propter fœdera. Si in hoc judicio ab æquitate aberrabitis, non urbis nostræ tantum sed et communes omnium leges violabitis. Quare minime vos decet vel gratiæ vel lenitatis vel ullius rei alterius in dicenda sententia nisi jurisjurandi rationem habere.

15. Ac decere quidem et expedire et justum esse ut sic de fœdere sentiatis, nec ipsum Callimachum negaturum arbitror: suam autem inopiam fortasse deplorabit et acceptam calamitatem, et nihil posse iniquius aut crudelius fieri quiritabitur, quam si mulctam etiam in democratia solvere cogatur pro iis pecuniis quas in oligarchia vi

spoliatus amiserit, ac tum propter opes suas exsulare sit coactus, nunc eo tempore, quo ulsciscenda sibi esset injuria, ignominia sit notandus. Accusabit eos etiam, qui mutata republ. in urbe manserunt, ut ea re ad maximam vos indignationem concitet: fortassis enim audivit ex aliquo vos, si sontes non deprehenderitis, obvios punire. Ego vero nec eo vos animo esse puto, et ad istiusmodi rationes facile posse responderi censeo.

16. Ac quod ad lamentationes attinet, vobis juvandos esse dico non eos qui se calamitosissimos esse declararint, sed qui causam, de qua litem contestati sunt, æquiorem esse probarint. De mulcta vero, siquidem istarum rerum ego auctor essem, haud injuria si pœna luenda esset illius vicem doleretis; nunc ipse is est qui calumnietur, quare merito nullum ejus dictum probabitis. Deinde illud etiam considerabitis, omnes eos qui e Piræeo in urbem sunt reversi eadem quæ istum posse dicere, quorum alius nemo ausus est tale subire judicium. Atqui odio persequendi sunt homines istiusmodi et mali cives habendi, qui, in iisdem malis cum cæteris versati, alias quam cæteri pœnas sumere volunt. Præterea, nunc etiam ei est integrum, priusquam vestræ sententiæ periculum faciat, actione omissa toto negotio liberari. Nonne autem absurdum est istum in eo periculo a vobis petere misericordiam, quod penes ipsum est, et in quod se ipse conjecit et quo etiam nunc liberari potest?

17. Si vero earum rerum quæ in oligarchia gestæ sunt oblivisci nequit, ab eodem postulate ne accuset ea de quibus nemo responsurus est, sed ut illud doceat, me pecunias abstulisse, de quo vobis pronuntiandum est, neque ostendat se indignis tractatum esse modis, sed me fecisse probet, a quo ea quæ amisit recuperare studet: nam se quidem calamitosum esse, quemvis civium accusando poterit ostendere. Decet autem apud vos magni esse momenti, non eas accusationes quibus etiam contra insontes uti liceat, sed eas quæ non nisi in auctores injuriarum conveniunt. Ad ista igitur verba refutanda et hæc fortasse sufficiunt et post erit respondendi locus.

18. Cogitate porro, etiamsi me aliquis eadem bis inculcare dicat, multos exspectare hujus judicii eventum, non quod nostra negotia curent, sed quod existimant de fœdere judicium fieri. Quos pronuntiato eo quod justum est vos omni metu liberabitis: sin minus, quibus animis fore censetis eos qui in urbe remanserunt, si pariter omnibus irasci videamini qui illam rempublicam participarunt? Quantopere angentur qui vel parvi delicti sibi conscii fuerint, si nec modestissimos jus suum viderint posse adipisci? quanti tumultus excitabuntur, quum aliis additus animus fuerit ad calumniandum quasi causa ipsorum jam a vobis comprobata, alii hunc civitatis statum pertimescent nec ullum sibi confugium relictum esse videbunt? Annon metuendum est, ne jurejurando violato denuo in illa

mala incidamus, quæ nos hæc fœdera facere coegerunt? Enimvero vos ab aliis discere nihil necesse est quantum concordia bonum sit aut quid mali seditiones habeant: nam ita evidenter experti estis utrumque, ut his de rebus alios etiam optime doceretis.

19. Ne autem eo videar in fœderibus immorari, quod facile sit multa æqua de iisdem dicere, hoc tantum in pronuntiando vos meminisse velim, antequam ea facta essent bellum nos gessisse, alios mœnibus inclusos, alios Piræeo occupato, infestioribus erga nos invicem animis quam in eos quos majores nostri hæreditarios nobis hostes reliquerunt: postquam autem in unum convenimus fide data et accepta, ita honeste et comiter in urbe vivere, quasi nullæ inter nos dissensiones exstitissent. Ac tum quidem nos ab omnibus stultissimos et infelicissimos habitos, nunc felicissimos et prudentissimos Græcorum omnium judicari. Quare qui fœdera violare audent, non modo magnis sed extremis suppliciis afficiendi sunt, ut qui maxima conflare mala conentur, illi præsertim qui sic vixerunt ut Callimachus.

20. Qui, quum Lacedæmonii decem perpetuos annos bello nos infestarent, nullum unquam diem ducibus præsto fuit ut in acie collocaretur, sed eo tempore subinde aufugit opesque suas occultavit; postquam vero triginta tyranni summa rerum potiti sunt, tum demum in urbem reversus est. Et se quidem popularem esse dicit, tanto autem aliis cupidior est societatis illius reipublicæ, ut ab eis ne male quidem tractatus recedere voluerit, sed cum auctoribus injuriarum obsideri maluerit quam vobiscum qui una læsi eratis degere. Et ad eum usque diem particeps reipublicæ apud illos manserit, quo murum oppugnaturi eratis: tum vero demum exiit, non status præsentis odio, sed imminentis periculi metu, ut postea declaravit. Quum enim a Lacedæmoniis populus in Piræeo inclusus esset, rursus inde aufugit ac in Bœotia commoratus est: quare in transfugarum album potius inscribendus est quam inter exsules nominandus. Et, quum ita se gesserit tum in eos qui Piræeum occuparant tum qui in urbe manserant tum erga totam civitatem, non contentus est pari jure cum cæteris, sed meliore conditione esse vult quam vos estis, perinde ac si vel solus læsus vel civium optimus vel maximis cladibus propter vos affectus esset aut plurima in rempubl. beneficia contulisset. Vellem equidem eum ita notum esse vobis ut mihi est, ne ob amissa vicem ejus doleretis, sed relicta illi invideretis. Nunc quibus aliis insidiatus sit, quas lites tum de publicis tum de privatis criminibus intenderit, quorum factionibus adhæserit, quoties falsa testimonia dixerit, etiamsi datum mihi tempus duplicaretur, non satis esset ad enarrandum: sed, si unum duntaxat facinus audiveritis, facile omnem ejus improbitatem cognoscetis.

21. Cratinus cum istius affine de fundo quodam litigabat. Quum

autem ad manus ventum esset, ancilla occultata criminabantur Cratinum caput illi contrivisse, atque ex eo vulnere mulierem dicentes esse mortuam, diem ei dicunt rei capitalis in Palladio. Cratinus istorum insidiis auditis interea quievit, ne mutato consilio alias fraudes comminiscerentur, utque in re præsenti scelera eorum deprehenderentur: proinde, quum istius affinis accusatoris partes obiisset, iste autem pro testimonio affirmasset reapse mulierculam esse mortuam, domum in qua illa occultabatur ingressi, vi abreptam et in judicium adductam viventem omnibus iis qui aderant ostenderunt. Itaque quum septingenti judices sederent, et quatuordecim idem testimonium dixissent ac iste, ne unum quidem suffragium tulit. Voca testes.

TESTES.

22. Quis igitur facinora istius satis acriter insectetur? quod majus exemplum vel injustitiæ vel calumniæ vel improbitatis invenietur? Sunt enim quædam injuriæ quæ non omne ingenium nebulonum aperiant, e talibus autem facinoribus tota vita delinquentium facile perspicitur. Nam qui viventes testatur esse mortuos, quo is facinore abstinebit? qui alienis in rebus ita improbus est, quid in suis non auderet? An vero isti credendum pro se dicenti, quem in aliorum gratiam pejerasse constat? Quis unquam falsi testimonii evidentius est convictus? nam alios e verbis judicatis, istius vero testimonii falsitatem judices viderunt. Iste igitur quum tantis criminibus se obstrinxerit, tamen dicere audebit nos mentiri, in quo perinde faciet ac si cui Phrynondas stellionatum objiceret, aut Philorgus, qui Gorgonium surripuit, aliis sacrilegium exprobraret. Quis vero minus rerum non factarum subornare testem dubitabit, quam iste, qui ipse aliis falsum dicere testimonium audet?

23. Sed Callimachum sæpe licebit accusare — hanc enim vitæ suæ rationem esse voluit —, quod autem ad me attinet, cætera munera omnia missa facio, ejus vero, de quo mihi non modo jure gratiam habebitis, sed quo etiam testimonii loco de tota re uti queatis, faciam mentionem. Nam quum nostra urbs classe in Hellesponto amissa imperio privata esset, plurimis trierarchis ita præstiti, ut meam navim cum paucis conservarim, atque inter illos paucos hoc peculiare habui, quod ego solus nave in Piræeum perducta in trierarchia perseveravi; quum enim alii et publica munera cupide excuterent et de præsenti statu desperarent, et factorum sumptuum pœniteret, et reliqua dissimularent, putantes actum esse de republica, et privatis rationibus consulerent, ego longe alium animum habui, et, quum fratri meo persuasissem ut mihi trierarchiæ socius esset, nautis de nostro mercedem numerantes, hostes vexavimus. Denique quum Lysander capite sanxisset, ne quis frumentum ad vos advēheret, tanto fuimus in rempublicam studio ut, quum alii ne sua quidem importare auderent, nos, quod ad illos vehebatur intercipientes, in Piræeum perduceremus. Pro quibus beneficiis vos publice nobis coronas decrevistis, et, ut ante statuas heroum proclamaremur tanquam optime de republica meriti, censuistis. Sunt autem populares habendi, non qui florente populari statu se cum populo conjungunt, sed qui afflicta et jacente republica pro vobis vitæ discrimen adierunt, neque istis gratia est habenda qui privatim cladem aliquam acceperunt, sed his qui vobis benefecerunt, neque illi pauperes commiseratione digni sunt qui suas opes ipsi perdiderunt, sed qui easdem vestra causa insumpserunt.

24. E quorum numero me fuisse comperietis, qui quidem omnium essem infelicissimus, quum de meo magnos sumptus in rempublicam fecerim, si jam viderer alienis insidiatus esse, et infamiam apud vos subeundam negligerem, quum non rem familiarem tantum sed vitam etiam minoris fecerim quam vestram approbationem. Quem vero vestrum non pœniteret, si non statim, at paulo post, si calumniatorem ditatum videretis, me vero spoliatum iis quæ post obita munera publica reliqua mihi feci? Eum, qui nunquam ullum pro vobis periculum adiit, plus posse et legibus et fœderibus; me vero, cujus tantum studium in rempubl. exstitit, ita contemni ut ne jus quidem meum consequar? Quis vero vos non reprehenderet, si Callimachi verbis adducti tantæ nos improbitatis damnaretis, quos judicio e re ipsa facto propter fortitudinem coronastis, quo tempore non ita facile erat ut nunc istum honorem consequi? Usuvenit autem nobis diversum quiddam ab aliis: cæteri enim suorum beneficiorum memoriam renovare dicendo solent, nos vero postulamus ut vestræ in nos beneficentiæ recordemini, quo ea quasi testimonio sit nostræ orationi totiusque vitæ nostræ rationem ostendat. Neque vero obscurum est, non ideo nos isto honore potiri studuisse, ut in oligarchia opes aliorum diriperemus, sed ut urbe conservata et alii sua tenerent et nobis multitudo civium gratiam deberet; quam nos nunc reposcimus, non id quærentes ut æquo plus habeamus, sed illud declarantes, nos nec injuriam facere cuiquam * * * jusjurandum ac fœdera servantes. Perabsurdum enim esset, ea rata haberi ad absolvendos eos qui contra rempubl. fecerunt, in nobis autem qui benemeriti sumus omnem amittere auctoritatem. Operæ pretium autem est hunc rerum statum tueri, et considerandum alias urbes fœdera in seditiones jam inde conjecisse, nostræ ad concordiam augendam profuisse. Hæc igitur meminisse debetis, ut simul et quæ justa sunt et reipublicæ conducunt decernatis.

ISOCRATIS

ÆGINETICUS.

1. Putabam, viri Æginetæ, Thrasylochum suis rebus ita recte consuluisse, ut nemo unquam adventurus esset, qui testamentum quod is reliquit oppugnaret: quum autem adversariis hoc omnino deliberatum sit, quantumvis probe confectum tamen evertere, experiri cogor an apud vos meum jus queam adipisci. Longe autem aliter affectus sum quam plerique mortales. Nam alios graviter ferre video, si qua de re per injuriam in periculum vocantur: ego vero parum absum quin istis gratiam habeam quod mihi litem hanc intenderunt. Nisi enim res in judicium adducta esset, haud scivisset is quæ mea in defunctum merita, cujus hæreditas mihi relicta est, exstitissent: re autem cognita omnes intelligetis me majus etiam præmium meruisse. Par autem esset et istam quæ de pecuniis controversiam facit, non facultates a Thrasylocho relictas a vobis experiri adipisci, sed, ubi ostendisset se officio erga illum esse functam, tum demum lege agere in hæreditatem. Nunc tantum abest ut eam pœniteat erga viventem deliquisse, ut eo etiam defuncto tum testamentum ejus irritum facere tum familiam exstinguere et funditus delere conetur. Miror etiam patronos mulieris, si propterea putant honestum esse certamen hoc, quod etiam victi nullam jacturam facturi sint. Ego enim et illam magnam cladem esse puto, si quum actionis per calumniam institutæ convicti fuerint, exinde vobis improbiores habeantur. Sed istorum malitiam res ipsa declarabit, ubi acta omnia ab initio ad extremum audiveritis: inde autem narrandi primordia capiam, unde vos celerrime puto controversiam cognituros.

2. Thrasyllus, pater ejus qui me testamento hæredem instituit, a majoribus nullas opes habuit, sed hospitii necessitudine cum haruspice Polemæneto contracta ita se in ejus amicitiam insinuavit, ut ille moriens ei et libros divinationis reliquerit et facultatum quæ adhuc supersunt partem dederit. Thrasyllus autem his commoditatibus usus artem exercuit: qui, quum multa loca circuiret et in pluribus civitatibus commoraretur, tum cum aliis mulierculis consuevit, quarum nonnullæ liberos etiam pepererunt, quos ille nunquam pro legitimis habuit, tum adversariæ matrem illis temporibus accepit. Quum

autem magnis opibus partis patriæ desiderio moveretur: illa et cæteris dimissis, in Siphnum trajecit uxoremque duxit patris mei sororem, quum ipse quidem civium ditissimus esset, sed nobilitate et aliis dignitatibus nostram familiam inter alias eminere sciret. Tantopere autem patris mei amicitia delectatus est, ut, quum amita mea sine liberis decessisset, rursus patris consobrinam duxerit, quo necessitudo inter nos et affinitas permaneret. Quam quum non diu in matrimonio habuisset, eodem fato hæc, quo etiam prior, illi erepta est. Post hanc Seriphiam duxit quandam, ex familia longe præstantiore quam pro existimatione illius urbis, ex qua suscepit Sopolidem et Thrasylochum et filiam uxorem meam. Thrasyllus igitur, his solis legitimis liberis relictis illisque re familiari legata, decessit.

3. Ego vero et Thrasylochus tam arctam amicitiam ut paulo ante exposui a patribus acceptam, arctiorem etiam effecimus. Nam et pueri adhuc, pluris uterque alterum fecimus quam fratres, neque vel sacrificium vel spectaculum vel alium festum diem seorsim celebravimus: et adulti jam nunquam alter alterum ulla re offendimus, sed et privata communicavimus et de re publica consensimus et amicis iisdem atque hospitibus usi sumus. Sed quid de domestica familiaritate dico? quum nec in exsilio voluerimus divelli. Tandem eum tabe correptum et longo tempore decumbentem, quum quidem frater ejus Sopolis jam obiisset, mater vero et soror nondum advenisset, ita destitutum ab omnibus tanta industria et fide curavi, ut ipse mihi pro meritis nullo modo parem posse referri gratiam crederet. Nihil tamen in se desiderari passus est, sed ingravescente morbo, quum jam nullam vitæ spem haberet, testibus advocatis me adoptavit et tum sororem tum facultates suas mihi dedit. Cape testamentum.

TESTAMENTUM.

4. Recita etiam Æginetarum legem: nam ad hujus præscriptum faciendum fuit testamentum, quum hic inquilini essemus.

LEX.

5. Hac lege, Æginetæ, Thrasylochus me adoptavit, civem suum et amicum, et, si genus spectetis, Siphniorum nemine deteriorem, et eodem modo secum institutum et educatum. Quare haud scio quomodo legem magis observare potuisset, quæ jubet ejusdem conditionis homines adoptari. Cape Siphniam etiam legem, cui nobis olim dum ibi viveremus parendum fuit.

LEX.

6. Quod si, Æginetæ, has leges ita oppugnarent, ut patriæ suæ lege niterentur, minus esset mirandum: nunc illa etiam cum iis quæ jam recitatæ sunt convenit. Cape libellum.

LEX.

7. Quid eis igitur est reliquum, quum et ipsi testamentum hoc a Thrasylocho relictum esse fateantur, et leges illis nullæ, mihi omnes patrocinentur? primum vestra lex qui de negotio judicaturi estis, deinde lex Siphniorum, unde auctor testamenti oriundus fuit, postremo ea quæ apud istos valet qui nobis controversiam faciunt. Quid vero non audebunt isti, qui vobis persuadere conantur ut testamentum repudietis, quum et hæc legum sententia sit, et vobis juratis secundum eas sit pronuntiandum?

8. De ipsa igitur re me satis ostendisse existimo: ne quis vero me putet parvas ob causas hæreditatem adeptum aut istam officio erga Thrasylochum functam ea fraudari, his etiam de rebus dicam. Nam defuncti vicem me puderet, nisi vobis omnibus persuaderetur, eum hæc non tantum secundum leges, sed etiam jure egisse: idque me facile probaturum confido. Tantum enim inter nos interfuit, ut ista, quæ se genere proximam esse contendit, perpetuo cum illo et Sopolide et horum matre litigarit et inimicitias exercuerit, ego vero non tantum erga Thrasylochum et fratrem præclare me gessi, sed has ipsas facultates de quibus controversia est amicissime atque optima fide custodivi.

9. Ac de his quidem quæ olim facta sunt dicere operosum fuerit: quum autem Pasinus Parum cepit, maximam partem eorum opum clam exportatam apud hospites meos jacebant; quod hanc insulam omnium esse tutissimam putabamus. Quum vero illi angerentur ac ne omnia periissent timerent, ego noctu conscenso navigio exportavi illi pecunias cum vitæ meæ periculo: in agris enim erant præsidia disposita, et urbem quidam nostrorum exsulum occuparant, qui uno die et patrem meum et patruum et affinem meum et præter hos tres consobrinos per scelus occiderunt. Me tamen nihil horum avertit, quum persuasum haberem mihi non minus pro eis quam pro meipso pericula esse subeunda.

10. Deinde quum urbe pelleremur tanto cum tumultu et trepidatione, ut nonnulli suos etiam negligerent, nec in his malis satis habui domesticos meos conservasse, sed quia tum Sopolidem abesse tum illum ipsum ægrotare sciebam, una cum eo et matrem et sororem et opes universas extuli. Quem igitur eas æquius est habere quam qui et tum conservavit, et nunc ab iis quorum illæ fuerunt accepit?

11. Et hæc de iis temporibus dicta sint, quibus pericula quidem adii, sed nihil mali contraxi: sed et ea proferre possum per quæ, dum illi obsequor, ipse in calamitates maximas incidi.

12. Melum enim quum venissemus, nosque sensisset ibi mansuros, rogavit ut Trœzenem secum navigarem et se nequaquam relinquerem, et corporis infirmitate et multitudine inimicorum commemorata, et quod a me destitutus non haberet quid de suis rebus statueret. A qua urbe quamvis mater abhorreret, quod pestilentem esse audierat, et hospites suaderent ut ibi maneremus, tamen visum est nobis morem illi gerendum esse. Post hæc, quum primum Trœzenem venissemus, tales morbi nos invaserunt, qui me quidem pæne confecissent, sororem certe meam puellam annos XIV natam intra dies XXX sepelii, et matrem non quinque diebus post. Quid vero animi fuisse mihi censetis, quum res meæ ita mutatæ essent? qui superiori tempore expers malorum vixeram, ac nuper et exsilii periculum feceram et inquilinum apud alios agere et meis opibus carere didiceram, matrem denique meam et sororem patria privatas videbam et peregre ac apud alienos morientes. Quare nemo mihi jure invidebit, si quid e Thrasylochi rebus commodi capio: nam dum illi obsequens Trœzene vivo, eas accepi clades quarum nunquam potero oblivisci.

13. Jam ne illud quidem dicere poterunt, me rebus secundis Thrasylochi hæc omnia subiisse, atque eundem in calamitatibus deseruisse: nam in illis ipsis evidentius etiam et certius declaravi quanta eum benevolentia prosequerer. Quum enim Æginam se habitatum contulisset ac in eum morbum incidisset quo periit, sic eum curavi ut haud scio an quisquam alius alium, maximam quidem temporis partem male affectum, ita tamen ut prodire in publicum posset, sex autem menses perpetuos in lectulo decumbentem. Et harum miseriarum quisquam cognatorum ejus particeps esse adeo non voluit, ut nec inviserit quisquam, præter matrem ejus et sororem, quæ auxerunt etiam meas molestias: nam ægrotæ Trœzene advenientes, ipsæ curatione indigebant. Ego tamen, quum alii ita se gererent, eum non deserui nec defatigatus sum, sed cum unico puero ejus curam egi; quem nec famulorum quisquam tolerare poterat, tum natura satis asperum tum ex morbo longe morosiorem factum. Quare non hoc mirum est, illos non mansisse, sed illud potius, me curæ morbi illius sufficere potuisse: qui et longo tempore tabe laborabat et e lectulo se commovere non poterat, sic autem cum eo agebatur ut nullum diem sine lacrymis ageremus, sed subinde commiseraremur et labores nostros et exsilium et solitudinem nostram. Neque hæc ullo tempore intermittebantur: nec enim mihi uspiam discedere licebat aut eum negligere videri, quod mihi multo acerbius erat quam mala cætera.

14. Velim equidem me posse vobis ostendere, qualis in eum fuerim: quo facto vos arbitror neque vocem adversariorum toleraturos. Nunc, quæ in curatione difficillima et molestissima sunt et labores acerbissimos maximamque sollicitudinem postulant, non satis commode narrari possunt. Vos igitur considerate quantis vigiliis et miseriis talis et tam diuturnus morbus sit curandus. Ego qui-

dem sic affectus fui, ut omnes amici qui accedebant, se vereri dicerent ne ego una cum illo perirem, mihique suaderent ut essem cautior: multos enim qui in eo morbi genere aliis inservissent, ipsos una periisse. Quibus ego ad hunc modum respondi, me longe malle emori quam committere ut ille ministro carens ante diem moreretur.

15. Quæ quum ego et fecerim et perpessus sim, ista mihi audet litem inferre, quæ in tam diuturno morbo nunquam eum visere dignata est, quum quidem quotidie audiret quo modo cum eo ageretur, et iter tam expeditum haberet. Itane nunc demum fraternum erga eum animum induere et blandum illud fratris nomen usurpare conantur? quasi vero non, quanto familiarius mortuum illum compellarint, tanto major ipsius appareat inhumanitas atque impietas? Quæ quum videret, cum jam morte cadebat, quantum nostrorum civium Trœzene erat, eos Æginam trajicere et funus ejus sua præsentia ornare, ne hoc quidem tempore advenit, sed ita crudelis atque immanis fuit ut justis quidem persolvendis non interesset, de relictis autem bonis, antequam decem dies exissent, adventarit motura controversiam, quasi cognata pecuniæ non hominis fuisset. Quæ si fatebitur sibi cum eo tantas inimicitias intercessisse ut jure ista fecerit, non male sibi Thrasylochus consuluit, si suas opes amicis potius quam isti relinquere voluit: sin, quum nihil dissidii inter ipsos esset, eum tam inhumaniter neglexit, multo fuerit æquius eam suis bonis privari quam illius hæreditatem cernere. Cogitate igitur, quantum in ista fuit, neque in morbo curatum esse neque post obitum justa ei persoluta esse, quæ utraque illi ego præstiti. Æquum autem est vos secundum eos judicare, non qui se genere proximos esse dicunt, reipsa inimicos præbuerunt, sed secundum eos potius, qui quum nomen cognationis non haberent, majore fide in calamitatibus inservierunt quam sanguine conjuncti.

16. Ac testamentum hoc a Thrasylocho esse relictum non negant, sed bene et recte factum esse negant. Atqui fieri potest, Æginetæ, ut quisquam suis rebus melius consulat? quum et familiam suam conservarit, et amicis gratiam retulerit, et matri sororique suæ non suam rem familiarem duntaxat sed etiam meam tradiderit, quarum alteram uxorem mihi dedit, alteri me adoptavit? Rectius ergo ille fecisset, si neque matri curatorem constituisset nec ullam mei mentionem fecisset, et sororem suam fortunæ commisisset, et nomen gentilitium exstingui pateretur?

17. At fortassis indignus fui ego qui in Thrasylochi familiam transirem et sororem ejus haberem. Enimvero Siphnii omnes testabuntur majores meos et genere et opibus et auctoritate principes esse civitatis. Qui enim vel ampliores magistratus gesserunt, vel plus pecuniæ contribuerunt, vel ædilitatibus luculentius functi sunt, vel magnificentius reliqua munera obierunt? e qua Siphni familia

plures reges exstiterunt? Quare Thrasylochus, etiamsi nunquam cum eo collocutus fuissem, haud injuria propter hæc mihi sororem suam dare voluisset, et ego, tametsi nihil horum esset atque civium vilissimus essem, jure tamen ac merito propter collata in ipsum beneficia maxima quæque ab eo consecutus essem.

18. Arbitror autem eum testamento hunc in modum facto etiam fratri Sopolidi rem fecisse gratissimam: qui et ipse istam oderat sibique male velle putabat, et me inter amicos omnes maximi faciebat. Quod tum sæpe alias, tum vero in primis declaravit quum exsulibus visum est cum copiis auxiliaribus urbem invadere. Dux enim creatus ac dictator me et scribam delegit et quæstorem constituit, et prælium commissurus juxta se in acie collocavit. Quod ei quantopere profuerit considerate: nam quum urbis oppugnatio nobis non successisset neque ita uti volebamus recederemus, eum tam graviter vulneratum ut ambulare non posset, ac fere moribundum, cum famulo meo humeris impositum ad navem deportavi; quare sæpe et ad multos dixit se mihi soli omnium salutem suam acceptam referre. Quo beneficio quid majus esse potest? Deinde quum navigatione in Lyciam suscepta mortuus esset, ista paucis diebus post acceptum de obitu ejus nuntium sacrificabat et festum diem celebrabat, nec eam vel fratris adhuc viventis pudebat, quod mortem defuncti tam leviter ferret; ego vero sic eum lugebam, ut lugere cognatos moris est. Et hæc faciebam omnia ex ingenio meo et propter illorum amicitiam, non hujus judicii causa: nec enim putabam ita male cum eis actum iri, ut sine liberis uterque mortui conspiciendum relicturi essent, quo animo unusquisque nostrum in ipsos fuisset.

19. Ac quemadmodum erga Thrasylochum et Sopolidem illa et ego affecti fuerimus, fere audivistis: fortassis autem nunc ad eam orationem se convertent, quæ eis reliqua est, Thrasyllum istius mulieris patrem, si quis sensus sit defunctis rerum quæ hic gerantur, existimaturum iniquissime secum agi, si videret filiam hæreditate fraudatam, et opes suo labore partas ad me rediisse.

20. Ego vero censeo non de jam olim defunctis, sed de iis qui hæreditatem proxime reliquerunt, verba nobis facienda esse. Thrasyllus enim ille, quos ipse voluit, hæredes instituit: æquum autem est idem jus a vobis huic Thrasylocho relinqui, et in hæreditate illi succedere non istam, sed quos ille testamento successores designavit. Neque tamen ego vel Thrasylli stare judicio recusarem. Quem judicem contra istam omnium acerrimum fore arbitror, si intelligeret quomodo liberos ipsius tractasset: atque adeo non indignaturum, si vos secundum leges sententiam tulisse videret, ut id longe iniquiore animo ferret, si testamentum a filio suo factum fieret irritum. Nam siquidem Thrasylochus facultates suas meæ familiæ

tradidisset, in eo fortassis ipsum possent reprehendere: nunc per adoptionem in suos omnia contulit, ut non pauciora acceperint quam dederint. Jam his omissis, neminem Thrasyllo verisimile est benevolentiorem esse iis qui de donatione in judicio contendunt. Nam et ipse artem didicit a Polemæneto haruspice et pecunias accepit non jure cognationis sed merito virtutis. Quare nemini invidebit, qui de liberis ipsius bene meritus eodem beneficio quo ipse afficiatur.

21. Sed et ea sunt in memoriam revocanda quæ primo loco dixi. Eum enim necessitudinem nostram tanti fecisse ostendi, ut patris mei et sororem et consobrinam duxerit. Quibus igitur filiam suam libentius despondisset quam iis a quibus ipse potissimum uxorem accipere voluit? E qua porro familia filium in suam familiam adoptatum maluisset, quam ex qua quidem germanos liberos suscipere expetivit?

22. Itaque, si hæreditatem mihi adjudicaveritis, et illi et cæteris omnibus, ad quos hæc negotia aliqua ex parte attinent, rem gratam facietis: si vero istius oratione decepti fueritis, non mihi tantum injuriam facietis, sed Thrasylocho etiam testamenti auctori, et Sopolidi, et sorori eorum quæ nunc mea uxor est, et eorum matri, quæ omnium mulierum infelicissima erit, si præter orbitatem in id quoque malum inciderit, ut et illorum voluntatem frangi et familiam exstingui videat, et quum ista malis ipsius insultans pecuniam sibi vendicet, me, qui filiis suis tam magna fecerim, nihil æqui posse impetrare; quare si quis hac lite omissa eos spectet qui unquam ex donatione hæreditatem petierunt, me tantam fidem amicis præstitisse quantam quisquam alius comperiet. Honorandi autem sunt et multi faciendi tales multo magis quam aliorum donationes eis eripiendæ. Atque etiam legem defendere debetis, per quam nobis et liberos adoptare licet et de re familiari nostro arbitratu statuere, quum legem hanc orbis loco liberum esse intelligatis: quæ quidem eam vim habet atque efficit, ut et cognati et nulla necessitudine conjuncti inter se magis curent.

23. Ut autem dicendi finem faciam neque diutius his rebus immorer, quanta sit æquitas causæ meæ considerate: primum enim, qui hæreditatem reliquerunt, vetere et a patribus accepta et ad finem usque perducta amicitia ii mihi conjuncti fuerunt, deinde multa et magna in eos beneficia rebus ipsorum adversis contuli, præterea testamentum in promptu est quod ne adversarii quidem negare audent, denique lex Græcis omnibus probata huic testamento suffragatur. Cujus rei maximum illud argumentum est, quod, quum aliis multis de rebus dissentiant, de hac statuunt idem. Rogo igitur vos ut, et hæc et cætera quæ dicta sunt recordati, ea quæ justa sunt decernatis, et tales in me judices sitis quales vobis alios esse cuperetis.

ISOCRATIS

CONTRA LOCHITEM.

1. Me igitur a Lochite vapulasse nulla injuria lacessito, omnes qui affuerunt pro testimonio dixerunt.

2. Est autem facinus hoc aliorum delictorum dissimile judicandum, nec idem sumendum supplicium de læsione corporis quod de fraudatione pecuniarum; scitis enim hoc omnibus hominibus conjunctissimum esse, nosque ob hujus incolumitatem et leges sanxisse et pro libertate pugnare et popularem statum expetere, omnes denique vitæ actiones huc referri. Æquum igitur est eos qui id violant, quod maximi facitis, gravissimo supplicio coerceri a vobis.

3. Nam eos etiam, qui leges nobis tulerunt, corporum in primis rationem habuisse reperietis. Primum enim de sola hac injuria tum privatas tum publicas actiones sine sponsione dederunt ut unicuique nostrum, ut et vellet et posset, sic ulcisci liceret eos a quibus esset læsus. Deinde in aliis criminibus ei qui offensus est solum actio in adversarium datur: de contumelia vero, tanquam crimine publico, unicuique civium re apud sexviros proposita venire in judicium licet.

4. Ac mutuis grassari verberibus usque adeo non ferendum esse putarunt, ut de maledicto legem tulerint, quæ jubet eos, qui aliquid interdictum legibus proferunt, quingentis drachmis mulctari. Quanta igitur severitate vindicandæ sunt injuriæ reipsa factæ, quum petulantiæ verborum ita succenseatis?

5. Mirandum est, si facinora paucorum dominatu commissa morte mulctanda censeatis, eos vero qui libera civitate simili studio sunt impune dimittatis. Atqui decebat tanto acrius in eos animadverti, quanto suam improbitatem evidentius ostendunt. Nam qui nunc, quum non licet, leges perrumpere non dubitat, quid is fecisset, quum magistratus vel gratiam haberent istiusmodi grassatoribus?

6. Fortassis autem Lochites rem extenuare conabitur, et accusationem cavillando, verbera nihil mihi nocuisse, ac me supra quam deceat verbis amplificare dicet omnia.

7. Ego vero, siquidem id factum esset sine contumelia, nunquam apud vos queri voluissem: nunc non reliqui damni per verbera dati,

sed ipsius pulsationis et ignominiæ pœnas eum mihi persolvere volo, quæ res homines ingenuos maximo dolore afficere debent acerrimeque vindicari.

8. Equidem vos, si quem sacrilegii furtive damnatis, in irroganda pœna non id spectare video quantum abstulerint, sed sine discrimine omnes capitis damnare, et æquum putare ut, qui eadem facinora sunt aggressi, pœnas easdem luant. Idem igitur de contumeliosis istis sentire debetis, neque id considerare, an parum verberarint, sed an leges violarint; neque enim tam id factum quod contigit vindicandum est, quam universa petulantia morum coercenda; scitis enim sæpe jam parvas causas ingentia mala peperisse, ac ab iis qui verberare ausi fuerant jam quosdam ad tantam iracundiam concitatos, ut ad vulnera, ad mortes, ad cædes, ad atrocissimas clades progrederentur: quorum nihil, quantum in reo fuit, infectum est, sed, si illius factum spectetis, omnia perpetrata sunt, fortuna autem et moderatio mea in causa fuerunt ne quid acerbius sequeretur.

9. Arbitror autem vos ita demum ut res meretur indignaturos, si vobiscum ipsi reputaveritis, quanto major hæc sit aliis peccatis. Nam alia quidem scelera partem aliquam rei familiaris lædere, verberum autem injuriam summæ rerum nocere, invenietis, et multas familias ob hanc exstinctas esse, multasque urbes eversas.

10. Et quorsum attinet aliorum cladibus commemorandis immorari? Nos ipsi bis jam statum popularem sublatum esse bisque nos libertatem amisisse vidimus, non per eos qui aliis sceleribus obstricti fuerunt, sed per contempores illos qui et hostibus servire et civibus insultare voluerunt. Quorum iste unus est. Nam etsi per ætatem illis turbis interesse non potuit, at indolem habet illi statui convenientem. Ista enim ingenia sunt quæ hostibus nostros exercitus tradiderunt, quæ patriæ mœnia subruerunt, quæ cives mille quingentos indicta causa trucidarunt.

11. Vos igitur harum rerum memores punire decet non eos modo qui tum vobis nocuerunt, sed istos etiam qui nunc eodem sunt animo in rempublicam, ac tanto magis hos quos verisimile est fore improbos quam illos qui olim peccarunt, quanto præstabilius est ingruentia mala prohibere quam præterita ulcisci; neque enim vobis exspectandum est, donec congregati ac nacti occasionem toti civitati perniciem comparent, sed quocunque in facinore vestræ potestati tradentur, in eo sunt puniendi, atque in lucro deputandum si quem deprehenderitis qui parvis in rebus omnem suam improbitatem ostentarit. Nam optimum certe quidem esset, si quod aliud signum in hominibus improbis emineret, eos, etiam priusquam civis ullus ab eis læderetur, mulctari: quia vero id sentiri non potest nisi post factas ab eis alicui injurias, tum certe, ubi cogniti fuerint, omnium officium est eos odio prosequi et pro communibus hostibus habere.

12. Illud etiam cogitate, pauperibus nihil esse metuendum ne fraude circumventi opes amittant, corporum autem injurias omnibus esse communes: itaque quum fraudatores punitis, divitibus duntaxat consulitis, quum vero protervos istos coercetis, vobismetipsis opem fertis. Quare vos hæc judicia maximi facere decet, ac in aliis contractibus tanti litem æstimare quantum accusatorem consequi æquum est, sed de injuria verberum ea mulcta irroganda est, qua soluta reum petulantiæ suæ perpetuo pœniteat. Quod si facultates proscribetis eorum qui vires suas civibus verberandis ostentant, et nullum aliud satis grave supplicium esse putabitis iis, qui corpora violantes pecuniis mulctati fuerint, bonorum judicum officio functi eritis: nam et de hoc ipso negotio recte statuetis, et cives alios modestiores efficietis, et vestram ipsi quoque vitam in tuto collocabitis. Decet autem prudentes judices, in alienis causis disceptandis æquitate observanda, suis interim quoque rebus prospicere.

13. Ac nemo vestrum, eo quod pauper sum et homo plebeius, propterea quicquam de litis æstimatione detrahendum censeat. Nec enim æquum est minora supplicia constitui de injuriis hominum obscurorum quam nominatorum, neque deteriores judicandi sunt pauperes quam opibus affluentes. Nam vos ipsos ignominia notabitis, si de civibus ita statuetis. Omnium præterea iniquissimum fuerit, in populari republica non omnes eadem consequi, et ad magistratus quidem patere nobis aditum velle, jure autem legumque præsidiis nos ultro ipsos spoliare, atque in præliis æque omnes ad tuendum civitatis statum velle oppetere, in ferenda autem sententia ditioribus plus tribuere. Neque vero, si quidem sapitis, sic erga vos ipsos affecti eritis, neque docebitis adolescentes contemnere multitudinem civium, neque tales causas a vobis alienas esse judicabitis, sed sic unusquisque pronuntiabit, quasi sua res ageretur. Nam æque omnes lædunt qui legem pro corporis nostri defensione latam conculcare audent.

14. Quare, si sapitis, alii alios cohortati Lochitæ vestram iracundiam ostendite, quum intelligatis omnes istiusmodi legum quidem esse contemptores, quæ vero hic decernuntur, ea habere pro legibus.

15. Ac ego quidem de re dixi ut potui: quod si advocatorum aliquis habet in quo mihi patrocinetur, progressus ad vos dicat.

ISOCRATIS

ADVERSUS EUTHYNUM

AMARTYROS.

1. Justæ mihi sunt causæ Niciæ defendendi: nam et amicus meus est et me rogavit et affectus injuria est et dicendi imperitus, quare propter hæc omnia causam ejus agere cogor.

2. Quam brevissime igitur potero, vobis exponam quomodo negotium hoc ei cum Euthyno intercesserit.

3. Nicias hic, triginta tyrannis rerum potientibus, quum eum inimici e civium numero deletum in Lysandri catalogum inscripsissent, rebus suis diffisus facultates oppignorat, famulos peregre ablegat, supellectilem ad me transfert, et argenti tria talenta Euthyno custodienda tradit; ipse vero in agro se continet. Non multo post alio navigaturus argentum repetit: Euthynus autem duo quidem talenta reddit, sed tertium inficiatur. Nicias igitur eo tempore nihil habebat aliud quod ageret, nisi quod apud familiares illum incusabat et querebatur et quid sibi accidisset narrabat. Atqui tanti faciebat istum et conditionem temporum ita metuebat, ut multo citius parvam jacturam silentio præterisset quam re nulla fraudatus accusasset. Et hæc quidem rei summa est.

4. Conflictamur autem magnis difficultatibus. Nam Niciæ neque deponenti pecunias neque recipienti quisquam affuit vel ingenuus vel servus: itaque nec quæstionibus neque testibus res probari potest, sed necesse est et nos argumentis docere et vos eadem hac ratione judicare utri vera dicant.

5. Arbitror autem vos omnes scire calumniari solere potissimum homines eloquentes, sed pauperes, eos qui dicendi imperiti sunt, et pecuniam dare possunt. Nicias vero Euthyno ut locupletior, sic etiam infantior est: quare nihil fuit quo fretus Euthynum injuste invaderet.

6. Quin ex ipsa etiam re intelligitur, longe verisimilius esse Euthynum id negare quod acceperit quam Niciam postulare quod non dederit. Notum enim est, lucri causa omnes injuriam facere. Qui igitur depositum negant, habent id propter quod jus violant, qui vero accusant, id quoque nesciunt an accepturi sint.

7. Præterea, reipubl. statu incerto sublatisque judiciis, hic accusando nihil profecisset, isti vero etiamsi fraudaret nihil periculi metuendum erat. Quare mirandum non fuit, eo tempore, quum ii etiam qui testibus adhibitis mutuati erant negarent, istum quod solus a solo acceperat reddere noluisse: hunc vero non consentaneum est, quum nec ii quibus jure debebatur æs alienum exigere possent, putasse injuste accusando se quicquam accepturum esse.

8. Ad hæc, si nihil ei obstitisset, sed calumniari et licuisset et libuisset, eum non contra Euthynum venturum fuisse, facile perspicitur. Nam qui tale aliquid in animo habent, tirocinium non ab amicis auspicantur: sed horum præsidiis freti alios invadunt, et eos accusant quos nec verentur nec metuunt, quosque tum divites esse vident tum copiis amicorum destitutos et rebus gerendis ineptos.

9. At in Euthyno contraria horum reperiuntur: est enim Niciæ consobrinus, et tum dicendi tum agendi facultate instructior, præterea parvas quidem facultates sed multos amicos habet. Quare nemo est quem non potius quam istum aggrederetur: nam, ut ego quidem conscius necessitudinis istorum sentio, nec Euthynus Niciam læsisset, si alium quempiam tanta fraudare pecunia licuisset. Nunc hujus causa negotii altius repetenda est et inquirenda subtilius: accusare enim licet aliquem delectum ex omnibus, fraudare vero non alium licet nisi qui depositum crediderit. Quare Nicias, si calumniari vellet, istum non invasisset; Euthynus vero, quum fraudare decrevisset, alium invenire non potuit.

10. Jam illud maximum signum est et unum omnium instar, quod eo tempore quo crimen conflatum est, oligarchia constituta erat, in qua cum utroque sic agebatur, ut Nicias, si superiori tempore calumniis victum quæritasset, tunc utique destitisset, Euthynus autem, si nunquam quicquam injusti cogitasset, tunc incitari potuisset. Nam is quidem propter delicta honorabatur, huic autem ob pecunias insidiæ comparabantur. Omnes enim scitis eo tempore majus fuisse crimen esse divitem quam scelerosum: quod hi aliena rapiebant, illi suas opes amittebant. Qui enim ad reipublicæ gubernacula sedebant, non delinquentes puniebant, sed divites spoliabant, et injustos sibi fidos, divites autem inimicos, esse putabant. Quare non eo in loco res Niciæ fuerunt, ut per calumniam alienis potiretur, sed ut, etiamsi læsisset neminem, malo afficeretur. Nam, qui ita potens erat ut Euthynus, ei potestas dabatur et ea quæ accepisset fraudandi et de his quæ non dedisset accusandi: quorum vero eadem erat quæ Niciæ conditio, hi et debitoribus æs alienum remittere et suas opes calumniatoribus dare cogebantur. Et hæc a me vere dici ipsius Euthyni testimonio cognoscetis: Timodemum enim ab hoc XXX minas extorsisse scit, non æs alienum postulantem, sed carcerem minitantem. Credi igitur qui potest eam fuisse

Niciæ amentiam, ut ipse in capitis periculo constitutus alios calumniaretur, et qui sua tueri non poterat, alienis insidiaretur, et præter eos inimicos quos jam habebat, aliorum etiam odia in se concitaret, atque illos per injuriam accusaret, a quibus, etiamsi fraudationem faterentur, jus suum consequi non potuisset? ac tum superior aliis esse studeret, quum nec æquo jure viveret? et quum ea quæ non acceperat luere cogeretur, tunc ea quæ non dedisset se impetraturum speraret? Ac de his quidem hæc dixisse sufficiat.

11. Fortassis autem Euthynus id quod jam ante quoque dixit repetet, se, si injuriam facere constituisset, nunquam duas depositi partes fuisse redditurum, et tertiam duntaxat retenturum, sed seu juste seu injuste agere voluisset, eodem animo de tota summa futurum fuisse.

12. Ego vero vos omnes scire puto, omnes homines, si quid injusti moliantur, etiam defensionem simul meditari: quare non mirandum est, Euthynum, ut ista dicere posset, hoc modo justitiam violasse. Ad hæc alios etiam ostendere possem, qui pecuniis acceptis maximam partem reddiderunt, pauca retinuerunt, et in parvis negotiis fraude sunt usi, in magnis justitiam secuti: quare istud neque solius Euthyni nec primi artificium est. Cogitate porro, si vobis fucum fieri patiemini ab istis qui dicunt talia, vos legem laturos esse quomodo fraudare oporteat: in posterum igitur partem reddent, partem retinebunt. Nam e re eorum futurum est, si, argumento pecuniæ redditæ usi, pœnas non dabunt interceptæ.

13. Considerate præterea, quam facile pro Niciæ defensione dici possint eadem quæ pro se affert Euthynus. Quum enim duo talenta recepit, nemo illi præsto fuit. Quapropter, si ei calumniari libitum fuisset, satis apparet, eum hæc etiam se recepisse negaturum fuisse, deque universis eadem verba facturum; sic et de majore pecunia Euthynus in discrimen veniret, et his argumentis uti non posset.

14. Præterea nemo queat ostendere, cur Nicias Euthynum accusaret: sed intellectu facile est, cur Euthynus hoc modo injurius fuerit. Quum enim Nicias in malis esset, omnes cognati et familiares ejus audierant eum quicquid argenti habuerat deposuisse apud istum. Intelligebat igitur Euthynus, scire multos pecuniam apud se esse, quantum vero, id neminem audivisse: quare putabat, si quid de numero subtraxisset, clam fore; sin totum retineret, deprehensum iri. Maluit igitur tantum sumere quantum satis esset, defensionemque sibi relinqui, quam ne inficiari quidem posse si nihil omnino reddidisset.

ISOCRATIS

EPISTOLÆ.

I.

ISOCRATES DIONYSIO S. D.

1. Si essem junior, non per literas tecum agerem, sed istuc profectus coram disseruissem: sed quum ætatis meæ tempus et rei gerendæ occasio non inter sese congruant — nam et ego senectute retardor, et illa nunc rectissime administrari potest —, ita eam tibi explicare conabor ut tali statu rerum fieri potest.

2. Equidem haud ignoro quantum ad persuadendum intersit, utrum viva voce an per literas consilium detur, non eo tantum quod iisdem de rebus præsenti cum præsentibus agere quam scriptis facilius est, aut quod omnes dictis quam scriptis plus credunt, et illa tanquam decreta, hæc ut figmenta, audiunt: sed propterea in primis quod in congressibus si quid forte vel non recte intelligitur vel non creditur, is qui coram adest utrique incommodo levi opera medetur; in epistolis vero et scriptis si talis scrupulus inciderit, nemo est qui tollat, ipso auctore et defensore non præsente. Sed, quum totius rei penes te judicium sit futurum, bona mihi spes est orationem nostram ponderis aliquid apud te habituram: quem rejectis omnibus id genus impedimentis res ipsas spectaturum arbitror.

3. Quidam autem, qui in congressum et colloquium tuum venerunt, me ab hoc instituto deterrere sunt conati, quum dicerent apud te assentatores in pretio esse, contemni monitores. Quorum verbis si crederem, omnino quievissem: sed nemo mihi persuadebit posse fieri ut quisquam tanta et laude sapientiæ et rerum gestarum gloria cæteris antecellat, nisi ex aliis discat, alios audiat, alia inveniat, et undecunque accersat et colligat ea quibus ingenium excolatur. Et hæ me causæ ut ad te scriberem moverunt.

4. Dicturus autem sum magnis de rebus deque iis quas audire nemini mortalium quam tibi magis convenit. Nequaquam vero putaveris te alacriter adeo esse me hortatum, ut scriptam orationem audire dignareris. Neque enim aut ego ornamenta oratoria certatim aucupor aut te ejusmodi orationes vel ad satietatem jam inde audivisse ignoramus. Adhæc illud etiam omnibus est perspicuum, si qui ostentare ingenia cupiant, celebres eis conventus esse petendos —ibi enim loci plurimos invenient eloquentiæ suæ admiratores —, si qui autem perficere aliquid studeant, iis cum eo disserendum esse,

qui rebus ipsis, quæ oratione fuerint expositæ, summum fastigium quamprimum imponat. Quod si urbi alicui consilium darem, cum magistratibus et principibus civitatis sermonem haberem: quum vero de salute Græcorum tuenda suadere instituerim, quisnam mihi æquius appellandus erit quam is qui et nobilitate et potentia Græcis omnibus antecellit?

5. Neque vero nos harum rerum intempestive mentionem facere censendum est. Nam, dum Lacedæmonii rerum potirentur, neque facile tibi fuisset gentis nostræ suscipere curam, neque illis adversari et simul cum Carthaginiensibus bellum gerere. Cum vero in eo loco res Carthaginiensium sunt, ut bene secum agi putent si suam ditionem tueri queant, nostra vero civitas promptissime tecum suas opes conjunget, si de Græcia bene mereri studueris, quæ hac melior occasio tibi dari queat?

6. Mirari autem non debes me, qui neque orator sim neque imperator nec alioqui vir potens, negotium tam arduum suscepisse, duasque res maximas conari, ut et de statu Græciæ orationem habeam et tibi dem consilium. Nam ego ut nunquam gessi rempublicam — qua quibus de causis abstinuerim, dictu operosum fuerit —, sic nemo negabit, opinor, me ea doctrina, quæ res minutas despicit et consequi arduas conatur, non esse destitutum. Quare absurdi nihil fuerit, me, quid publice prosit, aliquanto acutius perspicere quam qui isthic reipublicæ præsunt, magnamque auctoritatem habent. Statim autem declarabimus an alicujus pretii simus, cujus rei testis aptissimus ipsa erit oratio.

II.

PHILIPPO.

1. Equidem scio solere gratiores esse omnibus laudatores quam monitores, præsertim si quis præcipiendi munus non rogatus ipse ultro suscipiat. Ego vero, nisi prius optimo studio te monuissem iis de rebus, quæ officii tui esse maxime videbantur, fortasse nunc de iis quæ tibi acciderunt pronuntiare non instituerem. Sed quia mihi propositum est rerum tuarum gerere curam tum patriæ meæ tum cæterorum Græcorum causa, turpe mihi ducerem, quum de rebus non perinde necessariis consilium tibi dedissem, nunc longe graviorum nullam facere mentionem idque cum scirem illa tantum ad gloriam, hæc vero ad salutem tuam pertinere, quam neglexisse visus es iis omnibus qui convitia in te dicta audiverunt.

2. Nemo enim est quin statuat te in adeundis periculis magis esse temerarium quam regia dignitas patiatur, et de laude fortitudinis, quam de summa rerum, plus sollicitum esse. Atqui æque turpe est et hostibus circumdatum strenue pugnando aliis non superiorem esse, et, quum nulla talis urget necessitas, in ea te discrimini conjicere quibus superatis nihil memorabile gesseris, interfectus omnes fortunas una evertas. Neque vero semper præclarum habendum est in bellis occumbere, sed quando id fit pro defensione patriæ et parentum liberumque laudabile est; quum vero talis obitus et his omnibus nocet et superiorum temporum successibus labem adspergit, turpis habendus, et fugiendus est ut insignis ignominiæ conciliator.

3. Eam potius in gerendis bellis rationem tibi sequendam censeo, qua urbes utuntur. Nam hæ omnes, quum aliquo mittunt exercitus, rempublicam et senatum de rebus deliberantem in tuto collocare solent. Unde id etiam evenit, ut, si qua plaga fuerit accepta, non tamen una vires omnes amittant, sed et multas clades perferre et opes suas recuperare possint. Quod et tibi propositum esse debet, neque ullum salute majus esse bonum existimandum, ut etiam victoriis quæ contigerint recte uti queas et clades quæ inciderint reparare possis. Non vides quanta sit Lacedæmoniorum de regum incolumitate sollicitudo? adeo ut clarissimi quique cives eos

tueri soleant? quibus turpius est a capite regis pericula non depulisse quam clypeum abjecisse. Neque illa etiam ignoras, quæ Xerxi Græcos opprimere servitute conato et Cypro Persicum regnum sibi vendicare aggresso acciderunt: alter enim tantis præliis victus, tot cladibus affectus, ut nullum simile exemplum quisquam norit, tamen quia vitam conservarat, non ipse modo regnum recuperavit, sed idem filiis suis reliquit, et Asiam ita firmavit ut nihilo minus sit quam prius formidanda; Cyrus autem, victis omnibus regis exercitibus, quum summa rerum potitus esset, temeritate sua non seipsum duntaxat tanto imperio privavit, sed et milites suos in extremum discrimen adduxit. Innumeros commemorare possem, qui cum maximorum exercituum duces essent, quia ipsi immature perierunt, una secum innumeros in exitium traxerunt.

4. Hæc exempla tibi consideranda sunt, ut eam fortudinis laudem, quæ cum immani væcordia et intempestiva ambitione conjuncta est, non appetendam judices, neque ipse tibi in tot regnorum propriis periculis alia ignobilia et militaria accersas, neque cum iis certes qui aut vitam calamitosam perdere volunt aut stipendii majoris impetrandi causa temere in pericula se conjiciant; neque gloriam desideres tibi cum aliis multis et barbaris et Græcis communem, sed eam cujus tanta sit amplitudo ut tibi soli nostro sæculo contingere queat; neque tales virtutes nimis adames, quæ contemptis etiam hominibus haud negatæ sunt, sed illas quarum nemo malus particeps esse possit; neque bella geras obscura et molesta, quum honorata et leviora suscipere liceat, neque ea, per quæ et tibi conjunctissimos molestiis ac sollicitudinibus afficias, et hostibus tuis magnam spem subministres, id quod nunc quoque abs te factum est: sed barbaros istos, cum quibus nunc dimicas, tantisper vicisse suffecerit, dum regnum tuum in tuto collocaris; iste vero qui nunc Magnus Rex appellatur regno evertendus est, ut et gloriam tuam amplifices et Græcis ostendas quocum bella gerenda sint.

5. Vehementer autem optarim me hæc ad te scripsisse ante susceptam expeditionem, ut vel, si paruisses, in tantum periculum non venisses, vel, si mea monita neglexisses, ego non viderer ea suadere quæ nunc eventu magistro edocti omnes probant, sed ut exitus testaretur vera et recta fuisse mea his de rebus consilia.

6. Quum vero hujus disputationis ea natura sit ut largam dicendi materiam præbeat, ego pluribus verbis non utar; quod existimo et teipsum et ex amicis tuis viros honestissimos facile, quam multa volueritis, ad hæc adjecturos. Præterea vereor ne fuerim in hoc loco tractando intempestivus: nam, dum paulatim progredior, non animadverti me neglecta epistolæ brevitate in justæ orationis prolixitatem incidisse.

7. Quæ quanquam ita sunt, non tamen præterire debeo quæ de

nostra urbe dicenda sunt, sed danda est opera ut te adhorter ad contrahendam cum ea familiaritatem et amicitiæ usum. Arbitror enim esse multos qui nuntient atque dictitent non odiosissima tantum quæ apud nos de te dicta sunt, sed quædam etiam de suo affingant: quibus te auscultare non decet. Absurdum enim fuerit te, qui nostrum populum eo reprehendas quod calumniatoribus facile aures præbeat, illos magnifacere qui artem calumniandi exercent, neque intelligere istos, quo facilius civitatem nostram a quibuslibet in quamvis posse traduci partem asserunt, eo tibi magis opportunam eam esse ostendere. Nam, si hi qui nulla in rempubl. beneficia conferunt, solis verbis quicquid volunt impetrant, qui consentaneum est te, qui ipsis factis nos plurimum juvare potes quicquam a nobis non consecuturum?

8. Acerbis autem nostræ urbis accusatoribus illos esse opponendos video, qui Atheniensium omnia esse dicunt, neque minus eos qui Athenienses nulla vel magna vel parva in re deliquisse asserunt. Absit autem ut ego tale aliquid dicam. Nam, quum alii nec deos omni crimine vacare putent, me gloriari puderet nostram urbem nihil unquam peccavisse. Illud tamen habeo dicere, te nullam aliam urbem inventurum quæ vel Græcis vel tuis rebus magis sit opportuna: quod tibi est diligentissime considerandum. Nec enim tantum, si tecum societatem inierit, sed si vel amica tibi esse visa fuerit, maximas tibi allatura est utilitates: nam et hos qui tibi nunc parent, si non habebunt ad quos confugiant, in officio continebis, et quosvis barbarorum celerius subiges. An vero talis benevolentia non alacriter expetenda est, qua non modo partum imperium secure teneas, sed amplam etiam ditionem sine periculo acquiras? Miror equidem eorum principum rationes, qui peregrinos milites conducunt et magnis impensis alunt, a quibus et ipsi norunt plures eorum qui illis crediderunt esse proditos quam servatos, tam potentis vero urbis adjungere sibi studia non conantur, quæ tum singulas urbes tum universam Græciam sæpe jam conservavit. Illud cogita, multos laudare tuam prudentiam, quod ita cum Thessalis egeris ut et æquum erat et illis expediebat, qui quidem viri sunt non facillimis ingeniis, sed animosi et seditiosissimi. Isthæc eadem ratio de nobis etiam erit ineunda, quum scias, ut regionem Thessalorum, sic Atheniensium potentiam tibi esse finitimam; quam tibi omni studio conciliare debes, quum sit multo præclarius benevolentiam civitatum capere quam mœnia. Talia enim facta non modo invidiosa sunt, sed et quicquid fit hujus generis exercitibus plerumque adscribitur: si autem familiaritates contrahere potueris et hominum benevolentiam colligere, sapientiam tuam mirabuntur omnes.

9. Hæc quæ de urbe nostra disserui, affirmanti mihi jure credes: satis enim constat me et meis civibus adeo assentari non solere, ut

nemo sit omnium qui sæpius eos reprehenderit, neque in magno esse pretio apud vulgus et temerarios rerum æstimatores, sed illorum aliis ignotum esse, aliis æque invisum ac te. Hoc tamen inter nos interest, quod tibi potentiam et opes invident, mihi quod me illis sapientiorem esse profiteor, pluresque sunt qui mea consuetudine quam illorum delectentur. Utinam vero tam facile mihi esset, quam tibi, conceptam de nobis vulgi opinionem abolere. Nunc id quidem in tua manu est, modo velis, mihi vero tum propter senium tum pluribus aliis de causis boni fortuna mea est consulenda.

10. Non video plura dicere quorsum attineat, hoc tamen addam, licere vobis regnum vestrum ac felicitatem Græcorum benevolentiæ tanquam depositum commendare.

III.

PHILIPPO.

1. Etsi cum Antipatro etiam et de nostræ urbis et tuis commodis satis, ut mihi persuadeo, copiose disserui; tamen ad te quoque scribere volui, quid pace jam facta mihi agendum esse videatur, non multum absimilia his quæ in oratione perscripta sunt, sed multo breviora.

2. Tum enim suadebam ut, compositis nostræ urbis et Lacedæmoniorum et Thebanorum Argivorumque controversiis, Græcos in concordiam reduceres; existimabam enim, si id a principibus civitatibus impetrasses, quamprimum reliquas quoque secuturas. Ac illo quidem tempore alius erat rerum status: nunc vero in eo loco res sunt ut suadere nihil sit necesse. Nam propter commissum prælium omnes coacti sunt ad sanam mentem redire et ea desiderare quæ te velle facere suspicantur, et dicere omissa insania et avaritia, qua alios alii exagitarent, in Asiam bellum esse transferendum.

3. Complures etiam ex me quærunt utrum ego tibi suaserim ut expeditionem contra barbaros susciperes, an vero, quum tu jam id decrevisses, ego sententiæ tuæ approbator accesserim: ego vero, qui nunquam hactenus te convenerim, nihil me de eo comperti habere dico, sed putare tamen, quum tibi id jam antea deliberatum esset, me tuis consiliis suffragatum esse. Quæ illi quum audirent, me omnes rogabant ut te hortarer ne mutares consilium; nunquam enim edi posse illustriora facinora vel Græcis utiliora, neque unquam posse dari meliorem rei gerendæ occasionem.

4. Si igitur ea quæ olim fuit ingenii facultas mihi suppeteret, neque senectus omnes vires ademisset, non per literas tecum agerem, sed coram te incitarem et cohortarer ad hoc negotium strenue suscipiendum. Nunc, ut possum, te hortor ne hæc negligas aut desistas priusquam rem omnem confeceris. Alterius porro deficientium cupiditate insatiabili æstuare non est honestum — nam plerisque probatur mediocritas —, sed magnam illustremque gloriam desiderare nec ejus unquam satietate affici debent qui aliis multum antecellunt: id quod tibi contigit. Tum autem ad famæ tuæ splendorem nihil posse accedere putato eamque rebus tuis

gestis parem fore, quum barbaros, iis exceptis qui se ad ductum tuum applicaverint, Græcis servire coegeris, illumque regem, qui nunc Magnus appellatur, eo redegeris ut ea agat quæ tu imperaris. Hoc autem rerum statu nunc hæc tibi perficere multo facilius est, quam eam consequi potentiam et gloriam, quam tibi vetusti regni subsidio comparasti: neque enim quicquam tibi est reliquum nisi ut deus fias. Ego vero senectuti ob hoc unum habeo gratiam, quod eo usque produxi vitæ meæ tempus, ut ea quæ adolescens animo agitavi et tum in Panegyrica tum ad te missa oratione scribenda suscepi, partim jam per te geri et administrari videam, partim deinceps perficienda esse sperem.

IV.

ANTIPATRO.

1. Quanquam apud nos periculosum est literas mittere in Macedoniam, non modo nunc quum bellum vobiscum gerimus, sed pacis etiam tempore, ego tamen ad te scribere de Diodoto institui; æquum enim esse existimo ut magnifaciam tum omnes familiares meos qui se nobis dignos præbuerunt, tum vero hunc propter et benevolentiam erga nos et morum integritatem. Maxime autem vellem eum per nos fuisse commendatum: postquam vero aliorum opera ei aditus ad te patefactus est, hoc mihi relinquitur, ut testimonium de eo dicam eamque notitiam quæ inter te et illum est confirmem. Nam cum multi et varii viri, atque ex illis plerique gloria celebres, mea consuetudine sint usi, reliquorum alii eloquentia alii prudentia et rebus gerendis claruerunt, ac alii quidem vitæ modestia et suavitate morum commendati sunt, quum ad alios usus et actiones prorsus inepti essent: huic autem ea contigit ingenii dexteritas, ut in his quæ diximus omnibus sit absolutissimus. Quæ ego dicere non auderem, nisi et ipse ab omni parte perspectum eum haberem et omnino putarem te idem cogniturum, partim ex familiaribus cum eo congressibus, partim ex eorum quibus notus est sermonibus. Quorum nemo erit, nisi supra modum sit invidus, quin fateatur eum et eloquentia et consiliis nullo esse inferiorem, virumque justissimum et modestissimum et ab avaritia alienissimum, atque in consuetudine quotidiana et convictu suavissimum hominem et urbanissimum, ad hæc magnam in eo esse dicendi libertatem, non illam indecoram, sed hanc quæ jure maximum signum habetur benevolentiæ erga amicos: quam ex principibus hi qui tantos animos habent, quantos imperii majestas requirit, tanquam utilem venerantur; qui autem imbecillioribus sunt ingeniis quam potentiæ amplitudo postulat ut molestam aversantur, quasi vero per eam cogantur aliquid contra sui animi voluntatem facere, qui non intelligunt, quum de utilitate deliberatur, eos qui adversari audent, maximam eis dare potestatem ea quæ velint faciendi. Consentaneum enim est eos, qui ad gratiam loqui omnia student,

non modo regum imperia, quæ multa eaque necessaria pericula secum trahunt, firmare non posse, sed ne rerumpubl. quidem, quæ aliquanto tutiores sunt, libertatem; eos autem, qui propter audientium utilitatem libere quæ sentiunt dicunt, multa conservare quæ alioqui peritura videbantur. Quibus de causis æquum est apud omnes principes majorem esse eorum qui vera dicere non dubitant auctoritatem, quam horum qui ad gratiam omnia, nihil autem gratia dignum loquuntur: fieri tamen solet ut illi apud nonnullos minore in pretio sint quam assentatores. Id quod etiam Diodotum apud quosdam Asiæ proceres afflixit; quorum commodis quum multis in rebus consuluisset, non dandis modo consiliis, sed rebus etiam gerendis adeundisque periculis, quia tamen liberius eos officii sui monebat, tum honores quos in patria tenuit amisit, tum amplissimorum spe præmiorum decidit, atque ita plus valuerunt levissimorum hominum adulationes meritis et beneficiis tanti viri. His de causis, tametsi ad vos se conferre semper in animo habebat, tamen nescio quo timore est retardatus, non quod omnes in altiori dignitatis gradu collocatos similes esse inter se putaret, sed quia difficiles aliorum mores expertus minus avide spem quæ a vobis ostendebatur amplecti audebat, similia, ut puto, passus ac navigantium plerique, qui ubi semel in tempestates inciderunt, nunquam securis animis mare ingrediuntur, etsi sciunt sæpe prosperam etiam navigationem solere contingere. Sed quoniam tibi commendatus est, id bene esse factum, eique profuturum puto. Quod ut existimem, tua in primis facit humanitas, quæ ab exteris hominibus prædicatur; deinde vos præterire non arbitror nihil esse vel suavius vel utilius quam fideles simul et utiles amicos parare beneficiis, et de talibus viris bene mereri, propter quos multi etiam alii gratiam vobis habituri sunt. Omnes enim boni et docti eos, qui præstantibus doctrina et virtute viris honorem habent, non minus laudant et venerantur, quam si in ipsos collata fuissent omnia.

2. Sed ipsum Diodotum suapte potissimum industria effecturum esse arbitror ut sui curam geras. Auctor autem etiam ejus filio fui, ut se ad vos conferret seque vobis in disciplinam quasi tradito proficere atque operæ pretium facere conaretur. Quod quum ex me audisset, se quidem vestræ amicitiæ percupidum esse dixit, sed eodem esse erga illam animo quo erga certamina coronaria. Cupere enim in illis victoriam consequi, sed ad ea propterea descendere non audere, quod sibi vires coronis dignas deesse animadvertat, eodemque modo se optare quidem honores a vobis consequi, sed eam sibi facultatem negatam esse arbitrari: nam et imperitia sua et splendore vestro se deterreri, huc accedere corpusculum quoque minus elegans, et nævis quibusdam inspersum, quod exstimet in multis sibi rebus impedimento fore.

3. Et hic quidem quod e re sua esse putabit, id faciet: sive autem ad vos se contulerit, sive quieti ac otio deditus in hisce locis versabitur, curæ tibi esse velim, tum cætera quibus indigebit omnia ut subministres, tum vero et hujus et parentis ejus vita in tuto ut collocetur; existimare enim debes te hunc tanquam depositum habere a senectute nostra, quæ minime certe negligenda est, et ab ea auctoritate, si quo forte nomine digna videbitur, quam habemus, et ab ea benevolentia qua vos per omnem ætatem sum prosecutus. Neque mireris, si vel prolixiorem scripsi epistolam, vel aliquid in ea curiosius et senilius diximus: ego enim neglectis cæteris rebus omnibus in hoc unum toto animo intentus fui, ut appareret mihi maximæ curæ esse amicorum commoda, quos summa caritate complector.

V.

ALEXANDRO.

1. Quum ad patrem tuum literas darem, absurde me facturum putabam, si te, qui in eodem loco cum illo versareris, neque compellarem neque salutarem, neque tale aliquid ad te scriberem, quod efficeret ne ii qui legerint putarent me jam senio desipere aut prorsus delirare, sed ingenium, quod adhuc mihi reliquum est nec una cum vigore corporis interiit, non indignum esse ea facultate qua junior florebam.

2. Prædicari autem te ab omnibus audio, ut et humanum et Atheniensibus amicum et sapientiæ studiosum, non insipienter, sed prudentissime. Illo quoque laudem mereris, quod ex nostris civibus amare et magnifacere diceris non eos qui nullum virtutis et doctrinæ studium habuerunt malarumque rerum cupiditate constricti tenentur, sed hos quorum disputationibus audiendis nullas molestias capias, quorumque commerciis et consiliis utendo neque damnis neque injuriis afficiaris; talium enim consuetudo prudentibus expetenda est: inter doctrinarum porro genera ne dialecticas quidem disputationes improbare diceris, sed sic de illis sentire, ut eas existimes in privatis congressibus permultum valere, non tamen vel populi gubernatoribus vel principibus esse opportunas; nec enim expedire nec decere ut, qui dignitate cæteris præstant, vel ipsi cum civibus rixentur vel cæteris dent contradicendi licentiam. Hoc igitur studium te non amare ferunt, sed eloquentiæ disciplinam permagni facere, qua utimur et in quotidianæ vitæ negotiis, et quum de republ. deliberamus. Per quam et de futuris rebus prudenter autumabis et iis qui tibi parent non insipienter, quid singulos facere deceat, præcipere poteris, et de rebus honestis et justis harumque contrariis recte judicare, præterea sic vel pœnis vel præmiis afficere utrosque ut mereantur. Magna igitur laude digna est tua sapientia, qui talibus studiis nunc occuperis: spes enim et patri et reliquis amicis affers, ubi ætate processeris et in his actionibus perseveraris, fore ut reliquos tantum sapientia anteeas, quantum pater tuus omnibus antecellit.

VI.

IASONIS LIBERIS.

1. Renuntiavit mihi nostratium legatorum quidam se a vobis sevocatum ac seorsim a cæteris interrogatum esse, an persuaderi mihi possit ut peregre profectus vestra familiaritate utar. Ego vero propter Iasonis et Polyalcis hospitium libenter ad vos venirem; eum enim congressum posse nobis omnibus prodesse opinor: sed multa me impediunt, atque illud in primis quod et itineris labores ferre nequeo et tam grandi ætate peregre vivere indecorum est, deinde quod omnes audita ea peregrinatione jure me contemnerent, qui, reliquo vitæ meæ tempore otium amplexus, in senectute demum peregrinari instituerem, quum deceret, etiamsi prius alibi vixissem, nunc domum festinare, postquam ab obitu tam prope absum. Ad hæc, vera enim dicenda sunt, etiam civitatem meam formido: qui initas cum ea societates celeriter solere dirimi videam. Quod si et vestris in rebus tale aliquid accidisset, quomodo et crimina et pericula effugere possem, id quod difficile admodum est, et dedecus non admitterem, sive aliqui putarent vos a me propter meam civitatem negligi, sive propter vos patriæ rationem non haberi? Quum autem non communis sit utilitas, quomodo utrisque gratificari queam non perspicio. Causæ igitur, propter quas ea quæ vellem mihi facere non licet, tam multæ inciderunt.

2. Neque tamen decere existimo ut de meis duntaxat rebus scribens res vestras negligam; sed quæ isthic coram disseruissem, hæc eadem nunc ita ut potero explicare conabor. Neque vero putetis hanc epistolam ostentationis a me causa potius scriptam esse, quam hospitii vestri. Non enim ita insanio ut ignorem, me hac affecta ætate meliora his quæ prius edita sunt scribere nequaquam posse; sin deteriora protulero, fore ut gloria mea non parum minuatur. Deinde, si ostentationi ingenii servire magis quam serio vobiscum agere studerem, non hoc argumentum ex omnibus delegissem, de quo haud difficile est apte disserere: sed alia longe pulcriora et uberiora reperissem. Sed neque hactenus unquam de his mihi placui, sed ob alia potius quæ plerique ignorant, neque nunc eo animo laborem hunc cepi: quum autem vos multis arduis negotiis implicatos esse videam, quæ mea sit de illis sententia declarabo;

ac dandi quidem consilii facultatem ætati meæ adesse censeo — nam experientia et rerum multarum usus senes erudit, atque efficit ut quid expediat acutius quam alii perspicere posse videantur —, de propositis autem rebus suaviter et concinne atque elaborate dicere non jam nostræ ætatis est, proinde hoc mihi suffecerit, si meam sententiam non dissolute prorsus exposuero.

3. Neque vero miremini, si quid dicere videbor quod prius audivistis: nam eorum quoddam fortassis etiam invito in mentem veniet, quoddam, si instituto meo sit idoneum, assumam. Ineptus enim essem, quum alios videam dicta mea mutuari, si ego solus his quæ prius ipse dixi abstinerem. Hæc propterea præfatus sum, quod id quod primum occurrit, unum ex pervulgatis est. Soleo enim ad nostræ disciplinæ sectatores dicere, ante omnia esse considerandum quidnam oratione et partibus orationis efficiendum sit: quod ubi invenerimus et accurate confecerimus, rationes et ornamenta quærenda esse dico, quibus argumentum expoliatur et finem eum qui nobis propositus fuerat consequatur. Et hæc quidem de orationibus dico: est autem idem et aliarum rerum omnium et vestræ deliberationis fundamentum. Non enim fieri potest ut quicquam prudenter agatur, nisi hoc primum singulari sapientia cogitaveritis et constitueritis, quales vos in posterum præbere velitis et quommodo vitam vestram instituere qualemque auctoritatem expetere et utrum honorem adamare, eumne quem cives ipsi ultro deferunt, an qui ab iisdem invitis extorquetur: his definitis et decretis, jam inde actiones quæ in dies incidunt considerandæ sunt, et efficiendum ut ad eum finem qui initio propositus fuit referantur. Quod si hoc modo quæretis [sapienterque cogitabitis], vestra consilia ad rationem utilitatis tanquam meta proposita accommodabitis eamque magis assequemini: sin nullum tale fundamentum jacietis, sed id quod fortuito incidet agetis, necesse est ut animis vestris erretis et multis rebus frustremini.

4. Fortassis autem eorum aliquis, qui temere vitam instituerunt, has rationes perstringere conabitur, et, ut certi aliquid de proposita quæstione dicam, postulabit. Non igitur quid tota de re sentiam, dissimulandum est. Mihi optabilior esse videtur et melior privatorum hominum quum tyrannorum vita, et jucundiores eos honores esse puto qui in rebuspub. quam qui in monarchiis geruntur. Quanquam autem scio fore multos qui mihi adversentur et familiares vestros in primis, hac de re tamen disserendum est. Hos enim vos magnopere ad retinendam stabiliendamque tyrannidem incitare opinor. Non enim rei naturam universæ nec ab omni parte intuentur, sed hallucinantur et in errores ipsi se conjiciunt. Auctoritatem illi quidem et emolumenta et voluptates vident, iisque se frui posse sperant, sed turbas et clades principibus objici solitas illo-

rumque amicis non perspiciunt, idemque illis evenit quod his qui turpissima et maxime nefaria facinora moliuntur. Illi enim, etsi rerum pravitatem non ignorant, tamen id commodi quod illis inest excerpturos se sperant, periculis et malis omnibus quæ cum iis rebus conjungi solent evitatis, eamque de se ipsis rationem inituros ut et a discrimine omni sint remotissimi et utilitatibus proximi. Si qui igitur ita sentiunt, illos ego sua socordia beatos esse facile patior; me vero puderet aliis suadentem, illis neglectis, meum compendium spectare, nec repudiatis et commodis et cæteris rebus omnibus ut a me alienis utilissima præcipere. Mihi igitur sic auscultetis velim, ut me hoc esse animo non dubitetis.

VII.

TIMOTHEO.

1. Qua necessitudine inter nos conjuncti simus, ex multis te audivisse arbitror; gratulor autem tibi primum quod ista potestate rectius uteris quam pater ac prudentius, deinde quod honestam famam parandi quam magnas divitias coacervandi es studiosior. Non enim parvum signum virtutis ostendis, sed quam fieri potest maximum, qui tali animo sis præditus; quare si, ut cœpisti passimque de te nunc prædicatur, perrexeris, non defuturi sunt qui et sapientiam tuam et institutum istud laudibus illustrent. Arbitror autem etiam ea quæ de patre tuo dicuntur momenti plurimum ad hoc esse allatura, ut sapere aliisque præstare videaris. Solent enim plerique non ita commendare et venerari laudatis patribus natos, ut eos qui patrum sævitiam et immanitatem nulla ex parte imitantur. Quicquid enim boni mortalibus præter exspectationem offertur, id omnibus in rebus longe gratius est quam ea quæ usitata et legitima ratione contingunt.

2. His igitur consideratis quærendum tibi et sollicite cogitandum est, quibus modis et quorum opera quorumque consiliis tum urbis calamitates emendes, tum cives ad beneficentiam et modestiam cohorteris, atque efficias ut et suavius et securius ævum exigant quam superiori tempore. Nam hæc officia sunt bonorum et cordatorum principum. Quibus nonnulli contemptis in id unum intenti sunt, ut cum summa licentia atque libidine vitam degant, vexatis aut spoliatis optimis et ditissimis et prudentissimis civibus; ignorant illi nimirum decere viros prudentes in hoc honorum et dignitatis fastigio collocatos non ex aliorum miseriis suas parare voluptates, sed sua sollicitudine et laboribus civium felicitatem augere, neque acerbitatem et sævitiam in omnes exercere suamque salutem negligere, sed imperium ea clementia et æquitate administrare ut nemo eis audeat insidiari, et non minore vitam suam diligentia munire, quam si omnes in eorum exitium conspirassent. Hac enim ratione fiet ut et ipsi extra periculum sint et apud Græcos gloria floreant: quibus majora bona invenire difficile est. Inter scribendum autem in mentem mihi venit secundissima tibi omnia accidisse. Opum enim abundantiam, quas tyrannice per multam violentiam et magna odia parari necesse erat, pater tibi reliquit, his vero bene et humaniter uti in tua manu est, et in eo te summo studio elaborare decet.

3. Quæ igitur mihi consulta videantur, hæc sunt. Sic autem se res habet. Si pecunias majoremque potentiam et pericula, sine quibus hæ parari nequeunt, adamas, alii tibi in consilium adhibendi erunt: sin tibi harum rerum abunde est, virtutis vero et honestæ famæ ac popularis benevolentiæ desiderio teneris, et orationi meæ obtemperandum erit, et cum illis certandum qui præclare suas urbes administrant, non modo ut par illis evadas, sed etiam ut eos superes. Nam Cleommin audio, qui Methymnæ dominatur, tum in aliis actionibus viri boni et prudentis fungi officio, tum tantum abesse, ut quenquam civem occidat aut in exsilium agat aut proscribat aut simili clade afficiat, ut cives ejus in summa securitate degant, ut patria pulsos ab exsilio revocet, ut restitutis possessiones unde exciderunt reddat, his vero qui eas tenuerant tantum pro eis numeret quanti emerunt, neque his contentus cives omnes armis instruat et exornet, nihil metuens ne qui novarum rerum studiosi insidias ipsi struant; quod si qui audeant, mortem oppetere satius esse ducit in tanta humanitate et benignitate erga cives, quam crudeliter in eosdem grassando vitam ultra usitatum mortalium terminum producere.

4. Plura de his, et fortasse accuratius, tecum disseruissem, nisi mihi hæ literæ cum magna festinatione scribendæ fuissent. Sed alias iterum tibi, nisi me senium prohibuerit, consilium dabimus, in præsentia vero de privatis rebus agemus.

5. Autocrator, qui literas has tibi reddit, est mihi familiaris. Nam et in iisdem studiis versari sumus et eadem arte sæpe usus sum, denique illi auctor fui ad te proficiscendi. His omnibus de causis eum honorifice itaque tractes velim ut nostrum utrique expedit, ac præ te feras, quicquid officiorum in eum contuleris, aliqua ex parte mea quoque gratia fieri.

6. Neque mireris, me tam expedite ad te scribere, qui a Clearcho nihil unquam petierim. Nam fere omnes, qui isthinc ad nos navigant, te similem esse dicunt præstantissimis eorum qui nobiscum una versati sunt, Clearchum vero, quo tempore apud nos fuit, fatebantur omnes, qui eum unquam convenerant, liberalissimum esse et mansuetissimum et humanissimum inter omnes discipulos nostros: posteaquam autem principatum est adeptus, ita mutasse animum visus est, ut omnes qui eum prius noverunt demirentur. Ob has igitur causas factus ab eo sum alienior: te vero amo et probo, ac vehementer velim te nos complecti familiariter. Sed et tu quamprimum ostendes, an idem tuus sit erga nos animus: nam et Autocratorem commendatum habebis, et epistolam ad nos mittes, qua vetus amicitia nostra et hospitium renovetur. Vale, et si quid de nostris opus fuerit, scribito.

VIII.

AD MYTILENÆORUM MAGISTRATUS.

1. Aphharei liberi, mei nepotes, ab Agenore in musicis eruditi, me orarunt ut vos per literas rogarem, ut, quando etiam alios nonnullos ab exsilio revocastis, et hunc cum patre et fratribus restituatis. Quibus ego quum dicerem vereri me ne nimis absurde et impudenter facere viderer, qui rem tantam a viris, cum quibus nunquam prius vel collocutus vel familiaritate conjunctus essem, impetrare studerem, hac excusatione audita rogando multo magis instare cœperunt. Ubi vero spe sua prorsus frustrabantur, omnibus apparebat eos affici molestia et repulsam graviter ferre. Quum autem eos vehementius dolere viderem quam decebat, tandem pollicitus sum me hanc epistolam scripturum et ad vos missurum esse. Atque hæc habeo quæ dicam ad deprecandum stultitiæ et importunitatis crimen.

2. Arbitror autem vos prudenter fecisse, qui et cum civibus vestris in gratiam redieritis, et operam dederitis ut exsulum numerus minuatur, sociorum in republica major fiat, et in ista seditione urbis nostræ exemplum imitemini. Illud autem in primis laude dignum est, quod exsulibus ereptas opes una cum patria restituitis: ostenditis enim et omnibus declaratis, vos non alienarum opum cupiditate impulsos, sed reipubl. metuentes, urbe eos ejecisse.

3. Verum, etiamsi nihil horum decrevissetis nec ullum exsulem reciperetis, e re vestra tamen esse putarem ut his de quibus ego scribo patriam redderetis. Quum enim inter omnes constet vestram urbem peritia musicæ omnibus antecellere, et viros in ea arte celeberrimos apud vos esse natos, turpe fuerit eum, qui cognitione hujus disciplinæ nostræ ætatis artifices superat, tali civitate exsulare; et quum cæteri Græci eos qui aliquo honesto studio excellunt, tametsi prorsus alienos, civitate donare soleant, vos, quorum apud alios hac de causa celebre nomen est, committere ut civis vester apud exteros inquilinum agat. Demiror equidem eas civitates, quæ majora præmia victoribus in ludis gymnicis decernunt quam his qui ingenii solertia et industria sua vitæ aliquid utile repererunt, neque considerant pedum celeritatem et robur morte una cum corpore interire, artium autem eam esse naturam ut perpetuo durent suique studiosos semper juvent. Hæc prudentibus consideranda sunt, ut maximi

faciant bonos et justos rerumpublicarum gubernatores, proximumque honoris gradum iis tribuant qui civitati ornamento et gloriæ esse possunt: plerique enim, in hæc ceu specimen quoddam intuentes, reliquos cives universos talibus viris similes esse judicant.

4. Fortassis autem dixerit aliquis, si qui beneficium petant, non rem ipsam tantum esse laudandam, sed ostendendum etiam ipsos non esse indignos ea re de qua verba faciant.

5. Sic autem hæc se res habet. Ego reipubl. administratione et concionibus habendis abstinui, propterea quod et vox et audacia me deficiebat: non tamen omnino nullus mei usus aut nulla fuit auctoritas, sed me his, qui vestræ cæterorumque sociorum dignitati ac commodis patrocinati sunt, et consiliarium et adjutorem fuisse comperietis; præterea plura verba feci de libertate et jure suo Græcis restituendo quam omnes isti qui suggestum crebris concionibus contriverunt. Pro quibus vos mihi rebus merito maximam gratiam haberetis; nam semper hunc reipubl. statum maxime desiderastis. Arbitror autem Cononem et Timotheum si viverent, ac Diophantum si ex Asia redisset, mea causa strenue fuisse laboraturos, qui vellent ea mihi a vobis tribui quæ rogo. De quibus nescio quorsum attineat plura verba facere: nemo enim vestrum ita vel adolescens vel obliviosus est, quin collata in vos ab illis beneficia noverit.

6. Sic autem de hoc negotio rectissime deliberaturi videmini, si consideretis et quis sit is qui orat et pro qualibus hominibus intercedat. Reperietis igitur me conjunctissimum et amicissimum fuisse his qui vos et alios summis beneficiis affecerunt, eos vero pro quibus intercedo ejus generis esse homines, qui nec senioribus et magistratu præditis molesti sint, et adolescentes in studiis jucundis et utilibus et huic ætati convenientibus exerceant.

7. Ne vero miremini me promptius et cæteris copiosius literas ad vos scripsisse. Nam et filiis nostris obsequi, et illis simul ostendere cupio, etiamsi rempubl. non attigerint neque imperatores fuerint, sed mores duntaxat et institutum meum imitentur, fore tamen ut apud Græcos in pretio sint et magni fiant. Unum adhuc est reliquum: si precibus nostris locum dare vobis visum fuerit, ut Agenori et fratribus ejus significetis, eis mea quoque causa ex quadam parte ea tribui quæ optabant.

IX.

ARCHIDAMO.

1. Quum sciam, Archidame, quam multi te parentemque tuum et vestrum universum genus laudibus ornare aggrediantur, eam ipsis dicendi materiam, quum facilis admodum esset et obvia, relinquendam putavi; mihi autem in animo est hortari te ad expeditiones iis prorsus dissimiles quæ hoc tempore suscipiuntur, ad eas inquam expeditiones ex quibus civitati non minus tuæ quam cunctæ Græciæ maximorum bonorum auctor futurus sis. Atque hoc scribendi argumentum delegi, non ignarus quidnam esset ad pertractandum facilius, sed certo sciens fore ut, sicuti arduum simul et egregium esset, tibi proponere quas geras res præclaras et magnas et utiles, ita tuas tuæque familiæ virtutes laudare haud difficulter possem. Neque enim opus fuisset de meo depromere quæ de his dicerentur, quando ex ipsis per vos gestis rebus talis mihi ac tanta dabatur dicendi seges, ut quæ de aliis prædicantur laudes ne vel tantillum cum iis conferri possint quibus vos soletis celebrari.

2. Quisnam enim superet vel nobilitatem eorum qui ab Hercule et ipso Jove genus ducunt, quam omnes uno ore confitentur in vobis solis reperiri, vel virtutem eorum qui Doricas in Peloponneso urbes condiderunt et illam regionem occupaverunt, vel præliorum trophæorumque multitudinem quæ vestro ductu atque auspiciis facta sunt et statuta? Quis autem dicendis egeret, qui velit tum fortitudinem ac temperantiam vestræ civitatis tum a vestris majoribus institutum reipublicæ statum percensere? Quantis porro verbis non liceret explicari parentis tui prudentia, ejusdemque in adversis rei gerendæ ratio, et illud quod intra ipsam urbem commissum est prælium? In quo tu prælio constitutus imperator, pugnando cum paucis adversus multos, omnibus antecelluisti, et urbem tuam ab exitio servasti; quo nihil præclarius ab ullo proferri possit. Neque enim vel urbes expugnare vel hostium magnas copias interimere magnum adeo est et honorificum, ut fuit e tantis periculis patriam liberare,

non illam vulgarem aliquam, sed quæ tantopere virtutis causa emineret. De quibus nemo scilicet non cum ostentatione sed simpliciter narrando, neque cum verborum ornatu sed enumerando duntaxat et temere quidvis effundendo, disseruerit, qui non ex eo magnam sibi laudem comparaverit.

3. Ego porro qui etiam de his poteram idoneo modo præfari, illud quoque sentio, primum facilius esse de præteritis copiose eloqui quam de futuris cordate dicere, deinde omnes homines majorem habere gratiam laudantibus quam consiliantibus—illos enim libenter excipiunt ut sui studiosos, hos vero, nisi jussi admoneant, auribus obtundere arbitrantur—, quæ etsi omnia præviderim, nihilo tamen secius ab his abstinui quæ ad gratiam ineundam dicenda essent, de his tantummodo dicturus de quibus nemo alius ausit, ratus nimirum decere eos, qui de æquitate et prudentia cum aliis contendunt, nequaquam ea sibi eligere argumenta quæ tractatu facillima sunt sed quæ difficillima, neque rursus ea quæ auditu sint jucundissima, sed ex quibus emolumenti plurimum afferant tum civitatibus suis tum Græcis omnibus, in quorum utilitatem totus nunc intendor.

4. Demiror autem alios quibus vel agendi est vel dicendi aliqua facultas, quod nulla unquam de communibus rebus illorum animos cogitatio subeat, neque moveantur Græciæ calamitatibus, cujus status adeo fœdus est et miserabilis, ut nullus in ea locus reperiatur, qui non bellorum, seditionum, cædium, et infinitorum malorum plenus sit. Quorum quidem partem longe maximam sustinent ii qui Asiæ maritima incolunt, et a nobis universis in fœderibus sunt dediti non barbaris tantummodo, sed iis item Græcis qui, etsi nobiscum eadem lingua utantur, a moribus barbarorum nihil discrepant: quos certe, si in nobis quidquam esset sanæ mentis, non sineremus coire et a quibuslibet in expeditionem educi, majoresque et validiores conflari copias e vagantibus viris quam e civibus in urbe degentibus. Qui quum exiguam admodum ditionis regiæ partem devastent, Græcas urbes ad quascunque accesserint evertunt, in quibus alios trucidant, alios exterminant, alios bonis exspoliant, prætereaque pueros et fœminas contumeliis afficiunt, et in his forma præstantissimas contemerant, cæteras iis exuunt vestimentis quibus teguntur ipsarum corpora, ut quas antea in peregrina veste nunquam ne ornatus quidem gratia vidisses, nudæ jam a multis conspiciantur, et earum nonnullæ in vilibus pannis ob necessariorum inopiam pereant.

5. Quæ quum tanto jam tempore mala perdurent, nulla tamen civitas ex iis quæ Græcorum imperium affectant, neque vir aliquis ex Græciæ principibus molestius tulit, præterquam tuus parens. Solus enim Agesilaus eorum quos novimus in magno semper vixit

desiderio tum Græcos in libertatem vindicandi tum belli barbaris inferendi. Qui tamen et ipse in re una aberrare visus est. Neque mireris velim, si tecum ego disserens eorum mentionem faciam quæ minus ille recte sensit: nam et libere loqui semper soleo, et malim ob justam reprehensionem odium incurrere quam per immeritam laudem gratificari. Hæc igitur est mea ratio; cæterum ille qui in reliquis omnibus superabat alios, idemque erat maxime justus et temperans ac rerum gerendarum peritus, habuit duas cupiditates, præclaram utramque, sed non inter se consentientes nec ejus generis quæ simul confieri possint: volebat enim et regi Persarum bellum inferre, et amicos ab exsilio in patriam quemque suam restituere ac summæ rerum præficere. Fiebat itaque, dum amicis studeret impensius, ut et Græci in malis ac bellis versarentur, et [ipse] propter tumultum hic excitatum pugnandi contra barbaros otium et facultatem non haberet. Quare ex his quæ illo tempore errata sunt facile intelligitur eos, qui recte rebus consultum velint, non prius regi Persico bellum inferre debere, quam Græcos quivis reconciliarit nostrumque furorem et contentionem compescuerit. Qua de re ut alias verba feci, ita neque nunc silebo.

6. At enim quidam ex iis qui alios docere se posse pollicentur, quum sint ipsi doctrinæ omnis expertes, quique mea scripta carpere audent, quæ tamen imitari gestiunt, hoc amentiæ forsan adscribant, quod Græciæ calamitates ego curare profitear, quasi per meam orationem melius cum illa agi deinceps possit aut deterius.

7. Quorum merito sane pusillum nimis ac parum virilem animum omnes reprehendant, quod se philosophos jactantes et ipsi ob parva glorientur, et aliis, qui de majoribus consilia suggerere possint, non desinant invidere. Atque illi quidem ignaviam et imbecillitatem suam obtegere cupientes talia fortasse sint dicturi: ego vero, quanquam octogesimum jam annum natus, ita magnifice tamen de me adhuc sentio, ut putem mei præsertim fuisse muneris de his dicere, neque tecum agendo præclara suggessisse consilia, ac per hæc forsan aliqua rectius gerenda esse. Quin et Græcos existimo, si inter omnes ipsis deligendi essent, tum qui Græcos optime posset oratione sua incitare ad invadendos bello barbaros, tum qui celerrime posset conficere quæ utiliter gerenda viderentur, nullos omnino alios nobis præposituros. Atenim quomodo non ageremus turpiter, si tam honorificum omnium de nobis judicium negligeremus? Ac meum quidem munus minoris momenti est: quum non ita soleat esse arduum suam de re qualibet sententiam proferre. Te vero decet meis verbis attendentem perpendere, utrum Græciæ res tibi negligendæ sint, iis commendato natalibus quæ modo dicebam, duci Lacedæmoniorum exsistenti, ipsorumque

regi appellato, et maximum inter Græcos nomen sustinenti, an potius præsentia omittenda sint negotia, ut his majora suscipias.

8. Equidem censeo in hæc duo maxime cæteris omnibus prætermissis tibi esse incumbendum, ut Græcos bellis ac miseriis quibus hodie conflictantur liberes, utque barbarorum coerceas insolentiam et nimia ipsorum bona imminuas. Hæc autem confici posse, eademque et tibi et tuæ civitati et aliis omnibus expedire, jam monere te meas esse partes arbitror.

X.

DIONYSIO.

Satellites, lictores, caduceatores, et altissimi solii adeptio, sapientiæ studio tenebras obducunt, nec ulla res est qua virtus facilius et celerius exterminetur. Non una cum fortuna mutasti etiam naturam. Adhuc pelliceo sacco amictus es: nam nativitatis tuæ primordium mortale fuit. Cur igitur inanis ista gloriola fictilem utrem inflavit? Ingenti amentia repletus es, o infelix, et naturæ fragilis agnitione spoliatus: ita te sublimes isti fortunæ motus a vetere contemplatione desciscere coegerunt, eoque redegerunt ut sobrium illum furorem deseres. Fuit olim illustris tua moderatio, nunc vero humi depressa est: fortuna tua pervenit ad summum. A falsa igitur felicitatis umbra recede, et fugitivam fortunam effuge: cujus levitatem et perfidiam si anteverteris, mutatione subito ingruente minus percelleris.

ISÆI

INTERPRETATIO LATINA.

ISÆI

DE CLEONYMI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Mortuo Cleonymo nepotes ex fratre jure cognationis succedunt in hereditatem, et secundum testamentum, quod adducunt in sui favorem Pherenicus et Simon et Posidippus, scripsisse, ut verum erat, et deposuisse apud magistratus, affirmantes Cleonymum, odio quo prosequebatur Diniam eorum tutorem, postremo aggressum esse dissolvere et ædili accersito derepente interiisse; et Polyarchum eorum avum, Cleonymique patrem, mandasse, si quid humanitus accideret Cleonymo, dari illis quæ superessent. Quæstio duplicibus terminis constat propter ambiguitatem: hi namque nituntur primo testamento, adversarii vero dicunt vocari jussisse magistratum, ut rescinderet illud: et tandem Cleonymi factis nituntur.

1. A Cleonymi e rebus humanis excessu magnam passæ sunt, o viri, meæ res commutationem. Facultates enim ille quidem suas adhuc superstes nobis verbotenus condicebat, mortuus autem pro bonis periculum litis reliquit. Olim quidem ab illo tam pudice educabamur, ut nunquam in forum veniremus ne alios quidem audiendi gratia litigantes, nunc autem huc descendendum nobis fuit quo ipsi de tota substantia contenderemus: non enim de Cleonymi solummodo hereditate nosbiscum contendunt adversarii, sed etiam de patrimonio nostro, aientes nos illi certas quasdam nummorum summas super eodem nostro patrimonio debere. Et familiares quidem atque propinqui horum adversariorum nostrorum æquum censuerunt ut nos æquam portionem ferremus eorum adeo bonorum, quæ a Cleonymo ipsis relicta esse in confesso est: hi autem eo procedunt impudentiæ, ut ipso patrimonio nostro nos evertere conentur, non quo æquum et verum ignorent, o viri, sed quo nos adeo ab amicis desertos existiment ut facile sibi factu futurum sperent ut nos prorsus despolient. Spectate modo atque expendite quibus causæ momentis freti nostrum quique ad litis contestationem descenderimus. Fidunt nempe hi quidem tabulis testamenti iis quas Cleonymus scripsit utique, neque enim factum infitiamur, verum neque odio nostri neque nobis offensus quippe qui nunquam de nobis questus sit, sed iratus alicui nostrorum necessariorum; verumtamen ille idem Cleonymus hoc testamentum rursus ante excessum per Posidippum hujus ipsius

rei causa ad magistratum allegatum rescidit, quoad per ipsum stetit: nos autem quibus fidamus ex altera parte audite; et sanguinis necessitudine proxima Cleonymum attingimus, et usi eo sumus hominum omnium amicissimo atque familiarissimo, præterea jus civile nobis solis hereditatem ejus addicit ex titulo propinquitatis, ipse quoque Cleonymus pro illa sua nostri caritate atque pietate heredes nos sibi esse voluit edixitque, denique pater Cleonymi, Polyarchus, idemque avus noster, præceperat, ut Cleonymo improle exstincto, nos in bona sua immitteremur. Tot et tam firmis septi cum essemus munitique juris æquissimi titulis, hos nihilominus tamen, qui et cognati essent et ab omni vel speciosa modo prætensione denudati, nil puduit nos in certamen conjicere super iis bonis, super quibus nobiscum contendere vel alienissimi quique turpe sibi duxissent.

2. Videtur nempe, judices, animus erga nos mutuus non idem nobis esse. Nam ego equidem non hoc fero ægerrime neque malorum circumstantium hoc existimo deterrimum atque acerbissimum, quod in hoc certamen periniquum per nefas conjectus sum, sed istoc imprimis crucior quod commissus sum cum necessariis, quorum ne repellere quidem insultus satis decorum sit; non enim minorem accepturus mihi videor injuriam si necessaria mei defensio me coegerit his, qui necessarii mei sunt, noxiam quampiam dare, quam ex hoc quod ipsemet ego prior ab his molestia affectus et ultro impetitus sum: hi contra prorsus alio erga me animo sunt, in arenam prodeuntes cum agmine amicorum convocato et manu oratorum conscripta; brevis ut sim, copiarum suarum partem omnino nullam sibi reliquam fecerunt, quasi inimicos capitales ultum irent, non necessarios et cognatos homines læsum. Verumenimvero melius adhuc, judices, eorum impudentiam diramque et fœdam cupiditatem intelligetis, ubi totam rei gestæ rationem ex me statim enarraturo acceperitis: unde autem citissime atque expeditissime rem mihi videmini percepturi de qua inter nos contenditur, inde exponendi faciam exordium.

3. Dinias patris nostri frater orbos nos factos in tutela habuit. Sed Cleonymus, o viri, cum eo dissidebat. Dissidii princeps uter eorum fuerit nescio an me minus deceat quærere; hactenus tamen eos mihi videor jure merito posse reprehendere, quod cognati cum essent nullaque eos idonea causa simultatis intercessisset, e sermonibus quibusdam tam inconsulto simultates susceperint. Ipse quidem Cleonymus nobis postmodum ut e morbo convaluit affirmavit, illo suo cum Dinia jurgio se motum illud nobis fatale testamentum scripsisse per valetudinem, non quo nobis succenseret, sed metuens ne moriendum sibi esset nobis adhuc pupillis et in Diniæ tutela atque potestate constrictis; quodsi jam fieret ut heredes ipsius essemus, necessario Diniam bonorum suorum (Cleonymi puta) arbitrum

esse futurum: grave autem et acerbum sibi ducebat si, quem superstes hominum omnium habuisset inimicissimum, eum moriens et necessariorum relinqueret tutorem et bonorum suorum arbitrum, eum denique qui, donec nos amici ei et ab ipso rursus caritate paterna foti adolevissemus, necesse haberet non justa modo exsequiarum sibi facere, sed etiam manibus suis annuas inferias inferre; quod si fiat, fieri non posse quominus manes sui ut ab hominis infestissimi et penitus exosi adspectu officioque perturbarentur atque exagitarentur. Hac mente quicquid est Cleonymus, sive jure sive injuria, quid enim refert quærere? testamentum illud scripsit. Quo facto cum Dinias eum protinus in continente interrogaret in foro num ideo fecisset, quod aut de nobis aut de patre nostro haberet quod quereretur, respondit Cleonymus in publico coram civibus omnibus in foro tum agentibus se nil de nobis queri nullaque nostra culpa aut fraude mala offensum esse, sed ex sola sua cum Dinia simultate, quod ei succenseret, testamentum hoc a se scriptum esse testatus est quo fidunt hi adversarii nostri, in eoque scribendo consilia pravæ mentis et ab iracundia occæcatæ se secutum esse. Et profecto qui tandem potuisset, recte si sapuisset, malum nobis dare voluisse qui nihil eum offenderamus? neque substitit in hac sui erga nos animi testificatione Cleonymus, sed alia velut in cumulum addidit evidentissima documenta, unde constet, quicquid hoc in testamentario negotio egit Cleonymus, id omne eum non eo egisse animo ut nos læderet aut rem nostram minueret: Dinia enim vita defuncto, cum res nostræ pessime se haberent, non passus est Cleonymus ullius rei nos egere, sed ipsosque nos in domum suam translatos educavit, patrimoniumque nobis conservavit cui creditores insidiabantur, et negotia nostra perinde atque sua propria curavit. Atqui animum ejus erga nos qui fuerit magis ex his ejus moribus quam e tabulis testamenti spectare oportet, et argumentari non ex iis quæ percitus iracundia egit — ecquis enim unus est nostrum omnium, qui non ira occæcatus et stimulatus ruat? —, sed illis per quæ postmodum sui rursus compos factus veram animi sui sententiam patefecit. Verum adhuc magis hunc animum suum, vita ad finem vergente, in articulo mortis constitutus declaravit. Jam enim ex illa decumbens valetudine quæ eum sustulit, volens illud de quo toties dico testamentum tollere, Posidippo mandabat ut magistratum ad se arcesseret. Ille vero magistratum in domum Cleonymi non modo non induxit, sed ultro quoque venientem exclusit. Quam ob fraudem Cleonymus Posidippo iratus injunxit Diocli ut proximo die post archontas advocaret: verum intercessit subitus casus nobis adversus; ista enim cum præcepisset Cleonymus, non ut conclamate cubans, sed ut in nonnulla spe rursus adhuc convalescendi, subito proxima nocte exstinctus est.

4. Primum itaque testes coram vobis producam, confirmaturos Cleonymum illud testamentum non ex offensione a nobis accepta, sed quod cum Dinia simultatem bellumque gereret, scripsisse; deinde Dinia mortuo Cleonymum res nostras omnes procurasse, ipsosque nos suam in domum e domo Diniæ translatos educasse; postremo quod, cum Cleonymus Posidippum ad astynomum [seu ædilem] allegasset ejus arcessendi causa, Posidippus ædilem non modo nil curaverit arcessere, sed ultro quoque ad ostium venientem Archonidem rejecerit. Testes cita.

TESTES.

Præterea quoque ut horum [Posidippi et Dioclis] amici et Cephisander æquum censuerunt hereditatem dividi et nos [me fratresque meos] tertiam universæ substantiæ partem a Cleonymo relictæ adipisci, etiam hujus rei cita testes.

TESTES.

5. Jam existimo equidem, judices, quicunque super hereditatibus contendant, ubi planum id testatumque fecerint sese defunctos proxima sanguinis necessitudine contingere arctissimaque familiaritate cum iis adhuc superstitibus fuisse conjunctos, reliquis omnibus argumentationibus ut supervacaneis supersedere posse; quia tamen hi adversarii nostri, tametsi neutrum horum præ se ferre atque docere possint, nihilominus tamen aliena bona quorum ipsis jus nullum est ad se adhamare conantur armisque calumniarum et cavillationum rem gerunt, etiam hæc arma ipsis eripere verbisque brevissimis retundere juvat. Fatentes igitur ædilem a Cleonymo arcessitum esse, causantur id eo fecisse Cleonymum ut testamentum illud quo scripti heredes ipsi essent non rescinderet, sed corrigeret donationemque sibi decretam confirmaret. Ego vero vos reputare, judices, vobiscum ipsis velim atque arbitrari, utrum credibilius sit Cleonymum, quo tempore nos caritate summa prosequeretur, eo voluisse testamentum per iracundiam in fraudem nostram scriptum rescindere, an id egisse quo nos bonis suis hoc certius atque irrefragabilius privaret. Reliqui quidem homines, si qua in re necessarios per iracundiam læserint, pœnitentia postmodum ducti errorem emendant atque acta ipsi sua antiquant: hi vero Cleonymum aiunt, quo tempore studio nos prosequabatur calidissimo, eo ipso testamentum isse confirmatum per iracundiam in damnum nostrum scriptum. Quod ipsum etiamsi nos largiremur verum esse et vos quoque crederetis his aientibus, vos tamen una id quoque reputare oporteret, hos id jactantes Cleonymum summi qui cogitari potest furoris insimulare. Ecquis enim major et atrocior esse possit furor quam, si tum quidem, quo tempore simultates

cum Dinia exercebat, nostrum in damnum testamentum scripsisset, quo non inimicum ultus esset, sed nos læsisset; postmodum autem, tametsi nos in sinu atque in oculis propemodum gestasset, tamen hereditatis suæ exsortes, id quod hi aiunt, nos declarare voluisset qui ejus e fratre nepotes essemus? Ecquis, o judices, homo recte sapiens de propinquissimis tam iniqua decernat modisque erga eos utatur tam repugnantibus? Verumenimvero per has ipsas causationum frigidarum et inanium præstigias facilem vobis, o judices, hujus litis disceptationem reddiderunt. Sive enim Cleonymus eo jussit magistratum arcessi quo testamentum rescinderet, prætensio illis omnis est erepta, præclusum et interceptum omne effugium: sin autem revera tam furiosus fuit Cleonymus, ut minimi semper nos faceret necessarios suos qui tum sanguine proxime ipsum attingeremus tum eo semper usi fuissemus familiarissime, jure summo vos, o judices, ejusmodi testamentum, ut ab homine furioso scriptum rescinderetis ipsi.

6. Præterea hoc quoque meminisse vos et ad animum vobis revocare velim. Cleonymum hi aiunt eo arcessi jussisse ædilem idque sibi negotium demandasse, quo decretam et scriptam ipsis donationem confirmaret, et nihilominus tamen huic mandato adversari magistratumque a collegio deputatum non solummodo non arcessere, sed etiam ultro venientem excludere foribus ausi sunt: et cum possent alterutro certe potiri de duobus commodis, ut aut hereditatem hoc certius atque indubitabilius haberent atque tenerent, aut Cleonymi si minus mandata facerent in offensionem incurrerent, illum lædere quam donum ab eodem percipere maluerunt. Atqui nihil his incredibilius esse potest: eos videlicet qui arcessito magistratu tantum lucrum essent acquisituri, quasi damni metuerent, a mandati exsecutione abstinuisse; Cleonymum autem horum utilitatis tantam curam gessisse ut et Posidippo, qui mandatum neglexisset, irasceretur, et Dioclem ut in crastinum vocaret magistratum rogaret. Quodsi, o viri, testamento illis legaverat Cleonymus facultates, ut ipsi aiunt, mirum mihi videtur, quod emendando firmius illud se effecturum existimaverit: reliqui enim homines, cum testamentum scripserunt, finem donandi fecisse putant. Quodsi addere aliquid jam scriptis voluit, cur codicillos non condidit, quoniam ipsum testamenti exemplum a magistratibus auferre non potuerat? Et abolere quidem nonnisi eam scripturam poterat, quam apud magistratus deposuerat: licebat tamen eidem aliam condere, si collibuisset, omnemque nobis in posterum controversiam de medio tollere. Nunc si forte concedamus, voluisse Cleonymum tabulas emendare, jam certe omnibus patet se eas recte fecisse non esse arbitratum. Atque ex hoc etiam adversariorum impudentiam discite, qui illud testamentum ratum esse con-

firmant, quod ipsum testatorem fatentur non bene a se conditum judicasse, vobisque suadent ut contra leges et æquitatem et ipsius defuncti voluntatem sententiam feratis. Ille vero est omnium impudentissimus sermo, cum dicere audent Cleonymum nihil suarum facultatum a nobis percipi voluisse. Atqui, o viri, quosnam alios eas habere maluisset quam nos, quos et præ omnibus necessariis re familiari sua vivens juvabat? Multo autem mirabilissimum esset, si quum Cephisander adversariorum nostrorum cognatus æquum censeat nos quoque in partem hereditatis vocari, Cleonymus contra nobis affinitate longe conjunctior quique nos in familiaritatem suam receptos educavit resque nostras non secus ac suas cordi habuit, is (inquam) unus nos ab hereditate depellere voluisset. Jam quis vestrum sibi persuadeat adversarios benevolentiores esse et moderationes erga nos quam hominem conjunctissimum? At eum quidem, cui plane necessarium erat nobis benefacere et turpe negligere, nihil suarum facultatum nobis dedisse: hos vero, quibus nulla necessitas benefaciendi est neque ulla ex neglectu ignominia imminet, nobiscum ea bona communicare, quæ, ut aiunt, ad nos prorsus non attinent? Hæc, inquam, o viri, a fide vehementer abhorrent.

7. Præterea si, cum Cleonymus obiit, eo adhuc animo erga nos et adversarios nostros fuisset, quem gessit quum testamentum scribebat, æquum foret vos sermonibus adversariorum fidem adjungere: nunc autem plane contrarium deprehendetis. Olim quippe nobis tutor erat Dinias, invisus Cleonymo qui necdum consuetudine nostra utebatur et his omnibus adversariis nostris erat familiaris: postea vero et horum nonnullis factus est inimicus Cleonymus, et nobis familiarissimus esse cœpit. Et qua quidem de causa Cleonymi animus ab adversariis nostris aversus sit, otiosum est dicere: rei tamen ipsius magna indicia exhibebo, quæ quidem per testes confirmabo. Nam primum quum Baccho sacrum faceret Cleonymus, omnesque necessarios multosque e civibus advocasset, Pherenicum prorsus non invitavit. Rursus paulo ante obitum quum Panormum iret Simone comite, occurrissetque forte eidem Pherenico, non tulit eum salutare. Præterea quum de ea simultate sciscitaretur Cleonymum Simon, ille et odium aperte fassus est, et minatus etiam se quo animo in Pherenicum esset ostensurum. Ut autem constet me vera dicere, testes voca.

TESTES.

8. Postquam igitur cognovistis, o viri, quomodo erga nos adversariosque nostros affectus fuerit Cleonymus, putabitis (inquam) eum adversus nos, quibuscum amicissime versabatur, ita se gessisse ut ne appellaret quidem in tabulis; his autem, quorum nonnullis erat infensus, magnopere curasse ut universam hereditatem assereret? eosdemque hac simultate intercedente plurimi fecisse; nos vero, quibuscum erat ei tanta necessitudo et benevolentia, maluisse pro viribus damno afficere? Sane, si isti vellent aut tabulas aut mortuum vituperare, haud scio quidnam aliud apud vos essent dicturi, quum videlicet et tabulas haud recte confectas significent et ipsi testatori non probatas, eundem vero tam furiosum declarent, ut ab eo inimicos pluris factos affirment quam familiares, et iis quo vivens non alloquebatur facultates ab eodem esse legatas, consuetudine autem devinctis ne partem quidem aliquantam fuisse donatam. Quare quis vestrum eas tabulas esse ratas decernat, quas testator ipse ut inique factas improbavit, adversarii autem reapse abrogant, quum a nobis quoque æquam portionem hereditatis percipiendam censent: ad hæc vobis etiam demonstrare nos possumus hasce tabulas et legibus et æquitati et ipsius testantis menti adversari.

9. Existimo autem jus nostrum vos ab ipsis adversariis evidentissime posse cognoscere. Nam si quis eos roget cur sibi Cleonymi hereditatem vindicent, utique respondeant, quod et genere illum aliquantum attingant, et idem eos ad tempus aliquod benevolentia complexus sit. Jamvero utrum pro se an potius pro nobis hæc dixerint? Nam sive propter generis affinitatem oportet fieri heredem, nos sanguine propinquiores sumus; sive propter affectum, omnibus prorsus exploratum est Cleonymum nemini vehementius quam nobis studuisse. Quare non ex nobis sed ex adversariis jus hujus hereditatis adeundæ discendum est. Iniquissimum autem esset si, quum cæteroqui pro iis suffragia ferre soleatis qui alterutrum ostenderint, se nimirum aut genere aut benevolentia priores fuisse apud mortuum, nos, quibus utrumque manifesto adest, solos indignos hereditate Cleonymi judicaretis.

10. Quod si forte Polyarchus pater Cleonymi, avus noster, adhuc viveret et necessariis ad victum careret, aut si Cleonymus obiiset relictis filiabus pauperibus, nobis profecto propter propinquitatem tum avi senectam alere necesse foret tum Cleonymi filias aut in matrimonium recipere aut dotatas aliis collocare; atque ita nos agere tum propinquitas et leges tum etiam natura insitus pudor cogeret, secus enim et grandi mulctæ et summo dedecori fieremus obnoxii: nunc contra si hereditas relicta sit, æquum judicabitis hanc ad alios potius devenire? Næ vos sive recta sive vobis ipsis convenientia sive legibus consentanea non decerneretis, si nimirum proximos genere participes incommodorum esse cogeretis, bonorum autem relictorum quosvis potius quam hos dominos faceretis.

11. Ac sane oportet, o viri, et propter generis prærogativam et propter rei ipsius veritatem, ut reapse soletis, consanguineis potius

quam in tabularum jure nitentibus vos suffragia tribuere. Nam generis quidem necessitudo omnibus explorata est, neque eadem apud vos confingi potest: tabulas contra multi falsas protulerunt, et quidem interdum omnino nullas, interdum vero quorundam qui non bene sua consilia agitaverunt. Atqui affinitatem quidem et nostram necessitudinem, pro qua nos judicio certamus, vos omnes scitis: tabulas autem, quibus isti confisi negotium nobis facessunt, nemo vestrum ratas esse novit. Insuper nostram quidem affinitatem etiam apud adversarios in confesso esse deprehendetis, testamentum autem plane a nobis in controversiam vocari: quoniam isti Cleonymum abolere illud volentem impediverunt. Ut plane vobis, o viri, multo honestius sit suffragium ferre pro genere de quo neutra pars ambigit quam pro testamento non juste confecto. Denique cogitate Cleonymum quum placidus esset illud abrogasse, confecisse quum ira perturbaretur nec sapienter consilio uteretur: ut plane nefarium futurum sit, si magis ratam Cleonymi iram quam sanam ejusdem mentem habeatis.

12. Puto insuper videri vobis æquum accipere, item vos ægre ferre si non accipiatis, ab iis, quibus quidem invicem contingere posset ut aliquid a vobis consequerentur. Si igitur accidisset ut Cleonymus viveret, nostra autem aut adversariorum domus dominis orbaretur, considerate utrorum Cleonymus heres fieret: æquum enim est bona illius ad eos devenire, a quibus item bona ille esset consecuturus. Itaque si Pherenicus aut aliquis ejus fratrum exstinctus esset, filii utique eorum, non Cleonymus, relictæ rei dominium invasissent: contra si nos ea fata obivissemus, Cleonymus ex asse heres fuisset. Neque enim nobis aut liberi sunt aut alii propinqui, ille autem genere proximus et usu præ omnibus familiaris: quare et leges hereditatem eidem adjudicassent, immo nos ipsi neminem alium ejusmodi largitate donandum censuissemus. Neque enim viventes quidem ita Cleonymo rei nostræ rationes tradidissemus, ut in negotiis agundis firmior ejus esset sententia quam nostra, morientes autem alios heredes scribere maluissemus quam omnium maxime necessarium. Quare nos, o Athenienses, et in dando et in accipiendo propinquitatis rationem sequi deprehendetis: adversarios autem nunc impudenter jactare necessitudinem et affinitatem, quia aliquid accipere exspectant; quum, si dandum foret, multos omnino et affines et amicos Cleonymo præponerent uti propinquiores.

13. Omnium quæ diximus caput est, cui et vos omnes mentem advertere necesse est: scilicet quanto magis adversarii asseverant vobisque suadere conantur Cleonymum et has reapse tabulas condidisse, neque deinceps pœnitentia ulla fuisse captum, nullamque partem bonorum suorum nunc voluisse nos assequi, sed donationem

ipsis confirmare studuisse, hæc inquam omnia cum dicunt et argumentis comprobant, et nihilo tamen magis ostendunt se Cleonymo vel genere propriores quam nos vel benevolentia familiariores, vos reputate Cleonymum ab ipsis accusari, non rei æquitatem vos edoceri. Ut si eorum orationi crederetis, non eis Cleonymi hereditatem decerni, sed Cleonymi vesaniam damnari a vobis oporteret: secus si nostræ orationi fidem adjungatis, sequitur ut illum existimetis recte deliberasse cum antiquare tabulas voluit, nos autem non calumniosam causam agere, sed jure hæc bona judicio persequi. Ad extremum memineritis, o viri, fieri non posse ut suffragia pro adversariis nostris feratis, si vel ipsorum orationi mentem advertatis. Multo enim iniquissimum esset, si quum adversarii non detrectent hereditatem nobiscum communicare, vos illis universam adjudicaretis: et iisdem plura tribueretis quam ipsi sibi vindicant, nos autem ne ea quidem parte dignos censeretis quam ultro adversarii concedunt.

DE MENECLIS HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Cum Menecles filium adoptasset et triginta annis adoptationi supervixisset, hereditate ad forum a fratribus delata, Philonides quidam testatus est hereditatem controversiæ non esse obnoxiam, eo quod Menecles filium reliquerat. Eum falsi dicti testimonii insimularunt fratres, et adversus eos pro se puer defensionem instituit. Hæc vero ac quæ de Cleonymi hereditate dicta est, orationes adversariæ sunt: ibi enim de consanguinitate dixit, hic vero de testamento. Status antilepsis secundum conjecturam est: dicit enim illi jure licitum esse adoptare sibi filium. Deinde conjecturale, quod non me mulieri morem gerens adoptavit.

1. Autumabam, viri, si quis prorsus alius cuivis fuisset legibus adoptatus, me quoque adoptatum esse, ac neminem aliquando fore qui dicere auderet, me Meneclem delirantem aut mulieri parentem adoptasse: quoniam vero patruus sinistris usus consiliis, uti sentio, fratrem suum, qui fato functus est, omnimodo conatur improlem facere, reverentia tum deorum patriorum tum vestrum omnium exuta, necessitas mihi obvenit magna patremque qui me adoptavit et memet ipsum vindicandi. Vos igitur moneo principio adoptationem rite atque secundum leges factam esse, nec Meneclis hereditatem, cum ego filius ejus sim, controversiæ obnoxiam esse, testemque vere protestatum esse. Ita vos omnes obtestorque et supplico, orationem meam benigne admittatis.

quam in tabularum jure nitentibus vos suffragia tribuere. Nam generis quidem necessitudo omnibus explorata est, neque eadem apud vos confingi potest: tabulas contra multi falsas protulerunt, et quidem interdum omnino nullas, interdum vero quorundam qui non bene sua consilia agitaverunt. Atqui affinitatem quidem et nostram necessitudinem, pro qua nos judicio certamus, vos omnes scitis: tabulas autem, quibus isti confisi negotium nobis facessunt, nemo vestrum ratas esse novit. Insuper nostram quidem affinitatem etiam apud adversarios in confesso esse deprehendetis, testamentum autem plane a nobis in controversiam vocari: quoniam isti Cleonymum abolere illud volentem impediverunt. Ut plane vobis, o viri, multo honestius sit suffragium ferre pro genere de quo neutra pars ambigit quam pro testamento non juste confecto. Denique cogitate Cleonymum quum placidus esset illud abrogasse, confecisse quum ira perturbaretur nec sapienter consilio uteretur: ut plane nefarium futurum sit, si magis ratam Cleonymi iram quam sanam ejusdem mentem habeatis.

12. Puto insuper videri vobis æquum accipere, item vos ægre ferre si non accipiatis, ab iis, quibus quidem invicem contingere posset ut aliquid a vobis consequerentur. Si igitur accidisset ut Cleonymus viveret, nostra autem aut adversariorum domus dominis orbaretur, considerate utrorum Cleonymus heres fieret: æquum enim est bona illius ad eos devenire, a quibus item bona ille esset consecuturus. Itaque si Pherenicus aut aliquis ejus fratrum exstinctus esset, filii utique eorum, non Cleonymus, relictæ rei dominium invasissent: contra si nos ea fata obivissemus, Cleonymus ex asse heres fuisset. Neque enim nobis aut liberi sunt aut alii propinqui, ille autem genere proximus et usu præ omnibus familiaris: quare et leges hereditatem eidem adjudicassent, immo nos ipsi neminem alium ejusmodi largitate donandum censuissemus. Neque enim viventes quidem ita Cleonymo rei nostræ rationes tradidissemus, ut in negotiis agundis firmior ejus esset sententia quam nostra, morientes autem alios heredes scribere maluissemus quam omnium maxime necessarium. Quare nos, o Athenienses, et in dando et in accipiendo propinquitatis rationem sequi deprehendetis: adversarios autem nunc impudenter jactare necessitudinem et affinitatem, quia aliquid accipere exspectant; quum, si dandum foret, multos omnino et affines et amicos Cleonymo præponerent uti propinquiores.

13. Omnium quæ diximus caput est, cui et vos omnes mentem advertere necesse est: scilicet quanto magis adversarii asseverant vobisque suadere conantur Cleonymum et has reapse tabulas condidisse, neque deinceps pœnitentia ulla fuisse captum, nullamque partem bonorum suorum nunc voluisse nos assequi, sed donationem

ipsis confirmare studuisse, hæc inquam omnia cum dicunt et argumentis comprobant, et nihilo tamen magis ostendunt se Cleonymo vel genere propriores quam nos vel benevolentia familiariores, vos reputate Cleonymum ab ipsis accusari, non rei æquitatem vos edoceri. Ut si eorum orationi crederetis, non eis Cleonymi hereditatem decerni, sed Cleonymi vesaniam damnari a vobis oporteret: secus si nostræ orationi fidem adjungatis, sequitur ut illum existimetis recte deliberasse cum antiquare tabulas voluit, nos autem non calumniosam causam agere, sed jure hæc bona judicio persequi. Ad extremum memineritis, o viri, fieri non posse ut suffragia pro adversariis nostris feratis, si vel ipsorum orationi mentem advertatis. Multo enim iniquissimum esset, si quum adversarii non detrectent hereditatem nobiscum communicare, vos illis universam adjudicaretis: et iisdem plura tribueretis quam ipsi sibi vindicant, nos autem ne ea quidem parte dignos censeretis quam ultro adversarii concedunt.

DE MENECLIS HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Cum Menecles filium adoptasset et triginta annis adoptationi supervixisset, hereditate ad forum a fratribus delata, Philonides quidam testatus est hereditatem controversiæ non esse obnoxiam, eo quod Menecles filium reliquerat. Eum falsi dicti testimonii insimularunt fratres, et adversus eos pro se pue defensionem instituit. Hæc vero ac quæ de Cleonymi hereditate dicta est, orationes adversariæ sunt: ibi enim de consanguinitate dixit, hic vero de testamento. Status antilepsis secundum conjecturam est: dicit enim illi jure licitum esse adoptare sibi filium. Deinde conjecturale, quod non me mulieri morem gerens adoptavit.

1. Autumabam, viri, si quis prorsus alius cuivis fuisset legibus adoptatus, me quoque adoptatum esse, ac neminem aliquando fore qui dicere auderet, me Meneclem delirantem aut mulieri parentem adoptasse: quoniam vero patruus sinistris usus consiliis, uti sentio, fratrem suum, qui fato functus est, omnimodo conatur improlem facere, reverentia tum deorum patriorum tum vestrum omnium exuta, necessitas mihi obvenit magna patremque qui me adoptavit et memet ipsum vindicandi. Vos igitur moneo principio adoptationem rite atque secundum leges factam esse, nec Meneclis hereditatem, cum ego filius ejus sim, controversiæ obnoxiam esse, testemque vere protestatum esse. Ita vos omnes obtestorque et supplico, orationem meam benigne admittatis.

2. Etenim Eponymus Acharnensis, pater noster, viri, amicus Meneclis et familiaris fuit, eoque necessario usus est: nos autem liberi ejus quatuor numero fuimus, filii duo, duæ filiæ. Patre autem vita defuncto, sororem nos nostram natu majorem, viro tempestivam, Leucolopho in matrimonium collocamus, viginti minis in dotem additis. Et quarto anno post, tum soror nostra natu minima conjugio ferme erat par, tum uxor, quam prius duxerat Menecles, mortua est. Postquam vero illi justa fecerat Menecles, sororem nostram a nobis expetebat, amicitiam suam in memoriam suggerens cum patre olim initam, et quo animo in nosmet ipsos esset: et nos certo scientes, vel patrem nemini eum generum posthabiturum fuisse, ei sororem in matrimonium damus, non indotatam, ut iste identidem dicit, sed numerata quæ doti æquivalebat quam et sorori natu majori addideramus; qua ratione qui prius amici ejus fuimus, evasimus necessarii. Utque Menecles triginta minas una cum sorore recepit, hoc testimonium imprimis proferre volo.

3. Sororibus igitur sic in matrimonium collocatis, nos ætate florentes militiam capessivimus, inque Thraciam duce Iphicrate peregre profecti sumus; atque quum ibi bene meruissemus, ditati Athenas appulimus, et sororem quidem natu majorem binos liberos habentem invenimus, minimam vero, quam duxerat Menecles, improlem. Atque ille ex reditu mense secundo vel tertio, bonis omnibus de sorore prædicatis, nobiscum verba conserebat, dixitque ætatem suam provectam et liberorum orbitatem se deplorare: nequaquam dixit eam oportere talem suæ virtutis mercedem capere, nempe ut simul cum ipso senescens evaderet improlis; satis enim esse ipsum fortuna maloque expertum esse. Tali sermone usus, plane indicat amiciter sorori nostræ nuncium remisisse: nemo enim quem odit supplex orat. Hoc igitur a nobis beneficii loco petebat, ut sororem scilicet, assensu ipsius impetrato, in matrimonium alteri collocaremus. Et nos eum hortabamur uxorem hisce de rebus persuadere; quæ si assenserit, ei decisioni nos satisfacturos promisimus. Ac primum quidem sermonis ejus minime patiens, vix ægreque tamen tandem assensa est. Atque ita eam in matrimonium Eleo Sphettio collocamus; dotemque ei addit Menecles, quippe qui domus mercedis liberorum Niciæ particeps esset, et mundum muliebrem quem secum attulit, tricasque aureas, quas habuit, reddit.

4. Posthæc evoluto tempore prospiciebat Menecles quomodo orbitatem devitaret, atque haberet qui se, dum viveret, jam senem curaret, et mortuo exsequias redderet, inque posterum justa persolveret. Hunc igitur [adversarium] videbat filium unicum habentem, quem si postulasset sibi in adoptationem dari, eo quod prole masculina hunc orbasset, sibi fore dedecori putabat. Idcirco, rebus ita se habentibus, nobis sibi magis familiarem neminem invenit.

Proinde nos allocutus est, et æquum dixit sibi videri, quum forte fortuna nullos ex sorore nostra liberos procreasset, ex hac familia filium adsciscere, unde prolem naturaliter habuisse voluisset: cuicunque ergo, inquit, vestrum duum conditio placet, mihimet ipsum adoptare volo. His auditis, quia omnibus nos prætulerat, frater meus sermonem ejus collaudavit, et fassus est ætati ejus et præsenti orbitati opus esse ut comitem habeat, qui ei ministraret inque urbe versaretur: mihi itaque, inquit, necesse est ut domo absim, id quod notum tibi; hic vero frater meus (me dicens) res tuasque measque curabit, si eum adoptatum iveris. Atque Menecles verba ejus approbavit, meque hac ratione sibi filium adscivit.

5. Quod igitur secundum leges inita est adoptatio, de hoc vos certos factos cupio. Proinde legem recita, quæ jubet cuivis licere de fortunis suis disponere, ea conditione ut nullam prolem masculinam legitime quæsitam habeat. Etenim legislator, viri, sic lege sanxit, quippe qui compertum haberet, hunc solum esse orbitatis receptum, hanc eorum qui liberis carerent vitæ consolationem, licere scilicet quos vellent adoptare. Idcirco, quum ei orbitate laboranti facultatem filium adsciscendi leges impertissent, me adoptavit, non in testamento, viri, legans, moribundus, sicut nescio qui civium, neque plane ægrotans, sed corpore sano, sana mente, animo sano, me ceu filium adoptatum hisce præsentibus apud phratoras introduxit, meque in album demotarumque et orgeonum inscribi curavit. Atque hi quidem tunc temporis ei quasi deliro nihil oblocuti sunt: quanquam multo fuisset honestius eum vivum precibus permovisse, si quid voluissent, quam mortuum dehonestare ejusque familiam desolatum ire. Supervixit enim non unum alterumve, sed tres et viginti annos; perque tempus tam productum facti eum non pœnituit, propterea quod res omnibus in confessum venit, eum nempe rectum consilium iniisse. Vera autem vobis ut constet hæc esse quæ dico, testes sistam phratores et demotas [et orgeones, qui adoptationi intererant; utque filium adsciscere appareat licuisse, scriba vobis ipsam recitabit legem, secundum quam adoptatio facta est. Proinde mihi recites testimonia hæcce et legem.

TESTIMONIA. LEX.

6. Ipsamet lex adeo declarat, quod, quem vellet, Menecli licebat adoptare; quodque filium adscivit, phratoresque demotæque et orgeones testificati sunt: quapropter testem vera protestatum esse, luculenter, O viri, a nobis demonstratum est, hique ne verbum quidem habent quod adoptationi obloquantur. Quo facto conjugem mihi prospiciebat Menecles, meque connubio jungi hortabatur; atque ego filiam Philonidæ uxorem duxi. Is nimirum de me eam

habuit curam, quam patrem decet de filio, et ego pari ratione ceu filius natura genitus patrem meum ita colui et veneratus sum, egoque et uxor mea, ut fortunas ejus tribules omnes laudarent.

7. Porro quod neque delirans neque mulieri morem gerens filium Menecles adscivit, sed bene sanus, exinde vobis facile est intellectu. Primum enim soror, quam iste [adversarius] in oratione sua perplurimum exagitavit, quasi si illi morem gerens me adoptasset, longe ante in matrimonium collocata est, quam inita adoptatio, quare saltem si illi paruisset filiumque adscivisset, unum ex illius liberis adoptasset: duos enim habebat. Atqui, viri, nequaquam illi morem gerens me adoptavit, eum vero præcipue liberorum orbitas persuasit, deinde quas supra dixi causas veraque erga patrem meum affectio, denique quod nullum alium cognatum habebat, unde filium adsciceret. Hæc demum me adoptare eum induxerunt: quare neque delirasse eum neque mulieri morem gessisse evicit adversarius, nisi profecto solitudinem ejus et orbitatem isthoc nomine appellet. Lubens ergo ab hoc homine postularim, sanitate Meneclis pro concesso sumpta, ecquemnam cognatorum adoptare debebat? Num istius filium? Atqui ei [filium suum] non concessisset, improlis ipse factus: næ iste pecuniarum non ita amans homo est. At sororis filium, consobrinæve vel consobrini? Atqui omnino id genus consanguineos nunquam habuerat. Idcirco ei necesse erat alium quendam adoptare, ut ne improlis senium ageret, sicut iste nunc ab eo requirit. Atque omnes, puto, confitebuntur, quod, si quenquam prorsus adoptasset, neminem magis me familiarem adoptare potuisset. Ostendat vobis. At nunquam potuerit: nullum enim alium cognatum præter hos habuit.

8. Iste vero non nunc, ut videtur, Meneclem incusat, quod filium suum non adoptavit, sed quod ullam unquam adoptationem iniit orbusque fato non functus est. Hoc est, quod incusat, invidiose et inique agens: sibi enim cum liberi sint, huic orbitatis infortunio laboranti conviciatur. Ac apud cæteros quidem homines tum Græcos tum barbaros hæc de adoptatione sancita lex in pretio habetur, eaque propter omnes ea utuntur: iste vero patruus nunc fratrem suum inverecunde hac facultate privatum it, filium scilicet adsciscendi, quam vel iis, quibuscum nullæ necessitudines intercedebant, nemo unquam invidit. Verum enimvero huncce, opinor, cuilibet eum interroganti, ecquid eadem usus sorte fecisset, nec aliud responsurum, quam quod adoptasset, qui eum esset dum viveret loco parentis culturus exsequiasque soluturus defuncto: et planum id quidem est, eadem hac lege, qua mea, sibi initum iri adoptationem. Tum iste, si liberis caruisset, filium adscitum isset: at vero Meneclem, eo quod eandem viam instititit, dementem esse ait mulierique morem gerentem filium adoptasse. Nonne hercle meras nugas dicit?

Mea enim opinione istic multo magis homo dictisque factisque delirat. Legibus enim et institutis, et quæ ipse fecisset, prorsus aliena blaterat, neque eum pudet, quam, quod ad fratrem attinet, de adoptatione abrogatum it legem, eam bonam ratam sibi servare.

9. Cur insuper obloquens cupit iste fratrem suum improlem facere, operæ pretium est, viri, ut audiatis. Etenim, si propter nomen quidem animo mihi inimico est atque ne filius Meneclis sim habendus recusat, nonne plane invidiosus est? si vero de bonis verba facit, planum vobis faciat ecquo prædio aut insula domove decessit Menecles, quæ ego nunc possideo. Sin nullum horum dereliquerit, sed quæ ei reliqua erant, quando pupillo pecuniam præstitit, iste eo adhuc vivo acceperit, nonne istic improbus et trifurcifer videtur? Quemadmodum autem res se habet, ego explicabo. Postquam enim pupillo oportuit pecuniam præstare, eique unde præstaret deficiebat, et fenora porro post longum tempus confluebant, venum prædium dedit. Ac iste arrepta occasione vexandi eum, propter meam adoptationem, quo minus prædium venum iret intercessit, ut obligatum esset atque eo pupillo cedere cogeretur. Cum eo igitur super quadam parte prædii contendit, etsi nullam unquam litem olim movisset, emptoribusque interdixit ne emerint. Atque is quidem querebatur, puto, et parte, super qua iste contendit, cedere cogebatur, et reliquum septuaginta minis Philippo Pitthensi assignare. Et sic, septem et septuaginta minis de pretio prædii depensis, pupillo satisfecit: actionem autem interdictionis cum isto instituit.

10. At vero multis utrinque jactis clamoribus ac conviciis, nobis visum est oportere, ut ne quis me avaritiæ incuset et qui fratres fuerint inimicos faciat, necessario istius atque amicis arbitrium deferre. Illi e vestigio nobis declarabant, ni causæ merita perscrutari illis permiserimus, se haudquaquam arbitrium suscepturos; neque enim necesse esse ut ab alterutro nostrum in odio haberentur: sin vero eos sinamus quæ omnibus conducibilia sint decidere, se rem disceptaturos. Ac nos, quo molestias diluamus, * * * ea lege permittimus. Quumque illi ad aram Veneris, quæ †† in pago Cephala est, semet ipsos jurejurando obstrinxissent se controversiam nostram æque decisuros, sententia sua decreverunt ut nos parte super qua iste contendit cederemus donoque daremus: nullam enim reconciliationem fore dixerunt, ni isti bonorum participes fuerint. Inque posterum jusserunt nobis nos invicem dictisque et factis benefacturos, et istæc bona fide facturos ad aram jurejurando nos invicem obstrinxerunt: et nos jusjurandum dedimus, in posterum, quoad potis essemus, nos invicem dictis factisque amicitiam culturos. Et jam, accepto jurejurando, quodque compromissionarii isti hujus familiares adjudicarant asserto, mox hisce beneficiis nos afficiunt, fratrem scilicet suum defunctum facere improlem volentes, meque

contumeliose tractatum e domo ejicere. Qui norunt testes eos sistam, suggestum adscendere si velint — istorum enim familiares sunt —, sin minus, qui affuerant. Et mihi recita testimonia hæcce: tuque aquam inhibe.

TESTIMONIA.

11. Cape jam illa testimonia, quæ, quod septuaginta minis prædium væniit, quodque pupillus de pretio divenditi prædii septem et sexaginta minas accepit, testantur.

TESTIMONIA.

Iste igitur patruus, viri, quum hereditatem ejus esset reapse consecutus et non sicut ego verbotenus, atque me multo plura possideat — ego enim trecentas quæ prædii de pretio restabant drachmas, ac domunculam ne tribus quidem minis valentem, adeptus sum: iste vero, qui prædium pluris quam decem minis valens tenet, nunc demum insuper domum ejus orbatum it. Atque ego quidem in locum filii adoptatus, dum vixit Meneclem colui, ipsemetque et uxor mea, hujusce Philonidæ filia, et puerulum meum e nomine ejus nuncupavi, ne nomen in domo in totum exolesceret, et exsequias ei fato functo pro dignitate ejus meaque duxi, et cippum instruxi decorum, et novendialia cæteraque officia inferialia quam honorificentissime exegi, ita ut omnes municipales me collaudarent: iste vero consanguineus, qui eum adoptationis incusat, prædio quod restabat ipsum vivum denudavit, atque defunctum improlem facere atque anonymum studet. Tam perditus iste homo est. Verumtamen, quod exsequias ei reddidi, atque tridialia novendialiaque exegi, eorum qui norunt testimonia recitabit scriba.

TESTIMONIA.

12. Quod igitur Menecles, viri, neque delirans neque mulieri parens me adoptavit, et hos ipsos testes præstare volo, et re quidem atque non verbo actis suis testantes, me vera dicere. Isti enim ambo mecum, nequaquam vero cum Menecle, pacificationem perpetrasse ostenduntur, juribusjurandis inter nos invicem datis et acceptis. Sin adoptatio minus secundum leges facta fuisset, neque ego heres Meneclis fuissem istorum consensu approbatus, quorsum tandem isti mihi jurarent aut a me jusjurandum exigerent? Nemo causulam dixerit. Quando igitur hæc fecerunt, e me plane testatos esse isti ipsi deprehenduntur, quod adoptatio secundum leges inita est, bonorumque Meneclis jure ego heres sum. Proinde hoc opinor vobis omnibus manifestum esse, ab istis scilicet concessum quod non delirabat Menecles, sed iste multo magis dementem nunc agit, qui, quum lites diluisset nobisque jurasset, nunc adest pactionibus rursus

ac juramentis violatis, meque cæteris, tantilla quamvis sint, spoliare studet.

13. Ego, ni patrem, cujus esse nuncupatus sum quique me adoptavit, deserere turpe prorsus ac flagitiosum esse existimarem, bonis ejus cito illi cessissem: nihil enim reliquum est, uti etiam vos percipere autumo. Nunc vero dedecorum inhonestumque hac lege esse puto, si, quo tempore Menecles pecuniosus fuit, eo meipsum ei in locum filii adoptari concesserim, deque bonis ejus, ante prædii venditionem, in domo gymnasiarchatu functus sim et munificentia utpote filius ejus inclaruerim, militias porro, quæ tunc temporis ordinatæ sunt, omnes in tribu ejus ac demo sustinuerim: eo autem mortuo, si deseruerim domoque ejus liberis orbata abierim, nonne facinus monstrosum deridiculumque perpetrarim magnamque calumniatoribus meis copiam dederim? Neque hæc sola me acuunt ad agendum istac actione, sed quod homo tam perditus et vilis esse videor, quem nemo quidem sanus amicorum adoptasse voluerit, sed quidam plane delirans, hoc illud est quod me angit.

14. Quare vos omnes oro, viri, et obtestor et supplico, ut me adjuvetis et huncce testem condemnetis. Planum vero vobis feci imprimis me Menecli fuisse adoptatum modo quo possit adoptari aliquis justissimo, neque verbo neque testamento adoptationem initam esse, sed reapse; phratores porro et demotas et orgeones hæc testantes præstiti; eum præterea tres et viginti annos supervixisse demonstravi. Deinde leges citavi, quæ copiam filios adsciscendi omnibus dant. Adhæc eum vivum coluisse eique fato functo exsequias reddidisse videor. Iste vero me nunc paterna hereditate, qualis ea cunque sit, majorve minorve, denudatum it, atque defunctum improlem simul et anonymum facere studet, ut nemo super eo sacra patria celebret, neque singulis annis ei parentet, sed honoribus suis eum privet: quæ quum ante prospexisset Menecles, donec suis potiebatur, sibi filium adscivit, quo hæc omnia obtineret. Nequaquam igitur, viri, istis morem gerentes me nomine hereditario privetis, id quod adhuc solum reliquum est, ejusque adoptationem antiquatum eatis: sed postquam negotium ante vos venit et vos arbitri ejus facti estis, ferte opem nobis et illi qui fato functus est, et ne despiciatis, per deos et genios vos oro, affectum ab his contumelia, sed memores legis et jurisjurandi quod præstitistis et eorum quæ dicta sunt, pro lite justa et jurijurando respondentia secundum leges decernite.

ISÆI

DE PYRRHI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Pyrrhus alterum sororis filium Endium adoptavit, qui ultra viginti annos fruitus hereditate obiit: Xenocles potitus pecuniam testatus est Philen, uxorem suam, esse Pyrrhi filiam legitimam, contendente Endii matre de hereditate; et deprehensus pejerare, ipso Nicodemo testante in uxorem junxisse sororem Pyrrho secundum leges, et ex ea natam esse Philen. Endii vero frater dicit esse spuriam, et ex concubinis Pyrrho ortam, et ut talem ab Endio locatam esse Xenocli. Quæstio conjecturalis: accusatio testatur de perjurio contra Nicodemum.

1. Pyrrhus matris meæ frater, o judices, prole carens legitima, fratrem meum Endium pro filio atque herede adoptaverat; qui Endius ab excessu Pyrrhi plus viginti annis ei supervixit, et bona Pyrrhi possedit atque usurpavit totoque illo tempore nemo unquam ulla prodidit significatione et ne simulavit quidem se existimare illam hereditatem ad se pertinere neque super ea cum Endio contendit. Verum Endio fratre meo anno superiori vita defuncto mulier quædam, quasi simulans se ignorare jam ante se alium quendam fuisse bonorum Pyrrhi heredem qui illa tamdiu usurpasset, quem tamen ipsa tacita pertulisset, et quasi nunc primum Pyrrhus morte sua hereditatem illam vacuam fecisset, illa (inquam) mulier, avunculi nostri filiam se ferens legitimam et Philæ nomen sibi arrogans, et vir, cujus in potestate illa mulier est, Xenocles Cyprius, tutorio uxòris suæ nomine, litem exordiebantur super Pyrrhi hereditate jam plusquam viginti annis ante vita defuncti, petebantque illam hereditatem a se in libello petitorio tribus talentis æstimatam. Ibi mater nostra, Pyrrhi soror, eadem de hereditate contendere eamque sibi arrogare; sed vir, in cujus potestate illa mulier est, intercedebat obnuntiatione quam ausus est interponere, qua testem agens negat matri nostræ jus ullum esse fratris hereditatem petendi, quoniam Pyrrho, primo bonorum domino, filia legitime nata supersit adhuc in vivis. Opposuimus vero nos actionem de falso dicto testimonio, vestrumque ad forum pertraximus eum qui interponenda obnuntiatione sua ausus fuerat hoc ex titulo hereditatis aditu nos excludere, atque non illum modo [Xenoclem] dicti falsi testimonii

luculentissime coarguimus et actionem de falso testimonio in hoc eodem vestro foro vicimus, sed etiam hunc Nicodemum tum quoque in continenti coarguimus, qui coram iisdem judicibus falsum illud Xenoclis testimonium suo perinde falso fultum et constabilitum ierat, aiens a se sororem suam, hujus mulieris matrem, avunculo nostro [Pyrrho] rite desponsam et in manus traditam fuisse, quo uxor ejus jure quam potest optimo esset. Testimonium hoc [Nicodemi] jam in priore actione judicibus qui tum sedebant falsum fuisse visum, docet testis tum condemnatus [Xenocles]. Nam si hic [Nicodemus] tum visus non fuisset falsa testatus esse, constat hoc eventurum fuisse ut et ille [Xenocles] in causa obtestationis absolutus abiret, et mulier, quam Xenoclis obtestatio filiam Pyrrhi legitimam perhibet esse, avunculi nostri bonorum heres declararetur, non mater nostra. Sed victus et condemnatus discessit testis [Xenocles], et mulier illa quæ Pyrrhi se fert filiam ab hereditate quam poscebat destitit; unde perspicua et invicta exsistit necessitas hujus [Nicodemi] quoque testimonium jam tum temporis reprobatum, condemnatum, et pro nullo declaratum fuisse. Nam, qui obtestationem nobis objecerat [Xenocles], hoc de ipso actionem falsi testimonii certabat, utrum mulier hereditatem petens Pyrrho e meretrice an ex uxore legitima nata esset. Statum causæ cognoscetis ipsi vos perspicue, ubi audiveritis et jusjurandum a nobis dictum jurijurando ab illis dicto oppositum et hujus [Nicodemi] testimonium et denique interpositam [a Xenocle] obtestationem, illam dico in illo priore judicio falsitatis convictam atque repudiatam. Recita tu hisce [judicibus] hasce tres schedas, quas tibi in manus trado.

CONTRAJURAMENTUM. TESTIMONIUM. OBTESTATIO.

2. Nicodemum ergo jam tum statim in continenti visum fuisse falsum testem, id liquido tum demonstratum fuit omnibus: verum etiam coram vobis, judices, convenit testimonium ejus mendacii coargui, quippe qui hoc de ipso sedeatis judicaturi, sitne verum illud an falsum testimonium. Ante omnia itaque eum ipsum percontari volo, quamnam dotem a se sorori aiat additam fuisse is [Nicodemus], qui testimonio in publico dicto asseveravit, sororem a se Pyrrho rite desponsam et elocatam fuisse, substantiam possidenti tribus talentis æquiparabilem; deinde percontari volo, utrum illa prætensa Pyrrhi uxor virum adhuc superstitem an eo exstincto domum ejus deseruerit, et, posterius hoc si evenit, a quonam dotem sorori contributam recuperarit post ejus excessum cui se illam despondisse ait, aut si dotem minus recuperarit, quamnam actionem sive titulo alimentorum mulieri præbendorum sive dotis ipsius reddendæ intra viginti annorum decursum in eum intentarit qui nuper

ISÆI

DE PYRRHI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Pyrrhus alterum sororis filium Endium adoptavit, qui ultra viginti annos fruitus hereditate obiit: Xenocles potitus pecuniam testatus est Philen, uxorem suam, esse Pyrrhi filiam legitimam, contendente Endii matre de hereditate; et deprehensus pejerare, ipso Nicodemo testante in uxorem junxisse sororem Pyrrho secundum leges, et ex ea natam esse Philen. Endii vero frater dicit esse spuriam, et ex concubinis Pyrrho ortam, et ut talem ab Endio locatam esse Xenocli. Quæstio conjecturalis: accusatio testatur de perjurio contra Nicodemum.

1. Pyrrhus matris meæ frater, o judices, prole carens legitima, fratrem meum Endium pro filio atque herede adoptaverat; qui Endius ab excessu Pyrrhi plus viginti annis ei supervixit, et bona Pyrrhi possedit atque usurpavit totoque illo tempore nemo unquam ulla prodidit significatione et ne simulavit quidem se existimare illam hereditatem ad se pertinere neque super ea cum Endio contendit. Verum Endio fratre meo anno superiori vita defuncto mulier quædam, quasi simulans se ignorare jam ante se alium quendam fuisse bonorum Pyrrhi heredem qui illa tamdiu usurpasset, quem tamen ipsa tacita pertulisset, et quasi nunc primum Pyrrhus morte sua hereditatem illam vacuam fecisset, illa (inquam) mulier, avunculi nostri filiam se ferens legitimam et Philæ nomen sibi arrogans, et vir, cujus in potestate illa mulier est, Xenocles Cyprius, tutorio uxôris suæ nomine, litem exordiebantur super Pyrrhi hereditate jam plusquam viginti annis ante vita defuncti, petebantque illam hereditatem a se in libello petitorio tribus talentis æstimatam. Ibi mater nostra, Pyrrhi soror, eadem de hereditate contendere eamque sibi arrogare; sed vir, in cujus potestate illa mulier est, intercedebat obnuntiatione quam ausus est interponere, qua testem agens negat matri nostræ jus ullum esse fratris hereditatem petendi, quoniam Pyrrho, primo bonorum domino, filia legitime nata supersit adhuc in vivis. Opposuimus vero nos actionem de falso dicto testimonio, vestrumque ad forum pertraximus eum qui interponenda obnuntiatione sua ausus fuerat hoc ex titulo hereditatis aditu nos excludere, atque non illum modo [Xenoclem] dicti falsi testimonii

luculentissime coarguimus et actionem de falso testimonio in hoc eodem vestro foro vicimus, sed etiam hunc Nicodemum tum quoque in continenti coarguimus, qui coram iisdem judicibus falsum illud Xenoclis testimonium suo perinde falso fultum et constabilitum ierat, aiens a se sororem suam, hujus mulieris matrem, avunculo nostro [Pyrrho] rite desponsam et in manus traditam fuisse, quo uxor ejus jure quam potest optimo esset. Testimonium hoc [Nicodemi] jam in priore actione judicibus qui tum sedebant falsum fuisse visum, docet testis tum condemnatus [Xenocles]. Nam si hic [Nicodemus] tum visus non fuisset falsa testatus esse, constat hoc eventurum fuisse ut et ille [Xenocles] in causa obtestationis absolutus abiret, et mulier, quam Xenoclis obtestatio filiam Pyrrhi legitimam perhibet esse, avunculi nostri bonorum heres declararetur, non mater nostra. Sed victus et condemnatus discessit testis [Xenocles], et mulier illa quæ Pyrrhi se fert filiam ab hereditate quam poscebat destitit; unde perspicua et invicta exsistit necessitas hujus [Nicodemi] quoque testimonium jam tum temporis reprobatum, condemnatum, et pro nullo declaratum fuisse. Nam, qui obtestationem nobis objecerat [Xenocles], hoc de ipso actionem falsi testimonii certabat, utrum mulier hereditatem petens Pyrrho e meretrice an ex uxore legitima nata esset. Statum causæ cognoscetis ipsi vos perspicue, ubi audiveritis et jusjurandum a nobis dictum jurijurando ab illis dicto oppositum et hujus [Nicodemi] testimonium et denique interpositam [a Xenocle] obtestationem, illam dico in illo priore judicio falsitatis convictam atque repudiatam. Recita tu hisce [judicibus] hasce tres schedas, quas tibi in manus trado.

CONTRAJURAMENTUM. TESTIMONIUM. OBTESTATIO.

2. Nicodemum ergo jam tum statim in continenti visum fuisse falsum testem, id liquido tum demonstratum fuit omnibus: verum etiam coram vobis, judices, convenit testimonium ejus mendacii coargui, quippe qui hoc de ipso sedeatis judicaturi, sitne verum illud an falsum testimonium. Ante omnia itaque eum ipsum percontari volo, quamnam dotem a se sorori aiat additam fuisse is [Nicodemus], qui testimonio in publico dicto asseveravit, sororem a se Pyrrho rite desponsam et elocatam fuisse, substantiam possidenti tribus talentis æquiparabilem; deinde percontari volo, utrum illa prætensa Pyrrhi uxor virum adhuc superstitem an eo exstincto domum ejus deseruerit, et, posterius hoc si evenit, a quonam dotem sorori contributam recuperarit post ejus excessum cui se illam despondisse ait, aut si dotem minus recuperarit, quamnam actionem sive titulo alimentorum mulieri præbendorum sive dotis ipsius reddendæ intra viginti annorum decursum in eum intentarit qui nuper

hereditatem Pyrrhi in potestate habuit, aut quonam cum comite atque teste congressus cum herede, de dote sorori reddenda cum illo herede intra tam longinquum tempus expostulaverit. Horum itaque omnium cur nihil factum sit, libenter ex eo perconter, ea super muliere quæ legitime dicatur elocata fuisse — nam sic a se sororem Pyrrho elocatam fuisse Nicodemus hic testatus est —, et præterea, num quis adhuc alius sororem ejus in matrimonio habuerit uxorem sibi rite desponsam, sive ille unus est ex eorum numero qui muliere illa familiariter usi sunt, antequam avunculus noster notitiam cum ea contraheret, sive ex eorum qui avunculo cum ea consuescente mulierem frequentarunt, sive denique eorum qui avunculo e vivis sublato usu crebro cognitam atque amicam eam habuerunt: constat enim, si horum cuiquam rite desponsa fuit, eam eorum unicuique conditione eadem elocatam fuisse a fratre qua avunculo nostro fuit, si fuit unquam. Non modicum mihi datum foret negotium, si de horum omnium qui mulieris amici unquam fuerunt unoquoque sigillatim exponere necesse fuerit. Quodsi ergo vos jubeatis, de quibusdam eorum a me mentionem fieri, faciam: sin autem vestrum quibusdam perinde insuave sit audire istiusmodi narratiunculas, atque mihi est in iis oratione versari, sola vobis exhibebo recitanda testimonia super hac muliere in priore actione dicta, quorum testimoniorum omnium in nullum hi ausi sunt [Nicodemus puta cum factione sua] falsitatis actionem instruere. Atqui fieri qui possit, ut rite desponsa cuiquam atque elocata videatur ea mulier, quam hi ipsi confitentur volenti cuique patuisse? Quod enim testimonia hac ipsa de re dicta falsitatis actione persecuti non sunt, eo ipso confessi sunt mulierem corpus vulgasse ideoque rite desponsam nunquam fuisse. Quæ testimonia ubi vos quoque audieritis, cognoscetis et Nicodemum testimonium dixisse aperte et manifeste falsum, et superioris actionis judices æquam jurique consentaneam pronunciasse sententiam in hanc formulam, hereditatem mulieri haud legitime natæ non competere. Recita tu, tu autem inhibe clepsydram.

TESTIMONIA.

Quod ergo meretrix volenti cuique obnoxia, non autem uxor legitima nostri avunculi, fuerit ea mulier, quam hic [Nicodemus] testatus est a se illi legitime desponsam atque elocatam fuisse, de eo jam constat vobis cum e testimoniis reliquorum propinquorum tum e vicinorum qui olim Pyrrho fuerunt; nunc autem testati sunt rixas crebras a se visas auditasque esse et comissationes et pugnasque petulantiam incredibilem, toties quoties hæc mulier hujus [Nicodemi] soror penes eum [Pyrrhum] esset. Atqui nemo facile ausit ad matronas rite maritatas comissabundus accedere; neque uxores maritos ad convivia comitantur, neque compotantibus assident inter

ignotos et alienos, eosque fortuito oblatos et de trivio correptos. Atqui mulierem hanc ista factitasse testati sunt hi quos audivistis, et hi [Nicodemus, Xenocles, et tota eorum factio] ausi non sunt contra testium illorum quenquam actionem falsitatis instituere, nedum ut eos coarguerent. Vera me hæc affirmare quo constet, recita tu illis hoc testimonium iterum.

TESTIMONIUM.

Sed et illa recita testimonia de frequentibus marium omnis generis cum illa congressibus, quo constet et meretricem illam fuisse volenti cuique obnoxiam, et neminem illorum omnium alium ex ea liberos legitimo modo suscepisse. Recita ipsis.

TESTIMONIA.

Meminisse jam vos oportet quot numero homines coram vobis, judices, contestati sint, quam mulierem hic [Nicodemus] avunculo nostro a se desponsam et elocatam ait fuisse, eam prostibulum vulgare et in potestate cujusque mercedem dantis fuisse; meminisse item hoc, constare jam omnium aliorum nemini eam desponsam fuisse et cum alio nullo cum conditione matris familias honestæ et legitimæ sub eodem tecto cohabitasse.

3. Verum age alias quoque causas excutiamus, unde suspicio nascatur fieri tamen potuisse ut ejusmodi mulier, quamvis ita probrosa et contaminata, rite tamen nihilominus desponderetur, si nostro quoque avunculo contigisset hac in re humanum quid pati. Usu enim nonnunquam venit ut adolescentes, cum talium mulierum amore tam insano exarsissent ut ab earum amplexibus avelli et incontinentiæ suæ modum imperare nequirent, sui haud compotes a stultitia et furore suo impellerentur ad peccandum in sua propria commoda et ad consciscendum famæque suæ ignominiam et rei familiari labem haud reparabilem. Unde igitur hujusmodi de re quid statuendum sit certius intelligatur atque decernatur exploratius, quam partim e testimoniis in actione superiori horum in causa dictis [Nicodemi puta, et sororis ejus, item Philæ et Xenoclis atque consortium] partim ex indiciis probabilibus atque consentaneis ex ipsa rei natura efflorescentibus? Hic nempe [Nicodemus] in illa priore actione nequam artibus et imposturis rem gerens comminiscebatur unum solummodo testem, Pyretidem aliquem, sibi præsto fuisse sororem desponsuro, si dis placet (ait enim despondisse), viro clarissimo substantiam trium talentorum tenenti. Et hujus rei testimonium exhibuere tum non a teste præsente coram judicibus ore editum, sed scriptum absentis nomine ab ipsis; quod testimonium ipse Pyretides a se aut verbis proditum aut literis consignatum fuisse infitiatur, sarcinamque hanc quam hi humeris ejus impositum issent susci-

pere recusat, sed rotundis et disertis verbis negat sibi constare horum quicquam verum esse. Luculentum ego edam documentum, unde constet testimonium hoc ab his tum exhibitum manifesto falsum et ementitum esse: nostis enim vos omnes, cum res suscipiamus agendas in publico, quas res oporteat ad plurium notitiam pervenire et quæ sine conscientia et auctoritate testium peragi atque ratæ esse nequeant et quarum loca et tempora cæterasque rationes præsciamus, tum solere nos ad eas res agendas advocare delectos e propinquissimis eosque quibus alias utamur quam familiarissime, subitarum autem et quarum eventum præscire atque prævidere nemo possit testes producere eos qui fortuito rei cuique ut contigit interfuerunt. In ipsis ejusmodi rerum actionibus forensibus cum testes in judicum conspectum producendi sunt, facere non possumus quin illos testes, quicunque tandem cæteroquin sunt, a forte nobis objectos producamus, qui rebus ex improviso et insperato gestis interfuerunt: sed aut ipsos producimus, aut si quis ipse in foro adesse sive per valetudinem sive per instantis itineris necessitatem minus possit, tum testimonium ab absente ipso ejusve nomine scriptum exhibemus; hujusmodi autem testimonium, absentis locum expleturum, cum operam damus ut nobis scribatur, cavemus ut civium probatissimos quosque vobisque notissimos advocemus ut intersint actui testationis, neque uno teste duobusve defungimur, sed quot possumus quam plurimos corrogamus, testimonium ejusmodi pro absente testaturum poscentes a scribente, quo et auctori testimonii postmodum negatum sit a se scripta rursus infitiari, et quos vos fidem scriptis hoc promptius atque fidentius habeatis quo testes et numero plures et fama atque dignitate meliores eadem confirment. Xenocles quidem hic ipse alia quapiam in re, multo illa leviore atque hæc nostra causa est, hac usus cautione cernitur; Besam enim proficiscens ad officinam metallicam, quæ ibi nobis est a Pyrrho relicta, cum proposito nostras operas illinc vi et manu deducendi, non existimabat oportere se testibus uti quos illuc venienti fors esset objectura, sed in viam se dabat habens secum Diophantum Sphettium, eundem qui pro hoc [Nicodemo] causam dixit [in superiori actione], et Dorotheum Eleusinium fratremque suum Philocharem multosque alios nominatim ad testandum convocatos, quos hinc illuc perduxit Xenocles tota tercentum stadia: super desponsione autem atque elocatione in matrimonium mulieris ejus quæ liberis suis avia sit futura, cum in urbe sibi dari curaret extestimonium [h. e. non adduceret in forum ipsum testem suum, sed solummodo testimonium literis consignatum ab eo peteret, tametsi, id quod ipse ait, ille testis non peregre sed ipsa in urbe ageret, nihilque eum ab ingressu in forum impediret], tamen ad eam rem necessariorum suorum neminem advocasse deprehenditur, sed solummodo

Dionysium Erchiensem et Aristolochum Æthalidem. Cum his duobus aiunt hi [Nicodemus cum factione] Xenoclem in urbe extestimonium sibi dari curasse. Hujusmodi sunt eorum mores et instituta; quibus nemo facile ulla alia in re quacunque tandem fidem adhibeat. At medius fidius leve quid erat atque frivolum id, cujus causa Xenocles (ut hi aiunt) extestimonium a Pyretide poscebat, ut mirandum nil sit ab eo rem istam tanta cum socordia atque supinitate actam esse? Atqui levis et frivola hæc res qui, quæso, erit ei, cui in hoc ipso verteretur cardo certaminis ejus, quod Xenocli de falso dicto testimonio certandum fuit, utrum uxor sua spuria e scorto nata an filia legitima Pyrrhi e matre familias honesto modo suscepta esset? Itane vero ad testimonium hac de re, si verum fuisset neque commentitium, paucos quosdam et alienos homines et non potius amicos atque familiares advocasset? Utique, ita me deus amet, vere factum id si fuisset, quod ii factum aiunt [h. e. ad testimonium ex ore testantis excipiendum de re tanti momenti, quotquot potuisset, omnes notos et familiares advocasset]. Atqui constat utrumque horum, tam Xenoclem quam Nicodemum, res gravissimi ponderis studuisse clam, pene nullo cum teste aut cum levissimo quoque, peragere; nam Xenocles quidem extestimonium sibi dari curavit coram duobus solummodo testibus fortuito oblatis, Nicodemus autem, id agens ut sororem viro desponderet substantiam habenti tribus talentis parem, cui illam a se desponsam ait, non habuit secum nisi unum solummodo testem advocatum. Et Nicodemus quidem se solum Pyretidem secum habuisse commentus est (Pyretides enim ipse factum infitiatur); ab eo autem viro, qui ejusmodi mulierem sibi deponderi curaret, advocatos se sponsalibus interfuisse aiunt Lysimenes et fratres ejus, Chæron et Pylades. Hoc aiunt hi, qui despondendi avunculi essent. Proh rem portentosam! Jam vestrum est, judices, dispicere commentum hoc utrum sit credibile. Nam ego equidem autumo, ex eo colligens quod consentaneum est fieri, si Pyrrhus sibi proposuisset aliquid aut spondere aut agere quod genere ipsius esset indignum, multo eum magis operam fuisse daturum ut id insciis necessariis omnibus faceret, quam voluisse avunculos ad errorem tam fœdum oculis suis contestandum advocare.

4. Præterea, hoc quoque miror, si vera fuerunt illa sponsalia, cur de dote nullum pactum intercesserit neque a parte dantis neque a parte accipientis. Sive enim Nicodemus dotem Pyrrho dedit, consentaneum erat ut, qui testes se sponsalibus aiunt interfuisse, hi iidem quoque testarentur illam dotem Pyrrho in manus a Nicodemo datam atque numeratam fuisse: sin autem cupiditate mulieris accensus avunculus noster passus esset indotatam sibi desponderi mulierem et eam quidem sic moratam, paret Nicodemum multo etiam tum magis operam daturum fuisse ut Pyrrhus coram testibus

affirmaret se dotem pro muliere accepisse illaque de dote reddenda caveret, quo facile rursus ei ne esset mulierem, si quando luberet, a se ablegare; multo etiam plures tum profecto testes (id quod consentaneum est) despondens advocatos adhibuisset quam is qui sibi talem mulierem desponderi curaret. Nemo enim vestrum ignorat, ejusmodi mulierum caritatem penes amantes levem esse et evanidam, et illusam illorum opinionem paulo post resipiscere, errorem noscitare, et, quo loco habendæ sint meretrices et quanti faciendæ, tandem aliquando cernere. Et nihilominus tamen Nicodemus, aiens sororem a se desponsam, his moribus, indotatam, viro substantiam habenti tribus talentis æquiparabilem, ait eam despondisse uno tantum cum teste et sine pactione dotis; et avunculi Pyrrhi aiunt se interfuisse sponsalibus iis quibus suus ex sorore nepos mulierem talem sibi curasset indotatam desponderi. Proh impudentiam! proh effrenem mentiendi licentiam!

5. Verum non insistit hic eorum audacia. Testati præterea quoque sunt hi iidem Pyrrhi avunculi se advocatos a nepote interfuisse, cum ille diem a nata filia decimum festum ageret eique nomen imponeret. Hic loci continere me non possum, judices, quominus prodam me gravissime indignari, quod maritus quidem hujus prætensæ Pyrrhi filiæ [Xenocles], uxoris loco atque nomine litem hanc instituens de hereditate Pyrrhi veluti de patrimonio uxoris (Pyrrhi enim filiam illa se, quod toties dico, jactat), in libello, quem exhibuit petitorium eundem atque accusatorium, uxoris suæ Philæ nomen ediderit Philamque curarit in tabulas publicas inseri; avunculi autem Pyrrhi, qui decimo ab illius mulieris nativitate die sacris ideo factis nominisque imponendi ritui se aiunt interfuisse, testati sint eam a patre ex aviæ nomine Clitaretam appellatam fuisse. Clitareta enim mater Pyrrhi appellabatur. Miror itaque qui factum sit ut maritus, octavum jam in annum uxorem domi habens, verum ejus nomen ignorarit; et neque a testibus suis id ante hunc diem didicerit, neque socrus ei filiæ suæ nomen intra tam longinquum tempus prodiderit, neque socrus frater, hic ipse Nicodemus, sed pro aviæ nomine — si revera nomen aviæ mulieri fuit unquam impositum — maritus uxori suæ nomen Philæ curarit in tabulis publicis scribi, idque in sortitione litis super hereditate bonorum eorum quæ uxor ejus prætendit a patre suo sibi relicta esse. Quid ita? Ipsone adeo aviæ nomine [quod nomen nepti, si fuisset, titulus juris et documentum ingenuitatis esse potuisset] a patre imposito uxorem privatum ibat ipse maritus? Non jam liquet, judices, quæ hi dudum ante evenisse aiunt, ea hos nuper demum, dudum post causam hanc in forum delatam, ex se commentos esse et inter sese comparasse atque condixisse? Neque enim fieri potest neque credibile est, ut testes quidem ad sacra natalitia concelebrandum atque congratulandum vocati, quæ sacra peracta aiunt decimo die a nata Pyrrho filia, quæ eadem hujus [Nicodemi] ex sorore neptis est, nomen mulieri tum a patre inditum, ab illo inde die, quicunque ille dies fuit, tam longo tempore post tam probe commeminissent ejusque memores in judicium convenirent coramque judicibus e certa conscientia confirmarent nomen a patre filiæ fuisse idem impositum, quod ipsius Pyrrhi mater gessisset, Clitaretæ puta; qui autem hominum omnium eidem sunt propinquissimi, pater et avunculus et mater ipsa, nomen ignoraverint filiæ quam pro Pyrrhi filia venditant. Imo vero si qui alii, hi certe omnium uni optime atque certissime nomen mulieris tenebant. Verum hoc quidem de loco pluribus disserere fortasse postmodum licebit.

6. De hujus autem Nicodemi testimonio difficile non est ex ipsis adeo legibus colligere, in eo dicendo Nicodemum ita se gessisse ut inter omnes constet illud testimonium perspicue manifestoque falsum esse dictum. Ubi enim, quicquid tu alteri nuptiarum aut matrimonii ergo dederis ita ut expressis verbis haud sis stipulatus te velle ut id aut loco dotis sit aut in parte dotis habeatur et paratæ pecuniæ æquiparetur, id tibi postmodum repetere non licet, si forte fiat ut aut uxor sponte sua maritum deserat aut maritus eam domo expellat, quanto ille magis arguitur esse hominum omnium impudentissimus qui aiat, cum alicui sororem in manum daret, tum se nil curasse de dote sibi caveri. Ecquid enim tibi profuisset sororem despondisse, si commisisses ut, cui tu eam despondisses, in ejus fuisset arbitrio illam rursus pro lubitu quandocunque repudiare? Fuisset autem in ejus [Pyrrhi] arbitrio futurum, uxorem rursus ubi libuisset repudiare, si ei cum Nicodemo de præstanda dote nil convenisset. In hanccine legem existimandus est Nicodemus sororem avunculo nostro despondisse? præsertim qui sciret eam ex eorum quibuscum consuevisset nullo peperisse, legesque nosset ipsi [Nicodemo] dotem adjudicare cum marito compromissam, si contingeret ut ea sine prole decederet? Estne quisquam, cui Nicodemus tam supinus tam secors tam lucri contemptor esse videatur, ut hujusmodi clausularum atque pactionum ullam obliviosus prætereat? Mihi quidem hæc non videtur Nicodemo indoles esse. Itane vero porro quoque noster avunculus ab eo dignatus fuisset sororem sibi uxorem petere, qui actione peregrinitatis ab uno quodam eorum phratorum, quibus ipse sese arrogat, exagitatus, et in tam anceps amittendæ civitatis discrimen adductus fuisset ut, quod civis nunc sit Nicodemus, id quatuor solummodo suffragiis debeat? hoc enim numero excedebant suffragia absolventium numerum condemnantium. Quod ut constet vere a me dici, recita tu hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

Sed ut de hoc quoque constet quod modo commemorabam, e jure nostro reversuram ad Nicodemum fuisse dotem, si evenisset ut soror ejus sine prole decederet; unde colligebam, cupiditatem Nicodemi passuram non fuisse ut de dote præstanda nil curaret a Pyrrho sibi caveri, cui sororem a se desponsam fuisse indotatam pro testimonio asseveravit. Recita tu hanc quoque nostri juris e codice legum particulam.

LEGES.

Videturne vobis Nicodemus ad emolumenta tam segnis tam torpidus et hebes fuisse, ut non multo magis hoc in negotio unde spes lucri certa ipsi affulgeret, si vere actum unquam fuisset, summa qua fieri potest cum diligentia atque circumspectione versaturus fuisset suisque commodis prospecturus? Ego quidem medius fidius arbitror eum ad diligentiam rei faciundæ nihil sibi reliquum facturum fuisse: alii quidem, qui mulierem aliquam sub conditione pellicatus elocantes pecuniam ei addunt, caveri sibi curant de emolumentis quorum fructum sperare debeat ejusmodi pellex; Nicodemus autem in sorore—ut ait—despondenda, hoc unum scilicet spectaverit ut legitime eam desponderet? dotis et commodorum inde ad semet redeuntium nullam prorsus habuerit rationem? illene, qui minuti æris causa, cujus cupiditate forenses causas in tribunalibus vestris actitat, nequam esse haud veretur?

7. Verum etsi nequitia hujus hominis, me vel tacente, plerisque vestrum cognita ita et perspecta est, ut mihi quidem, de eo quippiam eloquenti, testes non sunt defuturi; juvat tamen ante omnia summam ejus in dicendo falso testimonio impudentiam hisce propemodum argumentis denudare. Dic, sodes, Nicodeme, sororem si tu Pyrrho legitime despondisti ex eaque nosti filiam illi rite natam, cur passus es fratrem nostrum hereditatem Pyrrhi a judicibus petere ab iisque eam illi adjudicari, præterita filia quam tu ais ab avunculo nostro relictam legitime susceptam? An te fugiebat per hanc ipsam hereditatis petitionem atque adjudicationem filiam e sorore tua natam declarari spuriam? Nam profecto frater noster illa petenda et impetranda nil aliud fecit, quam ut filiam, quæ se fert ejus a quo hereditas relicta fuit, spuriam declararet. Verum non modo frater id fecit, sed dudum ante idem fecerat ipse quoque Pyrrhus eo quod fratrem nostrum pro filio adoptavit: quibus enim filiæ sint legitime quæsitæ, eorum nulli per leges licet testamentum scribere aut præteritis filiabus et in fraudem earum alii cuicunque bonorum suorum partem donare legare. Id quod vos ipsi e legibus intelligetis, cum recitatas audieritis. Recita tu illis hasce.

LEGES.

Videturne jam vobis Nicodemus, ille qui testatus sit a se sororem Pyrrho legitime desponsam esse, fratri nostro unquam permissurus fuisse ut eorum quæ frater hac in causa egit quicquam ageret? annon potius Endio hereditatem petenti, quæ etiam illi adjudicata fuit, sese opposuisset, atque intercessisset pro sua ex sorore nepte obnuntiando jus Endio nullum esse hereditatem petendi superstite filia legitima cui soli bona paterna debeantur? Quo autem certi sitis, Endium, fratrem nostrum, hereditatem Pyrrhi via juris ambisse sibique legitime adjudicari curasse, nemine ipsi ea de re controversiam obmovente, recita tu hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

Nicodemus itaque, id quod ex hoc testimonio constat, Endio hereditatem ex formula juris postulante, non ausus est intercedere neque controversiam hereditatis commovere, neque testimonium interponere suum de jure nullo postulanti competente, quoniam filia legitime suscepta supersit a Pyrrho patre sola bonorum heres relicta.

8. Et de adjudicatione quidem hereditatis possit aliquis vos, judices, commentitiis excusationibus ludificari: Nicodemus enim vel causatus fuerit hereditatem hanc sibi a nobis tum surreptam esse inscio et rerum quæ tum agerentur ignaro, vel nos mendacii incusarit. Verum transmittamus hunc locum tacitum, quoniam satis jam hac de re disputatum videtur. Xenocli autem cum Endius filiam tuæ sororis in manus daret, fuissesne tu unquam, Nicodeme, permissurus, ut ea pro spuria e meretrice suscepta marito in manus daretur, quæ fuisset ex uxore nata Pyrrho legitime abs te desponsa? Annon potius actione intronuntiationis fuisses usus, ad Archontem denuncians, mulierem, cujus in jure atque potestate sit hereditas ei a patre relicta, a filio adoptato contumeliose haberi, qui eam hereditate paterna plane denudatum eat? præsertim cum actionum omnium forensium hoc unum genus solum sit id in quo actores discrimen damni accipiendi nullum adeant, et volenti cuique liceat filiabus succurrere, si quæ sine fratribus cum patrimonio relictæ fuerint? Nam neque mulctæ luendæ locus est in hujusmodi ad archontem denuntiationibus, ne si quidem prorsus nullum suffragium denuntiatores abstulerint, neque sportulæ solvuntur neque sacramentum deponitur; sed actori quidem, quicunque esse vult, sine ullo periculo denuntiandi potestas est, reos autem condemnatos extremæ manent pœnæ in hujusmodi causis præscriptæ. *** Vera si fuissent ista, quæ tu nunc ausus es pro testimonio affirmare, utrum tu tunc statim, recente adhuc injuria, aucto-

rem ejus ultum isses, an etiam ista Endium aies clam et inscio te patrasse? Annon ex ipsa dote, quam Endius spuriæ suæ sorori addebat, odorabaris nepti tuæ injuriam fieri? Debuisses propter hoc ipsum concepta indignatione Endium apud archontem denuntiare, si ipse quidem substantiam tribus talentis æquiparabilem possidere postularet (quam Endius quoque jure merito postulabat), filiâm vero patris sui adoptivi, quamvis legitime natam, alii cuipiam cum addita dote mille drachmarum solummodo [h. e. sextæ partis talenti] elocandam censeret. Et Nicodemus hoc æquo tulisset animo? non ideo succensuisset? non Endium detulisset? Fecisset profecto, ita me deus amet, si, quod ait, verum id et certum fuisset. Quid? quod ne videtur quidem mihi unquam, neque ille [Endius] neque ullus alius filius adoptatus tam aut tardus aut audax legumque contemptor fuisse in rep. obtinentium, ut, si pater adoptivus una cum hereditate filiam reliquisset legitime natam, non ipse eam domum suam duceret, sed alii cuipiam nuptui elocaret. Probe enim norat Endius liberorum ab ejusmodi filia legitima procreatorum universam aliquando futuram esse avitam hereditatem. Itane vero quisquam hujus rei gnarus, alii cuiquam bona sua sciens traderet? præsertim tam ampla et spissa atque hæc sunt bona super quibus hi nobiscum contendunt? Videturne vobis ullus alius filius adoptatus tam fore impudens atque tam audax, ut filiam sui patris legitime natam alii elocaret cum dote ne decimam quidem partem paternæ hereditatis exæquante? Aut, si factum tamen id fuisset, videturne vobis illius mulieris avunculus id fieri passurus fuisse, is qui ipse matrem puellæ patri ejusdem despondisse asseveravit in testimonio coram judicibus solenniter dicto? Mihi quidem Nicodemus non videtur æquo id animo laturus fuisse, sed potius contentionem super hereditate exorsurus et obtestationem interpositurus et indicaturus archonti filiæ paternorum bonorum heredi relictæ injuriam fieri, et, aliud si quod superfuisset telum juris illis adhuc acrius, eo usurus nihilque sibi ad obtinendam causam reliquum facturus. Jam Endius quidem mulierem hanc, quam hic Nicodemus e sorore sua natam ait, ut spuriam e meretrice susceptam elocavit; hic Nicodemus autem neque cum Endio de Pyrrhi hereditate contendere ausus est, neque Endium apud archontem defendendum censuit, quanquam is Nicodemi neptem e sorore pro spuria e scorto nata elocasset, neque dotis ab Endio mulieri additæ mediocritatem ægre se ferre significavit, sed illa omnia fieri æquo animo passus est. Atqui leges de his omnibus diligenter definiunt. De quo ut vobis constet, recitabit scriba vobis primo quidem loco iterum testimonium de hereditate Pyrrhi ab Endio in jure petita eique a judicibus adjudicata, deinde vero de mulieris [filiæ spuriæ, Philæ] elocatione [ab Endio facta]. Recita tu ipsis.

TESTIMONIUM.

Recita leges quoque.

LEGES.

Cape jam hoc hujus quoque [Nicodemi] testimonium [quo ille confirmavit, a se sororem suam, hujus mulieris matrem, Pyrrho pro legitima uxore fuisse elocatam].

TESTIMONIUM.

Quomodo jam quis, actione de falso dicto testimonio aliquem persequens, dilucidius et evidentius reum arguat, quam si illum et ex ipsis rebus gestis et ex universo vestro jure civili mendacii convincat, ut ego nunc Nicodemum convici?

9. Executus itaque dicendo cum jam sim eorum pleraque quæ de Nicodemo et adversus eum habebam, Xenoclem quoque spectate, quæso, judices, illum penes quem ea mulier est, quæ e sorore Nicodemi nata Pyrrhi se filiam fert, num ex illo quoque Xenocle indiciorum nonnihil elucescat, unde constet dictum a Nicodemo testimonium falsum atque ementitum fuisse. Xenoclem itaque hunc sivisse hanc, quam nunc uxorem domi habet, pro spuria sibi desponderi eamque pro tali manucepisse, planum id vobis factum est et per argumenta et per testimonium id, cujus de veritate Xenocles ipse per tempus haud modicum rebus ipsis testatus est. Paret enim, nisi Xenocles uxorem sibi ut spuriam ab Endio desponderi et in manus tradi sivisset, operam eum fuisse daturum, superstite adhuc Endio, cum liberi ei jam essent ex illa uxore suscepti tam jam adulti, ut controversiam Endio adhuc superstiti moveret de filia legitima ut sola herede bonorum patris, præsertim qui paratus esset Endii adoptationem a Pyrrho unquam factam infitiari: utique, quo eam infitiaretur, exceptionem falsitatis opposuit testibus his, qui testati fuerant se interfuisse cum Pyrrhus testamentum conderet. Quæ ut vobis constet a me vera dici, recitabit scriba vobis testimonium ab iis quos dico testibus perhibitum. Recita ipsis.

TESTIMONIUM.

Atqui etiam ex hoc quod nunc dicam paret hos [Xenoclem, ejus uxorem, Nicodemum, cum sorore et consortibus] fateri, factam utique fuisse Endii a Pyrrho adoptationem. Nam alias non transissent [h. e. quietum frui possessione patrimonii sivissent] eum qui postremus heres patrimonii fuit, neque nunc demum cœpissent in animum inducere pro muliere, prætensa Pyrrhi filia, hereditatem Pyrrhi in jure petendam sibi esse. Plus enim quam viginti anni ab excessu Pyrrhi exierunt, Endius autem anno superiori demum

mense Metagitnione exspiravit; quo facto, protinus ab ejus excessu tertio die post cœperunt veniam in jure petere hereditatem Pyrrhi adeundi. Atqui lex præcipit, ut petens hereditatem alicujus intra quinquennium ab ejus excessu eam petat. Conveniebat itaque mulieri alterutrum facere, aut cum superstite adhuc Endio de patrimonio contendere ut sibi soli competente, aut Endio exstincto hereditatem ejus petere, ut soli sorori Endii relictæ, præter quam ei nulli alii fratres nullæque sorores essent; præsertim si verum fuit, quod hi præ se ferunt, eam ab Endio pro genuina et legitima sorore Xenocli desponsam et in manus traditam fuisse. Novimus enim probe nos omnes, nobis quotquot sumus omnibus per jus civile licere, fratrum hereditates in jure petere; quibus autem natu liberi sint, hos solos gaudere privilegio hoc, ut eorum bona in jure petere nemini prorsus liceat. Horum de bonis controversiæ locus omnino nullus est: vos enim omnes patrum vestrorum patrimonia habetis et tenetis incontestabilia, et sic reliquorum quoque civium omnium unusquisque patrimonium, quisque suum, habet tenetque incontestabile. Et nihilominus tamen hi tam sunt inconsulti atque audaces, ut jus omne civile prætensionibus suis absurdis perturbent evertantque, aientes, adoptato quidem filio haud convenisse ut sibi per testamentum donata in jure peteret confirmari, pro Phila autem, quam aiunt a Pyrrho filiam genuinam esse relictam, se recte convenienterque contentionem in foro super hereditate ei a patre relicta capessere. Atqui — prout paulo ante docebam — quicunque liberos ex se legitime natos reliquerint, eorum liberi haud tenentur bona paterna in jure petere: si qui autem per testamentum adoptati fuerint, illos oportet operam dare ut bona sibi legata a judicibus e formula juris adjudicentur. Illis enim, quia natu liberi sunt, nemo facile controversiam de bonis paternis moverit; cum adoptatis autem cognati omnes jus contendendi habere postulant. Super hereditatibus itaque ne a quocunque contendere volente lites moveantur, et ne essent qui hereditates veluti desolatas sibi peterent adjudicari, propterea dant adoptati omnes operam ut sibi legata formula juris adjudicentur atque confirmentur. Nemo jam vestrum omnium, judices, existimet, Xenoclem, si vere persuasum sibi habuisset uxorem suam legitime natam esse, pro ea super hereditate ipsius paterna contentionem forensem fuisse suscepturum. Nil minus. Filia legitime nata si fuisset, tacita in bona paterna immigrasset, eaque si quis illi adimere conatus esset aut se per vim in ea ingerere, eum inde vi manuque dejecisset, homoque ejusmodi violentiam ausus non privatas solummodo lites haberet decertandas, verum etiam apud archontem reus agi læsæ majestatis posset ceu turbator pacis publicæ et in discrimen incurreret amittendi capitis fortunarumque omnium.

10. Adde, quod Pyrrhi avunculi, si scissent a sororis suæ filio Pyrrho filiam genuinam esse relictam, non videntur passuri fuisse ut Xenocles se præveniret: id enim si scissent, et præterea si vidissent nostrum neminem illam mulierem in matrimonium ducere velle, profecto non permisissent Xenocli ut, qui nullo pacto Pyrrhum cognatione attingeret, illam mulierem secum cognatam sibi præriperet. Foret utique res gravis et abhorrens, si sic se haberet, ut leges quidem edicerent, ut mulieres, sive ab ipsis patribus elocatæ jam in matrimonioque degentes (quanquam de mariti delectu quis melius filiæ, quam pater, consulat?), sive nondum elocatæ tum quum pater earum decederet, nulla prole mascula legitima relicta, ut illæ igitur mulieres a proximis in sanguine in matrimonium petantur iisque a judicibus adjudicentur; et profecto complures jam uxoribus mulctati sunt, vi legum abstractis, quibuscum jamdudum cohabitassent. Præterea, quæ ab ipsis patribus elocatæ fuissent, lege controversiæ eas necessario esse obnoxias debebat: Xenocli autem avunculorum Pyrrhi unus aliquis permitteret uxorem domum ducere sibi ipsi convenientem, si Pyrrhus filiam genuinam reliquisset, tantamque substantiam ipse sibi denegaret, Xenocli tribueret. Nolite illos tam stultos existimare. Nemo lucrum facile aversatur, nec alienos sibi præfert. Quod si ergo prætextu utentur hoc, ut aiant, propter adoptationem Endii controversiæ mulierem haud fuisse obnoxiam, et idcirco de ea obtinenda in jure contendere se negent voluisse, primum hoc debebitis eos interrogare, cum factam a Pyrrho Endii fateantur adoptationem, cur tamen exceptione falsitatis oppugnent eos testes qui Endium a Pyrrho adoptatum fuisse testati sunt? deinde, cum præterissent eum qui bonorum a Pyrrho relictorum postremus possessor et heres fuisset, cur tamen contra formulam juris illam hereditatem in jure petere nunc demum incipiant? denique eos interrogate, num eorum omnium, quotquot sunt qui legitime nati sunt, vel unus æquum censeat sibique factu necessarium ducat ut hereditatem patrimonii sui in jure petat a judicibusque postulet in bona de jure sua immitti? Has quæstiones opponite vos eorum impudentiæ. Mulierem autem [Philam] controversiæ utique obnoxiam fuisse, si quidem legitime nata fuerit, id vero licet e legibus quam evidentissime cernere. Lex enim expressis verbis ita præcipit, qui prolem masculam nullam relinquat, ei licere bona sua per testamentum cuicunque velit legare: sin autem idem filias relinquat, ita valituram esse voluntatem patris, ut, qui hereditatem ejus adeat, is una quoque filiam in matrimonium ducat. Licet ergo alicui bona sua legare, si una cum bonis filiam quoque eidem delleget pater: sin autem filiarum legitime natarum ratione nulla habita pater aliquem pro filio adoptare velit eique bona sua per testamentum legare, illam adoptationem atque legationem bonorum esse

illegitimam eoque irritam. Quod si ergo Pyrrhus, quem fingemus tantisper filiam reliquisse legitimam, illa filia præterita Endium pro filio adoptavit, lex illam adoptationem illegitimam declaravit atque irritam: sin autem Pyrrhus una cum bonis Endio filiam quoque legavit eaque conditione adoptatum in bonis Endium reliquit ut filiam in matrimonio haberet, cur passi vos duo estis, qui Pyrrhi essetis avunculi, ut Endius bona Pyrrhi a judicibus sibi curaret attribui, tametsi prætensam illam Pyrrhi filiam in matrimonium haud duceret? præsertim testati cum sitis ipsi Pyrrhum, sororis vestræ filium, ipsum vobis morientem demandasse ut hujus natæ suæ curam haberetis? At agite, o boni, excusabitis forsitan obliviositatem vestram; credemus tantisper vobis sive oblitis sive insciis hoc evenisse: at Endius tamen cum mulierem desponderet atque elocaret, cur tum vos permisistis mulieri, ut tacita et nil contra hiscens se pateretur a fratre pro spuria Pyrrhi desponderi, vos qui Pyrrhi avunculi essetis? præsertim cum ipsi aiatis vos affuisse tum, quum Pyrrhus matrem hujus mulieris ea lege sibi curaret despondendam, ut eam domi suæ pro legitima matrefamilias haberet; et præterea iis epulis vos aiatis invitatos interfuisse, quæ ob hujus filiæ nativitatem die decimo post illam partu editam celebratæ fuissent; denique — id quod omnium deterrimum est — ipsi cum aiatis Pyrrhum morientem demandasse, curam hujus puellæ ut velletis habere, (euge præclaram curam!) tam probe consuluistis ei ut pateremini eam pro spuria desponderi, præsertim quæ sororis vestræ nomen gereret, id quod ipsi vos pro testimonio affirmastis.

11. Ex his itaque a me dictis et ex tota causa facile perspectu cuique est, quam impudentissimi sint hi homines. Avunculus enim noster si filiam rite sibi natam reliquisset, ecquo fratrem nostrum pro filio adoptato in bonis reliquisset? Ideone, quod alii essent propinqui necessitudine sanguinis propiores quam nos, quos ille volens facultate filiam suam in jure petendi excludere, fratrem nostrum adoptasset? At neque fuit unquam filia ejusmodi, cujus in foro petendæ et obtinendæ locus cuiquam fuisset, neque est. Liberis itaque nullis ingenuis ab eo relictis, nemo illi propior est quam nos sumus: nam neque frater illi fuit neque nepotes ex fratre, sed nos sumus ex ejus sorore nati. Atque tamen medius fidius (ita fortassean occurret mihi quispiam) Pyrrhus alium e cognatis si adoptasset, una cum hereditate filiam quoque ei dedisset habendam pro uxore. Ecquid, inquam, oportebat Pyrrhum ita palam quemcunque tandem cognatorum offendere? cui licebat, si revera Nicodemi sororem sibi curasset pro matrefamilias desponderi, filiam, quæ ex ea nata fertur esse, in phratoras inducere ut ex se legitime natam, et virginem heredem universæ substantiæ in domo sua relinquere, ea lege ut proximus cognatus eam sibi a judicibus curaret adjudicandam, filiorumque ex illo matrimonio exstiturorum aliquis, quicunque tandem, in nomen gentemque suam adoptaretur et in domum suam induceretur. Constat enim eum, si filiam heredem reliquisset, certissime cognitum atque perspectum habuisse alterutrum horum esse eventurum, ut aut nostrum, qui cognatione sumus proximi, quisquam filiam illam suam uxorem haberet una cum hereditate sibi a judicibus adjudicatam, aut, si nostrum quisquam eam in matrimonium ducere recusaret, ut horum saltim avunculorum suorum alter, qui nunc [Nicodemo et Xenocli] testimonia præstant, aut certe reliquorum cognatorum quisquam pari modo, petita in jure et impetrata universa hereditate, eam quoque uxorem haberet. Hæc ille perfecturus erat, si filiam in phratoras induxisset fratremque meum pro filio haud adoptasset: eo autem quod contra fecit, hoc est, quod fratrem meum adoptavit, illam vero in phratoras non induxit, hanc quidem pro spuria, id quod eum decebat quoque facere, fratrem vero meum heredem bonorum suorum declaravit. Quod autem avunculus noster neque victimam nuptialem intulerit [h. e. quod matronas phratriæ suæ, nomine nuptæ suæ, Nicodemi sororis, convivio non exceperit], neque filiam ex illa prætensa uxore natam in phratoras induxerit, quam hi aiunt ei legitime natam esse, quanquam apud phratoras illius obtinet hic ritus ab ipsis sancitus, ut liberi nulli habeantur legitimi nisi hi quos pater ipse apud se [phratoras] introduxerit, his de rebus ut vobis constet, recitabit vobis hic [scriba] testimonium phratorum qui olim avunculo nostro fuerunt. Recita tu: tu autem inhibe aquam.

TESTIMONIUM.

Cape hoc quoque testimonium, docens illud, ab avunculo fratrem meum adoptatum esse.

TESTIMONIUM.

12. Vosne jam, judices, testimonio falso Nicodemi majorem fidem, quam avunculi nostri extestimoniis, qui post fata etiam suprema tamen adhuc non minus quam si superesset per facta de voluntate sua testatur, habebitis? et eritne jam quisquam qui persuadere vobis conetur, quæ mulier volenti cuique communis fuerit atque patuerit, eam penes avunculum nostrum loco matrisfamilias rite confarreatæ fuisse? Atqui vos, ut opinor, hoc non credetis, nisi planum fecerit id, quod initio hujus orationis urgebam, primum hoc, cujusnam sub dotis conditione Nicodemus Pyrrho sororem suam desponderit; deinde apud quemnam archontem ipsa mulier denuntiaverit publicisque tabulis consignandum a tabulario curaverit se domo mariti ultro excessisse omnique se jure suo in substantiam et cognationem ejus suo suorumque liberorum nomine abdicasse;

post a quonam Nicodemus dotem pro sorore datam sponsamve recuperarit post excessum ejus, cui se ait illam spopondisse; aut, si dotem cum reposceret recuperare minus potuerit, quamnam intra viginti annos actionem in eum intenderit qui Pyrrhi hereditatem tam longinquo tempore possedit, sive ita ut pro dote posceret alimenta ejus fœminæ quam rite ait desponsam fuisse, sive ut dotem ipsam reposceret; præterea doceto Nicodemus, num alii cuipiam sororem suam desponderit sive ante prætensam illam ejus cum Pyrrho desponsionem sive etiam post, item num ab illa muliere, præter istam de qua nunc agitur filiam, adhuc alii quoque liberi aliis, si qui tales sunt, legitime nati fuerint. Hæc vobis ex illo percontanda esse existimate, neque obliviscimini de victima nuptiali in phratoras illata interrogare. Argumentum enim hoc est non levissimum adversus hujus [Nicodemi] testimonium. Planum enim est atque perspicuum, si Pyrrhus induci potuerit ut mulierem hanc pro uxore legitima sibi sineret desponderi, passurum quoque eum fuisse se adduci ut pro ea victimam nuptialem in phratoras inferret, item ut filiam, quæ ex illa muliere ipsi nata proditur, in eosdem phratoras induceret pro filia sibi legitime nata; denique, cum substantiam tria talenta valentem haberet, si Pyrrhus revera mulierem illam pro legitima uxore domi suæ habuisset, ejus nomine, ut matrisfamilias, matronas phratorum in Thesmophoriis epulis genialibus excipere aliaque nonnulla in demo [seu municipio] suo peragere et fungi munia debuisset, quæ vetusto ritu pro matrefamilias a marito, præsertim e re tam ampla et lauta, peragi et præstari debebant. Atqui horum omnium nihil factum est, de quo inter omnes constat. Phratores jam testimonium dixerunt. Accipite jam testimonia demotarum quoque qui Pyrrho quondam fuerunt.

TESTIMONIUM.

ISÆI

DE NICOSTRATI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Mortuo in exsilio Nicostrato, Hagnon et Hagnotheus consobrini patrueles contendunt de hereditate cum Chariade, se heredem illius donatione profitente, per testamentum. Isæus itaque orator, utpote consanguineus Hagnonis, orans patrocinatur illis. Lis est controversalis.

1. Hagnon hic, o judices, Hagnotheusque familiariter me utuntur, et jam dudum ante pater eorum quoque me pariter usus fuit. Quocirca consentaneum esse mihi videtur, me causam eorum quam potero diligentissime agere.

2. Foris itaque gestorum extra ditionem Atticam neque testes possunt inveniri, neque, si quid adversarii de iis mentiuntur, facile est eos coarguere, quia fratrum quos modo nominabam neuter illuc profectus est [ubi Nicostratus exspiravit]: quæ autem hic in urbe evenere, satis ea mihi videntur idonea esse documenta e quibus constet, quicunque ex titulo donationis hereditatem Nicostrati petunt, eos omnes hoc agere ut vobis imponant. Ante omnia itaque, judices, nomen quæri par est quod in tabulis petitoriis utrinque editum est, et dijudicari utri simplicius atque rei naturæ convenientius hereditatem petierint. Hagnon scilicet hic atque Hagnotheus apud archontem professi sunt hereditatem abs se peti Nicostrati ejus qui filius Thrasymachi fuisset, consobrinosque se ejus esse, testesque hujus rei exhibent: Chariades autem ejusque advocati Nicostratum quidem, sed alium, in suo libello petitorio nominarunt, eum puta qui Smicri filius esset, et nihilominus hereditatem ejus Nicostrati, qui Thrasymachi filius fuit, prætendunt ad se pertinere. Et hi quidem, Hagnon atque Hagnotheus, nomen illud ad se quicquam facere negant; nam neque se Nicostratum Smicri filium nosse, neque, si homo ejusmodi unquam fuerit, eum ad gentem suam referri: isti autem [Chariades cum advocatis] tum Smicri filium a filio Thrasymachi diversum aiunt, tum tamen hujus Nicostrati, non illius, hereditatem perinde petunt atque hi quorum ego causam ago. Et in nomine quidem Nicostrati patrisque si ambabus partibus conveniret, hac una de re vos oporteret disceptare

quidnam in testamento constituisset ille Nicostratus, cujus in nomine patrisque ambæ partes consentirent: jam vero qui licet eidem homini duos patres imputare? Id enim fecit Chariades, qui, hereditatem petens ejus Nicostrati qui filius Smicri fuit, adversus hos tamen deposito contendit sacramento, qui hereditatem petunt a Nicostrato Thrasymachi filio relictam; quasi Smicrus et Thrasymachus idem homo fuissent. Mera quidem hæc est vexa, merum ludibrium, quo nos hi exagitatum atque territatum eunt, freti factione, qua stipati incedunt, et a qua telis omnibus nequitiæ armantur, artibus iniquitatis omnibus exercentur. Existimant enim, causam si sinant simplicem manere nihilque turbelæ ei immisceant, difficile his [Hagnoni atque Hagnotheo] non futurum ut planum faciant a Nicostrato testamentum scriptum prorsus nullum esse relictum: sin autem patrem Nicostrati non eundem edentes hereditatem nihilominus petant, certi sunt fore ut verborum atque temporis plus conterant in docendo Nicostratum Thrasymachi filium fuisse, quam in altero evincendo, Nicostratum testamentum nullum scripsisse. Præterea quoque, si Nicostratum confiterentur Thrasymachi filium esse, non possunt hoc arguere neque docere consobrinos hos illius non esse: sin autem defuncto patrem affingerent commentitium, cernebant se controversiam injecturos esse non solum de testamento, sed etiam de consanguinitate.

3. Verumenimvero non ex his solummodo intelligatis subesse et in insidiis latitare certos quosdam alios homines, qui istos adversarios in hos [amicos meos] instigarint atque hos in hasce turbas contentionesque conjecerint, sed etiam ex illis quæ a principio statim [ut primum vacuefacta fuit hereditas] evenerunt. Ecquis enim non super excessu Nicostrati luctum præ se tulit tondenda coma, cum hereditas duum talentorum sexies in discrimen concertationis forensis venerit? ecquis non pullam induit, quasi per luctus significationem hereditatem adepturus? quot se mentiti sunt cognatos Nicostrati aut filios ab eo per testamentum adoptatos, eoque titulo bona ejus sibi arrogarunt? Demosthenes quidem se nepotem ejus ex fratre [vel sorore] ferebat, ab his autem mendacii convictus desistebat: bona sua omnia Nicostratum sibi donasse prætendebat aliquando Telephus, quanquam et ipse quoque paulo post conticescebat: Aminiades puerum triennem ad archontem afferebat, aiens eum a Nicostrato generatum esse, cum Nicostratus totos undecim annos Athenis abfuisset: Pyrrhus Lamprensis Nicostratum aiebat bona sua Minervæ consecrasse, et eundem tamen eadem sibi quoque donasse: Ctesias Besæensis et Cranaus jactabant Nicostratum a se in jus vocatum talenti mulctæ condemnatum fuisse, quod cum demonstrare nequirent, comminiscebantur eum libertum suum fuisse; verum ne hujus quidem asserti veritatem approbare rebus poterant.

Hi sunt qui ab initio hereditati Nicostrati inhiarunt: Chariades autem tum quidem eam non petebat, postmodum vero cœpit petere, neque solus ipse, sed etiam spurium suum e meretrice quæsitum subjectum ivit Nicostrato, hoc consilio, ut aut bona corriperet ipse aut saltim spurio suo jus civitatis acquireret. Sentiens autem suum de cognatione assertum mendacii convictum iri, petitionem pueri quidem rescidit, pro semetipso autem sacramentum deposuit, ut is cui per testamentum bona Nicostrati data fuissent.

4. Oportebat quidem, judices, quicunque substantiam quandam ex titulo donationis testamentariæ petens causa cecidisset, eum non ad mulctam pro rata condemnari, sed ad tantundem reipublicæ fisco luendum, quanti sit summa bonorum ab eo petitorum: quod si fieret, leges non ita contemnerentur, neque cognationes a tot impuris contaminarentur per petulantiam, neque futurus esset qui defunctorum nomine ad confirmanda et incrustanda sua mendacia abuti auderet. Quoniam vero per leges omnibus licet, etiam quicunque extra cognationem sunt, hereditates quorumcunque quo quisque titulo velit petere, vestrum est in hujusmodi causas quanta poteritis summa diligentia inquirere nullumque locum non excussum transmittere. Et in hoc solo genere causarum, hereditario puta, videntur ad fidem faciendam validiora etiam esse indicia quam ipsi testes. Nam in cæteris quidem contractibus haud admodum difficile est falsa testatos coarguere, superstite adhuc et in urbe præsente eo quem testati sint hoc vel illud egisse: in causa vero hereditaria ecqui falsi testes noscitabuntur, dummodo intertrimenta et differentiæ postulationum non nimis abnormes atque manifestæ sint? illo ipso de cujus dictis factisve testimonium perhibetur vivis exempto, cognatisque ea quæ ab illo gesta et constituta sint prorsus ignorantibus, denique ubi scrutinium ipsum diligentissima cum severitate exerceri nequeat; adde, quod testamenta condentium plerique ne ipsis quidem illis qui adsunt, quid in tabulis abs se scriptum atque constitutum sit, significant, sed ideo solummodo adstare jubent, quo conscii sint atque testentur testamentum esse scriptum atque relictum; etiam hoc usu quotidiano venire solet, ut tabulæ permutentur veræ subdititiis, et ut in tabulas hasce subdititias ingerantur prorsus contraria iis quæ defunctus ipse veris in tabulis constituisset; nam qui testamenti scriptioni interfuerunt, non ideo magis quod interfuere certo sciunt, veræne sint hæ testamenti tabulæ quæ in judicio proferuntur an subdititiæ. Quod si itaque illi ipsi adeo decipi possunt, quos cum testamenta scriberentur interfuisse in confesso est, quanto quis vos promptius atque cupidius circumvenire conetur qui rerum gestarum nihil teneatis? Porro, judices, non omnia omnino testamenta lex jubet esse rata, sed ea solummodo quæ scribens quisque suæ mentis

esset compos. Ante omnia itaque dispiciendum vobis est, num [Nicostratus] testamentum scripserit, tum si scripserit, rectene sapiens scripserit an desipiens. Aientibus enim adversariis testamentum esse relictum, nobis contra negantibus, ecqui decernetis a delirante scriptum esse, priusquam certo constiterit de hoc quod testamentum scripserit? Videtis, quam difficile sit deprehendere, num vera dicant hi qui ex titulo donationis testamentariæ hereditates petunt: cognationis autem ex titulo petentes nil habent opus ut testes producant, ad docendum de jure, quod iis est, hereditates petendi — constat enim inter omnes defuncti cujusque bona ad proximos in sanguine devenire —, deinde non illæ solummodo leges quæ jura cognatorum definiunt, sed hæ quoque quæ de donationibus per testamenta faciundis præcipiunt, secundæ sunt cognatis, vetantes quenquam bona sua cuiquam dare, aut præ senio delirantem aut furiosum per valetudinem aliisque de causis quas vos omnes tenetis; cognatione autem ut quisque proximus est, ita defuncti bona adit et suscipit, quæcunque defuncti conditio, sive sana ei mens, sive ægra fuit. Præterea testamentis non potestis fidere, nisi per interventum testium, a quibus facile factu est ut decipiamini — nam si testes nulli fallaces essent ab iisque vos falli si negatum esset, eccur institutæ et in usu fori essent actiones exceptoriæ de falsis dictis testimoniis? —, cognatione autem fidere vobis licet per vosmet ipsos; cognati enim de hereditatibus ex illarum legum præscripto certant, quas ipsimet vos sanxistis. Etiam ad hoc vos mentem attendere velim, judices: adversarii, ex titulo testamentariæ donationis hereditatem Nicostrati petentes, si tam familiariter usi Nicostrato fuissent ut ea de re inter omnes constaret, non consequeretur quidem ex eo planissime Nicostratum illis bona sua legasse, foret tamen multo tum spes probabilior illos tabulis testamenti fidem oratione sua esse adstructuros; complures enim visi sunt, quod animo a cognatis essent alieniore, amicos iis prætulisse nulla secum necessitudine sanguinis conjunctos: jam vero constat hos adversarios nostros Nicostrato nullo plane pacto conciliatos fuisse; neque enim ei contubernales fuerunt neque familiares neque in eodem ordine aciei steterunt. Quibus de rebus omnibus testes ad vos produximus.

5. Quod autem hac in re palmarium est, et in primis impudentiæ Chariadis obloquitur, expendite. A quo Nicostrato Chariades heredem se fert testamento scriptum, eum Nicostratum idem Chariades neque defunctum extulit domo neque rogo imposuit neque ossa ejus legit, sed ista omnia justa aliis hominibus a Nicostrato alienissimis peragenda permisit: ecqui jam non sit ille dignus quem facinorosissimum atque sacrilegio contaminatissimum appelles, qui, cum justorum omnino nihil defuncto fecisset, postulare tamen non dubitet ut ad ejus hereditatem admittatur? At enimvero, quanquam

Chariades horum omnium nihil fecit, facultates Nicostrati tamen administravit? Atqui vel in hæc testes dedimus, et horum pleraque ne ipse quidem infitiatur: sed prætextus nescio quos, si dis placet, necessarios ipse sibi commentus profert, facto cuique suo excusando; ecquid enim reliquum quod obloquatur ei est, qui disertis verbis crimen fateatur?

6. Tenetis jam rem, judices, certique estis, istos Nicostrati bona non fiducia bonæ causæ neque jure certo fretos appetere, sed hoc agere ut cum vos decipiant, tum hos [quorum ego causam ago] qui Nicostrati cognati sunt, et quibus leges bona ejus contribuunt, illis evertant. Verum non Chariades solus id agit, sed alii quoque complures eorum qui extra ditionem Atticam defuncti sunt, qui illos ne natos quidem nossent, eorum inquam hereditates in jure petierunt; cogitant enim secum illi sic, sive cupitis ex animi sui sententia potiantur, se bona aliena [nullo suo sudore parta] esse habituros, sive a spe atque destinatione sua aberrent, leve tamen et exiguum discrimen adisse: esse quoque qui linguam venalem ad falsa testimonia dicendum paratam offerant; examina instituenda in rebus obscuris ægreque explorabilibus versari. Brevis ut sim, permultum interest, sive ex cognationis necessitudine sive ex testamentariæ legationis prætensione hereditates petantur. Vos autem, judices, primum hoc oportet quærere, sitne probabile vobis testamentum a Nicostrato scriptum esse: æquum enim leges id censent esse, et est rerum omnium æquissimum. In ejusmodi autem causa, cujus neque vos veritatem perspicue cernatis, neque testes Nicostrato usi sint familiariter, sed Chariade utantur, homine cupido bonisque alienis insidiante, ecquid aliud æquo juri sit convenientius quam ut cognatis superstitibus bona cognati defuncti a vobis adjudicantur? Nam et his si fatalis hora fuisset obeunda, et Nicostratus si eos vivendo superasset, bona eorum ad hunc fuissent perventura: nam ex quo titulo consanguinitatis hi nunc bona Nicostrati petunt, ex eodem ille tunc, si fors vivendi vices permutasset, horum bona petisset, quippe qui consobrinus illis esset; pater enim Nicostrati horum patri frater fuit.

7. Atqui, medius fidius, Hagnon atque Hagnotheus cognati Nicostrati non sunt, ut adversarii aiunt sed alii. Cur ergo tam stulti cœcique sunt [testes] ut Chariadi quidem ex titulo testamentariæ donationis hereditatem petenti operam præstent testimonio dicendo, ipsi vero non audeant ex titulo consanguinitatis hereditatem eandem pro se petere [si certi sunt, veram hanc esse criminationem, proprioresque se Nicostrato confidunt esse, quam hi sunt adolescentes]? Non enim profecto eo stultitiæ processerunt ut, ex certa persuasione verum esse llud a se prolatum testimonium, tam facile atque tam supine Chariadi de bonis Nicostrati omnibus decedant. Quid?

quod ex ipsis iis quæ hi adversarii nostri dictitant elucescit, ipsismet multo magis expedire ut Nicostrati cognati hereditatem ejus in jure petant quam ut Chariades id faciat. Nam etiamsi hi [adolescentes mei] hereditatem ex titulo consanguinitatis a se petitam nunc abstulerint a judicibus sibi adjudicatam, licebit tamen his quoque [Chariadis advocatis et testibus] imposterum, ubi volent, eandem ex eodem cognationis titulo petere, atque planum judicibus tum facere se Nicostratum gradu consanguinitatis propiore adhuc contingere quam hi [adolescentes mei] eum contingant, et Nicostratum [illum, cujus de hereditate certetur] Smicri filium fuisse, non Thrasymachi: sin autem Chariades hereditatem Nicostrati adipiscatur, non licebit postmodum ulli ex ejus consanguineis illam in jure petere. Ubi enim hereditatem tenebit is, qui petitam ex titulo testamentariæ donationis a judicibus abstulerit adjudicatam, ecquid afferent hi, si qui ex titulo cognationis petant?

8. Quod igitur in re simili unusquisque vestrum ipsimet sibi jus æquum esse censuerit, idem his quoque adolescentibus ratum facite; qui testes exhibuerunt confirmantes, primum hoc, eos Nicostrati consobrinos patrueles esse, tum alterum istud, nullas unquam iis cum Nicostrato simultates intercessisse, tertium denique illud, sepultum ab iis esse Nicostratum, quartum tandem, Chariadem Nicostrato nusquam locorum neque hic in urbe neque in castris usum fuisse familiariter, quintum postremo, communionem qua Chariades hic maxime fidit ementitam esse.

9. Et præterea, judices, æquum est, vos partium inter se contendentium unamquamque seorsim spectare et eorum mores inter se comparare. Thrasippus enim, qui pater hujus Hagnonis et hujus Hagnothei fuit, olim cum superesset, et muniis functus est sumptuosis et ærario contulit, et cætera quoque civis frugi fuit: ipsi autem hi [filii ejus] neque usquam locorum, quo non essent a vobis ire jussi, profecti sunt, neque in urbe commorantes inutiles reip. fuerunt, sed militia funguntur et de suo conferunt ad ærarium, et reliqua omnia imperata exsequuntur et pudentes probosque se — de quo inter vos omnes constat — præbent, quocirca multo etiam digniores sint quam Chariades qui hereditatem Nicostrati ex titulo testamentariæ donationis petant. Nam videte quam scelerosus et impurus homo Chariades sit, qui Athenis adhuc habitans pro fure ipso in facinore deprehenso in carcerem abductus est, et tunc una cum aliis quibusdam emissus ab iis undecimviris, quos publice condemnatos supplicio affecistis omnes, tempore interjecto post iterum ut falsarium agens aut malas artes exercens ad senatum delatus est; a quo citatus non comparuit, sed judicii pœnæque severitatem devitans urbe excessit, ab eoque inde tempore totos septendecim annos Athenis abfuit, neque rediit prius quam post excessum Nicostrati. Pro salute vestra quidem nullam unquam obiit militiam neque suo de penu vestro quicquam contulit, præter illud exiguum æs quod hac in causa super hereditate Nicostrati dependit, neque alia quapiam functione sumptuaria functus est. Et tamen, hujusmodi cum esset, non congratulatur sibi neque satis habet quod tot et tanta scelera impune patrarit, sed aliena quoque appetit? Quod si hi [Hagnon et Hagnotheus] curiosi et seduli in rebus alienis rimandis in eoque similes multis aliis nostrorum civium essent, nescio an Chariadi nunc non hæc hereditaria, sed capitis, causa agenda esset: verum enimvero hunc quidem alius aliquis ulciscetur, judices, vos autem his [adolescentibus] succurrite, neque majoris facite alienorum per nefas appetentes quam defuncti cognatos, eosdemque præterea quoque bene de illo merentes; sed et legum recordamini jurisque jurandi a vobis dicti, et testimoniorum denique quæ nos vobis exhibuimus, et sic sententiam ex æquo et vero pronuntiate.

ISÆI

DE DICÆOGENIS HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Dicæogene sine liberis mortuo, superstitibus quatuor sororibus, Proxenus venit testamentum exhibens, quo Dicæogenes mortuus ipsius Proxeni filium Dicæogenem adoptaverat ex triente bonorum. Hoc pacto divisis inter eos bonis, postremo venit filius Proxeni Dicæogenes dicens se adoptatum esse ex asse, et vincens potitus est cæteris duabus partibus sororum defuncti. Postea rursum filii sororum litigantes cum Dicæogene vicerunt, et conventum est Dicæogenem reddere denuo illis duas partes integras et intactas, sponsore Leochare. Nunc vero infitiantibus Dicæogene et Leochare anteacta, filii sororum vocant in jus pro duabus partibus, hunc quidem ut eum cum quo pacti sunt, illum vero ut sponsorem. Status conjecturalis est: infitiantur enim.

1. Opinabamur quidem, judices, quibus de rebus antehac litigabamur, de iis in judicio condicta et compromissa rata nobis et valida esse futura, ut nempe, qui Dicæogenes se bessem [seu duas tertias partes] hereditatis vacuefacturum nobisque concessurum dixisset, ejusque rei sponsores dedisset illam bessem nobis a se traditum iri controversiæ haud obnoxiam, is Dicæogenes etiam faceret ea quæ esset pollicitus facturum; qua fide etiam nos alteri alteris gravamina nostra mutua remisimus: verum Dicæogene verbis fidem non faciente, Leocharetem pro illo sponsorem factum in jus vocamus, pro tenore jurisjurandi ex adverso et mutuo dicti. Recita tu mihi formulam hujus jurisjurandi utrinque vicissim præstiti.

JUSJURANDUM MUTUUM.

Vera itaque esse ea quæ in formula nostri contrajuramenti affirmavimus, Cephisodotus hic novit, testesque ad vos producemus primum de hoc, quod Dicæogenes besse hereditatis se abdicarit eaque nobis decesserit, tum de isto, quod Leochares hujus rei sponsorem se scribi passus fuerit.

TESTIMONIUM.

Audivistis, judices, e testibus, quos verum dixisse ne ipse quidem Leochares videtur infitiaturus esse: at enimvero receptum forsitan

ad hanc habebit excusationem, ut aiat Dicæogenem omnibus nobiscum pactis et stipulatis satisfecisse, sponsionemque a se [Leocharete] factam præstitam et persolutam esse. Quæ cum aiet, mentietur facileque falsi convincetur. Recitabit enim scriba vobis quæcunque Dicæogenes [ille vita defunctus, nominis hujus medius] Menexeni filius in hereditate reliquit, et quam supellectilem [seu instrumenta villatica hic tertius Dicæogenes sibi tradita in fidem] suscepit. Hæc si negabunt [adversarii] Dicæogenem avunculum nostrum dum adhuc superesset possedisse, nobisque vita decedentem per testamentum legasse, planum id atque testatum faciunto: sin autem et illum istæc quondam possedisse et nos tradita nobis a reo abstulisse aient, prodito in conspectum testis hæc confirmaturus. Dicæogenes enim [tertius, seu reus] quod receperit tradendam a se nobis bessem bonorum a Dicæogene Menexeni filio quondam possessorum, et quod Leochares sponsorem se constitui passus sit de præstandis his a Dicæogene compromissis, id nos testibus producendis confirmavimus. Nam de his ipsis in jure contendimus, et hæc dicendo jurejurando mutuo recepimus, ille se facturum, nos rata esse habituros iisque acquieturos. Recita tu illud jusjurandum.

JURAMENTUM MUTUUM.

2. Quod si jam, judices, hæc Dicæogenes atque Leochares in defensione sui sola essent tractaturi, sufficerent hactenus dicta nobis quoque neque verbum adderemus: quia vero parati sunt narrationem de hereditate a principio inde repetere, induxi ego quoque animum totam rem ut gesta est vos docere, quo certiores de rei gestæ veritate facti, non autem mendaciis circumventi, ex animi vestri sententia decernatis. Menexeno avo nostro nati sunt, filius quidem unus solummodo, Dicæogenes, filiæ autem quatuor, quarum unam domum duxit Polyartus pater meus, aliam Democles Phrearrhius, aliam Ctesiphon Pæaniensis, aliam denique Theopompus qui eam matrem Cephisodoti fecit. Jam Dicæogenes quidem, cum e portu solvisset in Parhalo, cui cum imperio trierarchi præerat, pugnans apud Cnidum occubuit, nulla prole relicta: defuncto hoc Dicæogene, pater Dicæogenis [istius, cum quo controversiam hanc agitamus] Proxenus testamentum protulit, cui fidem habentes patres nostri hereditatem creverunt. Et sic factus est hic Dicæogenes illi Dicæogeni Menexeni filio, avunculo nostro, filius adoptivus ea lege ut sola triente [seu una tertia hereditatis parte] contentus esset; reliquorum autem partem ratam sibi a judicibus adjudicari curabat unaquæque Menexeni filiarum. Hæc ita ut aio acta fuisse testes edicent, qui tum cum agerentur interfuere, quos ego testes coram vobis producam. Interposito itaque jurejurando cum cavissent non commissuros ut pacta conventa violarentur, possedit unus-

quisque portionem hereditatis suam duodecim per annos; et quanquam judicia interea temporis exercerentur neque forum clausum esset, nemo tamen fuit tam longinquo tempore, qui ausus esset affirmare per nefas ista acta fuisse: tandem vero rep. rebus adversis usa obortaque seditione et tumultu, concitatus hic [Dicæogenes] a Melane Ægyptio, cui aliis quoque in rebus obsecundavit, universam cœpit hereditatem petere, affirmans ab avunculo nostro se heredem ex asse scriptum esse. Furere nos quidem illum autumabamus, ejusmodi causam in forum deferentem; verumenimvero, tametsi nunquam eventurum speraveramus ut vera præ se ferre vobis videretur is qui idem modo cum triente modo ex asse adoptatum se ferret, tamen ingressi forum, cum et multo plura quam illi argumenta proferremus multisque modis æquiora, tamen injuriam accepimus, non a judicibus, sed a Melane Ægyptio ejusque amicis, qui per turbida ista reipublicæ tempora sibi datam existimabant licentiam aliena impune diripiendi falsisque dicendis testimoniis mutuo sese sublevandi: ab his itaque talium facinorum exercitatione nobilitatis decipiebantur, qui tum sedebant jus dicturi, judices. Et nos quidem a procella falsorum testium obruti nostra perdebamus; nam pater haud multo post litem ita disceptatam vivis excessit, priusquam actionem in falsos testes capessere posset: Dicæogenes autem causa factus superior eadem protinus die Cephisophontis Pæaniensis filiam ex illa portione quam sortita fuerat expulit, tametsi Dicæogenis defuncti, a quo controversa illa bona relicta fuerant, ex sorore neptis esset; Democlis item viduam iis spoliavit, quæ Dicæogenes quondam ipsius frater ei dederat; Cephisodoti quoque matrem ipsumque hunc Cephisodotum bonis omnibus denudavit; quippe qui horum [Cephisodoti puta, fratrumque ejus, et matris] idem tutor et curator atque adversarius esset. Verum ne minimo quidem sensu necessitudinis ad misericordiam his impertiendam flectebatur, sed committebat, ut ad orbitatem eorum ab amicis et protectoribus solitudo quoque accederet atque paupertas, adeo ut vel in diem necessariis ad victum cultumque rebus carerent. Tam præclare Dicæogenes hic tutelam eorum gessit, qui arctissima consanguinitate junctus ipsis esset. Theopompus pater quæ his reliquerat, ea Dicæogenes hic inimicis eorum prodidit, et quæ avunculus avusque maternus ipsis legaverant, ea ipse illis per nefas, etiam nondum jure sibi addicta, eripuit. Quod dictu factuque est indignissimum, pueri adhuc cum hi essent, emebat domum ab eorum patre relictam, hortumque illi domui adjunctam cum destruxisset, illam domum cum domo quæ ipsi [Dicæogeni] in urbe est copulavit, interponendis structuris, ut illæ quondam duæ domus jam pro una haberi possint; et quanquam e Dicæogenis bonis, avunculi nostri, locar annuum octogenas minas redigat, tamen Cephisodotum

Dicæogenis [medii] e sorore nepotem Harmodio fratri suo Corinthum proficiscenti pro famulo addidit: tam immanis istius contumelia fuit et flagitium. Et reliquis, quibus eum ipse demersit, malis hunc veluti cumulum addit, quod ei per probrum objectet quod ocreas atque penulam gestet, quasi injuria aliqua affectus, si ocreas Cephisodotus gestat, sed nullam e contra ei injuriam faciens eo quod bonis omnibus eum privarit eoque ad mendicitatem redegerit.

3. Verum hæc hactenus: illuc redeo, unde excesseram. Menexenus itaque Cephisophontis filius, Cephisodoti hujus itemque meus consobrinus, cui portio hereditatis par meæ competit, actionem adversus eos instituit qui nobisque ipsique [Menexeno] adversa et noxia testati fuerant, Lyconemque, quem primum in judicium induxerat, reum peregit; qui Lyco testatus fuerat ab avunculo nostro Dicæogenem hunc, qui adhuc superest, ea lege fuisse adoptatum ut bonorum suorum ex asse heres esset. Hæc ille Lyco testatus falsi dicti testimonii convictus est. Dicæogenes itaque eo redactus, ut jam non amplius vos decipere posset, quid egit? persuasit Menexeno nostramque suamque causam communem agenti (pudet enimvero prodere, quæ propter illius [Dicæogenis puta atque Menexeni] improbitatem proloqui cogor), quidnam facere? ratam hereditatis portionem sibi contingentem a se aufferre, gratiæque in mercedem nos quorum causam ageret sibi prodere, reliquosque falsos testes in forum nondum ab ipso pertractos missos facere, venia persecutionis forensis ipsis concessa. Hæc nos ab amicis pariter inimicisque tolerantes tamen quievimus; et producam ad vos testes nobis hujus rei futuros.

TESTES.

Verum pactus istæc cum Dicæogene Menexenus ab isto delusus fuit, id quod ei recte sic merito contigit: falsorum enim testium a persecutione cum destitisset Menexenus atque nos prodidisset, fraudatus est iis emolumentis quorum spe illectus illam perfidiam ad se admiserat. Injuriam hanc a Dicæogene passus Menexenus rursus ad nostras partes rediit. Et nos arbitrati Dicæogeni jam nullam amplius hereditatis portionem competere, postquam testes ab eo subornati falsi dicti testimonii coarguti essent, de integro cum eo de universa hereditate ex titulo propioris consanguinitatis contendimus. Qua in re nos rectum cepisse consilium, et Dicæogenem omni prorsus jure habendæ tenendæ hereditatis excidisse, facili negotio videor mihi demonstraturus esse. Binæ enim, diversi tenoris, tabulæ ejusdem testamenti prolatæ fuerant, alteræ quidem dudum ante, alteræ autem multo post: et primæ quidem illæ vetustiores, a Proxeno hujus Dicæogenis patre prolatæ, Dicæogenem hunc avunculi nostri filium adoptivum ea lege faciebant, ut is trientem solummodo hereditatis

haberet; posteriores autem ab ipso Dicæogene prolatæ hunc ipsum heredem ex asse declarabant. Harum binarum tabularum alteras quidem, illas a Proxeno proditas, Dicæogenes ipse judicibus auctor fuit atque persuasit ut crederent aienti commentitias esse; quas autem ipse Dicæogenes protulit, eas qui testes affirmaverant ab ipso avunculo nostro scriptas atque relictas esse, hi testes falsi dicti testimonii convicti sunt. Ambabus itaqae illis testamenti tabulis pariter debilitatis atque abrogatis, aliasque nullas præter has exstare cum in confesso sit, liquet jam neminem esse cui hereditas ex titulo testamentariæ legationis competat, ex titulo consanguinitatis autem solis eam competere sororibus Dicæogenis defuncti, a quo hereditas istæc relicta est, quarum e numero nostræ sunt matres. Quocirca visum nobis fuit in jure petere hereditatem ex titulo propinquitatis, et sic petivimus portionem unusquisque sibi ratam. Verum in eo jam cum essemus ut formulis jurisjurandi mutui a judicibus adigeremur [nos actores hinc, et illinc reus, de veritate eorum tuenda et præstanda, quæ pars quæque pro se esset dictura], intercessit Leochares hic, obnuntians hereditatem hanc controversiæ haud esse obnoxiam. Quem testem cum rejiceremus, exceptione usi falsi dicti testimonii, petitio quidem hereditatis antiquabatur, contra vero actio de falsitate dicti testamenti inducebatur. Ibi cum nos omnia dixissemus eadem atque nunc dicimus, itemque Leochares sui purgandi causa multa protulisset, pronunciarunt tandem judices Leocharetem falsa testatum esse. Quod cum palam esset factum e suffragiis, cum illa suffragia e cistulis essent exempta, quæ quidem Leochares judicesque ipsosque nosmet rogaverit et quæ a nobis tum impetrare rogando atque perficere potuerit, nescio an minus necesse sit a me copiosius enarrari: satis est ea vos audire, de quibus inter nos convenit. Nobis enim concedentibus archonti ut suffragia non dinumerata confunderet, abdicabat ipse sese Dicæogenes de besse hereditatis eamque sororibus Dicæogenis defuncti permittebat, promittens sese portiones illas nostrum unicuique debitas sine ulla controversia nobis esse traditurum; eaque de re Leochares ut sponsor fidem suam interponebat, aiens Dicæogenem esse quæ promisisset facturum; neque Leochares solummodo spondebat, verum etiam Mnesiptolemus Plotensis. Quarum rerum vobis hos edam testes.

TESTES.

4. Nobis itaque, ut a Leocharete tam indigna passis, cum liceret eum infamia notare ut falsi dicti testimonii convictum, noluimus tamen, sed satis habuimus, ubi nostra nobis debita abstulissemus, quiescere atque a contentionibus desistere. Verumenimvero, quanquam tam benignos mitesque nos erga Leocharetem atque Dicæogenem gessissemus, tamen ab ipsis lusi fuimus, o judices: nam neque Dicæogenes, quam hereditatis bessem nobis a se tradendam coram judicibus recepisset, eam nobis tradidit, et Leochares se negat tum temporis pro Dicæogene sponsorem esse factum. Atqui, factum qui infitiatur id, cujus testes fuerunt judices, numero quingenti, et reliqua tam densa corona civium judicium tum actum circumstantium, quid ille vobis facturus videtur, si pauciores minorisque auctoritatis testes habuisset? Manifesto itaque illos mentiri constabit vobis e testibus quos exhibuimus, qui testes coram aderant, quo tempore Dicæogenes quidem besse hereditatis se abdicabat eamque sororibus Dicæogenis defuncti sine ulla controversia a se tradendam recipiebat, Leochares autem sponsor fiebat, quæ Dicæogenes verbis recepisset, ea reapse quoque esse præstiturum. Sed et vos, o viri, rogamus, quotquot rei tum gestæ interfuistis, ut num vera dicamus a memoria vestra requirere nobisque succurrere velitis; nam si vera dicit Dicæogenes, quid nobis prodest causa vicisse? qui meliore ideo loco sumus quam fuimus ante victoriam? aut quanam in re conditione ille nunc est deteriore, postquam causa cecidit, quam fuit antequam condemnaretur? Annon eadem bona adhuc possidet, quæ pridem possedit, nil imminuta? Nam si verbotenus tantum, id quod ait, besse destitit, neutiquam autem promisit eam traditurum nulli controversiæ obnoxiam, ecquod tandem detrimentum accepit ab illa sua cessione bonorum? Habet enim adhuc tenetque valorem eorum. Ipsa enim bona ne habuit quidem antequam causa caderet, sed habent illa hi, qui ab illo cum emissent aut pignoris loco accepissent, pecunia parata compensarunt; quam pecuniam debebat Dicæogenes ipsis reluere, et sic nostrum cuique ratam suam portionem ex debito restituere. Ideo enim sponsores ab eo postulavimus et datos accepimus, non fidentes illum absque illa cautione promissis suis ultro re ipsa fidem esse facturum. Nam præter par domuncularum extra mœnia et sexaginta jugera in Pedio nil retulimus, sed illi reliqua habent, qui aut emerunt ab eo aut oppignerata sibi habent: quos inde non deducimus, ne, id si fecerimus, in judicio condemnati mulctas debeamus. Nam Mecionem quoque quod balneo deduxissemus, id quod jussu Dicæogenis feceramus, negantis se emptionis vindicias præstiturum, quadraginta minis condemnati sumus, fraude Dicæogenis decepti. Existimantes enim Dicæogenem haud esse commissurum ut, quibus ipse sese bonis in judicio abdicasset et quæ nobis concessisset, eorum emptionem ut legitime factam et adhuc validam præstaret, adversus Mecionem coram judicibus affirmabamus, paratos nos esse nihil non pati nullamque pœnam detrectare, si Dicæogenes auderet ipsi [Mecioni] balnei emptionem ut rite legitimeque factam et adhuc validam præstare; opinabamur enim illum sponsiones suas nunquam factis esse

refutaturum, idque futurum confidebamus nullam aliam ob causam quam ob sponsorum auctoritatem, qui fidem suam hac de re interposuerant. Verumenimvero, quamvis, Dicæogenes illis ipsis portionibus hereditatis decessisset, quibus se nunc fatetur nostri causa decessisse, Mecioni tamen balneum confirmavit [h. e. affirmavit, Mecionem illud a se, ut a legitimo ejus domino et venditore, cui nemo facultatem sua pro lubitu vendendi eripere possit, legitime emisse, ideoque Mecionem illud balneum optimo titulo tenere, ex eoque, ut e peculio suo recte et honeste parto, deduci nullo modo posse]. Sic ego miser non modo nullum hujus hereditatis fructum percepi, sed præterea quoque propter eam quadraginta minis mulctatus fui, et discessi contumelia a Dicæogene affectus. Etiam hujus rei testes vobis præstabo.

TESTES.

5. Hæc nos, o judices, a Dicæogene passi sumus: Leochares autem, a quo hæc omnia profecta et nobis conflata sunt, cum pro illo spopondisset, negat se ea spopondisse quæ tamen ab eo sponsa esse testes nostri edicunt, hoc fretus argumento, quod horum nulla mentio fiat in tabulis coram judicio conditis. Nos autem, o judices, tunc temporis in tribunali festinantes, alia in tabulas referri et disertis verbis exprimi curavimus, alia solummodo antestati sumus [h. e. operam dedimus, ut testes nobis essent, qui reciperent iis de rebus se requisitos esse testaturos]: hi autem [Dicæogenes puta et Leochares cum factione sua] eas solummodo servant conditiones quæ e re ipsorum sunt, easque ratas aiunt esse, etiamsi in tabulis scriptæ et verbatim expressæ non sint; quæ autem ipsis minus conducunt, eas, scriptæ si minus fuerint, ratas esse negant. Ego vero, judices, nil miror eos pacta infitiari verbis solummodo inita: nam ne scripta quidem servare et exsequi volunt. Vera autem ea esse quæ nos aimus, aliud adhuc argumentum proferam, unde cernatis. Protarchidi Potamio Dicæogenes in matrimonium collocavit sororem suam cum dote quadraginta minarum, et loco dotis domum ei tradidit in Ceramico sitam. Huic mulieri, quam Protarchides adhuc in matrimonio habet, æqualis portio hereditatis competebat atque matri meæ. Quum igitur Dicæogenes mulieribus de besse hereditatis concessisset, rogabat Leochares Protarchidem ut sibi traderet domum elocatitiam [seu elocationibus habitaculorum mercedes annuas merentem] quam pro dote Protarchides habebat; a se enim [Leocharete] ut sponsore ipsum [Protarchidem] partem hereditatis uxori ejus debitam ablaturum esse. Nactus his orationis præstigiis Leochares illam domum elocatitiam, hereditatis portionem Protarchidi non tradidit, eaque de re testem Protarchidem vobis exhibebo.

TESTIS.

6. De reparatione balnei autem ejusque instrumento a se suppleto et ædificationibus si nunc quoque proferet eadem quæ jamdudum prætendit, nos nimirum, quos ei sumptus factos refundendos recepissemus, eos non refudisse, et propterea se non potuisse creditoribus satisfacere, ideoque nobis quoque ea non potuisse tradere quæ deberet; occurram ei sic. Quo tempore, judices, coram judicio tum super hac re habito eum cogebamus his de bonis [quæ nobis debet et quorum usucapione nos arcet] decedere, in compensationem sumptuum ab ipso tam in munera publica horum bonorum nomine quam in ædificationes factorum permisimus illi horum bonorum usum fructum [illo duodecennio perceptum, quo illa tenuisset], ita fieri debere censentibus judicibus iis qui tum sedebant: tempore autem post dedimus ei non coacti, sed sponte nostra, veluti præcipuum aliquod a reliqua massa separatum, domum in urbe, quam haberet adhuc præter trientem hereditatis in compensationem reparaturarum quas ait a se factas, quamque Dicæogenes Philonico quinquaginta minis vendidit. Dedimus autem nos illam domum Dicæogeni, judices, non ob illius probitatem atque comitatem, sed quo testatum faceremus divitias a nobis pluris non fieri quam necessarios, sint licet quam nequissimi. Nam antea quoque, quum penes nos esset Dicæogenem ulcisci et fortunis denudare omnibus, tamen noluimus bonorum ejus ullam in partem invadere, sed satis habuimus nos nostra recuperare. Ille contra superior factus spoliavit nos, et quæcunque potuit nobis eripuit, et pessumdare nos laborat non ut cognatos sed ut inimicos homines. Proferemus adhuc aliud ingens et evidens documentum et morum nostrorum et scelerositatis qua Dicæogenes hic obsessus tenetur. In eo cum esset actio adversus Leocharetem ut in tribunal inferretur, mense Mæmacterione, judices, conveniebant nos Leochares atque Dicæogenes, rogantes ut, prosecutione litis forensi aliud in tempus rejecta, viam compositionis per arbitros prius experiremur. Quibus nos, quasi minuta quapiam in re læsi, assensi quatuor arbitris litem permisimus disceptandam, quorum binos alteros nos adducebamus, alteros illi. Coram his promisimus, nos ab eorum arbitratu non discessuros, sed ei acquieturos esse, atque compromissum hoc jurejurando sanximus. Et arbitri præ se ferebant, si fieri posset ut bonam in gratiam nos reconciliarent litemque nostram blandis et commodis verbis expedirent, se facturos injuratos, sin autem minus, etiam se ipsos jusjurandum dicere haud esse recusaturos, eoque dicto sic demum declaraturos quæ sibi nostra in causa justa et æqua esse viderentur. Hoc pacto cum nos iterum iterumque interrogando seorsimque et copulatim percontati essent rerumque gestarum ordinem intellexissent, arbitrorum alteri quidem, illi duo quos ego mihi delegeram atque tuleram, Diotimus et Melanopus, parati erant sententiam

pronuntiare sive jurati sive non jurati, prout placeret nobis, quatenus e dictis et auditis colligere potuissent verissima atque æquissima esse; quos autem Leochares arbitros tulerat, hi nolebant injurati pronuntiare. Tametsi alter eorum Diopithes Leocharetis affinis erat [sororem ipsius in matrimonio penes se habens, seu data sua Leochareti sorore in matrimonium], mihi vero inimicus atque adversarius in negotiis quibusdam forensibus; alter autem Demaratus frater illius erat Mnesiptolemi, qui una cum Leocharete pro Dicæogene spopondit. Hi ergo duo pronuntiare recusabant, tametsi nos jurejurando adegissent, nos a sententia ab ipsis pronuntianda haud esse discessuros. Testes hujus rei vobis exhibebo.

TESTES.

7. Nonne igitur res gravis atque indigna foret, si Leochares vos rogaret, judices, ut se absolveretis eadem in ipsa causa, in qua Diopithes affinis ejus qui esset ipsum condemnavit? et qui deceret vos Leocharetem ab illa culpa liberare, a qua ne necessarii quidem liberarunt? Quare vos rogo Leocharetem condemnetis, ut quæ nobis majores reliquerunt recipiamus, et non solum illorum nomina sed etiam possessiones habeamus, ex privato vero Leocharetis nihil conferri cupimus. Indignus enim est Dicæogenes vestra commiseratione atque contentione bene de eo merendi; neque enim pauper et in re curta est, neque de rep. præclare meritus: quod utrumque docebo, judices, planum facturus eundem et locupletissimum et nequissimum hominem esse, pessimeque de rep., de necessariis, de amicis denique, meritum. Hic Dicæogenes cum a nobis traditam sibi accepisset in potestatem hanc hereditatem, octogenas minas annuorum vectigalium ferentem, ejusque fructus toto decennio percepisset, tum negat sibi pecuniam esse, tum tamen non habet docere quo illam tantam, o judices, vectigalium summam insumpserit. Vos ipsi, fas enim est, existimate. In Dionysiis choregatum tribus suæ fungens quatuor habuit collegas, tragœdiæque atque pyrrhichiæ palmas retulit postremas: hæc sola sunt munera quæ edidit coactus, et tam præclare, e re tam fructuosa tam ampla vectigalia ferente. Sed et trierarchi tot numero cum constituantur quotannis, Dicæogenes neque ipse trierarchatum gessit neque alteri cuipiam gerenti de penu suo contulit ad sumptus illius muneris allevandos, præsertim ejusmodi in reip. temporibus: sed alii quidem, quibus vel tenuior etiam res familiaris est, quam huic sunt reditus annui, tamen trierarchatus gerunt; hic autem nullum unquam gessit, tametsi splendidas illas facultates non pater ei reliquit (nam is quidem ei rem reliquit admodum mediocrem), sed vos suffragio vestro contribuistis et condonastis; quapropter, etiamsi civis non esset, tamen eum deceret liberalitate sumptuum in remp. faciendorum voluntatem vestram demereri. Porro tot contributiones cum factæ sint a civibus ad bellum sustinendum patriæque salutem tuendam, hic unus Dicæogenes ne semel quidem quicquam contulit; nisi quod, cum Lechæum caperetur, provocatus ab aliis pollicitus est in concione audientibus omnibus se trecentas drachmas, minus adeo quam Cleonymus Cretensis dedit, esse daturum: et hoc ipsum tamen donum, quod pollicitus est, gratuitum, non præstitit, sed turpissima de causa pependit ejus nomen apud Eponymos in tabula publica proscriptum, ut impostoris et vani hominis, qui, quam largitionem ad salutem patriæ tuendam sponte sua pollicitus fuisset, eam re ipsa non præstitisset. Qui jam mirandum sit, me qui unus sim ab hoc Dicæogene deceptum esse, qui pari modo vos quoque cunctos in concionem congressos deceperit? Etiam hujus rei testes præstabo.

TESTES.

8. In remp. ergo Dicæogenes hoc pacto et tam magnifice e re tam lauta erogavit: erga necessarios autem eum se gerit quem videtis; nam alios nostrum fortunis exuebat, copiis et gratia præpollens, alios æquo animo ferebat ob penuriam victus quotidiani peregre proficisci ad capessendum militiam mercenariam. Viderunt omnes matrem ejus in fano Ilithyiæ sedentem, cum hunc filium suum infandi sceleris in se commissi incusaret, quod scelus vel ore proferre verecundor, quanquam illum quidem tantum scelus committere nil puduit. Melane Ægyptio cum esset a puero familiariter usus, habet nunc eundem Melanem sibi inimicissimum, ideo quod pecuniam ab illo mutuo sumptam non reddit: reliquorum, si qui cum eo consuevissent, alii non recuperarunt nummos ipsi mutuo datos, alii decepti sunt ab eo non præstante ea quæ se daturum promisisset, si quiescentibus ipsis hereditatem in jure petitam adipisceretur. Nostri autem majores, o judices, qui bona istæc nunc controversa reliquerunt sudore suo parta, nullis non choregatibus defuncti sunt, pecuniasque quamplurimas ad onera belli perferenda contulerunt, neque tempus ullum vacavit ipsorum trierarchatibus. Quorum documenta sunt donaria ab illis in fanis deorum, ex eo quod ipsis de necessariis impensis redundaret dedicata, quo monumenta suæ virtutis essent; tripodes, alii in templo Bacchi consecrati, quos tripodas, choregi cum essent, præmia et monumenta victoriæ, abstulerant, alii in templo Pythii Apollinis Delphis consecrati: præterea quoque in arce [Athenis] primitias fortunarum consecrarunt, fanum quod ibi est Minervæ simulacris æneisque saxeisque numero multis, ut e re familiari privata, exornarunt. Ipsi autem pro patria micantes occubuerunt, Dicæogenes quidem Menexeni, avi mei pater, strategi cum dignitate apud Eleusinem, Menexenus autem filius ejus phylarchi partes gerens [h. e. magistri alæ equestris] apud Spartolum in terra Odrysarum, Dicæogenes autem hujus Menexeni filius

occubuit in pugna apud Cnidum, trierarchatu fungens navis Parhali. Hanc tu domum, Dicæogene, cum suscepisses in manus tibi traditam optime constitutam, pessime summo cum dedecore pessumdedisti et lacerasti, alia ejus aliis vendendo fundosque nummis commutando: et nihilominus tamen paupertatem quereris! qui? quo impendisti illam tantam pecuniam e vectigalibus bonorum et e venditione eorum redactam? In remp. quidem, de quo certo constat, nil impendisti neque in amicos. At ne in equis quidem alendis prodegisti rem, qui nunquam in potestate habueris equum plus tribus minis vænientem; neque etiam in bigas mulares profudisti, quas nunquam possedisti, tam amplos fundos et tam instructos habens. At ne ex hostibus quidem captivum civem ullum redemisti. Ne ipsa quidem illa donaria in urbem intulisti dedicanda, quæ Menexenus quum tribus talentis facienda locasset, vita excessit priusquam dedicaret, sed voluntantur adhuc in officina lapicidæ; et tu quidem dignum te censuisti possidere te bona ad te nullo jure pertinentia, diis autem oblivisceris donaria reddere, iis destinata et ex voto debita. Ecquid igitur est id ob quod tu, Dicæogene, postules, judices te absolvere? Num quod multa munera civitati edideris, luculentoque magni æris impendio eam spectabilem reddideris? an quod classicam militiam fungens cum potestate trierarchi clades hostibus acerbas intuleris? an quod egenti patriæ multas magnasque largitiones conferendo belli onus relevaveris et amplissima pepereris emolumenta? Atqui horum omnium fecisti nihil. Verumtamen miles bonus et fortis es? Atqui nunquam in castra isti, toto hoc tenente bello quod tam atrox et tam diuturnum fuit; quod bellum ipsi Olynthii et insularum incolæ nobiscum participare non recusarunt, sed pro nobis dimicantes mortem oppetunt, tu vero, Dicæogene, cum civis esses, arma pro patria gerere ausus non es. At fortassean ob majores postulabis mihi præhaberi? quod ab iis prognatus sis, qui tyrannos [Pisistratidas] sustulerunt? Ego vero, cum illos laudo: tum te nego in communionem laudis illis debitæ venire: qui primum quidem, omisso studio gloriam eorum æmulandi tuisque factis exæquandi, latro factus sis bonorum nostrorum, malueris que Dicæogenis filius appellari quam Harmodii, et jus epulandi in Prytaneo [omnibus commune ab Harmodio oriundis, manentibus in gente sua, neque alienas in domos per adoptationem transmigrantibus] spreveris, et reliqua quoque jura posterorum Harmodii, ut præsidatus et immunitates, contempseris. Quanquam, etiamsi in gente tua mansisses, non hoc melior fuisses futurus: neque enim ab iis quas tu exerces artibus nobilitati neque ob genus suum tantis honoribus affecti sunt Harmodius atque Aristogiton, sed ob fortem animum, dextræ strenua facinora, morum honestatem, quibus decoribus tu cares, Dicæogene.

ISÆI
DE PHILOCTEMONIS HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Euctemonis filius Philoctemon filium alterius sororis et Phanostrati Chærestratum adoptans, testamento inquam deposito cum Chærea alterius sororis viro, vivo adhuc patre mortuus est: postea vero et illo mortuo Chærestratus lege hereditatem consecutus est. Androcle vero testante non ad illum jure hereditatem spectare cum Euctemoni superstes esset filius legitimus Antidorus, contra Chærestratus accusavit testem falsi, et dixit et hunc et fratrem ejus esse nothos, legeque sancitum esse utriusque sexus nothis consanguinitatem non esse. Causæ status est conjecturalis: incertum enim an Philoctemon Chærestratum adoptavit, et rursum incertum an Antidorus legitimus sit.

1. Familiaritatem mihi summam cum Phanostrato atque Chærestrato hocce esse, judices, plerosque vestrum nosse autumo. Ignorantibus autem sufficiens dicam documentum: Chærestrato enim in Siciliam proficiscente cum classe in qua trierarchum agebat, ego prævidens pericula ibi imminentia, quippe qui jam antea eadem expeditione defunctus essem, tamen rogantibus his navigationis comes calamitatumque consors fui, una cum illis captus ab hostibus. Quocirca futurum sit inconsentaneum me, qui horum in gratiam illa discrimina obissem tam perspicua atque inevitabilia quod iis familiariter uterer amicosque atque studiosos mei ducerem esse, nunc recusare pro iis causam dicere eaque proferre, ad quæ si attendatis animum, sperandum sit fore, ut et vos sententiam feratis cum religione jurisjurandi a vobis dicti consentientem et hi jure suo potiantur. Quapropter vos rogo, ut veniam mihi dicturo detis atque secundis auribus me audiatis verba facientem: certamen enim illis hoc est haud leve, sed summa eorum res agitur.

2. Philoctemon enim Cephisiensis, hoc Chærestrato familiariter utens, bona ei sua legabat omnia, eundemque pro filio adoptabat, eoque facto diem supremum obibat. Chærestrato itaque hereditatem ex formula juris petente, quoniam Atheniensium cuique licet de vacuefacta quacunque hereditate certare, qui quidem non per ambages exceptionum sed directa juris via incedat [h. e. propterea hereditatem sibi petat adjudicari, quoniam alii nemini majori et evidentiori jure competat, quam sibi], quo facto si petens visus fuerit jure omnium certissimo atque præpollentissimo niti, hereditas ei habenda atque tenenda adjudicatur; intercessit Androcles hic

atque testimonium interposuit quo hereditatem hanc controversiæ obnoxiam esse negabat, quo effecit ut et hic Chærestratus petitione hereditatis excluderetur et vobis eriperetur jus atque facultas heredem Philoctemonis ex sententia vestra constituendi; sperat nempe se effecturum unius judicii suffragiis uniusque certaminis nequitia ut Philoctemoni fratres adjungantur et obtrudantur homines ab eo prorsus alienissimi, et ut ipse hereditatem contra jus et fas habeat teneatque, tametsi de ea cum nemine in jure contendisset neque adjudicatam sibi abstulisset, item ut Philoctemonis sorore potiatur, denique ut Philoctemonis testamentum irritum reddat. Multa vero cum sint et nefanda omnia quæ Androcles in obnuntiatione sua pro testimonio confirmavit, primum hoc demonstratum dabo, Philoctemonem utique testamentum scripsisse in eoque Chærestratum hunc sibi pro filio adoptasse. Philoctemoni nempe neque uxor pariebat, et bellum tum sæviens perpetua capitis pericula objiciebat alias equestri alias navali militia fungenti; trierarchatum enim sæpenumero gessit: quibus de causis visum ei fuit de bonis suis per testamentum præcipere, ne, humani quid passus, desertam domum relinqueret. Fuerat ei quidem par fratrum, nec non par sororum: verum fratres ambo ante eum sine prole decesserant; sororum autem altera Chæreæ nupta prole mascula carebat, tametsi diu penes Chæream fuisset, altera Phanostrato duo mares peperit. Horum natu majorem Chærestratum hunc Philoctemon sibi filium adoptavit; et in testamento hanc scripsit clausulam, nisi uxor sua sibi filium adhuc pareret, velle se ut hic Chærestratus sibi heres esset. Testamentum hoc penes Chæream, alterius sororis maritum, deposuit. Quod testamentum tum vobis recitatum fuerit, tum testes qui scribendo interfuere testabuntur. Recita.

TESTAMENTUM.

Audistis ergo, judices, Philoctemonem de bonis suis per testamentum constituisse, et quibus conditionibus Chærestratum sibi filium adoptarit: Philoctemoni autem sic agere licuisse docebit hæc lex, quam ego affero, et hic vobis audientibus recitabit; æqua enim et justa hæc esse ex ipsa lege facillime intelligi arbitror.

LEX.

Hæc lex communis omnibus fixa est, judices, præcipiens, nemini non licere de bonis suis constituere, prole mascula carenti, nisi si forte furiosus sit aut præ senio deliret aut per aliam quampiam causam hac in lege indicatam mentis parum sit compos. Quorum omnium vitiorum nulli Philoctemonem fuisse obnoxium, id vero paucis verbis demonstratum dare potero. Civem enim qui se et quoad vixit gesserit eum, ut penes vos in honore atque dignitate esset, ideoque dignus a vobis habitus fuerit cui honores mandaretis, et qui pugnans pro patria occubuerit, ecquis ei negabit mentem constitisse?

3. Mentis ergo qui compos esset, ei licuisse testamentum scribere, in eoque filium quem vellet adoptare, planum vobis factum est; unde constat, hactenus certe Andoclem in ista obnuntiatione falsa testatum esse: verum hoc quoque falsi arguam, quod addit idem Euctemonis genuinum esse filium hunc [qui sibi nomen idem arrogat]. Euctemoni enim, patri Philoctemonis, præter Philoctemonem et Ergamenem et Hegemonem duasque filias, legitima ex uxore susceptos, filia Mixiadis Cephisiensis, alios nullos fuisse liberos, norunt cognati omnes omnesque phratores et demotarum plerique, iidemque vobis id testimoniis suis confirmabunt: aliam autem illi fuisse uxorem, unde hosce [quos Androcles subjectum it] susceperit, nemo est qui aut norit aut fando unquam inaudierit Euctemone adhuc superstite. Atqui testes hi sunt, quos consentaneum sit omnium esse fidissimos: cognatos enim hujusmodi res omnium optime atque certissime tenere par est. Hos tu mihi primo loco cita, et horum testimonia recita.

TESTIMONIA.

4. Verum ipsos quoque vobis præstabo adversarios hæc eadem testimonio suo comprobantes. Nam in examine ambarum partium coram archonte habito, cum hi sacramentum deposuissent super his tanquam genuinis Euctemonis filiis [qui sunt subdititii], et nos interrogassemus eos quænam esset horum mater et cujus filia, docere non poterant, tametsi et contestatione nostra urgerentur, et archon ipsis iterum iterumque injungeret ad interrogata ut responderent prout lex fieri juberet. Atqui, quomodo, judices, legi haud repugnet, si, qui pro aliis veluti pro liberis genuinis in jure contendat, et interponenda obnuntiatione de horum liberorum jure propiore alios, legitimi qui sint heredes, a petenda hereditate exclusum eat, is idem tamen neque quæ his insititiis mater fuerit docere habeat, neque ullum cum ea cognatum edere. Sed tum temporis quidem prætexebant horum liberorum matrem mulierem nescio quam Lemniam esse, eoque facto cursui processus forensis remoram aliquam injiciebant: postmodum autem ad examen [vel confrontationem partium ambarum litigantium] cum convenissent, vel prius etiam quam ab homine quoquam interrogarentur, statim aiebant, Callippen eorum matrem esse, Pistoxeni filiam, id solum existimantes sufficere, nomen unum aliquod a se confictum edi nescio cujus Pistoxeni. Qui cujas fuisset quærentibus nobis et num in vivis adhuc superesset, in Sicilia eum aiebant occubuisse in castris, relicta hac unica filia apud Euctemonem ejus tutorem, et ex ea illi hosce duos pueros

natos fuisse. Facinus omnium longe impudentissimum. Merum enim hoc esse mendacium planum faciemus, primum ex ipsis horum responsionibus in illo scrutinio editis. Nam ex illa inde militia, cujus causa Pistoxenus fertur in Siciliam cum classe abisse, hoc est, ab Arimnesto archonte inde ad hoc diei duo et quinquaginta anni effluxere; neque natu maximus horum juvenum, quos ab Euctemone ex illa Callippe procreatos perhibent, ætatis annum vigesimum adhucdum excessit. Detractis igitur his viginti annis ab illius Siculæ expeditionis tempestate, remanent plus quam triginta anni: atqui Callippen, ætatis annum trigesimum dudum egressam, adhuc penes Euctemonem in ejus tutela fuisse pupillam, nondum elocatam nondumque matrem legitime factam, credibile non est, sed credibile potius hoc est, eam in manu tutelaque mariti jam dudum ante fuisse, cuicunque fuerit sive a necessariorum quopiam sive ab ipso tutore in manus data atque matrimonio collocata, sive denique a judicibus velut heres a patre relicta nescio cui adjudicata. Præterea Callippen hanc necesse est ut Euctemonis necessarii famulique norint, si ea quidem in tutela domoque Euctemonis versata, et tam diu quidem, triginta per annos, aut unquam materfamilias ei fuerit. Non enim sufficit ejusmodi nomina solummodo in confrontationibus jactari, sed etiam rebus ipsis eorum veritas patefacienda est, hoc est, testimoniis necessariorum. Decebat itaque nobis demonstrari, et flagitantibus quidem, vel unum aliquem ex Euctemonis necessariis, qui Callippen quandam sive pro uxore legitima sive pro pupilla saltim in domo Euctemonis versatam nosset; decebat operam dari, ut hæ res coarguerentur sive e famulis Euctemonis, si qui adhuc eorum in vivis superessent, sive e famulis iis qui penes ipsos [Androclem ejusque consortes] essent, si quis eorum est qui se aiat ista nosse: verum ejusmodi servos e familia Euctemonis reliquos tradentibus nobis ad quæsitionem per tormenta accipere, neque suos poscentibus præstare et coram adducere voluerunt. Cape tu has istorum responsiones in scrutinio illo ab istis editas nostrasque obtestationes et provocationes ad traditionem mancipiorum.

RESPONSIO. TESTIMONIUM. PROVOCATIO.

5. Tantam ergo rem, tam gravis utramvis in partem ponderis, hi quidem defugerunt; ego vero demonstrabo vobis, et unde hi sint [pueri] et quinam isti qui interponenda obnunciatione testati sunt eos genuinos Euctemonis liberos esse, quo student eos in Euctemonis hereditatem immittere. Phanostrato quidem igitur nescio an insuave sit Euctemonis ulcera denudari: fieri tamen nequit, quo minus vel pars aliqua modica malorum in quæ Euctemon incurrit aperiatur, quo vos rei gestæ certiores facti hoc facilius sententiam æquo juri consentientem feratis. Exegit vivendo annos 96.: hujus

tam longinqui temporis per partem potissimam visus fuit beatus esse — nam et fortunæ erant haud contemnendæ et uxor florentesque liberi et res reliquæ pariter sic satis secundæ —, verum provecto jam ad ætatem affectam infortunium haud mediocre obtigit, quod universam illius domum corrupit opumque magnam vim pessumdedit ipsumque in apertum cum necessariis discidium conjecit. Quæ unde nata et qui sint, paucissimis declarabo. Erat Euctemoni, judices, liberta, quæ domum aliquam gubernabat, quæ domus Euctemoni in Piræeo erat elocatitia: hæc mulier puellas meretrices alebat, et in his unam Alcen dictam, quam Alcen vestrum quoque complures, ni fallor, norunt. Hæc Alce, ut primum de foro empta fuit, multos per annos prostitit corpore quæstum faciens, tandem vero marcescentibus annis e lupanari excessit: mulieri igitur isti illa in domo elocatitia versanti consuescebat Dio quidam, homo libertus, e quo ista Alce se aiebat hosce liberos peperisse [quos Androcles nunc Euctemoni subdere conatur]; et Dio quoque pro suis eos alebat. Tempore autem post idem Dio, ob noxiam nescio quam datam male sibi metuens, Athenis Sicyonem secessit: quo facto Euctemon Alcen illam gubernatricem illius domus constituit, quæ ei in Ceramico erat elocatitia, ubi vinum vænit. Illam igitur in domum immissa hæc mulier, judices, multorum magnorumque malorum causam et principium dedit. Euctemon enim sæpius illuc itans sub prætextu locaris tollendi, plurimum temporis in illa domo elocatitia versabatur; sæpe quoque illa cum muliere cibum capiebat, relictis uxore liberisque domoque in qua ipse habitabat. Quod ægre ferentibus uxore liberisque, tantum abest ut Euctemon a congressibus cum illa muliere se abstineret, ut potius ad extremum domicilium quasi ad eam transferret ætatemque deinceps omnem penes eam degeret, et sive herbis sive furore sive alio nescio quo adverso casu dementabatur ita, ut rogatu mulieris alterum liberorum ejus in phratoras suos induceret, addens ei suum nomen. Quoniam autem neque filius ejus Philoctemon ei concedebat neque phratores admittebant, sed sacrificium ab Euctemone pro impetranda pueri receptione oblatum repudiabant, ira adversus filium Philoctemonem incensus eique ægre facere ardens desponderi sibi curabat Democratis Aphidnæi sororem, hoc agitans ut liberos ab illa muliere edendos pro suis tolleret et in bona sua immitteret, si Philoctemon concedere nollet ut commentitium hunc Euctemonem juniorem in phratoras induceret. Necessarii itaque bene gnari, tum ab ipso Euctemone illuc ætatis provecto proles nulla esset exspectanda, tum tamen verendum esse ne nihilominus alio quopiam modo liberi prodirent, quos ut ille pro suis haberet atque jactaret posset induci, ex eaque re multo majus exstiturum esse dissidium, persuadebant, o judices, Philoctemoni, ut sineret a patre suo juniorem hunc Eucte-

monem in phratoras induci conditionibus iis quæ Euctemoni placerent, hoc est, cum uno addito agello. Philoctemon itaque, tametsi eum patris puderet pigeretque stultitiæ, nullam tamen cernens rationem ex hac difficultate sese expediendi, in auctoritate fuit necessariorum cedensque necessitati nil repugnavit. Pactis igitur utrinque conventis, pueroque in phratoras inducto, ab uxoris ducendæ consilio jam destitit Euctemon; quo facto planum faciebat, de uxore ducenda non eo se cogitare cœpisse quo liberos ex ea quæreret, sed quo ab invito filio concessionem extorqueret hunc puerum in phratoras inducendi; sed idem simul hoc quoque prodebat hos pueros e matre non ingenua natos fuisse. Ecquid enim oportebat eum uxorem ducere, Androcle, si hi pueri ex se, cive Attico, et e muliere quæ pariter civis Attica esset, nati erant? ecquis enim impedire potuisset, quo minus eos, si vere ingenui fuissent, in phratoras induceret? aut cur sub certis condictis et stipulatis conditionibus hunc Euctemonem juniorem pro filio in phratoras induxisset, si mater ejus ingenua et civis fuisset, lege edicente ut liberi omnes rite nati pari et æquali jure in herciscundo patrimonio gaudeant? aut cur seniorem quidem horum duum puerorum sub pacto certarum conditionum in phratoras induxisset, minoris autem nullam prorsus habuisset rationem nullamque fecisset ejus mentionem, donec Philoctemon superfuit, neque ad ipsum Philoctemonem neque ad reliquos necessarios? cum tu tamen, Androcle, hos ambos Euctemonis liberos perhibueris esse, disertis verbis in testimonio aiens, hos genuinos Euctemonis liberos atque heredes esse? Vera hæc a me dici quo constet, recita tu hæc testimonia.

TESTIMONIA.

6. Secundum hæc gesta Philoctemon trierarchatu fungens in pugna navali apud Cnidum cecidit ab hostibus interemptus. Aliquanto post Euctemon ad generos professus est, se velle pacta in quæ sibi cum filio convenisset tabularum monumentis consignata deponere. Et alter quidem generorum, qui ei duo erant, Phanostratus in procinctu stabat ea cum classe cui Timotheus imperator præerat e portu solvendi, et jam navis, quam Phanostratus cum imperio trierarchi tuebatur, ad ancoram stabat ad Munychiam; alter autem Euctemonis gener Chæreas congenerum Phanostratum ad portum deduxerat, iter maritimum ingressurum honoris causa prosecutus. Illuc ergo ubi navis stabat Euctemon veniebat, secum habens amicos quosdam adscitos; et cum testamenti tabulis consignasset, quibus conditionibus puerum [Euctemonem juniorem] in phratoras induxisset, una cum his [Phanostrato et Chærea] deponit [illas tabulas] apud Pythodorum Cephisiensem agnatum suum. Hæc, quæ egit Euctemon, eum non egisse tanquam pro filiis genuinis, et Androcles ipse testatus est, judices, et hoc ipsum satis est testimonium: nemo enim liberis genuinis quicquam per testamentum legat, quia jus civile filio patris bona delegat, patremque cui liberi genuini sint non sinit per testamentum constituere. Tabulæ illæ cum per biennium fere jacuissent et interim Chæreas vita excessisset, homines hi [Androcles ejusque consortes] fœminæ [Alcæ] per fœdissimam adulationem tanquam mancipia reginæ servientes et ex ejus ore nutuque pendentes, cum cernerent substantiam Euctemonis jam pessum euntem et in senio atque vecordia delirantis egregiam sibi datam opportunitatem furandi, una cum fœmina fortunisque et ruenti jam senis menti parant insidias. Et primum quidem eum impellunt ut testamentum tolleret atque pro irrito declararet, quippe quod e re puerorum haud esset; quoniam ipso, Euctemone, defuncto bonorum immobilium nemo alius sit potiturus quam filiæ ipsius earumque liberi: fundorum autem si quid ipse adhuc superstes venderet, redactam ex illa venditione paratam pecuniam sine controversia certam pueris esse mansuram. Euctemon hac oratione motus, statim ut audivit, tabulas testamenti a Pythodoro repoposcit, provocans ut tabulas ejus in medium proferret. Stante itaque Pythodoro coram archonte, aiebat Euctemon velle testamentum a se scriptum tollere. Contra Pythodorus, negans per se stare quominus tollatur, ipsum semet aiebat id tollere quod ad ipsum attineret Euctemonem atque Phanostratum tum in judicio quoque præsentem; verum quoniam Chæreas, qui depositioni testamenti penes se interfuisset, interea temporis vivis excessisset relicta filia, cujus filiæ sine consensu negabat hac in re quicquam agi posse, tum demum aiebat se testamentum illud cassaturum, cum illa Chæreæ filia nuptum elocata in potestatem mariti transisset qui tutor et curator ejus esset; archon quoque cum ad hanc Pythodori sententiam accessisset et ita agendum pronuntiasset esse, Euctemon coram archonte ejusque assessoribus aliisque permultis quos circumstantes antestabatur primum a Pythodoro ejusque consortibus sponsionem exigebat eos quæ acturus nunc esset rata habituros esse, tum conceptis verbis asseverabat testamentum sibi jam nunc nullum amplius usquam locorum depositum jacere, eoque dicto abibat, paulo post id facturus cujus causa illi [Alce cum parasitis] eum ad testamenti abrogationem impulerant. Vendebant nempe fundum Athmonensem Antiphani, quinque et septuaginta minis, balneum vero in Serangio triginta minis Antilocho, domum vero in urbe pro quatuor et quadraginta minis oppigneratam vendidit hierophantæ; prætereaque gregem caprarum ipso cum caprimulgo tredecim minis, et duas bigas mulares, alteras octo, alteras quinque minis et semisse, opifices item quotquot illi erant omnes. Unde summam æris redigebant plus quam tria talenta. Vendita ista sunt perquam cito post obitum

Philoctemonis. Quo autem vobis constet, judices, horum quæ dixi singula quæque vere a me dicta esse, primum cito testes.

TESTES.

7. Sic ista quidem illi habebant, tenebant: ut autem reliquis quoque potirentur statim incipiebant machinari, et rem inter se comparabant omnium fœdissimam, cui vos par est animum attendere. Cernentes enim Euctemonem præ senio ita prorsus enervatum et exinanitum ut ne lecto quidem resurgere posset, meditabantur et circumspiciebant omnes modos, quibus hoc efficeretur ut facultates ejus, ubi animam reddidisset, in potestate sua essent universæ. Quid ergo instituunt? Deferunt horum duum puerorum nomina ad archontem velut adoptatorum, quorum alterum [natu majorem] alter Euctemonis filius [Philoctemon] jam defunctus, alterum [minorem] alter ejusdem filius [Ergamenes] item defunctus adoptassent; et, quia semet ipsi tutores puerorum ferebant, archonti mandabant ut substantiam puerorum velut orborum elocaret [h. e. proscriberet elocabiles], quo sub puerorum nomine bonorum alia mercedem meritura elocarentur, alia tanquam debita pueris pro commodata pecunia æstimarentur atque ipsis assignarentur pro hypotheca, palique figerentur, quibus designantur et circumsepiuntur bona in hypothecam data, quæ vendere non licet; et Euctomene adhuc superstite, conductores per eum facti, vectigalia bonorum ipsi perciperent. Et quam primum tribunalia complebantur, archon quidem bona Euctemonis ut elocabilia voce præconis promulgabat, hi vero conductores pro mercede annua ipsi se profitebantur. Verum eveniebat fortuito ut aliqui, qui licitationi huic interessent, ad necessarios Euctemonis hac de fraude ipsis parata renunciarent; hi ergo cito accurrentes indicabant judicibus totum negotium, quo facto judices elocationem bonorum reprehendebant: quod si occultum necessariis mansisset, tota illis substantia funditus perisset. Cita testes, qui rei gestæ de qua modo exposui interfuerunt.

TESTES.

8. Priusquam porro hi homines [Androcles cum consortibus] notitiam cum hac muliere [Alce] contraxissent, cum eaque colludentes cœpissent bonis Euctemonis insidiari, tam locuples erat Euctemon una cum Philoctemone, ut, quamvis ambo una iisdem temporibus muniis fungerentur sumptuosissimis pro rep. vestra, tamen neque de sorte quicquam alienarent, et de vectigalibus annuis semper haud parum quid superesset, unde empti novi fundi ad veteres accederent: ex quo autem Philoctemon excessit, ita misere dilaniata est illa substantia, ut sortis antiquæ ne dimidia quidem pars supersit, vectigalia autem omnia intercepta sint. Et ne hæc quidem satis habuere differre atque dissipare, sed etiam ipso Euctemone tandem vita defuncto, audaciæ processerunt eo ut illo intus in ædibus adhuc jacente servos custodirent, quo ne quis eorum quicquam sive duabus ejus filiabus sive uxori nunciaret sive necessariorum cuiquam; pecunias autem et vasa supellectilemque Euctemonis adjuvante muliere in domum proximam, cui cum domo Euctemonis paries idem communis est, exportabant, quam domum incolebat quidam horum mercede conductam, Antidorus ille. Et ne cum filiæ quidem venirent uxorque, ab aliis de excessu Euctemonis certiores factæ, sinebant eas intrare, sed claudebant fores, prætexentes curam funeris illis haud convenire: vix tandem aperiebant et mulieres illas admittebant circa solis occasum demum. Ibi ingressæ deprehendebant Euctemonem quidem intus jacentem jam in alterum diem, id quod famuli affirmabant, domum autem instrumento et rebus prorsus omnibus vacuefactam horum opera. Jam mulieres quidem in lavando et componendo cadavere, ut per erat, versabantur; hi autem [necessarii Euctemonis] amicorum et testium turbæ quæ eos comitata erat œcos demonstrabant, quam essent exinaniti et expilati, servosque coram his [Androcle et consortibus] interrogabant, quonam supellex et reliquæ opes aversæ essent. Iisque respondentibus hos eas in proximam domum exportasse, hi quidem [Chærestratus cum sociis] auctores fiebant ut furtum protinus quæreretur, prout jus civile potestatem ejus rei facit, poscebantque servos sibi dedi eos qui exportassent; isti vero [Androcles cum consortibus] recusabant æquorum justorumque quicquam facere. Quæ ut constet vera a me dici, cape tu scriba istoc et recita.

9. Tantam itaque supellectilem cum domo furtim exportassent, et pecunias tenerent e venditione fundorum redactas, vectigaliaque intervertissent atque inter se diribuissent quæ per illud tempus depensa sunt, sperant se reliquis quoque potituros; eoque procedunt impudentiæ, ut directum quidem jus præ se ferentes et recta hereditatem petentes haud auderent in forum ingredi, at obliqua tamen via per obtestationem quasi liberi genuini adessent, qua in re testati sunt tum per se falsa, tum illis ipsis quæ egerunt ipsi adversantia: nam cum antea scribi horum puerorum nomina in tabulis apud archontem curassent, alterius ceu filii Philoctemonis, alterius ceu filii Ergamenis, nunc in obtestatione sua affirmant hos eosdem filios Euctemonis esse. Quanquam, ne si ab ipso quidem Euctemone procreati essent, hujus filii atque heredes esse possent, posteaquam semel ab eo alienam in potestatem emancipati et ab aliis adoptati fuissent; id quod hi factum aiunt esse: jus enim civile non sinit quemquam adoptatum e domo, in quam adoptatus fuisset, illam in domum, unde primitus ortus et emancipatus sit, redire, nisi ea in domo, in quam elocatus esset, filium ex se legitime

natum reliquisset. Ex quo consequitur, per ea ipsa quæ egerunt falsitatis coargui obtestationem ab illis interpositam. Et istud quidem si callidis suis artibus perfecissent ut domus [h. e. substantia Euctemonis et Philoctemonis] elocaretur, præclusa jam esset hisce [Chærestrato et consortibus ejus] hereditatem petendi via: nunc autem, quanquam judices causam eorum damnarunt atque negarunt juris quicquam illis in hereditatem competere, tamen non ausi modo sunt eam petere, sed etiam pro incredibili sua modumque excedente audacia præter alia falsa a se prodita etiam hoc testati sunt, hos pueros Euctemonis heredes esse, quos judices reprobassent atque ista hereditate arcuissent.

10. Sed et adhuc testis ipsius [Androclis] spectate audaciam atque impudentiam, qui pro se quidem in jure petiit filiam Euctemonis, ut a judicibus sibi adjudicandam quippe bonorum patris heredem, cum eaque quintam bonorum partem petiit ut controversiæ patentem, et hic tamen idem testatus est Euctemoni genuinos superesse filios. Atqui quomodo negetur hunc [Androclem] sua semet sica perspicue jugulare dictumque ab ipso testimonium mendacii coarguere? Nam si filius Euctemoni genuinus fuit, fuit ejusdem Euctemonis filia hereditatis adeundæ jure omni cassa, ipsaque hereditas controversiæ non fuit obnoxia. Androclem autem hasce sortitiones sortitum esse [h. e. ex ambobus titulis hereditatem petiisse, tam pro semet ipso, quam pro pupillis suis] ut vobis constet, judices, scriba hic vobis hæc recitabit testimonia.

TESTIMONIA.

Evenit itaque contra atque in lege scriptum est, sic edicente, neque spurio neque spuriæ consanguinitatem esse neque sacris in rebus neque in civilibus inde ab Euclide archonte: Androclides autem atque Antidorus æquum existimant, quas in confesso est genuinas Euctemonis filias esse, eas earumque sobolem a se bonis Euctemonis atque Philoctemonis spoliari; et quæ mulier injecto Euctemonis menti furore consecuta hoc est, ut magna parte facultatum ejus potiretur, ea se tam gerit insolenter, his nempe [Androcle atque Antidoro] fidens, ut non Euctemonis modo necessarios, sed universam adeo civitatem vilipendat. Cujus rei vel unum solum testimonium ubi audieritis, facili negotio mulieris illius audaciam leges aspernantem et violantem cognoscetis. Cape tu mihi hanc legem.

LEX.

Literas hasce [h. e. sanctiones literarum monumentis consignatas de observandis religionibus sacrorum Thesmophoriorum et Eleusiniorum] voluistis vos, judices, tam esse venerabiles tantaque pœnarum severitate pietatem erga deos tuendam sanxistis, summi

quippe facientes ut erga reliquorum deorum ita erga harum quoque duarum dearum [Cereris et Proserpinæ] numina reverentiam exerceri: hæc autem mulier, mater horum puerorum, cum sit omnium hominum confessione ancilla vitæque genus per omnem ætatem secuta tam infame, ut ob hanc et conditionis humilitatem et quæstus turpitudinem ei haud liceat intra templum [Eleusinium] intrare neque eorum quæ in eo geruntur quicquam videre, cum duabus hisce deabus sacrum fit, ausa tamen est in processione reliquarum matronarum ipsa quoque una incedere et in templum ingredi et ea spectare quæ ab ea spectari nefas est. Quæ a me vera dici, cognoscetis e psephismatibus a senatu super hac muliere latis. Cape tu psephisma hoc.

PSEPHISMA.

11. Existimare jam nunc vos decet, judices, utrum Philoctemonis bonorum heredem oporteat hunc esse ex hac muliere [ancilla eadem atque scorto] natum et hunc ad monumenta [Philoctemonis atque majorum ejus] accedere quo inferias et suffitus eorum manibus inferat [tanquam majorum suorum, qui non sunt, et quem propterea manes defuncti velut hominem a se alienum et spurcum aversantur atque refugiunt], an hunc [Chærestratum] e Philoctemonis sorore natum, quem ipse Philoctemon sibi filium adoptavit: porro quoque vos decet apud vosmet arbitrari, utrum deceat magis sororem Philoctemonis illam, quæ olim penes Chæream in matrimonio vixit, nunc autem vidua est, in horum [Alces et Androclis et Antidori et consortium] potestate esse, ut penes eos sit sive cuicunque velint eam elocare sive pati ætatem ad extremum usque senium in viduitate extrahere, an eandem Euctemonis genuinam filiam illi viro nubere qui eam in jure petitam vi vestræ sententiæ adjudicatam impetrarit, posteaquam planum vobis fecerit eam sibi uxorem in jure omnium maxime competere. His enim de rebus hodie agitur et vobis ferenda est sententia. Hoc enim illis sua vult obtestatio [seu propterea testimonium suum de hereditate controversiæ et adjudicationi haud obnoxia interposuerunt], ut nempe hi quidem [Chærestratus cum reliquis Philoctemonis necessariis] hæc adirent discrimina [excidendi hereditate puta legitime illis obtingente, et veniendi in potestatem spuriorum ex ancilla et scorto vulgari natorum], isti autem [spurii cum asseclis], etiamsi nunc hoc certamine ceciderint, rursus tamen in jure experiri possint opponenda ἀντιγραφῇ. Nam si semel a vobis declarata fuerit hereditas vacuefacta et controversiæ obnoxia, petenti [seu Chærestrato, seu cuicunque alii] eam opponent isti suam contrapetitionem, et sic eadem de causa bis iidem in judicio contendent. Atqui, si Philoctemoni quidem haud licuisset suis de bonis per testamentum constituere et is tamen nihilominus

fecisset, recte tum intercessisset Androcles interponenda sua obtestatione, penes Philoctemonem haud fuisse ut hunc [Chærestratum] in testamento pro filio adoptaret: sin autem Philoctemoni licuit testamentum scribere, neque infitiatur hoc Androcles, sed istud, a Philoctemone scriptum esse testamentum in eoque hunc Chærestratum pro filio adoptatum, debebat nos non ab aditu ad hereditatem excludere interponenda obtestatione, sed directa litis denuntiatione præmissa jure nobiscum contendere. Jam vero qui quæso luculentius arguatur falsum dixisse testimonium, quam si quis eum sic interroget, Tu vero, Androcle, ecqui nosti Philoctemonem neque testamentum scripsisse neque hunc Chærestratum sibi pro filio adoptasse? Quibus enim aliquis dum gererentur interfuerit, de iis fas est eum testimonium dicere; quibus autem ipse non interfuerit, de iis testantem eum fas est, non oculos suos, sed aures famamque testari: tu vero, Androcle, cum scriptioni testamenti non affuisses, disertis tamen verbis pro testimonio negasti scriptum a Philoctemone testamentum esse, contra vero affirmasti eum improlem decessisse. Atqui, o viri, qui poterat Androcles hoc nosse? Perinde enim inconsentaneum est, de Philoctemone incomperta neque certo explorata affirmare, atque iis de rebus quas vos in secreto agitis. Quanquam enim impudentia ei summa est, non audebit tamen affirmare, se Philoctemoni per totam ab eo actam ætatem comitem adhæsisse individuum actibusque ejus omnibus testem interfuisse. Hominum enim quotquot sunt omnium hunc unum Androclem Philoctemon semper habuit inimicissimum tum propter reliquam hominis improbitatem, tum propterea quod hic Androcles solus ex universis Philoctemonis necessariis flagitiosa cum Alce communicavit consilia, quibus et ipsi [Philoctemoni, vel potius Chærestrato] et reliquis Euctemonis liberis atque totis facultatibus insidiarentur, eaque perpetravit quæ modo vobis demonstravi.

12. Quod autem vel maxime indignationem cieat, hoc est, quod Euctemonis, qui hujus [Chærestrati] avus est, nomine abutantur. Fac enim verum id esse quod hi aiunt, Philoctemoni haud licuisse per testamentum constituere de bonis, quæ universa fuerint Euctemonis, utrum æquius est hereditatem patris adipisci filias, quas ei genuinas esse extra controversiam est, et nos ex illis natos, an hos quibus cum Euctemone necessitudinis prorsus nihil intercedit? Id quod non nos solummodo liquidis approbavimus argumentis, sed ipsi quoque horum tutores suis factis. Hoc enim vos, o judices, etiam atque etiam rogo atque obtestor ut inprimis meminisse velitis, quod jam paulo ante vobis declaratum atque testatum feci; Androcles enim hic, qui se horum puerorum tutorem fert quasi Euctemonis genuinorum [qui non sunt, atqui ingenui qui non sint, his tutor esse nullus potest], idem tamen pro semet ipso Euctemonis hereditatem petiit ejusque filiam a judicibus sibi adjudicandam quippe bonorum patris heredem; id quod testes a me producti confirmarunt. Atqui, per deos superos, qui quæso fiat, ut minus atrox minusque intolerabile sit, genuini quidem si sint liberi, tum tutorem eorum hereditatem ipsimet sibi petere unaque filiam Euctemonis in matrimonium tanquam heredem legitimam super qua in jure contendere liceat; sin autem pro spuriis habeantur, legitimis heredibus aditum ad hereditatem præclusum ire interponenda obtestatione adesse liberos a defuncto relictos jure adeundæ hereditatis multo propiore gaudentes? Adversa fronte istæc inter se pugnant. Perspicuum ergo est non a nobis solummodo falsitatem obtestationis ab eo interpositæ coargutam esse, sed etiam factis ipsius Androclis coargui. Et hunc quidem [Chærestratum] nemo interponenda obtestatione de hereditate non vacuefacta adjuvat, sed ipse [Chærestratus] directa et simplice via juris sibi competentis hereditatem petit: hic autem [Androcles] omnes petitione hereditatis excludit eo quod disertis verbis affirmat hos e scorto natos genuinos Euctemonis liberos esse; quo facto sperat vos ita placatum atque circumventum iri, ut sibi demonstrationis veniam de causa controversa faciatis copiosaque de rebus a causa alienissimis disputatione vos obrui patiamini.

13. Quæ rei sunt caput, et de quibus doceri vos oportebat, ea ne attingat quidem aut leviter modo perstringat, contra vero in nos sonora voce turpissima convicia intorqueat, et hos quidem [Chærestratum ejusque cognatos] opulentos, se autem pauperem esse iterum iterumque objectet. Quibus artibus hoc se sperat consecuturum, ut hi pueri [qui spurii sunt] vobis genuini esse videantur. Fac tamen hos, quibus affluentes rerum copias Androcles invidiose exprobrat, locupletes esse: quid tum? Locupletes si sunt, vobis sunt, judices; plus enim de copiis suis in rempublicam vestram, quam in semet, impendunt. Phanostratus quidem jam septies trierarchatu functus est, et munia quæcunque pro republica obeunda sunt sumptuosa ea omnia obiit, et in plerisque victorias adeptus est; hic autem Chærestratus, quamvis adhuc puerulus, tamen jam trierarchatus muniis satisfecit contribuendo de suo, item choregum pro tragœdis, nec non gymnasiarchum in lampadophoriis: nullas non contributiones pecuniarias hi ambo [pater et filius] inter tercentumviros [h. e. inter civium omnium opulentissimos] contulerunt. Et hactenus quidem hi duo [Phanostratus, et ejus filius natu major, Chærestratus] hæc in rempublicam contulerunt; nunc autem natu minor quoque choregum agit tragœdis, et inscriptus est albo tercentumvirorum, et confert statas contributiones. Quapropter non hi digni sunt quibus invideatis, sed isti, ita me Jupiter atque Apollo ament, sint magis, si bona adipiscantur quorum ipsis jus nullum

est. Philoctemonis quidem hereditatem si huic [Chærestrato] petenti adjudicabitis, ille vobis ejus erit promus condus, eo quod, ut adhuc fecit, ita porro quoque ex illa sumptus faciet in munera edenda, et multo etiam magis: sin autem hi eam adipiscantur, primum dilapidabunt et concerpent, tum exhaustis illis aliorum bonis insidiabuntur.

14. Quare vos, ne decipiamini, judices, majorem in modum rogo, ut ad [Androclis] obtestationem animum advertatis de qua pronuntiandum vobis est; eique intentum atque affixum jubete illum causam pro se dicere, quemadmodum nos quoque nostram actionem ad illius obtestationem accommodavimus. Illa enim in obtestatione cum diceretur Philoctemon testamentum a se scriptum nullum reliquisse ideoque hereditatem suam Chærestrato per testamentum non legasse, demonstravimus id esse mendacium; Philoctemonem enim et scripsisse testamentum et per illud testamentum bona sua Chærestrato legasse, tum docuimus, tum testes quoque produximus qui scribendo interfuere. Quid adhuc [in obtestatione jactarunt Androcles et consortes ejus]? Philoctemonem sine prole decessisse. Atqui quomodo potest is sine prole decessisse dici, qui sororis filium pro suo adoptarit et heredem bonorum reliquerit? cui lex perinde adjudicet hereditatem atque si Philoctemon liberos ex se natos reliquisset. Nam in lege planis verbis sic scriptum est, si cui, qui adoptasset aliquem, postmodum liberi ex ipso nati accesserint, fas esse ut adoptatus cum genuinis liberis parem ratam portionem hereditatis sortiatur. Demonstrato itaque [Androcles] hos, quorum ipse tuendam suscepit causam, pari jure genuinos Euctemonis liberos esse, atque unusquisque vestrum sui patris genuinus filius est. Non enim ideo statim genuinus et legitimus fit filius, si quis matris nomen edat, sed si, qui genuinum se fert Euctemonis filium, is genuinitatem suam confirmet quoque testatamque faciat eos testes producendo, qui matrem ipsius norint cum Euctemone pro matre familias legitime cohabitantem, cognatos puta et demotas et phratoras, quos necesse est scire, num Euctemon pro illa uxore sua, si fuerit, publicum quendam sumptum fecerit: præterea, illa prætensa Euctemonis uxor, ubinam locorum sepulta est, quorumnam in tumulis: quis conspexit Euctemonem ei justa facientem: ubinam matris defunctæ manibus liberi adhuc superstites inferias inferunt et suffiunt: ecquis unus civium omnium ista novit, aut ecquis famulorum Euctemonis. Sunt hæc omnia stringentia et invicta argumenta rem magis conficientia, quam mera convicia, quo solo armorum genere Androcles nos impugnat. His ipsis de rebus si postulabitis, judices, ab eo doceri certique fieri, quemadmodum eas etiam in obtestatione sua asseveravit, et vos sententiam feretis sanctam et secundum leges, et hi [Chærestratus cum suis] jure suo potientur.

ISÆI

DE APOLLODORI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Eupolis et Thrasyllus et Mneso fratres fuere. Horum Mneso sine liberis moritur, Thrasyllus filium relinquens Apollodorum e vita excessit, Eupolis solus superstes valde in Apollodorum injurius fuit. Unde Archedamus, hanc orationem recitantis avus, matri Apollodori connubio junctus post mortem mariti ejus Thrasylli, Apollodori utpote orphani misertus, sæpe ab Eupolide bona petiit quorum retentione Apollodorum damno afficiebat. Horum benefactorum Apollodorus memor sistit ante tribules Thrasyllum hunc filium ejus adoptivum, ejusdem quoque matris sororis filium et Archedami. Descripto autem inter gentiles et tribules Thrasyllo, sed nondum in codicillis in quibus illi qui extra tutelam sunt scribuntur, mortuus est Apollodorus. Et post ejus mortem in codicillis quidem scriptus est Thrasyllus, nihilominus tamen filia Eupolidis, Apollodori patrui, cum Thrasyllo contendit, dicens Thrasyllum Apollodori voluntate omnino inter tribules et gentiles non esse scriptum, sed ficte factum esse. Argumentum quidem hoc est, causæ vero status conjecturalis. Quapropter perite omnino et artificiose orationem distribuens, inimicitias Apollodorum inter et Eupolidem pertractat: quod indicium maximum est illum nolle filiam Eupolidis heredem suam esse.

1. Olim equidem, viri, existimabam eas solummodo adoptationes non oportere in controversiam vocari, quæ sic factæ fuissent, ut adoptans ipse superstes adhuc et recte mente sibi constans eas peregerit, ut adoptandum ad sacra et templa adduxerit, ut cognatis eum coram demonstrarit ad eosque pro suo declararit, ut in tabularium commune [phratorum atque demotarum] inscribendum curarit, ut omnia denique, quæcunque in ejusmodi negotio agenda sunt, ipse per se prospere valens sanæque mentis compos peregerit; sed illas tantum opinabar controversiæ obnoxias adoptationes, quas fecerint illi, qui in articulo mortis constituti per testamentum edixerint ad quem post fata sua pervenire bona sua velint, literisque consignatum ejusmodi testamentum obsignatumque apud alios quosdam deposuerint. Priore enim illo modo qui adoptat, is planum testatumque ad omnes facit sua de voluntate, totum negotium a capite ad calcem actibus auctoritatis suæ confirmans; cujus rei copiam jus civile ei faciebat: in testamento autem literis exarato atque obsignato qui voluntatis suæ significationem velut absconsam deposuit, is eam obscuram atque ignotam dubiamque fecit; quo

factum est ut multi, ejusmodi tabulas testamentarias confictas atque suppositas esse aientes, ita adoptatis de adeunda hereditate controversiam moverint. Nunc autem mihi videtur omnis cavendi diligentia supervacanea atque inutilis esse: quamvis enim omnes adoptationis meæ actus ita essent in propatulo acti, nihilominus tamen sunt qui super Apollodori hereditate mecum contendere pro Eupolidis filia contendant. Ego vero si quidem vos viderem, judices, obliquas in jure agendi vias per obtestationes haud licere hac de causa agi, directæ viæ præferre qua quis sine ambagibus jus sibi debitum postulet; producerem ego quoque testes confirmaturos hereditatem hanc haud esse vacuefactam ideoque controversiæ haud expositam, quod ego filius sim Apollodori ab eo secundum leges adoptatus: verumenimvero quia fieri nequit, ut hanc viam sectando quam nunc ingredior jus æquum in occulto maneat, progressus sum ad vos ita verba facturus ut totam rem gestam vos doceam, quo adversarii ne causentur noluisse nos sibi hoc actionis genere satisfacere. Docebo autem non hoc solummodo, Apollodorum hereditatem cognatis proximis non reliquisse gravissimis ductum causis, quippe a quibus multis infandis modis vexatus et læsus fuisset, sed istud quoque docebo, ab Apollodoro me esse filium adoptatum jure merito, quippe qui nepos ipsius e sorore essem, et quod parentes mei Apollodorum multis magnisque beneficiis sibi obstrinxissent. Quare vos rogo, judices, viritim et universos, ut aures mentesque mihi præbeatis æquas et benevolas, et ubi eos coarguero in hereditatem nil ad ipsos pertinentem summa cum impudentia involantes, tum mihi qua par est succurratis. Disseram autem quam potero brevissimis, rem a principio inde repetens, quæ sic habet.

2. Fratres erant hi tres germani, judices, Eupolis et Thrasyllus atque Mneson ab iisdem sati parentibus; qui substantiam ingentem a patre relictam cum inter se sortiti essent (tanta autem erat illa, ut vos eos dignos censeretis, qui munera publica sumptuosa ederent), duo eorum sub idem tempus vita excedebant; Mneson quidem in urbe sine prole, ut qui ne uxorem quidem duxisset, Thrasyllus autem in Sicilia, quo susceptæ expeditioni ut cum imperio trierarchi interesset, una cum multis aliis delectus fuerat, relicto filio Apollodoro, eodem illo qui me nuper sibi filium adoptavit. Eupolis itaque de tribus fratribus solus relictus haud indignum se duxit, ut bonorum Apollodoro debitorum partem haud exiguam interverteret: Mnesonis enim hereditatem, cujus semissis Apollodoro competebat, soli sibi totam arrogavit, prætextu usus eam sibi a fratre legatam fuisse, ipsiusque Apollodori tutelam ita gessit, ut causa caderet tribus talentis æstimata, quæ illius tutelæ nomine ab eo petebantur. Archedamus enim avus meus, qui Apollodori matrem in matrimonio habuit, meam aviam, cernens Apollodorum a tutore bonis omnibus privari, una cum ejus matre eum domi suæ recepit atque sub oculis suis educavit, puberique facto præsto fuit actiones male gestæ tutelæ in Eupolin exsequenti, eoque Eupolidi non solum semissem hereditatis a Mnesone relicta actione prima extorsit, verum etiam altera posteriore actione victum Eupolin coegit Apollodoro omnia reddere ab hujus patre Thrasyllo relicta, quibus Eupolis pupillum defraudasset. Archedamus tam strenuam navavit operam, ut Apollodorus totum patrimonium recuperaret. Quapropter Eupolis atque Apollodorus per totam vitam simultates inter se agitaverunt; avus autem meus atque Apollodorus, prout etiam par erat, semper fuere conjunctissimi. Verum ipsis e rebus gestis melius quam ex oratione mea intelligatur, quam sedulo studuerit Apollodorus acceptam gratiam demereri. Avus enim ea cum esset ictus calamitate ut ab hostibus caperetur, ad redimendi ejus pretium de suo conferre non dubitavit Apollodorus obsidemque agere, donec ille totam summam æris unde unde coegisset. Avoque e pristinis copiis ad incitas redacto, in re ejus familiari gerenda tuendaque operam navavit, sui patrimonii copiam ei faciens: et ad expeditionem Corinthiacam proficiscens, constituebat de substantia sua, eamque, si quid sibi secius contingeret, sorori suæ, quæ eadem avi mei filia, et mihi mater est, legabat, eamque Leocratidæ, qui nunc hierophanta est, nuptum elocabat. Hoc ille animo erga nos fuit, qui eum a principio servassemus. Quo vobis autem constet, judices, hæc a me vera dici, et bis ab Apollodoro victum in foro fuisse Eupolin, semel titulo male gestæ tutelæ, tum rursus interversæ semissis bonorum a Mnesone relictorum, avo meo causam Apollodori oratione adjuvante, eoque pacto Apollodorum bona sua recuperasse, verum etiam tantorum a nobis acceptorum beneficiorum memorem fuisse eoque quo dixi modo compensatum isse, horum omnium ego testes producam. Cita tu mihi hos.

TESTES.

Hæc tanta erant beneficia a nobis in Apollodorum collata: simultatis vero, quæ ipsi cum Eupolide intercessit, in causa fuit fraus qua hic illum re tam lauta fraudatum ierat; quam simultatem haud licet dicere ab illis sublatam atque cum amicitia commutatam esse. Cujus rei magna edam istæc documenta: Eupolidi enim tametsi duæ essent filiæ, neutram tamen earum Apollodoro collocavit, quem non sui fratris solummodo filium nosset, sed etiam bene locupletem esse. Neque fugiebat eum affinitates per connubia contractas videri non consanguineos modo, sed vel obvios quosque adeo inter se reconciliare magnasque simultates exstinguere et posse et solere; fiduciæ enim recordatio non potest non odia ex animis exterminare eorumque

loco benevolentiam mutuam injicere, cum videas eos, qui tibi olim inimici fuissent, carrissima sibi pignora tibi credere. Quicquid ejus est, sive culpa penes Eupolin, sive penes Apollodorum fuit, sive ille filium dare noluit ad uxoriam conditionem, sive hic oblatam recusavit, mansit utique inter eos simultas, ut res ipsa docuit.

3. Verum de illorum quidem simultate satis mihi videor disseruisse. Certus enim sum, vestrum quoque quotquot ætate sunt provectiores meminisse adhuc actionum forensium quibus illi sese mutuo exagitarunt: nam et magnitudo postulationum, et victoriæ fama qua Archedamus Eupolin perculit, quem multis atque tam luculentis modis ut contra hiscere nequiret condemnavit, hominum oculos convertit. Adoptatum autem me pro filio esse ab Apollodoro adhuc salvo et valente scriptumque bonorum ejus heredem, codicibusque et gennetarum et phratorum inscriptum, accingor nunc ut doceam. Quod facienti mihi ut aures præbeatis benignas mentemque attentam, etiam atque etiam rogo. Apollodoro filius erat, quem pater, ut par erat, et erudiebat et fovebat, sperans fore aliquando ut ipse vita excedens eum heredem bonorum suorum post se relinqueret; verum ille filius anni proximi superioris mense Mæmacterione morbo decessit. Ibi pater præsentis infortunii ægritudine depressus et de affecta ætate sua desperans [ut alieniore a spe novæ prolis suscipiendæ], non oblitus a quibus esset a principio beneficiis ornatus, ad matrem meam, sororem suam, quam plurimi faciebat, adiit ab eaque petiit ut me sibi filium daret; et rogatis potitus ita festinavit negotium hoc peragere, ut statim me secum in domum suam deduceret totamque suam rem familiarem mihi administrandam traderet, quasi ipse jam defunctus hujusmodi curis et impar, ego vero idoneus essem nihil non agere. Veniente tum Thargeliorum die festo adducebat me ad gennetas et phratoras, et coram ara constituebat. Est autem illis in more positum, ut quicunque filium in conventum eorum inducat sive ex ipso natum sive adoptatum (nam promiscue id habent), is per sacra juret illum a se filium induci natum e cive Attica et legitimo modo; tam in adoptato hoc, ut dixi, observatur quam in genuino: quæ tametsi pater inducens egerit, illi nihilominus tamen omnes et singuli in suffragia eunt; et ubi, qui inductus est, omnibus visus fuerit admittendus esse, tum demum, neque citius, in communem codicem inscribitur. Tam diligenter et tam severe illi jura sua tuentur. Phratores igitur Apollodori atque gennetæ, haud immemores hujus legis penes se usitatæ, et Apollodoro haud diffidentes ipsumque me haud ignotum sibi habentes, sed certi ex Apollodori sorore me natum, haud dubio suffragiorum consensu decernunt omnes nomen meum in communi codice scribendum, cum ille solito more per sacra dejerasset. Hoc ego pacto ab Apollodoro adhuc superstite et bene valente fui filius adoptatus, et in codice

phratorum communi scriptus hoc titulo *Thrasyllus Apollodori*, ipso coram adoptatore, legibus id fieri sinentibus. Quæ ut constet a me vera dici, cape tu hæc testimonia.

TESTIMONIA.

4. Testes itaque hæc ita quidem testati sunt, verum ipsi quoque adversarii eadem testantur. Quibusnam autem aliis vos convenit fidem magis habere quam testibus, et, si qui necessariorum, si non verbis, at rebus tamen et factis perspicuis testentur, Apollodorum ista recte legibusque convenienter egisse? Reliquit nempe Eupolis duas filias, et hanc, quæ adhuc superest materfamilias Pronapidis et mecum super hac Apollodori patris mei hereditate contendit, et aliam, quæ olim cum adhuc superesset penes Æschinem Lusiensem fuit, jam vero vita defuncta filium reliquit jam ad virilem ætatem adultum nomine Thrasybulum. Jam lex est hujus formulæ: si qui frater duarum sororum ex iisdem parentibus natus sine prole decesserit nulloque scripto testamento, tum æquis partibus hereditatem ejus cernere sororemque alteram adhuc superstitem alteriusque vita defunctæ filium. Hoc legis edictum illos [Eupolidis filias, cæterosque cum illis facientes necessarios] haud fugit. Rebus enim gestis testatum fecerunt legem illam sibi notam esse, eique se parere: Eupolidis enim filius, Apollodorus item dictus, cum sine prole decessisset, semissem substantiæ ad quinque talenta valentis tulit Thrasybulus. Unde patet filiabus et sororibus a jure civili partes æquales bonorum a patribus et a fratribus relictorum attribui; consobrinorum autem de bonis, et quicunque alii extra cognationis gradum modo dictum sunt, non æquales attribui partes hereditatum fœminis, sed in hujusmodi causis conditionem marium meliorem esse et a lege præhaberi conditioni fœminarum. Verba leges enim hæc sunt: potiores oportere mares esse e maribusque natos, dummodo hi mares ex iisdem prognati sint e quibus fœmininæ [de hereditate eadem inter se contendentes], etiamsi mares illi gradu consanguinitatis [ab hereditatis relictæ postremo domino] longius distent quam fœminæ. Secundum hanc legem mulieri huic [Eupolidis filiæ] ne ullam quidem partem [hereditatis ab Apollodoro Thrasylli filio relictæ] petendi jus erat, Thrasybulus autem totam petere poterat, nisi obstaret hoc, quod ego ab Apollodoro adoptatus sim, quam adoptationem Thrasybulus ratam habet. Nam neque ullam mihi unquam de Apollodori hereditate movit controversiam neque eam in jure petiit, sed omnia ab Apollodoro constituta bene se habere confessus est: hi autem [patroni causæ filiæ Eupolidis] pro hac [filia Eupolidis] qua sunt impudentia totam petere ausi sunt [hereditatem ab Apol-

lodoro, Thrasylli filio, relictam]. Cape tu has leges, quas hi migrarunt, easque recita his [judicibus].

LEGES.

Hac quidem e lege partes hereditatis æquales ferunt defuncti soror superstes et filius ab altera sorore defuncta relictus. Cape hanc quoque legem, et recita illis.

LEX.

Consobrini si nulli sunt neque consobrinorum liberi neque consanguineorum quisquam a parte patris, tum tradidit legislator hereditatem consanguineis a parte matris, definiens quosnam oporteat potiores esse. Cape tu hanc quoque legem, et ipsis recita.

LEX.

Legibus hæc edicentibus, Thrasybulus hic, tametsi vir esset [eoque ab hereditatis jure propior], tamen ne partem quidem ejus petiit, hic autem [Pronapis] loco et nomine hujus mulieris [uxoris suæ] totam petiit: adeo nil autumant impudentiam obesse, etiamsi in rebus tam planis et perspicuis leges migrare audeant. Verumtamen hac utuntur excusatione, Thrasybulum in domum Hippolochidæ emancipatum esse, ideoque sibi competere jus universam Apollodori hereditatem petendi. Vere quidem illi hactenus, quod emancipatum aiunt Thrasybulum; verum ad rem hoc quidem nil facit. Ecquid enim eo minuitur Thrasybulo jus hanc hereditatem petendi? num, quod emancipatus est, ideo minus est Apollodori cognatus? Etiam alterius Apollodori, qui filius Eupolidis fuit, semissem hereditatis, non e paterno, sed materno jure accepit [quod jus per adoptationem non mutatur]: licebat ergo ei cognationis quidem ex titulo bona Apollodori e Thrasyllo nati, quæ bona ego mihi nunc vindico, petere, quippe qui fœminam hanc [Eupolidis filiam] in jure petendi antecederet, et petisset quoque, nisi existimasset recte habere ab Apollodoro super adoptatione mei bonorumque legatione constituta. Verum Thrasybulus non est impudens. Nam matris quidem nemo est emancipatus [h. e. tametsi in domum alienam emancipatus jura amittit a parte patris ei competentia, non ideo tamen pariter jura quoque amittit a parte matris ei debita, sed hæc certe salva semper ei manent], sed perinde servat quisque matrem suam [h. e. jura per matrem convenientia], sive in domo paterna manet, sive in alienam emancipatur. Quapropter etiam Thrasybulus parte bonorum Apollodori [ejus, qui filius Eupolidis fuit] rata [eique per matrem competente] fraudatus non fuit, sed hereditatis illius semissem alteram abstulit ipse, alteram hæc mulier

[Eupolidis filia, Pronapidis uxor]. Quæ ut constet a me vera dici, testes harum rerum tu mihi cita.

TESTES.

5. Ad hunc modum non gennetæ solummodo neque phratores de mea adoptatione testati sunt, sed etiam Thrasybulus eo, quod de Apollodori hereditate mecum non contendit, ipso facto declaravit se existimare ab Apollodoro constituta rata esse jurique civili consentanea: nam si irrita illa legibusque adversa habuisset, profecto non commisisset ut tam amplam hereditatem in jure petere omitteret. Verum sunt Apollodoro patri meo de veritate meæ adoptationis alii quoque testes. Nam priusquam ego e ludis Pythicis redirem, ita cum demotis [seu municipalibus] egit Apollodorus: Se fecisse ut ego ipsi filius adoptarer atque ut nomen meum in codicem cognatorum atque phratorum, ceu filii sui, inferretur, facultatesque mihi tradidisse; quocirca hortari se demotas ut, si ab hora fatali opprimeretur, priusquam redissem, in codicem suum lexiarchicum nomen meum inscribant hoc titulo *Thrasyllus Apollodori*, neve contra faxint. Et illi quidem [municipales Apollodori] istis [ex Apollodoro] auditis, tametsi hi [Pronapis ejusque consortes] secum quererentur negantes me [ab Apollodoro] adoptatum esse, tamen, et præcepto istoc Apollodori moti eorumque memores quæ ipsi de adoptatione mei jam dudum ante tum andiverant tum norant, jurejurando per sacra dicto, in lexiarchicum intulerunt meum nomen eo pacto, quo id faciendum ille [Apollodorus] præceperat. Tam certum penes eos liquidumque meæ adoptationis erat negotium. Vera hæc me dicere testabuntur hi testes, quos tu mihi cita.

TESTES.

6. Coram tot testibus, judices, gestum fuit hoc adoptationis negotium ab Apollodoro, cui cum his [Eupolidis domesticis] vetusta simultas intercedebat, nobiscum autem præter arctam sanguinis necessitudinem adhuc quoque summa caritas. Verumenimvero etiamsi neutrum horum fuisset, neque simultas cum his neque familiaritas nobiscum, nunquam tamen Apollodorus bona sua in horum potestate reliquisset; id quod facile vos e mox dicendis colligetis. Omnes animam agitantes sedulo cavent hoc, ut domus suæ desolatæ ne fiant, sed ut sit qui manibus suis inferias inferat et reliqua justa faciat: quapropter, si qui improles ipsi sint, tamen filios sibi per adoptationem arrogant, quos nominisque bonorumque suorum heredes relinquunt. Neque privatim solummodo censetur hoc jus et fas esse atque exercetur, sed ipsa quoque resp. idem ratum sanctumque voluit esse: lege enim peculiariter hac de re lata mandavit resp. archonti, ut provideat ne quæ domus desolatæ fiant. Jam

planum Apollodoro atque perspicuum erat, si facultates suas horum hominum potestati permitteret, eadem se opera facturum quoque esse ut sua domus desolaretur, quippe qui vidisset has sorores [Eupolidis filias] fratris quidem sui Apollodori habere bona, filium autem ei nullum sufficere quamvis liberis maribus abundarent, et maritos earum fundum ab Apollodoro relictum una cum instrumento rustico ad quinque talentorum valorem vendidisse pecuniamque e venditione redactam inter se divisisse, domumque Apollodori hoc pacto jacere desolatam turpi horrendoque exemplo. Fratrem itaque qui nosset istæc a sororibus passum, qui poterat is sperare futurum ut ipse, etiamsi amicus atque familiaris illis fuisset quibus fuit infestissimus, ab his honores supremos et justa adipisceretur, quorum non frater, sed solummodo consobrinus esset? Profecto negata illi erat hæc spes. Illos autem fratri suo filium nullum defuncto suffecisse, et nihilominus tamen ejus bona possidere, domumque, quæ quondam, id quod inter omnes constat, trierarchatus onera sustentavit, de medio sustulisse, testabuntur testes hi quos abs te mihi citari volo.

TESTES.

7. Hoc igitur hi cum essent ingenio animoque erga semet ipsos, et tanta cum esset iisdem atque tam inveterata cum Apollodoro simultas, quid aliud poterat Apollodoro melius in mentem venire quam ut hoc, quod executus est, consilium capesseret? Atqui debuerat, ais, medius fidius, sumptum ab amicorum aliquo puerum adoptare, heredemque bonorum suorum facere? Atqui fuisset ipsique [Apollodoro] ipsisque parentibus pueri hujuscemodi incertum, cujas ille puer esset olim aliquando futurus, frugine an nequam, ætate pueri nullam utramvis in partem edente significationem. Mei autem documentum ceperat [Apollodorus], quod satis esset ad judicandum quæ de me speranda haberet. Norat enim quo animo erga patremque matremque essem, norat me necessariorum studiosum, rerum me mearum norat satagentem, norat qualem in magistratu me gessissem; Thesmothetæ enim honore functus ita sum, ut neque jus æquum perverterem neque largitionibus corrumperer. Hæc Apollodorus non ignorans, sed probe tenens, bonorum suorum me faciebat arbitrum, non alienum hominem unde unde arreptum sed sororis suæ filium, neque minutis quibusdam nostris officiis sed vel maximis obstrictus beneficiis, neque me animi ita abjecti atque degeneris ut passurus essem bona ejus pessum ire, quemadmodum hi passi sunt sui fratris bona pessum ire atque ad alios pervenire, sed alacriter prompteque functurum muniis et trierarchatus et militiæ in terra continente et choregatus, denique quæcunque vos imperaturi sitis libenter atque sedulo esse

executurum, quemadmodum ipse quoque fuit. Atqui si et cognatus Apollodoro eram et amicus et bene de eo meritus et documentis mei datis hanc ei fidem feceram ut certus esset me talem esse, ecquis jam dubitet adoptandi mei consilium ab homine sanæ mentis profectum esse? Ego certe unum aliquod eorum, quæ mihi ab eo injuncta fuerunt, peregi: gymnasiarchatu enim functus fui in Prometheis hoc ipso anno splendide atque liberaliter, id quod omnes norunt tribules. Vera hæc a me dici confirmabunt hi testes, quos mihi abs te citari volo.

TESTES.

8. Hæc capita sunt, judices, illa juris, quorum freti auctoritate aimus atque contendimus hereditatem Apollodori nostram esse et æquum esse nos ea potiri. Jam rogo vos, judices, obtestorque ut nobis faveatis tum Apollodori gratia tum Thrasylli qui pater ejus fuit, quos reperietis homines non nauci neque pœnitendos fuisse, sed imprimis frugi cives vestrique perquam studiosos. Pater Apollodori ut alia omnia obiit munia sumptuosa, ita trierarchatus quoque gessit alios ex aliis et tota pæne vita continuavit, non sic ut trierarchi qui nunc sunt faciunt, quorum unusquisque sumptuum pæne nihil facit in suam triremem armandam atque instruendam, societate cum aliis multis inita, sed solus per se, neque intercalandis otii bienniis sed continenter, neque perfunctorie et dicis causa, sed naviter apparatu quam fieri potest lautissimo atque probatissimo. Quamobrem et vivum vos eum honoravistis, et exstincto, memores rerum fortiter ab eo præclareque gestarum, filio servastis atque reddidistis fortunas quibus spoliatus fuerat, eo quod earum prædones cogeretis legitimo domino eas restituere. Ad ipsum veniamus Apollodorum. Non is, ut hic Pronapis, censum exiguum professus [quo contributionum exiguis pensionibus defungeretur], sed ordini equitum adscriptus honores gessit illi ordini competentes, primarios eoque imprimis sumptuosos; neque vi studuit aliena bona legitimis dominis eripere, iisque clam incubare ut vos fructum eorum nullum perciperetis, sed facultates palam ad vos professus et habens in fundis et domibus, quæcunque vos exigeretis, ea liberaliter et cum gloriæ studio præstitit: neminis cum injuria studebat de peculii sui vectigalibus personam in vita civili splendidam agere, existimans se decere, in semetipsum quidem sumptus facere modicos, quo sufficere posset impendiis; quæ autem superessent, ea necessitatibus reip. reservare. Sic factum est, ut muniis omnibus satisfaceret. Ecquam enim liturgiam non ad finem perduxit? aut ecquam contributionem pecuniariam non inter primos contulit? aut ecquibus partibus suis defuit? non aliquando choro puerili vicit, quem, choregum agens, ipse produxerat? cujus liberalitatis ab

Apollodoro demonstratæ monumentum prostat tripus ab illo choro dedicatus in ipsius honorem. Atqui quæ sunt boni civis partes? Nonne cupiditatem aliorum, bona aliena ad se nil pertinentia justis dominis eripere contendentium, ita aversari, ut bona tua salva conservare atque tueri studeas? Nonne, cum resp. æris eget, inter primos censeri conferentes nullamque bonorum partem clam habere a necessitate contribuendi exemptam? Talis vero fuit Apollodorus: quapropter ei vos hanc merito retuleritis gratiam, ut ab eo factam de bonis suis constitutionem ratam habeatis vestraque approbatione confirmetis. Quid? quod me ipsum quoque civem reperietis non malum, neque contemnendum. Expeditionibus castrensibus, quotquot ætate mea reip. suscipiendæ evenerunt, omnibus interfui; imperata exsequor; id quod est officium civium id ætatis quod ego nunc ago agentium. Illorum itaque [Thrasylli puta atque Apollodori] pariter atque nostrum gratia [mei, inquam, meorumque parentum atque consanguineorum] prospicite nobis salutemque atque dignitatem nostram curæ cordique habete; præsertim cum hi [Pronapis ejusque consortes] domum quinque talenta valentem, quæ trierarchatus olim ferre soleret impendia, ad nihilum redegerunt, fundis divenditis, gentemque nobilem desolaverunt et in causa fuerunt ut ea prorsus exstingueretur, nos autem et gessimus quæcunque sunt munia sumptuosa et in posterum quoque geremus, si nempe vos Apollodori voluntatem ratam jubeatis esse, hereditatem hanc nobis sententia vestra addicentes.

9. Dicendi finem ut faciam, ne plura hac de re disserendo garrulus et putidus vobis videar, de suggestu statim descendam, posteaquam brevissimis summa capita juris, quo nostrum quisque fidit, perstrinxero. Nostra mater, o judices, Apollodori soror fuit; nullæ eos unquam intercessit simultas, sed magna et perpetua caritate mutua semper fuerunt conjunctissimi; ego Apollodori sum e sorore nepos et filius, ab eo adoptatus adhuc superstite et mentis adhuc compote, et ab eodem in gennetas et phratoras inscriptus: quibus de causis hereditatem Apollodori postulo, ab ipso mihi donatam, habere cum pace vestra atque tenere, his autem ut copiam negetis domus desolandæ. Pronapis contra ecquid affert pro [uxore sua] eandem hereditatem petente? Æquum nempe censens sibique datum eam ut habeat teneatque pecuniam quam e vendita semisse redegit illius hereditatis quam frater uxoris suæ reliquit, contendit nunc hanc quoque rapere hereditatem, cujus adeundæ præstant alii jure potiore quam est ejus uxori, quamvis, ut in locum illius prioris Apollodori dudum ante defuncti nullum suffecit filium eoque domum illius passus fuit desolari, ita huic quoque posterius defuncto Apollodoro nullum sit filium suffecturus, sed hujus quoque domum pari modo passurus desolari; porro afferet Pronapis sibi suisque

cum Apollodoro nostro simultatem fuisse acerrimam et perpetuam nullaque compositione placatam. Hæc spectare vos decet, judices, et præterea hoc quoque meminisse, me Apollodori e sorore nepotem, illam autem [Eupolidis filiam, Pronapidis uxorem] ejusdem Apollodori consobrinam esse; item hoc, illam mulierem geminam adipisci hereditatem cupere, me vero unam hanc solummodo, in quam ab ipso ejus novissimo domino cum filii et heredis nomine immissus sum; illam haud benevolo fuisse animo erga eum a quo istæc hereditas relicta fuit, me autem avumque meum multa et magna in eum beneficia contulisse. Hæc omnia cum sedulo vobiscum eritis meditati, judices, sic tandem ponite calculum æquo juri consentaneum. Quæ plura dicam haud habeo, nullus dubitans, a me dictorum nihil vobis obscurum et dubium esse.

I S Æ I

DE CIRONIS HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Cirone sine propriis liberis mortuo, fratris sui filius quidam ex patre vindicata sibi hereditate ab uxore illius bona accepit: postea hanc orationem recitans defert fratris filium, dicens illum Cironis nepotem ex filia esse, et uxorem mortui haud invitam nepoti hereditatem prodidisse, ut illi aliqua parte concessa reliquum sibi lucraretur. Et hoc quidem argumentum est, status vero conjecturalis: quæritur enim an hic ex filia Cironis legitimus nepos sit, an non. Attexitur et illi investigatio circa qualitatem: filius namque fratris negat, dicens etiamsi concedamus illam Cironis filiam legitimam esse, quando illa mortua est, nunc vero ejus filius litem intendit, anteponendus est filius fratris ex patre nepoti ex filia, secundum legem illam quæ præferri jubet marium posteros fœminarum posteris. Hic enim artificiose omnino hanc legem silentio suppressit: certat de parentum differentia, et ostendit quantum filia fratre consanguinitate propinquior est mortuis, tantum fratris filius antecellit. Corroboratur itaque hic justo et legitimo infirmatur: negotium vero rerum præcipuarum arte agitur accommodata.

1. Necesse tum est, judices, indignari, cum sunt homines, qui non solum aliena bona sibi arrogare de iisque tanquam de suis in jure contendere audeant, sed etiam jura a legibus constituta suis conclusiunculis eludere contendant: id quod hi quoque nunc perficere laborant. Avus enim noster Ciron cum non improlis decessisset, sed nos e filia natos sibi suffecisset pro liberis genuinis, hi nihilominus tamen hereditatem Cironis in jure petunt, prætendentes ei se in sanguine proximos esse, prætereaque hanc nobis contumeliam adspergentes ut nos e filia Cironis natos negent; nullam enim Cironi filiam fuisse. Quam ad impudentiam eos impellit et ipsorum aviditas, et facultatum magnitudo a Cirone relictarum, quas habentes tenentesque per vim et nefas raptas nobisque extortas, dictitare tamen nulli dubitant a Cirone nihil esse relictum: quod aientes, nihilominus tamen hereditatem ab eo relictam in jure petunt. Verumtamen existimandum est causam hanc mihi esse non tam cum eo qui nomen suum huic hereditatis petitioni accommodavit, quam potius cum Diocle Phlyense, vulgo Oreste cognominato: hic enim hunc [puerum Cironis ex fratre aut sorore nepotem] subornavit ut has turbas nobis daret; quo Diocles hoc agit, ut bonis nos fraudet iis quæ Ciron avus noster moriens nobis reliquit et hæc in discri-

mina nos conjiciat, ipse autem sibi bona illa propria habeat teneatque neque eorum quicquam reddat, si possit orationis suæ præstigiis hoc consequi ut vos decipiamini. Fraudes itaque tam turpes his machinantibus totam vos rem ex ordine doceri convenit, quo vos, nullam partem rei gestæ ignorantes, sed cunctam probe tenentes, sic demum de ea pronuncietis. Quodsi ergo alii cuipiam causæ a vobis dijudicandæ animum adjicitis, etiam huic, quæso, attendite, qua par etiam est. Judicia quanquam hac in urbe multa multis de causis agitantur, nulli tamen unquam fuerunt homines his hominibus impudentiores, quos constat legumque severitatem vestramque auctoritatem tam parvi fecisse, ut nullos alios magis. Arduum quidem est, judices, hominem usus forensis prorsus imperitum adversus apparatum causationum et subterfugiorum vafre excogitatorum et e longinquo comparatorum et adversus testes falsa confirmare paratos in certamen descendere: verumtamen multa pascor spe fore ut æquum jus a vobis in hoc foro vestro obtineam, eoque sic saltim tolerabiliter dicam ut æqua et vera dixisse videar, nisi tale quid interveniat quod metuo ne nunc quoque eveniat. Quapropter vos rogo, judices, ut hanc orationem meam benevolis auribus accipere, atque, si qua læsus injuria fuisse vobis visus fuero, mihi succurrere meumque jus vindicare velitis quatenus par est.

2. Primum itaque docebo hoc, matrem meam Cironis esse legitimam filiam, partim famam rerum olim gestarum nostraque memoria antiquiorum allegando sermonibus hominum atque testium affirmationibus traditam; partim testes producendo rerum earum, quæ sunt ejusmodi ut adhuc teneri memoria queant, gnaros, et qui iis dum gererentur interfuere; præterea quoque colligendo ex indiciis quorum fides ipsa testium fide est potior: quæ omnia ubi plana dedero atque extra controversiam posita, tum accedam ad docendum hereditatem Cironis mihi magis quam huic competere. Unde igitur illi disputationem hac de causa ipsi exorsi sunt, illinc ego quoque principium faciam vos si potero docendi.

3. Avus nempe meus, o judices, Ciron aviam in matrimonium duxit, consobrinam suam, quæ, cum matrem meam illi peperisset, anno ætatis trigesimo [aut, post triennium in conjugio exactum] vivis excessit: avus itaque, cui præter unicam illam filiam alii nulli liberi essent, animo ad secundas nuptias adjecto domum duxit Dioclis hujus sororem, unde duo mares ipsi nati sunt. Sub hujus secundæ uxoris oculis avus filiam suam [matrem meam] educavit una cum maribus ex illa secunda uxore natis: et ad nubiles annos provectam, superstitibus adhuc ejus fratribus, nuptui elocavit Nausimeni Cholargensi cum dote viginti quinque minarum, partim in numerata pecunia partim in veste muliebri et mundo aureo pecunia æstimato. Triennio aut quadriennio post moritur Nausimenes e

morbo, nulla prole ex illa sua uxore relicta quæ postmodum nostra mater est facta: avus filiam cum e domo mariti defuncti in suam retulisset, neque dotem integram recuperasset ob afflictam Nausimenis rem familiarem, rursus elocat meo patri cum dote mille drachmarum.

4. Hæc itaque omnia si quis istorum causationibus et criminationibus opponat, quo pacto perspicue doceat vere facta esse? eo nempe quo ego verum indagans inveni. Fueritne mater mea Cironis filia necne, et num in domo ejus versata fuerit necne, et num Ciron ejus causa geminas nuptias festivis epulis concelebrarit an minus, et quamnam dotem unusquisque tulerit illorum duum quibus mea mater alii post alium nupsit, hæc omnia nota fuisse necesse est servis et ancillabus quæ illi [Cironi] fuerunt. Volens igitur ego, præter eos qui mihi præsto sunt testes, etiam e confessionibus, quas servi ancillæque edituri essent a quæsitione per tormenta expressas, hæc explorata et convicta dare, quo magis testibus fidem haberetis iis qui dictorum a se approbationem non adhuc daturi essent, sed jam dedissent, postulavi ab his [Diocle et consortibus] ut servos ancillasque ad quæsitionem traderent his de rebus quas modo commemoravi et de aliis si quæ cognitæ ipsis perspectæque essent. Verum hic idem [Diocles], qui mox postulabit a vobis ut testibus suis fidem habeatis, explorationem rei per tormenta defugit. Atqui si convincetur oblatam a me conditionem ab eo repudiatam fuisse, quid testibus iis, quibus ille utetur, manebit reliquum præter hoc unum, ut causam falsam et ementitam testimonio mercenario incrustasse videantur, quandoquidem hic [Diocles] tam certo et decretorio argumento uti noluerit? Nihil profecto, mea quidem sententia. Quo autem constet vera me dicere, cape tu primum hoc testimonium et recita.

TESTIMONIUM.

Vos itaque quidem, judices, et publice et privatim quæsitionem per tormenta servorum certissimam atque firmissimam habetis fidei approbationem; et in causa ubi cum ingenuis servi quoque interveniant, si quid quæratur quod erui et in lucem proferri e re sit, testimoniis ingenuorum nil utimini, sed per servorum tormenta conamini rerum gestarum de quibus dubitatur certitudinem expiscari. Et merito quidem ita vos, judices, proceditis; bene gnari testium haud paucos testimonia dixisse visos fuisse ementita, servorum autem tormentis subjectorum nullus unquam fuit qui convictus esset falsa sub tormentis edidisse. Hic vero [Diocles] postulabit ut commentitiis suis prætensionibus testibusque ad falsa confirmandum mercede redemptis fidem habeatis, cum ipse fidei documentum tam certum et fallere nescium defugerit? Nos vero ita non agimus, sed prius ad servorum per tormenta quæsitionem procedi postulamus, æquum id esse judicantes; hos autem tam æquam conditionem defugientes producimus, eoque facto sic demum poscimus ut fidem testibus nostris habeatis. Cape tu hæc testimonia et recita [judicibus] hisce.

TESTIMONIA.

Quosnam consentaneum est vetusta nosse? scilicet eos qui avo familiariter usi sunt. Jam hi eo modo testimonii, qui ἀκοὴ [inauditio, fama, relatio] usurpatur, testati sunt. Quosnam porro necesse est de meæ matris in matrimonium elocatione nosse? Nimirum eos quibus illa desponsa fuit, nec non eos qui sponsalibus interfuerunt. Jam testati sunt Nausimenis necessarii hac de re una cum patris mei necessariis. Quinam tandem norunt matrem meam Cironis esse genuinam filiam in domoque sinuque patris sui Cironis educatam? Hi ipsi qui, quæ ego nunc aio, ea in controversiam vocant; eo enim quod mancipia ad quæsitionem tradere recusarunt, e quibus harum rerum veræ rationes omnium certissime explorari poterant, ipso facto palam testati sunt se nosse vera esse omnia quæ aio. Quapropter vos utique, judices, non nostris testibus, sed horum, diffidetis.

5. Verum præter hæc argumenta sunt nobis adhuc alia quoque in promptu, unde cognoscatis nos Cironis esse genuinos liberos. Ciro nempe nos iis modis accepit habuitque, quibus ab avo materno nepotes accipi atque haberi par et consentaneum est: sacrificium sine nobis nullum unquam fecit, sed sive minus sive majus offerret sacrum [minoribus diis majoribusve faceret], ubique locorum atque temporum ei nos intereramus et sacrum una cum avo peragebamus. Neque ad talia solummodo arcessebamur, sed etiam per Liberalia nos secum rus ducebat semper, in spectaculis assidebamus ipsi, diesque festos apud eum agebamus omnes. Nulli numini addictior erat, quam Jovi Ctesio [vel Peculio, aut Locupletatori], eique sacra facere imprimis contendebat: quæ sacra faciens neque servum neque ingenuos alienos admittebat, sed ipse per sese laboribus tum convenientibus defungebatur; nos tamen horum sacrorum faciebat participes, manuum operam illi accommodabamus, in componendis tignis extisque adjuvabamus aliaque ministeria præstabamus, et ille inter vota faciendum a deo precabatur ut prosperam valetudinem, rem florentem, et quæstus ubertatem nobis quoque largiretur; id quod eum facere consentaneum quoque erat qui avus nobis esset. Atqui, nisi nos filiæ suæ liberos duxisset solosque sibi reliquos factos nepotes, nunquam horum quicquam fecisset, sed hunc sibi adjunxisset, qui Cironis e sorore nepotem se fert. Vera hæc a me dicta esse omnia, norunt quidem omnium certissime avi famuli, quos

hic [Diocles] nobis ad quæsitionem deposcentibus denegavit; verum etiam eorum aliqui norunt liquidissime, quibus amicis avus familiariter usus fuit, quos ego vobis testes edam. Cape tu mihi hæc testimonia, atque recita.

TESTIMONIA.

6. Verum non ex his solis liquet matrem nostram Cironis esse genuinam filiam, sed ex actis quoque nostri patris, item e decretis quæ uxores demotarum patris super ea sciverunt. Pater enim, nuptias cum matre celebrans, tres quosdam e numero familiarium suorum ad epulas nuptiales invitavit præter necessarios, et τὴν γαμηλίαν [seu victimam nuptiarum ergo phratriæ donandam] in phratriam intulit prout mos est penes illos phratoras. Demotarum quoque uxores eam postmodum una cum uxore Dioclis [non hujus, sed alius], Pitthensis puta, delegerunt, quo hæ duæ mulieres principes pompæ muliebris essent, in Thesmophoriis solenniter ad templum Cereris procedentis, et ut hæ duæ sacra vetusto ritu facerent. Pater quoque noster, ut nati fuimus, in phratoras nos induxit, jurejurando dicto nos sibi e cive Attica legitime sibi desponsa ex edicto legum in republica obtinentium natos esse: phratorum ibi nullus oblocutus est neque veritatem rei jurejurando confirmatæ in dubium adduxit, tametsi phratorum magnus esset numerus iique hæc talia [ubi de liberis agitur in cœtum suum inferendis] perquam severe atque acerbe scrutari soleant. Atqui existimare vos oportet, ea si fuisset mater nostra quam hi prædicant, patrem nostrum neque nuptias ejus nomine fuisse celebraturum neque nuptiale sacrum in phratriam illaturum, sed potius conjugium a se cum illa initum occultum fuisse habiturum: reliquorum quoque demotarum uxores eam nunquam delegissent ad sacra una cum Dioclis uxore faciendum neque sacra sua illius arbitrio fideique commisissent, sed potius alii cuicunque matronæ tantam rem permisissent: phratores item in collegium suum nos non cooptassent, sed accusassent potius natalia nostra claudicantis ingenuitatis eorumque vitium in apertum protulissent, nisi matrem nostram genuinam Cironis esse filiam undecunque testatum et apud omnes in confesso fuisset. Jam vero nihil horum unquam in controversiam venit, ut in re invulgata et ore hominum omnium concelebrata. Vera hæc a me dici quo constet, cita tu mihi hosce testes.

TESTES.

7. Præterea illa ipsa, quæ Diocles ab excessu avi nostri gessit, satis, o judices, produnt, constitisse inter omnes Cironis e filia nepotes nos esse, ipsumque adeo Dioclem nos pro talibus palam agnovisse. Veniebam scilicet ego Cironis ad domum, cadaver ejus illinc meam in domum asportatum, ut e qua vellem funus efferri: habebam mecum aliquem necessariorum, patris mei consobrinum, testem mihi futurum eorum quæ tum interventura videbantur esse: ibi ego Dioclem quidem domi Cironis haud reperi, ingressus tamen in domum accingebar ad funus illinc in domum meam transferendum, habens mecum servos ad bajulandum. Verum intercedebat uxor avi, supplicans ut ego vellem e domo sua funus avi efferre, spondens operam a se nobis præstandam in corpore avi tractando, lavando, et adornando [vel pollingendo]: permovebar, judices, ab oratione supplicantis lacrymisque quibus eam orationem prosequebatur, ut ad Dioclis domum accederem, cui coram testibus significabam me decrevisse Cironis e domo funus ejus efferre; idque dare precibus et obtestationibus viduæ, quæ esset ipsius [Dioclis] soror. Diocles ista ex me audiens nil obloquebatur, hæc tantummodo admonebat funeris ergo esse nescio quid emptum, cujus de pretio reddendo se arrha danda cavisse: rogabat ergo ut pretium sibi redderem, curabatque sibi a me statim sponderi de pretio rerum emptarum reddendo, et, quibus a se datam aiebat arrham esse, eos se ad me adducturum esse mihique coram exhibiturum, affirmantes a Diocle sibi esse satisfactum. Protinus itaque Diocles velut obiter et aliud agendo sermoni suo immiscebat mentionem æris alieni Cironis ergo contracti, quasi Ciron nihil in facultatibus reliquisset; quanquam ego nihil dum de facultatibus Cironis quærebam. Atqui, si Cironis ego e filia nepos non fuissem, profecto nunquam Diocles illud mecum fuisset pactus, sed hac potius oratione me repulisset: T u v e r o c u j u s e s ? q u i d t i b i c u m f u n e r e C i r o n i s ? e g o t e n o n n o v i ; n o l i m e a m i n d o m u m i n t r a r e. Hac eum oratione uti tum decebat, quam nunc alios induxit ut mihi ingererent: tum vero nihil horum ipse ad me, sed hoc potius, ut operam darem ut die post æs sibi persolverem. Testes tu mihi cita confirmaturos hæc a me vera dici.

TESTES.

8. Neque Diocles solummodo se a tali oratione abstinuit, verum etiam hic ipse qui [ab eo instigatus] nunc mecum super hereditate Cironis contendit; nunc autem is a Diocle subornatus mecum contendit. Qui Diocles quæ machinaretur altero statim die prodidit: ego enim æs pactum Diocli daturus cum afferrem, noluit ille accipere, præ se ferens ab hoc [competitore meo] sibi jam esse satisfactum; nemo tamen ideo me prohibebat quominus in curando Cironis funere præsto ipsis essem, sed rebus in omnibus operam cum illis communem navabam de meoque sumptus præbebam, hi autem de alieno; nam neque hic [competitor meus] neque Diocles de suo erogabant, sed ex hereditate a Cirone relicta. Atqui, si Ciro avus

mihi non erat, oportebat hunc ipsum quoque [competitorem meum] me extrudere, eliminare, a societate operæ in pollingendo me arcere. Non enim eramus nos ambo conditione pares: nam ego equidem eum sinebam [et poteram quoque salvo jure meo sinere] in avi funere curando mecum assiduum esse, quippe qui ejus e sorore nepos esset; illius autem intererat et decebat adeo eum non pati ut ego secum contumulandi Cironis operam participarem, si vera erant ea quæ nunc audent jactare. Verumenimvero tam erat rei veritate perculsus, ut ne tum quidem, cum ego e suggestu verba faciens [in oratione parentali] de Diocle quererer, qui tum Cironis hereditate me spoliatum iret, tum hunc [competitorem] mihi immitteret litem super hereditate mecum exorsurum, ut, inquam, hic competitor ne hiscere quidem tum contra auderet, nedum ut ea proferret quæ nunc jactare nil eum pudet. Vera hæc a me dici quo constet, cita tu mihi testes.

TESTES.

9. Unde fas est fidem dictis adstrui? ecquid vos ad credendum inducere debebit? non testimonia? Arbitrer equidem. Unde autem testium testimonio fides constabit? Non e quæsitione servorum per tormenta? Par id utique est atque consentaneum. Ecquid porro vos movebit ut horum [competitoris mei et Dioclis atque consortium] orationi diffidatis? Non hoc, quod adminiculis coarguitionis uti recusarunt? Caret id quidem omni dubio. Qui ergo fiat, ut dilucidius quisquam doceat Cironis filiam genuinam meam matrem esse, quam si doceat eo modo quo ego docui? primum quidem de rebus ætate patrum gestis eos testes exhibens, qui affirmarent se ista a majoribus natu dudum defunctis audisse sibi narrantibus; tum de recentioribus testes producens adhuc superstites, qui quibus de rebus testarentur eas res omnes probe cognitas perspectasque haberent earumque bene essent conscii, ut qui scirent matrem meam in domo Cironis pro filia educatam, bis cum dote elocatam, bis desponsam; præterea hos ipsos [adversarios meos] certissimam hisce de rebus convictionem ex ore servorum defugientes, qui servi ista omnia probe norant. Ego equidem, ita me dii ament Olympii, documenta majora et luculentiora iis quæ attuli haud habeo afferre; quanquam quæ attuli satis ea fore arbitror idonea.

10. Agedum, docebo jam nunc bona Cironis jure potiori atque propiori mihi competere quam huic; quanquam vobis ipsis, judices, ultro jam dudum hoc planum et perspicuum arbitror esse, in gradibus consanguinitatis non collaterales aliquem propius attingere quam recta in linea descendentes — ecqui etiam secus sit? alteri enim modo sunt *συγγενεῖς*, seu cognati alicujus, alteri vero sunt et appellantur *ἔκγονοι*, seu ex eo nati —: verum quia rebus ita sese habentibus nihilominus tamen hi petere audent hereditatem, etiam

e jure civili et diligentius adhuc docebo. Nam si mea mater, quæ Cironis est filia, in vivis adhuc superesset, et Ciron decedens de hereditate sua nihil constituisset, et hic [competitor] is non esset, qui est, Cironis e sorore nepos, sed esset, qui non est, Cironis frater, foret quidem penes eum si vellet mulierem [filiam Cironis] in matrimonio habere; at non ideo tamen bonorum Cironis foret ille compos, sed liberi ex ipso et filia Cironis nati, posteaquam secundum a pubertate annum excessissent: sic enim leges edicunt. Quodsi ergo hic [frater commentitius Cironis si esset] muliere adhuc superstite potitus Cironis bonis non fuisset, tametsi filiam ejus in matrimonium duxisset, sed liberi ejus ex illa muliere nati, paret illa muliere vivis exempta non illi [competitori meo] ejusque fratribus competere jus hereditatis Cironeæ adeundæ, sed nobis quos illa liberos reliquit.

11. Verum non ex hac sola lege id elucescit, sed ex alia quoque idem colligitur, illa, inquam, quæ pœnas sancit in liberos, qui parentes male, duriter, contumeliose, et crudeliter tractant. Avus enim si adhuc superesset, in rebus adversis, necessitatum vitæ egens, non hic hoc e titulo parentum indignis modis acceptorum foret incusabilis, sed nos essemus. Sancit enim lex parentes a liberis alendos esse; sunt autem parentes pater et mater et avus cum avia et horum item pater atque mater, si adhucdum supersint: hi enim sunt principium stirpis, et eorum bona liberis atque nepotibus a legibus contribuuntur; hac de causa necessario quoque illis incumbit cura eos alendi, etiamsi in facultatibus prorsus nihil relinquant. Qui igitur æquum sit, eos parentes si neglexerimus alere a quibus facultatum nihil ad nos pervenerit, ideo nos culpabiles animique erga parentes ingrati atque immemoris reos fieri; sin autem bona reliquerint, illorum bonorum heredem hunc esse [in quo actio in liberos ingratos plane nullum locum habet], nos excludi [qui legis hujus pœnis obnoxii simus]? Nequaquam.

12. Juvat, judices, ad gradum consanguinitatis unum, sed illum principem, mente et oratione accedere cum eoque articulum quemque stirpis seorsim conferre, et identidem vos interrogare, uter sit a defuncto propior et hereditatis jure potior, an quicunque intra genus et prolem defuncti est, tametsi gradu quamvis remoto, an ille qui in numero consanguineorum locum vel principem tenet: sic enim facillimo negotio intelligetis. A Cirone quoad gradum consanguinitatis uter propius abest, filia an frater? Filia utique: nam *ex* ipso nata est Cirone, frater autem solummodo *cum* Cirone natus est. At filiæ liberi propriores ne sunt, an frater? Liberi filiæ utique: sunt enim *genus*, vel proles, non *cognatio*. Quodsi ergo fratre sumus potiores, quanto hunc magis antecedemus, qui non frater sed sororis filius est? Verum vereor, ne nimis protrita pro-

ferens ego vobis molestus fiam. Omnes enim vos paternas, et si quæ aliæ adhuc anteriores sunt hereditates, aditis propinquitatem adepti ex genere incontestabilem atque incompetibilem [h. e. ex titulo propinquitatis, quia eorum proximi estis, per sanguinis communionem; quo fit ut necesse non habeatis ejusmodi hereditatum aliquam in jure petere]: et profecto nescio an nulli antehac hujusmodi certamen unquam decertandum fuerit. Recita tu legem de liberis parentes male habentibus, quo facto vos docebo, judices, quamobrem in hujus certaminis molestiam conjectus fuerim.

LEX.

13. Cironi nimirum hæc erant in facultatibus: prædium apud Phylas facile talentum valens, tum duæ domus in urbe, altera elocatitia, apud fanum Bacchi in Limnis, viginti minas valens, altera, quam ipse incolebat, tredecim minas valens: præterea mancipia mercedem ferentia et duæ ancillæ et una puella, et supellex domestica tuendæ rei familiari necessaria, tredecim fere minas valentia; universa autem bona immobilia, plus quam nonaginta minas: denique nummorum erat haud parum fœnori elocatum, unde usuras aufferebat. Bonis hisce Diocles una cum sorore jamdudum insidiatus est; id quod ex eo constat. Moriebantur ambo pueri, quos Ciron e sorore Dioclis susceperat; potuerat itaque Diocles sororem suam statim a morte illorum puerorum a Cirone ablatam alii cuipiam nuptui collocare qui ex ea liberos quæreret; erat enim mulier ea tum ætate ut potuisset adhuc ex alio parere: Ciron enim jam effœtus erat: verum Diocles id facere noluit, idque ideo quo Ciron de bonis suis ne quid constitueret uxore alio elocata; persuasit itaque Diocles sorori ut penes Cironem maneret, identidem causans ex eo se gravidam esse, sed abortum passam at invitam: id quod eo faciebat, quo Ciron ex alio in aliud tempus vana lactatus spe novæ prolis adipiscendæ neutrum nostrum [h. e. neque me neque fratrem meum] filium adoptaret; patrem quoque meum Diocles nunquam non malitiosis criminationibus insectando suspectum Cironi infestumque reddere studuit, ut bonis ejus inhiantem atque insidiantem. Cironi quidem blandimentis et lenociniis orationis persuasit, ut tum pecunias in fœnus elocatas usurasque inde redeuntes tum bona immobilia a se administrari pateretur; et profecto perquam facile factu erat, ut hominem natu jam grandiorem studiis et sedulitate otio ejus atque commoditati inserviendi irretiret: et hoc modo bona Cironis omnia Diocles sui juris fecit. Gnarus autem me aliquando eorum de jure futurum esse arbitrum, avo e vivis sublato, non aditu quidem ad avum me exclusit neque congressibus et consuetudine ejus me arcuit; metu ne ira percitus simultates secum susciperem: verumtamen aliquem mihi suscitavit

atque subornavit competitorem, cui operæ præmium hereditatis partem promisit millesimam, si res ex animi sui sententia prospere successisset, totam sibimet ipsi jam destinatione arrogans, et spe præcipiens; et non ad me solummodo, sed ne ad hunc quidem [competitorem meum] fatebatur avum in bonis quicquam reliquisse, sed prorsus negabat quicquam superesse. Quam primum Ciron animam reddidisset, vestem ei feralem ipse comparavit, cujus pretium ut ego dependerem mihi mandabat coram testibus, quorum ex ore ipsi audivistis idem affirmantium; verum post, æs illud afferente me refundendum, simulabat se non posse id a me accipere, nam ab hoc [competitore meo] sibi jam esse refusum; quibus malitiosis artibus et vafris commentis hoc agebat Diocles, ut latenter me de jure meo avum sepeliendi detruderet, ut, non ego, sed ipse Cironem sepeliise videretur [eoque jus hereditatis petendæ adipisceretur; defunctos enim non nisi proximi cognati atque heredes sepeliebant]. Diocle itaque de domo hac [in quæ ætatem degit Ciron] et universis de bonis ejus controversiam mihi movente, atque negante ab avo quicquam relictum esse, consultum haud ducebam per vim et armata manu corpus exanime avi ex illa domo in meam a me transferri; tempus enim id minus erat opportunum: sinebam itaque corpus quidem illa in domo manere, præsertim amicis hoc consilium meum probantibus; verumtamen una cum illis [uxore avi, ipsoque Diocle, et competitore ab hoc adversus me subornato] funus avi curabam et una exsequias ibam: sumptus e bonis ab avo relictis depromebantur. Hæc ad hunc modum invitus atque coactus agebam; quo tamen hac quoque in re me potiores ne essent, neque illis quicquam prodesset illa machina mihi structa ut coram vobis jactaret me nihil ad funeris sumptus contulisse, de consilio jurisperiti, quem hac de re consultum ieram, de meo ære sumptus funeris erogavi et novemdialia sacra in tumulum intuli quam lautissime atque apparatissime poteram, quo sacrilegium hoc ipsis exscinderem [h. e. quo eriperem ipsis hunc prætextum hereditatis petendæ, quod in Cironis funus erogassent sumptus; quo facto deorum manium religiones temeratæ fuissent, atque sacrilegium commissum, in officium curandi funeris intrudentibus sese iis, qui, cum essent a cognatione defuncti alieni, non possent non manibus ejus molesti esse, eosque interturbare], et quo hi ne viderentur omnia, ego autem nihil impendisse viderer, sed perinde ego impenderem atque illi fecissent.

14. Hæ ferme sunt res gestæ, et hæ causæ litium atque molestiarum inter nos coortarum: verum aliis quoque in rebus si noritis, judices, quanta sit hujus Dioclis cupiditas atque impudentia, nemo vestrum sit futurus qui orationi meæ fidem deneget. Pauca solummodo mihi liceto ejus documenta commemorare. Tres erant

sorores, non eodem quidem patre cum ipso, at eadem tamen matre editæ: has sorores Diocles hereditate a patre ipsis relicta fraudavit eo quod affirmavit ab ipsarum patre filium se atque heredem bonorum esse scriptum in testamento, quod ille nullum scripsisset, et sic furatus est splendidam quæ ei nunc est substantiam. Et cum ejus rei causa mariti duarum de his tribus sororibus in jure eum persequentes pecunias reposcerent, alterum quidem, majoris natu sororis maritum, ita laqueis captiosæ jurisprudentiæ forensis irretivit ut tandem damnaretur atque infamia notaretur, ipse autem Diocles ab isto actione contumeliæ oblatæ exagitatus ei pœnas nullas unquam dedit: sororis autem alterius, ab illa secundæ [seu mediæ], maritum per servum de medio sustulit, quem servum ex urbe clam exportavit et alio ablegavit [ne per ejus indicium tormentis subjecti suum scelus patesceret], sceleris autem causam in sororem suam retorquebat; qua impuritate atque immanitate sua cum eam perculisset [ut illa perterrita desisteret ulteriore sceleris quæsitione atque ultione], factus tutor filii quem illa perempto pepererat, hunc suum e sorore nepotem Diocles bonis omnibus denudavit, fundos ei ademit uberes, eorumque loco alios in solo saxoso sitos dedit. Hæc a me vera dici testari possunt hi testes; verum vereor ne potentiam Dioclis reformidantes verum dicere nolint, quanquam alias eos novi libenter verum dicturos. Quodsi ergo hi citati parere atque testari recusent, alios exhibebo non minus probe hæc omnia tenentes. Cita tu mihi hos primos.

TESTES.

15. Homo itaque tam ferox et violentus ut ipsas sorores suas bonis paternis everteret, eo quod hujus sceleris pœnas illis nullas dedit, cupiditatis atque audaciæ processit illuc ut nunc in avi nostri bona involatum eaque nobis ereptum eat; quod ut consequeretur, hunc [competitorem meum] promissa — ut audio — duarum minarum mercede corruptum induxit ut mecum de hereditate nihil ad eum attinente contenderet; quæ contentio si exitum nobis adversum sortiatur, in discrimen nos adducet, non substantiæ modo, sed ipsius adeo patriæ amittendæ. Nam si vos hujus mendaciis decepti credatis ei neganti matrem nostram civem fuisse, nos fratres pariter quoque cives non erimus, quippe post Euclidem Archontem nati. Videturne jam vobis Diocles levem mihi litem movisse? Et avo quidem itemque patre nostro adhuc superstitibus vitio carebamus omni; de jure civili nemo nobis controversiam movebat: illis autem sublatis, tametsi hanc adeo causam vincamus, ignominia tamen hac laborabimus, quod de statu civili mota nobis fuisset controversia per hunc Orestem [furiosum] quem dii male perdant, qui, quanquam mœchus in adulterio deprehensus ideoque passus ea sit

quæ mœchos in flagitio deprehensos pati mos et fas est, nihilo tamen ideo magis ab insana illa sua libidine matresfamilias corrumpendi desistit, de quo qui eum norunt ejusque conscii sunt flagitiorum testari possunt. Verum de moribus, quorum attigisse parum quid in præsentia satis habeo, plura postmodum audietis, judices, cum actionem in hunc ipsum Dioclem instituam: nunc autem vos etiam atque etiam supplex rogo, nolitis committere ut ea mihi injungatur contumelia, bona ab avo relicta mihi ut eripiantur, sed succurrite mihi hoc discrimine circumsepto quoad quisque vestrum pro sua virili parte potest. Documenta satis certa et valida habetis a me prolata, e testimoniis testium, e confessionibus mancipiorum tormentis subjectorum, ipsis denique a legibus, quibus ex omnibus discatis et liberos nos esse filiæ Cironis legitimæ atque genuinæ, et nobis ideo potius hereditatem quam his competere, qui nepotes Cironis simus. Memores itaque jurisjurandi, vi cujus a vobis dicti sedetis ad judicandum, argumentorumque a nobis prolatorum, legumque memores, pronuntiate hac in causa id quod justum et æquum est.

16. Haud video quid amplius afferre debeam: non enim videmini de ullo eorum quæ dixi adhuc incerti esse aut id minus recte tenere. Cape tu testimonium hoc quod unum adhuc superest, et recita ipsis, quo certi fiant Dioclem hunc aliquando in adulterio deprensum fuisse.

ISÆI

DE ASTYPHILI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Astyphilus et ille qui hanc orationem recitat fratres ex eadem matre: mortuo autem Astyphilo Cleon quidam illius consobrinus testamentum protulit, dicens illud in illius filium esse factum. Astyphili vero frater refellit testamentum ut fictum. Status causa est conjecturalis.

1. Uterinus erat mihi, judices, frater Astyphilus, cujus fuit hereditas hæc de qua nunc contenditur: is cum exercitu missus ad Mitylenem cum dignitate præfecti diem ista in expeditione obiit supremum. Faciam nunc id quod facturum in contrajuramento recepi, hoc est planum faciam, hunc Astyphilum neque aliquem sibi filium adoptasse, neque donasse bona sua cuiquam, neque testamentum a se scriptum reliquisse; quapropter alii nemini convenit Astyphili bona habere, quam mihi. Nam Cleon hic Astyphili consobrinus est, ita ut patres amborum fratres fuerint; quo fit ut Cleonis filius, cujus filii sui ergo Cleon hic mecum contendit, Astyphilo a patre pro filio suffectus, Astyphili sit consobrini filius. Atqui Cleonis pater aliam in domum fuit emancipatus, qua in domo illi omnes [pater Cleonis puta, et Cleon ipse, cum filiis] adhuc sunt; qua de causa non contingunt Astyphilum vi leges eos a consanguinitate excludentis. Conscii itaque ipsi sibi cum essent hac ex parte nullum sibi jus in Astyphili bona esse, commenti sunt et subjecerunt testamentum id, quod ego me demonstraturum spero falsum esse, per quod eripere mihi atque extorquere conati sunt bona fratris mei: et ut pridem speravit hic Cleon, ita adhucdum sperat, et tam firmiter sperat neminem alium præterquam se habiturum esse Astyphili bona, ut, quamprimum nuncius de morte Astyphili huc perferretur, quo tempore pater meus æger decubabat et ego in castris peregre agebam, hic Cleon in possessionem prædii ab Astyphilo relicti, et si quid adhuc aliud ei fuisset, immigrarit, eaque omnia sui jactarit esse filii, vel antequam vos de successore in istam hereditatem decrevissetis. Et nihilominus tamen, ut huc perlata sunt Astyphili ossa, ille, qui se dudum pro adoptato ejus filio gesserat, neque spectatum exposuit Astyphili corpus neque humavit, sed amici Astyphili atque commilitones, videntes patrem meum ægrotantem, me autem urbe

absentem, ipsi et proposuerunt et reliqua omnia justa peregerunt patremque meum adhuc ægrum ad tumulum Astyphili adduxerunt, certi manes Astyphili eum libenter atque gratanter esse admissuros. Hujus rei vobis familiares Astyphili testes præstabo, quippe qui rei tum gestæ interfuerunt.

TESTES.

2. Astyphilum itaque a Cleone non esse humatum, neque ipse Cleon infitiabitur, et hi testes vobis confirmarunt: ut autem ab expeditione militari redieram, cernens hos [Cleonem cum consortibus] possidere bona Astyphili eorumque fructus percipere, audiensque ipse e Cleone, cum diceret filium suum ab Astyphilo esse pro filio adoptatum per testamentum, quod depositum esset penes [matris meæ fratrem] Hieroclem Hephæstidam, statim ad hunc Hieroclem accedebam, bene quidem gnarus Hieroclem Cleoni imprimis familiarem esse, verumtamen haud opinans eum ausurum esse mendacium de Astyphilo dicere, quasi egisset Astyphilus id quod non egit, idque eo tempore dicere quo Astyphilus utpote vita defunctus jam non amplius posset Hieroclem mendacii coarguere, præsertim cum Hierocles meus una atque Astyphili avunculus esset. Verumenimvero Hierocles, o judices, nihil horum pensi habens, de testamento a me interrogatus respondit id penes se esse depositum ab ipso Astyphilo, in procinctu stante, cum classe Mitylenam proficiscendi. Hieroclem hac ad me usum esse oratione quo certiores fiant hi, recita tu ipsis hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

3. Quoniam igitur, o judices, nemo necessariorum Astyphili præsto fuit e vita excedenti, egoque tum in urbe non fui cum ossa ejus huc referrentur, necesse mihi est ex horum ipsorum sermonibus falsitatem hujus testamenti, quod ab Astyphilo scriptum et relictum esse commenti sunt, coarguere. Est nempe consentaneum Astyphilum non uni illi rei solummodo dedisse operam ut aliquem sibi filium adoptatum relinqueret, sed una hoc quoque acturum fuisse ut, quæ per testamentum constitueret, ea firma et rata essent, et, quem sibi filium adscisceret, ut is quoque facultatibus suis potiretur, ad arasque majorum accederet, iisque una sibique vita defuncto justa et ritu vetusto consecrata faceret: credere par est haud fugisse Astyphilum, tum cum maxime fore ut hæc omnia sibi et evenirent et firma essent, si non sine necessariorum consilio atque conscientia testamentum conscriberet, sed adscitis potius primum quidem necessariis, tum vero etiam phratoribus atque demotis, et denique reliquorum familiarium tot numero quot modo cogere pos-

set; hoc enim facto futurum, sive quis ex titulo consanguinitatis sive ex titulo legati hereditatem ejus peteret, ut is, si jus ementitum prætenderet, falsi quam facillime convinceretur. Atqui constat inter omnes Astyphilum horum omnium nihil egisse, neque amicorum illorum, quos modo dicebam similibus in negotiis ad dandum consilium atque ad testandum advocari, ullum adhibuisse, cum testamentum illud quod hi jactant scriberet, nisi quis forsitan ab his subornatus et mercede obstrictus aiat se affuisse. Ego vero contra, quos ejusmodi rebus atque temporibus adesse dixi solere atque debere, illos omnes producam ad vos, judices, testimonio suo confirmaturos quæ dixi vera esse omnia.

TESTES.

4. Forsitan igitur Cleon negabit æquum esse, ut sinatis penes vos ullum locum aut valorem esse argumentis a silentio ductis: derogabit auctoritatem omnem testibus negantibus sibi constare ab Astyphilo scriptum unquam fuisse testamentum. Ego vero contra censeo in ejusmodi causa, ubi quæratur scripseritne Astyphilus testamentum necne, et filiumne sibi adoptarit necne, testimonium nostrorum testium, qui sunt Astyphili necessarii atque familiares, negantium se præsto fuisse Astyphilo rem summi momenti agenti, multo validius esse debere quam testimonium hominum nulla necessitudine cum Astyphilo conjunctorum, tametsi aiant se interfuisse. Et ipsum adeo quoque Cleonem decebat, o judices, hominem stultitiæ fama profecto non laborantem, cum filium ipsius Astyphilus adoptatum ejusque rei causa testamentum scriptum iret, quotquot nosset Astyphili consanguineos in urbe tum præsentes, et alios quoscunque ullo modo vel leviter tantum Astyphilo notos eoque usos, eos omnes advocare, quo actui illi interessent. Nam profecto nemo potuisset Astyphilum impedire neque retinere quominus faceret, si cui voluisset bona sua dono dare; et Cleoni multum profuisset hoc argumentum, ab Astyphilo testamentum illud clam non fuisse scriptum. Præterea quoque, judices, si Astyphilus consilium suum de Cleonis filio sibi adoptando et de testamento scribendo celare omnes omnino voluisset, consentaneum erat illis in tabulis prorsus neminem testem scribi: quod si autem testes subscripsere, eoque constat testamentum coram testibus scriptum esse, sed iis, non qui Astyphilo familiariter usi sunt, sed obviis quibusque et de trivio correptis, qui æquum sit existimare testamentum illud vere scriptum ab Astyphilo fuisse? Nam ego equidem non autumo quemquam esse, qui volens filium sibi adsciscere ita inconsulto agat, ut alios illi actui testes et auctores advocet, quam illos ipsos, quos pone se relicturus sit sacrorumque civiliumque jurium quibus ipse olim usus sit sui loco participes. Neque pudori debet quisquam sibi ducere, si testes adhibeat ejusmodi testamento quam plurimos, lege veniam cuique dante cuicunque velit bona sua delegandi.

5. Sed et tempus spectate, judices, quo hi aiunt testamentum esse scriptum. In procinctu nempe scriptum aiunt esse expeditionis Mitylenææ: quod si verum est, constat Astyphilum futurorum fuisse præscium. Quanquam enim sæpe versatus est in castris (nam primum quidem ad Corinthum, deinde in Thessalia, tum Thebano bello interfuit, denique quocunque locorum mitti copias cerneret, eo ipse quoque proficiscebatur partes agens lochagi [seu centurionis]), nunquam tamen illorum temporum omnium testamentum condidit: in apparatu autem illius ad Mitylenam expeditionis condidit, scilicet si his auctoribus credimus; quæ expeditio non modo illi postrema fuit, sed etiam in ea diem supremum obiit. Eccui jam vestrum omnium credibile videatur, qui Astyphilus toties in castra proficiscens testamentum nullum condidisset, tametsi sciret sibi perinde in illis omnibus expeditionibus fatalem necessitatem imminere, ei tum demum neque citius sagacitatem mentis fuisse in prospiciendis rerum futuris cum eventu fortunæ tam consentaneam? nunquam antea de rerum suarum parte vel minima stans in procinctu constituerat; jam vero voluntarius ibat in expeditionem, unde vel maxime spes ipsi erat, utpote voluntario, fore ut salvus inde domum rediret: qui probabile est et ei tum in mentem venisse mox e portu soluturo ut scriberet testamentum, et fatale quoque fuisse ut domum non rediret?

6. Verum adhuc luculentiora dabo, judices, argumenta, quæ certiores vos reddant nil sinceri hosce comminisci. Planum nempe vobis faciam, hominum omnium Astyphilo unum fuisse Cleonem inimicissimum; quod odium justis de causis susceptum fuit tantum ut Astyphilus, si testamentum scribere voluisset, citius videatur ei clausulam hanc adjuncturus fuisse, ut cum Cleone ne sermones quidem consereret cognatorum suorum quisquam, quam ut filium ejus sibi filium adscivisset atque heredem scripsisset. Thudippus enim hujus Cleonis pater Astyphili patri mortem atrocitate verberum conscivisse dicitur, quæ verbera jurgio super hereditate cernenda inter illos oborto pater Cleonis Astyphili patri inflixit: tam immaniter Thudippus Euthycratem Astyphili patrem fertur tum commulcasse, ut in morbum incideret Euthycrates a quo paucis diebus post sublatus est. Vere hæc a me dici, possent quidem Arapheniorum permulti testari qui tum temporis fundos arabant fundis horum fratrum, Euthycratis atque Thudippi, finitimos; sed vereor ne vobis eos præstare disertis verbis de re tanti momenti testantes minus possim. Hierocles enim ipse, qui Astyphili testamentum penes se ait depositum esse, quanquam vidit cum Euthycrates a fratre tam sæviter vapularet, nolit tamen, id quod certissime novi, ea testari, quæ si

testetur, fidem omnem tabulis testamenti ejus, quod suæ fidei creditum vult esse, ipse sit derogaturus. At nihilominus tamen cita tu mihi Hieroclem, quo coram hoc judicum consessu sive aiat pro testimonio sive juratus infitietur eorum quæ ego aio se nosse quicquam verum esse.

TESTIMONIUM.

Probe scilicet noram, judices, ita esse eventurum ut evenit. Ejusdem enim est hominis, et ea, quæ vere facta norit, jurati infitiari, et quæ facta nusquam sint, ad ea jurejurando confirmanda mendacem linguam offerre haud secus ac si non facta certo sciat facta esse: alium tamen vobis testem præstabo: animam agitans Euthycrates severe necessariis interdixit, ne quem e Thudippo natorum ad tumulum suum sinerent accedere; de quo vobis testabitur ille, qui aviam Astyphili in matrimonio habet.

TESTIMONIUM.

Astyphilus igitur, ex quo primum hæc ex hoc [aviæ marito] nec non e reliquis necessariis accepisset statim a puero, quam primum sapere cœpit, nunquam verba cum Cleone commutavit, sed prius quam id faceret mortem oppetiit, nefas sibi ducens fore, si cum filio patris ejus colloqueretur, qui pater tam piacularis facinoris in patrem suum commissi insimularetur. Testes ego nunc vobis exhibebo eos, qui conscii sunt Astyphilum quoad vixit simultates cum Cleone exercuisse.

TESTES.

7. Porro consentaneum erat, si quid festi dies agerentur, quo tempore alii Athenienses inter se congredi atque coepulari solent, Astyphilum quoque pari modo per illos dies quibus ipse interesset, quoties nempe in urbe ageret neque in castris versaretur, alio cum nemine ad fana deorum ire quam cum Cleone, quippe cujus primum municipalis esset, deinde consobrinus, cujus denique filium ipse sibi esset adoptaturus. Verum nunquam visus est Astyphilus Cleonem comitatus in templa communionis ergo sacrorum, qua de re municipalium testimonia hic scriba vobis præleget.

TESTIMONIUM.

8. Quanquam igitur ita erga se mutuo animati essent Astyphilus atque Cleon, postulat Cleon tamen nihilominus filium suum Astyphili bona habere atque tenere. Quanquam Cleonem commemorare quid attinet? Ipse Hierocles, tametsi meus est avunculus, quemadmodum Astyphili quoque fuit, tam furiosum tamen in modum audax est, ut testamentum nunquam scriptum aiat ab Astyphilo penes se depositum esse, idque pro genuino proferat. Atqui multis ornatus beneficiis, Hierocle, a patre meo Theophrasto, cum res tibi adhuc esset quam nunc est arctior, item ab Astyphilo, malam hanc ambobus refers gratiam: nam me quidem, qui tuæ sum sororis filius e Theophrasto, cui plurimum debes, ea sorte is fraudatum quam leges mihi tribuunt; de Astyphilo autem, qui fato suo defunctus te jam refutare nequit, mendacia abs te conficta spargis, per quæ contendis efficere, quantum in te quidem est, ut homines Astyphilo infestissimi bona ejus sortiantur. Et ante quidem, o judices, quam contentio super hac hereditate in foro susciperetur, tametsi bene nosset Hierocles hanc hereditatem alii nemini quam mihi competere, tamen ad amicorum qui Astyphilo olim fuissent unumquemque viritim adibat, alium ex alio, eique venditabat Astyphili hereditatem, aiens, si quis se vellet in communionem sortis admittere, paratum se esse, qui Astyphili avunculus esset, affirmare, penes se relictas esse scriptas ab Astyphilo testamenti tabulas, quibus ille scriptus esset heres. Hoc pacto nundinabatur Hierocles hanc causam et ad hanc hereditatem petendam permovere studebat homines ab ea vel alienissimos: et nihilominus tamen, posteaquam cum Cleone decidit atque cum eo fratris mei bona partitus est, fidem suis verbis adhiberi postulat. Hic homo mihi videtur vel jusjurandum ipsum, si quis deferat, libenter et nulla cunctatione dicturus. Et mihi quidem, qui necessarius ejus sim, vere facta quorum conscius est testari detrectat; in mendaciis autem tuendis, quæ ipse novit mera mendacia esse, operam vendit homini vel alienissimo et tabulas profert quasi de rebus constitutis, quæ res constitutæ nunquam fuerunt: multo enim sibi magis expedire censet, multoque in hoc acrius incumbendum, ut rem augeat, quam ut ea tueatur officia quæ meæ debet consanguinitati. Hieroclem autem circumcursitantem operam suam in proferendo testamento commentitio venditasse, si quis ipsum in partem hereditatis adsciscere vellet, de eo testimonium illius ipsius exhibebo ad quem cum ejusmodi sponsione adiit.

TESTIMONIUM.

Ecquo nomine jam, judices, oportebit eum appellari, qui sui compendii gratia de homine mortuo tam falsa comminisci et jactare sustineat? Hieroclem autem ne Cleoni quidem gratuitam sed mercenariam præstitisse operam in proferendo testamento commentitio, documentum ejus rei haud contemnendum præstare poterit hoc ipsum testimonium. Hæc autem communicatis inter se consiliis adversus me machinati sunt: existimat enim eorum unusquisque, de bonis Astyphili si quid decerpserit, id perinde se ex insperato præterque meritum suum præterque jus et fas esse habiturum ac si thesaurum in via publica jacentem reperisset.

9. Testamentum itaque hoc confictum esse, et Cleonem atque Hieroclem vos circumventum ire, quoad potui demonstratum dedi: jam vero hoc quoque docebo, etiamsi nulla Astyphilum necessitudine contingerem, multo tamen mihi jus esse validius atque præpollentius, quam his est, Astyphili bona possidendi. Theophrastus enim pater meus matrem meam in domum suam inducens ab illius fratre, hoc Hierocle, sibi desponsam, una cum ea Astyphilum quoque domi suæ recepit tum temporis adhuc parvulum a priore suæ uxoris marito procreatum: ab eo inde tempore semper domi nostræ altus et versatus est Astyphilus, et a patre meo puerilibus artibus innutritus. Ut autem ego natus fui eamque adeptus ætatem ut capere possem doctrinam, una cum Astyphilo eodem in ludo sum eruditus. Qua de re confirmans hoc testimonium cape tu mihi atque recita, tum alterum istud magistrorum ad quorum ludos ambo nos una itavimus.

TESTIMONIA.

Porro prædium illud quod ille a patre suo habebat, judices, pater meus et satis et arboribus plantatis excoluit effecitque ut duplo pluris valeret quam primitus valuisset. Etiam hac de re vos huc adscendite, qui mihi testemini.

TESTES.

Postquam deinde Astyphilus scrutinio ætatis apud archontem tolerato probatus dignus fuit habitus atque idoneus gerendæ suæ ipsius tutelæ, patrimonium a suo patre sibi relictum a meo traditum accepit salvum atque integrum rite legitimeque, ita ut Astyphilus ideo nunquam cum patre meo questus sit. Postmodum sororem Astyphili eodem patre cum ipso usam [h. e. Euthycrate] despondebat meus pater ei viro, qui ei videbatur idoneus esse, et in reliquis quoque partibus rei familiaris gubernandæ omnibus præsto ei fuit: quæ omnia Astyphilus rata et accepta sibi habuit, existimans benevolentiæ, qua pater meus se amplecteretur, satis perspicuum cepisse documentum eo quod pater meus se a puero inde educasset domi suæ et in sinu suo. Illa vero de filiæ Euthycratis desponsatione a patre meo facta hi qui conscii sunt vobis testabuntur.

TESTES.

Deorum porro ad fana quoties pater meus iret, Astyphilum quoque adhuc puerum una mecum adduxit: etiam in thiasos [vel collegia] Herculis eum introduxit, quo participaret illam communionem; cujus rei testes vobis sunto hi thiasotæ [seu coepulones].

TESTES.

10. Ego vero ipse quo erga fratrem animo fuerim et qualem me erga eum gesserim, id jam spectate, judices. Primum quidem eadem in domo cum illo educatus adolevi, deinde simultates cum eo nunquam exercui, sed mutua nos caritate amplectebamur; id quod amici atque necessarii nostri omnes norunt, quos vobis testes exhibebo, jussos hunc in suggestum adscendere.

TESTES.

11. Jam interrogo vos, judices, videturne vobis Astyphilus, qui Cleonem ita odisset, meoque a patre tantis esset meritis obstrictus, unquam commissurus fuisse ut inimicorum suorum cujusquam filium sibi filium arrogaret eique bona sua delegaret, eoque sospitatores suos eosdemque proximos necessarios jure debito fraudaret? Mihi equidem profecto non videtur Astyphilus tantum nefas commissurus fuisse, etiamsi decies Hierocles aiat testamentum penes se esse ab Astyphilo scriptum: ego contra aio, tum propterea quod Astyphili frater sim, tum quod Astyphilus alias quoque mihi fuerit amicissimus atque conjunctissimus, hereditatem Astyphili majori jure mihi competere, quam Cleonis filio; nam hos certe non decebat partem ullam bonorum Astyphili aut cum eo necessitudinem sibi arrogare, qui tam infesto erga eum fuissent animo cum adhuc superesset, et ossa defuncti legere justaque ei facere nil curarint, sed prius in ejus bona involarint, quam religioni manium satisfecissent. Et nunc petunt Astyphili hereditatem, non solum ex titulo prætensæ donationis factæ per testamentum a se subjectum, sed etiam ex titulo cognationis, Cleonem aientes Astyphili consobrinum esse a parte patris [h. e. amborum patres fratres fuisse]. Verum haud decet vos, judices, ad cognationem ab eo proditam attendere: nemo enim fuit unquam qui, cum esset e domo patris sui alienam in domum emancipatus, hereditatem illius domus adisset unde esset emancipatus, nisi postquam ex formula juris in illam suam primigeniam domum redisset. Atqui hi [necessarii Astyphili] bene gnari Cleonis filium ab Astyphilo nunquam fuisse adoptatum, filio huic Cleonis nunquam portionem extorum [in Apaturiis] contribuerunt, tametsi sæpius venienti particulam suam ab iis [ut cognatis] flagitatum. Cape tu mihi hoc quoque testimonium hac de re confirmaturum.

TESTIMONIUM.

12. Jam diligenter pensitatis in utramque partem momentis pronuntiate, judices, de nostrum unoquoque sententiam ex iis ipsis quæ unusquisque in contrajuramento a se præstito affirmavit. Cleon

nimirum filium ait suum ab Astyphilo esse adoptatum heredemque bonorum dictum: ego vero merum hoc aio esse mendacium, mihique soli bona Astyphili omnia competere, qui sum ejus frater; id quod etiam hi [Cleon et ejus consortes] norunt. Adoptationem illam itaque, viri, ratam sententia vestra, quæso, ne facite, quam facere Astyphilo adhuc superstiti ne in mentem quidem venit; sed operam date, quas leges ipsi vosmet curastis huic civitati præscribendas atque tuemini, ut eæ mihi quoque ratæ sint atque validæ: nam e legum præscripto hanc ego mihi arrogo hereditatem, obtestorque vos, quæ est obtestatio omnium justissima atque sanctissima, ut heredem me bonorum fratris constituatis. Demonstratum enim vobis dedi Astyphilum bona sua nemini legasse, et quæcunque affirmavi, eorum omnium testes exhibui auctores graves atque idoneos. Quapropter tuemini me atque succurrite mihi periclitanti: facundia si Cleon mihi præstat, facite ne quid ei hæc facundia prosit, a legibus et ab æquo jure deserta: vosmet ipsos rerum omnium arbitros constituite. Nam ob hoc ipsum in tribunalia congredimini, quo ferocibus atque audacibus impudentia ne quid prosit, sed indisertiores quoque de jure contendere audeant, probe gnari alii nulli rei quam æquo juri æqua lance dispensando vos animum attendere. Mecum itaque, judices, estote, quæso, considerantes, quot et quanta sitis mala creaturi, si secundum Cleonem litem dederitis ab eo delusi. Primum enim id facientes efficiatis ut, qui Astyphilo adhuc superstiti infestissimi fuerunt et quos ille omnium dirissime abhorrebat, hi ad tumulos ejusque majorumque accedant et sacra participent quorum ille quondam consors fuit: deinde mandata Euthycratis, patris Astyphili, irrita faciatis, quæ Astyphilus prius mortuus est quam migraret: denique defuncto Astyphilo hanc inuratis maculam, ut stultitiæ eum damnetis, dignumque declaretis sententia vestra quem homines omnes furiosum atant fuisse. Ejus enim filium si sibi adoptarit qui patri suo fuisset inimicissimus, ecqui faciat quominus audientium cuique desipuisse videatur aut mentem habuisse malis herbis fascinatam? Tandem me quoque, viri, qui eadem in domo eademque disciplina qua Astyphilus sim educatus ejusque sim frater, patiamini bonis fratris a Cleone spoliari. Quare vos etiam atque etiam rogo, judices, atque supplico litem ut secundum me quoquomodo detis. Ita enim tum Astyphilo gratificabimini tum a me quoque injuriam arcebitis.

ISÆI

DE ARISTARCHI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Aristarchus quidam filiorum quatuor pater, Cyronidis et Democharis et matris hanc orationem habentis et aliæ puellæ, adhuc vivens hunc Cyronidem in hereditatem avi materni Xenæneti adoptavit, reliquos vero filios ipse sibi heredes reliquit. Postea Demochares sine filiis mortuus est, et filia ejus unica et ipsa quoque sine liberis: universa itaque hereditas juste in matrem recidit hanc orationem recitantis. Et hæc sic se habent: post Aristarchi vero mortem Aristomenes, ejus frater secundumque leges filiorum fratris tutor factus, filiam suam Cyronidi Aristarchi adoptivo conjunxit, hereditatem Aristarchi illi acquirere promittens. Quod et præstitit: filio namque Cyronidi nato primum puero nomen avi imponunt, Aristarchum nominantes, deinde eum in avi domum adoptaverunt tanquam illo hoc jubente, et idem Aristomenes illi totam hereditatem avi tradidit. Illo vero mortuo cum adhuc puer esset, Xenænetum fratrem proprium secundum testamentum heredem instituit. His ita factis, et Xenæneto Aristarchi senioris bona possidente, filius filiæ Aristarchi senioris, litem illi intendit, dicens se unicum heredem bonorum Aristarchi senioris esse. Cyronides enim (dicit) adoptatus est: pater vero, cum filium ligitimum Democharem haberet, filium sibi adoptare non potuit: Demochares vero cum minor esset, neque ipse potuit filium adoptare; sed neque illa alia filia ejus quæ antea mortua est. Itaque, cum non secundum leges (inquit) junioris Aristarchi adoptio facta sit, junioris Aristarchi testamentum non est validum: quo namque pacto alteri tradere potuisset ea, quæ ipse injuste possederat? Sublato itaque testamento hereditas jure in hanc orationem recitantem transit, cum filius legitimæ Aristarchi senioris filiæ sit. Argumentum tale est, causæ autem status negotialis et scriptis constans: quæritur enim an tale testamentum validum esse oporteat, et quisnam eorum qui contendunt justiora dicat.

1. Vellem equidem, judices, quemadmodum Xenocrates hic diserte novit atque confidenter mendacia jactare, ita me quoque facundum esse ut coram vobis veritatem causæ meæ cum fiducia et linguæ libertate atque volubilitate enarrare vobisque approbare possem: hoc enim si mihi datum sit, confido statim vobis liquidum fore, utrum nos ad hujus sortis petitionem per nefas accedamus, an hi [adversarii nostri] bona dudum per nefas rapta et adhuc possessa diutius retinere legitimosque eorum dominos excludere contendant. Jam vero non æquo sumus loco constituti, judices. Nam hi quidem et facundia pollent et amicitiis fidunt, quas sibi comparare multasque norunt et potentes, ut vel pro aliis quoque persæpe in judiciis contendant: ego vero tantum absum ut alienam causam ullam

unquam egerim, ut potius ne pro memet ipso quidem causam ullam, non modo publicam, sed ne privatam quidem dixerim; quapropter æquum sit magnam mihi veniam apud vos esse paratam.

2. Nam propterea, judices, quod ab his jus mihi debitam exigere nequeo, coactus fui in examine matrem meam profiteri sororem Aristarchi, atque sic nomen ejus a scriba publicas in tabulas referri: nihilo tamen ideo causa hæc vobis erit ad disceptandum impeditior, sed hoc nunc e legibus vobis est definiendum, utrum Aristarcho jus et facultas fuerit huic [Xenocrati juniori, filio Cyronidis] bona legandi, et utrum hæc bona Aristarchi fuerint an aliena et ab ipso per nefas usurpata. Æquum est, judices, ante omnia hoc de capite constitui: nam lex quidem facultatem cuique dat bona sua cuicunque velit legandi, sed sua, non item aliena; nam alienorum lex hominem nullum facit arbitrum. Quodsi ergo me secundis auribus audire velitis, ante omnia vos hoc de loco certiores faciam: nitarque vos docere hereditatem hanc a principio non horum fuisse [quibuscum nunc super ea contendo], sed fuisse matris meæ a patre ipsi relictam; deinde Aristarchum eam nulla lege addicente, sed legibus omnibus invitis atque reclamantibus, eripuisse, eoque enormem injuriam et reliquis nostris necessariis et imprimis matri meæ obtulisse. Unde autem vos rem liquidissime percepturi videmini, inde ego quoque docendi sumam exordium.

3. Aristarchus quidam erat, judices, Sypalletius; qui Xenæneti Acharnensis filiam cum domum duxisset, ex ea quatuor liberos suscepit, Cyronidem et Democharem, cum duabus filiabus, quarum altera fuit mater mea. Cyronides, qui pater est hujus [Xenæneti] et alterius [Aristarchi] qui sortem hanc per nefas occupaverat, aliam in domum emancipatus est; quo factum est, ut jus omne in hanc hereditatem amiserit: Demochares itaque factus est heres patrimonii Aristarcho, qui pater horum quatuor liberorum erat, vita defuncto. Quoniam vero Demochares adhuc infans moriebatur, necnon altera soror, sola relicta fuit mea mater universæ heres substantiæ; sed sic, ut controversum esset, quis eam in matrimonio habere et ad liberos ex ea procreandos avitam hereditatem transferre deberet. Ad hunc modum a principio sors hæc universa de jure meæ matris erat: verum, cum oportuisset proximum cognatum eam in matrimonio habere unaque cum ea tuendum adipisci patrimonium ejus, injuriam accepit mater mea, judices, atrocissimam atque indignissimam. Erat nempe matri meæ patruus Aristomenes, frater illius Aristarchi: huic Aristomeni cum et filius esset una cum filia, potuissetque ideo sive ipse sibi habere sui fratris filiam heredem, sive filio suo eam collocare atque providere ut illi filio suo illa sua neptis per judicum sententiam legitime adjudicaretur, neutrum horum fecit, sed filiam suam Cyronidi despondit, unaque ei bona addidit quorum jus nemini competebat præterquam matri meæ: ex illa Aristomenis filia et Cyronide nati sunt hic Xenænetus adhuc superstes et Aristarchus vita defunctus. Hæc est injuria, judices, nobis data, et hoc pacto fraudatus sum hereditate. Post id factum Aristomenes matrem meam meo patri collocat. Cyronide postmodum vita defuncto, Xenæneti hujus fratrem Aristarchum in sortem matri meæ debitam immittunt: id quod præter jus et fas esse factum multis ego magnisque documentis evictum dabo. Sed ante omnia testes producam confirmaturos Cyronidem e domo patris sui Aristarchi in domum Xenæneti [qui ei avus maternus erat] emancipatum fuisse, in eaque domo Xenæneti diem supremum obisse; deinde Aristarchum [majorem], a quo profecta sors hæc est super qua nunc contenditur, prius e rebus humanis excessisse quam Democharem, quo hereditas ejus ad hunc Democharem devenit; verum hic Demochares adhuc puer decessit, nec non altera soror, quo factum ut tota sors in jus matris meæ devenerit. Harum itaque rerum cita tu mihi testes.

TESTES.

Sors igitur istæc, de qua nunc agitur, hoc pacto nostra erat, judices; Cyronide in domum Xenæneti emancipato, Aristarcho autem patre Democharis vita defuncto et sic ad Democharem devoluta ejus hereditate, hoc ipso autem Demochare denique exstincto, cujus excessu devenit hereditas ad matrem meam, ut solam relictam Democharis sororem.

4. Quoniam vero hi ultra modum impudentes sunt, o judices, et contra jus et fas bona [in controversiam adducta] tenere contendunt, docendi mihi estis legibus prorsus omnibus repugnantibus Aristarchum [minorem] in illius [majoris] phratoras inductum fuisse: de quo ubi certi fueritis facti, liquidum vobis protinus erit habenti bona titulo haud legitimo non licuisse iisdem de bonis per testamentum constituere. Arbitror itaque vos cunctos, viri, hoc nosse, delegationum atque adoptationum per testamentum factarum eas solummodo legitimas atque probabiles esse, quæ ab ipsis delegantibus bona sua atque adoptantibus [non autem eorum loco atque nomine ab aliis] factæ sint; nam aliter neque legare bona neque pro filio adoptare licet. Sive igitur dicet aliquis Aristarchum [seniorem] de bonis suis per testamentum constituisse, affirmabit is veritati repugnantia; alius enim erat Aristarcho filius legitime natus Demochares, quo fit ut neque voluisse videatur Aristarchus in fraudem hujus filii sui testamentum condere neque etiamsi voluerit potuerit alii cuipiam bona sua delegare legibus id vetantibus: sin autem Aristarcho [seniore] defuncto a Demochare aiat aliquis eum [Aristarchum juniorem] in locum filii adoptatum esse, etiam

hoc mentietur. Demochares enim adhuc puer decessit, et puero negatum est de bonis suis per testamentum constituere: lex enim vetat, disertis verbis his edicens: Puero ne liceto cum quoquam contrahere neque mulieri ultra singulos medimnos frumenti. Atqui testes exhibiti vobis confirmarunt Aristarchum [seniorem] ante Democharem rebus humanis excessisse, et hunc aliquanto post patrem: quapropter vel secundum ipsum eorum testamentum, si quod scripsissent, huic Aristarcho jus in istorum bona nullum competeret. Recita tu mihi leges, utrique eorum [tam patri quam filio] potestatem de bonis suis constituendi denegantes.

LEGES.

Atqui, judices, non poterat Cyronides in Aristarchi [senioris] hereditatem Aristarchum juniorem immittere et hunc illi filium sufficere; licebat illi [Cyronidi] quidem, relicto in Xenæneti domo filio genuino, in domum paternam redire, aliquem autem ex domo Xenæneti in eam unde excesserat inferre quæ lex permittebat non est: aut si aiant, aperte mentientur. Et etiam hunc ab illo fuisse adoptatum si dicant, tamen nullam poterunt proferre legem, ejus rei veniam ipsi dantem: verumenimvero non aiunt quidem istæc, at ex ipsis tamen eorum causationibus atque prætensionibus, quas revera jactant, adhuc dilucidius vobis constabit eos bona, quæ de jure matris meæ sunt, invitis legibus et summum per flagitium usurpare atque retinere.

5. Fingamus, judices, alterutrum matrem meam in matrimonio habuisse, sive Aristomenem sive filium ejus Apollodorum: nam illis duobus competebat de jure a judicibus veniam ejus domum ducendæ petere, atque operam dare ut ea sibi a judicibus adjudicaretur. Quid tum? Ne his ipsis quidem licuisset matris meæ bona alii donare de iisve pro arbitratu suo constituere; lex enim non sinit, interdicens bonorum mulieris, cui potestas hereditatis sit, arbitrum quenquam alium esse, præterquam filios ejus secundum a pubertate annum egressos: mirum itaque sit, si cui marito matris meæ, sive is Aristomenes sive Apollodorus fuisset, non licuisset de bonis matris pro lubitu disponere, eidem tamen liceret, ubi eam alii in matrimonium elocasset, in ejus bona filium suum pro adoptato immittere. Res atrox utique ea foret atque indigna! Et ne patri quidem matris meæ licuisset, si prole mascula caruisset, in fraudem filiæ testamentum facere; lex enim sic edicit, si cui patri mares nulli sint, ei licere bona sua cui velit legare, dummodo is cui leget filiam quoque ejus in matrimonium ducat: alii autem, qui neque pater sit, neque dignam habuerit quam in matrimonium duceret, sed solummodo consobrinus sit, licebit filium suum contra omne jus et fas in ejus bona immittere? et hæc ei acta rata et legitima erunt? Eccui vestrum

omnium istæc probabuntur? Ego equidem hoc certissime teneo neque Xenænetum neque alium quenquam docere posse hereditatem hanc ad matrem meam nil quicquam pertinere, quam ei frater Demochares reliquit: quodsi tamen nihilominus contra audeant hiscere, jubete illos et legem illam edere secundum quam facta sit Aristarchi [junioris] adoptatio, et eum nominare qui adoptavit. Æquum enim id est. Atqui probe novi eos non facturos neque posse facere.

6. De his itaque, quod hereditas hæc matri meæ de jure competat et a principio inde ejus fuerit, et quod mater mea per summum nefas ejus usucapione ab his exclusa sit, arbitror me satis disputasse atque planam evictamque rem dedisse tum per ea quæ disputavi tum per affirmationes testium et denique per legum sanctiones. Verum hi ipsi [adversarii mei] sibi conscii sunt a se bona hæc per nefas teneri, et injustitia ipsis sua tam est liquida et perspicua ut, tutum non arbitrantes se solo illo niti argumento quod Aristarchus legitime adoptatus sit, etiam adhuc aliud sibi præsidium circumspiciant, patrem scilicet aiunt suum hujus hereditatis ergo mulctam in foro irrogatam de peculio suo dependisse; quo perfugio hoc nempe quærunt ut, si satis firmum præsidium in adoptatione Aristarchi minus sit neque hactenus videantur bona nostra jure optimo tenere, saltim tamen ex altero illo titulo æris depensi jus aliquale hereditatem illam pro arrha quasi retinendi ipsis accessisse videatur. Ego vero, judices, etiam hoc eos mentiri, planum vobis faciam. Nam si sors hæc ære alieno oppressa fuisset, quam aiunt fuisse, non hi profecto pro illa sorte luissent de suo — neque enim competebat hoc ipsis, sed illis quibus jus et potestas erat matrem meam, ut virginem heredem factam, sibi in matrimonium deposcendi, ejusque adjudicationem a judicibus impetrandi; hos oportebat de alieno ære reluendo providere —, neque profecto Aristarchum in ejusmodi sortem obæratam immisissent, a qua emolumentum quidem ablaturi erant nullum, damna autem ingentia. Alii quidem, quibus res domestica pessum ierit, operam dant ut liberi sui alienas in domos emancipentur, ut exsortes infamiæ fiant ejus qua patres perculsi fuissent: hi autem, scilicet, in substantiam obæratam ultro semet ingerunt, ut non solum alienis debitis satisfaciant, sed etiam bona ipsi sua perdant. Alia omnia. Nolite credere, judices. Nugæ hæ sunt et præstigiæ. Sors hæc æris alieni erat exsors et soli matri meæ de jure competebat: hi autem, a cupiditate sua stimulati nummos et opes coacervare gestiente, hæc omnia sibi commenti et machinati sunt quo matrem meam jure bonisque suis defraudarent.

7. Erit forsitan in numero vestro, judices, qui miretur, cur bonis nostris per tam longinquum temporis spatium exclusi tacuerimus et nunc demum ea postulatum veniamus. Ego vero æquum haud censeo esse nos ideo causa cadere aut jura nobis nostra imminui,

quod ea exsequi ad hoc diei aut non potuerimus aut insuper habuerimus — non enim hoc in censum venit, quam diu passus sis jura tua interquiescere, sed hoc agitur, æquum ne sit id quod tu postules necne —: verum enim vero, ne hujus quidem cessationis causa nobis deest, sed habemus allegare idoneam. Pater nempe meus ea lege sibi desponderi matrem meam passus fuerat, ut contentus esset dote illi addenda, ipsam hereditatem ne peteret; sed illam ipsam dotem nullo pacto poterat ab illis redigere, qui hereditatis hujus emolumenta percipiebant: quamvis enim mater eum sæpius stimularet ut ab iis repetitum iret, hi tamen, quoties pater hujus rei mentionem ad se faceret, minabantur se uxorem ipsius ut filiam heredem in jure sibi esse postulaturos, si nollet eam sub conditione dotis habere. Pater itaque, ne matre privaretur, sivit eos bonorum usum fructum percipere, etiam si duplo ampliora fuissent. Hanc ob causam pater tam diu cessavit uxoris jura in foro prosequi: postmodum intervenit bellum Corinthiacum, in quo egoque paterque militavimus necessario; quo factum est ut utrique nostrum pœnas ab his meritas repetere negatum esset. Pace autem restituta hoc mihi contigit infortunium, ut ærarius fierem reipublicæ; quapropter cum his in jure agere non licebat. Habuimus itaque, ut nunc videtis, causas nostræ cessationis legitimas. Nunc autem tandem aliquando justum et opportunum est hunc [Xenænetum] dicere, quisnam ei hanc hereditatem legarit, et quarum legum ex auctoritate in collegium phratorum [Aristarchi] inductus sit, et cur mater mea non fuerit filia a patre cum hereditate relicta. Hæc enim sunt illa capita de quibus vos oportet, judices, pronuntiare, non tempore moveri, si forte nos aliquanto serius jura nostra exsequimur. Sin autem ad illa tria capita, in quibus controversiæ cardo vertitur, respondere, et, quæ demonstrari postulo, ea demonstrata dare nequeant, jure merito vos pronuntietis, judices, hereditatem nostram esse.

8. Probe autem novi, quæ postulo, ea præstare negatum his esse; difficile enim est legum edictis et æquo juri repugnare: at verba de defuncto [Aristarcho juniore] facient, oratione ad ciendam composita miserationem, quam fortis vir et quam in bello acer et strenuus occubuerit, et quam sit æquum ab eo per testamentum constituta rata et firma esse. Ego vero, judices, tum ipsemet aio testamentum esse debere ratum et validum illud, quo quis de bonis suis constituerit; tum rursus nego debere illorum haberi rationem testamentorum, quibus aliena bona dilargiri qui scribant præsumant. Nego huic testamentorum generi perinde vim ullam atque auctoritatem esse, atque est alteri illi priori generi. Jam hæc hereditas de qua nunc agitur, ut nunc paret, non horum, sed nostra est. Quod si ergo ad hanc latebram excusationis receptum habuerit [Xenænetus] testiumque auctoritate planum faciat Aristarchum testamentum re-

liquisse quo ipse sit heres bonorum Aristarchi [senioris] scriptus, jubete eum docere Aristarcho disponendi potestatem fuisse eumque de bonis quæ ipsius propria et legitime parta essent disposuisse. Id enim justum et æquum est. Grave enim foret neque ferendum, si Cyronides et hi ex eo nati non solum Xenæneti [senioris] domum habeant [h. e. substantiam] quatuor talentis et ultra æstimatam, sed hanc Aristarchi quoque ceu mantissam aufferant: ego vero matris meæ hereditatem adire prohibear, quam in hereditatem matri meæ jus est optimum atque luculentissimum quippe quæ sit ab eodem patre oriunda unde sunt Cyronides et ab eo nati, præsertim cum docere hi nequeant, a quonam acceperint istæc quæ tam diu usurpant bona. Atqui, judices, quemadmodum par est orta de fundis controversia possessorem illorum fundorum demonstrare sive eum a quo illos oppigneratos habeat sive eum a quo emerit, aut, alterutrum ni fecerit, pati fundos judicum sententia sibi abjudicari et causa se cadere, ita hos quoque decebat ex aliquo horum titulorum istæc bona sibi a judicibus adjudicanda curare, non autem indicta causa et nondum adeo in forum delata filiam Aristarchi, quæ mea mater est, e bonis paternis expellere. Verumenimvero Xenæneto satis non est, judices, Aristomenis substantiam scelerata prodigalitate in nefandos puerorum amores exhausisse, verum hanc quoque Aristarchi substantiam ut pari cum dedecore prodigat se decere censet. Ego vero, judices, honeste nunquam non pudiceque atque frugaliter vixi, ex angusta re familiari sorores tamen elocavi cum dotibus quas eis addere facultates sinebant, modestum atque temperantem me semper exhibui, imperata exsequor, in castris stipendia facio; quorum in compensationem, ut civis frugi atque probabilis, postulo vos hoc mihi jus concedere, ut matris meæ substantiam mihi per vim et nefas eripi ne sinatis. Demonstravi enim Cyronidem, qui horum [adversariorum meorum] pater est, ex Aristarchi patris sui domo fuisse emancipatum in eamque non redisse, tum demonstravi patrem Cyronidis atque matris meæ hereditatem suam alteri filio Demochari reliquisse, illoque Demochare sine prole defuncto hereditatem ejus ad sororem, quæ est mea mater, jure optimo fuisse devolutam.

ISÆI

DE HAGNIÆ HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Hagnias quidam affines multos habebat, Theopompum et fratrem ejus Stratoclem et Stratium et Eubulidem, hic jam moriturus sibi filiam adoptavit, in testamento mandans, si quid humanitus filiæ accideret, ut hereditas ad Glauconem, fratrem suum ex matre transiret. Postea eo mortuo, filia postquam hereditatem accepisset, obiit. Mortuo et Eubulide, ejusdem Eubulidis filia jure cum Glaucone certans facultatibus potita est. Postea mortuo Stratocle et Stratio solus Theopompus cum illa litem egit, et hereditatem consecutus est. Cum illo Stratoclis fratris filius litem habuit, cum eo vicissim cujusdam tutoris filius, dicens hereditatem æqualiter dividi inter Theopompum et filium fratris ejus convenire. Status causæ negotialis.

1. Leges ideo recitavi, judices, quoniam [adversarius] per primam earum asseverat puero [Stratoclis filio] semissem bonorum ab Hagnia relictorum competere, in quo veritatem haud habet sibi consentientem. Hagnias enim frater nobis non erat; lex autem illa, quæ de bonis a fratre relictis constituit, primum illis fratribus atque fratrum liberis adjudicat bona, qui fratres ab eodem patre procreati sint atque defunctus: hic enim primus est atque proximus consanguinitatis a defuncto gradus. Sin autem neque fratres adsint neque fratrum liberi, lex sorores eas earumque liberos ad hereditatem adeundam arcessit, quibus sororibus idem pater cum defuncto fuerit communis. Deficientibus his quoque, tum demum lex tertio gradui consanguinitatis tribuit proximitatem [h. e. jus in jura et bona defuncti ex titulo consanguinitatis succedendi], consobrinis puta ex parte patris [h. e. liberis eorum patrum, qui patres fuerint fratres illius patris, a quo procreatus fuit defunctus, cujus hereditas vacuata est] et horum consobrinorum liberis, non ulterius. Sin autem hic quoque gradus consanguinitatis defecerint, rursus redit legislator ad principium generis, et arbitros bonorum relictorum facit defuncti consobrinos a parte materna, eodem ordine quem modo in consanguineis paternis recensui, ut scilicet heredes defuncti fiant fratres cum liberis, tum sorores cum liberis, qui fratres et quæ sorores eadem quidem matre verum diverso patre fuissent usi usæve, et tandem si qui et si quæ supersint ejusmodi matris fratresve sororesve aut eorum earumve liberi. Propinquitates hasce solas dat legislator [h. e. admittit

ratasque vult esse], verbis ille quidem utens brevioribus atque rotundioribus quam ego; verum id, quod dico, voluit. Puero autem huic ex horum omnium quos commemoravi titulorum nullo est cum Hagnia propinquitas, sed est extra ejus cognationem. Quo autem certius atque liquidius intelligatis eam rem de qua judicium estis laturi, dicito hic [adversarius meus] omissis omnibus verborum ambagibus quodnam nomen eorum omnium nominum quæ commemoravi paulo ante huic puero conveniat, quo deprehendatur cum defuncto, unde hereditas profecta est, conjunctus in sanguine esse: quod si vel ex uno quopiam horum titulorum appareat defunctum ab hoc puero contingi, lubens ego ipsi de semisse hereditatis decedam. Sin autem prorsus nullum allegare poterit, ecqui non teneatur convictus hoc agi, ut commentitiis causationibus me vexet atque exagitet, vos autem, quæ est a legibus abhorrens audacia, decipiat? Jubebo igitur eum hoc in tribunal adscendere atque sic interrogabo, formula legis ante prælecta: hoc enim pacto intelligetis optime, num puero huic ulla pars hereditatis ab Hagnia relictæ ullo titulo competat, nec ne. Cape tu itaque [scriba] has leges, quas illis [judicibus] prælegas: tu autem [qui adversus me certas] huc ad respondendum mihi adscende; nam linguæ volubilitate polles cavillationumque atque conclusiuncularum tuarum ludibriis perturbare atque perplexas reddere mentes hominum legumque depravare sententiam nosti.

LEGES.

Insiste. Ego vero te [mi adversari] interrogabo. Puer hic estne frater Hagniæ? an est e fratre nepos? aut ex sorore nepos? aut consobrinus sive ex parte materna sive ex paterna? Quodnam huic nomen unum competit eorum nominum omnium, quibus lex propinquitatem attribuit? Nolim id a te mihi objectari, puerum hunc meum esse nepotem e sorore. Nunc enim non de mea agitur hereditate, qui adhucdum in vivis supersum. Sin autem ego decessissem, atque hic puer, partem bonorum meorum in jure petens, interrogaretur cujas esset, tum conveniret eum respondere se meum e sorore nepotem esse. Jam vero ais puero semissem hereditatis Hagniæ competere: atqui hoc aiens debes indicare quo gradu cognationis hic illum contingat. Nomen, amabo, his [judicibus] eloquere.

2. Percipitis vocem adversarii esse de cognatione mutam, qui alia omnia potius respondet quam id quod interrogatur et quod vos docendi estis. Atqui cui causa justa et æqua cœpta sunt, eum haud convenit hæsitare, sed statim sine cunctatione expedite proloqui, neque hoc solummodo, sed etiam jurejurando affirmare generisque a se editi testimonia præstare, quo certiorem ei fidem adhi-

beatis. Jam vero, quibus in rebus interrogatus haud respondit, testes nullos produxit, jusjurandum non dixit, legem nullam allegavit, in iis sperat vos fidem sibi habituros aienti quæ vult, vos qui jurejurando spoponderitis e præcepto legum sententiam vos dicturos, et sic e titulo εἰσαγγελίας hujus qua me denunciavit me condemnaturos: tam impurus tam flagitiosus et impudens homo est. Ego contra ita me ut ille non geram, sed et cujas sim edam et quo titulo mihi hereditas competat, et planum faciam non hunc solummodo puerum, sed universe quicunque alii hac de hereditate contenderunt, eos extra propinquitatem cum Hagnia esse, ut vobis ipsis confitendum sit me vera disputare. Verum ordinem rei gestæ a principio inde necesse est me enarrare; unde intelligetis et meam cum Hagnia propinquitatem et his nullum esse jus hujus hereditatis petendæ.

3. Ego enim et Hagnias, judices, et Stratocles et Stratius, qui Stratius avunculus Hagniæ est, e consobrinis nati sumus: nam patres nostri erant consobrini et patres eorum fuerant fratres. Hagnias igitur, in procinctu stans cum nave ad legationem proficiscendi ejusmodi in causa unde reip. emolumentum sperabatur, non nobis genere proximis bona sua, si quid ei secius contingeret, reliquit, sed pro filia sibi adoptabat sororis suæ filiam; sin autem illa quoque a sinistro fato tolleretur, Glauconi bona sua delegabat, qui frater ei erat uterinus: et hæc in tabulis a se conscriptis ita constituebat. Tempore interjecto post vita excedit Eubulides, nec non puella ab Hagnia in filiæ locum adoptata; et sic e præscripto testamenti hereditatem adibat Glauco. Nos vero nondum censebamus adversus illud testamentum nobis esse super illa hereditate contendendum, sed putabamus testatoris voluntatem debere ratam esse. Constitutioni ejus itaque inhæsimus atque acquievimus. Eubulidis autem filia una cum aliis causam cum ea communem facientibus hereditatem a judicibus petit, atque auffert victis illis qui eam ex jure testamenti petierant, quanquam extra propinquitatem erat; verum sperabat illa—ut videtur—nos secum litem haud esse exorsuros, qui adversus testamentum nil essemus moliti. Nos autem, ego et Stratius et Stratocles, quia semel patefactus erat nunc locus proximis propinquis super hereditate in jure contendendi, parabamus nos omnes ad petendum: priusquam vero sortitiones fierent, moriebantur Stratius et Stratocles, et sic relinquebar ego solus superstes e gente consobrinorum Hagniæ a parte paterna; nam avus meus paternus frater fuerat patris Hagniæ, et sic soli mihi facta est legitima hujus hereditatis petitio, cæteris omnibus, quibus ex titulo consanguinitatis par erat jus petendi, vita defunctis. Quod autem mihi quidem titulus ἀγχιστείας seu propinquitatis et per illum titulum jus hereditatem petendi competat, minus autem

filiis illorum quos supra dicebam, competere mecum decreto, a morte præventos esse, quibus in filiis hic quoque puer est, quis docebit? Ipsa lex nempe. Apud omnes enim in confesso quidem est consobrinis et horum filiis, qua in classe ego sum, titulum ἀγχιστείας competere; num autem hunc eundem titulum jus civile secundum nos nostris quoque liberis tribuat, hoc jam est quærendum. Cape tu legem hanc et recita ipsis.

LEX.

Sin autem a parte patris nemo sit usque ad consobrinorum filios, bonorum arbitri sunto propinqui a parte matris eodem ordine.

Auditis, viri, legem sic pronuntiantem, si hereditas alicujus ad consobrinos ejus eorumque filios processerit, tum eam non ulterius ad horum quoque filios procedere, sed legem tum, cum nos consobrinorum paternorum filii desierimus esse, hereditatem defuncti propinquis a parte matris reddere, h. e. fratribus et sororibus defuncti et horum liberis et reliquis, prorsus eodem ordine atque modo dixi in propinquis a parte patris: nostros autem liberos lex a titulo propinquitatis excludit. Quibus autem lex post ipsum adeo decessum meum tamen hereditatis jus denegat, quo pacto hi me adhuc superstite et ex auctoritate legum hereditatem tenente sperant titulum propinquitatis sibi fore? Atqui si jus iis nullum est, quorum patres mecum jure pares erant, ne huic quidem puero pari modo jus ullum esse potest; cujus pater, dum viveret, in gradibus consanguinitatis eundem locum tenebat quem ego nunc teneo. Gravis itaque res est nec ferenda, quanquam leges verbis tam disertis hereditatem mihi addixerint, hos autem propinquitate excluserint, hunc tamen nihilominus audere criminationibus iniquis et ementitis quadruplatorum more me vexare. Causam hujus hereditatis me sortiente, necesse non ducebat jure mecum experiri, neque sacramentum propterea deponere, ubi debebat disceptari si quam habuisset æquam et veram prætensionem proferre; nunc autem, nomine hujus pueri abusus, negotia mihi molesta facessit rerumque mihi carissimarum atque summarum in discrimen me adducit: et de bonis quidem pueri, quæ ejus esse inter omnes constat, nil me incusant, eorumque partem ullam me intervertisse negant—quæ si ego cupide turpiterque administrassem, ut hic fecit, oportebat me ideo in jus vocari—, quæ autem vos, data volenti cuique facultate petendi atque super iis mecum certandi, mea esse pronunciavistis, ob hæc tanta mihi consciscunt pericula! tam sunt impudentes! hoccine parum acerbum sit parumque indignum!

4. Quæ adhuc disputavi, satis quidem vobis jam constare ex iis censeo neque puerum ulla mea injuria læsum esse et ne minima

quidem ex parte criminationibus his me obnoxium esse quibus me obrutum eunt: certius tamen adhuc atque subtilius e reliquis quæ mihi dicenda supersunt intelligetis, ni fallor, ubi audire juverit, quomodo facta sit mea hujus hereditatis petitio eamque insecuta adjudicatio. Actionem hereditatis sortito me, judices, neque hic qui contra me nunc denuntiavit autumabat fas esse pro puero adversus me sacramentum deponere, neque Stratii liberi qui cum puero eodem gradu cognati sunt, neque ex titulo consanguinitatis neque ex titulo legationis testamentariæ, neque ulla alia de causa animum induxerunt mecum contendere, existimantes id sibi nefas esse: ne hic ipse quidem meus adversarius fecisset neque negotia mihi facessisset, si eum sissem bona pueri pro lubitu diripere neque me cupiditati atque rapacitati ejus opposuissem. Hi ergo, id quod occipiebam dicere, bene gnari extra propinquitatem se esse, nullam mihi moverunt hereditatis controversiam, sed quieverunt: qui autem causam filiæ Eubulidis agitabant, quæ filia Hagniam eodem cognationis gradu attingit, atque Stratii filius, nec non curatores matris Hagniæ parati erant mecum contendere. Verum in tantas incurrebant difficultates atque perplexitates, ut dubitarent quid in libello suo petitorio de propinquitate sua cum defuncto commemorarent. Mulier quidem de facto sortem nunc possidens, Eubulidis filia, ejusque patroni ad mendacium receptum habebant et de cognatione ejus falsa prodebant, ego vero facili negotio mendacium eorum refellebam: Hagniæ quidem mater eodem gradu cum eo cognata erat atque ego sum — est enim soror Stratii —, verum quia per legem ab adeunda filii hereditate excluditur, quæ lex præcipit, duo si sint, mas et fœmina, eadem de hereditate secum contendentes, eundem defunctum pari gradu cognationis attingentes, potiorem esse debere conditionem maris; hujus itaque fœminæ, matris Hagniæ, causam agentes, hunc urgere articulum de propinquitate cum Hagnia nil curabant, at hoc urgebant matrem defuncti esse. Est quidem utique, naturam rei si spectes, matris cum filio cognatio cognationum omnium arctissima; verum illius cognationis in gradibus consanguinitatis a lege constitutis nulla habetur ratio, de quo inter omnes constat. Deinde ego, cum eas in tabulas inferri filias consobrini curassem, docui quidem illas fœminas extra propinquitatem esse. Ad hunc modum, judices, hereditatem Hagniæ adeptus sum mihi adjudicatam, neque profuit illis quicquam, non alteri illi, quæ hereditatem jam possessum ierat et in usucapione habebat, hoc, quod eos qui hereditatem ex titulo testamenti petissent vicisset, neque huic alteri istud, quod mater esset ejus a quo relicta fuisset hereditas hæc in controversiam adducta; sed, qui tum sedebant judices, hi tanti faciebant jus æquum et jusjurandum a se dictum, ut litem secundum me darent qui hereditatem hanc titulo

juris a legibus constituti petissem. Atqui ego si has quidem mulieres [Eupolidis filiam et Hagniæ matrem] illo quo dixi modo in judicio vici, eo quod planum feci, secundum forensem, in judiciis obtinentem propinquitatem, necessitudinem ipsis cum Hagnia nullam intercedere, et hic [meus adversarius] si ausus tum non fuit pro hoc puero semissem hereditatis petere, atque Stratii liberi, qui in eodem sunt cum hoc puero gradu et juris et consanguinitatis cum Hagnia, si ad hoc diei ausi non sunt mecum hac de hereditate contendere, egoque ipse hanc hereditatem si teneo a vobis mihi legitime adjudicatam, et hunc si coarguo planumque facio non potuisse ad hoc diei demonstratum dare puero cum Hagnia cognationem esse, ecquid adhuc vos oportet discere? ecquid adhuc aliud hac de re cupitis audire? Nam ego equidem viros sapientes vos habeo, quibus a me disputata satis et super esse possint.

5. Hic autem [adversarius meus] facillime quicquid in buccam venerit nulla non de causa mentiens, nullumque sibi damnum ex improbitate sua sperans exstiturum, tum alia in me probra atque crimina conjectat, de quibus fortassean postmodum mentionem faciam, tum hoc quoque jactat, Stratoclem et me collatis inter nos clandestinis consultationibus de dividunda inter nos hereditate, uter nostrum tandem causam victurus esset, depectos fuisse, cum in eo essemus ut actiones has de hereditate sortiremur. Atqui si quibus aliis licuit hac de hereditate certamen inter se compromittere, nobis solis id non licuit. Nam Eubulidis quidem filia et Hagniæ mater, quod inter se non ex eodem juris titulo certarent, poterant illæ quidem secum decidere atque clanculum depecisci, utra vinceret, ut alteram victam in portionem hereditatis venire sineret: cadiscus enim [seu urnula] earum unicuique sua seorsim ponenda erat. Nostra autem non eadem erat conditio; contendebamus enim ambo nos ex eodem titulo cognationis, verum unusquisque nostrum seorsim pro se singulari actione semissem hereditatis petebat. Petentibus autem idem et ex eodem titulo una solummodo ponitur urna, et tum non potest alter vincere, alter vinci, sed ambobus idem imminet periculum. Quapropter negatum nobis erat inter nos depecisci aut communionem partitionemve inter nos constituere hujus hereditatis. Verum quia Stratocles vita prius decessit quam nostrum unusquisque suam seorsim actionem de semisse hereditatis sortiretur, eoque pacto interempta Stratocli erat ejus participatio parique modo filio isti per legem, sed hereditas ex asse ex titulo propinquitatis ad unum me, si vicissem possessores, deventura erat, tum demum [adversarius meus] ista sibi comminiscitur et machinatur, sperans facile sibi futurum ut ejusmodi commentis vos decipiat. Nihil autem horum fieri potuisse, sed unumquodque momentum causarum ad hereditates pertinentium a legibus distincte subtiliter-

que definitum esse, facile id est e legibus cognoscere. Cape tu istoc, et recita ipsis.

LEX.

Videturne vobis lex facultatem dare communionis [vel partitionis inter duas partes de hereditate litigantes clam condicendæ]? annon potius e contrario, etiamsi antea fuisset communio, edicit unumquemque suam portionem petere et eadem de re eodemque ex titulo litigantibus unum poni cadiscum et ad hunc modum facere adjudicationem hereditatum? Et nihilominus tamen hic [adversarius], tametsi leges hæc edicant et tametsi communicatio [inter me et Stratoclem] locum habere nullum potuerit, ausus tamen est tam temere mendacium tam pudendum comminisci.

6. Verum non hoc solum ausus est, verum etiam res jactare eum nil puduit inter se repugnantissimas. Attendite modo, judices, animum. Pollicitum me ait esse puero, tenentes hereditatem si vicero, semissem ejus me ipsi impertiturum esse. Atqui si puero jus hereditatis erat — id quod hi aiunt esse — ex titulo cognationis, quid opus erat ut hanc a me sponsionem exigeret? Nam vera si sunt ea quæ prætendunt, erat ipsi quoque jus non deterius atque mihi est hereditatem in jure petendi. Sin autem a propinquitate ejusque juribus exclusi prorsus erant, eccur ego reciperem illis partem hereditatis impertiturum, legibus mihi soli hereditatem ex asse addicentibus? At eratne forsitan mihi negatum, nisi hos mihi conciliassem, hereditatem petere? Atqui lex volenti cuique veniam ejus rei dat; quapropter hac quidem uti causatione illis non licet. At erat forsitan penes illos aliquod documentum aut testimonium, quo carens ego adjudicationem hereditatis adipisci non poteram? Atqui ex titulo cognationis petebam, non ex titulo legationis testamentariæ. Quo ergo testes?

7. Atqui si, donec superfuit Stratocles, mihi non licuit clandestinum de partiendis bonis pactum inire, neque pater ipsi [puero Stratoclis filio] horum [controversorum Hagniæ bonorum] quicquam reliquit, sententia judicum sibi adjudicatum adeptus, neque probabile est me pollicitum ipsi [puero] esse quicquam de restituenda semisse hereditatis, adjudicate denuo vos mihi hanc hereditatem. Sin autem neque sortiti sunt de iisdem actionem in me neque æquum judicarunt esse mecum certare, qui par sit vos horum prædicationibus fidem habere? Ego equidem arbitror par id non esse. Jam vos merito miremini, cur illo tempore hi de semisse hereditatis certare omiserint. Cui dubitationi vestræ quo occurrat hic, comminiscitur, quominus actionem in istos [reliquos cognatos Hagniæ] ipsi instituissent, in causa me fuisse qui de reddenda semisse spopondissem, et propterea se sacramentum non deposuisse; quo minus autem ipsi me actione persequerentur leges intercessisse, per quas pupillis haud liceat actiones forenses in suos tutores intentare: verumenimvero vel hoc quoque veritati parum est consentaneum. Neque enim legem habeat ullam proferre, quæ vetet ipsum pro pupillo mecum in jure agere pœnasque injuriarum factarum si quæ factæ fuissent repetere; nulla enim est hujusmodi lex quæ id agere volenti obstet, sed ut lex in me, si pupillum lædam cujus tutor sim, majestatis actionem dat, ita multo magis vult locum esse privatis quoque inter me pupillumque actionibus: neque rursus verum hoc est quod aiunt, a contentione cum illis quibus hereditas competit ideo se destitisse, quod ego ipsis promisissem me semissem hereditatis cum ipsis communicaturum; non hæc est vera causa, sed quod conscii sibi erant jus in hæc bona sibi nullum esse. Verumenimvero, si vel maxime veniam huic puero dedissem hereditatis semissem a me in jure petendi, atque, ubi eam a judicibus sibi adjudicatam impetrasset, exigendi, certus tamen sum eos nunquam passuros fuisse id in animum sibi venire ut facerent: profecto ne conati quidem essent, bene gnari, si tenerent aliquam solummodo partem bonorum ad se nil attinentium cum essent extra propinquitatem, proximos cognatos cito illam partem rursus ereptum ituros facilique negotio erepturos esse. Nam, id quod iterum atque iterum dico, lex liberis nostris post excessum nostrum propinquitatis titulum non amplius facit reliquum, sed adimit, eumque protinus ad consanguineos a parte matris transfert. Veniet itaque istæc ab eo repetitum, hinc Glauco Hagniæ frater — adversus quem non solummodo meliorem cognationis titulum allegare non possent, sed ne ullum quidem, quippe qui extra propinquitatem sint —, illinc mater Hagniæ Glauconique communis, si vellet, quippe cui ipsi quoque titulus cognationis cum filio suo competit; quo futurum esset ut, si mater contentionem cum iis iniret qui Hagniam cognatione prorsus nulla attingunt, semissem ea sit vobis, judices, procul omni dubio ablatura, quippe quam ei et leges et ipsa dat æquitas. Has igitur ob causas actionem in me sortitus tum non fuit [adversarius], non autem [ut nunc præ se fert] ideo quod esset a me aut a legibus impeditus, sed per hos prætextus quos ipse sibi commentus est, ad has quas in me jactat nefarias criminationes grassatur, quibus accusationem majestatis inædificavit, per quam me sperat a se apud vos in invidiam atque suspicionem adductum eoque a tutela pueri depulsum iri. Quo facto bona pueri sperat in potestatem suam perventura, videturque sibi per has machinationes viri imprimis callidi partes acturus: nam, si conatus minus prospere succedat, se nil utique perditurum autumat; sin autem ex animi sui sententia rem gerat, sibi licitum fore pupilli quoque bona impune dissipare.

8. Quare vos decet, judices, ad hujus hominis causationes haud attendere, neque committere ut hic mos in republica gliscat atque invalescat, quibus de rebus leges judicia privata constituunt, eas res ad causas capitales pertrahendi. Simplex omnino jus notumque omnibus in hac causa constitutum est; quod ubi ego vobis ad mentem tribus verbis revocavero vestræque memoriæ tanquam fidecommissum sancte servandum demandavero, ad refutanda quæ supersunt reliqua meæ accusationis capita progrediar. Ecquod igitur illud est, quod dico, jus? et quanam ego distinctione rem hanc definio? Pupillo si ait [adversarius] competere jus ad hereditatem Hagniæ ex titulo propinquitatis, semissem ab archonte petito; quam si vos ei, judices, sententia vestra addixeritis, capito, habeto: sic enim fieri leges præcipiunt. Sin autem ex hoc titulo petere recusans, asseverabit me pupillo partem dimidiam promisisse impertiendam, jure mecum experitor; quo facto, ubi me negantem id a me promissum esse coarguerit, omnino me eam in formulam condixisse, tum demum semissem hereditatis a me condictam exigito: sic enim æquum et justum est. Sin autem pupillo negat actionem in me esse neque ex titulo hereditatis neque ex titulo male gestæ tutelæ, legem indicato id vetantem, et indicare si habuerit, etiam hoc pacto licebit semissem hereditatis a me ut aufferat. Sin autem pupillum decere negabit ut sive hereditatis semissem in jure petat sive privata lite mecum de non servato promisso contendat, sed aiet universa Hagniæ bona ipsius de jure esse, adito ad archontem eique auctor esto ut bona Hagniæ in indicem bonorum hujus pueri inferat, eique elocet qui bona pueri mercede conducta habet, tum ad me hic conductor locaris aufferendi causa venito. Plana hæc sunt et luculenta postulata, cum æquissimo jure consentientia valideque stringentia. Hæc a legibus imperantur, neutiquam autem, ita medius fidius, quibus de rebus actiones privatas esse legislator voluit, eas publicis commutare, neque me majestatis accusare neque in discrimen capitis et fortunarum omnium deducere, ideo quod pupillo huic ea nolo impertire, quæ ego a vobis, judices, adjudicata mihi possideo, posteaquam priores possessores causa vici: bonorum pupilli si quid ego haberem atque retinerem quod ejus esse constaret inter omnes idque male administrarem, ita ut fortunæ ejus deteriorem in locum deducerentur, tum opportunum et æquum fuisset hanc majestatis causam mihi intentari, non autem profecto, si mea mihi servo.

9. Adversarium itaque neque hac in re juris æqui observantem fuisse neque in cæteris veritatis in prædicando, sed omnia cupiditate valde actum esse machinatum quo me apud vos in invidiam suspicionemque adduceret, pravamque ad sententiam leges detorsisse summumque per nefas studere meque vosque circumvenire, neminem

vestrum, ita me dii ament, arbitror esse qui ignoret, sed perinde nostis omnes; quapropter causæ nil video cur his de rebus plura disputem. Sed video eum [adversarium] orationem plurimam in rationibus substantiæ tum ejus quæ pupillo est tum alterius quæ mihi exponendis consumere, et pupillum quidem plane nudum fortunis omnibus oratione facere et ad incitas redactum, mihi autem copias nescio quam ingentes verbis adstruere, animumque affingere tam degenerem tam sordidum tam flagitiosum denique atrumque, ut Stratoclis filiarum, quæ numero sunt quatuor, nulli dotem quocunque pacto contribuam, quamvis bona fratris earum habeam mihique arrogaverim; id enim ille verbis tantummodo jactat. Consultum itaque duco a me hunc quoque nodum expediri. Sperat enim se his orationis præstigiis hoc consecuturum, ut sinistra de me opinione repleti animisque a me abalienati suspectum me vobis exosumque habeatis mihique invideatis ut homini præter meritum et per nefas bonis alienis saginato, liberorum Stratoclis autem miseratio vos incessat, si culpa mea egeni et mendici facti vobis videantur esse. Committendum itaque mihi non est ut vos hæc ignoretis, sed opera potius danda ut hæc quoque probe teneatis, quo certi sitis eum hæc quoque mentitum esse, pariter atque reliqua omnia mentitus est. Ego profecto, judices, haud recusem hominum omnium pessimus haberi, si, Stratocle in re domestica afflicta exstincto, ita me immemorem ejus itaque gererem inhumanum ut ipse copiis rerum omnium abundans liberos ejus egere rebus omnibus paterer pensique eos haud facerem. Sin autem Stratocles liberis facultates reliquit et ampliores quam sunt meæ et certiores, easque tantas ut et filiæ cum dote luculenta possint elocari, et filius cum iis, quæ ab elocatione sororum ipsi supersunt, nihilominus tamen in locupletibus haberi, egoque si bona illa sic administro ut multo etiam magis amplificentur, tum merito caream reprehensione, rem meam familiarem illorum rei adjicere nolens, et, quod rem illorum non tuear modo sed amplificem quoque accessionibus haud pœnitendis, ex eo vel lauder quoque merito. Rem autem ita se, ut aio, habere, facile demonstratu est.

10. Primum itaque ipsa de substantia Stratoclis exponam, tum quoque me recte postulare ut tutela pupilli penes me imposterum quoque maneat. Stratocli patrimonium erat perinde atque mihi est modicum ejusmodi ut munera quidem non edentibus sufficiat, edendis autem muniis nequaquam par sit. Documentum dabo: ambo nos cum uxore quisque sua vicenas minas tulimus in dotem, cujusmodi dos non facile in domum locupletem detur [sed duplo triplove et ultra major]. Sed contigit Stratocli ut patrimonio hereditatem duum talentorum cum semisse adjungeret. Theophon enim ejus uxoris frater moribundus ex ejus filiabus unam sibi pro filia

adoptabat, eique per testamentum donabat prædium Eleusine duo talenta valens, nec non sexaginta oves, centum capellas, supellectilem domesticam, equum splendidum cui insidens [Theophon] phylarchum [seu tribunum turmæ equestris] egerat, et omne reliquum instrumentum; quarum omnium rerum ille [Stratocles] potitus per novennium reliquit substantiam quinque talenta et semis valentem connumerato patrimonio, sed exclusa hereditate illa quam Theophon ipsius filiæ donaverat: reliquit enim Stratocles prædium Thriasium duo talenta cum dimidio valens, domum [in vico] Melite triginta minis emptam, aliam Eleusine quinque minis emptam. Bona hæc sunt immobilia a Stratocle relicta, quorum annua vectigalia hæc sunt: prædii minæ denæ binæ, domuum autem ternæ, in summa denæ quinæ in annum minæ; pecuniæ fœnori elocatæ quadraginta circiter minæ, quarum quæstus annuus septingentæ sunt atque viginti drachmæ [mina quaque in mensem sesquidrachmam merente]. Quas 720. drachmas si addis illis superioribus 15. minis, habes minas quæstus annui 22. et super. Præterea reliquit supellectilem, oves, grana, vinum, fructus autumnales, quibus venditis redactum est ad quadraginta atque novem minas. Paratæ pecuniæ denique in arca depositæ novem minas. Adde ex eranis redacta debita, paulo minus quam decem minas, quas mater pupilli coram testibus confessa in tabulas curavit inferri. Mentionem faciens nullam eorum, quæ Stratocles reliquit quidem, hi vero [pupilli mater, et adversarius meus eorumque consortes] celant, tantum in propatulo posita commemoro et ea quæ hi ipsi confitentur. Cita tu mihi testes a me dictorum.

TESTES.

Erat itaque Stratocli substantia hæc quam dixi, et vel amplior quoque atque spissior: deinde vero nonnulla furto decerpta sunt, de quibus paulo post mentionem faciam. Mea vero res familiaris quantula est! Agellus in Œnea quinquaginta agellusque Prospaltius triginta et domus in urbe viginti minas valens, tum hereditas ab Hagnia mihi relicta duum admodum talentorum; neque enim norim unde majorem substantiam extuderit. Summa est tria talenta et quadraginta minæ, decem adeo et centum minis minor quam pupilli res familiaris est. Et in his ipsis complector adeo facultates filii emancipati; pupilli autem in bonis haud numero substantiam Theophontis, duo talenta cum dimidio valentem, quam Theophon pupilli sorori, suæ ex sorore nepti, a se pro filia adoptatæ legavit: nam, si bona Theophontis ad illa Stratoclis propria addantur, facile substantia corrotundetur octo talentorum, quæ istorum est; quanquam nonnullæ particulæ inde decerptæ sunt. Præterea sors quidem ab Hagnia mihi relicta certa et secura non est; actiones enim falsorum testium exhibitorum in me coortæ sunt, et lex quidem, si quis falsi dicti testimonii convictus fuerit, judices hac de causa de integro sortiri jubet: Stratocles autem filio, huic pupillo, bona sua certa et omnium confessione ipsi propria atque omni controversiæ exempta reliquit. Hæc autem, quæ mea esse dixi, quod mea sint, hilo non plura, et quod hoc ipso numero complexus ea sim, quæ mei filii, illius emancipati, propria sunt, et quod actiones de falsis exhibitis testibus super hac hereditate Hagniæ exspectem mihi occursuras, ut constet, cape tu hæc testimonia atque recita.

TESTIMONIA.

11. Videturne jam vobis substantiæ meæ conditio dissimillima conditioni substantiæ hujus pupilli esse? annon tanta inter nos est ratione sortium nostrarum discrepantia, ut sors mea ad sortem illius pæne nulla videatur esse? Verum haud decet vos hujus hominis orationi fidem adhibere, qui tametsi pupillo tam ampla res familiaris esset relicta, quo me tamen invisum redderet, ausus est tam enormia de me mendacia spargere; recensens tres hereditates quas me ait adeptum esse, neque verbis solummodo divitias exaggerans, quas oratione mihi ingerit, sed fraudis quoque me insimulans, ac si eas celem neque apud ærarium indicaverim, quo tributis vos defraudarem inde dependendis earumque fructum vos perciperetis quam minimum. Scilicet, qui vera et æqua quæ dicant non habent, hi necessario mendacia comminiscuntur, quo invidiam creent infamatis et hac arte adversarios evertant. Mihi vero vos omnes testes estis, Chæreleum et Macartatum, uxoris meæ fratres, non fuisse in numero civium sumptuosa munera sustinentium, sed eorum quibus res domi est angusta. Macartatus quidem, id quod vos omnes nostis, agello vendito triremem emit in eaque viris et armis instructa in Cretam evectus est: neque enim in occulto id agebatur, sed tam palam ut etiam locum daret mentioni ejus rei in concione factæ, verentibus quibusdam ne Lacedæmonii, illo auso pacem nuper factam prætendentes violatam esse, bellum denuo renovarent. Chæreleos autem agellum Prospaltium reliquit, qui si veneat, pluris certe quam triginta minis haud veneat. Agellum hunc qui relinquebat, ei contingebat ante Macartatum mori: Macartato autem fatale erat ut universa cum substantia sua, cum qua ex hoc portu solverat, periret; nam et triremem perdidit in bello et ipse periit. Agello itaque Prospaltio ad uxorem meam devoluto, quæ est Macartati et Chærelei soror, ab illa persuasus alterum filiorum Marcartato pro filio subrogavi, non quo muniis fungeremur, agello hoc ad facultates meas accedente, neque enim ideo minus fuissem muniis publicis functus, si filium Marcartato non subrogassem: non enim solum-

modo muniis fungebar, sed etiam in numero conferentium vobis omniaque imperata strenue facientium eram. Hic autem [adversarius meus] mei infamandi causa de me ita loquitur, ac si dives quidem at vobis tamen inutilis civis essem. Ego vero summam universæ causæ dicam, quæ vobis quoque videbitur æquissima esse. Commisceri meam substantiam cum substantia pupilli volo, quæcunque illa mea est sive ampla sive exigua, et sic ambabus unam in massam conglobatis unusquisque nostrum semissem capito, quo neuter altero plus habeat quam convenit. At certus sum eum hanc conditionem esse recusaturum.

DINARCHI

INTERPRETATIO LATINA.

DINARCHI

CONTRA DEMOSTHENEM.

1. Iste quidem magistratus vester, Athenienses, cum ipse capitis sese condemnarit si quicquam ab Harpalo accepisse convinceretur, adeo manifeste convictus est acceptorum ab iis munerum, quibus se hactenus adversari est professus: cum autem Stratocles multa verba fecerit et pleraque crimina jam occupata sint, ac senatus Areopagiticus ipsius indicii æquas et veras rationes attulerit, de iis vero quæ restabant Stratocles sit locutus et decreta jam quæ ad rem pertinebant recitarit, relinquitur nobis, Athenienses, tantam præsertim causam agentibus quanta nulla unquam oblata est reipublicæ, uti vos ex æquo omnes hortemur primum ut nobis reliquis veniam detis, si forte in quædam ab aliis allata in medium inciderimus — nec enim eo repetemus eadem uti vos obtundamus, sed ut ad majorem iracundiam concitemini —, deinde ne commune jus totius civitatis negligatis, nec salutem publicam cum rei eloquentia commutetis. Illud enim videtis, Athenienses, apud vos quidem de Demosthene fieri judicium, apud alios autem de vobis: qui observant quemadmodum patriæ commodis studeatis, atque utrum privatas istorum sordes et improbitatem in vos recipiatis, an vero mortalibus omnibus declaraturi sitis vestrum in eos odium qui largitionibus in reipublicæ fraudem corrumpuntur, neque vos inquisitionem istam senatui Areopagitico mandasse ut delatos absolveretis, sed ut, ejus indicio cognito, vos illos ut eorum facinora merentur ulcisceremini. Id igitur nunc vobis in manu est. Nam cum justum plebiscitum factum sit, omnesque cives investigare cupiant quinam oratores isti sint qui cum ignominia et periculo reipublicæ pecuniam ab Harpalo accipere non dubitarint, prætereaque tu ipse Demosthenes ac multi alii decreto hac de re inquiri jusseritis a senatu, instituto majorum, num qui aurum ab Harpalo acceperint, inquirit Senatus; neque vero is ex istis cohortationibus jus illud didicit, neque veritatem et fidem suam in tua causa perdere voluit, sed, ut et ipsi Areopagitæ dixerunt, eo quod senatus istorum vires ac tum verbis faciendis [tum rebus gerendis potentiam prospexit, neque committendum censuit, ut ullius contra se jaciendi maledicti metu patriæ

suæ ullum crimen aut periculum crearetur. Hæc cum populi judicio recte atque utiliter acta essent, nunc querelæ, provocationes atque calumniæ a Demosthene afferuntur, posteaquam indicatum est eum viginti auri talenta accepisse: is ergo senatus, cujus gravis est auctoritas in vere pervestigandis et recte dijudicandis cædibus consulto factis, qui potestatem habet tum de corpore et vita cujusque civis pronunciandi tum violenta morte peremptis opitulandi, eos autem qui aliquid interdictum legibus in urbe commiserunt vel ejiciendi vel capite plectendi, is ergo nunc indicio de pecunia contra Demosthenem facto jus suum atque auctoritatem amittet?

2. Quid ni? falso enim præjudicio senatus Demosthenem oppressit. Et quid addi queat ad istam impudentiam? Te scilicet ac Demadem mendacio oppressit? in quos, ut res declarat, nec vera dicere tutum est? qui prius multa publica negotia ei inquirenda mandastis factasque inquisitiones laudastis? et quos universa civitas cogere non potest ut ea quæ æqua sunt faciant, contra eos senatus falsum indicium fecit? O Jupiter. Cur ergo in concione capite dare pœnas non recusabas Demosthenes, si te senatus detulisset? Cur tu multos sustulisti indiciis senatus nitens? Quo se nunc populus convertat aut quibus inquisitionem obscurorum et magnorum facinorum mandet ad comperiendam veritatem? Nam id concilium, quod prius fide dignum habitum est, tu qui te popularem perhiberi postulas evertis, cujus fidei populus vitam civium commisit, cui rempublicam et libertatem sæpe custodiendam tradidit, quod tuum corpus ut se nunc conviciis incesseres scilicet defendit sæpe — ut tu ais — insidiis appetitum, quod arcana pacta conservat, in quibus sita est salus reipublicæ.

3. At jure hoc, jure quodammodo accidit concilio: nec enim dissimulabo sententiam meam. Decuit enim eos, aut prius de trecentis talentis a rege Persarum allatis inquirere, quemadmodum populus constituerat, ut tum ista bellua supplicio affecta, et iis qui pecuniam illam partiti erant cognitis, et proditione qua Thebanos iste perdidit in lucem prolata, isto populi duce liberati essemus pro merito mulctato: aut, si vos ista condonare Demostheni voluissetis quo multi in urbe exsisterent qui contra vos munera caperent, hanc indicatæ jam pecuniæ inquisitionem non suscipere, ut qui prius quibus animis essetis periculum fecissent; quippe cum indicio nunc adeo recte et juste contra istum et cæteros facto senatus Areopagiticus neque Demosthenis neque Demadis opes formidarit, sed majorem æquitatis et veritatis rationem habuerit, nihilominus Demosthenes circumeat et senatum insectans et semetipsum jactans iis verbis quibus fortasse apud vos statim utetur decipiendi gratia, cum dicet Se effecisse ut Thebani societatem vobiscum inirent. Non: sed id quod æque civitati utrique expediebat tu corrupisti, Demosthenes. Se omnes ad Chæroneam in aciem eduxisse. Non: sed solus illic acie excessisti. Se multas pro vobis legationes obiisse. Quibus elatus equidem nescio quid egisset aut quæ verba fecisset, si consilia ejus successum habuissent, qui ad tales calamitates et tanta mala conflanda totum orbem terrarum peragrarit; et tamen præmia sibi maxima decerni postulat, ut et in patriæ fraudem munera capiat et contra populum quidvis et dicat et faciat impune. Ac Timotheo quidem qui Peloponnesum classe circumvectus est quique Lacedæmonios navali ad Corcyram prælio superavit, qui Cononis filius fuit a quo Græcis libertas restituta est, a quo capta Samus, Methone, Pydna, Potidæa et præter has aliæ viginti urbes, nihil apud vos ista profuerunt, neque talia beneficia cum judicio tum constituto et jurejurando, quo dato suffragia ferebatis, commutastis, sed centum talentis mulctastis, quod ipse fatebatur se a Chiis et Rhodiis pecuniam accepisse: impurum autem istum Scytham — nec enim temperare mihi queo — quem non unus vir sed totus ex Areopago senatus facta inquisitione pecuniam contra vos habere indicavit, quem esse mercenarium et captatorem munerum contra rempublicam declaravit et harum rerum convicit, eum non ulciscemini? in eum exempla non edetis? quem non modo regium aurum accepisse constat, sed rempublicam esse depeculatum, et nunc ne ab Harpalo quidem allata pecunia abstinuisse. Enimvero quam meritorum Timothei partem constituunt Demosthenis legationes Thebis obitæ? aut quis non derideat vos qui audire ista non gravemini, si conferat eas actiones quibus iste gloriatur cum Timothei et Cononis beneficiis? Sed non decet cum quisquiliis istis eos comparari qui res pro vobis et republica nostra et majoribus dignas gesserunt. Quare senatusconsulto de Timotheo exhibito revertar ad orationem de isto institutam. Recita.

SENATUSCONSULTUM.

Talis fuit ille civis, Demosthenes, qui jure et veniam et gratiam invenisset a suis civibus, qui non dictis sed factis multa officia reipublicæ præstitit, qui idem semper institutum usque ad obitum tenuit, non ut tu crebris mutationibus cœlum terræ miscuit, neque tantas remunerationes a populo flagitavit ut superior esset legibus, neque postulavit ut qui jurarunt se ex legibus pronunciaturos pietate supersedendum esset, sed et condemnari voluit, si judicibus visum esset, qui non excusationes temporum attulit, neque aliud sensit aliud pro concione dixit.

4. Non occidetis, Athenienses, sceleratum istum hominem, qui præter alia multa et magna peccata etiam Thebanorum urbem everti passus est, cum a rege Persarum trecenta talenta ad eorum conser- 18

vationem accepisset? nam cum Arcades in Isthmum venissent atque Antipatri legatos re infecta dimisissent, et infelicium Thebanorum admisissent, qui mari ægre ad eos pervenerant, supplices et caduceos oleaginos — ut aiebant — gestantes, dicturi apud Arcades Thebanos non eo animo res novas moliri quod Græcorum amicitiam desertam vellent, aut Græcis adversaturi essent, sed quod Macedonum in suam urbem violentiam diutius tolerare non possent, neque perpeti servitutem, neque intueri contumelias quæ hominibus ingenuis factæ sunt. Quibus cum opem ferre Arcades parati essent, adductique essent misericordia malorum in quibus versabantur, ac declarassent se corporibus Alexandrum propter tempora sequi coactos, voluntatibus autem cum Thebanis et Græcorum libertate fuisse conjunctos, eorumque dux Astylus vænalis esset — ut et Stratocles narravit — et decem talenta postularet ob adducenda Thebanis auxilia, ac legati ad istum venissent, quem aurum regium habere scirent, et orarent atque obtestarentur ut pecuniam illam ad civitatis suæ salutem conferret, recusavit nefarius iste atque impius et sordidus de magna pecunia quam habebat decem tantum talenta dare, cum quidem videret tantam spem salutis Thebanorum affulgere, nec obstitit quo minus alii darent illud argentum — ut et Stratocles dixit — quo Arcadica expeditio domum reverteretur nec opem ferret Thebanis. Nunquid videtur vobis parvorum malorum ac vulgarium universæ Græciæ auctor exstitisse Demosthenes et ejus avaritia? num deberi ei venia a vobis his factis, ac non potius ultimum supplicium ob injurias tam recentes quam veteres illas? Audient judicium, Athenienses, hoc die a vobis factum: omnes homines spectabunt vos, judices, quo pacto tractaveritis hominem tam facinorosum. Vos estis qui ob delicta istius injuriis multo leviora magna supplicia nullis mitigati deprecationibus inflixeritis. Vos Menonem molitorem occidistis, quod ingenuum puerum Pelleneum in pistrino habuisset: vos Themistium Aphidnæum, quod initiis Eleusiniis Rhodiam citharistriam violasset, capite mulctastis: Euthymachum item, quod puellam Olynthiam prostituisset. Ob istum vero proditorem liberi et uxores Thebanorum in tabernacula barbarorum sunt distributæ, urbs finitima et fœderata e media Græcia est abrepta, aratur et conseritur urbs Thebanorum qui nobiscum una bellum Philippo intulerunt. Aratur, inquam, et conseritur; nec misertus, inquam, est impurus iste civitatis adeo miserabiliter pereuntis, in quam legatus a vobis missus est, cujus sacris et mensis sæpe interfuit, quam ipse ait sua opera sociam vobis esse factam. Verum ad quos rebus secundis sæpe est profectus, eos rebus adversis deseruit. Illi — ut seniores narrant — abrogata nostra libertate et Thrasybulo exsules colligente ad Phylem occupandam, quamvis Lacedæmonii rerum potirentur et quenquam Atheniensium

recipi vetarent aut dimitti, tamen adjutores populo fuerunt ad patriam recuperandam et sæpe recitatum apud vos decretum fecerunt, non esse connivendum si quis armatus regionem Atheniensium transiret: iste autem qui, ut mox gloriabitur, se communem præbet sociis nihil simile fecit, neque quicquam ejus pecuniæ quam ad illorum salutem procurandam acceperat amittere voluit. Quorum vos, judices, recordati, præsertim cum quæ mala proditionis sint in Olynthiorum et Thebanorum calamitatibus spectaveritis, vestræ incolumitati nunc ipsi recte consulite, ac largitionum contra patriam avidis e medio sublatis in vobis ipsis et diis immortalibus spem salutis collocate. Sola enim hac ratione, Athenienses, sola hac ratione alios etiam corrigetis, si principes improborum convictos ita punivertis ut eorum meretur improbitas. Nam si qui vulgares rei condemnentur, id nemo resciscit neque etiam scire avet quid eis acciderit: de illustribus autem omnes sciscitantur et laudant judices, ubi jus et æquum reorum gloriæ non condonarint. Recita decretum Thebanorum. Dic testimonia. Lege literas.

DECRETUM. TESTIMONIA. LITERÆ.

5. Mercenarius iste est, Athenienses, mercenarius iste est jam olim. Iste est qui legationem a Philippo proficiscentem ad nos Thebis vocarit, et primi belli deponendi auctor fuerit: iste cum Philocrate consilia contulit qui pacem decrevit cum Philippo faciendam, ob quam vos illum ejecistis, et bigas legatis conduxit qui cum Antipatro huc profecti erant, et excepit eos et Macedonibus assentandi consuetudinem primus in urbem introduxit. Ne absolvite, Athenienses, ne dimittite impunitum hominem cujus nomine urbis cæterorumque Græcorum clades sunt inscriptæ, palam convictum acceptorum contra rempublicam munerum, neque cum vos fortunæ benignitas in melius provehat, atque alteram patriæ pestem urbe ejecerit, istum autem vobis occidendum tradiderit, omnibus utilitatis rationibus adversamini, sed omen actionum urbis avertite, atque in istos duces eventus adversos convertite. Ad quod enim tempus reponetis istum, quo eum vobis usui futurum existimetis? Est ne vestrum aut circumstantis coronæ quisquam qui dicere possit, quæ iste vel privata vel publica negotia, ubi tractanda suscepit, non everterit? Nonne, iste Aristarchi domum ingressus, initis consiliis cum eo cui Nicodemi cædes — ut nostis omnes — crimini dabatur, Aristarchum maxima cum infamia urbe ejecit? Is igitur tali amico usus est Demosthene, ut existimet istius accessum non aliud fuisse quam malum quendam genium et ortarum calamitatum ducem atque auctorem. Nonne, cum populo suadere cœpit, quod utinam nunquam factum esset — nam privata ejus acta omittam: tempus enim prolixitatem orationis non patitur —, boni quidem ut

omnino dicam reipublicæ nihil contigit, in periculis vero et malis et ignominia tota Græcia, non tantum nostra urbs, versata est? et, cum plurimæ ei dum conciones habuit occasiones oblatæ fuerint, omnes nobis utiles occasiones neglexit? quibus porro temporibus bonus civis et reipublicæ studiosus aliquid gerendum suscepisset, iis tantum abfuit ut magistratus iste qui se mox vobis utilem fuisse dicet actionem aliquam proferret, ut eos etiam qui aliquid quod e re vestra esset gerebant sua fortuna oppleverit. Proficiscebatur Charidemus ad Persarum regem, cum quidem prodesse vobis non verbis sed re ipsa cuperet, et privato suo periculo vestram et reliquorum Græcorum salutem procuraret: cum autem iste in foro obambulans verba faceret seque rerum gerendarum socium adsciseeret; sic eas fortuna invertit ut contraria eorum quæ exspectabantur evenirent. Solvit hinc Ephialtes, ac oderat ille quidem istum, sed tamen actionum socium habere cogebatur: etiam hunc ademit fortuna reipublicæ. Euthydicus populi commodis inservire decreverat: huic se amicum esse Demosthenes professus est: is periit. Quæ cum vos videatis et sciatis multo melius quam ego, non consideratis, non cogitatis ipsi vobiscum, de præteritis futura conjectantes, nullum istius esse usum nisi ut inimicis adjumento sit ad aliquid aliud mali contra rempublicam comparandum quale illud fuit apud Capram, cum et Lacedæmonii omnes cum exercitu exissent, et Achæi atque Elei se cum eis conjunxissent, et decem M. peregrinorum militum in procinctu essent, et Alexander in India esse diceretur, et Græcia universa ob singularum urbium proditores iniquo animo rerum illarum statum patiens aliquod urgentium malorum remedium optaret. Quid tum postea? Iis temporibus Demosthenes quis fuit, consulendi decernendique auctoritate præditus qui statim dicet hunc statum odio esse dignum? nam omitto cætera discrimina. Numquid aliquid decrevisti de his discriminibus? consuluisti? pecuniam suppeditasti? ullam vel parvam operam iis navasti qui communem salutem defensuri erant? Nihil penitus, sed circumibas nugigerulos instruens. Et tuopte ingenio literas confingebas. Et cum reipublicæ infamia iis de digitis suspensis obambulabat, delicias faciens in publicis malis, et lectica deferebatur via Piræensi, pauperibus inopiam opprobrans. Et iste vobis ad futuras occasiones utilis erit, qui omnes superiorum temporum neglexit occasiones? Utinam, o Domina Minerva et Servator Jupiter, hujusmodi consultores et duces civitatis hostibus contigissent, et nunquam meliores.

6. Non in memoriam revocabitis res gestas majorum? qui, cum multa magnaque pericula urbem oppressissent, e dignitate patriæ et suæ libertatis et honestæ opinionis pro publica utilitate dimicarunt? Quorum veteres illos commemorare prolixum fuerit, ut

Aristidem et Themistoclem, qui mœnia civitatis erexerunt et tributa in arcem retulerunt quæ Græci sponte et volentes conferebant: sed ea quæ paulum supra nostram ætatem a Cephalo oratore gesta sunt et Thrasone Erchiensi et Helio Phormisio atque aliis viris præstantibus, quorum etiamnum quidam in vivis sunt. Nam horum alii, cum Cadmea præsidio Laconico teneretur, auxiliati exsulibus Thebas revertentibus suis periculis urbem finitimam et longo jam tempore servientem liberarunt, alii persuaserunt nostris majoribus ut expeditionem susciperent, senatusconsulto a Cephalo facto, qui non perterritus Lacedæmoniorum potentia, neque ratione habita incerti expeditionum eventus et periculosæ pro republica decernendi aleæ, jussit Athenienses suppetias ire exsulibus qui Thebas occuparant: egressis igitur illuc patribus vestris intra paucos dies Laconici præsidii dux ejectus est, Thebanis libertas restituta, urbs vestra rem gessit majoribus dignam. Illi fuerunt Athenienses, illi fuerunt digni vobis et populo senatores atque duces: non medius fidius istiusmodi vulpeculæ, qui cum pro utilitate reipublicæ neque egerint neque acturi sint quicquam, sed securitati suæ consulant atque undique argentum faciant, remque publicam sese ipsis reddiderint obscuriorem, nunc acceptæ contra vos pecuniæ comperti vos decipiunt, atque his rebus gestis suam avaritiam laudi ac præsidio sibi esse oportere censent. Quos quidem occidi oportet ex ipsorum decreto, cum olim talia perpetrarint.

7. Non pudet vos existimare, Athenienses, ex solis verbis nostris judicium esse de Demosthene faciendum? Non scitis ipsi eum esse captatorem munerum et peculatorem et amicorum proditorem, et urbe indignum tum ipsum tum fortunam ejus exstitisse? De quibus iste decretis, de quibus legibus, nummos non accepit? Sunt quidam in prætorio qui in trecentorum numero fuerant, cum legem ferret trierarchicam? Non dicetis assessoribus vestris ut tribus talentis acceptis eam transcripserit et reconcinnarit singulis concionibus, atque alia vendiderit accepto pretio, alia cum vendidisset non confirmarit? Dicite mihi per Deos, num putetis eum Diphilo gratis victum in Curia decrevisse, et statuam in foro collocandam? aut vobis auctorem fuisse donandæ civitatis Chariphilo, Phidoni, Pamphilo, Philippo, atque iterum Epigeni et Cononi mensariis? aut æreæ statuæ in foro erigendæ Birisadi Satyroque et Gorgippo odiosissimis tyrannis? a quibus ei quotannis mille frumenti modii mittuntur, qui statim se nullum habere confugium dicet? aut Taurosthenem fecisse Atheniensem, qui et cives suos servitute oppressit, et totam Eubœam Philippo cum fratre suo Callia prodidit? quem leges agrum Atheniensium ingredi non patiuntur; aut eadem teneri pœna jubent qua eum, qui a senatu Areopagitico actus in exsilium in urbem revertitur. Et hunc popularis iste homo vestrum

civem esse jussit. Harum ergo rerum testes vobis sunt citandi, uti de cæteris quos iste hospites et Athenienses esse jussit? Nunquid, proh divum fidem, putatis eum qui argento accipiendo delectetur auri viginti talenta repudiasse? aut minuta munuscula acceptasse, tantam pecuniæ vim esse aspernatum? aut Areopagiticum senatum post semestrem inquisitionem nomina Demosthenis et Demadis et Cephisophontis per injuriam ad vos detulisse?

8. Multi, judices, multi civium et aliorum Græcorum — ut et prius dixi — observant vos quo pacto hanc causam disceptaturi, atque utrum aliorum etiam corruptelas in judicium adducturi, an vero sine metu accipiendi munera contra vos potestatem daturi sitis, an ea quæ prius firma et rata putabantur nunc ob Demosthenis hanc causæ dictionem auctoritatem omnem sint amissura, quem ob alias administrationes suas periisse oportebat, qui caput suum omnibus exsecrationibus quæ in urbe factæ sunt obstrinxit, qui Furiarum numen cæterorumque deorum quos in Areopago obtestari moris est perjurio violavit, qui singulis concionibus diris est devotus, qui munera cepisse contra rempublicam est compertus, qui et populo et senatui verba dedit contra exsecrationem cum alia sentiat alia dicat, qui privatim Aristarcho atrocia et contraria legibus consilia dedit, pro quibus — si qua est justa in perjuros et sceleratos vindicta, sicut est — pœnas iste dabit easque hoc ipso die. Audite, judices, exsecrationem.

EXSECRATIO.

Tamen Demosthenes ad mentiendum et absurdissima quæque dicenda ita paratus est, adeo frontem perfricuit nec demonstratæ veritatis nec exsecrationis ullius rationem habens, ut de me quoque dicere non dubitabit ut audio, me quoque prius ab hoc senatu condemnatum; remque facere omnium absurdissimam, ut ipse ait, qui prius contra senatus hujus indicium causam dixerim, nunc vero ei patrociner, seque accusem de facto isto indicio: in quo ille rem non factam concinnat, et apud quosdam mentiri audet. Ut igitur, ubi se ad istam orationem converterit, non patiamini, sed certo sciatis senatum meum nomen non detulisse neque delaturum fuisse, sed ab uno homine improbo et apud vos pœna affecto injuriam mihi esse factam, paucis me audite: post iterum istum aggrediar.

9. Necesse habet Senatus Areopagiticus duobus indicia omnia referre modis. Quibus istis? vel suopte consilio facta inquisitione, vel ex mandato populi. Præter hos nullus alius est. Quod si tu, nefaria bellua, dicis, populo mandante Senatum inquisisse ac detulisse nomen meum, ostendito plebiscitum, et qui mei fuerint accusatores delatione facta, quemadmodum nunc utrumque factum est, tum decretum quo inquisivit Senatus, tum accusatores delecti a populo, e quibus nunc judices maleficia audiunt. Quæ si vera fuerint, mori non recuso. Sin Senatum ipsum suopte consilio me detulisse dicis, testes producito ipsos Areopagitas, quemadmodum ego eos producam ut constet me non esse delatum. Eum autem hominem atque improbum proditorem, qui per mendatium, ut tu quoque, et me et Senatum violavit, læsæ majestatis reum feci, et apud quingentos et bismille cives convici eum opera sua Timocli contra me locata id fecisse, atque ultus sum ope illius temporis judicum. Cape tu mihi testimonium, quod prius etiam in judicio cum causa ageretur exhibui judicibus neque id quisquam criminatus est tanquam falsum, id ergo proferam. Recita testimonium.

TESTIMONIUM.

Num vero grave non est, Athenienses, si, eo quod unus vir Pistias ex Areopagitarum numero me perperam egisse dixit, cum et contra me et contra se natum mentiretur, mendacium veritatem superasset, atque ob imbecillitatem eo tempore et solitudinem meam falsæ illæ contra me machinationes valuissent: nunc, cum rei veritas apud omnes Areopagitas in confesso sit, et constet Demosthenem viginti auri talenta in fraudem vestram accepisse eoque facto deliquisse, et magistratum illum, in quo quidam spem collocatam habent, evidenter deprehensum sit corrumpi largitionibus, instituta illius concilii et veritas eloquentiæ Demosthenis cedent, et calumnia quam contra senatum illum Demosthenes afferet veritate plus valebit? dicet enim senatum detulisse multos ut in populum injurios, qui in judicio sint absoluti, ac senatum in quibusdam quintam suffragiorum partem non tulisse. Hoc vero quo pacto fiat, facile omnes cognoscetis. Senatus inquirit ea quæ mandata sunt a vobis et apud se commissa facinora, non ut vos — neque vero mihi irascamini — dijudicare interdum soletis, misericordiæ potius quam justitiæ rationem habentes, sed simpliciter eum defert qui inquisitione tenetur et quomodocunque patria instituta violavit, existimans fore ut is qui parvis in rebus delinquere assueverit facile ad majora facinora impelletur. Eaque de causa collegam suum, qui portitorem naulo fraudarat, mulctatum apud vos detulit: rursus eum etiam, qui quinque drachmas nomine absentis postularat, apud vos detulit; eum item, qui portionem Areopagiticam contra majorum morem vendere non dubitarat, eodem modo mulctatum ejecit. Eos vos causa cognita absolvistis, non quo mendacii senatum argueretis, sed quia humanitatis potius quam summi juris rationem ducebatis, quodque supplicium admisso a reis facinore gravius putabatis. Numquid ergo, Demosthenes, falsum indicium fecit senatus? Non utique. Hos igitur et alios similes ut injurios a senatu delatos vos absolvistis. Polyeuctum

porro Cydanthidem, cum populus inquirere senatum jussisset, utrum Megara se ad exsules conferret, atque re explorata deferre apud vos, indicavit rem ita se habere. Accusatores delegistis ex legibus, in judicium venit, vos absolvistis, quamvis confiteretur Polyeuctus se itare Megara ad Nicophanem; cui mater sua nupta esset. Nihil igitur vobis absurdum aut grave committere visus fuit, si cum matris suæ marito colloqueretur calamitate conflictato et patria privatum pro sua virili parte sublevaret. Hoc, Demosthenes, senatus indicium non est falsitatis convictum, sed cum verum esset, tamen judicibus placuit absolvere Polyeuctum: nam senatui quidem mandatum fuerat exquirere verum, id vero judices venia dignum esse censuerunt. Propterea igitur senatui de factis indiciis non est credendum, posteaquam te et gregales tuos aurum habere indicavit? Iniquum profecto fuerit. Ostendito enim tu Demosthenes in hac causa eorum qui deliquerunt facinus aliquod tuis esse simile injuriis, aut venia dignum esse capere munera contra patriam, eoque te jure ab istis absolutum iri? Verum leges in aliis pecuniariæ rationis injuriis duplum rependere jubent; in eos autem qui largitionibus corrupti sunt duas duntaxat mulctas constituerunt, vel mortem, ut hoc supplicio nummarius ille affectus aliis exemplo sit, aut decuplam accepti muneris mulctam, ut ea res iis qui ab illo facinore non abhorrerent nihil emolumenti afferret.

10. An vero hoc quidem dicere non institues, sed illud sic accidisse, ut cæteri omnes ea confiterentur qui a senatu delati essent rectam fuisse inquisitionem, tu vero solus eandem refelleres? At tu vero solus eorum omnium qui unquam delati sunt ultro postulasti hos judices et quæsitores, et ipse contra te decretum scripsisti, et populum fecisti testem pactionis tuæ, et capitale in te supplicium statuisti, si retulisset senatus te quicquam ejus pecuniæ accepisse quam Harpalus in nostram regionem attulisset. Enimvero prius scripsisti tu, Demosthenes, auctoritatem habere senatum Areopagiticum contra hos et cæteros Athenienses patriis legibus puniendi ejus qui patria instituta violasset: atque etiam commisisti huic senatui et tradidisti totam civitatem, quem statim dices esse oligarchicum: atque ex senatusconsulto tuo cives duo sunt interfecti, pater et filius, traditi ei qui fossæ præest: ex edicto tuo unus ex Harmodiana familia in vincula est conjectus: torserunt Antiphontem et occiderunt hi senatus indicio adducti: tu Archinum civitate ejecisti proditionis insimulatum ex senatus indicio et pœna. Contra te vero, idque cum ipse decretum scripseris, id decretum abrogas. Atqui ubi ista æqua aut usitata sunt?

11. Testabor severas deas, Athenienses, et locum quem illæ tenent, et heroes nostræ regionis, et Minervam Urbanam, cæterosque deos qui regionem nostram et urbem sortiti sunt, quod cum

a populo vobis traditum esset de eo pœnam capere, qui contra patriam aliquid accepit, qui violavit et corrupit urbis felicitatem, qui suis consiliis effecit ut quasi hostili vallo patria circumdaretur, quem inimici et malevoli patriæ vivere vellent, exitio fore patriæ existimantes, qui vero vestris rebus consultum volunt, et mutata fortuna sperant res civitatis fore meliores, persoluto factis digno supplicio perditum cupiunt, et hoc a diis immortalibus votis exoptant: cum quibus ego una vota facio ut patriam conservent, quam in periculo versari video salutis, liberum, uxorum, existimationis, bonorum cæterorum omnium. Quid enim dicemus, Athenienses, ad eos qui circumstant, egressi prætorio, si — quod absit — istius præstigiis fueritis decepti? quibus quisque vestrum oculis domum reversus patrios lares audebit intueri, si et proditorem qui primus in suas ædes intulit aurum ex corruptela acceptum absolveritis, et id concilium quod apud omnes mortales gravissimum habetur nihil veri vel exquirere vel invenire statueritis? Quam vero — cogitate ipsi vobiscum — quam spem habituri sumus, si quod periculum patriam invaserit, ubi munerum contra patriam acceptationem tutam feceritis, id vero concilium cui patriæ salus in ejusmodi periculis committitur auctoritate privaveritis? Quid vero — ponamus enim hæc — si ex decreto Demosthenis missis legatis Alexander aurum ab Harpalo in nostram regionem allatum repetiverit, et præter factum jam senatus indicium servos ad vos miserit qui nunc ad eum se contulerunt, atque ex iis postularit vos audire veritatem? quid per Deos dicturi sumus? Tu bellum scilicet decernes, Demosthenes, quando superiora quoque bella rite administrasti? Utrum porro æquius est, si idem cæteris etiam Atheniensibus visum fuerit, nos habere præter cætera etiam id aurum quod penes te est ad bellum, an ut alii de suis quisque possessionibus tributum conferant, et mundum muliebrem conflent, et pocula, et omnia nostræ ditionis donaria, id quod te in decreto tuo positurum aiebas, cum ipse de ædibus in Piræeo atque in urbe tuis quinquaginta drachmas contuleris? cum enim priore exactione tantum pependeris, viginti talenta habes. An vero bellum non decernes, sed ex decreto tuo allatum aurum Alexandro reddi jubebis? ergo pro te reddere populum oportebit. Atqui ubi istud justum aut æquum aut populare est, ut ii qui opus faciunt conferant, tu rapias? ut alii manifestas opes possideant eque iis conferant, tu vero ultra centum quinquaginta talenta, partim ex Persicis, partim ex Alexandri negotiis, acceperis, nihil tamen manifesti in urbe possideas, sed tuas opes a populo removeris ut qui actis tuis diffidas? Cum leges et oratori et imperatori edicant, si fidem a populo haberi sibi velit, ut liberos suscipiat, ut fundum intra limites possideat, omnibus æquis pignoribus depositis sic demum præesse

populo instituat: ut tu patrios fundos vendideris, et non natos tibi liberos contra leges adoptes propter ea sacramenta quæ in judiciis exiguntur, ut alios militare jubeas, cum communes ipse ordines deserueris?

12. Qua de causa putatis, Athenienses, urbes alias secundis rebus alias adversis uti? Nihil reperietis aliud quam senatores et imperatores. Intuemini Thebanorum civitatem. Fuit urbs, fuit maxima, at quales duces quales imperatores? Omnes sane fateantur seniores — e quibus et ego hæc quæ refero audivi —, cum Pelopidas, ut aiunt, sacræ cohortis dux esset et Epaminondas imperator eorumque collegæ, tum Leuctricam pugnam vicit urbs Thebanorum, tum in agrum Lacedemoniorum qui vastari posse non putabatur impressionem fecerunt, illis temporibus multa egregia facinora ediderunt, Messenam quadringentesimo anno post excidium instaurarunt, Arcades in libertatem vindicarunt, apud omnes gloria floruerunt. Quando rursus humiliter et non ut eorum animi magnitudinem decebat se gesserunt? Cum munera captaret ac pecuniam acciperet a Philippo Timolaus istius amicus, et peregrinis militibus adversus Amphissam conscriptis Proxenus proditor ille præesset, et dux phalangis creatus esset Theagenes, homo infelix et corruptus ut iste. Tum per tres homines quos dixi universa civitas una cum Græcis omnibus periit atque interiit. Neque enim falsum sed nimis verum est duces causam esse civibus omnium et bonorum et adversorum. Spectate idem in nostra quoque civitate, eodemque modo inquirite. Urbs nostra fuit magna et illustris apud Græcos et digna majoribus, post antiqua illa facinora, cum Conon, ut seniores noverunt, navali ad Cnidum prælio vicisset, cum Iphicrates Lacedæmoniorum legionem cecidisset, cum Chabrias Lacedæmoniorum triremes ad Naxum superasset, cum Timotheus navali pugna Corcyræ victor exstitisset. Tum, Athenienses, tum Lacedæmonii, qui prius ob duces splendidi fuerant illorumque moribus educati, humiles ad urbem nostram venerunt salutem a majoribus nostris expetentes, populus autem ab illis abrogatus per eos qui tum civitati nostræ consulebant iterum dux Græcorum factus est, jure — opinor — quippe qui et tales duces esset nactus quales modo dixi, et senatores haberet Archinum et Cephalum Colyttensem. Sola enim hæc et civitatis et gentis salus est, bonos puta duces cordatosque senatores habere. Quamobrem, Athenienses, hæc vos intuentes et considerantes decet non mehercule diutius Demosthenis sordes et infelicitatem perpeti, neque in eo spem habere salutis, aut putare vos penuria bonorum virorum et cordatorum senatorum laboraturos, sed sumpta majorum vestrorum iracundia eo, qui evidenter compertus est peculatus et proditionis, qui pecuniis in urbem allatis non abstinet, qui in gravissimas calamitates urbem conjecit, occiso,

Græciæ pestem urbe exterminare, ac pati fortunam urbis immutari, atque exspectare si hæc fiant fore ut melius cum republica agatur.

13. Audite, Athenienses, illud etiam decretum scriptum a Demosthene, quod turbata republica post Chæronensem pugnam fecit popularis iste, et oraculum quod allatum est Dodona a Dodonæo Jove: perspicue namque vobis olim prædixit, cavendos esse duces et senatores. Recita oraculum in primis.

ORACULUM.

Recita ergo pulcrum decretum istius.

DECRETI PARS.

Popularis nimirum est qui se, nempe virum fortem et animosum, inter armatos referat, quos vero civium ipse improbarit, ad opus faciendum abire jubeat, et si quid aliud ipsi factu commodum videatur, id scribat esse faciendum. Recita reliqua.

RELIQUUM DECRETI.

Auditis judices. Abire jubet decretum delectos legatos. Postquam autem iste audivit post Chæronensem pugnam Philippum in agrum nostrum impressionem facturum, ipse sibi legationem decrevit, ut ex urbe aufugeret, octo talentis publicæ pecuniæ convasatis, nullaque habita ratione inopiæ tum urgentis, cum cæteri omnes de suo largirentur ad tuendam salutem vestram. Talis est consiliarius iste vester, ac duas has solas peregrinationes per omnem ætatem suscepit, post pugnam cum ex urbe aufugit, et nunc ad Olympiam, posteaquam cum Nicanore fretus festi solennitate colloqui voluit. Consultum profecto fuerit hujus fidei urbem credere et committere vos periculum adituros, qui, quando cum reliquis contra hostes pugnandum fuit, ordinibus desertis domum refugit, quando autem domi pugnandum fuit una cum cæteris, ipse suo suffragio legatus designatus excessit atque ex urbe aufugit, cum porro legatio de pace obeunda esset, negavit se vel altero pede urbe excessurum, cum autem Alexander exsules revocare diceretur et Nicanor Olympiam venisset, legatum sacrificulum senatui sese obtulit. Talis iste est, in præliis custos ædium, inter eos qui domi manent legatus, inter legatos fugitivus est.

14. Recita, etiam decretum de investigatione pecuniarum, quod retulit Demosthenes senatui Areopagitico de sese et vobis, ut iis inter se collatis videatis Demosthenis desperationem.

DECRETUM.

Tune istud scripsisti, Demosthenes? Scripsisti: inficias ire non potes. Data est senatui auctoritas ex edicto tuo? Data est.

Perempti sunt homines cives? Perempti sunt. Ratum contra illos decretum tuum fuit? Refragari nullo modo potes.

15. Age denuo id recita quod Demosthenes contra Demosthenem scripsit. Animadvertite Athenienses.

DECRETUM.

Senatus reum invenit Demosthenem. Quid multis verbis est opus? Detulit eum, Athenienses. Id igitur jus in seipsum statuit ut statim occideretur: postquam autem in vestras manus venit, qui pro populo convenistis, qui vos legibus et plebiscitis obtempetaturos jurastis, quid facietis? Negligetis deorum immortalium religionem et ea quæ a mortalibus omnibus sacrosancta habentur? Absit, Athenienses, absit: turpe enim fuerit atque iniquum, cum alii per Demosthenis decreta, nihilo isto deteriores neque tot facinoribus constricti, perierint, istum, qui et vos et leges contemnit, indemnem in urbe obambulare a semetipso et decretis suis condemnatum. Hoc concilium, Athenienses, hic ipse locus, hæc ipsa jura, idem iste orator et illis auctor fuit malorum illorum et eorum quæ deinceps contingent. Idem ipse pro concione huic concilio judicium de se permisit, vobis testibus adhibitis. Pactum fecit cum populo, scripto senatusconsulto contra sese, idque apud Matrem deorum deposuit, quæ omnia jura in literas relata custodit reipublicæ. Quare nefas vobis erit id pactum abolere, aut cum deorum numen in hoc judicio juraveritis contrarium ipsis deorum actis ferre suffragium. Neptunus judicio victus in causa Halirrhothii contra Martem acquievit: severæ deæ ipsæ apud factam in hoc concilio contra Orestem cognitionem ejusque veritatem habitare deinceps voluerunt. Vos autem quid agetis, qui vos omnium religiosissimos perhiberi vultis? Concilii sententiam irritam facietis, secuti Demosthenis improbitatem? Non, si sapitis, Athenienses: neque enim parvis aut vulgaribus hodie de rebus judicatis, sed de salute totius civitatis atque etiam de sordibus, prava consuetudine et re vobis perniciosa quæque mortalibus omnibus exitio fuit. Quod si, quantum potestis, urbe ejicietis et coercebitis eos qui temere contra vos munera acceptant, incolumes erimus diis volentibus: sin oratoribus permittetis ut vosmetipsos vendant, per vestram incuriam urbs ab eis evertetur.

16. Ipse Demosthenes pro concione auctor fuit, quasi res justa esset, pecuniæ cum Harpalo in Atticam allatæ Alexandro custodiendæ. Sic ergo, dic mihi, vir optime, eam custodiemus, si tu privatim viginti talenta teneas, alius quindecim, Demades sexies mille stateres aureos, alii tantum, quantum ex indicio relatum est? Nam talenta sexagintaquatuor jam comperta sunt, quorum culpam in istos conferendam censetis. Utrum porro honestius est, atque etiam æquius, omnia in ærario asservari, donec populus id statuat

quod æquum sit, an ut oratores et ducum quidam ea direpta teneant? Ego enim existimo constare inter omnes æquum esse ut publice custodiantur, nemini autem rectum videri ut ab istis teneantur.

17. Multa iste dicet, judices, et varia, nec unquam eadem. Videt enim vos omni tempore spe vana et falsis orationibus a se fuisse deceptos, et tantisper pollicitationum meminisse dum dicuntur. Verum si urbem adhuc Demosthenis improbitate atque infelicitate frui oportet, ut diutius iratos deos habeamus — neque enim aliud quod dicam reperio —, boni consulendum erit quicquid evenerit; sin patriam adhuc curamus atque improbos et largitionibus inhiantes odimus et adversæ fortunæ auguria avertere ac mutare volumus, non committendum est, Athenienses, ut vosmet ipsos nefarii istius impostoris deprecationibus dedatis, nec admittendæ sunt querelæ et fuci istius; satis enim et dicta et facta et fortunam ejus periclitati estis. Et quis vestrum adeo confidens est, Athenienses, quis adeo incogitans, quis adeo rudis rerum et ante et modo gestarum, uti speret eum per quem ex tanta felicitate ad tantam infamiam urbs dejecta est, quacunque de causa aut casu — omitto enim hoc —, nunc postquam præter cæteras difficultates et urgentia nos pericula etiam urbanæ corruptelæ accesserunt, et turpi crimine omnes conflictamur ut ne eam pecuniam quæ privatim penes quosdam est populus habere putetur, tum demum istum suis consiliis et administratione vos conservaturum? Nam prætereo cætera quæ inconstanter agendo et imprudenter concionando perfecit, dum alias scribit et vetat ne quem deum existimemus præter eos qui sunt nobis traditi a majoribus, alias dicit non debere populum contendere cum Alexandro de cœli honoribus, cum autem in judicium vestrum adducendum se prævidet, Callimedontem læsæ majestatis reum facit quasi is Megaris cum exsulibus colloquia habeat opprimendæ reipublicæ ergo, eamque actionem statim e vestigio tollit, in concione porro nuper convocata adduxit atque instruxit falsum delatorem quasi navalibus insidiæ fierent, cum quidem ea de re nihil decerneret, sed hujus judicii causa crimina conflaret: horum enim omnium vos ei testes estis. Præstigiator iste est, judices, et homo nefarius, neque natura civis neque rebus gestis ac actionibus suis. Nam quæ triremes sunt ab isto ædificatæ civitati, ut sub Eubulo? aut quæ navalia isto rempublicam gubernante facta sunt? quando iste vel senatusconsulto vel lege ordinem equestrem emendavit? quas copias vel pedestres vel navales comparavit, cum quidem post pugnam ad Chæroneam commissam talia tempora inciderent? quis ornatus Minervæ in arcem ab isto est allatus? quod ædificium Demosthenes exstruxit vel in mercatu vestro vel in urbe vel alibi in regione? Nemo certe usquam ostendat. Eum ergo qui bellicis in rebus fidem non servavit, qui in urbanis administrationibus nullam

operam navavit, qui non obstitit quo minus adversarii civitatis omnia confecerint quæ voluerunt, qui sese immutavit et populi causam deseruit, eum vos conservabitis? Non, si sani eritis et recte tum vobis tum reipublicæ consuletis: amplectimini potius bonam fortunam, quæ vobis ulciscendos obtulit oratores qui suis sordibus urbem humilem reddiderunt, et cavete — quemadmodum vos deorum immortalium oracula sæpe monuerunt — tales duces et senatores. Audite ipsum oraculum. Recita oraculum.

ORACULUM.

18. Quomodo igitur eodem animo futuri sumus, Athenienses? quomodo consentiemus omnes de reipublicæ commodis, si duces et magistratus accepta pecunia patriæ utilitatem neglexerint, et vos quidem et populus universus in periculum adducetur de solo civitatis et aris atque focis et uxoribus ac liberis, isti autem inter se reconciliati in concionibus quidem alii alios conviciis proscindent ac de industria exagitabunt, privatim autem agent eadem decipientes vos qui verbis eorum facillime creditis? Quid enim est oratoris popularis et infesti iis, qui rempublicam concionibus et decretis oppugnant? aut quid aiunt ætate vestra superiores, Demosthenes et Polyeucte, studio perpetuo habuisse? idque cum eo tempore nulla clades rempublicam urgeret? non se mutuo accusasse? non majestatis læsæ criminatos esse? non violatarum legum fecisse reos? Est vero horum quicquam quod feceritis vos, qui vos curare populum profitemini, qui salutem vestram in horum suffragio dicitis esse collocatam? Scripsisti tu decretum, Demosthenes, cum multa atrocia et contraria legibus Demades decrevisset? prohibuisti aliquam actionem quam ille susceptam contra populum administravit? Nullam penitus. Majestatis reum fecisti eum qui contra plebiscitum et leges multa perpetravit? Nunquam prorsus; sed æream ei statuam in foro erigi passus es et pari honore victus in curia cum Harmodii et Aristogitonis posteris frui. Deinde ubi populus benevolentiæ tuæ periculum fecit, aut ubi oratoris auxilium et vim declaratam vidimus? An ibi vos disertos esse dicetis, ubi hos deceperitis, cum subinde dicatis non licere vobis egredi patria, non vobis ullum esse confugium nisi ad horum benevolentiam? Oportebat vos aperte dictis et factis adversatos decretis contra populum scriptis, sic demum postulare vobis fidem haberi ab his, cum dicitis vobis nullam salutis spem esse reliquam extra populi auxilium. At vos in exteris spem habetis, cum contentione quadam assentationis adversus eos qui se Alexandri negotium agere confitentur, et dona ab iisdem accepistis ob quæ senatus modo vos detulit, atque tu cum coram omnibus Græcis cum Nicanore sis collocutus et Olympiæ quibus de rebus voluisti responsa acceperis, nunc miserabilem te facis homo

proditor et corruptus, quasi isti rationem habituri sint tuæ improbitatis, tuque pœnas non daturus sis eorum facinorum in quibus es deprehensus, tanto Demade audacior, quod ille cum jam explicasset pro concione mores suos atque desperationem, ac profiteretur se et accipere et accepturum esse, tamen faciem eis suam ostendere non ausus fuit, neque senatus delationi contradicendum putavit: tametsi ille se auctoritati senatus per decretum non commisit, neque pœnam capitis in se statuit, si ut qui pecuniam accepisset a senatu deferretur. Tu vero usque adeo fretus fuisti eloquentia tua et horum bonitatem contempsisti, ut te persuasurum putares judicibus, concilium contra te solum dixisse falsum ac te solum detulisse cum aurum non acceperis. Et quis ista credat?

19. Videte, Athenienses, quid facturi sitis. Accepistis a populo rem jam confectam; Demosthenes supplicii causa in eos qui delatione tenentur constituti primus in judicium adducitur. Nos accusavimus, jure publico nemini condonato. Utrum neglectis iis quæ acta sunt omnibus dimittetis eum qui primus ad vos ingressus est, et quæ tum populo tum Areopagitico senatui tum omnibus hominibus æqua visa sunt, ea vos quorum omnis est auctoritas tolletis, atque ipsi improbitatem istorum in vos recipietis? an vero mortalibus omnibus commune exemplum proponetis vestri in proditores odii atque in eos qui pecuniæ causa utilitatem populi neglexerunt? Hæc enim omnia nunc penes vos sunt, vos mille quingenti numero totius civitatis salutem in manibus habetis, hæc dies vestrumque suffragium aut in magna securitate rempublicam collocabit, si ita ut æquum est pronunciare voletis, aut efficietis ut spem omnes malam concipiant, si tales mores introduxeritis.

20. Non percelli debetis, Athenienses, neque commiseratione Demosthenis, si sapitis, communis et æqua urbis nostræ defensio est amittenda. Nemo enim vestrum coegit istum pecuniam alienam in vestram fraudem accipere, qui per vos pecuniæ plus satis possidet, neque causam dicere de confessis criminibus, cum suo decreto se capitis condemnarit: sed superioris ejus vitæ insitæ sordes et improbitas hæc in caput ejus converterunt. Nolite igitur moveri ploratu ejus et lamentationibus: multo enim æquius fuerit misereri regionis nostræ, quam iste his factis in pericula conjicit, quæ vos ex se natos obsecrat, liberis atque uxoribus vestris productis, ut et proditorem ulciscamini et se tueamini, pro qua majores nostri multis egregiis præliis commissis eam vobis liberam tradiderunt, in qua multa illustria exempla relicta sunt virtutis defunctorum. Hanc intuentes, Athenienses, et patria quæ in hac fiunt sacrificia et monumenta majorum cordatos judices suffragia ferre decet. Et cum Demosthenes vos decepturus et seducturus commiserationem movebit et lacrymabit, vos urbis corpus intuentes et partam ei olim gloriam

conferte, utrum urbs per istum facta sit miserabilior, an vero per urbem Demosthenes? Reperietis enim istum ex quo ad rempublicam accessit splendidum esse factum, et pro scriptore orationum et Ctesippi ac Phormionis causidico multis aliis civibus locupletiorem, ex obscuro et nulla patria majorum gloria ornato illustrem; urbem autem aliter affectam quam pro dignitate sua et gloria majorum. Itaque repudiata misericordia et imposturis istius sanctum et justum ferte suffragium, et quid patriæ, non quid Demostheni, conducat considerate: hoc enim est bonorum judicum officium.

21. Quod si quis adscenderit Demostheni patrocinaturus, cogitate eum hominem, si non sit obnoxius futuris delationibus, male velle reipublicæ, qui nec contra populum munera acceptantes pœnas dare sinat, et communem corporum vestrorum custodiam, quæ Areopagitico est concilio commissa, abrogari velit, et confundi totius jura civitatis: sin orator aut imperator, ex iis qui exspectatum contra se indicium fide carere volunt, ei patrocinabuntur, non vobis auscultandum erit illorum orationi, sed sciendum ab omnibus istis mutuas tradi operas in Harpalo et recipiendo et dimittendo. Existimantes igitur, Athenienses, contra vos istos omnes adscendere atque communes hostes esse legum et totius civitatis, ne approbetis eos, sed accusationis capita diluere jubetote; neque etiam istius ipsius insaniam, qui eloquentia sua magnopere fretus est; quem ubi constiterit vobis acceptare munera, quo magis vobis fucum fecit, eo magis eum pro dignitate vestra et urbis ulciscimini: alioqui uno suffragio unoque judicio omnibus iis qui vel delati vel deferendi sunt absolutis, in vosmetipsos et populum corruptelam eorum transferetis, ac post eos qui absolverunt accusabitis, cum accusando nihil proficietis.

22. Ego, quantum ad meam accusationis partem attinet, opem tuli, cæteris rebus neglectis omnibus præter jus et utilitatem vestram. Reipublicæ non defui, non plus gratiæ tribui quam a populo decreto mihi muneri. Quo eodem animo ut et vos sitis peto, atque aliis accusatoribus aquam trado.

DINARCHI

CONTRA ARISTOGITONEM.

---

1. Omnia, uti par est, Athenienses, consideranda sunt et auditu et visu in latis sententiis circumspicere: illud vero maxime admirandum, ut mihi quidem videtur, quod recens gestum. Scelestissimus enim in urbe, hoc amplius omnium etiam hominum, Aristogiton concilium Areopagitarum in jus vocaturus advenit verene et juste pronunciarint, et senatus auctor sententiæ in majus nunc incidit periculum quam qui in vobis dona recepisset et justorum dicendi libertatem viginti minis vendidisset. Isti quidem novum nihil, nihil indignum, si cum condemnato legibus paciscatur: multa quidem alia ultimo supplicio digna perpetravit, et in vinculis plus temporis quam foris consumpsit, et carnifici obnoxius contra bona quæ in tutela juris legumque servabantur, quod illi non licebat, calamo invectus est, aliaque multa eaque gravia commisit, quæ vos quam ego melius cognoscitis: huic autem concilio falsa contra Aristogitonem opinari ostendere eumque apud vos suscepisse justiora dicere turpissimum et improbissimum est. Quapropter, Athenienses, ille mihi videtur, litem suam firmam tutamque existimans, sententias vestras exploraturus venisse. Sæpius enim omnia ei mala contigerunt, si mortem excipias: quam, si deus volet et vos prudentes vos gesseritis, hodierna die subibit. Non enim Hercule si nunc veniam concedatis meliorem futurum exspectandum, neque in posterum dona contra vos accipere desiturum, si nunc eum absolvatis. Malum enim nascens facile quis in illud animadvertens prohibere potest, senescens vero quod debitas pœnas gustarit non facile tolli posse asserunt. Quare si malum perimbutum ipsa in urbe germinare cupitis, vos Aristogitonem tutari convenit, et permittere quodcunque aliquis voluerit in civitate perpetranda: si vero improbos et scelestos homines odio prosequimini estque vobis ira et memoria eorum quæ antea ab ipso commissa sunt, illum occidite, qui ab Harpalo aurum accipere ausus est, quem sensum est ad circumveniendam civitatem vestram advenisse, et tergiversationes illusionesque ei præscindite; quibus fretus ad vos accessit.

2. An ignoratis molesto Harpali adventu illud urbi commodi

accessisse, quando egregie tentavit iis quæ mutuo data sunt in argento et auro ipsis urbis hostibus prodesse? Nolite ignave agere, Athenienses, neque improbos punire recusare, sed, quoad ejus fieri potest, urbem munerum corruptela purgate. Neque e meis quæ jam audistis verbis, sed ex iis quæ in præsentia vestra factis, ex accusationibus a concilio pronuntiatis, inquirite. Vel propter rei majores et istius moderationem, et quia vos multis præclaris beneficiis publice privatimque affecit, ei parcere dignum est? An ignoratis non indigere vos oratione contra latam sententiam? Utrum concilii sententia, si nos decem accusatores aquam omnem absumpserimus et exclamaverimus quam grave sit dimittere qui ab ipso publico expilatore dona in patriæ perniciem acceperint, vera et æqua contra Aristogitonem sententia erit; contra vero si unus e nobis, ut omnia probe novistis æque ac nos jura de his contentionibus, paucis absolvens descendat, falsa, et nullus isti veluti ab Areopagis profectæ fidem habebit? Vel hoc ipsum dona accipere in proditionem patriæ salutis an nescitis quod scelestissimum est et eorum qui plurima contra civitates machinantur?

3. Sed, mediusfidius hic ille reus moderatus moribus, et bonis ortus majoribus, multaque in vos publice privatimque conferens, quapropter dignum sit ab eo abstinere? Et quis vestrum non audivit sæpius, Cydimachum Aristogitonis patrem capitis supplicio addictum et ex hac civitate profugum, ingenuus vero filius genitorem suum sprevit tum vivum ipsis necessariis indigentem tum mortuum legitimis orbatum officiis, quæ ipsum non raro testimoniis convictum percelluerunt: hunc vero ipsum cum in carcerem primo abductus est — multoties enim sane illud factum scitote —, talia in animo inducentem eos facere, ita eos suffragiis absolvere et neque ignem isti accendere neque cum alio convivari neque factis sacris communicare? Verum, Athenienses, quis credat sanam obtinere mentem, qui propter improbitatem in carcerem incidit, ibi vero exsistens inter alios quæstioni subjectos facinorosos homines perditus adeo apparuit, ut neque par ipsis ab aliis videretur, sed furem illum — ut aiebant — apud eos captum, proinde si quis alius nequior esset locus, fures enim ex carcere abigere velle, in eum monstrum illud conjicerent? Et ista quæ jam dicebam, quis non videt Aristogitonem omnino percellere? propterea fori curam gerens, nonne a judicibus qui tunc magistratum inibant reprobatus est? Vos ipsi igitur dissimulate, quique sententiam dicturi estis Aristogitonis misereminі, qui patris sui inediæ pessime expositi nullo modo misertus est? Denique a nobis iterumne vultis de Aristogitonis supplicio verba nobis fieri, quem scitis juste accurateque tam ex anteacta vita quam ex eis jam recens ab eo perpetratis ultimam hanc animadversionem consecutum? Nonne hic est Aristogiton, Athenienses, qui contra Dianæ Brauroniæ sacra et ministros illius de talibus accusans mentitus est, unde vos postquam veritatem ex adversariis partibus quæsiistis, quinque talentorum mulctam isti imposuistis, quanta ab accusatoribus irrogata erat? Heus tu, prius pœnas dare istud calumnians actorem vestrum dicendo scribendoque in populo traduxit, omnia supplicia nihili pendens quæ contra sceleratos in legibus scripto sancita continentur. Numquid tandem convictus ille a Lycurgo, et ignominiosus deprehensus dicere ei permissum erit, et secundum leges undecemviris traditus, coram tribunalia adveniens et in concilio virorum principum quinquaginta considebit?

4. Deinde, Athenienses, quem leges vobis toties tradiderunt civiumque jam suffragiis condemnatum convictumque, servare vero neque undecemviri neque claustra possunt, tali vos consiliario fortunas vestras committere desideratis? Et lex quidem rogatum præconem jubet magna cum gratia, ita a vobis hoc statutum de negotiis tradi: vos vero nefarium hunc ergaque omnes improbum maximeque erga parentem suum nuper effectum, hunc vobiscum et cum domesticis vestris propinquisque versari patiemini? Et Demadem quidem et Demosthenem nullam oportere veniam consequi arbitrabamini, quia contra vos dona accipere deprehensi sunt, sed supplicio affecistis, et recte, a quibus quidem si non omnia certe commoda multa profecta cognoscitis: istum vero sacrilegum, qui bonum quidem nihil unquam ex quo ad rempublicam accessit in vos congessit, malum vero quantum potuit, absolvetis? Et quis vobiscum non litagaverit sustinentibus tam egregium monitorem? Si enim homo planus vulgatusque et notissimam apud omnes cives improbitatem habens in suggestum conscendat, tunc circumfusa multitudo vos auditores omnino admiratur, utrum præstantiores consiliarios non habetis, an etiam tales audiendo exsultatis? Convenit vero, Athenienses, quemadmodum primi illi legislatores de iis qui in populo dicerent majoribus nostris constituerunt, ita et vos quærere audire, unde optimos quosque causarum actores vobis paretis. Quomodo igitur illi de his ipsis cognoverunt? Primum quidem per unamquamque diras imprecationes contra improbos facientes, si quis dona recipiens posthæc dicat cognoscatque pro negotiis reipublicæ, omnino exitiosum esse; horum e numero Aristogiton est: postea in legibus de donariorum accusationibus statuentes, hujusque solius ob crimina decuplam restitutionem mulctæ loco irrogantes, rati eum qui honorem verba faciendi in populo reciperet, istum non pro vulgi commodis sed pro utilitate necessariarum rerum verba facere; Aristogitonem igitur concilium exhibuit: ad hæc igitur qui designatos rerumpublicarum principes postulant reprehendere, quis erit hujus privatæ consuetudinis, si parentibus benefaciat, si bella pro civitate gerat, si patria sacra

exsistant, si mysteria perficiantur; quorum quod nihil habeat contingens Aristogiton ipsi ostendo. Loco enim quo parentibus suis benefaceret, ille genitorem suum pessime excepit: quando vero in prælio vos omnes desudabatis, ille in vinculis delitescebat: talem vero, Athenienses, sui memoriam parenti suo habere permisit, ut neque in Eretria genitore suo morte absumpto isthic ei justa curaverit: aliis vero Atheniensibus tributum ex propriis facultatibus persolventibus, ille ne ex publicis quidem hisque obnoxius argentum omne persolvit. Ut clarius dicam, contrarias omnino res legibus universis perfecit, eumque solum quod ex Areopago concilium his qui inquirebant noverantque exhibuit: neque enim vos ab eo interrogati improbum istum injustumque esse cognoscitis, sed unusquisque vestrum istius nequitiam penitus novit. Ita ut istud antea vere dictum iterum dicendum est, vos sententiam de illo quidem laturos, de vobis vero circumfusa multitudo cæterique omnes.

5. Quare et prudentum est judicum, Athenienses, neque sibi ipsis repugnans decretum neque omnibus aliis Atheniensibus pronuntiare, sed pari consensu omnes sententiis vestris condemnatos iis ad id munus constitutis morte mulctandos tradere, neque etiam deserere neque negligere sanctam recteque juratam sententiam, memores uti eum concilium damnavit eo quod contra vos dona receperit, ita eum pater suus vivus moriensque injustum esse pronuntiavit, sed quid mitioribus utor verbis? istum morte dignum æstimans vobis ad plectendum populus tradidit. Ille qui multa pessime perpetrans in talibus injustorum negotiis nunc deprehensus est, in quibus ignominiosum vobis esset sententiam laturis impunitum illum dimittere. Qua igitur ratione, Athenienses, de aliis rei quæsitæ probationibus sententiam feretis? et quomodo tergiversationes eorum qui accusati sunt dijudicabitis? vel per quid hoc quod concilium quidem exhibuit auri receptores serio manifestetis, vel jam ex alio indicio condemnatos exsistentes puniatis? Porro neque singulares hasce quæstiones contra eos solos qui nunc pro judicio damnati sunt esse arbitramini, sed communes adversus alios mortales. Et vero munerum largitio proditioque hodie apud vos dijudicanda duorum alterum præstabit, vel alios in auro accipiendo contra vos audaciores utpote pœnam non daturos, vel verentes accipere criminum videlicet pœna accipientibus constituta. An nescitis, quia et nunc vestri timor secum super hæc statuentes aurumque contra vos adveniens adhibeat facitque non raro a muneribus et sordibus abhorrere? Et populi decretum, quod concilium de illis auri muneribus inquirere postulat, nonne aurum in regionem advehentes fateri compulit? Pulcre porro, Athenienses, pulcre majores nostri super hæc deliberantes columnam in arcem transtulerunt, quia Arthmium Pythonactis Zeleutensem aurum inquirebant in corruptelam Græcorum ex Medis adducere. Prius igitur accipere aliquos dareque consuetudinis experimentum, fugam autem auri vectoris cognoscentes, eum ex tota regione proscripserunt. Posteaque, ut dixi, in arce æream columnam inscriptionem addentes constituerunt, exemplum vobis posteris suis statuentes, rati etiam aurum temere admittentem non de civitate sed de corruptore comitia acturum. Soli etiam illi causam adscripserunt ob quam populus eum de civitate exturbasset, scribentes palam, Arthmium Pythonactis Zeleutensem hostem populi et commilitonum exsistere, ipsum prosapiamque, et Athenis profugere quia ex Medis aurum in Peloponnesum advexerat. Quare cum aurum in Peloponneso plurimorum instrumentum malorum Græcis populus existimet, quàmobrem segniter agere conveniat, invalescentium munerum corruptelam in hac civitate conspicientes? Mecum etiam columnam hanc attente considerate.

COLUMNA.

Verum, O Athenienses, quid viros illos facturos arbitramini accipientes sive militem sive oratorem civem suum citra patriæ commodum donis corruptum, qui Græciæ externum hominem et genere et natura tam juste prudenterque ex universa Peloponneso expulerunt? Quocirca de urbe et de majoribus digne apud barbarum periclitati sunt.

DINARCHI

CONTRA PHILOCLEM.

1. Quid per deos immortales de hujusmodi homine dicere convenit, vel quomodo in improbitatem istius inquiritis? qui non semel sed tertio convictus ab Areopagi senatu — uti novistis omnes et nunc in populo intellexistis —, mentitusque universorum Atheniensium totiusque circumfusæ multitudinis, adversarium Harpalum quominus in Piræeum navibus appelleret se prohibiturum asseverans, militum præfectus in Munychiam navaliaque a vobis designatus, et dona contra vos omnes et regionem et uxores liberosque accipere præsumpsit, abjuratusque inter mensam et sedile quod juraverat juramentum; decretumque contra seipsum conscribens, et morte condemnans si auri quippiam ejus quod in provinciam Harpalus advexerat suscepisset, vestrum in conspectum convictum sese illisque omnibus obnoxium effectum dare non dubitavit, seque ipsum ostendere, non justitia fretus — quid enim illi cum justitia? — sed audacia et impudentia, qua prius quidem usus jura civitatis vosque parvipendens aurum accipere dignatus est, nunc vero quasi nihil eorum perpetrasset pro se dicturus advenit: adeo socordiam vestram nihili æstimat. Et communis quidem urbis lex, si quis adversario civium spondens aliquid transgrediatur, eum injustitiæ obnoxium esse jubet: hic vero omnes Athenienses decipiens, et auctoritatem fidemque prodens quam apud vos indignus collegit, omnia denique in civitate evertens, ille ad defensionem proponendam adveniet de quæstione contra eum adornata? Ego vero, viri, verum dicere si conveniat — ut certe convenit —, non præjudicia discutienda censeo, utrumne vera sint an falsa quæ contra Philoclem facta; sed de supplicio in decreto conscripto disceptare vos oportet, an auro mulctare conveniat talia tam injuste contra civitatem perpetrantem, vel morti addicentes, uti ille in decreto contra se sanxit, facultatem ex talibus sordibus collectam fisco addicere.

2. Anne nunc primum improbum illum per istud aurum factum esse arbitramini, vel nunc primum contra vos munerum largitiones admisisse? Non ita est, sed talis pridem cum esset ignotus vobis fuit, et belle egistis, quia non in majoribus occasionibus mentis ipsius turpitudinem audiebatis: etenim deterius homine nihil est

improbitatem suam ignorante. Nonne, Athenienses, uno consensu eum interficitis, qui in talem turpitudinem et nequitiam tam multos impellit, ipsum recepti auri auctorem totamque civitatem in controversia collocantem? Sed illi qui tanta contra vos molitus est auscultare pergitis, quia nimirum Areopagitarum curia falsa præjudicia confecit, et quia justus ille et frugi et a muneribus abhorrens, conciliumque Areopagi universa illa lucri et favoris gratia conficit? Anne novistis quod qui in aliis criminibus accuratissime inquisiverunt, cum magna quiete oporteat et verum expendere, ita injustis supplicium constituere, in publicis vero et apud omnes ex confessione cognitis proditionibus iram primum irrogare pœnamque ei congenitam? Quid enim istum universæ civitatis studiosissimum vendidisse non existimamini, quando vos ut justum illum fidelemque custodem constituistis? quales non triremes ex iis quæ sunt in navalibus prodidisse? vel qualem non prospecturum carcerem, sperantem effringere et duplum accepturum auri, cujus nunc partem accepit? Nihil, O viri, nihil est quod non ille perpetraverit. Ille enim aurum argentumque pro majore apud vos fide accipit, neque etiam juramenti nec turpitudinis nec æqui majorem rationem habet quam ut illud auferat, ille Munychiam quantum ad se divendet, emptorem si reperiat, ille contra vos signum hostibus transmittet, ille pedestrem maritimamque potentiam proditione delebit.

3. Non igitur, Athenienses, de perpetratis solum a Philocle criminibus judicium factum iri existimamini, sed etiam aliis quibus conficiendis ille tanquam caput præfuit. Et diis quidem gratiam habebitis eo quod nihil isto deterius patiemini, illum qualis sit cognoscentes: digne igitur vobis ipsis et facinorosi hominis improbitate in ipsum animadvertite; qui ter quaterve, Athenienses, equitum præfectus virorum præstantium optimorumque, frequentius vero puta decies dux militum a vobis constitutus, indignus tamen, ambitiosus et invidus propter hanc quæ apud vos est fidem et auctoritatem imperii nostri dignitatem vendidit prodiditque, et in hoc seipsum Aristogitoni præposuit, et ex militum imperatore in mercenarium ac proditorem degeneravit. Denique quid vobis necessarium est contra hujusmodi hominem contentionem remittere, et injustos pudore non suffundere, qui talia contra vos aliosque moliri non puduit? Neque hujusmodi homines recte, Athenienses, apud vos venia donarentur; minime: sed qui a Philocle decepti, si quam ille multarum divitiarum sumpsit occasionem. In quibus et sinus maris et maritima sunt litora navaliaque, quæ majores nostri comparantes vobis reliquerunt. Quorum vos, Athenienses, recordantes circa jam lata a concilio præjudicia frigide agere non oportet, sed consentanee iis quæ jam antea judicata sunt: turpe enim est

civitatis proditores jam supplicio addictos absolvere, et injustorum ac nefariorum hominum quosdam pertransire, quando vobis ad puniendum eos immortales dii detexerunt, universum populum istius adversarium factum esse conspicientes.

4. At ego, per Jovem servatorem, pudore suffundor, dum cohortatos vos et a nobis incitatos oportet ad judicium suppliciumque morti jam addicti accedere, et nonne vos ipsi commissorum ab eo criminum inspectores; et omnis quidem populus neque tutum neque justum esse existimans filios suos curandos ei tradere eum epheborum cura abrogarunt, vos vero popularis potentiæ ac legum custodes, quibus judicandi facultatem sors fortunaque in populo detulit, talium rerum machinatori veniam dabitis, quique universarum civitatis legum finem tenetis, impunitum largitorem munerum omniumque pessime perpetratarum rerum auctorem dimittetis, qui — ut paulo ante dicebam — tertio non semel omnium improborum caput solus enunciatus est, tertioque jam pridem secundum hoc suum decretum morti addictus? Quid igitur exspectatis, Athenienses? et qualia quæque alia majora iis quæ dicta sunt quæritis intelligere? Nonne vos estis et majores vestri qui Timotheum qui Peloponnesum circumnavigarat et navali prælio Lacedæmonios ad Corcyram vicerat, qui filius erat Cononis qui Græcis libertatem peperit, et Samum et Methonem et Pydnam Potidæamque aliasque insuper viginti urbes ceperat, neque istorum gratia eum excusastis? neque ejus temporis judicio quoque obstricti jurejurando sententiam fertis tot prætulistis beneficia, verum, quia pecuniam eum a Chiis Rhodiisque Aristophon accepisse inquiebat, centum talentis mulctastis? Hunc vero scelestum hominem ac proditorem, quem non unus vir sed universus Areopagi senatus habita quæstione munera pecuniamque contra vos accepisse declaravit et convicit, qui multas possidens opes et mascula carens prole, ac rei nullius indigus quorum opus habere potuerit, non ob oblatas contra patriam largitiones sese abstinuit insitamque improbitatem non celavit, sed natam illi apud vos fidem omnino perdidit, iisque quibus antea æmulari dicebam, contra illos sese opposuit, ac simulatam suam probitatem cum esset falsa pro vera ostentavit.

5. Quæ cum animis vestris perpendentes memoresque, Athenienses, præsentium temporum, quæ fide non munerum corruptela indigent, odisse improbos taliaque e republica monstra perturbare vos convenit, et omnibus ostendere hominibus quod non hæc populi multitudo una cum quibusdam oratoribus ac militum præfectis corrupta sit, neque servire gloriæ, scientes quod justitia mutuaque concordia facile, diis faventibus, si qui nobis injuste opponantur, ulciscimur; munerum vero corruptelis ac proditionibus atque istis similibus malis, quæ illis ipsis hominibus insunt, nulla civitas servari potuerit. Nullas igitur preces, Athenienses, neque miserationis erga illos sensum in vos admittentes, neque vero ipsis ex operibus ac veritate ostensam vobis contra reos nequitiam irritam facientes, reipublicæ legibus patriæque auxiliamini: hæc enim utraque cum istius improbitate in judicium vocantur. De universa provincia, Athenienses, sententiam laturi estis, de exstructis in ea templis et antiquis legum sanctionibus, de tradita a majoribus vestris politia, non de Philocle solum: ille enim jampridem seipsum morte damnavit. Hæc vos ego supplicans æquiorem multo petitionem peto quam ii qui talia moliti sunt, neque ulterius permittere convenit a quibus majores nostri plurima pericula perpessi sunt, neque in fœdam aliquam labem urbis dignitatem conjicere, neque etiam ob ipsorum gratiam aucupandam leges et populi curiæque præjudicia immutare istisque indulgere. Certo enim scitote, Athenienses, certo inquam, vobis apud omnes e factis illis de auro quæstionibus laudem parari maximam; hi vero, qui contra suam ipsorum patriam dona suscepisse convicti sunt, nequam et injusti publicoque odio digni censendi, amare vos præ se ferentes urbisque studere commodis, et per vos clari effecti.

LATINÆ INTERPRETATIONIS AD DINARCHUM

FINIS.

LYCURGI
INTERPRETATIO LATINA.

LYCURGI

CONTRA LEOCRATEM.

ARGUMENTUM.

Post tolerata Chæroneæ pericula decretum facit Atheniensium populus, ut nemo ex urbe alio se conferret neque aut liberos aut uxores in alium locum traduceret. Leocrates igitur quispiam urbem egressus, Rhodum accessit, dein Megara pervenit, tandem Athenas rediit: atque quum isthic cum fiducia ageret, accusationem adversus eum ceu proditorem Lycurgus instituit. Status est finitio non simplex, sed repugnans instituto actoris; fatetur enim Leocrates se reliquisse quidem urbem, sed haudquaquam prodidisse tamen. Alii dicunt conjecturam esse a consilio, ceu ejus qui profectum quidem se ex urbe haud infitietur, de cujus tamen instituto haud satis constet, qua mentis sententia sit egressus, proditionisne an negotiationis causa. Alii intentionem dicunt: affirmat enim se non proditionis, sed negotiationis, causa reliquisse urbem. Est autem idem hujus orationis argumentum cum ea, quam adversus Autolycum scripsit.

1. Justum, Athenienses, et pium et pro nostra et deorum causa exordium accusationis Leocratis rei sum facturus. Precor enim Minervam aliosque deos et heroas, per urbem passim et regionem constitutos, ut, si ad judicium vocaverim juste Leocratem, accusemque eum prodidisse et delubra et sedes deorum immortalium et lucos nec non legibus instituta sacra a vestris majoribus tradita, me dignum hodierno die Leocratis scelerum accusatorem faciant, quod et populo et urbi est commodum, vos autem ceu pro parentibus et liberis et uxoribus et patria et sacris deliberantes, habentes item sub judicio proditorem horum omnium, faxint inexorabiles judices [qui non detis veniam] et nunc et in reliquum tempus adeo graviter et flagitiose delinquentibus: sin vero neque eum patriam prodidisse neque deseruisse urbem et sacra hoc certamine evicero, servatum iri ipsum a periculo et a diis et vobis judicibus efflagito.

2. Optarim autem, viri, quemadmodum utile est urbi esse judices in hac scelerate agentium, sic et humanum apud plerosque existimatum fuisset: jam vero eo res rediit, ut per sese periculum subiens ac pro publicis rebus odio expositus non patriæ amans sed curiosus esse videatur, neque jure neque civitatis aliquo emolumento. Tria enim sunt maxima, quæ custodiunt atque conservant statum

popularem urbisque felicitatem: primum quidem legum ordinatio, secundum judicum calculus, tertium vero his judicibus agnoscere concedens delicta judicium. Lex enim solet quæ non deceat agere præscribere, accusator autem denunciare eos qui sint legum censuræ obnoxii, judex denique punire ab utrisque hisce demonstratos, quare neque lex neque judicum suffragium, nisi ipsis injuste agentes tradantur, quicquam valet. Ego vero, Athenienses, compertum habens Leocratem fugisse pericula quæ pro patriæ defensione toleraret, deseruisse suos cives, prodidisse quoque omnem vestram potentiam, omniumque lege expressarum pœnarum reum, hanc ad judices ejus accusationem institui, neque inimicitia ulla neque contentione quadam adductus hoc certamen suscepi, verum turpe existimans hunc sinere foro inferre sese ac communium sacrorum participem esse, qui sit patriæ dedecus omniumque vestrum turpitudo. Justi enim est civis non ob privatas inimicitias ad publica judicia deferre eos qui nulla in re urbem injuria affecerint, eamve læserint, verum eos qui in patriam quidquam committunt, suos hostes esse reputare, ac publica crimina publicas etiam occasiones cur ab iis dissideamus habere.

3. Operæ pretium est itaque vos arbitrari universas publicas actiones esse ingentes, potissimum vero hanc super qua nunc calculum estis vestrum laturi. Etenim, quando sententiarum legibus repugnantium causas judicatis, hoc tantummodo corrigitis idque solum cavetis, quatenus istud decretum offendat urbem: at quod nunc præ manibus est certamen haud exiguam quandam partem rerum urbicarum continet nec ad modicum temporis curriculum, sed pro tota patria perque omne ævum nunquam non memorandum relinquet posteris judicium. Adeo enim dirum est patratum scelus, tam grande commissum facinus, ut neque accusationem neque supplicium liceat invenire dignum, neque legibus definita sit ultio sceleribus respondens. Quo enim supplicii genere afficiendus est qui patriam deseruit? neque opem tulit patriis sacris? majorumque suorum reliquit tumulos? universam autem urbem subjugatam hostibus prodidit? Siquidem maximum et novissimum suppliciorum, mors, necessaria est ex legibus mulcta, Leocratis autem facinoribus improbis par non exstat. Prætermitti autem super ejusmodi criminibus pœnam contigit, judices, non per socordiam eorum qui tum sancivere leges, cæterum, quod prioribus temporibus nihil ejusmodi acciderit et quia non putarint tale quiddam futuris temporibus eventurum, factum est ut neque accusatio neque supplicium possit inveniri dignum. Proinde et maxime, viri, operæ pretium est vos esse non solum præsentis flagitii judices, verum etiam legislatores, quæcunque enim scelera lex quæpiam definivit, facile est secundum hanc regulam accommodatam punire delinquentes: quæcunque

autem non admodum comprehendit, uno nomine appellans generatim nimirum, majora autem quam legibus explicetur quisquam designavit, omnibusque legibus ex æquo obnoxius est, necessarium est vestrum judicium relinqui exemplum posteris. Bene autem novistis, viri, quod non solum hunc etiamnum punietis sententia vestra condemnantes, verumetiam juniores omnes ad virtutem adhortabimini. Duo enim sunt quæ erudiunt juvenes, nempe injuste agentium supplicium et quæ bonis viris datur gratia: ad utrumque autem horum respicientes, hoc quidem propter metum defugiunt, illam vero propter gloriam concupiscunt.

4. Quocirca opus est vos, viri, advertere mentem huic certamini neque quicquam anteferre justo. Faciam autem et ego accusationem justam, neque comminiscens quidquam neque extra rem dicens. Plurimi autem eorum qui ad vos adeunt oratores omnium absurdissimum faciunt: aut enim deliberant hic de publicis rebus, aut accusant et calumniantur omnia potius quam de quo sententiam dicturi estis. Atqui neutrum horum difficile est, neque de iis sententiam exponere, quod vos judices non vultis, neque eorum, quorum nemo defensionem suscipiet, accusationem invenire. At non est æquum vos quidem contendere justum calculum ferre, istos autem haud justam accusationem facere. Harum autem rerum vos auctores estis, viri: potestatem enim dedistis huc ingressis oratoribus hanc, quum tamen pulcherrimum Græcorum exemplum vobis in promptu sit Areopagi concilium, quod in tantum ab aliis discrepat dicasteriis, ut et apud ipsos condemnatis constet justum exhiberi judicium. Ad quod respicientes vos operæ pretium est haud permittere ut quidnam a causa alienum patroni causarum dicant. Ita enim futurum est ut reis citra calumniam certamen peragatur actoribusque minime sycophantis esse liceat vosque fidelissimum firmissimumque calculum feratis. Fieri enim non potest ut sine oratione, non juste edocti, justum feratis suffragium.

5. Opus est autem, judices, neque hoc latere vos, quod non sit idem certamen de hoc aliisque ex vulgo reis. De incognito enim Græcis homine in vestro videbatur situm esse arbitratu aut bene aut male sententiam tulisse: de hoc vero quicquid consulueritis omnium Græcorum ore feretur. Celebris enim est nominis tum ob profectionem suam qua hinc in Rhodum insulam enavigavit, tum propter nuncium quem de vobis fecit et ad urbem Rhodiorum et ad mercatores qui illic sunt advenæ, qui universum terrarum orbem circumnavigantes quæstus causa disseminarunt de urbe simul quæ ex Leocrate audiverunt; qui majorum vestrorum facta noverunt longe contraria hisce quæ ab hoc transacta sunt. Plurimi ergo faciendum est recte de eo statuere. Probe enim vobis exploratum est, Athenienses, quod quanto amplius differatis ab aliis hominibus, eo quod

erga deos religiose, erga parentes pie, erga patriam vos honeste ge-ratis, tanto negligentiores videamini, si vestrum hic evaserit suppli-cium. Quæso autem vos, Athenienses, ut accusationem hanc meam ad finem usque patienti animo audiatis, nec ægre feratis si exordium sumam ab iis rebus quæ tum urbi contigerunt, sed causis potius indignemini et iis propter quos cogor hæc ipsa ad memoriam revocare.

6. Commisso enim apud Chæroneam prælio factoque omnium vestrum ad concionem concursu decrevit populus liberos et uxores ex agris ad mœnia transferre, imperatores autem ordinare ad excubias quosvis Atheniensium aliorumque demorantium Athenis, quatenus ipsis videretur. Leocrates autem, horum nihil plane curans, omnes quæ habebat facultates collectas veluti in sarcinas cum famulis suis domesticis in lembum transtulit, navi jam circa litus exeunte, atque circa crepusculum vespertinum ipse cum amica Eirenide juxta medium litus per portulam egressus ad navim adnavigavit abiitque fugiens, neque portum urbis misertus, e quibus in altum abducebatur, neque mœnia patriæ reveritus, quorum custodiam desertam pro virili sua parte reliquit, neque arcem ac delubrum Jovis Servatoris et Minervæ Servatricis respiciens et prodens exterritus est, quos actutum e periculis sibi servatores invocabit. Deductus autem et perveniens in insulam Rhodum, ceu patriæ suæ ingentem felicitatem oblatam prædicans, commemoravit quod arcem civitatis captam reliquerit, Piræei obsessum emporium, se solum conservatum evasisse affirmans: nec erubuit patriæ infortunium suam salutem appellare. Adeo autem valde hæc crediderunt Rhodii, ut triremes implentes navigia deduxerint, atque mercatores et gubernatores instructi hæc navigare, ibi suum frumentum vi amiserint aliasque res propter ipsum hunc. Et quod hæc vera dicam, leget vobis testimonia omnium, primum quidem vicinorum et in loco hoc commorantium, qui hunc noverunt in bello fuisse transfugam atque Athenis enavigasse, deinde eorum qui Rhodi erant, quando Leocrates hæc renunciabat, post hæc audietis Phyrcini quidem testimonium, quem et vestrum [noverunt] plerique accusasse hunc apud populum, quod fuisset etiam admodum socius damni quod datum est reipublicæ in defraudatione vectigalis quinquagesimæ. Priusquam autem adscendant huc testes, paucis cupio dissertare vobiscum.

7. Non sunt clam vobis, judices, neque apparatus judicatorum neque preces exorantium, verum accurate nostis quod pecuniarum causa et ex favore plerisque testium persuasum est aut esse immemores aut non venire ad judicium aut aliam occasionem invenire. Jubete proinde testes adscendere neque resides esse in patefacienda veritate neque pluris facere favorem et beneficia quam vos et urbem hanc ipsam, cæterum præcipite eis reddere patriæ ea quæ vera et justra sunt, neque relinquant ordinem hunc ita ut imitentur

Leocratem, aut curate ut acceptis sacris secundum legem jurejurando affirment se nihil quod vero repugnet acturos aut dicturos. Sin neutrum horum fecerint pro vobis legibusque et republ., vocabimus eos in judicium. Recita testimonia.

TESTIMONIA.

8. Contigit post hæc, judices, ut naves Athenis appellerent Rhodum; patefacto igitur quod nihil periculi aut horrendi obvenisset urbi, perterrefactus rursum e Rhodo solvens Megara adiit, habitavitque Megaris ultra quinquennium patronum habens Megarensem, neque confinia regionis reveritus, verum apud vicinos patriæ quæ eum aluerat educaveratque peregrinus manens. Atque adeo suam perpetuam statuebat fugam, intelligens se contra patriam consulto egisse, ut accersiverit hinc Amyntam qui sororem suam grandiorem natu habebat, et amicorum Antigenem e tribu Xypete, precatusque affinem suum ut ab se emeret mancipia domumque venderet talento, de eo mandarit creditoribus persolvi debita, sumptus in commune amicorum convivium instituendum erogari, quod super esset sibi reddendum jusserit. Persecutus hæc omnia Amyntas ipse rursus divendit mancipia triginta quinque minis Timochari Acharnensi qui minorem hujus natu sororem uxorem tenebat: quum autem non haberet quod daret argentum Timochares, facto fœdere depositoque cum Lysicle, minam pro fœnore solvebat Amyntæ. Ne autem existimetis verba esse sola quæ proloquor, sed veritatem esse sciatis, legentur et horum vobis testimonia. Quod si adhuc vitali aura frueretur ac viveret Amyntas, illum ipsum vobis exhiberem: nunc vero acceršo ejus facinoris conscios. Recita proinde mihi hoc testimonium, quomodo nimirum emerit ab Leocrate Megaris mancipia Amyntas et ædes.

TESTIMONIUM.

Audite qui etiam acceperit quadraginta minas ab Amynta Philomelus Cholargensis et Menelaus is qui legatione ad regem functus est.

TESTIMONIUM.

Age jam accipite testimonium Timocharis ementis mancipia ab Amynta triginta quinque minis, et pacta.

TESTIMONIUM. PACTA.

Testes quidem audivistis, judices: est autem æquum vos succensere Leocrati atque eum odisse ob ea quæ etiamnum dicturus sum. Haud enim satis ei fuit corpus suum facultatesque subducere, verum etiam sacra patria, quæ vestris legitimis et patriis consuetudinibus majores vestri constituentes ipsi tradiderunt, hæc ipsa Megara accivit eque

regione evexit, neque appellationem patriorum sacrorum metuens quicquam, quod ex patria ea movens fugæ suæ consortia esse, relictis delubro et regione hac quam obtinebant, compulit, in extero et alieno solo ea collocans, ut essent peregrina regioni et legibus Megarensium urbi consuetis. Patres sane vestri urbem Athenas, deæ quæ regionem hanc obtinuit, Athenæ cognominem fecerunt, ut venerantes deam idem nominis obtinentem cum urbe illam ipsam non relinquerent: Leocrates vero neque lege constitutorum [neque] patriorum rituum neque sacrorum curam gerens, quantum in se fuit, a vobis deorum auxilium eduxit avexitque. Neque satis fuit ei tot, tantis, tam variis urbem hanc injuriis afficere, verum demorans Megaris, pecuniis quas a vobis asportavit fretus, ex continente a Cleopatra in Leucadem frumentum vexit indeque Corinthum. Quum tamen leges vestræ, judices, extrema supplicia decernant ad ejusmodi delictum, si quis Atheniensium alio quam ad vos frumenta divendenda transvehat. Proinde eum qui tempore belli proditor fuit, qui frumentum alio præter leges vestras transtulit, qui non habuit rationem neque sacrorum neque patriæ neque legum, hunc habentes vestræ sententiæ subjectum non occidetis, nec exemplum aliis facietis? Omnium itaque hominum ignavissimi eritis et minime ob gravissima scelera irascentes.

9. Considerate vero [simul] hæc, viri judices, quam justam de his omnibus ego explorationem fecerim. Non enim arbitror vos decere super adeo grandibus delictis divinantes sed veritatem contuentes sententiam ferre, atque adesse testes non qui daturi sunt testimonium sed qui dederunt. Accersivi enim eos, libellum de vocandis ad quæstionem super his omnibus scribens, par esse censens examinare tormentis hujus servos. Recita mihi hunc libellum.

LIBELLUS DE PROVOCANDIS TESTIBUS.

Auditis igitur, judices, provocationem. Hanc vero Leocrates haud recipiebat testabaturque de sese quod patriæ esset proditor: quum enim omnium consciorum denunciationem fugit, confessus est vera esse quorum causa in judicium est vocatus. Quis enim vestrum ignorat, omnium multo justissimum admodumque populare esse de rebus controversis, quando servi et servæ sciverint quæ inquiruntur, illos ipsos redarguere ac torquere, operibusque potius quam verbis adhibere fidem, de rebus præcipue communibus et arduis et conferentibus urbi? Ego itaque tantum absum ab eo ut injustam accusationem adversus Leocratem instituerim, quantum malui privata pericula in Leocratis servis et ancillis tormentis examinatis confirmationem aut probationem esse, hic vero, quia sibi ipse mali conscius fuit, haud exspectavit sed aufugit. At vero, judices, multo citius Leocratis servi et ancillæ eorum quæ confessuri erant quicquam inficiati fuissent quam ea quæ non essent contra dominum suum mentiti.

10. Ad hæc Leocrates vociferabitur actutum, quod expers eloquentiæ ipse ab oratoris et calumniatoris gravi oratione vi accipiatur. Ego autem puto omnibus vobis constare, quod orationis gravitate pollentium tentantiumque calumniari opus sit simul istud velle, atque itidem quærere locos hosce quibus fallacias adversus eos quibuscum certant intendere possint; eos vero, qui jure judicia instituant obnoxiosque diris demonstrent, videri diversa facere ab iis, perinde ac nos facimus. Sic autem cogitate de his apud vosmetipsos: quos impossibile erat vehementia apparatibusque orationis seducere? [Famulos.] Natura igitur tormentis examinati omnem veritatem de omnibus flagitiis dicturi erant et servi et ancillæ: sed hos Leocrates tradere devitavit, idque non alienos, sed suos. Quos autem possibile esse videtur verbis permovere humoremque ipsorum lenitatis lacrymis ad misericordiam provehere? Judices. Ad hos sese Leocrates patriæ proditor contulit, nihil aliud spectans quam metuens ne ex eadem domo et redarguentes opus ejus et redargutus convictusve ipse prodeant. Quid enim opus erat prætextibus aut verbis aut consideratione? Simplex est justitia, facilis res est veritas, brevis redargutio. Si fateatur ea, quorum causa accusatur, vera esse et sancta, cur non juxta legum expressam sententiam supplicio afficitur? sin hæc vera esse inficietur, cur non tradidit servos et ancillas? Decet enim proditionis insimulatum et tradere et tormentorum quæstionibus examinare servitia ac nullam accuratissimarum investigationum subterfugere. Sed nihil horum egit; enimvero testimonium de seipso perhibens, quod sit patriæ proditor et religionis et legum, dignum censebit et contendet ut vos contraria suis et confessionibus ac testimoniis decernatis. At qui justum est ut eum, qui defensionem sui et ex aliis plerisque et ex eo quod non acceperit justas conditiones abstulerit, sinatis vobis ipsis super apertis sceleribus imponere? de libello itaque quo servitia ad quæstionem citata sunt, et crimine quod manifestum sit, puto vos abunde, judices, didicisse.

11. Quibus autem temporibus et quantis periculis expositam urbem prodiderit, revocare vos ad memoriam volo. Sed heus accipe mihi, scriba, decretum Hyperidis, et lege.

DECRETUM.

Auditis decretum, judices, quod senatum, quingentos nimirum, descendere ad Piræeum, ut statueret de custodia Piræei, armatum placuit, utque instructus esset transigere quod videretur populo conducere. At vero, judices, si rude donati, ut pro urbe consultarent,

in militum ordine perseverarunt, num vobis exigui et vulgares metus videntur tum urbem occupasse? In quibus Leocrates hic et ipse ex urbe fugiens transfuga abiit omnesque facultates exportavit sacraque patria accersivit, atque ad tantum proditionis crimen pervenit, ut secundum ipsius quidem institutum deserta fuissent templa ab sacris, desertæ fuissent etiam custodiæ murorum, relicta autem esset civitas et regio. Attamen illis temporibus, viri, quis non urbis misertus fuisset, non solum civis, verum etiam peregrinus qui prioribus temporibus ad nos advenerit? Quis vero erat adeo vel osor populi vel Atheniensium, qui potuisset seipsum inordinatum sustinere videre, quando victoriæ amissio et quod contigerat malum [populo] annunciabatur, arrecta autem erat civitas in iis quæ acciderant calamitatibus, spes autem salutis populo in iis qui ultra quinquaginta annos nati erant collocatæ fuerant; cum videre erat in januis uxores liberas trepidas et consternatas percontantesque num viverent, alias quidem de marito, alias de patre, alias de fratribus, contra dignitatem tam ipsarum quam urbis ita conspectas, viros autem, qui corporibus ad bellum idonei non erant et ætate grandævi et legum voluntate a militia dimissi, videre erat per totam urbem ipso senio perire, duplicibus palliis amictos connexosque? Quum autem pleraque tristia et horrenda fierent in urbe passim, civesque in universum omnes summa infelicitate premerentur, maxime tum quis doluisset ubertimque fudisset lacrymas super tantis urbis calamitatibus, quando videre erat populum decernentem servos debere esse liberos, peregrinos Athenienses, ignominia notatos fama integros: qui primum, quod indigena esset, plurimum sibi gloriæ vindicabat. In tantam autem permutationem est urbs adacta, ut quum prius pro aliorum Græcorum salute dimicaret, contenti jam essent, si pro sua ipsorum salute tuto dimicare possent. Et qui antehac magnæ barbarorum regioni dominarentur, tunc temporis adversus Macedonas pro sua terra periculis involverentur: et quem antehac populum Lacedæmonii, Peloponnesii, Asiamque incolentes Græci auxiliaturum implorabant, hic jam opus haberet ex Andro, Ceo, Trœzene et Epidauro auxilia sibi accersere. Proinde, judices, eum qui in ejusmodi terroribus, in tantis periculis, tanta turpitudine urbem dereliquerit, neque sese pro patria armaverit neque corpus suum præbuerit ad aciem imperatoribus, sed transfugerit atque populi salutem prodiderit, quisnam judex urbis amans aut pius esse volens sententia sua absolverit, aut quisnam orator huc accitus proditori urbis opem tulerit? qui neque super tantis patriæ calamitatibus una lugere ausus fuerit, neque quicquam contulerit ad urbis et populi salutem? At vero illis temporibus non est, quæ ætas non exhibuerit seipsam ad urbis salutem tuendam, quando regio hæc arbores contulit, mortui vero sepulcra, templa autem arma. Curam enim gerebant alii quidem mœnium constructionis, alii sepulcrorum, alii valli: neque quisquam ex omnibus qui in urbe erant otiosus torpensve inveniebatur. At horum operum nulli corpus suum præbuit admovendum Leocrates. Quæ vos recordantes eum, qui neque conferre neque venire dignatus sit ad eos efferendos qui pro libertate populique salute in Chæronea occubuerunt, morte mulctare par est, tanquam, quod ad ipsum attinet, insepulti viri illi relicti sint; quorum neque hic tumulos præteriens erubuit octavo demum anno patriam ipsorum appellare.

12. De quibus, judices, paulo plura narrare constitui, vosque audire precor nec alienas putare tales a publicis contentiones; siquidem bonorum virorum præconia manifestum indicium de iis qui contraria moliuntur faciunt. Præterea justum laudem, quæ una præmium periculorum est bonis viris, hanc ipsam, quandoquidem et illi in communem salutem urbis animas suas effuderunt, in publicis et communibus certaminibus urbis haud prætermittere. Nam illi hostibus occurrerunt apud confinia Bœotiæ pro Græcorum libertate pugnaturi, non in mœnibus spem salutis habentes, neque terram populandam prodentes hostibus, cæterum suam fortitudinem propriam tutiorem esse munitionem putantes lapideis propugnaculis, meritoque pudefacti solum quod se educarit cernere vastari. Jure: quemadmodum enim erga naturales parentes et adoptativos non omnes æque sunt benevoli, ad hunc modum erga regiones, quæ natura nos non attingunt, sed post acquisitæ sunt, minus affecti sunt homines. Ejusmodi sententiis impulsi, cum optimis viris ex æquo periculorum consortes facti, non pari ratione participes sunt facti fortunæ: virtute namque non fruuntur cum viventibus, sed mortui gloriam reliquerunt, haud victi, sed mortui ubi in acie collocati fuere pro libertate dimicaturi. Quod si omnium longe admirabilissimum, verum autem, dicere oporteat, illi vincentes mortui sunt. Præmia enim belli bonis viris sunt libertas et virtus: hæc sane ambo defunctis vita præsto sunt. Neque fieri potest, ut illi dicantur amissæ victoriæ auctores, qui mentibus suis non trepidaverint ob imminentium malorum pavorem. Solos enim eos qui in bellis honeste moriuntur nemo victos esse jure dixerit: nam servitutem fugientes celebrem mortem seligunt. Declaravit porro istud horum virorum virtus: soli enim omnium Græciæ libertatem suis in corporibus habebant. Una enim illi vitam permutarunt resque Græcorum ad servitutem deciderunt: simul enim sepulta est cum horum corporibus reliquorum Græcorum libertas. Unde et perspicuum omnibus fecerunt se non privatim fecisse bellum, sed pro publica libertate tuenda sese præ aliis pericula subiisse. Quocirca haud puduerit me, judices, dicere coronam patriæ esse illorum animas. Quapropter, ex iis quæ recte gesserunt scitis, Athenienses, soli ex

Græcis bonos viros honoribus afficere: invenietis autem apud alios quidem in foro gladiatorum statuas positas, apud vos autem imperatorum bonorum et qui tyrannum occiderint. Ejusmodi autem viros ne ex universa quidem Græcia facile est invenire paucos; eos autem, qui ludos aut certamina in quibus pro corona certatur vicerint, ex plerisque locis in proclivi est novisse. Ut igitur benefactoribus maximos honores tribuitis, sic justum est ut eos, qui patriam contumelia afficiunt eamque produnt, extremis suppliciis puniatis.

13. Considerate autem, judices, quod nihil liceat vobis revocare in Leocrate hoc, quum justa facitis. Scelus enim hoc jam judicatum est condemnatumque. Nam senatus in Areopago — neque mihi quisquam hic obstrepat, concilium enim Areopagiticum maxime tum fuisse urbi salutare judico — transfugas patriam deserentes ac hostibus prorsus dedentes arreptos occidit. Nec existimetis, Athenienses, eos, qui aliorum scelera quibus cædem commisere sanctissime judicant, in quendam civium adeo inique agere. At vero Autolycum quidem vos condemnastis, quum ipse tamen in periculis perstitisset, habuerit autem criminationem, quod filios et uxorem clam alio transportarit, eumque supplicio affecistis. Quod si eum qui insimulabatur, quod clam exponeret inutiles ad bellum, supplicio affecistis, quid illum pati convenit qui, quum vir sit, non fuerit patriæ suæ gratus pro educationis immensis beneficiis? Præterea gravem ratus esse rem populus decrevit reos esse proditionis si qui pro patria subire periculum detrectassent; dignos tales extremo supplicio censens. Quæ igitur conclusa sunt apud justissimum concilium, decreta a vobis sorte delectis ad sententiam ferendam, constat denique apud populum maximo digna esse supplicio, hiscene vos contraria decernetis? Omnium, si istud faciatis, futuri estis insipientissimi, paucissimosque habebitis qui pro vobis sese periculis sint objecturi. Quod itaque reus sit omnium quorum insimulatus est Leocrates, Athenienses, perspicuum exsistit.

14. Audio autem ipsum daturum operam ut vobis imponat dicendo quod mercator enavigaverit atque propter hanc negotiationem Rhodum commigrarit. Si igitur hæc dixerit, cogitate in animo quomodo facile ipsum in mendaciis deprehendatis. Primum enim non ex litore per portulam inscendunt navim qui ad mercatum navigant, sed ex portu, ab omnibus amicis visi et amandati: deinde non cum scortillo et ancillis, sed solus cum puero administro. Præterea quid opus erat Megaris Atheniensem ceu mercatorem quinquennium demorari et sacra patria transferre domumque hic vendere, nisi et agnovisset se prodidisse patriam et magna omnes injuria affecisse? Omnium proinde absurdissimum fuerit, de quibus sceleribus ipse exspectavit supplicia fieri, ea vos rescindatis, quum sitis domini judicii. Insuper non puto oportere ut admittatis hanc

defensionem. Qui enim non est horrendum eos, qui ad mercatum in peregrino consistunt solo, accelerare reditum ad patriæ auxilium; hunc autem solum istis temporibus pro quæstu transmittere maria, quando ne unus quidem quicquam lucrari quæsivit, sed parta tantummodo tueri? Lubens vero audirem, quam negotiationem adducens dicat sese urbi commodiorem fuisse quam si corpus in urbis salutem imperatoribus ordinandum præbuisset invadentesque in patriam arcuisset, vobiscum pugnans. Ego pæne nullum tantum auxilium esse video. Dignum autem est, ut ipsi non solum ob hoc facinus succenseatis, sed propter etiam hunc sermonem: palam enim mentiri ausus fuit. Neque enim prius unquam se huic quæstui dedidit, sed possederat ærarios; neque tum hinc solvens quicquam huc advexit, sex annos integros peregrinatus. Ad hæc quinquagesimæ vectigalis consors erat, qua haud relicta apud exteros ageret. Quare si quid de his dixerit, neque vos ipsi permissuros reor.

15. Sed fortasse ad illam rationem citato cursu perveniet, quam ipsi quidam patronorum suaserunt, quod non sit reus proditionis: neque enim se navalium esse dominum neque portarum neque exercituum neque ullius functionis quæ ad urbem pertinet. Atqui horum dominos censeo partem quandam potentiæ vestræ prodere, hunc autem totam dedititiam facere civitatem. Ad hæc alii quidem proditores viventes tantummodo injuria afficiunt, hic autem et vita defunctos et hujus regionis sacra patriis legibus et jure privans. Atque ab illis proditam inhabitari contigisset servam factam hanc urbem, quo autem in modo hic ab ea excidit, inhabitabilem esse accidisset. Quinetiam civitates ex infelicitate ad meliorem statum transferri probabile est, sin omnino vastetur urbs, eandem communibus etiam spebus privari verisimile est. Ut enim homini viventi spes est ab infelicitate se tandem liberatum iri, defuncto autem vita simul auferuntur omnia per quæ quisquam felix esse queat; non dissimilem ad rationem cum civitatibus accidit ut finem malorum assequantur cum eversæ fuerint. Si enim verum dicere oporteat, civitatis est mors, eam sedibus pelli vastarive. Argumento autem maximo esse poterit, quod in nobis experti sumus: nostra enim urbs olim a tyrannis in servitutem est redacta, dehinc a Triginta et a Lacedæmoniis muri sunt diruti: et ab his tamen ambobus malis sumus liberati, Græcorumque salutis digni judicati sumus præsides fieri. Sed ejusmodi fortuna non obtigit unquam iis urbibus quotquot eversæ fuerunt. Vetustius equidem est quod dicturus sum, ad rem tamen præsentem facit: Trojam quis non audivit maximam tum urbium fuisse totique dominatam esse Asiæ, hæc ipsa tamen ut semel diruta fuit, perpetuo habitatoribus vacat? Idem confirmat, quod Messene quingentis post annis ex vulgaribus hominibus adeoque colluvie sit constructa?

16. At fortasse patronorum aliquis ipsi audebit dicere, rem ipsam extenuans, quod nihil horum fieri potuit per unum hominem; nec pudet illos ejusmodi defensionem facere apud vos, ob quam jure mori deberent. Si enim confiteantur patriam eum deseruisse, hoc permisso vos sinant de sceleris magnitudine adjudicare: sin nihil horum fecit, nonne insania jam hoc est, nimirum dicere, quod nihil urbi acciderit, etiamsi hic unus discesserit? Existimo autem ego, judices, diversum, dissentiens a patronis istius, nempe ab uno homine salutem pendere urbis. Siquidem urbs habitatur secundum propriam cujuslibet provinciam custodita: quum igitur hanc quispiam in uno neglexerit, ignorat sese in omnibus isthuc fecisse. Profecto facile est, judices, ad veterum legislatorum respicientes sententias, veritatem invenire. Non enim illi centum talenta suffuratum morte mulctarunt, decem vero drachmas sublegentem minore pœna affecerunt; neque eum qui ampla spolia e delubris deorum immortalium abstulerit, occiderunt, qui vero pauca spoliarit, minore supplicio puniebant; neque eum, qui servum occidisset, pecunia mulctabant, qui vero liberum, legibus cohibebant: verum in omnibus, etiam minimis, delictis, mortem decreverunt esse mulctam. Non enim ad propriam naturam patrati facinoris unusquisque respiciebat, neque exinde capiebat magnitudinem scelerum, verum isthuc considerabant, si natura comparatum est hoc facinus, si incrementum caperet, lædere humanum genus. Etenim absurdum est alio quodammodo de hoc examen facere. Agite enim, viri, si quis unam legem Metroum ingressus deleverit, deinde contenderit, quod nihil per hanc expunctam legem urbi mali eveniat, nonne occideretis eum? Ego sane vosh oc jure facere censerem, si modo cæteras conservare velitis. Ad eundem modum hic puniendus est, si alios cives meliores reddituri estis. Neque hoc cogitabitis, quod unus tantummodo sit homo, verum ad rem ipsam est spectandum. Ego enim existimo ejusmodi homines non multos fieri vestram felicitatem esse, atque hunc propterea majore supplicio dignum, quod solus ex aliis civibus non publicam sed privatam salutem quæsiverit.

17. Supra modum autem commoveor, viri, si audiam quendam eorum qui ab hujus partibus stant dicere, quod hoc non sit prodere, si quis ex urbe abiit: etenim majores nostri hac urbe relicta, quando adversus Xerxem gerebant bellum, Salamina transmigrarunt. Adeoque væsanus est omninoque vestri contemnens, ut pulcherrimum factum isthuc ad turpissimum conferre non erubescat. Ubi enim celebrata illorum virorum virtus non fuit? Quis adeo aut invidus est aut a virtutis et honoris cupiditate alienus, qui non optarit rerum ab illis ipsis gestarum consors esse? Non enim ab urbe excesserunt, sed locum permutarunt, adversus imminens periculum honesta deliberatione habita. Eteonicus enim Lacedæmonius et Adimantus Corinthius Æginetarumque classis sub noctem salutem sibi quæsituri erant fuga: deserti itaque majores nostri ab omnibus Græcis alios etiam invitos liberarunt, cogentes eos apud Salamina secum adversum barbaros navali prælio decertare. Soli autem majores nostri utrosque superabant, et hostes et socios, ut utrosque superare decuit, socios beneficiis, hostes virtute. Similene est ergo majorum nostrorum factum fugienti patriam navigantique Rhodum quatuor dierum spatio? Ægre eorum aliquis sustinuisset ejusmodi opus, ac non statim lapidibus obruissent eum qui pudefaceret eorum præclarissimam operam. Adeo autem patriam diligebant omnes, ut ab Xerxe missum legatum Alexandrum, prius ipsis amicum, quando vero terram et aquam petiisset, propemodum lapidibus obruissent. Quod si tum de verbo supplicium sumendum censuerunt, nonne reipsa tradentem urbem hostibus magnis pœnis afficerent? Proinde talibus usi consiliis nonaginta quidem annos Græcorum duces constituti sunt, Phœnicen autem et Ciliciam populati sunt, ad Eurymedontem vero pedestribus copiis in terra belligerantes et navali prælio decertantes vicerunt, centum autem triremes barbarorum captivas ceperunt, universam autem Asiam affligentes circumnavigarunt, et quod summum est victoriæ, non tropæum Salamine statuere contenti, sed terminos barbaris figentes qui ad Græciæ libertatem pertinerent, hosque prohibentes transgredi, fœdera pepigerunt, ut longa quidem nave non navigarent intra Cyaneas insulas et Phaselidem amnem, Græci autem sui juris essent, ii etiam qui Asiam incolerent, non solum qui Europam. At vero arbitramini, si omnes Leocratis istius imbuti mente fugissent, horum aliquod factum egregiorum operum esse, aut hanc vos adhuc regionem inhabitare? Operæ pretium est ergo, judices, quemadmodum bonos commendatis et honore afficitis, sic et ignavos odisse et punire; maxime vero Leocratem, qui neque metuit neque vos est reveritus.

18. Sane de his rebus qualiter statuistis, qualesque sint sententiæ vestræ, contemplamini. Dignum est enim eas etiam apud gnaros earundem percensere. Præconium enim, ita mihi Minerva faveat, urbis sunt veteres leges et consuetudines eorum qui hæc primum constituerunt, quibus si advertatis animum, justa facietis omnibusque hominibus honesti dignique urbe judicabimini esse. Vobis enim est jusjurandum, quod jurant omnes cives, postquam in album inserti fuerint, destinatum ephebis qui sui sint juris et patriorum bonorum administratores esse queant, quo cavetur, ne sacra arma pudefaciant neque stationem aut aciem deserant, patriam autem defendant et meliorem reddant. Quod si illo se jurejurando obstrinxit Leocrates, palam factus est perjurus, atque in deos impius fuit, non solum vos injuria affecit: si autem non juravit, statim

aperte indicat se ita paratum esse ut nihil faciat eorum quæ conveniant bonis viris, quocirca jure de eo tum vos tum deos vindicaturi ultionem sumetis. Cupio autem vos audire jusjurandum. Recita scriba.

JUSJURANDUM.

Honestum sane, judices, et sanctum est jusjurandum. Ergo præter hoc omnia fecit Leocrates. Atqui qui quisquam poterit esse impurior aut magis esse patriæ proditor? Qua vero ratione arma quisquam majori ignominia affecerit, quam si accipere nolit hostesque juvare? quo autem astitem suum et aciem non dereliquerit, qui non exhibuit corpus suum imperatori in aciem ordinandum? quo modo vero pro sanctis et sacris pugnavit, qui nihil periculi sustinuit? Qua autem majore patriam suam proditione prodere potuit, quam hac? quantum enim ad ipsum attinet, destituta sub hostium potestatem venit. Hunc ergo non occidetis omnium injuriarum reum? Ecquos igitur punietis? qui unum quoddam ex iis multis quorum iste reus est commisit? Facile ergo erit apud vos in magnis delinquere, si videamini ob minora delicta graviore irarum æstu fluctuare.

19. Hoc insuper vos discere opus est, viri, quod firmamentum status reipub. popularis est jusjurandum. Tria enim sunt per quæ respubl. consistit, princeps, judex, et privatus. Horum igitur quilibet hanc fidem dat. Merito: plerique enim qui hominibus imponunt latuere nec a præsentibus periculis absoluti fuere, verum etiam alio tempore insontes ab delictis hisce permanent; deos autem neque pejerans aliquis fefellerit neque pœnam ab ipsis impendentem aut supplicium evaserit, at si non ipse, liberi ejus tamen et omne genus pejerantis in magna discrimina et infelicitatem incidit. Proinde, judices, hanc fidem firmarunt hocque se fœdere et jurejurando obstrinxerunt apud Platæas Græci, quando junctis copiis pugnaturi erant contra Xerxis vim, non ab sese invenientes, sed imitantes consuetum apud vos jusjurandum. Quod auditu dignum est: etenim quum antiqua sint tunc temporis facta, exiliter tamen scriptis in literis illorum virtutem videre est. Lege ergo mihi ipsum.

JUSJURANDUM.

Haud anteferam vitam libertati, neque duces deseram neque viventes neque mortuos, sed socios qui in prælio occubuerint omnes tumulo condam. Ac si vicero prælio barbaros victoriamque obtinuero, earum urbium quæ pro Græcia dimicarunt nullam sedibus pellam, eas vero quæ pro barbaro stare maluerunt omnes decimabo: templorumque a barbaris incensorum ac dejectorum nullum denuo exstruam omnino, sed monumentum posteris sinam relinqui barbarorum impietatis.

Adeo ergo ferventi studio, judices, in hoc permanserunt omnes, ut et deorum benevolentiam secum habuerint adjutricem: atque, quum omnes Græci viri boni fuerint ad pericula, urbs vestra sit maxime probata. Unde isthuc omnium fuerit horribilissimum, majores vestros mori audere, ut ne urbem incelebrem redderent, vos autem non punire audere eos qui pudore hanc ipsam afficiant, sed negligere publicam multisque laboribus collectam celebritatem hanc per talium hominum scelus dissolvi.

20. Enimvero, judices, solis vobis Græcorum non licet quicquam horum posthabere. Volo autem pauca de veteribus vobis commemorare, ut eorum exemplis freti et de iis aliis rectius deliberetis. Istud enim urbs vestra maximum bonum habet, quod egregiorum facinorum Græcis exemplum fuerit. Quanto enim tempore omnium est vetustissima, tanto majores nostri aliis hominibus virtute præstiterunt. Temporibus Codri regis Peloponnesensibus sterilitate frugum laborantibus, placuit ipsis bellum facere contra urbem nostram ac majoribus nostris sedibus suis pulsis distribuere regionem. Ac primum quidem Delphos legatione missa Apollinem interrogabant, num essent occupaturi Athenas: datoque oraculo, quod urbem essent capturi, nisi regem Atheniensium Codrum interficerent, belligerabant adversus Athenas. Cleomantis autem Delphicorum quispiam, audiens oraculum, clanculum Atheniensibus enunciabat. Adeo majores nostri etiam exteros benevolos sibi continuo habebant. Impressionem itaque facientibus Peloponnesensibus in Atticam, quid faciunt progenitores nostri, judices? Non relicta terra, ut Leocrates, abierunt, nec eam quæ se aluisset dediderunt nec delubra hostibus tradiderunt, sed pauci quum essent conclusi obsidebantur perseverabantque in patria. Adeoque fuere strenui qui tunc fuere reges, ut proponerent mori potius pro subditorum salute quam superstites aliam commigrare terram. Aiunt itaque Codrum demandasse Atheniensibus, ut observarent quando vita defunctus esset, acceptoque porro mendici habitu ut hostes falleret, per portas egressum sarmenta colligere ante urbem; quumque duo viri e castris ad eum accessissent scrutantes quid in urbe ageretur, alterum ipsorum in ipsum incidentem falce interimere, relictum alterum, exacerbatum adversus Codrum quem putaret mendicum esse, stricto ense occidisse Codrum. Hisce transactis, Athenienses, misso præcone petebant sibi regem suum dari ad sepulturam exponentes ipsis omnem veritatem: Peloponnenses vero eam dederunt, et cognito quod ipsis non sit possibile regionem obtinere, discesserunt. Cleomanti autem Delpho civitas et ipsi et soboli ejus perpetuum ex publico cibum in Prytaneo dederunt. Videte, num æqua ratione patriam cum Leocrate dilexerint qui tum sint sceptris potiti, qui statuerunt hostibus imponentes pro ipsa emori suamque animam pro publica salute permutare. Quare soli ex omnibus heroes, a quibus tribus agnominatæ sunt regionis istius,

æquales cum diis sunt nacti honores. Idque merito: cujus enim saluti adeo enixe studuerunt, etiam hanc non injuria vita defuncti hereditarunt. At vero Leocrates neque vivus neque mortuus jure ejus consors fuerit, sed solus ex omnibus jure exterminari queat ejicive e terra hac quam hostibus relinquens discessit: neque enim honestum est eandem contegere virtute eximios et ignavissimum omnium mortalium.

21. Verum tentavit dicere, quod etiamnum fortasse ad vos dicet, quod nunquam id certaminis sustinuisset neque se judici obtulisset si alicujus sibi sceleris fuisset conscius: quasi nec omnes fures templorumque despoliatores idem argumentum obtenderent. Nec enim rei est signum, quod non fecerint, sed impudentiæ quam habent. Non enim hoc dicendum est quod ipsi proferunt, verum illud est dicendum Leocrati, quod hinc non enavigarit neque urbem deseruerit neque Megaris habitarit: hæc sunt indicia rei. Nam quod huc venerit, opinor, deorum aliquem ipsum ad hanc pœnam adduxisse, ut, postquam celebre periculum effugerit, incelebrem ingloriamque mortem assequatur, et quos prodidit, iis se subjectum constituat. In altero enim loco calamitatibus fractus non satis liqueret an propterea pœnam luat. Hic autem apud eos quos prodidit planum est, quod scelerum suorum hoc sustineat supplicium. Dii enim nihil prius faciunt, quam pravorum hominum mentem detorqueant: ac mihi quidem videntur priscorum nonnulli poetarum, veluti oracula scribentes posteris hos iambos reliquisse,

> Cum enim ira deorum aliquem læserit,
> Illud primum, ex sensibus auferunt
> Animum bonum, mentemque ad deteriorem partem
> Applicant, ut nihil eorum quæ peccaverit intelligat.

22. Quis enim non meminit e natu grandioribus aut e natu minoribus non audivit Callistratum, quem civitas morte mulctavit, hunc transfugam, quum Apollinem Delphis audisset, quod si rediret Athenas, consecuturum se leges, reversum ad aram duodecim deorum confugientem, nihilominus tamen urbis censura morti adjudicatum? Idque haud injuria: leges enim eos qui injuste egerunt assequi, est illos ipsos supplicio affici. Deus enim recte reddidit hoc injuriam passis, ut punirent auctorem injuriæ: esset enim grave et indignum, si eadem et piis et sceleratis a deo monstrarentur. Existimo, autem, viri, deorum providentiam omnes humanas actiones intueri, potissimum vero erga parentes, erga vita defunctos, ergaque ipsos pietatem. Idque haud immerito: a quibus enim principium vitæ accepimus plurimisque beneficiis aucti sumus, adversum hos non solum peccare, verum beneficium compensando non vitam suam impendere, summa est impietas.

23. Fertur in Sicilia — tametsi paulo fabulosius sit, conveniet

tamen vobis natu minoribus omnibus audire — ex Ætna fluxus ignis fieri: hunc autem fluere aiunt ad aliam terram, atque ad urbem quandam ex iis quæ isthic habitantur. Alios igitur celeriter arripuisse fugam, ut ita salutem suam quærerent: unum autem quendam ex junioribus, quum cerneret patrem suum grandævum adeo ut non posset discedere jamjamque corripiendum flamma, tollentem humeris asportasse. Onere autem, ut opinor, ingravescente cum patre isthic filius pæne correptus est. Unde jam etiam par est intueri animo numen, quod viris bonis clementiam suam impertit. Ferunt enim circum undique locum istum ignem circumfluxisse atque conservatos esse hos solos, a quibus locus iste hodieque appellatur Piorum locus: reliquos autem, qui celerem discessum fecerant suis parentibus isthic relictis omnibus, periisse. Proinde et vos hanc a diis sententiam habentes oportet unanimi sententia istum punire, omnibus maximis sceleribus quantum in ipso est obnoxium. Nam deos patriis honoribus suis privavit, parentes vero hostibus reliquit, vita defunctos justa sua non permisit assequi.

24. Ad hæc considerate, judices; haud enim a majoribus desistam: ob quæ enim illi memorabilia facta gloriabantur, hæc vos audientes non immerito recipere debetis. Aiunt enim Eumolpum Neptuni et Chiones filium cum Thracensibus venisse de regione hac contendentem; fuisse autem illis temporibus regem Erechthea, conjugemque habuisse Plaxitheam Cephisi filiam. Ingenti autem exercitu irruptionem facturo in regionem, Delphos profectus Erechtheus sciscitabatur deum, quid sibi opus sit facto ut victoriam ab hostibus reportet. Respondente autem ipsi deo, si filiam sacrificaret priusquam cum exercitu hostili conflictaretur, victoriam eum de hostibus obtenturum, deo morem gerens imperatum peregit eosque qui bellum inferebant ex hac terra ejecit. Propterea etiam jure quispiam Euripidem poetam laudaverit, quod et in cæteris poeta præclarus et hanc fabulam elegerit facere, pulcherrimum civibus exemplum esse ratus majorum res gestas, ad quas respicientes et contuentes assuefaciant animas suas ut patriam amore complectantur. Par est autem, judices, iambos audire, quos fingit matrem dicere de filia: videbitis enim in ipsis magnanimitatem et ingenuitatem dignam et urbe et filia Cephisi.

> Beneficium quicunque generose præstat,
> Id jucundius est inter mortales: qui vero præstant,
> Sed tarde præstant, [præstant] minus generose.
> Ego autem dabo meam filiam immolandam.
> Multa autem in animo recolo: primum, civitatem
> Non posse aliam hac præstantiorem habere,
> Cui primum non gens aliunde coacta,
> Sed indigenæ sumus: cæteræ autem civitates,

Calculorum ad instar temere jactorum conditæ,
Aliæ ab aliis deducuntur.
Quicunque autem ab alia civitate aliam incolit,
Ille, tanquam junctura in ligno mala,
Verbis quidem est civis, re non item.
Deinde liberos idcirco parimus,
Ut deorum aras et patriam propugnemus.
Civitatis autem totius nomen quidem unum est, sed multi sunt qui eam
Habitant: has ut perdere fas sit,
Cum possim unam mactandam pro omnibus dare?
Si enim numerum novi et minore
Majus, unius quidem familiæ calamitas non magis valet
Quam calamitas totius civitatis, imo nec æquat.
Quod si fuisset in ædibus loco muliebris stirps
Mascula, et civitatem hostilis occuparet flamma,
Nonne ego eum emitterem ad bellum
Præ metu mortis? *immo.* Mihi enim talis contingit proles,
Quæ et bella gerat et inter masculos excellat,
Non vanæ in urbe figuræ.
Matrum autem lacrymæ, cum mittant liberos,
Multos effeminarunt ad bellum proficiscentes.
Odi mulieres, quæ honesto
Vitas liberorum prætulere et mala sunt hortatæ.
Atqui in bello cadentes una cum multis
Communem tumulum sunt nacti et celebritatem æqualem.
Sed meæ filiæ corona una uni soli
Pro hac urbe morituræ dabitur,
Et matrem duasque sorores
Servabit: quid horum non accipere optabile?
Filiam non meam nisi natalibus dabo
Immolandam pro patria. Nam si capietur
Urbs, quid ad me pertinent liberi mei?
Omnia igitur mihi servabuntur:
Regent alii, hancce ego servabo civitatem:
Jam id quod ad communem salutem maxime pertinet,
Non est me invita
Majorum antiqua instituta qui dejecerit:
Neque vice oleæ aureæque Gorgonis
Tridentem erectam in urbis fundaminibus
Eumolpus aut Thracicus cinxerit populus
Coronis, Pallas autem nusquam honorabitur.
Fruimini, cives, meis puerperiis,
Salvi estote, vincite: pretio enim vitæ unius
Ego hanc civitatem servabo.
O patria, si omnes qui te incolunt
Ita te amarent uti ego, optime
Te incoleremus, et nihil acciperes mali.

25. Hæc, judices, docuit patres vestros. Quum enim natura sint amantes sobolis omnes matres, hanc finxit patriam majori amore prosecutam quam liberos, indicans per hoc, quod si mulierculæ hoc audeant facere, viros oportere inexsuperabili quadam benevolentia

erga patriam inflammatos esse, neque fugiendo ipsam derelinquere neque dedecorare apud omnes Græcos, perinde atque fecit Leocrates.

26. Volo autem et vobis Homeri quasdam exhibere adhortationes. Adeo enim putarunt patres nostri honestum esse poetam, ut legem sanxerunt, per singula quinquennalia Panathenæorum festa solius hujus præ aliis omnibus poetæ carmina esse concinenda, Græcis ita argumentum præbentes ut pulcherrima opera seligerent. Idque merito: leges enim ob brevitatem suam non docent sed imperant quæ fieri oporteat; poetæ autem imitantes humanam vitam, præclarissimas res eligentes, cum ratione et demonstratione mortalibus persuadent. Hector namque, Trojanis mandans ut pro patria dimicent, hæc dixit,

Verum pugnate ad naves conferti. Qui autem vestrum
Vulneratus vel percussus mortem et fatum assecutus fuerit,
Moriatur. Non ei indecorum pugnanti pro patria
Mori; sed uxor salva et liberi in posterum,
Et domus et patrimonium integrum, si Achivi
Abeant cum navibus dilectam in patriam terram.

27. Hæc carmina audientes, judices, majores vestri taliaque opera æmulantes ita sese gesserunt erga virtutem, ut non solum pro sua ipsi patria, verum etiam universa Græcia ceu communi, voluerint mori. In Atticæ itaque Marathone opponentes sese barbaris totius Asiæ exercitum vicerunt, propriis periculis communem securitatem omnibus Græcis comparantes, non ob nominis sui celebritatem sese attollentes, sed quod res gloria sua dignas peragerent, Græcorum quidem præsides, barbarorum autem dominos, sese constituentes: non enim verbo virtuti studebant, sed opere cunctis demonstrabant.

28. Proinde adeo fuerunt viri honestati dediti et publice et privatim urbem tum incolentes, ut fortissimis Lacedæmoniis prioribus temporibus bellum gerentibus adversum Messenios oraculum deus ediderit, quo jusserit ut a nobis ducem acciperent, victoriam ita de hostibus relaturi. Atqui, si iis qui ab Hercule descenderunt, qui semper regio fastigio fulgent apud Spartanos, eos qui a vobis propagati essent duces præstantiores deus judicavit, quomodo non inexsuperabilem illorum virtutem oportet existimare? Quis enim ignorat Græcorum, quod Tyrtæum imperatorem acceperint ab hac urbe, cujus ope et hostes exsuperarunt atque juventutis suæ curam informationemque instituerunt, non solum ad præsens periculum verum in omne ævum recte deliberantes. Reliquit enim ipsis elegos quos composuit, quos audientes erudiuntur ad fortitudinem: atque aliorum vatum nullam rationem habentes, hunc tanto sunt studio amoreque vehementi prosecuti, ut legem tulerint, ut si

quando armati bellum facturi essent Lacedæmonii, ad tentorium regis vocarentur istic Tyrtæi poemata audituri omnes, existimantes eos ita maxime accendi ut pro patria minime gravarentur mori. Commodum autem fuerit et hæc elegiaca vos audire, ut sciatis qualia carmina pangentes poetæ probati fuerint apud illos.

Gloria magna viri est, qui primas ante phalangas
   Occubuit, patriæ nomine bella gerens.
At miserum est, aliquis patria cum pulsus et agris
   Mendicans victum quærit ubique suum,
Et cara cum matre, sene et genitore vagatur,
   Uxorem juvenem et pignora parva trahens.
Namque odiosus erit quamcumque migrarit in urbem,
   Ut qui pauperiem pergrave gestet onus,
Et genus infamat, et formæ turpat honorem,
   Denique et anxietas et dolor omnis adest.
Atque viri tandem per tot discrimina tracti
   Quis pudor aut quæ animum tangere cura potest.
Hac nos pro patria et natis moriamur in armis,
   Nec vitam metuat perdere quisque suam.
O juvenes, prope confecti mavortis obite
   Prælia, nec turpi vertite terga metu;
Audaces quin este animis et pectore forti,
   Inter pugnandum nec sit obire grave:
At queis jam nec membra vigent, et quassa pedum vis,
   In bello pudeat deseruisse senes.
Infame hoc et turpe nimis, juvenum ante catervas
   In primis senior si cadat agminibus,
Canos jamque gerens barbæ capitisque capillos,
   Exhalans animam pulveream per humum,
Atque tegens manibus respersa cruore pudenda
   Cernenda iratis non nisi luminibus.
Omnia persimilis juveni, conamine magno,
   Ut pubertatis flos sibi detur, agit:
Ille hominum oculis gratus, dum vivit, habetur,
   Strenuus ut primus cæsus in agminibus.
Progrediens aliquis maneat pede firmus utroque
   In terra, stricte dente labella premens.

Pulcra sunt hæc, judices, commodaque volentibus huc animum attendere. Adeo ergo ad fortitudinem animabantur hæc carmina audientes, ut cum urbe nostra de imperio contenderent. Idque haud immerito: res enim pulcherrimæ ab utrisque peractæ erant. Siquidem majores nostri barbaros vicerunt, eos qui primi in Atticam invaserunt, ac planum fecerunt fortitudinem divitiis, virtutem autem multitudini, præstare: Lacedæmonii autem apud Thermopylas opponentes sese Persis, haud in dissimilem fortunam inciderunt, fortitudine autem longe omnibus præstantiores fuere. Quare apud vitæ terminos testimonia licet videre quæ de virtute ipsorum sunt perscripta eaque vera ad omnes Græcos, de iis

HOSPES NUNCIA LACEDÆMONIIS QUOD HIC
   JACEAMUS EORUM PARENTES INSTITUTIS,

de vestris autem majoribus

PRO GRÆCIS PUGNANTES ATHENIENSES MARATHONE
   MEDORUM AURO ORNATORUM PROFLIGARUNT POTENTIAM.

29. Hæc ad memoriam revocare, Athenienses, jucundum est, quinetiam rebus gestis laudem tribuunt atque urbi gloriam sempiternam præbent. Verum Leocrates secundum hæc sese haudquaquam gessit, sed sponte sua ex omni ævo collectam urbi gloriam dedecoravit. Si ipsum itaque occideritis, videbimini cunctis Græcis etiam vos ejusmodi opera odisse: sin minus, etiam progenitores vetere gloria orbabitis aliosque cives plurimum offendetis. Qui enim illos non demirantur, hunc tentabunt imitari, existimantes illa quidem apud hostes probari, apud vos autem impudentiam et proditionem et ignaviam judicari pulcherrimum quiddam esse.

30. Quod si a me doceri non possitis quomodo debeatis vos erga adeo sceleratos gerere, considerate illos majores nostros quomodo sumpserint de facinorosis supplicium: ut enim honesta opera noverunt provehere, sic et prava statuebant punire. Illi enim videte, judices, quam fuerint indignati proditoribus et publicos putaverint esse hostes civitatis. Phrynicho enim noctu jugulato apud fontem in saliceto ab Apollodoro et Thrasybulo, hisque captis et in carcerem repositis a Phrynichi amicis, sentiens populus id quod factum esset et mancipatos carceribus eduxit examinatosque per tormenta dijudicavit, quærensque rem accuratius invenit Phrynichum quidem patriæ esse proditorem, eos autem qui ipsum interfecissent injuste custodiæ intrusos; fecitque decretum populus Critia dicente, quo statuit mortuum accusandum proditionis, ac si appareat, cum proditor esset, eum in Attica esse sepultum, ossaque ejus effodienda exterminandaque extra terram Atticam, ut ne in ea regione recubent vel ossa ejus qui regionem et urbem prodiderit. Decreverunt autem [quidam] quod si qui cæsum illum defenderint, si mortuus fuerit convictus, eisdem eos pœnis obnoxios esse debere: adeo neque opitulari eis qui alios desererent arbitrabantur justum esse, sed æqua ratione prodere urbem eum qui proditorem conservaret. Quapropter hunc in modum odio prosequentes flagitiosos talesque adversum eos pœnas decernentes tuto e periculis liberabantur. Accipe autem ipsis decretum, scriba, et recita.

DECRETUM.

Auditis, judices, hoc decretum. Deinde illi quidem proditoris ossa effodientes ex Attica ejecerunt, atque eos qui ipsum defenderant,

Aristarchum et Alexiclem, occiderunt, neque eos in terra hac sepeliri permiserunt: vos autem ipsum corpus, quod urbem prodidit, vivum judicioque vestro subjectum habentes impunitum dimittetis? ac tanto eritis majoribus vestris inferiores, quanto illi quidem eos, qui verbo tantum proditori tulissent opem, ultimis suppliciis sunt adorti, vos autem ipsum, qui non sermone sed opere populum deseruit, ceu nihil sceleris admiserit dimittetis? Ne sane, judices; vobis cum ita patrium sit, indigna et vobis et majoribus vestris statuite. Etenim si unum aliquod ejusmodi decretum factum fuisset, posset aliquis dicere, quod ob iram potius quam veritatem fecissent: quando vero de omnibus idem supplicium sumpserint, quomodo non est perspicuum, quod omnibus talibus facinoribus naturaliter restiterint eaque perpetuo impugnarint? Siquidem Hipparchum Timarchi filium non exspectantem proditionis apud populum judicium, sed certamen illud deserentem, morte mulctantes, postquam sceleris reum corpus ejus non acceperunt, imaginem ejus ex arce detrahentes et conflantes erigentesque columnam decreverunt in hanc perscribere calumniatores et proditores; atque ipse Hipparchus in hanc columnam perscriptus est, aliique proditores. Ac mihi accipe primum quidem decretum, per quod imago Hipparchi proditoris ex arce detracta est, deinde quod in columnam est perscriptum, deinde post hanc inscriptos porro proditores in hancce columnam; et recita scriba.

DECRETUM ET PERSCRIPTUM COLUMNÆ.

Quid videntur vobis, judices, majores vestri? Anne eadem vobiscum de sceleratis cognoscere? Nonne postquam corpus proditoris non potuerunt in sua habere potestate, statuam proditoris apprehensam ac detractam quibus potuerunt suppliciis affecerunt? non ut æream statuam conflarent, sed ut posteris exemplum in reliquum tempus ut poterant contra proditores relinquerent. Accipe porro et alterum decretum de iis qui Deceleam migraverant, quando populus a Lacedæmoniis obsideretur, ut sciant, de proditoribus majores nostri pares et consentaneas sibi pœnas fecisse. Recita scriba.

DECRETUM.

Auditis, judices, et hoc decretum, quo tempore belli transmigrantes Deceleam condemnarunt, decreveruntque, ut si quis ipsorum reversus deprehendatur, abducat cui libuerit Atheniensium ad thesmothetas, qui assumptum illum tradant præfecto fossæ. Proinde illi in regione hac transmigrantes hunc ad modum puniebant, vos autem eum, qui ex urbe et regione tempore belli transfugerit in insulam Rhodum atque prodiderit populum, non occidetis? Quo

pacto igitur videbimini orti esse ab illis viris? Dignum est præterea audire quod de eo qui in Salamine obiit factum est decretum, quem, quia solo sermone tentarit prodere urbem, senatus auferens coronas sua manu occidit.

DECRETUM.

Præclarum est decretum, judices, dignumque vestris majoribus. Ac recte quidem: cognatas enim non solum animas, verum etiam flagitiosorum supplicia, possederunt. Quid igitur, judices? Videturne vobis imitari volentibus majores ex patriæ more esse Leocratem non occidere? Quando enim illi desertæ urbis solo verbo proditorem ea ratione occiderunt, quid vos convenit facere ei qui re et non verbo ab habitata defecit? Nonne nos excellere illos supplicio decet? et quum illi conatos alios populari salute privare ita puniverunt, quid vos decet illi facere qui ipsius populi salutem prodidit? et quando illi pro celebritate famæ suæ tuenda reos ita supplicio afficiebant, quid vos pro patria operæ est pretium facere? Sufficerent hæc quidem ad cognoscendam majorum sententiam, qui sese erga delinquentes in urbem gessissent. Cupio tamen adhuc ut columnam audiatis, quæ in curia est erecta de proditoribus populum dissolventibus: nam multis vos exemplis informari facilem vobis judicationem constituit. Post triginta enim tyrannonorum tempestatem patres vestri a civibus ea passi qualia nemo unquam Græcorum dignum judicasset, et ægre ad suam urbem et statum reipubl. reversi, omnes vias scelerum obstruxerunt, quum experti essent principia ac scirent aditus vel exordia eorum qui populum proderent. Decreverunt enim edito juramento, si quis tyrannidem affectaret aut urbem proderet aut popularem statum subverteret, ut is, qui isthuc perciperet atque reum flagitii occideret, a cæde purus esset. Satius enim visum est eis, ut qui suspicione tenerentur morerentur potius, quam ut experti revera ad servitutem redigerentur: omnino enim putabant oportere ita vivere cives, ut ne in suspicionem quisquam horum scelerum perveniret. Ac mihi recipe decretum.

DECRETUM.

Hæc, viri, scripserunt in columnam, hancque collocarunt in curiam monimentum in singulos dies convenientibus atque consultantibus pro patria senatoribus, quo admonerentur quomodo sese erga tales gerere deberent. Ac propterea, si quis sensisset tantum nonnullos horum quicquam facturos, occidere talem debere eos conjurarunt. Idque non immerito aliorum enim delictorum oportet posteriora esse supplicia, proditionis autem populique dissipationis priora. Nam si remiseritis id tempus quo sunt illi pravi quiddam adversus

patriam acturi, non est quod deinceps pœnam ab ipsis sceleratis sumatis: superiores enim redduntur quam ut ab iis quos læserunt supplicio affici possint.

31. Cogitate igitur in animo, judices, digne hac providentia et operibus nec tradite oblivioni in sententia vestra qualium virorum soboles sitis, verum adhortamini vos ipsos ut similia illis et consentanea hodierno die decernentes e foro egrediamini. Habetis autem monumenta et exempla illorum supplicii, majorum nempe vestrorum, quæ sunt in delinquentium decretis definita: dejerastis in decreto per Demophantum facto vos occisuros eum qui patriam proderet et verbo et opere et manu et judicio. Neque enim existimetis facultatum, quas majores vestri reliquerint, vos heredes esse: sacramentorum autem et fidei quam dantes patres nostri pro pignore diis immortalibus publicæ urbis felicitatis erant participes, hujus non esse heredes.

32. Non modo autem urbs vestra sic affecta fuit erga proditores, verum etiam Lacedæmonii. Neque mihi succensebitis, judices, si sæpius horum virorum mentionem fecero: honestum est enim urbis legibus bene constitutæ de iis quæ justa sunt exempla sumere. Tutius enim hoc pacto quilibet vestrum justam et firmam sententiam dixerit. Pausaniam enim regem suum prodentem Persæ Græciam capientes, ad templum Minervæ ubi confugisset, januam obstruentes et culmen destruentes circumque circa obsidentes non prius abierunt quam fame enecassent, omnibusque perspicuum supplicium fecissent, quod neque deorum auxilia proditoribus opem ferunt. Et merito: nihil enim citius delinquunt quam in deos sunt impii, patriis ritibus et cæremoniis legitimis seipsos privantes. Maximum autem rerum ab ipsis statutarum indicium est quod dicturus sum: legem enim tulerunt de omnibus nolentibus pro patria subire periculum, palam demandantem ut moriantur; ad illud ipsum pœnam statuentes, quod maxime metuunt, atque salutem, quam fugientes bellum quæsiverunt transfugæ, periculo cum probro subjecerunt. Ut autem sciatis me sermonem indemonstrabilem haud dixisse, sed exempla veritate confirmata, age recita ipsis legem.

LEX.

Expendite autem, quod bona sit lex, viri, et utilis non modo illis, verum etiam aliis hominibus. Metus enim civium cum strenuus sit, coget eos adversum hostes pericula sustinere. Quis enim cernens morte damnatum proditorem in periculis patriam deseret? aut quis præter commoditatem urbis vitam suam patriæ saluti anteferet, præsertim quum sciat sibi propositam pœnam? Nullam enim aliam timiditatis pœnam esse debet quam mortem: compertum enim habentes, quod duobus propositis discriminibus necessarium sit alterius esse consortem, multo potius eligent id quod contra hostes quam quod contra leges ac cives.

33. Tanto autem rectius morietur iste quam qui ex exercitibus fugiunt, quanto illi quidem ad urbem veniunt ceu pro ea præliaturi aut publice cum aliis civibus passuri infelicitatem, atqui hic ex patria aufugit privatim salutem sibi comparans, ne proprio quidem pro lare certare ausus, sed solus e cunctis mortalibus et naturæ peculiaria et necessaria prodidit, quæ vacantibus etiam ratione belluis maxima sunt et gravissima. Alites itaque maxime ad celeritatem habiles sunt, quas tamen videre est pro suis pullis sponte mori: unde et poetarum quidam dixere,

> Neque silvestris ales, si nidum finxerit,
> In alio pullos progignere velit.

34. At Leocrates adeo modum transiliit metu, ut patriam hostibus reliquerit. Quare nulla civitas ei permisit apud se inquilinum esse aut habitare, sed plus quam homicidas expulit. Idque non injuria: cædis enim rei ad aliam migrantes exsulatum urbis non habent hostes eos a quibus recipiuntur, hunc autem quæ civitas susceperit? Qui enim suæ patriæ non tulit opem, ægre pro aliena quicquam periculi sustinuerit. Nam et illic et cives et hospites et privatim amici tales homines sunt, qui bonorum urbis consortes esse volent, in adverso autem rerum statu ne ullo quidem auxilio dignabuntur. At vero eum qui ab illis, quibus tamen nihil nocuit, odio habetur ejicitur que, quid opus est pati a vobis ab eo injuria affectis? Nonne extremum supplicium eum assequi decet? Ex omnibus porro, viri, qui unquam fuere proditoribus justissime Leocrates, si qua major esset morte pœna, hanc sustineret. Alii enim proditores injuriam illaturi, priusquam etiam intulerint, si capti fuerint, pœnam sustinent: hic autem solus peractis quæ instituit, cum urbem deseruerit, accusatur apud judices.

35. Admiror autem patrocinaturos ipsi, quare hunc dignum censeant evadere. Anne ob amicitiam quam cum illis contraxit? At eam ob rem videntur mihi jure non gratiam assequi, sed morti potius item adjudicandi, quod ejus familiaritate uti audeant. Priusquam enim Leocrates id committeret, qualesnam essent haud constabat, nunc vero omnibus perspicuum, quod iisdem moribus imbuti amicitiam cum illo conservent, quare multo potius pro sese primum est illis ratio reddenda quam hunc a vobis dimittendum exorent. Arbitror porro ego et patrem ipsi fato suo perfunctum — si quis sensus inest defunctis earum rerum quæ hic fiunt — omnium severissimum fore judicem, cujus æream imaginem hostibus expositam reliquit, ut eam in templo Jovis Servatoris deprædentur contumelioseque tractent, et quam ipse statuit monumentum moderationis suæ, hanc

ille ignominiosam reddidit: talis enim filii pater appellatur. Hanc ob rem non parum multi accesserunt me, judices, interrogantes cur etiam isthuc non inscripserim accusationi, quod nimirum prodiderit imaginem patris sui, in Jovis Servatoris delubro consecratam. Ego vero, viri, haud ignorabam hoc delictum ejus dignum maximo supplicio, sed non putabam oportere, quum ipsum proditionis nomine judicio sistam, nomen Jovis Servatoris inscribere accusationi. Obstupui autem vehementer super iis, qui neque genere neque amicitia ipsi conjuncti sunt, pro mercede autem conducti defensionem parant semper reis, si ignorent vos extrema erga ipsos indignatione justissime commoveri. Nam, quod pro sceleribus defensionem instituunt, argumentum est, quod et perpetratorum scelerum illi ipsi socii esse velint. Non enim contra vos gravem esse oportuit, sed pro vobis et legibus et statu reipub. populari. At vero nonnulli non oratione aut verbis vos decipere quærunt, sed ob sua in rempub. officia reos a vobis dimitti sibi contendent: ob quæ illis ego plurimum succenseo. Nam cum eorum officiorum fructum privatim domum retulere, publicas gratias a vobis reposcunt. Non enim, si quis equos aluit aut sumptum fecit in ludos scenicos præclare aut in alia non dissimilia quicquam impendit, dignus est tali tantaque a vobis gratia ornari — ob ejusmodi enim ministeria sua solus ipse coronatur, aliis nihil commodans —, sed, si quisquam triremium præfecturam splendide administravit aut mœnia patriæ firmavit aut in publicam salutem a suis facultatibus quicquam liberaliter contulit: hæc enim in commune vestri omnium emolumentum vergunt. Atque in his videre est virtutem eorum qui impertierunt, in illis autem copiam tantummodo qua in faciendis sumptibus exuberarunt. Arbitror autem neminem adeo ingenti beneficio urbem affecisse, ut hanc eximiam petat accipere gratiam a vobis, scilicet ut pœna proditoribus remittatur, neque quenquam adeo esse dementem ut gloriam urbis ambiat, huic autem opem ferat qui ipsius primum celebrem ambitionem et gloriam obscuravit: nisi medius fidius non eadem et patriæ et hisce sint utilia.

36. Oportebat itaque, viri, tametsi in nullo alio scelere lege sancitum sit liberos et uxores apud sese constituentes judices ipsos ita sententiam ferre, de proditione tamen judicantes, ita pium esse et sanctum hoc facere, ut quotquot periculi consortes fuerint, ante conspectum constituti et visi vobisque ad memoriam revocantes quod publica apud omnes misericordia digni habiti non fuissent, acerbiores cognitiones accuratioraque judicia de delinquente appararent. Quandoquidem autem non est legibus constitutum neque consuetum ut istud fiat, sed necessarium est ut pro illis judicio fungamini, supplicio itaque simulatque affeceritis Leocratem atque occideritis ipsum, denunciate vestris propriis liberis atque uxoribus, quod deprehensum atque captum proditorem ipsorum affeceritis supplicio. Ac sane horrendum est et dolendum, si quando existimet Leocrates eundem debere habere et locum et honorem transfugam cum iis qui in urbe remanserint, et eum qui non subierit pericula cum iis qui sese hosti opposuerunt, et eum qui non conservarit urbem cum iis qui tutati sint; sed venit jam sacrorum, fori, legum, reipublicæ status futurus socius, pro quibus omnibus ne dissiparentur mille vestrorum civium in Chæronea sunt desiderati ac publice eos civitas sepulturæ mandavit. Quorum iste nec elegiaca carmina inscripta monumentis eorum reversus in urbem reveritus est, sed adeo impudenter adhuc ante ora illorum, qui horum calamitates luxere, putat oportere sese versari. Ac valde vos rogabit actutum, ut audiatis ipsum defensionem sui facturum juxta leges. Vos autem quærite ex ipso, qualesnam? num quos deserens abierit? Et sinetis ipsum morari in mœnibus patriæ eorum civium, cum quibus ea non asservavit? Et invocabit deos servaturos ipsum e periculis? Quosnam? nonne quorum delubra et sedes et lucos prodidit? Et precabitur et supplicabit, ut misericordiam sibi impertiant? Quibus vero supplicabit? nonne iis, cum quibus symbolam ad salutem conferre noluerit? Rhodiis supplicet: securitatem enim in ipsorum urbe potius quam in sua ipsius patria censuerit esse. Qualis autem ætas hujus jure misereatur? Natune grandiorum? At neque ut in senio suo alerentur neque in libero patriæ solo tumularentur quantum in ipso fuit concessit. At natu minorum? Ecquis revocatis ad memoriam æqualibus, qui in Chæronæa secum hostibus se opposuerunt atque eadem pericula participarunt, servaverit hunc qui sepulcra eorum prodiderit, atque eodem judicio eos, qui pro libertate oppetierunt mortem, dementiæ condemnaverit, deserentem vero patriam, ceu bene affectum recteque sentientem, innocentem dimittet? Potestatem ergo dabitis volenti et verbo et opere tum populo tum vobis malefaciendi? Non enim hoc solum tempore transfugæ redeunt, quando is qui patriam deseruit ac profugus, ipse seipsum condemnavit, Megaris habitavit apud patronum suum ultra quinque aut sex annos, in terra hac et urbe versetur; verum etiam qui solitudinem Atticam esse aperto suffragio condemnavit, hic in hac regione vicinus noster nobis cohabitabit.

37. Dehinc ubi pauca quædam ad vos dixero, descendere volo, atque ubi decretum populi quod de pietate fecit exhibuero: commodum enim id vobis est sententiam laturis. Recita ergo mihi idem decretum.

DECRETUM.

Ego igitur ad vos defero qui estis domini, ut istum qui hæc omnia delevit puniatis; vestrum autem est et vestro nomine ac deorum

supplicio afficere Leocratem. Delicta enim, tantisper dum non judicata fuerint, apud auctores suos manent; simul ac vero de iis judicium factum fuerit, apud eos manent qui non jure illa ipsa ulciscuntur. Bene autem novistis, judices, quod etiam clanculum unusquisque secum decernit de scelesto hoc, perspicuam tamen sententiam suam faciet diis. Arbitror autem, viri, de omnibus maximis et gravissimis delictis unam vos sententiam hodierno die ferre; quibus omnibus Leocratem esse obnoxium licet videre, de proditione quidem quod desertam urbem hostibus subjecerit, de populi autem dissolutione quia non sustinuit pro libertate periculum, de impietate quia quod luci desecarentur delubraque suffoderentur quantum in ipso fuit auctor exstitit, de parentum autem afflictione quod monumenta ipsorum obscurarit et legitimis ea privarit ceremoniis, de desertione aciei et ignavia in militia quippe qui corpus suum non obtulerit ordinandum imperatoribus. Quis ergo ab his absolvet istum? quis ignoscet flagitiis hisce e proposito commissis? ecquis adeo est mentis expers, ut hunc servans salutem suam prodat desertoribus patriæ? et ut hujus misertus ipse misericordiam nullam impetrans ab hostibus perire statuat? proditorique patriæ gratificans obnoxius sit divinæ vindictæ? Ego itaque et patriæ opem ferens et sacris et legibus confeci certamen et recte et juste, neque aliam istius vitam calumnians neque extra rem quicquam accusans: vestrum autem unumquemlibet oportet reputare quod, qui Leocratem a morte liberat suffragio suo, patriam morti et servituti adjudicet, ac duabus suffragiorum urnis propositis, alteram quidem proditionis alteram salutis causa calculos recipere, hos quidem pro desertione patriæ, illos vero pro securitate et felicitate urbis. Si Leocratem absolveritis, prodere urbem et sacra et naves decernetis: sin hunc occideritis, custodire conservareque patriam et vectigalia et felicitatem adhortabimini. Arbitrantes igitur, Athenienses, supplicare vobis regionem et arbores, orare portus, navalia et mœnia urbis, contendere autem et naves et delubra deorum ut sibi opitulemini, in exemplum aliis statuite Leocratem, recordati ea quæ accusavimus, et quod non pluris valeat apud vos misericordia neque lacrymæ, quam in qua leges et populus conservatur salus.

DEMADIS

INTERPRETATIO LATINA.

DEMADIS

DE DUODECENNALI.

(1.) Eorum qui in reatu ac sordibus versantur, Athenienses, vitæ et necis postestatem per leges accepistis: (2.) enimvero neque prudenter medicus laborantibus potest succurrere, si causam morbi penitus non agnoverit, neque judex sanctum judicium ferre, nisi in judicii causis assiduus fuerit assectator. (3.) Ipse autem qui in mediam oratorum contentionem incidi, ut a diis immortalibus, sic a vobis auxilium imploro. Vitæ meæ detrahunt, existimantes quæ dicturus sum minime a vobis credita fore. (4.) Ego vero seu vivus seu mortuus nihil sum: quid enim Atheniensibus, quod nihili homo Demades? (5.) Meum enim interitum neque miles deplorabit — qui enim, quem bellum quidem auxit, pax non alat —, sed qui regionem excolit, mare navigat, et omnis qui quietam vitam in deliciis habet, cui Attica munita, montes non lapidibus circumdati, sed civium præsidio. (6.) At multis fortassis, judices, eorum qui subsellia compleverunt vafri quippiam subesse videtur. Sicut enim oculorum ægritudo vitalem videndi functionem confundit et quominus clare objecta conspiciantur impedit, ita incomposita peroratio, sententiis judicum sese exponens, veritatem sine bile conspici non patitur. (7.) Quare etiam convenit vos in causa citatorum et eorum qui in periculis versantur maxime circumspicere: illi enim, qualem cupiunt, talem a præcedenti actione judicem obtinent; hi contra irritatos judices ipsam animam objicere compelluntur. (8.) Igitur si in tantis periculis constitutis socius criminis videar, quid faciendum sit, jubete, nec parcite; non enim deprecor: possem quidem jure et legibus publicamque ob utilitatem sejunctus a reis reperiri, sed non frustrate me tam insigni actorum crudelitate. (9.) Si autem omnino moriendum sit, re aliqua publicæ saluti consulam, ut illi affirmant, alacriter occumbam: pulcrum est enim propria morte publicam conciliare benevolentiam, si patriæ commodum, sed non eorum sermo jam vindicias tulerit. (10.) Permittite per deos immortales, Athenienses, permittite tandem mihi vobiscum de justitia, quemadmodum exopto patrocinari. (11.) Sat enim virium suppetere existimo ad mihi aliisque patrocinandum: in his

autem metus orationem meam interturbat. (12.) Cæterum non timeo negotii reprehensionem, sed criminationem tantum adversariorum, quæ non injuriam facientes judicio persequitur, sed e re eorum est qui loqui vel facere præ se ferunt. (13.) Spes vero apud vos justa est: hac si potitus sum, omnes insidias confringam; absque illa vero neque oratio neque leges neque negotiorum integritas servare poterit injuste judicio condemnatum. (14.) An nescitis uti quondam multi reorum ex crimine verissima sæpius proferre visi sunt, defensione autem in medium allata ipsi sycophantæ reperti sunt; quod aliquando et nunc in illis ut intendo consequar certus sum, vestrum est ad proponenda benevolas aures aperire.

(15.) Quoniam autem et alterius reipub. me criminari studuerunt, pauca de illa dicere exopto; et ita postquam ad reliquam causæ meæ defensionem procedere, ne vos impostores illi fugiant. (16.) Natus enim sum, Athenienses, patre Demade, sicuti seniores inter vos noverunt, isto quidem tempore ut poteram vivebam, neque publice populum fraudans neque privatim in civitate cuiquam nocens, proprio labore miseriam hujus vitæ propellere contendens. (17.) Paupertas namque inutile forsan et difficile quiddam annexum habet, ab infamia tamen sejuncta est, quum indigentia, ut puto, in multis non morum improbitatem sed fortunæ injuriam arguat. (18.) Ad rempub. autem accedens non in criminalibus causis neque conscribendarum forensium causarum exercitatione operam posui, sed in libertate pro concione dicendi, quæ quidem perorantibus periculosam parit vitam, illis vero omnia accurate pensantibus magnam ad emendationem tribuit auctoritatem: in dicendis enim gratia salutem patriæ constituere non necessarium est. (19.) Mille Atheniensium monumenta testes sunt mihi, etiam ipsis adversariorum manibus constructa, quæ militaribus cæsis amicitiæ gratia posui. (20.) Rerum administrationi imminens illic pacem scripto firmavi: fateor. Scripsi et Philippo laudes: non nego. Mancipia enim bis mille absque ullo captivitatis pretio civiumque mille corpora sine præcone Oropumque sine legatione recipiens vobis ista conscripsi. (21.) Neque vero munerum oblatio Macedonum scribentis manum occupavit, ut hi fingendo asserunt, sed tempus, necessitas, patriæ commodum, regisque perhumanus animus. (22.) Adiens enim periculum contentionum hostis, amicus evasi; præmium devictorum calamitosis ostendens. (23.) Rursum igitur alia civitati occasio oblata est, ut inter pericula libens delitescam: et omnes quidem Græciam incolentes Alexandrum ad principatum extulerunt, et decreta facientes majorem fastum juveni avidoque gloriæ imposuerunt; (24.) nos vero et Lacedæmonii reliquum eramus publicæ salutis columen, habentes non auri multitudinem, non armorum apparatum,

neque copias peditum, sed ingens desiderium, potentiam vero afflictam et depressam. (25.) Quorum quidem robur ad Leuctra periculum concussit, qui prius quidem inexpertus cum esset hostilis tubæ, Eurotas in Laconica Bœotos castrametatos habuit: Thebanus autem Spartæ florem juventutis attundit, et juvenum Laconicæ præscriptos terminos cineribus conclusos. (26.) Nostros vero apparatus bellum consumpsit, et spem superstitum mortuorum jactura labefactavit. (27.) Thebani vero maximum vinculum, præsidium scilicet Macedonum obtinebant, quo non solum manus adstrinxerant, sed etiam dicendi libertatem auferebant: Thebanorum enim robur tempus una cum Epaminondæ corpus sepelivit. (28.) Macedones vero corporibus floruerunt, quos etiam spe ad thesauros et Persarum sceptra fortuna transmittebat. (29.) Tunc similiter Demosthenes bellum comprobavit, nominibus quidem speciosum, rebus vero non salutare consilium tribuens: (30.) sicut vero in propinquo Atticæ stabat, regioque intra urbem continebatur, et civitas illa digna certamine et inter omnes admiranda bobus omnibusque et aliis pecoribus stabuli instar complebatur, auxilii vero spes nulla ex parte affulgebat, pacem conscripsi. (31.) Fateor, idque me apte utiliterque præstitisse assero: incubantem enim vitasse nubem præstat quam vehementi abripi torrente. (32.) Quare consentaneum est, Athenienses, nullam mihi ex illis rebus reliquam per vos succrescere inimicitiam. Non enim ego fortunam supero, ut fortuna vitam, per quam in periculo constituitur. (33.) Consilium vero decet, ut medicum, non morbi causam exsistere, sed salutis gratiam rependere. (34.) De externis igitur causis certas sententias pronuntiantes, leviter per meas res nudam esse rempub. conspicietis. (35.) Post hæc iterum tertium omniumque difficillimum periculum civitati injiciebatur, non amplius a fortuna immissum, sed ab oratoribus eo ipso tempore comparatum. (36.) Mecum etiam rerum gestarum recordamini, quando Demosthenes et Lycurgus Macedones oratione in acie collocarunt, qui in Triballis vincebant, (37.) solum vero in suggestu mortuum Alexandrum sub conspectum non constituerunt, in populo vero præsentes Thebanos commodis verbis mulcentes, exsulum animos per spem libertatis acuerunt, me vero tristem et mœrore confectum esse profitebar, con consentientem * * *

SOPHISTARUM

LESBONACTIS HERODIS ANTISTHENIS ALCIDAMANTIS GORGIÆ

INTERPRETATIO LATINA.

LESBONACTIS

POLITICA

DE BELLO CORINTHIORUM.

Quandoquidem videbam consilia vobis suggerentes, viri Athenienses, optima quæque civitati consuluisse, qui etiam interrogantes adierant scientes quosque de his rebus probe consulere, sententiam ut poteram clam indicabam: nunc vero conspiciens Thebanæ urbis præfectos per sententiam suam optima conscribentes, et vos de reipub. commodis nihil sollicitos ne verbum quidem in medium proferre, tum demum de præsenti bello accessi vos instructurus, eosque, qui inter vos semper dicere consueverunt, quid in hac re facto opus esset. Thebani quidem antea civitati nostræ parebant neque hostili erga nos animo afficiebantur; qui etsi contra majores nostros multa et gravia gesserint vobisque omni tempore hostes exstiterint, quæ peccarunt hactenus parvipendens tanquam de aliis verba faciam. Quis vero, quis, inquam, nunc ignorat quod primum post Lacedæmonios et alios Peloponnesi incolas, in perniciem nostram conspirantes, vastitatem nobis inferre studuerunt, nisi per fortunam eis et robur et consilium defecisset? deinde cum barbaro coalescentes eique in bello socii effecti, qui totis viribus ad nos nostraque omnia evertenda venerat, adversarii constituti consiliis et prudentiæ nostræ, fortissimi milites a paucis victi sunt? post hæc iterum in belli societatem cum inimicis nostris convenientes agros nostros populabundi invaserunt qui protectores illis non raro fuerant, et illam urbem, ubi ipsi servi et mancipia salutem toties fuerunt consecuti, jam diripere festinabant? Omni vero tempore tunc cum Lacedæmoniis in nos conspirantes, alias belli socios a nobis avocantes, semper illi sese contra nos hostiliter atque inimico animo gesserunt. Nunc quando tandem Platæacas vastationes perfecerunt, nobis si et viribus et animo conjuncti fuerint, semper et eorum et nostra civitas bene habebunt, et nobiscum soli pro totius Græciæ libertate contra barbarum decertantes tropæa erigere non dubitabunt. Quamobrem si consentaneum est vos iratos gregatim cum armis excurrere, et Thebanis debitum irrogare supplicium, quod hi in socios nostros

crudelissime commiserunt. Dignum igitur sentio eos, qui vos a sententia mea dehortantur, sententiam suam mihi exponere, et suadere cum Thebanis in bello societatem non esse ineundam: quod si fieri non possit, sententiam dicentes nihil in vos deliquerunt.

HORTATORIA EJUSDEM.

1. Cum hostes adsunt, milites, quorum causa factus est omnis apparatus; tum res divinæ, a quibus est incipiendum, utroque modo recte se habent: nam et exta contigere fausta et jus a nobis est. Reliqua igitur spes in vobis est, si fortes vos præbueritis. Ac me quidem ea quæ scio vos decet monere, vos autem quæ dicam attendere, et quemadmodum auditis verba, sic res ipsas, de quibus verba fiunt, videre vos præsentes credere: si quidem hac ratione quid expediat cognoveritis facillime.

2. Atque hoc vobis est considerandum, quantum in eo sit commodi, si hostes prælio vincatis. Etenim primum urbem conservatis et regionem in qua estis educati, quamque vobis a se munitam et multo sudore defensam majores non perdendam sed servandam reliquerunt; quam nisi liberam, ut accepistis, tenere pergatis, admodum turpe sit. Neque vero, quia periculum timeatis ac majus quam sit existimetis, et vestram abjicite fortitudinem et alienam comparate vobis ignaviam. Templa præterea vobis a se constructa, sacellis, aris, statuis, ac multis præclaris ornata donariis, majores reliquere; quæ nolite spolianda et diruenda prodere, verum diis pro virili quisque opem ferte, cum præsertim præter vestrum commodum suam quoque vobis benevolentiam dii in sacris ostenderint, pomparum et publicorum conventuum atque certaminum memores, per quæ tum præsentes obliviscebamur ærumnas, tum post hanc delectationem alias inter nos per amicitias cognationesque et ætates collecti excogitabamus, quæ et nobis ipsis minime molestæ et aliis essent maxime jucundæ. At in hoc certamine situm est; ut vel et hæc servemus et alia plura pulcriora majoraque nobis comparemus, vel et hæc perdamus et ipsi miserias multas tum subeamus tum oculis usurpemus. Sed ad ea vestrum uniuscujusque cogitationem volo revocare, quæ nobis carissima reliquimus, patres videlicet ac matres qui nos genuerunt, liberos quos procreavimus, fratres ac sorores nobiscum natos, de quibus alii per senectutem, alii per juventutem nimiam, ut corpora non possunt hostibus objicere, ita periculorum partem participant maximam. Ex his porro, si nos strenue decertaverimus, felices erunt patres, honorati liberi, celebres et uxores et filiæ et sorores tum singulorum tum omnium: sin ignavi fuerimus nec ad extremum usque halitum depugnare voluerimus, miseri fiunt patres, qui et conspectu nostro et urbe atque agro templisque privantur, et pro libertate pulcherrima turpissimum subeunt ea ætate jugum, quæ vel quantum patiatur quæ senio nequit cognoscere, vel, si cognoscit, auxilium ferre non potest, quod quidem rem intolerabiliorem facit; quandoquidem, si cognitioni vires corporis ad resistendum essent conjunctæ, levior videretur calamitas: miseræ quoque fiunt uxores, et infelices fratres sororesque, qui cum iisdem rebus tum spe qua fuerant enutriti spolientur. Et quibus nunc gloriam et honorem pulcritudo et forma pariunt, iisdem in servitutem redactis turpitudinem et degradationem ea ferre necesse est: nam pro pulcherrimis et splendidissimis conjugiis turpissimis ac vilissimis implicantur. Deformitas quoque talibus operibus corpora subjicit, in quibus et prior educatio commoda damnum affert, et, postquam laboribus pares esse non possunt, turpi ac violenta morte vitam sponte commutant. Quocirca quisquis talibus propositis præmiis virum se in hoc certamine non præstabit, is utraque spe atque copia, tum quæ nunc est, tum si qua post erit, privabitur: siquidem in hoc prælio sita sunt omnia.

3. Hoc etiam perpendendum est, quam ob causam velitis maxime pugnare, et quid non sit in eo boni si hostes prælio vincatis. Virtus bonum habetur? hoc omnem virtutem atque omnium votorum summam complectitur. Pax bonum habetur? hæc eorum arbitrio qui hostes vicerint componitur. Opes bonum habentur? hoc victoribus debetur; qui et sua tuto possident et aliena secure carpunt. Jam justitiæ non parum in hac re cernitur: est enim justum patriæ quæ nos aluit, sacrisque avitis et majorum sepulcris, ferre suppetias; est justum parentum, a quibus estis educati, senectutem rursum fovere; est justum liberos, quos procreastis, tollere; est justum hæc neminem negligere. Quod si quis sapientiæ dat operam, is victoriam in sapientia ponat, siquidem sapientiæ libertas, non servitus, congruit. Pulcritudo honor habetur? iidem victores et pulcri pulcriores, et deformes ferociores, videntur: quandoquidem nihil non quod liberum sit est pulcrum. Jam si quod est nobilitatis indicium, id in hoc opere cernitur potissimum. Et enim qui, quum ante generosus haberetur, nunc depugnare nolet, is et a majoribus relictam nobilitatem amittet, et liberis ignobilitatem relinquet: at qui fortem se præbebit, et majorum revocabit in memoriam virtutes, et liberis nobilitatem prodet; eorum enim, qui periculosis temporibus strenue se gesserint, posteri nobiles habentur.

4. Et quanquam permulta retulerim victoriæ commoda, non pauca tamen omisi, quæ sibi quisque suggerens fortem se præbeat: nunc autem, quantum in ipsa pugna sit ad salutem vel interitum momenti, vos docebo. Etenim corpus primum prorsum ire et pro-

spicere natura solet; deinde armorum ea est ratio ut corpori præponantur, scutum ad cavenda vulnera, hasta ad inferenda: quocirca si prorsum voletis in pugnam procedere, tum jussis obtemperantes, tum bonorum recordatione vos invicem confirmantes, et ut iram contemnentes, ita pugnam desiderantes, illos, quantum res humanæ ferunt, devincetis. Sin aliquis, et hostes plus quam homines nec vulnerari posse existimans, et sese nihili faciens, fugam in salute ponet, is primum consilio vincetur, deinde corpus ita cum sit natura factum, ut repugnet operi illi quod retro cedens agitat, voluntati domini sua contraria omnia faciet — nam retro quidem nec pedes cujusquam possint procedere nec oculi prospicere —, sin bifariam incedat, ac simul et receptui det operam et imminens caveat periculum, vix arbitror vel adversarium poterit oppositum repellere: si vero conversus fugam capiet ut aufugiat, primum nudas partes hostibus ostendet, et vel vulnera vel pugnam necessario subibit, deinde multi ac leves eum persequentur funditores ac sagittarii, quos nec ipsos nec eorum tela prorsus queat evadere; siquidem viro celerrimo tardissimum est jaculum longe velocius. Quapropter, si quis de vobis vitæ studiosus receptum vel fugam ad salutem meditatur, non recte videtur quid sit vitæ studium cognoscere: qui enim manet et congreditur, is non suam tantum sed domesticorum vitam conservat.

5. Jam si quis certo se sciret, quum hoc evasisset periculum, reliquum vitæ tempus in gloria atque voluptate transacturum, aliquam haberet ignavia rationem: nunc autem pro ignavis habiti et reliqua vitæ parte non longa misere per turpitudinem et infamiam transacta probrum liberis relinquent. Et quoniam immortales non sumus nati, quonam honestius pacto quam quos oportebat defensis moriamur? Quænam sit mors jucundior? Quinam gloriosiores mortui? Etenim qui talem oppetant mortem, in eorum decus publicum exstruitur sepulcrum, sacra fiunt, celebrantur certamina, proque mortali corpore monumentum paratur immortale. Ac horum liberi publice aluntur, et integris armaturis ac primis subselliis honorantur, inque choris et gymnasiis et aliis conventibus admirationi sunt. Qui porro periculum hoc per fortitudinem evaserint, ii reliquam vitam secure cum perpetua per omnes conventus ac pompas laude degunt. His amici sunt amici, pro his inimici intercedunt, per hos quivis hospitio vult excipi; et affinitates libentes contraxeris: hi in senectute beati dicuntur. Nunc igitur, milites, pro se quisque, nullis omissis viribus, his bonis comparandis incumbite. Atque vos admoneo, exta vobis contigisse fausta.

ADHUC EJUSDEM DE IISDEM.

1. Tum auspicia et exta augusta sunt, tum vester quoque apparatus recte se habet: quocirca gnavos præbeatis vos oportet. Ac debetis, posteaquam pro vestra estis patria depugnaturi et filii majorum bonorum estis, vel esse tales, vel melius aliquid parare. Quamobrem nec verba nec facta negligenda, neque eos qui parati sunt excitare prætermittendum: id quod vel maxime mihi faciendum videtur. Qui enim fortes esse nolunt, eos frustra vel verbis vel factis coneris fortes efficere; qui autem cupiunt et volunt, non item. Omnis enim res incrementi, donec ad finem pervenerit, est capax: ac plurimum ibi virtutem crescere, ubi maxime præmiis et laudibus extollitur, videas. Quocirca — quod modo dicebam — nemo vestrum quicquam sibi parabit melius. Quare si nunc quoque sic et omnes estis et singuli animati ut fortitudini ac dignitati vestræ studere cupiatis, non tam vos lædet, si virtutem vestram ac simul et majorum et hostium vestrorum, quam per vos obtinent, dignitatem cognoveritis, quam juvabit. Vestri enim et antiqui parentes celebres inter Græcos ob virtutem fuerunt, et novi. Cujus hoc est rei testimonium. Reliqui fere Græci cuncti suis expulsi sedibus, et aliis rursum ejectis, regionem suam singuli possident. Vos autem duplex editis hac in re virtutis specimen: nam nec ab aliis ejecti, nec aliis ejectis, agrum vestrum incolitis; quorum illud fortitudinis, hoc justitiæ decus patriæ conciliat. Atque hæc sunt antiquorum parentum virtutis indicia: noverum vero tum alia multa, tum quod barbarico cedentes exercitui cum liberis patria, Salamine erumpentes Græciam totam servastis atque hos una qui nunc se vobis opponunt. O magnam impietatem! cum liberatores invadunt liberati, et cum servitutis auctoribus subjugare parant, cum vestris servis; ac longe secus quam vestri majores faciunt, qui Spartam olim contra servos imminentes juverunt, cum quidam ab illis cum veste purpurea petiisset auxilium et ne Spartam subjugatam prætervideant orasset. Hoc jam vobis maleficium pro illo referunt hi beneficio, quos vestra virtus tales quales videtis effecit, ac regionem vestram vastant et servos liberant atque contra vos præter legem atque fœdera producunt in aciem, quos non decebat Heraclidis ducibus Atticum agrum cum hostilibus armis conscendere. Verum nec deos reverentur nec homines: alioqui nunquam hæc facerent. At vos eos, si dii volunt, punietis.

2. Hoc igitur cogitate, vos ex vestra urbe in pugnam prodire, a Vesta paterna diisque tum aliis tum civilibus profectos, nec majorum homicidas esse, sed eorum causa preces vestris diis obtulisse, atque ita tum deorum tum dæmonum habere vindictam adjutricem. At

cum impiis et injustis viris pugnatis, qui sua regione, in qua sunt nati, perdita et relicta, vel ira deorum vel sua ignavia, vestram invadunt et ex alieno prodeunt; nec tam vel a sua singuli Vesta vel ab aliis aut avitis diis profecti sunt, quam a Furiis et Fraude dæmonibus ad pœnas dandas huc impelluntur. Etenim nec numero vobis nec armis præstant; neque vestra freti ignavia tam confidenter vestra transeunt, verum illos deus aliquis ad luenda impietatis et injustitiæ supplicia deducit. Quapropter hoc unicuique vestrum sit persuasum, permultum ad victoriam facere fidentiam. Quocirca, quandoquidem et favent dii et licet vobis hos antecellere, hostium armis exiguo tempore perlatis longam in omne tempus parabitis virtutis gloriam, atque omnibus eorum vos esse posteros probabitis, qui primum barbaris olim, postquam Marathonem vestram conscenderant, simul cum clamore devictis multas ejecerunt myriadas ac multos occiderunt, quum neque auxilium ex Peloponneso exspectassent neque suam considerassent paucitatem, verum propria freti virtute manus conseruissent: deinde Platæis simul cum aliis Græcis qui ejusdem partis erant vicerunt; ut etiam ad Artemisium et ante Salaminem prælio navali, sic ut etiamnum Græciæ servatores appellentur. Sed et alia multa majores vestri præclari obierunt certamina, quorum victoriæ præmia terminos habent urbes magnas, quæ multorum dierum a vestra distantes itinere vestro parent præconi. Quamobrem diis invocatis Olympiis, qui nobis merito plus quam hostibus tribuunt, precario cum latronibus congrediamur. Sed confidite: et diis justa impertientibus secunde pugnabitis. Exta fausta et æquitas ut vobis fidentiam, ita metum illis, afferent. Quæ autem juvenes excitant maxime, vosmetipsos audite, et urbis magnitudinem ac felicitatem suam et gloriam unusquisque; sunt etiam juventutis ludicra pulcri pueri ac mulieres, gymnasia, venationes, quibus vos rebus et in libertate maxime fruimini; de quibus ceu vestris nunc pugnatis supervacaneum viros quibus ista cara sint cohortari. Quare mutuo vos cohortati, et vir virum et popularem popularis et tribulis tribulem, secunda fortuna, cum quis in hostes vos ducet, utimini.

HERODIS

DE REPUBLICA.

1. Quas ob causas et huic ætati et non multo minori de re controversa disserendum sit, possim dicere: quare qui disserere possit silere debeat, neque ex alio cognoscere neque per me possum invenire. Etenim qui alterius rei cognitionem sibi arroget, is vanitatis vel curiositatis incusari possit: res autem bellicæ ut omnium sunt communes, ita præcipue ab hac ætate sunt per disputationem excutiendæ. Nam quibus est periculum proximum, ii maximam necessario curam adhibent: quibus autem cura datur, hi maximam debent inventioni operam dare. Quapropter et necessitatem dicendi permagnam, nec veniam tacendi ullam video. Vellem enim vosmetipsos esse vestrorum commodorum post deos auctores; quod si conamini, non minus est, cum aliorum opera vobis consulitis, jucundum, ac mihi id quod accidit deorum alicujus providentia videtur evenisse. Nam quæ vobis opum jactura vitæque periculo comparanda fuerant, hæc vobis omnia sine labore atque sumptu fortuna suppeditat, sic ut hostes nostri ultro nobis dent supplicium. Ac primum quidem, quam sit commodum iis parere qui ad bellum adhortantur, docebo; deinde, quam sit necessarium.

2. Possumus enim nos ea quæ sunt huic regioni natura contraria cognoscere, et cognita mature cavere, cum et illa quovis pacto debilia et nostra reddimus fortiora; quando quidem non ignoramus id quod est natura inimicum nunquam, nisi cum deest malefaciendi facultas, quiescere. Nunc autem e cladibus quod erat discendum cognovimus, nunquam hunc virum nobis amicum futurum aut nobiscum compositurum. Neque enim quia accepit a nobis injuriam, verum quia vult inferre, hostis est. Habet autem eam regionem quam nobis a se conquisitam majores reliquerunt, quamque vel per imbecillitatem nostram retinebit, vel potentiam invitus reddet. Atque hunc quidem unum habet malevolentiæ stimulum: alterum, quod cum civitatibus Græcis sufficiat si potentiam suam posteris prodant, hoc tyrannis non est satis, nisi ditissimos etiam quosque semper evertant. Jam nos nec ipsi videmur hoc facile passuri, et alios impedituri. Quapropter ille vobis irascitur, cum eorum qui

vobis confidunt spem cupiat eludi. Eadem igitur opera se et nos existimat et eos quorum per nos imperio privabitur subacturum. Atque hæc primum nobis conjectura licebat assequi, nunc autem re doctis firmiter cognoscere. Qua enim re potissimum et urbs capitur, et regio, hæc eum non latuit, cum seditionem nostram animadverteret; neque cum paucis hos omnes aggredi cunctatus est. Siquidem norat se, si plurimos aggrederetur, nihil quod studeret effecturum — quandoquidem debellatis infirmioribus potiores ad resistendum instructos non esset subacturus—, sin plurimos cum paucis everteret, omnium facile potiturum. Atque ita videtur illum ut seditione laboretis optare. Quod si est illi commodum, quam sit vobis hoc illius commodum noxium, cum alio maximo id contendentes videte. Nam cum tam esse maximum malum bellum, quam est maximum bonum pax, credatur; eodem tamen intervallo bellum seditio, quo pacem illud, superat. Ut enim in externo bello patriam servando, sic in civili nosmetipsos perdendo morimur, ita ut ne homicidæ quidem laudem mereatur. Cum aliis porro præliantes pro amicis bellum gerimus; et cum alienis devictis amicos comparemus alios, nostris vero superatis, etiam priores amittimus. Jam regionis vastatio atque opum pernicies et inimicis voluptas amicisque calamitas quanta hinc sequatur, paucis singulatim explicari non potest. Neque facile est his malis, postquam semel exorta sunt, liberari: vix enim conciliatorem invenias. Nam qui prope habitant vicinorum seditionem non moleste ferunt, imbecilliores, ne pareant, pares, ut potiores fiant, superiores, ut imperent facilius.

3. Atque horum non video cur longe petendum sit exemplum, cum ipsi aliis exemplo simus. Etenim cum regionem habeamus inter Græcos maximam et omnia tum incolis tum advenis suppeditare præpollentem, nunquam iis qui a nobis deducantur ditiores videmur: siquidem illi sibi quod accedit reponunt, nos in alienos insumimus, ac tum publica reddimus privata tum privata publica. Quis vero non indignum ducat eos ali publice, qui urbem publicam non faciant? Cumque regionem habeamus ad alios repellendos aptissimam, et socios atque equos ex se præbentem, non tantum injurios non removemus, verum adjutores mercede conducimus et hospites vitamus; atque ita, tum regionis contemnitur potentia, tum ipsi deridemur. Horum autem omnium atque aliorum insuper malorum auctorem coram vidistis, cum tale sui specimen omnibus ederet, quale nemo quantumvis durus et inhumanus absque lacrymis posset exponere. Quod enim de gravissimis malis defuit? Non et pueri et mulieres et senes parentes, illi patres, aliæ viros, aliæ liberos, vel in suis manibus vel inter hostes mori viderunt? Nonne conspexistis ædium subversiones atque opum rapta? et, quod erat omnium gravissimum, eo sæpe qui sacrorum eorundem atque ejusdem tribus esset particeps auctore, quem juvare secundum leges, non contra leges decebat perdere? Quo tempore eorum ætas senibus pariter ac orbatis calamitati et malo erat. Atque horum auctorem quis nobis affligendum cum possimus neget, tum juvandos mortuos, tum orbatis misericordiam tribuendam? Neque enim hoc tantum erit commodi, quod rerum præteritarum pœnas expetemus, sed etiam reliquos hoc exemplo docebimus, ne dissensionem nostram in lucro ponant neque nobiscum nobis insidientur. Id porro si contingat, nunquam seditione nos laboraturos confido, si nusquam insidiantibus adjutores occurrant.

4. Atque his quidem de causis commodum est cum iis qui adhortantur bellum voluntario capessere: quam sit autem necessarium ex sequentibus cognoscite. Etenim Archelaus nec Peloponnesios cum Atheniensibus invasit, nec per suam ire regionem vetuit, neque pecuniam contra illos suppeditavit, neque ullam dedit inimicitiæ causam, nisi quod cum illis Athenienses oppugnare noluit, verum quietem sectatus est. Quare si satis est causæ Peloponnesiis, cum hostes judicant eos qui noluerunt una bellum gerere, cavendum est ne nobis eadem de causa bellum inferant, si vocati una pugnare noluerimus: etenim nullam ab Atheniensibus injuriam acceperat. Nobis vero quænam est reliqua ratio? An quia læsi non sumus? Docebimus eos eadem, quæ ille, facere: si enim qui id fecit injuste non egit, vacat res injustitia. An vero læsos esse fatebimur, ulcisci nos velle negabimus? Admodum igitur ignavos reddemus eos qui nobis benefacere cogitant. An denique velle, sed non posse dicemus? Quis ergo nostras vires non contemnet, si ne Græcorum quidem auxilio poterimus hostes ulcisci, et, quod est maximum, secundam apud Græcos culpam subibimus, qui nec in primo bello Persico, nec in hoc quod nunc indicitur, socios nos præbeamus. Quanquam in illo non deerat nobis excusatio: pro nobis enim volebamus una cum illis periclitari; atque hoc honestius ducebamus, quam si nostra relicta de illorum regione depugnaremus. Nunc autem quid dicemus? siquidem ipsi pro nobis ac nostris adsunt periclitaturi. Præterea nonne indignum, si soli Græcorum in societate Græca non censebimur? Id quod quantum sit, hic ostendit ipse: nam cum pecunia cuperet Græcorum societatem emere, non potuit obtinere. Quod quidem et commodam rem esse et difficilem simul demonstrat. Ac de his quidem, si quis ea contra proferat, hæc dicta sint.

5. Sed alium audio sermonem, qui ea quæ dico optima esse perspicue ostendit. Etenim si istam rationem habent firmissimam, deponendus jam est metus. Aiunt enim præstare Archelaum, quamvis talem, accolam Peloponnesiis: nam hunc facile si velimus repellamus, Peloponnesios non item: quare seditione præstat inter

nos conflictari quam aliis servire. At ego si necessario viderem eligendum alterutrum, utrum potius esset deliberarem: verum quietem nobis cum Peloponnesiis intercedere video. Miror præterea istorum contentionem qui dissimilia inter se comparent. Paria enim cum paribus neutiquam comparant, primum quidem quia horum facta cognoscimus aperte, illorum suspicione complectimur. Si quidem illa sensimus, hæc an sensuri simus ignoramus. Non igitur æquum est ob res gestas non indignari quas autem assequimur conjectura magis timere. Quibus vero exemplis metum hunc concipiamus? Non videmus proximos nobis Græcos Phoceenses esse liberos, propinquos Bœotos nec tributo nec magistratu ullo Laconico premi, remotiores etiam Corinthios sui juris esse suisque frui, Achivos præterea qui nos nec multitudine nec oppidis superant, nec non Eleos, Tegeatas, et Arcadas reliquos eodem se habere modo? sic, ut nullus ibi regnarit adhuc Laco, sicut nec hic Macedo. Jam respublicas ubique constitutas et leges positas novimus, ac rerum communium usum esse communem.

6. Sed eos forte quis paucorum imperium ubique dicet instituere. Tale profecto, quale nos cum diu optassemus ac desiderassemus, brevi sumus constituto spoliati: si quidem comparanda sunt illa paucorum cum istis imperia. Ubi enim tam parvam urbem reperias, in qua non tertia pars præsit rebus? cui autem neque armorum gerendorum neque reliquæ reipublicæ administrandæ facultas est, is non tam per Lacedæmonios quam per fortunam privatus est imperio. Privatus quidem est, donec documentum ediderit. Omnia vero ista penes vos sunt. Nam reipublicæ quidem formam vix aliam, arbitror, possimus exoptare; exemplis autem propositis ea non debemus timere, quæ non contingere sit quam contingere gravius. Lacedæmonii porro non facile nos invaserint: sunt enim longe a nobis remoti, nec nimis ad eam rem instructi. Nam propinquitas, qua nos valemus plurimum, non parvum apud illos discrimen facit. Quare primum non temere nos aggredientur: sin facient, non latebunt; si præsciemus, non negligemus. Quo fit, ut nulla ratione nos commode queant invadere.

7. Quod si quis hoc etiam dixerit, liberos habere Archelaum ac propter eos non esse societatem ineundam, admirari primum eum libeat, qui decem filiorum mentionem faciat, omnium atque civitatis ipsius obliviscatur; et cum filiorum utilitatem negligat, paucorum rationem habeat. Jam si necessario filiis aliquid esset exspectandum, nullam hæc verba admirationem moverent: nunc illo devicto, liberos quoque in nostra potestate fore, manifestum est * * *

8. Ac mea quidem oratio jubet injuriarum auctorem ulcisci, mortuos juvare, necessariis gratificari, fortunam accipere, Græcis amicos, barbaris hostes esse, juvantibus confidere, alios metuere, lædentes pro hostibus juvantes pro amicis habere, denique res cognitas suspicionibus certiores ducere. Atque hæc quidem mea vult oratio: qui autem ea erunt audacia contrariam ut instituant, eorum oratio contraria necesse est jubeat; damnum ultro accipere, lædentes juvare, prodesse volentes fugere, amicis diffidere, fidere hostibus, longinqua metuere, propinqua contemnere, non cum Græcis, sed cum barbaris, iisque inimicissimis, inire societatem, inultos mortuos, inhonestos necessarios, relinquere, rempublicam, leges, juraque abolere. Atque hæc oportet adversariorum velle orationem: quandoquidem hæc iis quæ ego dico sunt contraria. Quamobrem, si illis parebitis, hæc vobis non deerunt: sin societatem arripiemus, et pœnas rerum perpessarum expetemus nec in posterum similia perferemus.

ANTISTHENIS

AJAX.

1. Vellem equidem nobis eosdem dari judices, qui rebus gestis etiam interfuerunt; tum enim profecto nec me quicquam esset opus loqui, nec huic verba prodessent: nunc autem qui rebus interfuerunt non adsunt, vos autem, qui notitiam nullam habetis, judices estis. Quale vero sit judicum ignarorum judicium, presertim verbis peragendum, quum res facto constiterit? Atque ego quidem Achillis cadaver sustuli, hic autem arma, cum Trojanos non tam armorum quam corporis potiundi desiderio teneri sciret. Hoc enim si cepissent, et contumeliis ipsum affecissent et Hectoris pretium recuperassent: arma vero non diis obtulissent, potius quam hujus viri probi metu abscondissent, qui etiam nuper deæ statuam nocte per sacrilegium furatus Græcis quasi præclarum quiddam effecisset ostentabat. Et ego quidem, ut amicis arma reddam, ea postulo; hic autem ut vendat, quandoquidem uti non auderet: quis enim ignavior insignibus utatur armis, quum per ea suam prodi sciat ignaviam.

2. Atque omnia fere sunt similia. Nam et qui certamen instituerunt reges non inviti virtutis judicium aliis concesserunt, et vos omnium ignari, de iis vos quæ non intelligitis judicaturos recipitis. Ego vero hoc scio, regem nullum, qui de virtute judicare possit, id aliis commissurum, non magis quam peritus medicus ad alium morborum judicium deferret.

3. Quod si mihi cum simili viro res esset, ne vinci quidem puderet: nunc inter me et hunc discrimen est maximum. Etenim hic nihil aperte faciet, ego nihil occulte. Ego male audire nolim, ut nec male affici; hic vel suspendi se patiatur, modo sit lucri spes aliqua: qui tergum flagris servorum, dorsum fustibus, pugnis faciem exposuit, atque ita pannis involutus, nocte in hostium urbem ad committendum sacrilegium irrepsit. Neque hæc se negabit fecisse, verum etiam recte facta, credo, persuadebit. Ergo sacrilegus hic et mastigia sibi Achillis arma postulabit?

4. Equidem vos jubeo judices imperitos, non verba potius quam facta spectare, postquam de virtute judicatis. Nam et bellum factis non verbis geritur; neque cum hostibus disputare licet, sed

vel pugnando vincendum est vel silentio serviendum. Hæc vos animadvertite et considerate: si enim non recte judicaveritis, nihil ad facta valere verba, nec dicendo quenquam vobis prodesse posse, manifestum fiet; simul et hoc intelligetis, per factorum inopiam multos haberi longosque sermones. Quocirca vel non intelligere vos quæ dicantur fatemini, et surgite, vel recte judicate. Idque non occulte, sed palam, ut ipsos quoque judices manere pœnam, si secus judicarint, sciatis. Hoc deinde cognoscetis, non judices vos dictorum, sed arbitros sedere. Ut enim judicare vobis de me rebusque meis permitto, ita arbitrari nemini, præsertim inter eum qui non ultro sed invitus ad Trojam venit, et me qui semper primus ac solus et absque mœnibus in acie consisto.

ANTISTHENIS

ULYSSES.

1. Non mihi tecum solum, propter quem surrexi, sed cum aliis etiam omnibus res est: nam plus ego commodi quam vos omnes exercitui attuli. Atque hoc et vivente dixissem Achille, et mortuo nunc ad vos dico. Vos enim nullum obiistis prælium, cujus ego particeps non fuerim: at in meis privatis periculis nemo vestrum partem habet. Jam in communibus pugnis ne victoria quidem permultum prodetat: in meis vero discriminibus, quæ solus subibam, sive feliciter me gererem, omnia vobis quorum causa huc venimus, contingebat, sive secus, uno me fuissetis orbati. Neque enim ad manus cum Trojanis conserendas huc appulimus, verum ad Helenam recuperandam et capiendam Trojam. Hæc porro meis in discriminibus erant omnia posita. Posteaquam enim non potuit per oraculum Troja capi, priusquam deæ statuam nacti essemus, quis eam huc præter me deduxit? quem tu quidem sacrilegii insimulas. Imperitus est profecto, qui eum a quo est restituta statua, non Alexandrum qui nobis eam surripuit, sacrilegum voces. Cumque omnes Trojæ excidium optaveritis, me, qui ejus efficiendi rationem invenerim, appelles sacrilegum? Atqui si pulcrum erat Trojam capere, ejus quoque rei viam invenire pulcrum erat. Cumque alii gratias agant, tu a probris abstinere non potes: nam per imperitiam beneficia non agnoscis. Quanquam non imperitiæ te insimulo; quoniam illa tum tibi tum aliis omnibus contingit invitis: sed quod meis probris servari te non confiteris, verum insuper minaris, quasi hos, si mihi arma adjudicarint, male sis accepturus. Ac sæpe multumque minaberis, antequam ad rem venias: quinetiam si quid est

indulgendum conjecturæ, existimo te in teipsum præ rabie aliquid male consulturum.

2. Jam cum ignaviam mihi, postquam hostes læsi, tribuis; te putas, quoniam palam luctabaris et cum reliquis frustra te fatigabas, fortiorem esse. Deinde mecum de virtute disputas, qui primum ne hoc quidem quando pugnandum sit scias, verum instar efferatæ suis ira raptus etiam teipsum aliquando per cladem aliquam occideris. An ignoras virum fortem nec a se nec ab alio nec ab inimicis lædi debere? Tu vero quasi puer, quoniam hi fortem te dicunt, gaudes: at ego te ignavissimum et mortis metuentem maxime dixero, qui primum arma habeas quæ nec frangi nec vulnerari possint, quorum te ope tradunt invulneratum semper esse. Quid autem feceris, si quis hostium cum similibus armis te aggrediatur? An hoc insigne et mirandum foret, si neutrum vestrum quicquam posset efficere? Et aliquid interesse putas, arma hæc habeas, an intra mœnia consistas? Nam solum te mœnibus carere prædicas; atqui solus cum septemplici muro obambulas: at inermis ego hostium mœnia non aggredior sed ingredior, et hostiles custodes vigilantes una cum armis capio, ac dux et custos tui sum relioquorumque omnium, nec minus hostium res quam nostras compertas habeo, non per speculatores, sed per meipsum; quemadmodum autem gubernatores vectorum saluti noctes diesque dant operam, similiter ego te atque alios omnes conservo. Neque discrimen ullum propter turpitudinem fugio, dum hostibus nocere possim; nec si me quidam conspecturi sint, gloriæ causa quicquam aggrediar: verum etiamsi servi ac mastigiæ natura hostes possem lædere, id vel nemine vidente conarer. Nam non videri prælium, sed facere quid noctes diesque gestit. Neque certa mihi sunt arma, quibus hostes ad pugnam provoco, verum quocunque quis velit modo, sive cum uno sive cum pluribus semper paratus sum depugnare. Neque etiam cum prælium me fatigat, aliis arma, quemadmodum tu, trado; verum quando quiescunt hostes, tum in eos nocte cum talibus armis impetum facio, quæ et illos lædant plurimum. Nec mihi unquam potuit nox demere, sicut non raro tibi quietem inter pugnandum optatam attulit: sed cum tu stertis, tum ego te tueor, et aliquam semper hostibus cladem concilio, cum servilibus his armis pannisque et flagris, quorum tu auxilio secure dormis.

3. An vero, quoniam cadaver sustulisti, fortem te ducis? quod si non tu solus, duo certe viri deferre potuissent. Tum autem illi quoque de virtute nobiscum contendissent, ac mihi quidem fuisset idem ad illos dicendum: tu vero quid in contentione protulisses? An duobus ignaviorem te fateri possis, uno non ausis? An ignoras Trojanos non cadaver sed arma capere studuisse; nam ut illud reddituri, ita hæc diis erant in templo dedicaturi. Etenim cadavera

non tam est turpe non sepelire, quam sepelienda non reddere. Quare tu quod erat facile sustulisti, ego quæ probris erant obnoxia intercepi.

4. Laboras autem invidia simul et imperitia, quæ sunt maxime contraria mala: cumque illa te ad res præclaras excitet, hæc deterret. Quapropter humanum tibi quiddam accidit: cum te robustum et fortem existimas, sed non eandem habere vim in bello sapientiam atque fortitudinem non animadvertis; imperitia vero malum est maximum. Ac, si quis unquam poeta sapiens exstiterit, is me, ni fallor, patientem, prudentem, industrium, urbium expugnatorem, ac solum Trojam cepisse dixerit, te vero cum segnibus asinis et opimis vaccis, quos ligare sit necesse, comparaverit.

ALCIDAMANTIS ULYSSES

CONTRA PALAMEDEM PRODITIONIS.

1. Sæpenumero consilium eorum sum demiratus, Græci, qui temere vobis e suggestu suadent ea, quæ nec utilitatem publicam efficiunt ullam, et contumelias fere gignunt utrimque plurimas; et cum ineptos de re qualibet sermones habent, tum suam quisque sententiam lucri causa proferunt, atque iis adeo, a quibus plurimum se sperant accepturos, patrocinantur nonnulli. Jam si quis in exercitu quid peccet vel commune sibi studens lædat, id curat nemo: sin aliquis nostrum vel hostem captivum habet vel præmium accepit majus, eorum studio magnas inter nos contentiones excitamus. Ego vero probum et justum virum censeo nec privatas respicere inimicitias, nec unius amici studio pluris opes quam populare commodum facturum. Sed ego priscis laboribus atque sermonibus relictis, Palamedem hunc vestro judicio conabor juste proponere. Est autem crimen, ut sciatis, proditionis: quod quidem decies gravior quam alia manet mulcta. Præterea quod nostis omnes, nulla mihi cum hoc unquam nec inimicitia nec lis de ulla re incidit, nec in palæstra nec in convivio, quamvis ibi plurimæ contentiones et contumeliæ soleant exsistere. Ipse vero, quem accusabo, prudens est et versutus: sic ut merito vobis attendendum sit nec quæ dicuntur negligenda.

2. Etenim nec ipsi ignoratis quo fuerimus in discrimine, cum alii nostrum ad naves confugerant, alii in fossas decidebant, et castra hostes invaserant, ac magnopere futurus eventus esset incertus. Cum autem nos ad portas eodem in loco, Diomedes et ego, consisteremus in acie, nec procul Palamedes et Polypœtes distarent, sagittarius quidam ex hostibus excurrens, dum hunc petit, ad me aberrat; tum hic hastam in illum emittit, qua ille sublata redit in castra. At ego sagittam tollens Eurybati do ad Teucrum perferendam, ut utatur. Postquam vero pugna nonnihil interquievit, ostendit mihi literas sub alis teli latentes. Hic ego stupefactus, advocatis Diomedi atque Sthenelo, quid contineatur, ostendo. Erant autem hæc perscripta: Alexander Palamedi S. De quibus cum Telepho egisti, concedentur omnia, et pater tibi

Cassandram, ut scripseras, despondet; tu tua celeriter perage. Atque hæc quidem erant scriptæ: cujus vos rei, qui telum accepistis, testes advoco.

TESTES.

3. Quinetiam telum vobis ipsum ostendissem, nisi id in tumultu per incuriam Teucer amisisset. Sed reliqua mihi quoque exponenda sunt, ne inique videamur capitale crimen turpissimum commilitoni imponere, præsertim qui vobis hactenus carus fuerit. Nam priusquam huc appelleremus, diu una fuimus, cum illum nemo signum in clypeo viderat gerentem: postquam vero fuimus huc delati, tridentem inscripsit. Cur? nisi ut hæc eum inscriptio manifestum redderet, sive hunc hostis peteret, sive hic in illum jacularetur. Quid quod hinc etiam jure de hasta emissa conjecturam facio. Nam in illa quoque perscriptum dixerim, quando nos esset proditurus: sic enim hic illis et illi huic vicissim, quæ volebant, hoc modo sine nunciis indicabant. Nunc etiam hoc perpendite. Decreto cautum inter nos erat, ut, si quis telum ab hostibus accepisset, ad principes deferret, quandoquidem nos illis non sæpe utimur: atque alii quidem huic parent mandato, verum hic, postquam tela quinque excepit, nec ullum ad vos detulit, sagittarium se prodidit; quare vel hac de causa merito mihi capite plectendus videatur. Non hæc ex callida mente versutoque ejus consilio, Græci, prodire, quæ ipsum deceant minime, cogitatis? Quin imo hunc rerum nostrarum totiusque exercitus statum huic atque hujus parenti acceptum docebo referendum, nisi quod pluribus verbis est opus.

4. Pater huic pauper est, Nauplius nomine, arte piscator. Is Græcorum plurimos de medio sustulit, opes multas e navibus abstulit, plurimis injuriis nautas affecit, omnique est versutia plenus: id quod in progressu sermonis, veritate rerum gestarum cognita, intelligetis. Aleo Tegeæ regi, cum Delphos venisset, prædixit deus, quicunque ex ejus filia nasceretur nepos, ab eo liberos ipsius interemptum iri. Hoc audito confestim domum reversus, Aleus Minervæ sacerdotem facit filiam, et mortem, si unquam cum viro rem habeat, interminatur. Cum autem Hercules Elim ad Augeam in prœlium forte contenderet, ab Aleo in æde Minervæ hospitio accipitur: et puella conspecta, per ebrietatem cum ea miscetur. Atque ut eam Aleus gravidam rescivit, hujus patrem arcessit, quem portitorem et callidum esse cognoverat; eique filiam submergendam tradit. Hic dum eam abducit, illa Telephum in monte Parthenio parit: et ab ipso deinde, neglectis Alei mandatis, una cum infante Teuthranti Mysiæ regi venditur. Is cum utrumque perspexisset, Augen sibi uxorem jungit, et filium Telephum appellatum adoptat,

ALCIDAMANTIS ULYSSES

CONTRA PALAMEDEM PRODITIONIS.

1. Sæpenumero consilium eorum sum demiratus, Græci, qui temere vobis e suggestu suadent ea, quæ nec utilitatem publicam efficiunt ullam, et contumelias fere gignunt utrimque plurimas; et cum ineptos de re qualibet sermones habent, tum suam quisque sententiam lucri causa proferunt, atque iis adeo, a quibus plurimum se sperant accepturos, patrocinantur nonnulli. Jam si quis in exercitu quid peccet vel commune sibi studens lædat, id curat nemo: sin aliquis nostrum vel hostem captivum habet vel præmium accepit majus, eorum studio magnas inter nos contentiones excitamus. Ego vero probum et justum virum censeo nec privatas respicere inimicitias, nec unius amici studio pluris opes quam populare commodum facturum. Sed ego priscis laboribus atque sermonibus relictis, Palamedem hunc vestro judicio conabor juste proponere. Est autem crimen, ut sciatis, proditionis: quod quidem decies gravior quam alia manet mulcta. Præterea quod nostis omnes, nulla mihi cum hoc unquam nec inimicitia nec lis de ulla re incidit, nec in palæstra nec in convivio, quamvis ibi plurimæ contentiones et contumeliæ soleant exsistere. Ipse vero, quem accusabo, prudens est et versutus: sic ut merito vobis attendendum sit nec quæ dicuntur negligenda.

2. Etenim nec ipsi ignoratis quo fuerimus in discrimine, cum alii nostrum ad naves confugerant, alii in fossas decidebant, et castra hostes invaserant, ac magnopere futurus eventus esset incertus. Cum autem nos ad portas eodem in loco, Diomedes et ego, consisteremus in acie, nec procul Palamedes et Polypœtes distarent, sagittarius quidam ex hostibus excurrens, dum hunc petit, ad me aberrat; tum hic hastam in illum emittit, qua ille sublata redit in castra. At ego sagittam tollens Eurybati do ad Teucrum perferendam, ut utatur. Postquam vero pugna nonnihil interquievit, ostendit mihi literas sub alis teli latentes. Hic ego stupefactus, advocatis Diomedi atque Sthenelo, quid contineatur, ostendo. Erant autem hæc perscripta: Alexander Palamedi S. De quibus cum Telepho egisti, concedentur omnia, et pater tibi

Cassandram, ut scripseras, despondet; tu tua celeriter perage. Atque hæc quidem erant scriptæ: cujus vos rei, qui telum accepistis, testes advoco.

TESTES.

3. Quinetiam telum vobis ipsum ostendissem, nisi id in tumultu per incuriam Teucer amisisset. Sed reliqua mihi quoque exponenda sunt, ne inique videamur capitale crimen turpissimum commilitoni imponere, præsertim qui vobis hactenus carus fuerit. Nam priusquam huc appelleremus, diu una fuimus, cum illum nemo signum in clypeo viderat gerentem: postquam vero fuimus huc delati, tridentem inscripsit. Cur? nisi ut hæc eum inscriptio manifestum redderet, sive hunc hostis peteret, sive hic in illum jacularetur. Quid quod hinc etiam jure de hasta emissa conjecturam facio. Nam in illa quoque perscriptum dixerim, quando nos esset proditurus: sic enim hic illis et illi huic vicissim, quæ volebant, hoc modo sine nunciis indicabant. Nunc etiam hoc perpendite. Decreto cautum inter nos erat, ut, si quis telum ab hostibus accepisset, ad princepes deferret, quandoquidem nos illis non sæpe utimur: atque alii quidem huic parent mandato, verum hic, postquam tela quinque excepit, nec ullum ad vos detulit, sagittarium se prodidit; quare vel hac de causa merito mihi capite plectendus videatur. Non hæc ex callida mente versutoque ejus consilio, Græci, prodire, quæ ipsum deceant minime, cogitatis? Quin imo hunc rerum nostrarum totiusque exercitus statum huic atque hujus parenti acceptum docebo referendum, nisi quod pluribus verbis est opus.

4. Pater huic pauper est, Nauplius nomine, arte piscator. Is Græcorum plurimos de medio sustulit, opes multas e navibus abstulit, plurimis injuriis nautas affecit, omnique est versutia plenus: id quod in progressu sermonis, veritate rerum gestarum cognita, intelligetis. Aleo Tegeæ regi, cum Delphos venisset, prædixit deus, quicunque ex ejus filia nasceretur nepos, ab eo liberos ipsius interemptum iri. Hoc audito confestim domum reversus, Aleus Minervæ sacerdotem facit filiam, et mortem, si unquam cum viro rem habeat, interminatur. Cum autem Hercules Elim ad Augeam in prœlium forte contenderet, ab Aleo in æde Minervæ hospitio accipitur: et puella conspecta, per ebrietatem cum ea miscetur. Atque ut eam Aleus gravidam rescivit, hujus patrem arcessit, quem portitorem et callidum esse cognoverat; eique filiam submergendam tradit. Hic dum eam abducit, illa Telephum in monte Parthenio parit: et ab ipso deinde, neglectis Alei mandatis, una cum infante Teuthranti Mysiæ regi venditur. Is cum utrumque perspexisset, Augen sibi uxorem jungit, et filium Telephum appellatum adoptat,

atque apud Priamum ad tempus instituendum collocat. Post accidit, ut Alexander in Græciam proficisci vellet, tum Delphici templi spectandi causa, tum quia Helenæ pulcritudinem, ac Telephi ortum et venditionem, inaudierat. Quare cum Alexander hac de causa solveret in Græciam, interea Moli liberi ad Menelaum e Creta veniunt, et ut ipsorum dividat hereditatem, qui patre mortuo de bonis inter se concertarent, ab eo petunt. Quid ergo fit? Navigandum ille censet, et uxori fratribusque hospitum cura, donec ex Creta redeat, data, discedit: at Alexander uxore decepta, surreptisque quæcunque poterat aufferre, nec hospitalem Jovem nec deorum quenquam reveritus, aufugit, cum ea per iniquitatem et barbariem gessisset, quæ nunquam sunt posteri credituri. Jam cum in Asiam ille cum opibus et muliere rediret, num quem alicubi apprehendisti? num voce signum cuiquam dedisti? num auxilium collegisti? Nihil potes horum dicere, verum a barbaris Græcos contumeliisaffici passus es. Postquam vero raptum Græci cognoverant ac rescierat Menelaus, copias conscribebat et nostrum singulos ad singulas civitates militum causa dimittebat. Hunc autem in Chium ad Œnopionem et in Cyprum ad Cinyram legabat. Ipse vero tum Cinyræ ne militaret nobiscum persuasit, tum donis ab eo acceptis Agamemnoni thoracem æneum, qui nullius erat pretii, dedit, sibi servavit reliqua. Cumque centum naves missurum Cinyram nunciavit, ex iis nullam videtis adesse. Quare vel hac de causa merito mihi capite plectendus videatur: decet enim puniri eum, quem turpissima quæque in amicos commentum constet.

5. Quinetiam ea, quæ per fraudem ac dolum confingere conatus est, operæ pretium sit cognoscere: ait enim se militares acies, literas, numeros, mensuras, pondera, calculos, cubos, musicam, monetam, facesque reperisse; nec eum, dum e vestigio mendacii coram vobis prolati convincitur, pudet. Etenim Nestor, qui nos omnes in ætate superat, in Pirithoi nuptiis ipse quoque phalange et acie instructa cum Lapithis contra Centauros depugnavit: ac Menestheus dicitur primus aciem composuisse, turmasque et phalanges instituisse, quando Neptuni filius Eumolpus Athenienses cum Thracibus adoriebatur, quocirca non Palamedis hoc, sed aliorum est inventum. At literas primas Orpheus ex Musarum dono protulit, quemadmodum etiam in illius sepulcro posita testantur carmina,

> Musarum bic famulum posuerunt Orphea Thraces,
> Ignea quem poterant perdere tela Jovis,
> Œagri caram prolem, Alcidæque magistrum,
> Litera cui quondam multa reperta fuit.

Musicam vero Tennus Calliopes filius, quem occidit Hercules, invenit: ut numeros Musæus Atheniensis Eumolpi filius, quod etiam declarant ejus poemata,

> Rectum, sextuplex, mensurarumque quater sex,
> Centenos ut bis quinta ætas viveret annos.

At monetam non repererant Phœnices, cum essent inter barbaros ingeniosissimi? Nam de solido partes fecerunt æquales, ac primi notam pro ratione ponderis incusserunt. Quorum hic inventa sibi tribuit. Eorundem etiam rhythmus. Quo fit ut ea, quorum hic originem sibi asserit, ipso antiquiora deprehendantur omnia. Mensuras enim atque pondera, forensibus hominibus et institoribus ad fraudes et perjuria reperit; nec non otiosis calculos ac contentionem et contumeliam. Cubos quoque malum maximum monstravit, qui victos dolore et mulcta, victores risu afficiunt et probro: neque enim prosunt cuborum lucra, et pleraque confestim absumuntur. Faces denique excogitavit, sed quibus ad nostrum damnum hostiumque commodum uteretur. Enimvero hoc ab uno quoque postulatur, ut imperatores attendat, exsequatur jussa, placeat omnibus, ubique probum se præbeat, et amicis bene et hostibus male faciendo. Contra quæ hic omnia facit, et tum hostes juvat, tum amicis nocet.

6. Ac vos ego de hoc homine communiter deliberare cupio, neque eum in vestram redactum potestatem dimittere. Sin ei propter dicendi vehementiam tribuetis misericordiam, maxima in exercitu orietur iniquitas: etenim cum intellexerint ne Palamedem quidem, qui tantum flagitium aperte commiserat, pœnas dedisse ullas, ipsi quoque peccare volent. Quare, si sapietis, quæ sint vobis ipsis optima statuetis, et in hujus supplicio reliquis exemplum proponetis.

GORGIÆ

HELENÆ ENCOMIUM.

1. Urbem decent viri fortes, corpus pulcritudo, animum sapientia, factum virtus, et sermonem veritas: horum autem contraria dedecent. Jam virum, feminam, sermonem, opus, urbem, atque factum decet, si laudem merentur, celebrare, si non merentur, reprehendere: est enim ejusdem delicti atque inscitiæ tum laudanda vituperare tum laudare vituperanda. Nec non ejusdem est et quod æquum sit dicere et eos refellere qui Helenam reprehendunt, cujus cladis memoriam et poetarum fides et nominis fama uno conservavit ore. Verum ego firmis rationibus tum eam, quæ hactenus male audiit, culpa volo liberare, tum accusatores mendacii convincere, atque aperta veritate inscitiam illorum tollere.

2. Ac primum generis ratione primas eam, de qua loquimur, inter viros ac mulieres tulisse, ne paucis quidem est ignotum. Quis enim nescit ei matrem fuisse Ledam, patrem autem alterum deum, alterum hominem, Tyndarum ac Jovem, quorum alter visus, alter ex dictione deprehensus fuit, eratque ille virorum optimus, hic omnium dominus. Ex quibus prognata cum esset, divinam habuit pulcritudinem, quam non obscure tulit. Quare multam in multis effecit libidinem, atque uno corpore multa virorum corpora conduxit, qui magnas ob res magnifice sibi placerent, atque alii divitiarum copia, alii antiqua nobilitate, nonnulli propria fortitudine, quidam conquisita pollerent prudentia, qui omnes tum per amorem contentiosum tum invictum studium convenerunt. Et quis quidem ac quare quoque pacto amorem expleverit qui Helenam accepit, non dicam: etenim qui quæ nota sunt narrant, ut fidem meretur, ita delectationem non affert. Cæterum illo tempore nunc rejecto ad initium sermonis alterius progrediar, et causas eas, propter quas in Trojam Helena videri possit navigasse, exponam.

3. Etenim vel fortunæ imperio ac deorum jussu et necessitatis nutu fecit ea quæ fecit, vel vi rapta, vel persuasa verbis, vel amore capta. Quodsi ergo primam recipimus, non debet is qui causam dedit culpari: non enim potest humana providentia divinum impedire consilium. Nec enim tam solet ab infirmiore potior impediri, quam ab hoc ille regi atque duci, præcedente potiore, sequente infirmiore. Deus autem homini et vi præstat et prudentia et rebus

aliis. Quocirca vel deo atque fortunæ tribuenda est causa, vel infamia Helena liberanda. Sin est violenter rapta et contra leges violata et injuste contumelia affecta, raptorem aut stupratorem peccasse fit manifestum, quæ rapta vero aut stuprata est, infortunium subiisse. Quod si sic est, is quidem, qui barbarus barbarum suscepit facinus tum lege tum verbo tum facto, et per legem infamia, et per verba culpa, et per facta mulcta puniri debet: quæ autem violata fuit et patria atque amicis orbata, non potius misericordiam consequi quam convitia meretur? Nam ille gravia perpetravit, hæc tulit: quapropter hanc miserari, illum decet odisse.

4. Verum si sermo persuasit ac mentem decepit, ne hoc difficulter his verbis excusari potest. Magnus est imperator sermo, qui minimo et obscurissimo corpore divinissimas res perficit; nam et metum finire et dolorem aufferre potest, nec non efficere gaudium et augere misericordiam: hæc autem ita se habere nunc ostendam. Oportet vero audientium præjudiciis succurrere. Equidem poesim omnem et existimo et voco mensura constantem sermonem, cujus auditores horrore sollicito et lacrymosa misericordia et desiderio replentur ad luctum proclivi, sic ut ex aliena felicitate vel infelicitate proprie per sermonem afficiatur animus: sed age ad alium sermonem nos convertamus. Etenim divinæ sermonum epodi tum delectationem afferunt tum dolorem auferunt: vis enim carminis cum animi opinione conjuncta fascino eum demulcet quoque vult transfert. Sunt autem magiæ et fascinandi artes duæ, quæ in animi delictis et opinionis captationibus consistunt. Quot porro quam multis quantas res confictis verbis et persuaserunt et persuadent! Etenim si omnes omnia tum præterita meminissent tum intelligerent præsentia tum futura prævidérent, non tam dissimiliter similis ratio nec præterita meminisset nec intelligeret præsentia nec futura prævideret: quocirca plerique opinionem in rebus plerisque in consilium adhibent. Ea vero cum lubrica sit et incerta, lubricis et incertis infortuniis nos implicat. ††† Quid igitur vetat quo minus Helenam quoque dicamus, cum esset ætate juvenili et simplici, quasi vi abreptam fuisse. Animum enim persuasio diversum rapit. Jam necessitas ut probro vacat, ita vim habet eandem. Qui enim animo sermo persuaserat, eam, cui persuaserat, et verbis credere et factis coegit assentiri. Quo fit, ut qui persuasit, quasi coegisset, peccaverit; quæ persuasione quasi coacta fuit, immerito male audiat. Jam persuasionem cum sermone conjunctam animum quoque in omnem mutasse formam, ex eorum oratione primum, qui de rebus sublimibus disputant, licet cognoscere, qui opinione alia sublata alia effecta res incertas et incredibiles opinionis oculis approbant; tum ex necessariis concertationibus, cum oratio una, quam conscripsit ars, non dictavit veritas, ingentem turbam delectat eisque quidvis

persuadet; denique e philosophicis disputationibus, in quibus opinionis mutabilitas omnibus patet. Atque eandem habet in animo vim sermo, quam in corpore venenum. Quemadmodum enim venena alia alios humores corpori demunt, et nunc morbum nunc vitam auferunt, ita sermones alii dolorem, alii delectationem, nonnulli metum, quidam confidentiam afferunt, aliqui etiam persuasione non recta animum inficiunt atque fascinant.

5. Atque illam quidem, si verbis est persuasa, non improbam sed infelicem fuisse declaratum est: nunc autem quartam causam quarta ratione persequar. Etenim si amor hæc effecit, non difficulter culpam, quæ commissa dicitur, effugiet. Quæ enim videmus, non eam quam nos volumus naturam habent, sed quam singulis casus obtulit. Adspectus autem varie animum afficit. ††† Nam vel hostilia corpora atque armaturam hostilem si adspectus percepit, perturbatur et perturbat animum; unde fit, ut sæpe, etsi eventus periculo sit cauturus, nonnulli perculsi fugiant: fortis enim legis veritas metu expellitur quem adspectus affert, cujus adventus et honesti quod lex proponit et utilis quod per jus consequimur adducit contemptum. Quid quod non raro quidam visis rebus tremendis præsentem statim animum perdiderunt: adeo mentem abegerat metus atque exstinxerat. Multi quoque in vanos dolores ac graves morbos et insanabiles furores inciderunt: usque eo rerum conspectarum imagines animo adspectus impresserat. Atque ea quidem quæ terrorem incutiunt ut omittuntur multa, ita similiter ac superiora se habent. Cum autem e multis coloribus atque corporibus unum corpus atque unam figuram perfectam pictores effecerint, oculos delectant. Verum simulacrorum et statuarum conspectio, prout illa jucunde conspicimus, ita aliud fugere, aliud adspectum desiderare facit. Ac multarum rerum et corporum amore atque desiderio multi tenentur. Quodsi ergo Alexandri corpore delectatus Helenæ oculus amoris fervorem animo concessit, quam ea res admirationem habet? Quapropter sive deus divina potestate utitur, quomodo hunc inferior possit repellere? Sive humanus est morbus et animi ignorantia, non pro peccato culpandum hoc, verum pro infortunio est habendum; venit enim uti venit animi captationibus, non mentis consiliis, et amoris necessitate, non artis apparatu.

6. Quis igitur Helenæ reprehensionem justam existimet, quæ, sive amore capta sive verbis persuasa sive vi rapta sive divina necessitate fecerit quæ fecit, culpam prorsus evadat?

7. Sustuli verbis mulieris infamiam, quam initio sermonis legem constitueram servavi, reprehensionis injustitiam et opinionis imperitiam evertere sum conatus, orationem volui conscribere, quæ ut Helenæ laudi, ita mihi esset ludicro.

GORGIÆ

PRO PALAMEDE APOLOGIA.

---

1. Nec accusasio, nec defensio, Judices, causa capitis instituitur; quandoquidem ejus unumquemque mortalium natura, qua die natus est, manifesto damnavit suffragio: verum honor agitur et infamia, rectene mihi an turpissime sit et maximo cum flagitio violenter moriendum. Quæ cum duo sint, alterum in vestra est, alterum in mea potestate: vos enim vi potestis uti, ego quod rectum sit tueri. Etenim non difficulter me poteritis, si voletis, occidere: postquam eo valetis, quod mihi deest, imperio. Ac si quidem Ulysses accusator, vel meam proditionem compertam habens vel ita se rem habere existimans, Græciæ studio accusationem institueret, optimus mehercle vir esset — quippe qui patriam, parentes totamque servaret Græciam atque insuper sontem puniret —: sin per invidiam et malignitatem crimen hoc confinxit, ut illo modo optimus, ita hoc pessimus deprehenditur. Sed ego unde incipiam? quid primum dicam? ad quam defensionis partem me vertam? Etenim crimen immane terrorem gravem parit; is porro dicendi affert inopiam, nisi quid veritas et necessitas suppeditent, periculosiores quam abundantiores magistræ. Ac primum quidem accusatorem nihil habere compertum certo scio: nihil enim tale fecisse me compertum habeo; neque quod factum non est scire quisquam possit. Sin opinione ductus accusavit, duabus eum rationibus non recte putare docebo. Nam neque si voluissem, potuissem, neque si potuissem, ea facere voluissem.

2. Primum autem non posse me ostendam. Oportebat enim aliquod præcedere proditionis initium, idque fuisset colloquium: siquidem factis verba necesse est antecedere. Quomodo autem verba sine conventu fierent? quomodo porro conventus haberetur, cum nec ille ad me nec ego ad illum quenquam misissem? neque etiam per literas quicquam absque tabellario nuntiatum est. Sed ut hoc fieri posse demus; atque una colloquamur. Quomodo? quis cum quo? Græcus cum barbaro. Quo pacto audiam aut loquar? an solus cum solo? neuter alterum intelligit. An per interpretem? Tertius ergo rerum fit occultandarum testis. At ut hoc quoque demus, quamvis est falsum. Fides postea danda fuit et accipienda. Quænam ea fuisset? Jusjurandum? quis erat mihi proditori credi-

turus? An obsides? Ut si ego fratrem dedissem — quoniam alium non habebam —, barbarus aliquem ex liberis: hæc enim inter nos fidem peperissent maximam. Verum ea vobis fuissent omnibus aperta. Sed aliquis pecunias intercessisse dicet, quas ille dederit, ego acceperim. Utrum paucas? Non erat æquum paucas pro magno accipere ministerio. An multas? Quomodo sunt igitur perlatæ? Per unum, an per plures? Si multi pertulerunt, multi fuerunt insidiarum testes; si unus, non multum fuit allatum. Jam quando pertulerunt? Interdiu an noctu? [Noctu?] Multas et frequentes excubias nemo possit latere. Interdiu? Lucem hæ res exosæ sunt. Deinde egressus ego accepi, an ille ad me est ingressus? Nam utrumque est absurdum. Acceptus vero qua ratione et familiares et alios celavissem? ubi deposuissem? quomodo servassem? Sive uterer, manifestus fiebam? sive non uterer, quid proderat? Verum sint ea, quæ nunquam accidere, facta. Convenimus, locuti sumus, audivimus, pecuniam accepimus, acceptam celavi. Jam id, quorum hæc fiebant causa, peragendum erat. At id etiam est, quam superiora, incertius. Quod enim agebam, solus an cum aliis agebam? Non est unius opus. Cum aliis? Quibus horum? Servis an liberis? Ac vestrum quidem qui estis liberi dicat quisquam, si quid novit. Servi autem fidem non merentur: siquidem et ultro propter libertatem et malo coacti accusant. Jam res ut accidit? Nempe hostes vobis potentiores erant introducendi: quod est factu difficile. Quomodo igitur introduxissem? Per portas? Eas mihi neque claudere neque aperire permissum est, verum a ducibus curantur. An ultra muros per scalas? Omnia sunt excubiis plena. An denique muri parte dejecta? Id omnibus fuisset conspicuum, quandoquidem sub dio in castris degitur, atque omnium visui patent omnia. Quo fit, ut omnino nihil efficere potuerim.

3. Nunc etiam illud simul considerate, cur hæc agere velle debuerim. Nemo gratis maximum subit discrimen, nec turpissimum committit scelus. Utrum igitur vobis an barbaris ut imperarem? Vobis non poteram, qui tot ac tales estis, quibusque omnia suppetunt maxima, majorum virtutes, opum copia, fortitudo, magnanimitas, urbium dominia. An [barbaris]? Quis traderet imperium? Quibus ego viribus acciperem barbaros Græcus, multos unus? Persuasione an vi? Nam nec illi possent persuaderi, nec ego cogere. Sed ultro fortassis hanc proditionis mercedem rependerent? At hoc et credere foret et suscipere non levis insania: quis enim libertate servitutem, optima re pessimam commutavit? Sed aliquis me pecuniæ cupiditate hæc aggressum dicet. Ego vero nec mediocribus opibus careo, nec splendidas requiro. Has enim quærunt ii qui sumptus magnos faciunt, non qui corporis libidini imperant, sed qui serviunt et opum atque magnificientiæ auxilio honores ambiunt.

At horum nihil in me cerni, testem dabo idoneum vitam anteactam; cui vos testi testes potestis esse: nam quia mecum versamini, non potestis hæc ignorare. Quid quod nec honoris causa quisquam, qui vel parum sapiat, his rebus daret operam. Honor enim virtutem non vitium sequitur: Græciæ vero proditor quem possit honorem consequi? Præterea non eram honoris expers: quandoquidem ab honoratis viris ob res honoratas honorabar, a vobis propter sapientiam. Huc accedit, quod nequaquam tutum est has res agere. Cunctis enim invisus est proditor, legi, juri, diis, hominibus. Etenim legem violat, jus dissolvit, homines perdit, deos afficit contumelia: talium vero plena periculis est vita, nec securitatem ullam habent. At amicos volebam juvare, vel nocere hostibus? nam et horum aliquis causa secus agat. Ego vero contra nocebam amicis, juvabam hostes. Ac beneficii quidem nulla manebat me remuneratio: supplicii autem studio calliditati nemo navat operam. Reliquum est, si ad metum, laborem aut periculum aliquod fugiendum hæc institui. At hæc nemo mihi possit tribuere. Etenim propter hæc duo cuncti cuncta faciunt, vel ut lucrum assequantur vel damnum ut evitent. Quæ autem præter hæc astute fiunt *** [jam] his rebus gerendis mihi me malum daturum esse, non me fallebat: prodebam enim Græciam, prodebam meipsum, parentes, amicos, majorum dignitatem, avita sacra, sepulcra, patriam, urbem Græciæ maximam: quæque omnes maximi faciunt, ea inimicis tradidissem. Nunc etiam animadvertite, quam acerba mihi post has res fuerit futura vita. Quo me contulissem? In Græciam, ut pœnas læsis solverem? quis vero a me illorum abstinuisset manum? An apud barbaros manerem, maximis quibusque rebus neglectis, honore summo spoliatus, infamia turpissima constrictus, susceptis olim cum virtute laboribus rejectis, idque per meipsum, quæ quidem est maxima miseria? Quid quod ne apud barbaros quidem fides mihi fuisset, quippe qui rem infidelissimam a me perpetratam scirent, cum amicos hostibus prodidissem. At sine fide vitalis haud est vita. Etenim qui vel bonis exutus vel regno patriave sit ejectus, alicubi possit excipi: verum qui fidem amisit, omni spe eversus est. Ex his igitur efficitur, ne voluisse me quidem, etiamsi potuissem, Græciam prodere.

4. Deinceps autem cum accusatore mihi agendum est. Qua tu re fretus talis talem accusas? indignus indignum? est enim hoc dignum cognitu. Utrum enim quod mihi crimen imponis, id certo compertum habes, an conjectura complecteris? Etenim si compertum habes, vel vidisti vel fuisti particeps vel audivisti. Si vidisti, locum, tempus his indica, quando, ubi, quomodo vidisti: si particeps fuisti, in eodem teneris flagitio: si de participe audivisti, is ipse prodeat, appareat, testimonium dicat. Nam ita plus habebit accu-

3 U

satio fidei; etenim nunc quidem neuter nostrum testem ullum citat. Sed fortasse dices rerum (ut vis tu) gestarum testes non esse tibi adducendos, mihi non gestarum esse. Id vero æquale non est. Quæ enim non contigerunt, quis ea testari possit non accidisse? at res gestas etiam facile est testimonio comprobare, nedum hoc fieri nequeat: quare tu non testes modo, verum etiam falsos testes reperire possis, ego neutros possim. Doceo igitur, non habere te quæ objicis comperta: reliquum est ut utaris conjectura, postquam veritatem rei ignoras. Ergo tu, omnium hominum audacissime, sola fretus opinione, re incertissima, nec veritatem cognoscens, eum capitis audes accusare quem nihil scias tale unquam perpetrasse. At omnibus est commune de re qualibet opinari, nec in eo tu reliquis es peritior. Cæterum nec opinantibus verum scientibus est credendum, nec opinio veritate potior habenda, verum contra opinione veritas.

5. Jam in accusatione tua duo mihi, quæ sunt maxime contraria, tribuis, sapientiam videlicet et insaniam: quæ non possunt eundem in hominem cadere. Cum enim callidum et industrium me vocas, sapientiam tribuis; cum Græciam prodidisse dicis, insaniam. Siquidem insania sit eas res aggredi, quæ sint factu difficillimæ, inutiles, turpes, et quibus quis tum amicis noceat, tum hostibus prosit, tum vitam suam probris et periculis exponat. Quis vero tali credat oratori, qui in eodem sermone de iisdem hominibus apud eosdem, quæ sunt contraria plurimum, dicat? Atque hoc interrogare te velim, prudentes an stultos ducas eos qui sapientes habentur. Si enim stultos, vana et falsa est oratio: si prudentes, non decet eos gravissime peccare nec mala bonis præferre. Quapropter sive sapiens sum, non peccavi: sive peccavi, non sum sapiens. Ex quo fit, ut utroque modo mendacii convincaris.

6. Et quanquam multa possim rursus in te magnaque tum vetera tum nova culpare, non tamen faciam; siquidem non tam per tua vicia quam per meas virtutes hoc volo crimen diluere. Atque hæc quidem ad te dicta sint.

7. Ad vos autem, judices, de me nonnihil volo dicere, odiose quidem, sed vere, quodque ut in accusato tolerari possit, ita non accusatum non deceat. Quoniam enim nunc præteritæ vitæ rationes apud vos refero, ne quis vestrum indignetur, si quid a me præclare gestum recensuero, peto, verum accusatum vel falsa de se prædicare posse existimet, ego autem quod verum sit apud vos conscios libentissime narravero. Primum igitur ac secundum quodque habeo maximum, est vita prior ab initio ad finem usque sine ullo crimine peracta: nec enim quisquam vitium ullum possit vere mihi tribuere. Nam nec accusator ipse quicquam eorum quæ dixit comprobavit: adeo convicium duntaxat sine probatione sermo ejus complexus est.

Quid quod non tantum culpa me vacare, sed etiam egregie de vobis et Græcis atque adeo cunctis mortalibus, qui quidem sequentur, meritum esse dixerim, nec mentiar neque refellar. Quis enim alius vitam humanam facilem ex difficili, ornatam ex inornata reddidisset? Equidem et aciei bellicæ rationem reperi, rem non parvi momenti, et leges scriptas, justitiæ custodes, et literas, instrumentum memoriæ, et mensuras atque pondera, faciles contractuum arbitros, et numerum, opum custodem, et faces, optimos ac celerrimos nuncios, et calculos, otii suavem usum. Cur igitur hæc vobis in memoriam revocavi? Non tam quod his non esse deditum, quam quod a turpibus et malis rebus me semotum esse indicare vellem: nam qui illa curet, is hæc necesse est negligat. Hoc autem postulo, si nusquam vos ego læsi, ne a vobis item ipse lædar. Nam nec in aliis negotiis ita me gero, ut vel juniores vel seniores mihi nocere cupiant. Etenim senibus sum non injucundus, juvenibus non inutilis; felicibus non odiosus, erga miseros misericors; nec paupertatem despiciens, aut opes pluris quam virtutem faciens; nec in consiliis imperitus, nec in prœliis ignavus aut contumax. Sed non me decet meas recitare laudes; nisi quod hæc tempora me, præsertim accusatum, defensionem cogunt instituere.

8. Reliquum est, ut de vobis ad vos verba faciam, quibus absolutis defendendi finem statuam. Ac misericordia quidem et preces atque amicorum deprecatio, cum vulgi est judicium, usum habent: at vobis Græcorum principibus non amicorum auxiliis nec precibus aut misericordia persuadendum est, verum justissime declarata sine fraude veritate crimen hoc evadendum. Jam vos non verba potius oportet quam res attendere, nec probationibus præponere crimina, neque exiguum tempus longo sapientius judicaturum credere, neque calumniæ plus quam experientiæ fidei habere. Ut enim omnibus in rebus viri boni maxime cavent errorem, ita in iis quæ restitui nequeunt etiam magis: nam hæc et providentia possunt evitari, et pœnitentia curari nequeunt. Tale porro est, cum alicujus caput, ut nunc apud vos, agitur. Quodsi ergo verbis posset pura rerum veritas auditoribus aperta reddi, facile esset secundum ea quæ dicta sunt judicare: quoniam autem aliter se res habet, corpus meum asservate, longius exspectate tempus, ac vere judicate. Nam vos quidem necesse propemodum erit, si vos iniquos præbueritis, infamiam cum gloria commutare. At infamiam viri probi morte graviorem ducunt: cui hæc finem, illa morbum conciliat. Quod si me injuste occideritis, id omnibus manifestum fiet: nam et ego innocens, et vestra inter omnes Græcos erit nobilis atque clara malitia. Quid quod vobis totum imponetur injustitiæ crimen, non accusatori: siquidem vos judicio finem statuitis. Neque vero majus ullum possitis committere peccatum. Quandoquidem non in me tantum et pa-

rentes meos, cum injuste judicabitis, delinquetis, verum etiam vobismetipsis gravis, impii, injusti et iniqui facti êritis conscii, quippe qui commilitonem commodum, de Græcia bene meritum, Græc[illegible] Græci occideritis, nullo manifesto flagitio nec aperto crimine co[illegible]probato.

9. Atque hæc sint hactenùs a me dicta. Longi enim sermonis brevis repetitio haberet quidem apud vulgares judices locum, at principum principes, Græcorum Græcos, quæ dicta sint, nec attendisse nec meminisse, vix existimare fas est.

FINIS.

Londini imprimebat J. F. Dove in area quæ est Divi Joannis.

VOLUME 15

ORATORES ATTICI

ET QUOS SIC VOCANT

SOPHISTÆ

OPERA ET STUDIO

GULIELMI STEPHANI DOBSON A.M.

REGIÆ SOCIETATIS LITERARUM SOCII

TOMUS DECIMUS QUINTUS

LONDINI

EXCUDIT J. F. DOVE

(APUD QUEM ETIAM VENEUNT)

A. S. MDCCCXXVIII.

DEMOSTHENIS

INTERPRETATIO LATINA

LONDINI
PROSTANT APUD J. F. DOVE
A. S. MDCCCXXVIII.

TABULA

EORUM QUÆ CONTINENTUR IN TOMO DECIMO QUINTO.

DEMOSTHENES LATINE.

TOM. I.

*** In hoc Tomo ordo paginarum nonnihil turbatur, propterea quod Dionysium Halicarnassensem ducem sequi a principio institutum erat.

TOM. III.

DEMOSTHENIS
ORATIONUM PHILIPPICARUM
INTERPRETATIO LATINA.

AUGERI
ANALYSIS
PHILIPPICÆ PRIMÆ.

Propositum.

PHILIPPUS partim dissimulando et cedendo, partim acriter agendo et vincendo, suam valde auxerat potentiam; multis civitati Atheniensium ereptis oppidis, tam illorum vires debilitaverat quam suas ipsius confirmaverat. Athenienses igitur magno timore perculsi et ad quamdam versi desperationem, regem Macedoniæ invictum existimabant eumque aggredi cunctabantur. Animos suorum languentes et abjectos erigere et incendere hac oratione suscipit Demosthenes annos circiter triginta natus.

Breve exordium.

Excusat se orator quod primus surrexerit ad dicendum, quamvis admodum adolescens. Hujus rei causas affert, nempe quod nihil novi ad deliberandum proponatur, et quod ii qui prius dixerunt non optima invenerint, siquidem nova instituitur deliberatio.

Divisio.

In tres partes dividi potest hæc oratio: in prima parte ostenditur Atheniensibus non esse desperandum; in secunda explicantur belli gerendi rationes et adjumenta; in tertia varia adhibentur momenta quibus audientium animi ad bellum gnaviter gerendum incitentur.

Prima pars.

Non est desperandum Atheniensibus; quod probat Demosthenes.

1°. Ipsa Atheniensium socordia in rebus gerendis; tunc enim desperarent merito, si omni adhibito conatu rem gessissent infeliciter.

2°. Exemplo Lacedæmoniorum, quibus potentissimis restiterunt Athenienses quia fortiter se gesserunt; at nunc non resistunt Philippo quia ignave se gerunt.

3°. Ipsius Philippi exemplo, qui, quum infirmus esset et ipsi bellandum esset cum civitate potentissima, non desperavit, imo confidit, et quia fuit confidens, ipse evasit potentissimus.

4°. Odio et invidia quæ Philippus in se concitavit, et quibus commode utentur Athenienses si acri fuerint ingenio, si eorum unusquisque pro sua virili parte in patriam operam omnem impenderit: sentient non illi res

AUGERI
ANALYSIS
PHILIPPICÆ PRIMÆ.

Propositum.

PHILIPPUS partim dissimulando et cedendo, partim acriter agendo et vincendo, suam valde auxerat potentiam; multis civitati Atheniensium ereptis oppidis, tam illorum vires debilitaverat quam suas ipsius confirmaverat. Athenienses igitur magno timore perculsi et ad quamdam versi desperationem, regem Macedoniæ invictum existimabant eumque aggredi cunctabantur. Animos suorum languentes et abjectos erigere et incendere hac oratione suscipit Demosthenes annos circiter triginta natus.

Breve exordium.

Excusat se orator quod primus surrexerit ad dicendum, quamvis admodum adolescens. Hujus rei causas affert, nempe quod nihil novi ad deliberandum proponatur, et quod ii qui prius dixerunt non optima invenerint, siquidem nova instituitur deliberatio.

Divisio.

In tres partes dividi potest hæc oratio: in prima parte ostenditur Atheniensibus non esse desperandum; in secunda explicantur belli gerendi rationes et adjumenta; in tertia varia adhibentur momenta quibus audientium animi ad bellum gnaviter gerendum incitentur.

Prima pars.

Non est desperandum Atheniensibus; quod probat Demosthenes.

1°. Ipsa Atheniensium socordia in rebus gerendis; tunc enim desperarent merito, si omni adhibito conatu rem gessissent infeliciter.

2°. Exemplo Lacedæmoniorum, quibus potentissimis restiterunt Athenienses quia fortiter se gesserunt; at nunc non resistunt Philippo quia ignave se gerunt.

3°. Ipsius Philippi exemplo, qui, quum infirmus esset et ipsi bellandum esset cum civitate potentissima, non desperavit, imo confidit, et quia fuit confidens, ipse evasit potentissimus.

4°. Odio et invidia quæ Philippus in se concitavit, et quibus commode utentur Athenienses si acri fuerint ingenio, si eorum unusquisque pro sua virili parte in patriam operam omnem impenderit: sentient non illi res

esse ratas et immortales, sed vires illius posse debellari, sed illius proterviam posse contundi.

5°. Denique eo quod ille per ignaviam Atheniensium potius quam per suum ipsius robur eo potentiæ et superbiæ devenerit. Hinc vehementissima ad Athenienses adhortatio ut istam tandem exuant socordiam tam hosti utilem quam ipsis detrimentosam.

6°. Concluditur prima pars transitu et præmunitione ad secundam partem. Præmonet Demosthenes non eis assentiendum esse qui apparatum celeriter confectum quam stabilem ac diuturnum malunt.

Secunda pars.

Rationes et adjumenta belli gerendi.

1°. Certus triremium et navigiorum numerus instruendus: causa adjicitur.

2°. Copiæ quoque certo numero semper debent esse expeditæ, neque ex peregrinis duntaxat militibus, sed ex Atheniensibus etiam conscriptæ. Hujus quoque rei causa affertur. Oportet ut strategi, taxiarchi, phylarchi, hipparchi, per se ipsi militent, neque honore illo utantur tantum ad pompam et dignitatem in urbe umbratilem; quod eleganti comparatione illustrat orator.

3°. Exponit idem quanta pecunia opus sit et unde hæc petenda. Hunc articulum absolvit curando ut recitetur ratio quædam pecuniaria.

4°. Concludit hanc secundam partem ostendendo quæ inde utilitates sint percipiendæ; scilicet paratæ aderunt copiæ et naves quæ opportunitates locorum ac temporum sectentur, quæ prohibeant ne Philippus spoliet socios Atheniensium, ipsosque Athenienses captivos abducat.

Tertia pars.

Varia momenta quibus audientium animi ad bellum gnaviter gerendum incitentur.

1°. Demosthenes instituit comparationem inter festa et ludos ac bellum, ut pateat quo studio, ordine, et certo temporis puncto illa administrentur, dum nulla suppetit belli gerendi diligentia, nullus ordo, nullum tempus servatum, ac proinde omnes amittuntur occasiones. Hinc Macedoniæ rex civitatem eo usque contemnit, ut superbas omnino ad illam scribat epistolas, quas recitandas publice curat orator.

2°. Suis civibus incutit pudorem tum per hasce epistolas, tum conferendo horum socordiam cum rudium athletarum imperitia. Hunc locum lepide simul et graviter tractat.

3°. Dicit deorum cura et consilio factum ut nova semper in dies incœpta designet Philippus, quo nimirum Athenienses e turpi tandem veterno emergant.

4°. Civium segnitiem, sociorum metum, hostium despicationem, eorum ignaviam, ita vividis exhibet coloribus, ut pudefacti Athenienses rectius agere incipiant.

5°. Eorum stultitiam deridet qui rumores incertos captant et expiscantur de Philippo, quem certum est prava moliri consilia adversus rempublicam Atheniensem.

Brevis peroratio.

Amorem in patriam et publicæ rei studium profitetur, quo uno se ad dicendam sententiam impulsum fuisse prædicat.

Hæc oratio dicta est anno primo olympiadis CVII, sub archonte Aristodemo.

ARGUMENTUM
PHILIPPICÆ PRIMÆ
EX
TOURELLIO

DEMOSTHENES, triginta annos natus, primam contra Philippum Orationem habuit; Archonte Aristodemo, regni Philippi anno nono, Olympiadis autem centesimæ septimæ primo. Philippo, sub initia ejus regni, obstiterant Athenienses; Argæumque, qui cum eo de summa rerum certabat, strenue adjuverant. Vicit Philippus; pacem tamen cum iis, ut erat versutus, missis legatis ultro iniit: sive ut novum imperium stabiliret, sive ut in eo proferendo felicius procederet. Igitur initium cepit ab Illyriis et Pæonibus subjugandis; deinde loca plurima, diversasque regiones, quæ Macedoniæ erant confines, quæque adeo plurimum ei conducebant, occupavit. Brevi ejus victoriæ commodum locum obtulere iis consiliis exsequendis, quæ contra Græciam meditabatur. Thessali eum advocabant, ut se a tyrannis liberaret; isque, sub liberatoris nomine, ipsum quod sustulisse visus est, in eos imperium exercuit. Eorum oppidis in ditionem suam receptis, facilem inde atque opportunam in Phocenses invadendi occasionem arripuit; hoc maxime prætextu, quod Thessalorum hostes essent, Atheniensibus vero amicitia conjunctissimi. Bellum itaque iis indixit; annoque hanc orationem præcedente, magno eos prælio superavit. Hac victoria elatus, eos subjugandi spem cepit; adque Thermopylas profectus est, qua unicus patet transitus ex Thessalia in Phocidem euntibus. Athenienses, audito ejus itinere, quod quo tenderet, cum ipsis tum Græcis omnibus erat pertimescendum, ad angustias Thermopylarum confluxerunt; iisque opportuno tempore occupatis, Philippo, ne in Græciam transiret, viam obstruxere. Periculi tam magni, a quo recens liberati sunt, memoria usque animis inhærebat; utque rebus suis vel adhuc diffiderent, effecit. Demosthenes, hac eorum dispositione usus, vivam iis imaginem depingit imminentis periculi, quod iis effrænata Philippi ambitio minitatur, quamque mature cauto opus sit, in animos studet ingerere. Quoniam igitur, ob rapidum Philippi progressum, armorumque ejus successum, Athenienses tantum non desperarent; primum animos iis addere aggreditur Orator; unicam calamitatum causam eorum ignaviam esse dicens: deinde belli gerendi rationem proponit, aptam sane cum eorum negligentiæ corrigendæ, tum ipsi infortuniorum fonti et origini auferendæ, atque adeo spei faciendæ melioris in posterum fortunæ. Ejus summa eo redit, ut duos colligant exercitus; quorum unus, isque major, ex civibus solis conflatus, semper in procinctu stet, ad defendendam Atticam; alter minor, quique partim civibus, partim peregrinis constet, circa Macedoniæ confinia sine ulla intercapedine volitet, hostem observet, vexet, atque ex propinquo aggrediatur; ne absentibus Atheniensibus, quum aut anni tempestas aut venti impediant quo minus in ejus regnum classe applicent, libere consilia capiat, nulloque negotio exsequatur quicquid aggredi in animum induxerit. Quod ad Chronologiam attinet, in eo quod primam Philippicam ante Olynthiacas ponam, de communi opinione discedo: nequis tamen singularia me affectare ideo existimet; quum optimos duces secutus fuerim, Dionysium nempe Halicarnassensem, et Diodorum Siculum. Rationes in Notis reddentur; ubi hujusce orationis ordinem validissimis insuper, ni fallor, conjecturis stabilivimus.

Conversis a me in nostram linguam Demosthenis Orationibus, diu dubitavi, earum ordinem chronologicum attingerem necne. Tandem apud me Dionysii Halicarnassensis prævaluit auctoritas. Hanc, ex promisso, rationibus fulcire jam aggrediar; neque eas aliunde quam ex ipsa oratione petam. Ibi de Atheniensium ad Thermopylas expeditione, tanquam quæ recenter admodum obtigerat, loquitur Demosthenes. Hæc expeditio, si Diodoro fides, in eum quo Archon erat Aristodemus annum cecidit: eoque Archonte, primo Demosthenes in Philippum orationem habuit. Inde palam est primam Philippicam ante Olynthiacas esse collocandam, si modo tempus expeditionis, quæ in prima Philippica quasi recens adhuc memoratur, ipsi quadrare velimus. Minime vero id fiet, si eam post Olynthiacas remiseris; quippe quæ Archonte Callimacho, id est triennium illinc, habitæ fuerunt. Quin insuper Demosthenes, Philippi res gestas quum recenset, levissimam de Olyntho mentionem facit; ex quo colligere est, nondum a Philippo obsessam, nedum captam, fuisse eam urbem. Quam si tunc temporis expugnasset, quis credat quin Demosthenes rem tanti momenti, eamque recentem adhuc, multo vehementius urgeret, qui præsertim de ea in aliis ubique locis tam fuse et elate disserit, maximumque inde argumentum sumit, cur Philippi progressibus strenue obsistant. TOURELLIUS.

LIBANII ARGUMENTUM PRIMÆ IN PHILIPPUM ORATIONIS.

ATHENIENSES, cum bellum infeliciter contra Philippum gererent, in concionem convenerunt desperabundi. Orator igitur et erigere abjectos animos conatur, (neque enim esse mirum, si in tanta socordia victi sint) et qua ratione bellum rectissime administrent, docet. Jubet geminas copias comparari: alteras majores urbanas, quæ domi maneant, in omnem eventum paratæ; alteras minores, quæ militibus peregrinis constent, permistæ civibus; et eum exercitum non Athenis manere, neque ex urbe opem conferre jubet; sed circa Macedoniam versari, belligerantem continenter: ne flatu Etesiarum Philippus observato, aut etiam hieme, cum Athenis in Macedoniam navigari non liceat, rem aggrediatur, et per absentiam Atheniensium omnia obtineat sed exercitum, qui cum eo dimicet, vicinum potius ei esse oportere censet.

DEMOSTHENIS

PHILIPPICA I.

1. Si de nova aliqua re dicere propositum esset, Athenienses, continens *me*, dum plurimi eorum quibus mos est sententiam suam aperuissent, si quid mihi ab illis dictum placuisset, quievissem, sin minus, tum et ipse quæ sentio conatus essem fari: quoniam vero ita accidit, ut quibus illi de rebus jam ante sæpenumero dixerunt, hæ nunc in deliberationem vocentur, arbitror me, quamvis primus ad dicendum surrexerim, jure tamen veniam nacturum esse. Si enim superiori tempore opportune isti consuluissent, nihil vos nunc necesse esset deliberare.

2. Primum igitur, Athenienses, non est de præsentibus rebus, ne si vehementer afflictæ esse videantur, desperandum vobis. Nam quod in eis ex præterito tempore est pessimum, id ipsum est ad ea quæ restant optimum. Quid igitur hoc est? Vestra nimirum, Athenienses, factum esse socordia et officii neglectu, ut res nostræ sint adversæ; nam si, vobis omnia quæ decuit agentibus, res ita se haberent, ne spes quidem reliqua esset, fore eas aliquando meliores. Deinde cogitandum, id quod partim ex aliis auditis, partim ipsi ex memoria vestra scitis, quanta aliquando potentia præditis Lacedæmoniis, idque non ita olim, quam præclare, atque ut vos decebat, nihil hujus reipublicæ dignitati alienum admisistis, verum pro *communi* Græcorum jure bellum contra illos sustinuistis. Quorsum igitur hæc dico? Ut perspicere possitis, Athenienses, atque animadvertere, neque præcaventibus vobis quicquam esse formidabile, neque si negligentes sitis, tale quid quale vos vultis, eventurum esse, exemplis utentes, potentia quæ tum fuit Lacedæmoniorum, quam rebus vestris animos applicando superastis, et hujus quæ nunc est insolentia, propter quam æstuamus, eo quod nihil eorum quæ oportuit curavimus.

3. Quod si quis vestrum, Athenienses, difficilem esse oppugnatu Philippum arbitretur, considerans cum multitudinem copiarum quæ nunc illi competunt, tum omnia præsidia urbi nostræ periisse, recte sane existimat; idem tamen hoc cogitet, fuisse aliquando in nostra potestate Pydnam, Potidæam, Methonam, et omnem illam undique adjacentem regionem; plurimas etiam, quæ cum illo nunc sunt, gentes suis legibus ac liberas vixisse, vobisque maluisse, quam illi, amicitia conjungi. Si igitur Philippus in hac tum opinione fuisset, sibi difficile esse bellum gerere cum Atheniensibus, qui tot arces ad ditionem suam oppugnandam haberent, sociis destituto, nihil eorum quæ nunc fecit, egisset; neque tantam potentiam esset consecutus.

Sed hoc, Athenienses, præclare ille novit, hæc loca omnia esse belli præmia, in medio posita; naturam etiam ita ferre, ut præsentibus cedant quæ sunt absentium, et volentibus labores ac pericula adire, quæ sunt negligentium. Hac ille sententia usus omnia subegit et tenet, alia ut capta quis belli jure teneat, alia societatibus atque amicitiis sibi devinciens: etenim cum his societatem inire, atque his adhærere, volunt omnes, quos instructos esse vident et ea quæ oportet agere paratos.

4. Si igitur vos etiam, Athenienses, hoc animo esse nunc velitis, quando quidem prius non *fuistis;* et unusquisque vestrum, quibus in rebus debet et potest reipublicæ se utilem præstare, omni omissa dissimulatione, *aliquid* navare sit paratus; *nimirum,* qui dives est, tributa conferre, qui vero in ætate est bello apta, militare;—denique ut uno verbo simpliciterque dicam, si vestri compotes ipsi fieri volueritis, et desieritis quisque vestrûm, se quidem nihil facturum esse sperare, alium vero pro se omnia præstiturum; tum et ea quæ vestra sunt, deo volente, percipietis, et amissa per socordiam recuperabitis, et illum ulciscemini. Neque enim existimetis, illi, tanquam deo cuidam, præsentem ejus fortunam immobiliter fixam esse in perpetuum; est enim qui illum odit, quique metuit, Athenienses, quique invidet, etiam ex iis qui jam illi amicissimi esse videntur: et profecto omnia, quæcunque in aliis quibusvis hominibus reperiuntur, hæc in iis etiam, qui cum illo sunt, inesse existimandum est. Hæc vero omnia præ metu nunc se abscondunt, cum nullum habeant confugium, propter vestram tarditatem et socordiam, quam *vobis* jam esse abjiciendam dico. Videtis enim rem, Athenienses, quo protervitatis evasit homo iste, qui ne quidem optionem vobis dat aut belli gerendi, aut otium agendi; sed minitatur, et superbis, ut fama est, sermonibus utitur; neque adduci potest ut, quæ jam subegit retinens, his acquiescat; sed perpetuo quid amplius molitur, et circum undique cunctantes vos atque sedentes *velut* indagine cingit.

5. Quando igitur, Athenienses, quando quæ oportet facietis? ubi aliquid acciderit? ubi credo necessitas aliqua fuerit? De præsenti igitur rerum statu quæ vobis opinio esse debet? Ego enim arbitror, liberis hominibus maximam esse necessitatem, ex rebus gestis susceptum dedecus. Num vultis, quæso, circumcursitantes ex vobismet ipsis percontari in foro, Diciturne aliquid novi? Ecquidnam magis novum esse potest, quam hominem Macedonem Athenienses bello subigere, Græciæque res administrare? Mortuusne est Philippus? Non hercle, sed ægrotat. Quid vero hoc vestra interest? Etsi enim aliquid ei acciderit, brevi vos alium Philippum *vobis* facietis, si animos rebus *vestris* hoc modo adhibeatis: neque enim is tantum suis viribus crevit, quantum nostra negligentia. At illud pone. Si quid ei acciderit, nobisque fortuna faverit, quæ semper melius nos *curavit,*

quam curamus ipsi, atque hoc effectum reddiderit, scitote quod, si in propinquo sitis, rebus turbatis omnibus imminentes, ita ut voletis eas administrare poteritis: ut vero nunc estis, nec si vobis tempora darent Amphipolim, accipere *eam* possetis, vestris et apparatibus et sententiis fluctuantes.

6. Oportere igitur omnes paratos esse quæ *in singulos* conveniunt ultro facere, tanquam scientibus vobis atque persuasis, diutius dicendo non immoror: rationem vero apparatus, quem talibus vos negotiis liberaturum esse putem, et magnitudinem quantam *esse oportet,* ac rationes pecuniæ comparandæ quasnam, cæteraque quomodo mihi optime atque celerrime videntur instruenda, utique conabor dicere, hoc tantum vos, Athenienses, precatus. Postquam omnia audieritis, judicate, nec *quæ ego dicturus sum* anticipate; neque, si cui initio videar novum apparatum dicere, res a me procrastinari *is ideo* existimet. Quippe non qui "illico" atque "hodie" dicunt, maxime ad utilitatem loquuntur—neque enim possumus quæ jam exstiterunt *mala,* his quæ nunc mittimus auxiliis, reprimere—,verum quisquis ostenderit, qualis apparatus *vobis* comparatus, quantusque, et unde *sustentatus* durare poterit, quoad aut bellum persuasi finiverimus, aut hostes superaverimus: ita enim nullis in posterum injuriis lacessemur. Ego igitur hæc dicere me posse arbitror, non impediens si quis alius pollicetur aliquid. Promissum igitur adeo magnum, ipsa vero res in examen jam veniet: judices vos eritis.

7. Primum igitur, Athenienses, triremes quinquaginta instrui oportere dico: deinde vos eo animo esse, ut, siquid opus fuerit, ipsis in eas conscendentibus sit navigandum. Præterea, dimidiæ equitum parti triremes quæ equos vehant, et satis multas insuper naves ornari jubeo. Hæc equidem censeo præsto esse oportere, contra repentinas ejus e sua regione expeditiones, ad Thermopylas, et Chersonesum, atque Olynthum, nec non quo libet: namque hæc in ejus animo excitanda est opinio, vos ex immodica hac negligentia, sicut ad Eubœam, et prius aliquando, ut ferunt, ad Haliartum, et postremo nuper ad Thermopylas, fortasse erupturos. Non omnino, tametsi non feceritis, ut ego faciendum esse dico, fuerit *hoc* contemnendum, ut vel præ metu, si scierit paratos esse vos—certo enim sciet: sunt enim, sunt apud vos ipsos, qui de omnibus rebus eum certiorem faciunt, plures quam expedit—, otium agat, vel his despectis, incautus opprimatur; nihilo obstante quo minus in ejus regnum, si occasionem dederit, navigetis.

8. Hæc igitur sunt, quæ a vobis decerni oportere dico, quæque ut instruantur convenire arbitror. Præter hæc, copias aliquas, Athenienses, in procinctu habendas censeo, quæ continenter belligerent et illum infestent. Ne mihi *quis dicat* decies mille neque vicies mille peregrinos, neque epistolares illos exercitus; hunc volo

qui civibus constabit, qui, sive vos unum, sive plures, sive illum, sive quemcumque ducem creaveritis, ei parebit et sequetur. Et his commeatum curari jubeo. Quæ autem erunt hæ copiæ, et quantæ, et unde commeatum habituræ, et quomodo hæc facere poteritis, ego dicam, et horum singula seorsum explicabo. Peregrinos dico—neque id feceritis, quod sæpe vobis nocuit, dum minora putatis omnia quam oporteat, et maxima in decretis suscipientes, cum ad rem ventum est, ne parva quidem facitis: sed ubi parva feceritis et comparaveritis, illis adjicite, si minora videbuntur. Dico igitur universos milites esse oportere bis mille. Ex his, Athenienses oportere esse dico quingentos, e quacunque illi deligendi vobis ætate videbuntur, qui certum tempus militent; non longum illud, sed quantum commodum esse videbitur, ut subinde aliis alii succedant: reliquos peregrinos esse jubeo. Et cum his, equites ducentos: quorum quinquaginta sint Athenienses minimum, eodem quo pedites modo militaturi. Et hippagines, quibus hi utantur. Esto. Quid ad hæc amplius? Celeres triremes decem: opus enim nobis est, cum ille classem habeat, etiam velocibus triremibus, ut tuto copiæ navigent.

9. Unde igitur hæ alentur? Ego et hoc dicam et ostendam, postquam, cur tantulas copias satis esse putem, et cives militare jubeam, docuero. Tantulas, Athenienses, propterea quod nobis nunc exercitum parare non licet, qui collatis signis cum eo dimicet; sed prædari est necesse, et hac gerendi belli ratione utendum primum: quare nec immensas eas—nec enim stipendia et commeatus suppetunt—nec prorsus exiguas esse oportet. Cives autem adesse, et navigare una propterea jubeo, quod prius etiam aliquando audio peregrinum aluisse Corinthi militem *nostram* urbem, cui Polystratus præfuerit, et Iphicrates, et Chabrias, et alii quidam, et vosmetipsos una militasse: et, ut auditione cognovi, peregrini illi vobiscum conjuncti, et vos cum illis, Lacedæmonios vicistis. Postquam autem ipsi peregrini per sese bella vobis obeunt, amicos vincunt et fœderatos; hostes autem facti sunt majores quam expediret. Et cum ad bellum *nostræ* urbis obiter respexerint, ad Artabazum et quovis gentium potius abeunt; imperator autem eos sequitur, non injuria: neque enim is imperare potest, qui stipendia non solvit. Quid igitur jubeo? Causas adimi et duci et militibus, mercede numeranda, et domestico milite, velut eorum inspectore quæ a duce geruntur, adjungendo; nam ut nunc fit, ridicula est nostra rerum administratio. Si quis enim vos roget, pacemne agitis, Athenienses? Minime vero nos quidem, dicturi sitis; sed cum Philippo bellum gerimus. Nonne vero creatis e vestris civibus decem centuriones, et duces, et tribunos, et magistros equitum duos? Isti vero quid agunt? Uno illo excepto, quem ad bellum miseritis, reliqui pompas vobis ducunt cum sacrificulis: ut enim ii, qui statuas ex argilla fingunt, ad forum creatis centuriones et tribunos, non ad bellum. An non oportuit, Athenienses, centuriones cives, magistros equitum cives, prætores domesticos esse, ut revera essent copiæ civitatis; at in Lemnum *scilicet* oportet magistrum equitum qui e vobis est navigare, eorum autem qui pro reipublicæ possessionibus præliantur, Menelaum esse magistrum equitum? Neque hæc hominis reprehendendi causa dico, sed a vobis eum creatum esse oportebat, quisquis tandem sit.

10. Fortassis autem hæc recte dici putatis; de pecunia vero, quanta erit, et unde *comparanda*, maxime audire cupitis: et illud utique expediam. Quod ad pecuniam igitur attinet, requiruntur ad alendum hunc exercitum, ad cibaria duntaxat militibus comparanda, nonaginta talenta, et paulo amplius; navibus decem celeribus quadraginta talenta, vicenæ minæ in navem singulis mensibus; militum duobus millibus totidem alia, ut duas quisque miles drachmas in mensem pro cibariis accipiat: equitibus ducentis numero, si tricenas drachmas in mensem accipiant singuli, duodecim talenta. Si quis vero putat, commeatum parvo esse subsidio iis qui militant, non recte sentit: ego enim compertum habeo, si hoc factum fuerit, ipsum exercitum e bello sibi reliqua comparaturum, sine ulla vel Græcorum vel sociorum injuria, ut integrum stipendium habeat. Ego ultro navigans una, quidvis pati paratus *sum*, nisi hæc ita erunt. Unde igitur pecunia, quam requiro a vobis comparari? hoc jam dicam.

PECUNIARIA RATIO.

11. Quæ nos, Athenienses, excogitare potuimus, hæc sunt. Postquam autem sententias comprobaveritis, ea quæ libuerit vobis decernite, ut non tantum decretis et literis belligeretis cum Philippo, sed etiam factis. Multo autem melius, ut mihi videtur, de bello et tota instructione deliberabitis, si situm, Athenienses, regionis, cui bellum infertis, considerabitis; et cogitabitis, ventis et anni temporibus anticipatis, pleraque perficere Philippum; et exspectatis Etesiis aut hyeme, bellum aggredi, cum nos illuc pervenire non possumus. His itaque consideratis, oportet vos, non repentinis subsidiis bellare—præveniemur enim ubique—sed instructione perpetua atque exercitu. Licebit autem vobis Lemni, et Thasi, et Sciathi, et in illius loci insulis hybernare cum exercitu; in quibus et portus, et frumentum, et omnia quæ requirit exercitus, parata sunt: anni autem tempus, cum et appellere ad terram facile *sit*, et a ventis juxta ipsam regionem, et emporiorum fauces, *versantibus* nihil sit periculi, *intellectu* facile erit.

12. Quomodo igitur, et quando utendum sit exercitu, *id* dux a

vobis designatus pro temporis ratione constituet: quæ autem a vobis præstari debeant, hæc sunt quæ ego scripsi. Quod si has, Athenienses, pecunias comparabitis, primum iis quas dico, deinde cæteris expeditis, milite, triremibus, equite, si integras denique copias lege obstringetis, ut bello continenter incumbant, pecuniarum ipsi vos quæstores ac præbitores constituti, rerum autem gestarum ab imperatore rationem repetentes, desinetis aliquando iisdem de rebus perpetuo deliberare nihilque proficere; accedit illud etiam, Athenienses, maximum ex emolumentis suis homini auferetis. Quid istud? Vestrorum sociorum opibus vos oppugnat, captis direptisque navigantibus. Quid ultra? Vos illud eritis consecuti, ut vobis noceri non possit; non ea fient, quæ superiori tempore, cum in Lemnum et Imbrum facta impressione vestros cives captivos abduxit, et ad Geræstum captis *vestris* navibus immensam pecuniæ vim coegit, postremo in Marathonem exscendit et sacra triremi e nostra ditione abrepta abiit; vos autem neque hæc prohibere potuistis, nec temporibus quæ constitueritis opitulari.

13. Verum cur tandem putatis, Athenienses, Panathenæorum ferias et Bacchanalium semper convenienti tempore fieri, sive peritis harum utrarumque curatio sorte obvenerit, sive imperitis; in quas tantos sumptus facitis, quantos nec in unam classis emissionem, et tantam turbam adhibetis et [tantum] apparatum, quantum haud scio an ulla res omnino in se habeat: classes autem omnes vestras occasionibus demum amissis venire, illa Methonem, illa Pagasas, illa Potidæam *missa?* Quod illa omnia lege sancita et ordinata sunt, et quisque vestrum multo ante novit, quis ædilis aut gymnasiarchus suæ tribus, quando et a quo et quid accipiendum quidque faciendum sit, nihil non exquisitum, nihil non definitum, nihil denique neglectum est; in rebus autem bellicis et belli apparatione, inordinata, incomposita, indefinita, omnia. Quapropter simulatque audivimus aliquid, et triremium præfectos constituimus, et inter eos permutationes opum instituimus, et de parandæ pecuniæ ratione deliberamus: postea decernitur, ut inquilini conscendant, et libertini qui suam ipsi rem familiarem administrant; deinde rursus, ut eorum loco cives navigent. Interea dum hæc cunctantes geritis, perierunt jam ea, ad quæ *conservanda* navigamus: nam rei gerendæ tempus in apparando consumimus, rerum autem occasiones non exspectant nostram tarditatem et socordiam; quas vero interjecto tempore copias nos habere putamus, eæ, cum ad ipsam rem ventum est, nihil posse gerere deprehenduntur. Ille autem eo venit insolentiæ, ut scribat Eubœensibus hujusmodi jam literas.

LITERÆ.

14. Hæc Athenienses, quæ lecta sunt, vera pleraque sunt, secus quam esse debebat; non autem fortasse jucunda sunt auditu. Verum si omnia, quæ oratione quis prætergreditur, ne molestiam afferant, re etiam vera prætergredientur, ad voluptatem *audientium* conciones instituendæ sunt: sin orationis jucunditas, alieno tempore usurpata, reipsa damnum fit, turpe est, Athenienses, semetipsos decipere, et ea omnia quæ molesta sunt, differendo, negligere omnes rei gerendæ occasiones; ac ne illud quidem posse intelligere, eorum esse qui recte bellum administrant, non sequi res, sed rebus antecedere; et quemadmodum exercitui censeat aliquis ducem præcedere oportere, ita et negotiis cordatos homines, ut quæ ipsis visa fuerint, gerantur, non ut eventum sequi necesse habeant. Vos autem, Athenienses, cum copias habeatis omnium maximas, triremes, legiones, equites, pecuniæ reditus, harum quidem rerum in hunc usque diem nulla unquam opportune estis usi, et neminem non sequimini. Et ut barbari pugiles dimicare solent, ita vos bellum geritis cum Philippo. Ex iis enim, is qui ictus est, ictui semper attendit; quod si eum alibi verberes, illo manus transfert: ictum autem depellere, aut contra intueri, neque scit, neque vult. Ita et vos, si esse in Chersoneso Philippum auditis, illuc mittenda esse auxilia decernitis; si in Pylis, illuc; si alibi uspiam, assectamini sursum deorsum. Et eum, ut ducem milites, sequimini; neque ullum utile de belli gerendi ratione consilium initis ipsi, neque prius quicquam prospicitis, quam aut factum esse aliquid, aut fieri audiatis. Ista vero fieri olim fortasse potuerunt, nunc in ipsum discrimen rerum ventum est, quare non jam idem licet.

15. Videtur autem mihi, Athenienses, deorum aliquis, quem *nostræ* urbis gratia, eorum quæ fiunt, pudet, illum rerum gerendarum ardorem injecisse Philippo. Qui si quæ subegit et intercepit, ea tenere et quiescere vellet, neque quicquam præterea moliretur, vestrum quidam ea non ægre laturi mihi viderentur, quæ reipublicæ dedecus et ignaviæ crimen et summa omnia probra attulissent: nunc dum semper aggreditur aliquid et plus appetit, fortasse vos evocabit, nisi de vobis omnino desperastis. Ego vero miror, si nemo vestrum neque cogitat neque indignatur, quando videt, Athenienses, bellum cœpisse initium de ulciscendo Philippo, finem autem in eo jam versari, ne cladibus afficiamur a Philippo. Verum eum non quieturum, perspicuum est, nisi ab aliquo coerceatur. Id igitur nos exspectabimus, et triremes vacuas et spem a nescio quo factam si miseritis, omnia præclare se habere putabitis? Non conscendemus *naves?* non exibimus ipsi parte saltem aliqua domesticorum militum

nunc, siquidem id prius factum non est? non ditionem ejus classe invademus? At quo appellemus? roget aliquis. Aperiet qua vitiosæ sint res Philippi bellum ipsum, Athenienses, modo aggrediamur: verum si domi sedebimus, conviciantes audituri et criminantes inter se oratores, non fieri ulla ratione unquam potest, ut quicquam rite conficiamus. Ubicunque enim, opinor, pars aliqua civitatis ablegetur tametsi tota non adsit, ibi et deorum et fortunæ benevolentia nobiscum militat: cum autem imperatorem et decretum inane et factas e suggestu spes mittitis, nihil a vobis feliciter geritur, sed *ut* hostes derident istiusmodi expeditiones, *ita* socii metu emoriuntur. Non enim potest, non potest fieri, ut unus vir unquam vobis ea conficiat omnia, quæ vultis: polliceri quidem, et affirmare, et accusare hunc et illum licet. Sed hisce *rationibus* negotia perierunt: nam cum ducat quidem imperator miseros stipendio fraudatos peregrinos; qui vero de rebus illic ab eo gestis falsa vobis renuntient, nullo negotio hic reperiantur; vos autem ex auditu, quicquid in mentem vobis venerit, decernatis; quid, quæso vos, exspectandum est? Quonam igitur modo exitum hæc invenient? Cum vos, Athenienses, eosdem vosmet ostenderitis et milites, et testes actorum ducis, et ubi domum reversi fueritis, judices rationum referendarum, ita ut non tantum quæ vestra sunt audiatis, verum etiam præsentes intueamini: nunc eo res devenit turpitudinis, ut quisque ducum vestrorum bis terque capitis apud vos subeat judicium; cum hostibus autem eorum nemo vel semel de vita dimicare sustineat, utque plagiariorum et furum interitum honestæ morti præferant. Malefici enim est, judicum sententia mori; imperatoris, cum hostibus præliantem.

16. Vestrum autem alii circumeuntes, cum Lacedæmoniis agere dicunt Philippum de Thebanorum eversione et liberas civitates divellere: alii, eum misisse legatos ad regem *Persarum;* alii, oppida munire in Illyriis; alii, suas quisque commenti fabulas, obambulamus. Ego vero equidem existimo, Athenienses, ebrium esse eum rerum gestarum magnitudine et ejusmodi somnia multa suo cum animo agitare, cum quia videt neminem esse qui impediat, tum successibus elatum; non tamen eum sic agere instituisse, ut qui apud nos sunt stolidissimi, norint quid ille sit facturus: stolidissimi enim sunt isti rumigeruli. At si, his omissis, illud spectemus, hominem istum esse nobis inimicum, et nostras nobis opes eripere, et longo jam tempore insolenter se gessisse, et quæcunque speravimus aliquem pro nobis esse acturum, ea, ut constat, contra nos esse omnia, et cætera in nobismet ipsis esse posita, et, si nunc illic belligerare noluerimus cum eo, idem fortasse nobis hic facere necesse fore,—hæc si statuerimus, et recte sentiemus et inanes fabulas missas faciemus. Neque enim quæ sint futura, quærendum est, sed adversa futura, nisi rebus gerendis intenti fueritis et fungi officio volueritis, pro comperto habendum.

17. Ego igitur, nec unquam alias ad gratiam loqui institui, nisi idem et profuturum vobis persuasum haberem, et nunc quæ sentio, simpliciter omnia, sine ulla tergiversatione, libereque sum elocutus: velim autem, sicuti exploratum habeo, e re vestra esse, ut ea quæ optima sunt audiatis, ita scire me etiam, fidelissimo suasori idem profuturum: multo enim libentius dixissem. Nunc quanquam obscurum est, quidnam hinc consecuturus sim, tamen quia persuasum habeo hæc factu vobis fore utilia, dicere institui. Vincat autem id, quod vobis omnibus profuturum est.

AUGERI
ANALYSIS
OLYNTHIACÆ PRIMÆ (SECUNDÆ).

Propositum hujus orationis et duarum sequentium.

OLYNTHUS potentissima urbs Thraciæ fuit; eam Græci tenuerunt oriundi Chalcide, quod est Eubœæ oppidum, Atheniensium colonia. Olynthii multa bella gesserunt cum ipsis Atheniensibus, cum Lacedæmoniis, denique cum Amynta Philippi patre. Philippum ipsum in regni primordiis bello aggredi tentaverant; verum hic, nondum confirmatis viribus, usus dissimulatione, nihil non egit ut Olynthios placaret, factaque cum ipsis societate, ipsos donavit Potidæa quam Atheniensibus eripuerat. At ubi invaluit, eosdem aggressus hostiliter, primum cœpit ipsorum regionem invadere, deinde ad id se comparavit ut ipsam urbem oppugnaret. Cujus consilium statim atque animadverterunt Olynthii, miserunt Athenas, quam celerrimum auxilium ab Atheniensibus petentes. Demosthenes hac oratione et duabus sequentibus suos vivide hortatur ut Olynthiis quamprimum et acerrime suppetias eant.

Breve exordium.

Hoc est insigne deorum beneficium, quod regno Philippi finitima civitas inimicitias cum illo gerat immortales; hæc est optima occasio a diis oblata, qua non uti Atheniensibus turpissimum fuerit.

Confirmatio.

1°. Dicit orator quas ob causas Philippi potentiam non sit enarraturus, sed ad alia transiturus quæ sint civibus suis utilia auditu et illi probrosa; nempe ut perjurus ille et perfidus ex factis demonstretur.

2°. Exponitur perfida et dolosa Philippi agendi ratio erga Athenienses, erga Olynthios, erga Thessalos; unde patet, mendaciis per quæ ad summa pervenit retectis, eum jam ad ima descensurum.

3°. At, inquiet aliquis, ille per vim ea retinebit quæ per dolum eripuit. Demosthenes ostendit per sententias et comparationes, eam solam potentiam firmam esse et stabilem quæ benevolentia sociorum nitatur.

4°. Hortatur suos ut prompte et valide opem ferant Olynthiis; ut legatos mittant ad Thessalos, sed postquam eduxerint exercitum et omnia egerint quæ bellum postulat, quo non verba solum, at etiam res populis proponant. Inde, ait, palam fiet quam infirma sit domestica illius potentia.

5°. Ostendit per exempla Macedoniam per se infirmam, aliquid roboris habere quum aliis adjicitur, Philippumque ipsam bellis et expeditionibus effecisse infirmiorem, dum vulgus Macedonum bello detinet et exhaurit, belli ipse assiduus sectator; dum milites peregrinos et satellites, si qui sint peritiores rei militaris, per invidiam expellit; dum viros bonos et modestos negligit, eos autem fovet qui intemperantissimi sint et nequissimi. Hæc paulo fusius effert Demosthenes.

6°. Hæc Philippi mala non nunc apparent, rebus ipsius prosperis obumbrata, sed mox retegentur si paulum impegerit; quod per luculentam comparationem ostendit orator.

7°. Atenim Philippus fortuna favente utitur; imo fortuna Atheniensium multo melior est, et plura sunt cur dii ipsis faveant quam Philippo. Sed Philippus nihil omittit, nihil negligit, dum Athenienses omnia segniter agunt et desidiose. Hæc segnities et desidia vivide depinguntur, ut ipsos pudeat, et rebus suis tandem diligentius attendant.

8°. Ergo debent pecuniam conferre, ipsi militare, præsertimque ducibus suis omnes tollere excusationes. Inde ostenditur quomodo bellarent copiarum duces, quomodo reversi Athenas se defenderent, quomodo interim pessum irent res publicæ.

9°. Concluditur postulando ut omnes ad bellum pro sua parte conferant, sive consiliis, sive armis, sive pecuniis; ut detur omnibus dicendi potestas, et ex auditis optima eligantur.

ARGUMENTUM
OLYNTHIACÆ PRIMÆ (SECUNDÆ)
EX
TOURELLIO.

INTER primam Philippicam primamque Olynthiacam orationem, quatuor annorum intervallum intercesserat. Id quidem ex Diodoro Siculo atque Dionysio Halicarnassensi, quibus semper usus sum in re Chronologica auctoribus, plane colligendum est. Hic nempe docet, quo quamque orationem Archonte dixerit Demosthenes; ille quo anno singuli Archontes magistratum habuerint. Itaque eorum auctoritate fretus, tres Olynthiacas orationes duodecimo regni Philippi anno, sive quarto Olympiadis centesimæ septimæ, Archonte autem Callimacho, habitas fuisse statuo. Dionysius Halicarnassensis parum se fecisse ratus, quod illarum epocham tradiderit, quo etiam dictæ sunt ordine definit: dicitque primæ initium esse ἐπὶ πολλῶν, *secundæ,* οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί, *tertiæ vero,* ἀντὶ πολλῶν. *Nihil expressius, nihil clarius dici potest. Scholiastæ tamen atque interpretes ipsius testimonio omnino nihil tribuunt, omnesque quasi conjurant ad hunc ordinem turbandum, quem denuo restituere mihi visum est; quippe qui hac in re auctorum suffragia potius perpendenda esse, quam numeranda, duxerim. Iis, qui auctoritatibus modo laudatis noluerint obtemperare, rationibus, quas in Notis reddidimus, me satisfacturum spero. Quin ut ad rem veniamus. Olynthus Thraciæ urbs, a Græcis Chalcide, Eubœæ oppido, colonia vero Atheniensi, oriundis occupata, eo paulatim magnitudinis pervenit, ut in magna sæpe bella et cum Atheniensibus, et cum Lacedæmoniis, inciderit. Circumspectius ne quidem cum Philippo egerunt Olynthii, quum ille ingressus imperium, omnibus quibus posset modis, in eo se confirmare studeret: duos enim fratres ejus, quos ex*

noverca genitos, veluti participes regni, interficere gestiebat, profugos aperte receperunt. Interea Philippus, parum adhuc in regno confirmatus, iracundiæ dissimulandæ mature artem exercuit, et illatæ injuriæ memoriam minime retinere visus, societatem cum iis ultro petiit, imo potius mercatus est, non solum Anthemuntem iis cedendo, de qua cum regibus Macedoniæ diu illis contentio fuerat, verum data etiam Potidæa, quam conjunctis sibi eorum copiis, ideo ut iis eam traderet, ab Atheniensibus præripuerat. Cito periit beneficiorum quæ ab illo acceperant memoria; subitisque ejus potentiæ incrementis perterrefacti, tum magis adhuc quod infidum eum esse manifeste deprehenderent, id unice curabant Olynthii, ut opportuno tempore ejus se societate extricarent; quod ni facerent, ne sese aliquando in servitutem redigeret, verebantur. Itaque absentem nacti Philippum, missisque ad Athenienses legatis, privatam illico cum iis pacem confecere. Reversus Philippus eos perjurii incusat, quippe qui mutuam pactionem violassent, qua, cum in bello tum in pace, cum ipso conjunctim agere tenerentur: minas deinde factis hostilibus insecutus est, læsæque fidei ulciscendæ prætextu, Olynthios obsidione cingit. Ii, simul atque ingruentem procellam sentirent, ad Athenienses statim confugiebant, utque auxilia celeriter mitterent, orabant. Legati, prout mos erat, mandata sua in comitiis populo exponebant, quem solum penes erat, aut comprobare postulatum, aut repudiare. Rei momentum de qua erat deliberandum effecit, ut frequentissimus esset Oratorum concursus. Suggestum ordine conscendebant, proque ætatis ratione sententiam serius aut ocyus dicebant. Demosthenes, quum triginta tantum et quatuor annos natus esset, non nisi post senes illos, quibus ea res diu fuerat agitata, orationem habet. Itaque quasi de novo aliquo negotio haud verba facit, nec de quo sit deliberandum exponit; verum iis, tanquam qui de eo satis essent eruditi, tantum quid decernere oporteat, declarat; validisque consilium suum rationibus confirmat, in quibus non minus inest artis suæ subtilitatis atque elegantiæ, quam vehementis ipsius ingenii impetus. Orator igitur, quo melius finem propositum assequatur, alternis terrorem incutit, animosque addit Atheniensibus. Quod quidem tam industrie ac perite tractat, ut neque eos in desperationem impellat, nec nimiam iis excitet confidentiam, sed neutrobique ad extrema excurrens, cum timoris

Has orationes Olynthiacas eodem ordine collocamus, quo Dionysius Hal. in Epistola ad Ammæum. Eique ratio ipsa suffragatur: namque initio hujus Olynthiacæ, quam nos primam facimus, Orator Atheniensibus instat, de fœdere cito cum Olynthiis ineundo: in duabus autem reliquis id fœdus initum supponit, inque id solum incumbit, ut ostendat quam necesse sit, quæ ex eo tenebantur facere, ut faciant. Tourel.

Plurimum certe deferendum est Dionysii, gravissimi et diligentissimi scriptoris, auctoritati; præsertim cum hunc se Olynthiacarum ordinem *ex illustrium virorum historiis* desumpsisse dicat. Sed neque aliud quodlibet sententiæ suæ testimonium affert, neque desunt satis multæ rationes, ex ipsis Orationibus petitæ, cur veterem potius ordinem sequendum esse cum Lucchesinio arbitremur. "Enim vero quæ tertia Dionysio, vulgo autem prima est, quamvis parum sententiis differat a secunda, attamen non levia præfert indicia, quibus natalis sui prærogativam ostendit. In ista enim Demosthenes non solum cives inflammat ad ferendum Olynthiis auxilium, sed monet, ut illuc legatos mittant, qui hujus spe confirmet animos metu fractos: quod consilium si Orator providus ac solertissimus in tertiam concionem distulisset, ejus profecto prudentia desideraretur. In secunda vero, quid sibi vult exordium illud calliditatis atque artis plenum, quo conatur ostendere, plures adhuc virium nervos esse reipublicæ, nisi commotos priori sermone cives fuisse ad opem ferendam, sed timere ne, cum minus potentia valeant, id fieri possit? Tertia denique hoc suo loco dimoveri nequit. Quippe parum isthic Orator commoratur in suadenda opitulandi necessitate, sed veluti id

tum fiduciæ causas solerti admodum temperamento intertexit. Propterea duas Philippi, easque valde diversas, imagines ob oculos ponit. Hac eum ambitiosum, arrogantem, omnibus occasionibus intentum, bello indefessum, intrepidum depingit; omnia non minus auro subruentem, quam expugnantem ferro, nullisque non obstaculis superiorem; regem denique felicissimum, cui fortuna tam profuse beneficia accumulat, ut inconstantiæ suæ pene oblita esse videatur. Altera eum imprudentem, temerarium describit, quippe qui non viribus suis, verum ambitione sola consilia sua metiatur, quique adeo suam ipse potentiam aliquando destructurus sit; turpissimum veteratorem, cujus magnitudo fundamentis maxime ruinosis nititur, perfidia scilicet, omnisque generis improbitate; tyrannum omnibus tam domi quam foris exsecratum; perjurum denique impiumque, diis, pariter atque hominibus, invisum, quemque omnino perdituri sint, modo eorum vindictam quisquam exsequi voluerit. Concludit Orator certam, eamque unicam, rationem istius Colossi evertendi in eo sitam esse, ut quæ male habent in præsenti rerum administratione corrigant, ut privatis dissensionibus compositis, reipublicæ saluti consulant, publicisque sumptibus omnes, juxta suas quisque facultates, ad communem hostem subvertendum uno animo conspirent.

jam fuerit constitutum, quempiam ita dicentem inducit, (p. 56. l. 14.) *Quem nostrum fugit, iis opem ferendam esse? nec ferre utique recusamus. At quo consilio id a nobis curari possit, explanare opus est*, &c. Quod idem animadvertit Ulpianus, vetus autor, de secunda: *Argumentum et capita hujus* (secundæ) *orationis gemina sunt primæ. In hoc solum differunt, quod in prima quæritur, an auxilium Olynthiis mittendum sit: in hac, jam constat mittendum esse.* Est, qui affirmet, in secunda multum disseri de sanciendo cum iisdem Olynthiis fœdere; in reliquis duabus de custodiendo, veluti jam confecto: proinde illam istis præponendam esse. At, qui hoc dicit, non satis animadvertit, in *prima* potius agi de hac societate constabilienda, ubi statim Athenienses admonentur, ne hanc feriendi fœderis opportunitatem negligant, quod fœdus jampridem summopere desideraverant: *si quidem nunc sponte accidit* (sunt orationis verba, p. 78. l. 11.) *quod maxime omnium rumore celebrabatur, Olynthios ad bellum cum Philippo gerendum impellendos esse.* Contra vero in secunda dicitur, (p. 33. l. 2.) *est quidem turpe—nos eo rumore percelli, ut deseramus non solum urbes et loca, quibus antea potiebamur, verum et occasiones bellorumque socios, quos nobis fortuna comparaverat.* Quis hic initam quoque cum Olynthiis societatem non videat?" His Cl. Lucchesinii argumentis duo liceat subnectere. I. Aut omnes Olynthiacas conciones habuit Demosthenes, antequam Olynthus ipsa obsidione cincta fuit, (quod veri absimillimum est, cum per aliquod tempus obsidionem eam durasse certum sit:) aut ea, quæ Dionysio tertia Olynthiaca est, reliquis antecessit. Namque in ista hortatur suos Orator, (§. 7.) ut auxilia mittant, quæ possint ΤΑΣ ΠΟΛΕΙΣ τοῖς Ὀλυνθίοις ΣΩΖΕΙΝ, *urbes Olyntho subjectas servare*, quas omnes in potestatem suam ante redegit Philippus, quam Olynthum obsedit. (Vide Leland. V. Phil. Vol. II. p. 9.) Quid, quod dicit in eadem oratione Noster, §. 3. Philippum libenter pacem compositurum cum Olynthiis? quæ res, postquam urbs ipsa circumvallari cœpit, ex omnium jam spe et animis exciderat; siquidem Philippus, *cum 40 stadiis ab urbe distaret*, manifesto edixerat Olynthiis, *aut iis cedendum esse Olyntho, aut sibimet Macedonia.* Phil. III. 3. II. In hac eadem quæ Dionysio tertia est, concione, pecuniæ theatralis administrationem leviter tantum perstringit Orator, pedemque statim retrahit: *τί οὖν, ἄν τις εἴποι, σὺ γράφεις ταῦτ᾽ εἶναι στρατιωτικά; μὰ Δί᾽, οὐκ ἔγωγε.* At in ea, quam secundo loco ponit, eidem rei multo et apertius et diutius instat; quod notat in illius orationis argumento Libanius. Jam utrum vero propius esse videtur, ingravescente periculo clarius elocutum fuisse Oratorem; an (quod dicant fortasse ii, qui in Dionysii partes abeunt) Demosthenem, cum audax illud quod in *priori* concione exposuerat consilium, vel ab accusatore aliquo petitum videret, vel populo displicuisse evidentibus indiciis colligeret, in *altera* demum submisisse se ac tergiversatum esse? Hujus etenim rei fides sola nititur conjectura; sanæque critices legibus repugnat, ut conjecturis locus sit, quæ arbitrio fiant ad tuendam opinionem. Stock.

LIBANII ARGUMENTUM IN OLYNTHIACAM PRIMAM (SECUNDAM).

Admiserant legationem Olynthiorum Athenienses, et auxilia eis decreverant: sed expeditionem differentes eos, ac Philippum tanquam difficilem expugnatu reformidantes, Demosthenes progressus confirmare studet; atque ostendit, quam infirmæ sint opes Macedonis: nam et sociis eum suspectum esse ait, et suis viribus parum valere, cum Macedones per se infirmi sint.

DEMOSTHENIS

OLYNTHIACA I (II).

1. Cum multis ex rebus, Athenienses, perspici mihi posse videtur deorum immortalium benevolentia declarata erga *hanc* rempublicam, tum vero maxime ex præsenti rerum statu: quod enim hostes Philippi exstiterint ii, qui et finitimam ei regionem tenent et potentia nonnulla præditi sunt, et quod omnium maximum est, de hoc bello ita sentiunt, ut omnem quæ cum illo fiat reconciliationem, primum infidam, deinde patriæ suæ eversionem esse putent, admirabile quoddam ac divinum prorsus beneficium esse videtur. Illud igitur jam providendum erit, Athenienses, ne ipsi de nobis pejus mereri, quam fortuna, videamur; nam turpe, imo potius omnium turpissimum fuerit, non modo urbes et loca, quæ aliquando tenuimus, palam abjicere, verum etiam a fortuna comparatos et socios et occasiones.

2. Ac Philippi quidem vires recensere, Athenienses, et ejusmodi oratione ad officium faciendum vos exhortari, non consultum esse existimo. Quamobrem? quia quicquid ea de re dixeris, id, ut ei aliquid afferre laudis, sic nobis res non præclare administratas exprobrare videtur. Quo enim is plura supra dignitatem suam gessit, eo admirabilior apud omnes habetur: vos, quanto deterius quam decuerat usi rebus estis, tanto majorem ignominiam suscepistis. Hæc igitur omittam. Etenim si quis vere consideret, Athenienses, hinc eum videat magnum esse factum, non a semetipso: proinde quas ille res acceptas iis referre debeat, qui ex ejus commodo rempublicam administrarunt, et quarum vos pœnas oporteat sumere, nunc non esse video narrandi locum. Quæ autem etiam præter hæc licet et vobis omnibus utilissimum sit audire, et magno, Athenienses, illi esse probro videantur, si qui recte æstimare velint, ea dicere conabor.

3. Eum igitur perjurum et perfidum vocare, sine demonstratione facinorum, convicium esse inane quivis jure dicat: quæ autem un-

quam gessit, ea recenseri ac coargui omnia, orationem non longam postulare, et mihi quidem duabus de causis utilia esse dictu videntur; tum ut illum, id quod res est, improbum esse constet, tum ut qui Philippi timore attoniti sunt, quasi is superari non possit, videant eum percurrisse omnia, quibus dudum homines ludificatus in hanc magnitudinem excrevit, et ad ipsum accedere finem res ejus. Equidem, Athenienses, valde ducerem et ipse formidabilem esse et admirabilem Philippum, si honestis eum crevisse rationibus viderem: nunc vero, cum rem diligenter considero, reperio *eum* nostram primo simplicitatem, quo tempore Olynthios quidam hinc repulerunt cupidos nobiscum communicandi, cum se Amphipolim nobis traditurum diceret et arcanum illud quod aliquando jactabatur subdole contexeret, ita pellexisse: Olynthiorum deinde amicitiam *sibi adjunxisse* expugnanda Potidæa, nostro oppido, et ereptam nobis prioribus sociis per injuriam, illis tradendo: Thessalos nunc postremo *sibi conciliasse* promittendo se eis Magnesiam traditurum, et recipiendo se Phocense bellum pro eis gesturum. Denique nemo est eorum qui ipso usi sunt, quem non deceperit: his enim artibus crevit, ut semper eorum a quibus ignoraretur imprudentiam circumveniret atque adscisceret. Ut igitur per hos alte ascendit, dum quisque aliquo se ab eo beneficio affectum iri putabat, sic per eosdem hosce etiam dejici rursus eum oportet, postquam compertum est eum ad suam utilitatem referre omnia.

4. In eo igitur loco res Philippi nunc sunt, Athenienses: aut prodeat aliquis, et mihi, ac potius vobis, ostendat vel hæc a me non vere dici, vel qui ante decepti sunt de reliquo ei fidem habituros, vel contra ipsorum dignitatem servitute oppressos Thessalos nunc non teneri desiderio recuperandæ libertatis. Quod si quis vestrum hæc quidem ita esse ducit, sed eum vi retenturum imperium opinatur, quod loca et portus et alia ejus generis præoccuparit, non recte opinatur. Cum enim benevolentia res componantur et omnibus belli sociis eadem expediant, *tum* et conferre operam et ferre ærumnas et perseverare volunt homines: si quis autem per avaritiam et improbitatem, ut ille, fit potens, prima quæque occasio et levis offensio omnia jam excussit et dissolvit. Non enim fieri, non fieri potest, Athenienses, ut per injurias et perjuria et mendacia stabilem quis potentiam comparet, sed talia quidem semel et ad breve tempus consistunt, et magnopere fortasse spe efflorescunt, tempore autem furtim subruuntur et ad primordia sua recidunt. Nam mea quidem sententia, ut ædium et navis et aliarum rerum ejus generis infimas partes firmissimas esse oportet, sic etiam actionum principia et fundamenta vera et justa esse convenit. Id vero non inest nunc in rebus a Philippo gestis.

5. Itaque censeo a vobis opem ferendam esse Olynthiis, ac quo pulcrius et celerius quis fieri jusserit, eo magis mihi probabitur: et ad Thessalos legationem mittendam, quæ alios hæc edoceat, alios exhortetur: nunc enim Pagasas reposcere et de Magnesia cum eo agere decreverunt. Illud tamen providete, Athenienses, ne verba duntaxat afferant legati nostri, sed ut opus aliquid ostendere possint, profectis nobis pro dignitate civitatis *ad bellum* et ipsa re suscepta, nam cum omnis oratio, si res absint, frivolum quiddam habeatur et inane, tum vero maxime ea quæ a nostra urbe proficiscitur: quanto enim promptius ea uti videmur, eo magis ei diffidunt omnes.

6. Ostendenda igitur est insignis conversio et magna mutatio, conferendo *tributa*, militando, omnia alacriter gerendo, si modo quisquam vobis fidem est habiturus. Quæ si voletis ut convenit et oportet absolvere, non solum, Athenienses, fœderatos infirmos et infidos apparebit esse Philippo, sed etiam domesticum ejus imperium et copias laborare deprehendetur. Omnino enim Macedonica potentia et imperium, additamenti quidem vice, non parvum quiddam est, cujusmodi vobis aliquando fuit, imperatore Timotheo, contra Olynthios: atque iterum contra Potidæam Olynthiis visum est esse aliquid utrumque conjunctum: nunc Thessalos laborantes ac dissentientes et conturbatos idem contra tyrannicam *Alcuadarum* familiam adjuvit. Quin ubicunque aliquis, opinor, vel parvas adjecerit vires, summæ rei prodest. Ipsum vero per se infirmum ac multis malis est refertum. Etenim iste his rebus omnibus, ob quas magnum eum putes, bellis et expeditionibus, ruinosius etiam id, quam suapte natura fuerat, sibimet effecit. Neque enim putetis, Athenienses, iisdem delectari rebus et Philippum et populum ejus, ille enim gloriam appetit, eamque rem sectatur, atque instituit gerendis rebus et periculis adeundis nullum casum recusare, et hanc opinionem, ut ea perfecisse dicatur quæ nullus alius Macedonum rex, vitæ securitati anteponit: ad hos vero illarum rerum gloria nihil attinet, quin assiduis illis sursum deorsum expeditionibus attriti molestia afficiuntur et perpetuis ærumnis vexantur, ut qui nec operibus incumbere nec facultatibus suis frui permittantur, nec partam quomodocunque prædam addicere possint, clausis propter bellum Macedonicis emporiis.

7. Quomodo igitur vulgus Macedonum erga Philippum sit affectum, ex his facile intelligitur: qui autem cum eo versantur peregrini milites et phalangitæ, opinionem illi quidem excitarunt, se admirandos esse ac strenuos bellatores, sed ut ego e quodam in Macedonia nato audivi, optimæ fidei viro, nihilo sunt aliis præstantiores. Nam si quis inter illos vir sit rei militaris et certaminum peritus, eos omnes inquit istum cupiditate gloriæ a se dimovere, cum omnia velit facinora videri sua esse—præter enim cætera et ambitionem hominis esse immensam—: si quis autem modestus aut alioqui vir bonus, quotidianam vitæ intemperantiam et ebrietatem et saltationes obscœnas ferre nequeat, eum negligi et nullo esse numero. Reliquos autem quibus familiariter utatur latrones esse et adulatores et ejusmodi homines, qui inebriati tales saltare saltationes non recusent, quales ego nunc apud vos dicere vereor. Perspicuum autem est, hæc esse vera: etenim quos hinc omnes expellebant, ut multo præstigiatoribus nequiores, Calliam istum *ministrum* publicum et ejus generis homines, qui ridiculis de rebus mimos agunt obscœnasque cantilenas in sodales suos componunt, ridendi causa, hos amat et secum habet. Quæ, tametsi parva quis existimet, magna sunt tamen, Athenienses, indicia, si quis vere cogitet, illius ingenii et miseriæ. Verum hæc nunc ejus successibus obscurantur; quandoquidem res secundæ magnam vim habent ad occultanda et obumbranda talia probra: at si paulum impegerit, tum in omnem ejus vitam et fortunas inquiretur. Id quod ipse, mea quidem opinione, videtur, Athenienses, brevi ostensurus, si et dii annuent et vos voletis. Ut enim in corporibus nostris, dum valeas, nullum adeo sensum doloris afferunt singulæ partes labefactæ, sin in morbum incideris, omnia moventur, sive ruptum sit sive luxatum sive quid aliud vitiatum, sic et civitatum et tyrannorum, dum foris bella gerunt, obscura vulgo mala sunt, quando autem finitimum bellum conseritur, omnia elucescunt.

8. Si quis autem vestrum, Athenienses, eo difficilem esse oppugnatu Philippum existimet, quod fortunatum esse videat, utitur is quidem sobrii hominis cogitatione; nam multum in fortuna momenti est, ac ea potius sola in omnibus mortalium rebus dominatur: ego tamen, si optio mihi detur, nostræ urbis fortunam, modo vos ipsi vel paululum officio fungi velletis, illius fortunæ anteferrem; multo enim plures vobis causas ad divinam benevolentiam obtinendam inesse video, quam illi. Verum sedemus, ut opinor, otiosi: non potest autem, qui piger est, ne amicis quidem mandare ut aliquid sui causa faciant, nedum sane diis. Non igitur est mirandum, si ille, cum ipse militet et laboret, et omnibus rebus intersit, et nullam vel occasionem vel horam prætermittat, nos cunctantes et decreta facientes et *quid novi sit* sciscitantes superet. Ego quidem hoc non miror: contrarium potius admiratione dignum esset, si nihil agendo nos, quod bellum gerentibus convenit, eum qui ubique officio fungitur, vinceremus. Illud autem demiror, quod cum olim vos Lacedæmoniis, Athenienses, pro *communi* Græcorum jure restiteritis, et multa sæpe privata emolumenta quæ arripere licuit sitis aspernati, utque alii jus suum obtinerent, vestras opes impenderitis tributum conferendo et pericula pro aliis adieritis militando, nunc

contra dubitetis exire et segniter conferatis pro ipsis vestris possessionibus: et cum sæpe alios servaveritis, qua universos, qua singulos, vestris amissis opibus desideatis. Hæc miror: atque illud etiam, si vestrum nemo reputare possit, Athenienses, quanto jam tempore cum Philippo bellum geratis, quidque vobis facientibus omne id tempus præterierit. Nostis enim hoc scilicet, cessantibus vobismetipsis, alios quosdam rem gesturos sperantibus, aliis alios culpantibus, in judicium vocantibus, rursus sperantibus, eadem fere quæ nunc agentibus, universum tempus abiisse. Deinde adeone desipitis, Athenienses, ut quibus rationibus e secundis adversæ res factæ sunt civitatis, iis ipsis speretis eas ex adversis fore secundas? At neque rationi consentaneum neque naturæ hoc est; multo enim facilius adepta servantur omnia, quam comparantur: et nunc quidem possessionum veterum quod tueamur, nihil a bello est reliquum, sed de integro parandæ sunt: nostrum igitur ipsorum id jam officium est.

9. Quare suadeo, ut pecuniam conferatis, ipsi militetis alacriter, neminem culpetis priusquam rerum compotes sitis, ut tum ab ipsis rebus gestis facto judicio, et laude dignos honoribus, et maleficos pœnis afficiatis, causasque omnes *negligentiæ* præcidatis et vestrum ipsorum omissiones: neque enim fas est in aliorum facta acerbe inquirere, nisi a vobis imprimis suppetant omnia quæ oportet. Quid enim causæ putatis esse, Athenienses, cur fugiant quidem hoc bellum omnes quos mittitis imperatores, privatim autem exquirant bella, si quod res est etiam de ducibus est dicendum? quod hic præmia, de quibus bellum geritur, vestra sunt; Amphipolis si capta fuerit, vos eam e vestigio recipietis: pericula autem sunt imperatorum privata, merces nulla: illic, ut pericula minora, sic emolumenta ducum sunt et militum, Lampsacus, Sigeum, navigia quæ spoliarint. Id igitur quique sequuntur, quod e re sua est. Vos autem, cum in res intuemini parum prosperas, præfectos in judicium arcessitis: ubi vero facta dicendi potestate necessitates illas audieritis, reos dimittitis. Vobis igitur id est reliquum, ut inter vos litigetis et dissideatis, aliis aliud sentientibus, respublica vero male habeat. Olim enim, Athenienses, tributa conferebatis per classes, nunc rempublicam geritis per classes. Orator utrarumque dux est, et imperator illi subjectus, et trecenti, qui suffragentur: reliqui attributi estis, partim his, partim illis. His igitur nunc saltem relictis vobisque ad vosmetipsos redeuntibus, tum dicendi, tum consultandi, tum agendi *munus* commune faciendum est. Sin aliquibus, tanquam regnum possideant, imperandi vobis licentiam permiseritis, aliis instruendarum triremium, *tributi* conferendi, militandi necessitatem imponetis, aliis *id negotii dabitis* ut contra hos decreta duntaxat faciant aliaque re nulla operam navent, nihil quod usus postulat

unquam tempestive geretur: semper enim ea pars quæ affecta fuerit injuria cessabit, itaque demum vobis supererit, ut eos relictis hostibus puniatis.

10. Quamobrem in summa jubeo, ut omnes, pro suis quisque facultatibus, conferatis: ut omnes exeatis per vices, donec omnes militaveritis: ut omnibus iis qui suggestum conscendunt dicendi potestatem detis, et ex auditis optima amplectamini, non ea quæ hic vel ille dixerit. Quæ si feceritis, non oratorem duntaxat in præsentia laudabitis, sed et postea vosmetipsos, rebus universis meliori loco, *quam quo nunc sunt*, constitutis.

AUGERI
ANALYSIS
OLYNTHIACÆ SECUNDÆ (TERTIÆ).

Propositum idem est ac præcedentis.

Exordium.

STATUIT orator multos errasse in deliberando, nec verum deprehendisse deliberationis argumentum; tempora ejusmodi esse quæ magnam sollicitudinem et prudentiam requirant; esse tamen difficilius quo pacto dicendum quam quid dicendum sit; se liberius verba facturum, et quam ob causam.

Confirmatio.

1°. In memoriam Atheniensibus revocat oblatam occasionem aliquam quam imprudenter neglexerunt, et ideo revocat ut eam quæ nunc offertur non negligant.

2°. Declarat quanti momenti sit Olynthiorum societas, et quam ardenter illam optaverint Athenienses: sed ipsos debere strenue et fortiter illis opitulari, quia ignava rerum cessatio, et probrosa in præsens, et in futurum detrimentosa foret.

3°. Contendit abolendas esse ante omnia leges quæ nocent, tum de theatrali pecunia, tum de bellica re, et tunc quærendum aliquem qui optima suadeat: contendit etiam decreta esse vana et supervacanea, nisi alacriter agendi studium accesserit.

4°. Suos hortatur vivide ut occasionem hanc tandem amplectantur ac Philippum naviter impugnent, omissa prava consuetudine eos accusandi qui suaserunt: ostendit quam sit iniquum eum persequi qui utilia suasit, non jucunda. Redit ad theatralem pecuniam, eamque rem concludit dicendo non committendum esse ut stipendii inopia civitas Atheniensis opprobrium in se admittat.

5°. Priscos illos oratores, qui caritatem reipublicæ suavitati orationis anteponebant, confert cum iis qui nunc existunt, cum istis plebis assentatoribus.

6°. Ab oratoribus reipublicæ ad ipsos Athenienses transit, ostenditque paulo fusius quantum majores Atheniensium et patres ipsis antecellerent, tum in rebus Græcanicis, tum in urbe ipsa privatim et publice. Maximæ hujus majorum et patrum ac posterorum discrepantiæ causas effert cum vehementi spiritu.

7°. Concludit totam orationem, audientibus suadendo et optando ut, omissis pravis moribus neglectisque miseris lucellis, tandem agant pro dignitate reipublicæ; ut quisque saltem pecuniam ideo tantum accipiat ut pro sua parte utilem se præstet civitati; denique ut ex eis quæ dicta erunt ea sequantur quæ omnibus sunt profutura.

ARGUMENTUM
OLYNTHIACÆ SECUNDÆ (TERTIÆ)
EX
TOURELLIO.

SUPERIORIS orationis is fuerat eventus, ut Demosthenis, valde licet adversante Demade, sententia vicerit. Itaque ad Olynthios defendendos, (quibus, quum tanta eos premeret necessitas, quæ ad universam item Græciam spectabat, a nemine alio auxilium fuit) triginta triremes, militumque duo millia, Charete duce, miserant Athenienses. Hæc vero subsidia neque Philippi progressum impedire, nec eum a consiliis initis poterant divertere. Itaque in Chalcidem profectus, plurima ibi loca occupat, Zeiram castellum expugnatum diruit, omnibusque per totam istam regionem magnum sui terrorem injicit. Olynthii igitur, quippe qui maxime peterentur, quibusque gravissimæ ab eo calamitates imminerent, Athenas iterum mittunt, qui nova illinc subsidia implorent. Demosthenes eorum postulato strenue patrocinatur, evincitque debere Athenienses, cum gloriæ, tum utilitatis causa, ratum probatumque id habere. In eo maxime hærebat res, quod ad sumptus suppeditandos pertinebat: quare Orator vehementer invehit in perniciosum istum morem militaris pecuniæ in ludos publicos insumendæ. Ad textum recte intelligendum necesse est, ut res altius repetatur. Igitur sciendum est, eodem ardore Athenienses, quo Græcis naturale erat spectacula omnis generis appetere, ad theatrum confluxisse; nec raro ad plagas etiam et verbera devenisse, modo ut locum alterius occuparent, modo ut tuerentur suum. Magistratus, huic malo remedium adhibere quum studerent, ut venalia in posterum essent loca edixere, utque duos quisque obolos theatri architecto penderet, ad præstandam ei pecuniam quam in antecessum erogaverat: custodes etiam portæ ut ponerentur curabant, ita ut plures non intrarent quam quos facile capere posset amphitheatrum. Qui primi venerint, iis quocunque vellent licitum est considere. Itaque sola ipsorum diligentia quo sederent ordine præfinivit; quique uno die repulsi fuerant, se postero die spectandi spe consolabantur. Quum vero, ex eo quod venalia essent loca, pauperiores cives oppressi viderentur, omnem iis querelæ aut invidiæ causam præripere studebant: atqui id cum ærarii damno factum est, quod cum commune esset omnium, ut eum cum pauperibus tum divitibus sumptum suppeditaret constitutum est. Insana hæc prodigentia aliis corruptelis viam patefecit, moremque introduxit variis publicos reditus prætextibus dissipandi. Exinde evenit, ut Athenienses, voluptatibus dediti, ad militiæ labores perferendos prorsus remollescerent; etiamque peregrinis militibus, ex quibus eorum exercitus conflatus erat, stipendia præbere parum curarent. Eubulus, princeps ejus factionis quæ Demostheni adversabatur, quo populi captaret benevolentiam, istam duorum obolorum de publico solutionem perpetuam esse voluit, legemque sanxit, quæ capitalem ei pœnam minitabatur, qui auctor esset ut illud a populo beneficium detraheretur. Demosthenes huic legi abrogandæ instat, quippe quæ gravamini sit optimis civibus, quos propter eam necesse est, aut fideli consilio dando sui capitis periculum adire, aut timida reticentia patriæ suæ perituræ turpiter deesse. Quod superest orationis, explicatione haud indiget.

LIBANII ARGUMENTUM IN OLYNTHIACAM SECUNDAM (TERTIAM.)

Athenienses Olynthiis auxilia miserant, quibus aliquid profecisse videbantur. Quod cum eis nunciaretur, et populus gaudio exsultabat, et oratores ad Philippum ulciscendum hortabantur. Demosthenes autem veritus ne fiducia pleni, ut qui vicissent omnia, et auxilia satis magna misissent Olynthiis, reliqua negligerent, ea de causa progressus, eorum arrogantiam retundit, et ad modestam cautionem animos traducit: quod non de Philippi ultione nunc eis deliberandum sit, sed de salute sociorum. Sciebat enim et Athenienses, et alios fortasse nonnullos, sua quidem retinendi curam suscipere velle, de ulciscendis autem adversariis minus laborare.

In hac oratione illud etiam consilium de theatrali pecunia attingit apertius, et leges postulat abrogari, quæ mulctam imponant iis, qui decernerent ut ea fieret militaris; quo suadere optima liceat. Monet eos denique, ut ad majorum æmulationem excitentur, et ipsi cives militent; graviterque objurgat et populum, eo tempore remollescentem atque effeminatum, et magistratus, ut qui non recte præsint reipublicæ.

DEMOSTHENIS

OLYNTHIACA III (II).

1. Non idem statuere possum, Athenienses, cum in res intueor et in orationes quas audio: nam orationes quidem de ulciscendo Philippo haberi, res autem eo progressas video, ut ne ipsi prius infortunium feramus sit providendum. Quamobrem nihil aliud nisi errare mihi videntur ii, qui ista dicunt, cum argumentum tractent prorsus ab hac vestra deliberatione alienum. Ego vero aliquando licuisse civitati et sua tenere tuto et Philippum ulcisci, præclare novi; mea enim ætate, non olim contigerunt hæc utraque: nunc autem sic arbitror, satis esse nobis, si hoc primum anteverterimus, ut socios conservemus. Horum enim salus si in tuto collocata fuerit, tum et qua ratione illum ulcisci possitis, dispicere licebit: antequam autem principium recte constituatur, supervacaneum esse duco de fine ullum facere sermonem.

2. Ac tempora quidem hæc, Athenienses, si unquam, [nunc] in primis magnam solicitudinem et prudentiam requirunt. Ego vero, non quid in hisce rebus suadendum sit, difficillimum esse duco, sed illud dubito, quo sit pacto, Athenienses, apud vos de eis dicendum. Persuasum enim habeo ex iis quæ coram audivi et intellexi, pleraque vobis effluxisse negotia, eo quod nolitis officio fungi, non quod nesciatis. Quare peto a vobis, ut me, si paulo liberius verba fecero, feratis, et id spectetis, an vera dicam, eaque de causa, ut reliqua fiant meliora; videtis enim ex eo quod quidam ad gratiam conciones habent, res nostras in omnem progressas esse calamitatem. Necessarium autem existimo, pauca vobis ex iis quæ facta sunt in memoriam revocare.

3. Meministis, Athenienses, nuntiatum fuisse vobis Philippum in Thracia, tertio aut quarto abhinc anno, Heræum oppidum obsidere, tunc igitur mensis erat November, et multis verbis et tumultu facto apud vos, decrevistis ut quadraginta triremes deducerentur, utque qui infra annum ætatis essent quintum et quadragesimum, *eas* ipsi conscenderent, utque talenta sexaginta conferrentur. Post, eo anno elapso, Quintilis, Sextilis, September *erat*. Eo vix tandem mense, confectis mysteriis, Charidemum cum decem navibus vacuis ablegastis et quinque talentis argenti: ut enim nuntiatum fuit, Philippum ægrotare et esse mortuum—nam uterque rumor afferebatur—, nihil jam opus esse auxilio rati, omisistis, Athenienses, expeditionem. Erat autem ea ipsa occasio; nam si tunc illo auxilia misissemus, ut decreveramus, alacriter, non molestus nobis nunc esset Philippus, tum conservatus.

4. Quæ igitur tum facta sunt, ea infecta fieri non possunt: nunc autem alterius belli offertur occasio ea ista, propter quam et harum rerum mentionem feci, ne eadem vobis usu veniant. Quomodo igitur ea utemur, Athenienses? Nisi enim omni robore, quantum potestis, *Olynthiis* opem tuleritis, spectate, ut a vobis omnia ex Philippi commodo, quasi ejus duces essetis, administrata erunt. Ii erant Olynthii quorum aliquæ vires essent, et ita se res habebant: neque Philippus his, neque hi Philippo confidebant. Fecimus nos et illi pacem inter nos: erat id tanquam impedimentum quoddam Philippo et incommodum, urbem magnam velut in statione *positam* invigilare ipsius occasionibus, nobis reconciliatam. Concitandos in eum homines omnibus modis existimavimus: et quod omnes tum dictitabant, id nunc perfectum est quomodocunque. Quid ergo supersit, Athenienses, nisi ut opitulemini fortiter et strenue? Equidem non video: præter enim eam quam caperemus ignominiam, si e rebus aliquid per ignaviam prodimus, non parum etiam ea quæ secutura sunt metuenda esse video, dum quidem et Thebani ita erga nos animati sunt, ut sunt, et Phocenses pecunia destituuntur, et Philippum, ubi ea quæ nunc agit expedierit, nihil futurum sit quod impediat, quo minus ad hæc se negotia convertat. Verum si quis vestrum eo usque cessare in officio instituit, is prope se videre vult calamitates, cum liceret eas, aliis in locis ortas, procul audire, et quærere sibi adjutores, cum nunc ipsi liceret alios adjuvare: huc enim tandem rem perventuram, si hæc neglexerimus, fere omnes utique scimus.

5. At auxilium esse ferendum, dixerit aliquis, omnes statuimus, et feremus: quomodo autem *ferendum sit*, id dicito. Nolite ergo mirari, Athenienses, si quid exponam, quod plerisque novum videatur.

Nomothetas constituite. His autem Nomothetis nullam sancite legem—sunt enim vobis satis multæ—, sed eas quæ vos in præsentia lædunt abrogate, istas autem dico, *et* non dissimulanter *dico*, quæ sunt de theatrali pecunia, et de his qui merent nonnullas, quarum illæ militarem pecuniam iis qui domi manent ad spectacula distribuunt, hæ vero eos qui militiam detrectant indemnes constituunt, exinde etiam eos qui officio fungi volunt minus animatos reddunt. Postquam vero hæc sustuleritis et viam optima consulendi tutam præbueritis, tum qui ea scribat, quæ omnes e republica esse scitis, quæritote. Priusquam autem hæc acta sint, ne circumspiciatis, quisnam, dum vobis optime consulat, a vobis interire velit: neminem enim reperietis, præsertim, cum id unum ex eo futurum sit, ut et qui ea dixerit ac scripserit, per injuriam mulctetur, nec rebus quicquam consulatur, sed optima suadendi studium magis etiam in posterum quam nunc est reddatur periculosum. Ac postulandum est, Athenienses, ut eas leges abrogent isti ipsi, qui tulerunt: non enim æquum est gratia, quæ totam civitatem læsit, illos frui, qui tum tulerunt, odium autem, per quod cum omnibus nobis melius ageretur, ei qui nunc optima suaserit, esse fraudi. Priusquam autem hæc rite comparata fuerint, nequaquam, Athenienses, apud vos quenquam reputetis esse tantum, ut hisce legibus a se violatis pœnas non det, aut adeo vecordem, ut in evidens malum semetipsum conjiciat.

6. Quin nec illud vobis ignorandum est, Athenienses, decreta nullius esse momenti, nisi et hoc accesserit, ut ea quæ decernantur vos alacriter facere studeatis. Nam si eam vim decreta per se haberent, ut aut vos ad officium faciendum compellere, aut ea quæ continent perficere possent, neque vos multa decernendo, pauca, vel potius nihil effecissetis, neque Philippus tam diu se insolenter gessisset: neque enim per decreta quidem stetisset, quo minus olim pœnas dedisset. Sed hæc non ita se habent: agere enim, ut ordine posterius quam orationes habere aut suffragia ferre, ita vi prius est et potius. Hoc igitur adjungendum est, reliqua præsto sunt: nam qui prudenter dicere possint sunt apud vos, Athenienses, vosque omnium acutissimi estis ad ea quæ dicuntur percipienda, quin et *eadem* exsequi nunc poteritis, si recte facietis. Quod enim tempus quamve occasionem, Athenienses, meliorem hac quæritis? aut quando ea quæ fieri debent agetis, si nunc non agetis? Nonne omnia vobis homo loca præripuit, et si hac etiam regione potietur, *nonne* omnium turpissima passuri sumus? Nonne quibus, si bellum gererent, strenue nos opitulaturos spospondimus, hi nunc bello petuntur? Nonne hostis est? non nostra tenet? non barbarus? quid non denique? Sed, deum immortalem! si hæc omnia reliquerimus et ei tantum non ad ea *obtinenda* operam navaverimus, tum auctores harum rerum, qui sint, quæremus? Neque enim nos in causa esse fatebimur, satis

hoc ego scio. Nam neque in præliorum discrimine eorum qui fugerunt quisque semetipsum incusat, sed ducem, commilitones, quosvis denique potius, victi sunt tamen propter singulorum simul militum fugam scilicet: manere quippe poterat is qui alios accusat, quod si hoc facerent singuli, vicissent. Ita nunc non suadet aliquis optima? surgat alius et sententiam dicat, non illum criminetur. Alius quispiam meliora dicit? ea facite, diis approbantibus. At ea jucunda non sunt? nulla hæc dicentis culpa est, nisi cum vota essent facienda non fecerit. Vota quidem facere, in unum omnia, quæ optarit aliquis, brevi colligentem, facile est, Athenienses: at *optimam sententiam* eligere, cum de negotiis consultatio instituitur, non æque promptum est, sed utilissima jucundissimis, si utraque *obtineri* nequeunt, sunt præferenda.

7. At si quis theatralem pecuniam nobis relinquere possit et alios sumptus ostendere militares, nonne is potior? dixerit aliquis. Assentior equidem, si quis sit *qui hoc fecerit*, Athenienses: sed miror, an cuiquam hoc homini aut evenerit aut eventurum sit, cum ea quæ habet in res supervacaneas insumpserit, ut iis quæ non habet ad res necessarias abundet. Sed magnum, opinor, istiusmodi rationibus affert momentum propria cujusque voluntas, unde omnium est facillimum seipsum decipere: quod enim quisque vult, id etiam sibi fingit, rerum autem natura sæpenumero alia est.

8. Ista igitur ita considerate, Athenienses, ut et res patiuntur, tum et militare poteritis et stipendium habebitis. Non sane prudentium neque generosorum hominum est, omissis ob pecuniæ inopiam militaribus officiis hujusmodi dedecora facile perpeti, aut contra Corinthios quidem et Megarenses arreptis armis proficisci, Philippum autem Græciæ civitates pati in servitutem redigere propter inopiam commeatus quo exercitus sustentetur. Atque hæc non temere dicere institui, ut quorundam e nobis odium suscipiam; neque enim ita demens aut *ingenii* infelix ego sum, ut cum nulla spe *publici* fructus mihi odium quæram: sed boni civis esse duco reipublicæ salutem orationis gratiæ anteponere. Nam qui majorum nostrorum temporibus *publice* dicebant, eos audio, quemadmodum fortasse vos etiam *accepistis*, quosque etiam omnes qui *nunc* conciones habent laudare, parum vero imitari solent, hac ratione et hoc instituto in republica gerenda uti solitos, Aristidem illum, Niciam, eum qui idem mecum nomen habuit, *et* Periclem. Ex quo autem exorti sunt *novi* isti oratores qui vos, quid cupitis? quid scribam? qua vobis in re gratificari possim? interrogant, præsentis gratiæ *causa* reipublicæ negotia *quasi* propinata *pereunt* et talia eveniunt, itaque istorum res omnes præclare se habent, vestræ turpiter.

9. Atqui considerate, Athenienses, quæ capita rerum et a majoribus vestris et a vobis gestarum quivis commemorare possit. Bre-

vis autem erit et nota vobis oratio: non enim alienis vos utentes exemplis, sed domesticis, Athenienses, felices fieri licet. Illi igitur, quibus non adulabantur oratores, quos non ita suaviter tractabant ut vos isti nunc, quinque et quadraginta annos Græcis volentibus imperarunt, amplius decies mille talenta in arcem retulerunt, et regem hujusce Macedoniæ dicto audientem habuerunt, sicut æquum est parere Græcis barbarum, multa autem præclaraque tropæa terra marique parta erexerunt, cum ipsi militarent, et soli mortalium rerum gestarum gloriam invidia majorem reliquerunt. In rebus igitur Græcanicis tales fuerunt: domi vero, cum publice, tum privatim, spectate quales. Publice igitur ædificia et ornamenta talia et tanta instruxere nobis fanorum et quæ his continentur donariorum, ut a posteris superari nequeat illorum excellentia; privatim autem adeo modesti fuerunt tantaque cura institutum reipublicæ observarunt, ut si quis forte vestrum Aristidis et Miltiadis et illius ætatis illustrium hominum ædes novit quæ sint, vicini ædibus nihilo esse splendidiores videat: neque enim rei familiaris amplificandæ gratia rempublicam gerebant, sed quisque sibi rem communem augendam esse putabat. Ex eo autem quod res Græcorum fideliter, religionem deorum immortalium pie, commercia inter ipsos æquabiliter administrarent, non injuria magnam sibi felicitatem pepererunt. Tunc igitur ad hunc modum, dum illi quos dixi summæ reipublicæ præerant, se res habuerunt: nunc, dum boni isti præsunt, quis rerum vestrarum status est? an similis est aut prope attingit? Ac cætera quidem taceo, cum multa proferre possim: sed quanquam in tantam incidimus solitudinem quantam videtis omnes, cum et Lacedæmonii perierint, et Thebani occupati sint, et cæterorum nemo tantas vires habeat ut vobiscum de principatu contendere ausit, cumque nobis liceret et privata nostra sine periculo tenere et reliquorum controversias disceptare, tamen nostris agris spoliati sumus, et plusquam mille et quingenta talenta nullo cum fructu insumpsimus, et quos in bello socios paravimus, hos pacis tempore isti amiserunt *oratores*, et hostem contra nosmetipsos tantum instruximus. Alioqui progrediatur aliquis et mihi dicat, unde nisi per nosmetipsos ita sint auctæ opes Philippi? Sed heus tu, si vitiosa hæc sunt, at urbanarum rerum status est melior. Ecquid tandem dici queat? an pinnæ murorum quas dealbamus, viæ quas reficimus, et fontes et nugæ? Eos quæso intuemini quorum hæc acta sunt in republica, quorum alii e mendicis facti sunt divites, alii ex obscuris clari, nonnulli privatas ædes publicis ædificiis splendidiores exstruxerunt: et quanto res civitatis angustiores factæ sunt, tanto istorum ampliores. Quæ igitur causa est horum omnium, et cur tandem se omnia tum præclare habuerunt et nunc haud recte? Primum quod et populus, cum ipse militare auderet, dominus erat magistratuum omnesque reipublicæ facultates in sua potestate habebat, et bene secum agi putabant cæteri omnes, si a populo aut honorem aut magistratum aut beneficium aliquod consecuti essent: nunc contra omnes reipublicæ facultates penes sunt magistratus, eorumque arbitrio geruntur omnia, vos populus, enervati ac pecunia et sociis spoliati, famuli et additamenti vicem obtinetis, contenti si theatrales pecunias vobis impertiant isti aut viscerationes forte miserint, et quod omnium abjectissimum *est*, propter ea quæ vestra sunt gratiam etiam habetis. Qui vero vos in hanc urbem *tanquam carcerem* inclusere, ad talia vos alliciunt et cicurant ut vos ad nutum paratos habeant. Fieri vero, mea quidem sententia, nequaquam potest, ut magnum aliquid generosumve sentiant ii qui parvis ac vilibus rebus occupantur: nam qualiacunque hominum studia fuerint, talibus eos et animis esse præditos necesse est. Hæc medius fidius haud mirabor, si mihi qui dixerim plus apud vos nocuerint, quam ipsis harum rerum auctoribus: neque enim semper apud vos omnibus de rebus libere loqui licet, idque ego vel nunc licuisse miror.

10. Quod si nunc saltem moribus istis relictis militare et ut vestra dignitas postulat rem gerere volueritis, atque harum domesticarum opum redundantia velut instrumento utemini ad externa bona *comparanda*, fortassis, Athenienses, fortassis perfectum aliquod et magnum bonum consequemini, talibus lucellis repudiatis, quæ cum cibis quos dant ægrotis medici conferri possunt. Etenim *ut* illi neque vires afferunt neque emori patiuntur, *sic* et ista, quæ vos nunc percipitis, neque tanta sunt ut satis magnam secum commoditatem trahant, neque vos iis despectis ad alia converti patiuntur, sed alimenta sunt vestrum omnium socordiæ. Tune ergo mercede militandum censes? inquiet aliquis. *Sane:* et e vestigio eandem esse ordinationem omnium, Athenienses, ut emolumenta publica quisque accipiens, quodcunque civitati opus fuerit, ad id sit paratus. Licet agere otium? Domi commoratus meliori uteris conditione, necessitatis expers turpe aliquod ob inopiam admittendi. Incidit hujusmodi quippiam, quale nunc? His ipsis emolumentis *conductus*, ut æquum est pro patria, militabis. Estne vestrum aliquis extra ætatem *militarem?* Quæ is nunc extra ordinem capit, nihil rempublicam adjuvans, ea in æquabili ordine accipiat, omnia inspiciens et administrans quæ sunt agenda.

11. Ad summam, neque detrahens quicquam neque adjiciens præter pauca, confusione sublata, rempublicam in ordinem redegi, eodem accipiendi, militandi, judicandi, et id agendi quod pro ætate quisque potest quodque tempus postulat, ordine instituto. Nusquam ego dixi, nihil agentibus ea esse distribuenda quæ fungentibus officio debentur, neque ipsos desidere omnique consilio desti-

tutos otium agere, quodque alicujus *vestri imperatoris* peregrini milites vicerint, audire: hæc enim nunc fiunt. Neque reprehendo eos qui reipublicæ inserviunt, sed pro vobis ipsi ea debetis agere propter quæ alios honoratis, neque cedere statione virtutis, Athenienses, quam vobis majores multis et gloriosis laboribus partam reliquerunt. Fere dixi quæ conducere putem: vos autem ea amplectamini, quæ et reipublicæ et vobis universis profutura sunt.

⁂ Athenienses Charidemo (qui, licet alienigena esset, quippe Oreo Eubœæ oppido oriundus, eorum tamen exercitui in Hellesponto præfuit) mandarunt Chalcidi, qui pagus Thraciæ est, nec longe ab Olyntho distat, suppetias ferre. Is itaque quater mille pedites, equitesque centum et quinquaginta illo deduxit; iisque cum Olynthiorum copiis conjunctis, Pallenen, Macedoniæ peninsulam versus Thraciam, Bottiamque, regionem Chalcidi confinem, quæque inter alias urbes Pellam quoque regni Macedoniæ caput continebat, populatus est. TOURELL.

AUGERI

ANALYSIS

OLYNTHIACÆ TERTIÆ (PRIMÆ).

Propositum idem est ac duarum præcedentium.

Breve exordium.

DEMOSTHENES ab Atheniensibus petit ut ipsum et alios de negotio magni momenti locuturos attente audiant.

Confirmatio.

1°. Occasio præsens postulat ut decernantur jam auxilia, ut bellum apparetur quam celerrime, et mittantur legati qui hæc dicant et rebus intersint, quo nempe Philippo, viro callido et in rebus gerendis dexterrimo, obviam eatur.

2°. Quamvis Philippus multa habeat adjumenta ad res feliciter gerendas, multa etiam habet quæ ipsi noceant, prohibeantque ne cum ipso reconcilientur Olynthii, nimirum quod rex sit, et quod cum nonnullis qui suas ipsi urbes tradiderunt perfide egerit.

3°. Athenienses debent pecuniam eo libentius conferre et ipsi militare eo alacrius, quod sponte se offerat occasio quam ardenter optaverunt, nimirum Olynthii Philippo ita inimici facti ut amici jam fieri non possint.

4°. Audientes hortatur orator ne occasionem oblatam negligant. Nonnullas refert occasiones quæ præcesserunt, quibus neglectis Philippus validior factus fuit: quæ documento sunt ne hanc præsentem, præteritis moniti, velint omittere.

5°. Ipsos monet ut diis agant gratias ob accepta jam beneficia, et oblata nunc quæ ipsorum negligentiam compensent. Ab ipsis etiam atque etiam petit ut impressam ob res male administratas ignominiæ maculam eluant, ne si, destitutis Olynthiis, Olynthum everterit Philippus, nihil jam illum remoretur quominus eat quo velit.

6°. Vividis exponit coloribus quomodo ille rex magnus evaserit; unde periculum est ne tandem bellum ad Athenienses veniat, ipsisque, dum socordes erunt, et ille otio non poterit acquiescere, de suo ipsorum agro sit dimicandum.

7°. A vituperatione eorum quæ fiunt, transit ad sententiam libere et nulla sui habita ratione dandam de iis quæ fieri debent. Censet igitur mittendas esse copias quæ et Olynthios defendant et Philippi regnum devastent. Neutrum esse negligendum breviter demonstrat.

8°. De pecunia comparanda loquitur. Hic pauca prænotanda sunt. Athenienses decreverant in ærarium quotannis deferenda mille talenta, conflata præsertim ex pecuniis sociorum. Promulgata erat mortis pœna, si quis decerneret hanc pecuniam ad aliud insumendam quam ut hostes averterentur ab invadenda Attica. Sed mox Pericles aliique reipublicæ administri persuaserunt ut eadem hæc pecunia ad duos obolos plebi ali-

quoties dandos itemque ad ludorum sumptus impenderetur; eaque res pervenit ut in eum sanciretur pœna mortis, qui decreto hanc pecuniam ad priorem finem revocare tentaret. Periculosum igitur locum solerter tractat Demosthenes, civesque suos velit pecuniam vere militarem ad milites alendos insumere.

9°. Paulo fusius docet quid vitiorum nunc insit in Philippi rebus. Inde Atheniensibus suadet ut ullius incommoditatem ad suam ipsorum utilitatem convertant, et data rerum opportunitate utantur æque alacriter ac uteretur ipse Philippus si talis ipsi daretur opportunitas.

10°. Eo validius defendi debent Olynthii quod, si Olynthus restiterit, Athenienses res suas habebunt secure et regnum Philippi vastabunt; si vero capta fuerit et diruta, nihil prohibebit quominus ille Atticam invadat. Quid inde detrimenti ad Athenienses sit venturum declarat orator.

11°. Concludit, universis et singulis, tum divitibus, tum juvenibus, tum oratoribus, ad bellum pro sua virili parte acriter esse incumbendum.

Hæc oratio et duæ superiores dictæ sunt anno quarto olympiadis CVII, sub archonte Callimacho.

ARGUMENTUM

OLYNTHIACÆ TERTIÆ (PRIMÆ)

EX

TOURELLIO.

HÆC oratio, eodem quo duæ superiores titulo inscripta, in ejusdem etiam argumenti tractatione generaliter versatur. Olynthii, vehementer a Philippo pressi, quibusque ad illud usque tempus, conductitiis militibus, male ab Atheniensibus succursum fuerat, novas petebant copias, non ex mercenariis, sicuti antea, et peregrinis conflatas, verum ipsis Atheniensibus; qui sincero cum suæ gloriæ, tum communis causæ, studio animati sint. Ex hac occasione Demosthenes expendit, quanti iis momenti sit ut Olynthum incolumem servent, quippe quæ ultimum sit ipsarum Athenarum propugnaculum. Quoniam igitur vicini mali formido eorum aliquando industriam acuit, quibus ne maxima quidem pericula, modo sint longinqua, terrorem incutere possent; propterea Orator summa vocis contentione aquas clamat, tanquam ad restinguendum bellum, cujus jam per Atticam, atque circa ipsius caput scintillæ volitant. Deinde, quo certiorem adhuc expeditionis successum reddat, quam necesse sit ut militiæ munera per se obeant, ostendit: postremo ut indicet, qua certissime ratione in hujusce belli apparatum sumptus possint suppeditare, rursus iis de militari pecunia instat: ad eum vero modum, ex quo intelligatur, prioribus ipsius admonitionibus non eum, quem par erat, successum obtigisse. Athenienses, sub Charete duce, subsidio misêre septendecim triremes, cum bis mille peditibus, equitibus vero trecentis; iisque omnibus, sicuti Olynthii petierant, Atheniensibus.

LIBANII ARGUMENTUM IN OLYNTHIACAM TERTIAM (PRIMAM).

OLYNTHUS Thraciæ fuit urbs: eam Græci tenuerunt, oriundi Chalcide, quod est Eubœæ oppidum, Atheniensium colonia. Multa porro et præclara Olynthii bella gesserunt: Atheniensibus enim restiterunt olim, Græciæ principatum tenentibus, atque iterum Lacedæmoniis: et magnam tandem adepti potentiam, cognatis civitatibus præfuerunt: non parva enim in Thracia Chalcidicæ gentis multitudo fuit. Post, inita cum Philippo rege Macedoniæ societate, Olynthii cum eo primum Atheniensibus arma intulerunt: obque id Anthemunte oppido accepto, de quo inter Macedonas et ipsos contentio fuerat, itemque Potidæa, quam Philippus, expugnatam ereptamque Atheniensibus, Olynthiis tradiderat, tandem suspectum habere cœperunt regem, quod et magna ejus subitaque incrementa, et parum fidum esse ingenium viderent. Observato igitur tempore, quo is peregre abesset, missis legatis pacem cum Atheniensibus fecerunt, in quo ictum cum Philippo fœdus violarunt: pacti enim fuerant, se communiter bellum et gesturos cum Atheniensibus, et, si aliud visum esset, communiter compositaros. Philippus autem, jampridem causam contra eos quæritans, tum vero hanc nactus, bellum eis, ut fœdifragis, et cum hostibus suis amicitiæ fœdere conjunctis, infert.

Quare hi legatos Athenas mittunt ad petendum auxilium. Iis Demosthenes patrocinatur, et opem ferre jubet Olynthiis, quod in eorum salute sit posita securitas Atheniensium. Nunquam enim Philippum, salvis Olynthiis, in Atticam venturum: Athenienses autem facultatem habituros esse navigandi in Macedoniam, atque in ea gerendi belli: sin urbs hæc a Philippo subacta fuerit, apertam esse viam regi ad invadendos Athenienses. Negat autem Philippum tam superatu esse difficilem, quam putetur: ut animos contra eum faciat Atheniensibus.

Disserit etiam de pecunia publica; suadetque, ut a spectaculis ad militiæ usum transferatur. Ac morem, quo Athenienses quondam sunt usi, minus notum, explicari necesse est. Cum olim non saxeum esset apud eos theatrum, sed ex ligneis tabulis coassatum, omnesque locum occupare properarent, et verberibus, et vulneribus, etiam interdum, alii alios afficiebant. Quod cum prohibere vellent magistratus Atheniensium, venalia fecerunt loca, ut nemo, nisi binis obolis numeratis, ad spectandum admitteretur. Ne vero pauperes eo sumptu premi viderentur, constitutum fuit, ut e publico binos illos obolos quisque acciperet. Quæ consuetudo, inde orta, eo usque processit, ut non ob loca duntaxat acciperent, sed prorsus omnem pecuniam publicam distribuerent. Unde etiam ad militiam segnes facti sunt: quam enim pecuniam olim propter expeditiones e publico in stipendium accipiebant, eam tum in spectaculis et festis domi partiebantur. Nolebant igitur jam egredi, et subire pericula: sed et legem sciverant de theatrali hac pecunia, quæ mortem minitaretur ei qui auctor esset, ut ea in veterem ordinem reponeretur, fieretque militaris. Quare Demosthenes caute hanc consilii partem attingit, seque ipse interrogans, Tune jubes, ut hæc militaris fiat? respondet, Minime vero equidem. Atque hæc de theatrali pecunia.

Disserit Orator etiam de urbanis copiis; ipsis civibus esse militandum, non (sicuti solebant) per milites peregrinos opem ferendam censens: eam enim causam esse asserit, cur res male geratur.

DEMOSTHENIS

OLYNTHIACA III (I).

1. Multis *illud*, Athenienses, divitiis vos esse prælaturos arbitror, si quid e republica futurum sit explicetur, in his de quibus nunc deliberatis rebus. Quod cum ita sit, æquum est ut ultro et alacriter eos qui consilium dare volunt audiatis: etenim non solum si quid utile meditatus quis venerit, id licet vobis cum audieritis amplecti, verum etiam vestræ fortunæ esse puto, ut multa quæ sunt opus subito nonnullis in mentem veniat effari, ita ut facile vobis sit ex omnibus utilia deligere.

2. Præsens igitur occasio, Athenienses, tantum non edita voce clamat, vobismetipsis esse curam rerum illarum suscipiendam, si modo vestræ ipsorum salutis rationem habeatis: nos vero nescio quomodo mihi esse videmur erga illas animati. Sunt autem quæ mihi quidem videantur *hæc*, et auxilia jam esse decernenda et quam celerrime esse comparanda, ut hinc opem feratis et non idem admittatis quod etiam prius, et legatos mittendos esse, qui hæc dicant et rebus intersint, quoniam est hoc maxime timendum, ne callidus cum sit homo iste et in rebus tractandis sagax, partim concedendo, ubi res ita tulerit, partim minitando—qua quidem in parte non immerito illi fides habebitur—, partim nos et absentiam nostram criminando, de summa rerum intervertat aliquid et *ad sese* arripiat.

3. Verum illud peropportune cadit, Athenienses, ut quod summo Philippi rebus præsidio est, idem sit etiam vobis utilissimum: nam quod is unus omnia et arcana et aperta moderatur, ac simul et dux est et dominus et quæstor, et ipse ubique adest exercitui, ad res bellicas celeriter et tempestive conficiendas multum quidem valet, pacificationi autem quam is lubens cum Olynthiis faceret adversatur. Certo enim sciunt Olynthii, se non jam de gloria nec de agrorum aliqua parte, verum ne evertatur patria sua atque in servitutem redigatur, bellum gerere, et norunt etiam quomodo cum Amphipolitis egerit qui urbem ei tradiderant et cum Pydnæis qui *urbe* receperant. Et omnino infidum quiddam, opinor, rebuspublicis regia est potestas, præsertim si finitimam regionem colant.

4. His igitur in animis vestris infixis, Athenienses, cæterisque quæ decent omnibus cogitatione comprehensis, dico vos et lubenter excitari oportere et bello, si unquam alias, nunc maxime incumbere, pecuniam alacriter conferentes et ipsos militantes et nulla in re deficientes. Nulla enim jam ratio vobis, nullus prætextus, quo minus officio fungi velitis, relinquitur. Nam quod omnes jactabatis,

Olynthios in Philippum esse concitandos, id ultro nunc accidit, eaque ratione qua maxime vobis expediat. Nam si vestro impulsu bellum suscepissent, socii fortasse parum firmi atque ad tempus in ea sententia fuissent: quoniam autem eum ob illata sibi crimina oderunt, firmas eos probabile est cum eo, propter ea quæ et metuunt et perpessi sunt, gerere inimicitias. Quare non negligenda est, Athenienses, talis oblata occasio, neque *committendum ut* idem vobis accidat quod sæpe jam prius accidit. Si enim, cum defensis nos Eubœensibus rediremus, aderantque Hierax et Stratocles Amphipolitæ, qui, suggestu hoc conscenso, solvere nos juberent urbemque suam in fidem recipere, idem a nobis studium curandis commodis nostris datum foret quod Eubœensium saluti, habuissetis tunc Amphipolim omniaque illa quæ deinde secuta sunt effugissetis negotia. Rursus, cum Pydnam, Potidæam, Methonem, Pagasas, cætera, ne singulis commemorandis immorer, obsideri nuntiaretur, si tum harum urbium uni alicui primum alacriter et ut decuerat opem tulissemus ipsi, faciliori nunc multoque humiliori uteremur Philippo. Nunc, dum præsentia semper amittimus, et futura sua sponte se recte habitura opinamur, auximus, Athenienses, Philippum nos et tantum effecimus, quantus nemo unquam rex fuit Macedoniæ. Nunc autem occasio venit ea ista, *quæ* ex Olynthiis *proficiscitur*, sponte sua, civitati, quæ ulla priorum illarum non est deterior.

5. Ac si quis, ut mihi quidem videtur, eorum quæ pro nobis dii fecerunt recte æstimaverit, is, tametsi multa non ita sint ut oportuit, magnam tamen ipsis gratiam haud immerito sit habiturus: nam quod multa bello amisimus, id negligentiæ nostræ acceptum referre jure quis possit, quod autem neque olim hoc factum, et ostensa jam nobis est quædam societas quæ hæc momento suo libraret, modo uti velimus, divinæ benevolentiæ beneficium equidem pronuntiarem. Sed perinde fit scilicet ut in parta pecunia. Quam si qui accepit, etiam tuetur, magnam habet fortunæ gratiam: si perdit imprudens, perdit simul beneficii memoriam. Sic etiam in rebus gerendis, qui occasionibus non recte usi sunt, ii tametsi boni quippiam divinitus obtigit, haud meminerunt: ex ultimo enim eventu, de iis quæ præcesserunt omnibus, fit plerumque judicium. Quapropter vobis ea quæ restant, Athenienses, magnæ curæ esse debent, ut his vitiis correctis rerum ita gestarum infamiam diluamus. Quod si hos quoque homines destituerimus, Athenienses, atque ille Olynthum everterit, dicat mihi aliquis quid *restet*, quod illum quo minus eat quo velit remoretur.

6. Nunquis vestrum cogitat, Athenienses, et spectat, quibus *tam* magnus evasit rationibus, infirmus cum esset initio, Philippus? Primum Amphipoli capta, deinde Pydna, rursus Potidæa, iterum Methone, postea Thessaliam invasit: demum cum Pheras, Pagasas,

Magnesiam, omnia, suo arbitratu composuisset, in Thraciam abiit: ibi regum aliis ejectis, aliis constitutis, in morbum incidit: ex eo recreatus non ad socordiam se deflexit, sed statim Olynthios est aggressus. Ejus autem in Illyrios et ad Pæonas et adversus Arymbam et quo non? prætereo expeditiones. Quid ergo, inquiet aliquis, ista nobis commemoras nunc? Utrumque ut cognoscatis, Athenienses, et sentiatis, tum projicere singulatim semper aliquid rerum quam non expediat, tum studium illud negotia facessendi, quo utitur et in quo vitam agit Philippus, præ quo fieri non potest, ut rebus gestis contentus in otio se contineat. Quod si ille in ea sententia erit, præsentibus semper majus aliquod conficiendum esse, vos autem, nullius rei curam esse gnaviter suscipiendam, considerate quis tandem harum rerum exitus sperandus sit. Quis vestrum, per deos, adeo simplex est, qui nesciat bellum illinc ad nos perventurum, si neglexerimus? Verum id si fiat, vereor, Athenienses, ne quemadmodum ii, qui temere pecuniam magno fœnore mutuo sumunt, atque illa paulisper locupletati, post etiam patrimoniis evertuntur, sic et nobis segnitiem nostram magno constitisse appareat, et dum ad voluptatem omnia referimus, in necessitatem tandem veniamus multa eaque gravia, quæ minime vellemus, faciendi, deque agris nostris periclitemur.

7. Ac reprehendere quidem dixerit forsan aliquis esse facile et cujusvis, quid autem his de rebus statuendum sit pronuntiare, id esse consiliarii. Ego vero non sum nescius, Athenienses, sæpenumero vos non iis qui sunt in culpa, sed his qui postremi sententiam dixerint, irasci, ubi quid ex sententia non evenerit: non tamen arbitror mihi de propria mea salute cogitanti esse dissimulandum, quod e re vestra futurum esse ducam. Censeo igitur duobus vos oportere modis rebus succurrere, tum urbes suas Olynthiis servando et milites qui id agant mittendo, tum regnum ejus vastando et triremibus et militibus aliis: quod si alterutrum neglexeritis, vereor ne irrita sit futura expeditio vestra. Sive enim agrum suum a vobis diripi vexarique passus ipse interim Olynthum subegerit, facile domum reversus sua defendet: sive præsidia vos duntaxat Olynthum miseritis, videns rem domi in tuto esse, assidebit et incumbet negotiis, superabit mora tandem obsessos. Auxilia igitur et magna et bipertita esse oportet. Ac de auxiliis hæc statuo.

8. Quod autem ad pecuniam comparandam attinet, est, Athenienses, pecunia vobis, est quanta aliorum mortalium nemini, militaris: eam vero vos, sic ut vultis, capitis. Quam si militantibus restitueritis, nulla alia pecuniæ comparandæ ratione opus erit: sin minus, opus erit, vel nulla potius satis erit ratio. Quid igitur, dicat aliquis, tune decretum scribis, ut ea sit militaris? Non ego per Jovem. Puto quidem exercitum conscribendum esse, et pecuniam esse debere militarem, et unam esse rationem eandem et accipiendi et faciendi quæ oporteat: vos autem ita temere, cum res nullas geratis, pecuniam accipitis ad festa celebranda. Reliquum igitur id est, scilicet, ut omnes *tributum* conferant, si multis opus erit, multum, sin paucis, parum. Opus autem *omnino* est pecuniis, nec sine his quicquam potest rite administrari. Indicant etiam alias alii comparandæ pecuniæ rationes, e quibus eam vos eligetis, quæ maxime conducere videbitur: et rerum curam, dum occasio adest, suscipite.

9. Illud etiam est operæ pretium cogitare et reputare, quo in loco nunc sint res Philippi. Neque enim istæ, ut videtur et dicat fortasse aliquis qui negligenter rem expendat, compte pulcherrimeque sese nunc habent: neque intulisset ille hoc bellum unquam, si gerendum fore censuisset, nam tum primo statim impetu se omnem rem confecturum sperabat, quam spem falsam habuit. Hoc igitur primum illum turbat, cum præter exspectationem evenerit, et magnam illi movet ægritudinem: deinde res etiam Thessalorum. Nam hæ quidem natura nimirum et semper omnibus erant mortalibus infidæ, quales autem fuerunt, tales eas nunc et ille cum primis experitur. Decreverunt enim *Thessali* Pagasas ab eo reposcere et Magnesiam muniri vetuerunt, præterea quosdam audivi ego qui dicerent non commissuros amplius, ut ille portoriis ipsorum et vectigalibus perfruatur: commune etenim Thessalorum inde oportere sustentari, non ea Philippum intercipere. Quod si hac privatus fuerit pecunia, in arctum admodum ei stipendia peregrini militis redigentur. Jam Pæonem et Illyrium, cæteros denique omnes, existimandum est sui juris et liberos quam servos esse malle: insueti enim sunt cuiquam parere, et homo iste importunus est, ut aiunt. Neque profecto id incredibile fortassis est: immerita enim prosperitas stultis occasionem præbet a consilio discedendi, quare sæpe videtur parta tueri bona esse difficilius, quam parare. Oportet igitur vos, Athenienses, importunum illi tempus vobis opportunum existimantes, strenue rebus subvenire, missis quo fuerit opus legatis et vosmet ipsos militare et alios omnes concitare, hoc *præsertim* reputantes, si talem contra nos Philippus teneret occasionem et bellum prope nostros fines oriretur, quam cupide putatis eum in nos invasurum? Et nonne pudeat vos, si nec ea quæ ipsi sustineretis, si posset ille *inferre*, data occasione facere audeatis?

10. Præterea ne hoc quidem vos fugiat, Athenienses, nunc optionem dari vobis, utrum vos illic oporteat bellum gerere, an apud vos illum? Si enim Olynthiorum opes manserint incolumes, vos illic pugnantes, cum illius regnum vastabitis, tum secure hac vestra terra fruemini: sin illa Philippus occuparit, quis eum porro huc ire prohibebit? Thebani? ne sit dictu nimium grave, una etiam irrumpent expedite. An Phocenses? qui ne sua quidem possunt tueri,

nisi vos opem feratis. An alius quispiam? At hercule nolet. Omnium certe absurdissimum fuerit, si, quæ nunc etiam cum stultitiæ reprehensione tamen eloquitur, ea data potestate non faceret. Quantum autem intersit, hic an illic bellum geratur, verbis nihil opus esse arbitror. Si enim oporteret vos ipsos triginta duntaxat dies foris esse, et quæ alendo sunt exercitui, ea e nostri agri proventibus petere, etsi nullus inquam hostis in eo versaretur, majus arbitror damnum accepturos fore eos vestrum qui agros colunt, quam ex universis *accepistis* belli superioris impensis. Quod si quæ hostiles copiæ venerint, quantum exinde damnum fore putetis! Accedet contumelia atque insuper ipsius rei dedecus, quod nulli cedit malorum, sapientium saltem judicio.

11. Quare omnia hæc ante oculos habentes universi opem ferre et bellum illuc amoliri debent, divites, ut pro multis quæ deum benignitate possident, pauca impendentes, reliquis secure fruantur, juvenes, ut in Philippi regno parta bellandi peritia formidabiles incolumis patriæ custodes fiant, oratores, ut in reddendis rationibus administrationem suam facile tueri possint, nam ut eæ res erunt quæ vobis evenient, ita et vos de actis eorum judicabitis. Quæ utinam bonæ sint uniuscujusque gratia.

*** Philippus anno insequenti Olynthum cepit. Eam omnia Atheniensium subsidia et conatus a domesticis ipsius hostibus tueri non poterant: duo enim ejus cives, Euthycrates et Lasthenes, eam prodiderunt. Ita Philippus, largitionibus via facta, miseram urbem ingreditur, diruitque; partem civium servituti addicit, partem venumdat; neque aliter quam crudeliori mortis genere proditores a cæteris distinguit. Olynthii, sicuti jam annotavimus, Philippi indignationem subierant, quod duos fratres ejus, qui ex altero conjugio * ei supererant, per misericordiam receperant. Eorum scilicet, quasi competitorum, pertæsus, quippe quos in partem regni Macedonici ipsa quodammodo natura vocare videbatur, se prorsus ab iis liberare voluit, sicuti antea tertium de medio sustulerat; atque ita demum feras animi sui suspiciones tranquillavit. Igitur Olynthum obsidet, expugnat, exscinditque; fratres olim destinato supplicio tradit; prædaque ingenti pariter et parricidii voto fruitur.

TOURELL.

* Amyntas Philippi pater ex Eurydice tres filios suscepit, Alexandrum, Perdiccam, et Philippum Alexandri Magni patrem; filiam etiam Euryonem: ex Cygnea autem Archelaum, Archideum, Menelaum. STOCK.

AUGERI

ANALYSIS

ORATIONIS DE PACE.

Propositum.

QUUM vana pollicitationum specie Philippus induxisset Athenienses ut secum pacem facerent, statim Thermopylas occupavit, ac Phocensibus injecit terrorem qui sibi semetipsos dediderunt. Tunc convocato Amphictyonum concilio, eo rem adduxit ut statueretur Phocensium urbes penitus esse diruendas, ac fore ut ipse in eorum loco postea sederet inter Amphictyonas. Misit Macedonum rex ad Græcorum quorumdam civitates qui concilio non affuerant, præsertimque Atheniensium, ut ipsi ratum haberent quod statutum fuerat. Demosthenes, quamvis pacem non probaret, hac oratione suadet suis ut petita concedant, ne infestis totius Græciæ armis oppugnentur. Quum autem alicubi orator Æschini exprobraverit, quod unus faverit Philippo petenti, putat Libanius scriptam fuisse orationem, at non dictam, ne a seipso dissentire videatur Demosthenes. Equidem Libanio non assentior: nam præterquam quod non apparet cur ille non dicendam scripsisset orationem, non idem est, imo valde diversum, alicui petenti favere, ac suadere ut non rejiciantur petita, causa temporis, ne inde majus incommodum exsurgat.

Exordium.

Exponit difficultatem nunc suis suadendi, tum ob rerum præsentem statum, tum ob habitum animorum. Dicit tamen ea suasurum se per quæ emendentur præsentia et amissa recuperentur.

Confirmatio.

1°. Tres refert occasiones in quibus ex rerum eventu patuit se optima civitati suasisse, allata prius causa cur ea præfari statuerit.

2°. Ostendit quam ob rationem sibi ad populum Atheniensem dicenti recta et utilia statim occurrant.

3°. Ponit tanquam principium, non rumpendam esse pacem, non quod præclara sit, sed quod satius fuerit eam non fieri quam factam dissolvi.

4°. Per ratiocinia et exempla fusius docet Atheniensibus esse præcavendum ne singulæ civitates, contra suam ipsorum utilitatem, privatis quidem inimicitiis et offensionibus, at communi prætextu, in bellum adversus ipsos rapiantur, ac proinde universorum Græcorum impetus ipsis sustinendi sint.

5°. Concludit respondendo iis qui negabant belli metu facienda esse ea quæ alii jusserint, et plura commemorando quæ Athenienses concesserint ob pacem vel obtinendam vel servandam.

Hæc oratio dicta est anno tertio olympiadis CVIII, sub Archia archonte.

ARGUMENTUM

ORATIONIS DE PACE

EX

TOURELLIO.

EOSDEM duces in hac oratione collocanda, quos et in cæteris, secutus sum. Habita est, secundum eos, Archonte Archia, anno regni Philippi quindecimo, Olympiadis centesimæ octavæ tertio. Confecto bello sacro, Philippus Amphictyonas convocavit, quibus bis in anno convenire mos fuit; vere nempe Delphis, et auctumno Thermopylis. Ibi in concilium suum Philippum posterosque ejus cooptarunt, in Phocensium locum suffectos, quos, ob templi Delphici violationem, jure suffragii privarant. Athenienses, quamvis et ipsi in Amphictyonum numero essent, attamen huic rei minime se immiscebant. Forsan de industria abfuerunt, ne præsentes comprobasse viderentur: vel, quod verisimilius est, Philippus, ad omne impedimentum præcavendum, eos solos ex Amphictyonibus, quos sibi favere noverat, tumultuose congregavit. Utcunque erat, rem solertia sua tandem effectam dedit, et in numerum Amphictyonum relatus est. Fieri tamen potuit, ut hac de re lites moveantur; utpote quæ nec palam nec rite facta fuerit. Ut igitur decretum istud auctoritate sua confirmarent, omnes qui ubique erant Amphictyonas legatis missis rogavit, et inter cæteros, Athenienses. Quam rem non esse e rep. ut abnuerent, gravibus jam Noster et firmis argumentis comprobat: sic enim et novum illum Amphictyonem, sociosque ejus omnes, in se concitent necesse est. Libanius, et eum secutus Photius, nunquam publice habuisse hanc orationem arbitrantur Demosthenem: quoniam in ea istud ipsum consilium probat, cujus postea Æschinem auctorem fuisse dixit, eumque ideo imprudentiæ et perfidiæ reum habuit. Verum præterquam quod non esse ausum orationem a se scriptam pronuntiare, abhorreat illud quidem longissime a moribus Oratoris nostri, (qui semper sententiam suam palam libereque profiteri solitus sit;) præterquam quod non minus haberet culpæ oratio scripta, et in omnium manibus versata, quam si pro rostris pronuntiata fuisset; notandum est Demosthenem non illud hic suadere, aut tueri, quod postmodum Æschini vitio vertit; sed monere tantum cives, ne dum pertinaciter obsistant decreto, prope omnium Amphictyonum suffragiis sancito, temere se in pericula maxima injiciant: sapientium quippe esse, temporibus aliquando cedere, ne graviora suscipiantur incommoda. Adde quod longe etiam aliud sit, ad aliquod agendum impellere, in qua causa est Æschines; et ut jam factum toleretur, hortari; quomodo fecit Demosthenes. Utcunque se res habeat, orationem quidem ipsam a Demosthene fuisse scriptam constat: et (quod nobis satis sit) digna est, quæ ab illo proficiscatur. Neque immorando in re tam parva, aut lectorem fatigandum, aut legendi cupiditatem minuendam, puto.

LIBANII ARGUMENTUM IN ORATIONEM DE PACE.

Cum bellum Amphipolitanum diu durasset, pacem tam Philippus quam Athenienses expetiverunt: Athenienses, quod fortuna in eo utebantur adversa: Philippus, quia præstare cupiebat ea, quæ tum Thessalis, tum Thebanis promiserat. Pollicitus autem fuerat Thebanis, se Orchomenum et Coroneam, Bœotiæ oppida, eis traditurum: utrisque, se Phocense bellum confecturum. Id quod ab eo fieri non poterat, dum hostes haberet Athenienses. Nam prius etiam in Phocidem impressionem facturus, quia Athenienses classe circumvecti, eas quæ Pylæ, a nonnullis etiam Thermopylæ, vocantur, occuparant, regionis aditu prohibitus fuerat. Nunc, pace facta cum Atheniensibus, obsistente nemine, intra Pylas progressus, gentem Phocensem funditus everterat, locumque Phocensium inter Amphictyonas, illorumque in concilio suffragia, a reliquis Græcis acceperat; et legatos etiam ad Athenienses miserat, postulans, ut et ipsi idem ratum haberent. Demosthenes igitur monet, esse concedendum: non quod rem ipsam probet, aut justum esse dicat, ut Macedo Græci concilii sit particeps; sed metuendum esse affirmat, ne totius Græciæ infestis armis oppugnentur: Atheniensibus enim alios aliis de causis esse infensos, qui communi consilio ipsos invasuri sint. Communem hanc (inquit) occasionem dabimus contra nos, quod soli hi sumus, qui decretis Amphictyonum intercedamus: proinde consultius est tueri pacem, præsertim Philippo intra Pylas progresso Atticæque invadendæ potestatem nacto, quam ob rem tantillam tantum adire periculum.

Hæc oratio instituta quidem fuisse, sed habita esse in publico mihi non videtur: cum Orator, in Æschinis accusatione, de hoc etiam cum inter cætera criminetur, quod auctor fuerit, ut Amphictyonica Philippo dignitas decerneretur; ea cum de re nemo alius referre auderet, ne Philocrates quidem, omnium impudentissimus. Quod si ipse hæc suasisset, haud utique Æschinem ob hæc eadem culparet. Satis igitur apparet, eum suspicionem veritum, ne Philippi studiosus, et largitionibus a rege corruptus, sententiam hanc dixisse videretur. Nam et in hac ipsa oratione talem quandam suspicionem amovere nititur, dum se ut patriæ amantem, et ab accipiendis muneribus abhorrentem, commendat.

DEMOSTHENIS

ORATIO DE PACE.

1. Video, Athenienses, præsentem rerum statum multis urgeri difficultatibus et turbis, non eo tantum quod multa per incuriam sunt amissa et bene de eis dicendo nihil proficitur, verum ob illud etiam quod de reliquis nulla ex parte omnes quid expediat consentiunt, sed hi sic, illi aliter opinantur: rem autem natura sua molestam ac difficilem, consilium dare, vos multo difficiliorem effecistis, Athenienses. Nam cum cæteri mortales ante rem *gestam* consi-

lium quærant, vos re jam perfecta id facere soletis. Ex quo per omne tempus quod ego meminerim accidit, ut is sane qui delicta vestra reprehenderet laudetur vereque dicere videatur, negotia vero eaque de quibus deliberatio instituitur vos effugiant. Quæ quanquam ita sunt, tamen arbitror et quia hoc persuasum habeo surrexi, me, si posito tumultu et partium studio audire velitis, sicut de republica tantisque negotiis deliberantes oportet, ea posse et dicere et suadere, per quæ et rerum status emendetur et amissa recuperentur.

2. Cum vero satis sciam, Athenienses, semper expedire plurimum apud vos, si quis modo audeat, ea quæ ante dixerit repetere ac de semetipso verba facere, ego tamen id adeo molestum et odiosum esse puto, ut quanquam necessarium video, tamen ab eo abhorream. Puto autem vos de his quæ nunc dicam rectius judicaturos, si pauca prius aliquando a me dicta in memoriam revocetis. Ego, Athenienses, primum, cum vobis turbato Eubœæ statu quidam suaderent, ut opem Plutarcho ferretis bellumque ignobile et sumptuosum susciperetis, primus et solus pro concione repugnavi, et tantum non discerptus sum ab iis qui parvi lucelli causa in multos et magnos vos errores vellent inducere. Deinde brevi tempore interjecto, simul ac vos et ignominiam reportastis et iis injuriis affecti estis, quibus nulli hominum unquam ab iis quibus opem tulerant, comperistis omnes et horum consiliariorum improbitatem et utilissima suasisse me. Post iterum, Athenienses, cum perspexissem histrionem Neoptolemum per speciem suæ artis quidvis impune agere, mala vero moliri maxima reipublicæ resque vestras administrare et dirigere in Philippi *commoda*, prodii idque vobis exposui, nullo privato vel odio vel calumniandi impulsus studio, quemadmodum facta quæ secuta sunt declararunt. Atque in his non jam Neoptolemi defensores—neque enim unus fuit—reprehendam, sed vos ipsos: nam si tragœdorum in Bacchi *theatro* spectatores fuissetis, non de salute reipublicæ sermo esset habitus, nequaquam vel eum tam æquis vel me tam infensis animis audissetis. Atqui hoc saltem vos opinor nunc universos sensisse, eum qui tum ad hostes profectus est, ut, quod dicebat, coactis quæ sibi illic erant debitæ pecuniis atque huc reportatis publica munera obiret; quique hac oratione plurimum est usus, iniquum esse accusari eos qui illinc opes suas in patriam inveherent, *cum inquam*, cum primum facta pace tuto id fieri licuit, quæ hic bona immobilia possedit, vendidisse, pecuniam propere ad illum profectum avexisse.

3. Itaque duo hæc, quæ prædixi ego, testantur habitas tum orationes fuisse veras et rectas, talia *cum essent*, qualia ego ea pronuntiaram: tertium, Athenienses, et hoc quod unum restat locutus, statim de

iis rebus quarum causa ad dicendum progressus sum verba faciam. Cum nos legati exacto de pace jurejurando rediissemus, et quidam pollicerentur fore ut Thespiæ et Platææ instaurarentur, Philippum autem Phocenses, si in suam potestatem redigat, conservaturum, ac Thebanorum civitatem dissociaturum, Oropum vestrum futurum, et Eubœam pro Amphipoli vos recepturos, cum denique plures ejusmodi spes et fallacias *jactarent*, quibus vos inducti neque utilitatis neque æquitatis neque dignitatis vestræ habita ratione Phocenses deseruistis, *hæc inquam cum fierent*, apparebit me in horum nullo vel struxisse fraudem vel *aliquid* tacuisse, sed prædixisse vobis, idque haud dubie meministis, me talia neque scire neque exspectare, sed nugari eum censere quicumque talia profiteretur. Hæc igitur omnia, quæ me rectius quam alios prævidisse constat, neque, Athenienses, singulari meæ solertiæ adscribam neque arroganter prædicabo, aut ob aliud quicquam me intelligere et præsagire profitebor, quam propter hæc quæ vobis exponam duo, primum, Athenienses, ob fortunam, quam ego omni hominum sagacitate et sapientia potiorem video, deinde, quod gratis negotia judico et considero, neque ullum emolumentum iis quæ ego publice aut gero aut dico ostendere quisquam potest appensum. Recta igitur, si quod inest rebus bonum publicum, in oculos meos incurrit. Quod si vero in utramvis partem veluti in trutinam argentum superinjeceris, abit statim deorsum et deliberantem simul animum ad sese rapit, neque jam amplius aut recte aut sincere ulla de re deliberare potest ille qui istuc fecerit.

4. Unum igitur in primis tenendum esse dico, ut sive quis socios sive tributa sive aliud quippiam reipublicæ velit adsciscere, id salva ea quam agimus pace conficiat, non quod admirabilis illa sit aut e vestra dignitate; sed qualis qualis est, opportunius utique rebus vestris fuisset non confecisse quam confectam nunc a vobis dissolvi: multa enim projecimus, quæ cum essent integra, bellum illo tempore tutius a nobis atque facilius quam nunc conflari posset. Deinde prospiciendum, Athenienses, ne his, qui nunc conventum agunt ac se Amphictyonas dicunt, necessitatem simul causamque injiciamus belli communis contra nos *suscipiendi*. Ego enim, si inter nos et Philippum oriretur denuo bellum ob Amphipolim aut aliam aliquam privatam controversiam, quæ neque Thessalos neque Argivos neque Thebanos respiceret, non puto vobis horum quemquam bellum illaturum ac minime omnium—ne vero quispiam obturbet priusquam audierit Thebanos—non quod nobis cupiant, non quod nolint a Philippo gratiam aucupari, sed optime norunt, utcunque eos hebetioris esse ingenii quispiam dicat, si bello nobiscum implicentur, mala quidem omnia ad sese perventura, utilitates autem alium *otiose* desidentem intercepturum: nunquam igitur eo sese

præcipitabunt, nisi communis fuerit origo et causa belli. Nihil etiam nos, si cum Thebanis denuo propter Oropum aut privatum emolumentum aliquod belligeremus, cladis accepturos arbitror: puto enim eos nostrum alterutri auxilium quidem laturos, si quis in nostram ditionem invadat, cum neutro autem ad alterum oppugnandum arma consociaturos. Nam fœdera quidem ita comparata sunt, quemadmodum et animo reputaret aliquis, reique natura sic se habet: non eo usque quisquam vel nobis vel Thebanis bene cupit, ut salvi simus et aliis imperemus, sed incolumitatem omnes sui causa nobis optant, ut vero alterutri potiti victoria ipsis dominentur nemo.

5. Quid igitur existimo formidabile, et quid vobis esse dico providendum? Ne bellum hoc quod agitatur communem occasionem communemque omnibus criminandi ansam suppeditet. Nam si Argivi et Messenii et Megalopolitæ et reliquorum quidam Peloponnensium, qui cum his consentiunt, ob nostram illam ad Lacedæmonios de fœdere legationem et quia quorundam ab his actorum fautores visi sumus, hostili erga nos animo erunt, si Thebani nobis, ut aiunt, infensi, inimiciores etiam fient quod ab eis actos in exilium tuemur et nostras adversus eos inimicitias omnibus modis declaramus, si Thessali quod Phocensium exsules protegimus, si Philippus quod sibi Amphictyonum consessum denegamus, metuo ne omnes privatis quique offensis irritati commune in nos inferant bellum, Amphictyonum decreta prætendentes, ac deinde perducantur singuli ut etiam contra suam utilitatem nos oppugnent, id quod etiam Phocensi bello usu venit. Nec enim hoc scilicet ignoratis, nunc Thebanos et Philippum et Thessalos, quamvis non eadem singuli potissimum urgerent, eadem tamen omnes perfecisse. Nam Thebani Philippum, ne penetraret atque angustiis potiretur, prohibere non potuerunt, nec obsistere quo minus is ipsorum laboris, postremus *quamvis* veniens, gloriam habeat—nunc enim Thebani, quod ad possessionem atque acquisitionem regionis attinet, rem sane præclare gesserunt, sin honorem et gloriam spectes, turpissime; nisi enim Philippus Pylas occupasset, nihil habituri fuisse viderentur—: neque vero hæc eis proposita fuerunt, sed quia Orchomeno et Coronea potiri cupiebant, neque tamen poterant, ideo hæc omnia tolerarunt. Philippum itaque, sunt qui dicere audeant, noluisse Thebanis Orchomenum et Coroneam tradere, sed coactum dedisse: ego vero hos valere jubeo, illud autem scio non magis ei hæc curæ fuisse quam ut aditum Thermopylarum occuparet bellique gloriam consequeretur, *ut nempe bellum hoc* videretur per seipsum debellatum et amputatum esse, utque suo arbitratu Pythia administraret; atque hæc fuere quorum ille desiderio potissimum æstuabat. At Thessali neutrum horum volebant, ut vel Thebanorum vel Philippi

opes augerentur—omnia enim istiusmodi sibi adversa esse ducebant—, sed geminum consectabantur emolumentum, ut nempe Pylæam et jura Delphica obtinerent; eorumque desiderio, ad eas res Philippo adjutores fuerunt. Sic ob privata compendia quosque reperietis multa facere perductos, quorum nihil in animo habuerunt. Quod, cum ita sit, cavendum nobis est.

6. Num imperata facere nos oportet harum rerum metu? tuque illud suades? Minime vero equidem, sed nos et nihil indignum nobis facturos neque bellum conflaturos, et prudentiæ sententiæque veræ laudem consecuturos, hæc *quæ docui* puto comprobatum iri. Illos autem, qui confidenter quidvis esse periculi subeundum censent nec belli clades ob oculos sibi ponunt, hæc velim considerare. Nos Oropum Thebanos tenere sinimus: quod si quis nos roget, ac vera fateri jubeat, quamobrem? ne bellum gerendum nobis sit, responderimus. Et Philippo nunc ex fœdere Amphipolim concessimus, et Cardianos a Chersonesiotis reliquis exemptos esse patimur, et Cariæ satrapam insulas occupare, Chion et Con et Rhodum, et Byzantios in mari navigia nostra intercipere, ob hoc nimirum quod pacis tranquillitatem plura afferre commoda putamus quam inimicitias et contentiones hisce de causis susceptas. Nonne igitur stultum ac plane miserum fuerit, cum in propriis et maxime necessariis rebus singulatim erga quoslibet nos tales præbuerimus, cum universis de umbra Delphica nunc belligerare?

AUGERI

ANALYSIS

PHILIPPICÆ SECUNDÆ.

Propositum.

QUUM e multis jam victor evasisset Philippus et multa auctus esset potentia, animum convertit ad Peloponnesum. Argos et Messena, hujus regionis celeberrimæ civitates, a Sparta opprimendæ, confugerunt ad Philippum. Hic, facta pace cum Atheniensibus, qui speraverant ipsum a Thebanis discessurum, ab illis adeo non discessit, ut etiam cum iis victoriarum suarum fructus partiretur. Spartæ jampridem inimici Thebani a Philippo etiam atque etiam petebant ut secum et cum Argivis ac Messenis jungeretur, quo Lacedæmoniorum vires et animos debilitaret. Illorum postulatis quum lubentissime annuisset rex Macedoniæ, per Amphictyonas jussit ut Sparta Argivos et Messenios sui juris esse sineret, et quo decretum confirmaret Amphictyonicum, exercitum misit in Peloponnesum. Territi Lacedæmonii, ab Atheniensibus petiverunt ut ad se accederent sibique auxiliarentur publicæ utilitatis causa. E contra Philippus, Thebani, Argivi et Messenii, ab iisdem petebant ne faverent Lacedæmoniis regnum affectantibus in Peloponneso. Demosthenes, ceteris neglectis, et in id quod e re suæ civitatis erat unice intentus, Lacedæmoniorum postulata tueri non dubitat, contenditque vehementer Philippum reipublicæ Atheniensis inimicum esse, et esse debere.

Exordium.

Orator exprobrat Atheniensibus quod iis quidem annuant qui planas faciunt Philippi injurias, verum audire et auditis annuere contenti, nihil agant quo ille coerceatur. Dicit mutandam nunc esse consulendi rationem, et oportere ut oratores omnes et auditores optima et salutaria facillimis et jucundissimis anteferant; se quidem, dum multi securi sunt de Philippo, arbitrari illum esse suæ civitatis hostem.

Confirmatio.

1°. Philippus ex iis quæ fecit statim post pacem et ex iis quæ nunc facit, prædicat se civitati Atheniensi esse adversarium, nempe dum favit Thebanis, et nunc favet Messeniis et Argivis; quod utrumque egit et agit ex suæ cupiditatis commodo. Præterita enim ipsum docent Thebanos et Argivos ipsi opitulaturos regnum in Græcia affectanti, Athenienses autem eidem prava molienti valida contentione adversaturos.

2°. At enim, dicet aliquis, ideo Thebanis favit Philippus quod æquiora quam Athenienses postularent. Alius dicet forsitan, coactum fuisse

Philippum, invitumque fecisse ut Thebanis faveret. Utramque hanc objectionem plane et liquide refellit Demosthenes.

3°. Idem contendit Macedoniæ regem et reipsa agere et agere debere contra suam rempublicam, quod ex ipsis rebus, ex animo regis et Atheniensium, evidenter demonstrat.

4°. Probare aggreditur ita natura esse comparatum ut Philippus, atque adeo tyranni et reges populis liberis insidientur. Refert itaque partem aliquam orationis ad Messenios dictæ, in qua id exemplis et argumentis multa cum vehementia confirmabat, hocque absolvit hortando suos ut rectius agant quam Messenii et Peloponnenses.

5°. Totam concludit orationem postulando ut in jus vocentur cives pessimi, ac præsertim Æschines, in quem præcipue intendit, qui magnificis, at vanis, allatis a Philippo promissis civitatem suam deceperunt, et eo adduxerunt ut pacem faceret. In eos tanquam perniciosæ pacis auctores invehitur, dicitque quo animo ipsos velit in jus vocari et pœnas dare debitas.

Dicta est hæc oratio anno primo olympiadis CIX, sub archonte Lycisco.

ARGUMENTUM

PHILIPPICÆ SECUNDÆ

EX

TOURELLIO.

DIONYSIUS Halicarnasseus et Diodorus Siculus (quos in re chronologica duces e conspectu nunquam dimitto) testantur Demosthenem hanc orationem habuisse, Archonte Lycisco, anno Olympiadis centesimæ nonæ primo, regni Philippi decimo septimo; post orationem de Pace, biennio. Narrat Dionysius Oratorem suggestum conscendisse propter legationem a Peloponneso missam, ubi res tunc temporis admodum turbatæ erant. Lacedæmonii quippe nullo jure, viribus tantum freti, principatum occupaverant: quod Argivi et Messenii haud æquo animo ferentes, ad Philippum confugerunt. Ille cum Atheniensibus modo pacem pepigerat: quos ad eam concedendam impulere pollicitationes oratorum quorundam, qui cum legationem in Macedonia obirent, ibique se a rege muneribus corrumpi passi fuerint, demum reversi dictitabant palam, ad hoc subornati, eum Thebanis amicitiam haud dubie renuntiaturum. Athenienses, ad id quod cupiebant proclives, huic atque aliis rumoribus perinde gratis, sed et falsis quoque, fidem adhibuere. Philippus, hac opportuna credulitate usus, Pylas occupavit, Phocenses devicit, et a Thebanis animo adeo non alieno fuit, ut fructus etiam victoriæ cumiis communicavit. Hi vicissim efficiunt, ut inter Amphictyonas referatur. In hoc concilio omnia deinceps nutu ejus atque arbitrio administrari cœperunt. Ille vero, Amphictyonum auctoritate interposita, Græciæ civitates plures pro libitu oppressit, atque omnibus ejus controversiis brevi se immiscuit. Thebani aditum ei aperuere in Peloponnesum; ubi simultates vetustæ, quæ iis cum

Spartanis intercedebant, assiduis motibus atque bellis materiam suppeditabant. Philippum itaque sollicitant, ut conjunctis viribus, necnon assumptis sibi Messeniis et Argivis, in Laconiam impetum facerent. Ille societatem, aptam adeo commodis suis, haud cunctanter amplexus est. Ad concilium Amphictyonicum deinde retulit, seu potius jussu ejus decretum est, ut Lacedæmonii Argis et Messene abstinerent. Eo exercitum quoque præmisit, simulans se auctoritatem conventus Græciæ universæ tueri statuisse. Lacedæmonii igitur perterriti, Athenas legatos mittunt ad opem petendam, et fœdus, utrorumque saluti necessarium, feriendum. Cunctæ civitates, quarum intererat id irritum fieri, summis viribus adversabantur. Philippus per legatos monet Athenienses, ne fœdus secum factum violarent: quod enim quidam objiciunt, ipsum non Thebanis renuntiasse amicitiam, id haud recte crimini sibi datum esse; cum nihil tale pactus sit, idque ex ipsis tabulis constet. (Atque hoc verum quidem dixit, si pactorum solummodo, quæ scriptis publice fuere mandata, habeatur ratio.) Legati quoque Argivorum, Thebanorum, et Messeniorum, pro se quisque, idem contendunt: exprobrantes Atheniensibus, quod Lacedæmonios clanculum adjuvissent, Thebanorum inimicos, et in Peloponnesum dominationem affectantes. Demosthenes causam Lacedæmoniorum suscipit: et missa de his dubiis disceptatione, Philippum libertati Græcorum haud dubie insidiari ostendit: tales esse illius conatus, ut oporteat Athenienses quam primum sibi consulere: illum sibi socios adsciscere ingenii hebetioris, quique futura omnino prospicere nequeant; et in omnibus ejus inceptis nihil aliud quærere, nisi ut imperium ipse suum universæ Græciæ et Athenarum præcipue ruinis inædificare possit. Orator deinde more suo civium socordiam et imprudentiam graviter increpat. Urget etiam, ut pœnæ sine mora repetantur ab iis, qui fallaci pollicitatione populum ludificati, eo res redegerant. Quibus verbis Æschinem designat, jam tum actionem contra eum parans de falsa legatione, quam anno insequenti reipsa intendit. Hic enim, cum per plures annos patriæ fidelem operam præstitisset, tandem muneribus corrumpi se passus est in Macedonia, quo quidem profectus erat Atheniensium legatus, rediit autem Philippi mercenarius.

LIBANII ARGUMENTUM IN PHILIPPICAM II.

Monet Athenienses hac oratione Orator, Philippum ut hostem suspectum esse habendum neque pace fidendum nimis, sed expergiscendum et rebus gerendis animum adjiciendum et bellum apparandum esse: criminatur enim Philippum, ut qui et Atheniensibus et Græcis omnibus insidietur, idque satis ipsius testari facta dicit. Pollicetur etiam se responsurum legatis qui advenerunt, quod Athenienses æstuabant quomodo respondendum esset. Unde vero illi et quibus de rebus venerint, etsi in oratione non exprimitur, tamen e Philippicis historiis cognosci potest. Per id enim tempus legatos miserat Philippus ad Athenienses, conquerens, se apud Græcos sine causa traduci, ut qui multa et magna pollicitus nihil eis præstitisset: negat enim se aut pollicitum esse aut fefellisse, et ea probari postulat. Atque etiam Messenii et Argivi legatos cum Philippo Athenas miserant, et ipsi criminantes populum, qui Lacedæmoniis Peloponnesum opprimentibus et faveret et adesset, sibi autem de libertate dimicantibus adversaretur. Athenienses igitur non habent quid vel

Philippo vel civitatibus respondeant, nam et Lacedæmoniis bene cupiunt, et Argivorum ac Messeniorum cum Philippo conspirationem simul et oderunt et suspectam habent, neque tamen pronuntiare audent, recte facere Lacedæmonios. Quod vero ad Philippum attinet, etsi spe frustrati sunt, non tamen ab eo decepti esse videntur: Philippus enim neque ullam pollicitationem literis inscripserat, neque per suos legatos quicquam promiserat, sed Atheniensium quidam in spem erexerant populum, fore ut Philippus Phocenses conservaret et Thebanorum ferociam retunderet. Propterea Demosthenes, responsionum facta mentione, se eas daturum pollicetur: sed justum esse ait, ut ab illius difficultatis auctoribus etiam responsiones exigantur, illis nimirum qui populum deceperint, et Pylas Philippo aperuerint. Quibus verbis Æschinem obscure perstringit, jam tum, ut aiunt, contra eum falsæ legationis actionem parans, quam post intendit, eumque multo ante apud Athenienses criminans.

DEMOSTHENIS

PHILIPPICA II.

1. Cum verba fiunt, Athenienses, de iis rebus quas Philippus gerit et contra pacem molitur perpetuo, vestri defensiones et æquas et humanas apparere video, semperque probari orationes eorum qui Philippum accusarint, brevi tamen ut dicam nihil recte geri aut ejusmodi ut sit illas audire operæ pretium: sed eo jam tota respublica deducta est, ut quo magis et evidentius ostensum fuerit Philippum et pacem nobiscum factam violare et Græcis omnibus insidiari, eo difficilius sit suadere quid agi conveniat. In causa hæc sunt, quod cum omnes ii, Athenienses, qui per injuriam plus æquo concupiscunt, facto coercendi sint et actionibus, non orationibus, primum nos qui suggestum conscendimus hæc decernere et suadere, metu vestræ offensionis, dubitamus, quæ autem ille gerat, quam atrocia et gravia, ea commemoramus: deinde vos auditores, ad æqua cum ipsi dicenda tum dicente alio intelligenda, melius Philippo parati estis, ad ea vero quæ nunc ab illo geruntur impedienda, omnino estis ignavi. Evenit igitur illud, opinor, necessario et fortasse etiam recte: ut quibus in rebus utrique versamini et elaboratis, in his alteri alteris præstetis, actionibus ille, vos orationibus. Itaque si nunc etiam æquiora dicere satis habetis, facile id quidem est, nulloque labore constat: sin, ut hic status rerum corrigatur, providendum est, ne imprudentibus nobis omnibus ruat in deterius, neve infinita aliqua immineat nobis potentia, cum qua ne congredi quidem licebit, non eadem ratio est quæ prius fuit consulendi, sed et oratores omnes et vos auditores oportebit optima et salutaria facillimis et jucundissimis anteferre.

2. Primum igitur, si quis, Athenienses, securus est, cum videat quantus jam et quam multis potitus sit Philippus, et nullum putat periculum ex eo impendere civitati neque contra vos ea omnia comparari, miror, et æque vos omnes oratos volo ut meas rationes paucis audiatis, quibus adductus longe alia exspectem et hostem esse Philippum judicem, ut si melius ego prospicere videbor, mihi obtemperetis, sin securi isti et ii qui ei fidem habent, illis assentiamini. Ego igitur, Athenienses, mecum cogito, quibus primum rebus Philippus post initam nobiscum pacem potitus sit? Pylis nimirum et rebus Phocensibus. Quid igitur? quemadmodum istis usus est? Quæ Thebanis conducunt, non quæ reipublicæ nostræ, agere instituit. Quid ita? Quoniam is scilicet, ad inexhaustam habendi cunctaque in suam ditionem redigendi cupiditatem consilia sua referens, non ad pacem neque ad otium neque ad æquitatem ullam, probe hoc perspexit, se nostræ civitati nostrisque institutis nihil ejusmodi posse vel polliceri vel præstare, quo adducti vos privati emolumenti gratia cæterorum Græcorum aliquos ipsi condonetis, sed et justitiæ rationem habentes, et ab ignominia ei rei adjuncta abhorrentes, et omnia quæ decent providentes, perinde occursuros esse, si quid tale conaretur, ac si bellum secum gereretis: Thebanos autem putabat, id quod accidit, modo ipsi lucrum facerent, permissuros ut suo arbitratu cætera administraret, et adeo non adversaturos et prohibituros, ut armis etiam adjuturi essent, si jussisset. Et nunc Messenios Argivosque, cum hanc ipsam de iis habeat opinionem, cumulat beneficiis. Id quod maximæ laudi vobis est, Athenienses: his enim factis de vobis solis judicatum est, vos neque lucri ullius causa communia Græcorum jura prodidisse, neque vestram erga eos benevolentiam ulla gratia ullove commodo commutasse. Atque adeo jure et de vobis ita sentit et de Argivis ac Thebanis aliter, non in hæc modo tempora intuens, sed et superiora considerans. Invenit enim, opinor, atque audit vestros majores, cum eis liceret reliquis imperare Græcis, dummodo ipsi regi parere vellent, talem sermonem non modo non tolerasse, cum venit ad eos istorum proavus Alexander hac ipsa de causa fecialis, verum etiam urbem deserere maluisse et nullas pati ærumnas recusasse talesque res gessisse postea, quas ut omnes celebrare perpetuo gestiunt, sic pro dignitate ornare nemo potuit, qua de causa eas et ego prætereo, jure; majora enim sunt eorum facinora quam quæ oratione explicentur: at Thebanorum et Argivorum majores, illos in exercitu fuisse barbari, hos ei non esse adversatos. Intellexit igitur utrosque privato commodo fore contentos, non communem Græciæ utilitatem spectaturos. Proinde putavit, se, si vos amicos delegisset, in ea quæ sint justa fuisse delecturum, sin illis se adjunxisset, adjutores habiturum suæ cupiditatis. Ob hæc illos vobis et superiori tempore et nunc præfert.

Neque enim triremes eis plures esse videt quam vobis: neque cum in mediterraneis quoddam invenerit imperium, maritimam potestatem et emporia contemnit: neque oblitus est sermonum et pollicitationum quibus pacem est adeptus.

3. At mehercule dicat aliquis, eum scire hæc omnia, neque potentiæ cupiditate iisque de causis quas ego criminer tum hæc egisse, sed quod æquiora quam nos Thebani postularint. Verum hanc vel minime omnium ei nunc prætexere licet causam: qui enim Messenam Lacedæmonios jubet dimittere, quo pacto, Orchomeno et Coronea tum Thebanis tradita, se illa fecisse, quod æqua esse putaret, simulare posset? Sed coactus est scilicet—hæc enim una reliqua est defensio—et præter animi sui sententiam, Thessalorum equitatu peditatuque Thebanorum circumventus, ista concessit. Præclare. Proinde dicunt Thebanos ei suspectos fore, et fabulantur quidam passim eum Elateam muniturum: is vero hæc adhuc facturus est et, ut ego judico, semper facturus erit, cum Messeniis autem et Argivis Lacedæmonios non *olim* aggressurus est, sed et peregrinos milites jam nunc eo mittit et pecuniam suppeditat et ipse cum magno exercitu exspectatur. Anne eos qui Thebanorum hostes sunt Lacedæmonios evertit, quos vero pridem ipse perdidit Phocenses in integrum nunc restituit? Ecquis ista credat? Ego vero non possum existimare Philippum, si aut superiora illa coactus fecisset aut nunc Thebanis renuntiavisset, cum illorum hostibus perpetuum bellum esse gesturum, sed ex his quæ nunc facit, illa etiam consilio se fecisse declarat. Omnia autem omnino, si quis recte æstimet, instruit et molitur contra nostram rempublicam. Idque nunc necessario quodammodo ei usu venit. Reputate enim. Imperare vult, hujus autem rei adversarios solos esse vos existimat. Injurius est longo jam tempore, cujus et ipse quidem sibi est optime conscius: iis enim quæ nobis erepta tenet, utitur ad cætera omnia in tuto collocanda; nam si Amphipolim et Potidæam amitteret, nec domi se tuto posse manere duceret. Utrumque igitur novit, et se vobis insidiari et vos id animadvertere. Cum autem vos cordatos esse putet, se jure vobis esse odio existimat et concitatus est, malum se accepturum timens, si occasionem nanciscamini, nisi antevertit. Propterea vigilat, imminet, quo reipub. nostræ noceant, colit Thebanorum quosdam et Peloponnensium qui cum his consentiunt, quos ut propter avaritiam in hoc rerum statu acquieturos putat, sic propter ingenii stuporem nihil eorum quæ sequentur prospecturos. At si qui vel mediocri prudentia sunt, manifesta iis exempla est cernere, quæ cum res ita ferret et apud Messenios et apud Argivos recensui: præstat autem fortasse vobis etiam exponi eadem.

4. Quam ægre, inquam, Messenii, audituros fuisse putatis Olyn-

thios, si quis contra Philippum aliquid dixisset illis temporibus, cum Anthemuntem eis concederet, quam urbem sibi omnes priores Macedoniæ reges vindicaverant, cum Potidæam donaret Atheniensium colonis ejectis, cum et nostras inimicitias ipse susciperet, et provinciam illis fruendam daret? Nunquid exspectasse ita secum actum iri, vel cuiquam ista dicenti credituros? Non hercule existimatis. Sed tamen, inquam, cum exiguo tempore alienæ terræ fructus percepissent, longo suapte privantur ab eo, turpiter ejecti, non victi tantum sed et proditi a seipsis et venditi: neque enim tutæ sunt liberis civitatibus nimiæ istæ cum tyrannis familiaritates. Quid porro Thessali? num putatis, inquam, cum eorum tyrannos ejiceret et rursus cum Nicæam et Magnesiam daret, hunc sibi impositum iri decemviratum exspectasse? aut qui Pylæam reddidisset, eum privatos ipsorum reditus intercepturum? nequaquam credidissent. Sed tamen evenerunt hæc et in omnium oculis versantur. Vos autem, inquam, largientem nunc et pollicentem spectatis Philippum, mox autem, postquam vos decepit et in fraudem induxit, deprecamini, si sapitis, ne videatis. Sunt quidem certe, inquam, omnigena reperta ad urbium custodiam et defensionem, ut valla et muri et fossæ et quæ sunt ejus generis. Quæ omnia manu fiunt et sumptus postulant: unum autem quoddam commune animus prudentium in semetipso possidet præsidium, quod cum omnibus bono est et saluti, tum vel maxime liberis civitatibus contra tyrannos. Quodnam igitur illud est? Diffidentia. Hanc custodite, hanc amplectimini; hanc si conservabitis, extra omne periculum eritis. Quid quæritis? inquam. Libertatatem. At non videtis Philippum alienissimas ab hac vel appellationes habere? rex enim et tyrannus omnis est libertatis inimicus et legibus infestus. Non cavebitis, inquam, ne, dum belli finem quæritis, dominum inveniatis?

5. His illi auditis, et applaudentes ut recte dictis, et multis etiam aliis orationibus a legatis et præsente me et postea, ut videtur, *habitis*, nihilo magis avellentur a Phillippi amicitia ejusque pollicitationibus. Neque hoc est absurdum, si Messenii et Peloponnenses quidam contra ea quæ animo esse optima perspiciunt [aliquid] agent, sed si vos qui et intelligitis ipsi et e nostris concionibus auditis, vobis insidias fieri, vos circumvallari, eo quod nihil nunc agitis, omnino, ut mihi videtur, nec opinantes opprimemini: adeo magis valet præsens voluptas et otium quam quod olim utile sit futurum. Ac de iis quidem quæ vobis agenda sint ipsi deinceps seorsim deliberabitis, si sapitis: quæ vero nunc respondere possitis ut vestra decreta recta esse videantur, ea jam dicam.

6. Erat igitur æquum, Athenienses, ut qui promissa attulerunt, quibus adducti pacem fecistis, citarentur: neque enim ipse unquam

sustinuissem obire legationem, neque vos scio belligerare desiissetis, si ita acturum Philippum pace impetrata putassetis; sed ab his rebus longe abhorrebant, quæ tum dicebantur. Et rursus alios citari *est æquum*. Quos? eos qui, cum ego facta jam pace a posteriore legatione quæ ad exigendum jusjurandum missa erat reversus, fucum reipublicæ fieri sentiens, hæc prædicebam et contestabar et non sinebam prodi Pylas neque Phocenses, dicebant me qui aquam potarem non injuria difficilem et morosum esse hominem, Philippum autem, quæ optaretis vos, si *intra Pylas* progressus esset, facturum, et Thespias quidem et Platæas muniturum, Thebanorum autem ferociam repressurum, Cherronesum suis sumptibus perfossurum, Eubœam et Oropum pro Amphipoli vobis redditurum: nam hæc omnia hic pro suggesto scio meministis esse dicta, quanquam parum acres in animadvertendis improborum injuriis. Et quod est omnium turpissimum, ut etiam posterorum vestrorum spei eadem ista pax adhærescat, insuper decrevistis: usque adeo in fraudem estis illecti. Quid igitur hæc nunc dico et illos citari jubeo? ego, per deos immortales, verum apud vos libere dicam et non dissimulabo. Non ut in convicium delapsus efficiam ut ego vicissim conviciis apud vos incessar, iis autem qui ab initio mihi infesti fuerunt nunc quoque præbeam occasionem aliquid iterum accipiendi a Philippo; neque ut frustra garriam. Sed *quod* aliquando vobis molestiora fore Philippi facta puto, quam nunc: rem enim progredi video, neque sane velim conjecturas meas esse veras, sed vereor ne id jam nimis in propinquo sit. Quando igitur vobis non jam liberum erit ea quæ eveniunt negligere; neque ista contra vos parari et strui ex me audietis aut alio quopiam, sed ipsi omnes videbitis et probe scietis, iracundos et asperos fore vos existimo. Vereor igitur ne cum ea legati reticuerint ob quæ se largitionibus corruptos esse sciunt, iis qui ea quæ per istos perierunt instaurare conantur, vestram experiri iracundiam usu veniat: video enim nonnullos plerumque non in rerum auctores, sed in hos qui in eorum sunt potestate, iram suam effundere.

7. Dum igitur res differtur et comparatur et alius alium exaudimus, unumquemque vestrum, licet probe gnarum, tamen commonefacere velim, quisnam est qui Phocenses et Pylas deserendas vobis suasit, quibus ille potitus viam sibi in Atticam et Peloponnesum munivit, perfecitque ut vobis non jam de tuendo jure Græcorum et de rebus extraneis consultandum sit, sed de patrio solo belloque Atticam ipsam attingente, quod dolore quidem afficiet unumquemque vestrum, ubi aderit, ortum est autem illo ipso die. Nisi enim tum decepti essetis vos, nullum jam foret negotium reipublicæ: neque enim navali bello superior classe unquam in Atticam venisset

Philippus, neque itinere pedestri per Pylas et Phocenses pervasisset, sed aut æqua fecisset et servata pace quievisset, aut e vestigio bello esset non minore circumventus, quam id fuit propter quod tum pacem expetiverat. Hæc igitur, ut admonendi gratia, nunc dixisse sufficiat: ipsa vero mala ne experimento certissime comprehendatis, dii omnes prohibeant! Neminem enim velim ego, ne si jure quidem perire debet, cum omnium discrimine atque damno pœnas subire.

AUGERI
ANALYSIS
ORATIONIS DICTÆ DE HALONESO.

Propositum.

Quanquam servabat pacem cum civitate Atheniensi factam Philippus, non otio tamen indulgebat; sed in Thracia et multis aliis in locis potentiam augebat suam, alia subigendo, alia accipiendo, alia opibus suis tuendo. Inter cetera suam fecerat Halonesum quæ olim Atheniensium fuerat, tuncque a piratis tenebatur, et Cardiam, civitatem in Chersoneso non contemnendam, in fidem suam receperat ac tutelam. His territi simul et irati Athenienses, Demosthenem et alios in Peloponnesum miserant, qui illius regionis civitates adversus Macedonum regem concitarent, eoque adducerent ut illi resisterent facta secum societate. His ille anxius misit Athenas Pythonem cum epistola, cujus præcipua capita ex ipsa oratione cognoscimus, quæ singulatim refutare orator aggreditur quicumque sit. In eo critici consentiunt orationem non esse Demosthenis, quum ea Atticas quidem veneres, ut mihi saltem videtur, at non Demosthenicam exhibeat eloquentiam. Ideo autem inter orationes Demosthenicas relata fuit quia ex Æschinis testimonio constat concionatum tunc fuisse Demosthenem. Melius diceretur, Responsio ad Philippi epistolam, atque ob id duntaxat de Haloneso dictam fuisse liquet, quod primum caput et epistolæ fuit et responsionis est de Haloneso.

Exordium.

Dicit orator eos qui pro jure Atheniensium dicunt, per crimina a Philippo ipsis objecta non debere prohiberi quominus libere concionentur. Itaque suscipit, et ea de quibus scripsit Philippus ordine percurrere, et ipsius legatorum orationi respondere.

1°. De Haloneso scribebat Philippus eam insulam suam esse quia eam a latronibus eripuerat, se tamen eam donare Atheniensibus, ceterum se de hac re velle judicio experiri. Hæc tria impugnat orator, arguendo scilicet Halonesum non esse Philippi quia eam latronibus eripuit, ac proinde iniquum esse donationis vocabulum, jam vero abhorrere a dignitate Atheniensium ut ipsi de insulis certent coram judicibus.

2°. Pacta quædam et conventa ab Atheniensi civitate poscebat Macedonum rex. Ostenduntur hæc pacta et fraudulenta esse et inutilia.

3°. Illius hortationem de prædonibus communiter pellendis evincitur esse valde insidiosam.

4°. De pacis emendatione quam et Philippus epistola et ejusdem legati verbis concedebant, hanc concessionem falsam esse demonstrat orator.

5°. Æque falsum est Athenienses ipsos decrevisse Philippi esse Amphipolim, quod paulo fusius ostenditur.

6°. Postulaverunt Athenienses ut ceteri Græci qui fœdere non continerentur liberi essent; postulatis annuit Philippus et contrarium fecit.

7°. Contendebat ille se nihil promisisse Atheniensibus: at certe promissa exstant quamvis res non secutæ sint.

8°. Scribebat idem se de his quæ post pacem factam cepit paratum esse rem arbitris permittere, et remisisse semper omnes captivos Atheniensium. Prius inutile est, posterius non omnino verum, si quidem rex Carystium quemdam Atheniensibus noluit condonare.

9°. De Chersoneso et Cardia, nec æqua rex Macedo scripsit, nec vera, nec digna Athenis.

Orationis conclusio.

Concludit orator vituperando eos qui epistolam Philippi laudabant, et pollicendo se et regis epistolam et legatorum verba plenius refutaturum.

Dicta est hæc oratio anno secundo Olympiadis CIX, sub Pythodoro archonte.

LIBANII ARGUMENTUM IN ORATIONEM DE HALONESO.

INSCRIBITUR hæc oratio, De Haloneso, sed rectius forsan inscriberetur, Responsio ad Philippi epistolam. Scripsit enim is ad Athenienses, multis de rebus disserens, quarum una erat Halonesus, quæ quum antiquitus Atheniensium esset, temporibus Philippi a latronibus tenebatur. Quibus Philippus ejectis, repetentibus Atheniensibus insulam non reddit, quod suam esse dicat, petentibus eam daturum se pollicetur. Neque vero oratio mihi videtur esse Demosthenis; idque tum ex genere dictionis potest animadverti, tum ex concentu compositionis, quæ a forma Demosthenica longe recedit, quum remissa sit et dissoluta omnino, atque ab hujus oratoris genere prorsus abhorrens. Quin illud etiam dictum ad finem orationis, *si modo vos cerebrum in temporibus, et non in calcibus conculcatum geritis*, non parvo indicio est spuriam esse hanc orationem. Nam Demosthenes libertate quidem in dicendo solet uti, sed hæc contumelia est et convicium modum excedens. Adde quod perquam vilis insit ei elocutio, et ineptum quid judicetur homines in temporibus habere cerebrum. Atque adeo veteres quoque hanc orationem non esse hujus oratoris suspicati sunt, et deprehendêre quidam eam esse Hegesippi, tum ex sermonis forma (is enim tali usus est), tum ex rebus ipsis. Nam ejus orationis scriptor, se Callippum Pæaniensem violatarum legum reum fecisse dicit; porro constat Callippum non a Demosthene, sed ab Hegesippo, reum esse factum. At, per Jovem, oratio suadet Atheniensibus, ut Halonesum non accipiant, sed recipiant, ac de verbis controvertitur; Æschines autem dicit Demosthenem hæc Atheniensibus suasisse. Quid tum postea? Possunt quippe Demosthenes et Hegesippus eamdem fecisse suasionem, siquidem alias ejusdem erant in republica instituti, et oratoribus Philippi studiosis adversabantur. Meminit etiam Demosthenes Hegesippi, ut collegæ sui in obeunda legatione et oppositi Macedonibus. Perspicuum est igitur, quum oratio Demosthenis de Haloneso habita non exstaret, sed periisset, aliquos eam quæ inventa est illi tribuisse, hac re ductos quod Demosthenes de Haloneso habuisset orationem, neque scrutatos an hæc revera esset illa per eum scripta oratio.

ORATIO DE HALONESO.

1. MINIME committendum est, Athenienses, ut propter ea crimina, quæ Philippus iis objicit qui pro jure vestro apud vos dicunt, a suadendo vobis ea quæ e re vestra sunt, prohibeamur: non ferendum enim fuerit, missis ab illo epistolis libere pro concione dicendi facultatem nobis eripi. Ego vero, Athenienses, primum ea de quibus scripsit Philippus, ordine percurram; post, quibus de rebus legati verba fecerunt, et ipsi dicemus.

2. Philippus auspicatur ab Haloneso, eamque, quum sua sit, se vobis dicit donare; at vos jure eam repetere negat, [1]quæ nec vestra fuit quum ipse tunc cepit, neque nunc est quum tenet. Ad nos etiam ea verba fecit quum apud ipsum legatione fungeremur, se nempe occupasse insulam hanc latronibus ereptam, ac proinde suam esse debere. Neque vero difficile est hanc ipsi rationem extorquere quæ sit iniqua. Omnes enim latrones aliena loca occupant, eaque muniunt ut inde alios infestent. Quod si quis latrones ultus fuerit et superarit, non sane probanda dicat si contenderit ea quæ illi per injuriam tenebant aliis erepta, sua fieri. Nam si hæc concedetis, quid prohibet, si quem vel Atticæ locum, vel Lemni, vel Imbri, vel Scyri, prædones invaserint, et aliqui eosdem armis expulerint, quin statim is quoque locus in quo prædones fuerant, quamvis vester [noster] sit, illorum fiat qui represserint latrones? Philippus autem non ignorat se injusta dicere, sed quum id melius quam quilibet norit, fucum vobis posse fieri sperat per eos qui sua ipsius hic administraturi sunt ut ipse vult, quique id et ante promiserunt et nunc etiam agunt. Jam neque hoc ipsum præterit, per utrumque nomen, utro malueritis uti, vos insulam habituros, sive accipiatis, sive recipiatis. Quid igitur eum movet ut ne vobis restituat justo usus vocabulo, sed donet usus injusto? Non utique hoc ut in vos beneficium contulisse profiteatur (ridiculum enim istud fuerit beneficium), sed ut Græcis omnibus ostendat, bene secum agi Athenienses existimare, si maritima loca a Macedone accipiant. Hoc vero vobis, Athenienses, non est admittendum. Quum autem dicit se de his velle judicio experiri, nihil aliud nisi vos deridet; primum quum postulat ut Athenienses viri cum eo qui Pella est oriundus de insulis apud judicem ambigant, utrum vestræ an illius sint. [2]Deinde, si vestra hæc potentia, quæ Græcos in libertatem asseruit, maritima vobis loca non poterit tueri, judices vero quibus rem sua auctoritate decidendam permiseritis, hi vobis eas conservabunt, si tamen a Philippo largitionibus

[1] Quam dum vestra esset, neque ceperit neque nunc teneat. WOLF.

[2] Nam ubi vestra potentia. IDEM.

non corrumpentur; nonne vos, si hæc admittatis, omnibus in continente ceditis sine ulla controversia, et mortalibus universis ostenditis, vos pro nulla re pugnam cum illo suscepturos, siquidem pro imperio maris, in quo vos potentes esse gloriamini, non pugnabitis, sed sententiam judicis exspectabitis?

3. Jam quod ad pacta et conventa attinet, se quosdam misisse ait qui ea vobiscum facienda curaturi sint; res autem futuras ratas, non ubi in vestra curia decisæ fuerint, quemadmodum lex jubet, sed quum ad se fuerint relatæ, vestram ipsorum cognitionem ad suam ipsius auctoritatem referens. Nam hoc vobis præcipere vult, et in conventis pro confesso statuere, se de factis in Potidæa injuriis non accusari a vobis injuriæ, sed illud confirmari jure se eam et occupasse et tenere. Atqui quotquot Athenienses Potidææ habitarunt, quanquam eis cum Philippo non erat bellum, sed societas, et intercesserat jusjurandum, fidemque Philippus Potidææ habitantibus dederat, tamen facultatibus suis ab eo spoliati sunt. Postulat igitur hoc ut ab omni parte confirmetis, se de hisce criminibus non accusari a vobis, et nullis affectos esse vos injuriis profiteamini. Nam Macedonibus nihil omnino opus esse conventis erga Athenienses, præteritum tempus evidenti vobis argumento sit. Nec enim vel Amyntas Philippi pater, vel reliqui Macedoniæ reges cum nostra civitate conventa unquam fecerunt, quamvis plura tunc commercia quam nunc inter nos mutuo exsisterent. Nam nostræ potestati subdita erat Macedonia, et tributa nobis pendebat, et portubus tunc magis quam nunc tam nos illorum quam ipsi nostris utebantur, et judicia mercaturarum non erant sic accurata ut hodie; quæ quia singulis mensibus exercentur, efficiunt ut, tanto locorum intervallo sejuncti, conventis nihil [1]indigeamus. Sed tamen, quum illis temporibus tale nihil in usu esset, non expediebat, factis conventis, ad jura petenda vel ex Macedonia Athenas, vel Athenis in Macedoniam navigari; sed ut nos illorum, sic illi nostris institutis et legibus judicari controversias patiebantur. Scitote itaque ista conventa fieri ut vobis deinceps nullam esse causam probabilemPotidææ vindicandæ concedatis.

4. At de prædonibus æquum esse ait ut qui piraticam in mari exercent, a vobis et a se communiter pellantur, non aliud nempe quam hoc postulans ut sibi a vobis tradatur maris imperium, utque confiteamini vos sine Philippo neque mare tueri et custodire posse. Hanc etiam sibi dari vult licentiam, ut quocumque navigans et insulas invectus per speciem arcendi prædones, insulares corrumpat, et a vobis alienet, nec solum Macedonicos exsules per imperatores vestros transportet Thasum, sed et reliquas sibi vindicet insulas,

[1] Indigeant. Wolf.

mittendis hominibus qui se nostrorum ducum classi adjungant, tanquam custodiæ maris consortes futuri. Sunt qui negent illi mari opus esse ad [1]sua amplificanda. At is qui mare negligit, triremes comparat, exstruit navalia, et classes instituit mittere, neque parvos sumptus facit in certamina maritima quibus nihil habet antiquius. Num igitur putatis, Athenienses, Philippum hæc concedi sibi a vobis postulaturum, nisi et vos contemneret, et in istis summam haberet fiduciam quos hic amicos sibi acquirere decrevit? Quos non pudet Philippo vivere potius quam suæ patriæ, et munera ab illo accepta se ferre domum arbitrantur, quum ea quæ domi sunt vendere non dubitent.

5. Jam de pacis emendatione, cujus emendationis legati ab eo missi licentiam nobis dederunt, quia id emendavimus quod apud omnes mortales justum censetur, ut utrique sua teneant, eam se licentiam dedisse, et de ea legatos ad vos dixisse negat, propter nullam aliam causam nisi quod ab istis quibus amicis utitur persuasus est vos ea quæ dicuntur in suggestu non meminisse. Atqui solum hoc obliti esse non potestis. Nam in eadem concione et legati ad vos ab eo missi verba fecerunt, et scriptum est decretum. Itaque fieri nequit, quum in præsentia verba facta essent, et statim decretum recitaretur, ut vos decretum istud quod mentiretur in legatos, vestris suffragiis comprobaveritis. Quare hoc non contra me, sed contra vos scripsit; vos iis de rebus de quibus nihil audissetis responso dato decretum illud ad se misisse. Ac legati quidem ipsi contra quos decretum mentiretur, quum eis de scripto responderetis, et eos invitaretis ad hospitium, non ausi fuerunt prodire ac dicere: Contra nos mentimini, Athenienses, et ea nos dixisse jactatis quæ non diximus; sed taciti abierunt. Volo autem vos, Athenienses,—nam Python qui tum legatum agebat, apud vos in concione laudatus fuit—, eorum verborum quæ ille dixit commonefacere; quippe scio vos ea meminisse. Fuerunt autem perquam similia iis quæ scripsit Philippus. Nam dum de nobis Philippum criminantibus quereretur, etiam vos incusabat; scilicet vos, quum incitaretur rex ad bene de vobis merendum, et vos amicos expeteret præ ceteris Græcis, illius desideriis obsistere, calumniatorum dicta approbantes qui eum criminarentur a quo pecuniam peterent. Quum enim ad illum afferuntur talia dicta, quibus ut ipse proscinditur, ita vos oblectamini, mutari ejus animum, quod [2]iis videatur infidus de quibus bene mereri statuit. Proinde vetabat, ne populi oratores pacem reprehenderent,—nec enim eam esse dissolvendam—, sed si in pacis conditionibus aliquid perperam scriptum esset, id jubebat emendare; quippe Philippum facturum esse omnia quæ vos decre-

[1] Sua vel tutanda vel amplificanda. Wolf. [2] Illis insidiari putetur. Idem.

vissetis. Quod si oratores calumniari pergerent, et ipsi tamen scriberent nihil, per quod et pax firmaretur, et Philippus desineret perfidus haberi, istiusmodi hominibus non esse auscultandum.

6. Hæc vos audientes probabatis, et dicebatis Pythonem æqua postulare, ut erant æqua. Dicebantur autem non ut ea quæ illi utilia fuerunt, et pro quibus magnam pecuniam dilargitus fuerat, e fœdere tollerentur, sed ab [1] istis hic magistris prius edoctus fuerat, qui putabant fore neminem qui Philocratis decreto per quod Amphipolis periit, intercedere auderet. Ego vero, Athenienses, nihil contrarium legibus scribere ausus sum, at decreto Philocratis quod cum legibus pugnabat, scripsi contraria, ut ego demonstrabo. Nam Philocratis decretum quo vos perdidistis Amphipolim, prioribus decretis adversabatur per quæ vos illam obtinuistis regionem. Ac decretum quidem Philocratis erat legibus contrarium, neque fieri poterat ut is qui scriberet legibus congrua, scriberet consentanea decreto legibus contrario. Quum autem prioribus illis decretis, quæ et legitima erant, et vestram vobis servabant ditionem, scriberem consentanea, cum legitima scripsi, tum Philippum coargui, ut qui et fucum vobis faceret, et pacem nollet emendari, sed id ageret ut oratoribus reipublicæ studiosis fides apud vos abrogaretur. Ac eum quidem fœderis emendandi licentiam quam vobis dedit, nunc a se datam esse negare, omnes scitis. Dicit vero suam esse Amphipolim; quippe vos eam sibi tradidisse, quum decerneretis ut quæ habebat haberet. Atqui vos tale decretum sane fecistis, at Amphipolim ipsius esse nunquam decrevistis. Haberi enim possunt etiam aliena; nec omnes qui habent, sua habent, quum multi etiam aliena possideant. Quare istæ illius argutiæ ineptæ sunt. Ac decreti quidem Philocratis meminit, epistolæ autem illius quam misit ad vos dum obsideret Amphipolim, oblitus est; in qua confitebatur Amphipolim esse vestram, et promittebat eam se vobis redditurum si expugnasset, ut quæ esset vestra, non eorum qui tunc tenebant. Proinde qui prius incolebant Amphipolim quam eam vi caperet Philippus, Atheniensium regionem habebant scilicet: postquam vero eandem Philippus cepit, non tenet regionem Atheniensium, sed suam. Imo ne Olynthum quidem, non Apolloniam, non Pallenen tenet ut alienas, sed ut [2] suas. Numquid vobis videtur caute et circumspecte [3] scribere omnia, ut appareat eum et dicere et agere quæ apud omnes homines justa habentur, ac non potius hominum existimationem penitus despicere, qui regionem illam quam Græci et rex Persarum decreverunt et confessi sunt esse vestram, eam suam esse et non vestram asseveret?

7. Quantum ad alterum caput quod in pace emendavistis, ut

[1] Nostratibus istis magistris. Wolf.
[2] Suas provincias. Idem.
[3] Ad vos omnia scribere. Idem.

nempe ceteri Græci qui fœdere non continerentur liberi essent suisque viverent legibus, ac si quis eos invaderet, ut eis fœderati ferrent auxilium; [1] non arbitrantes hoc æquum esse et humanum, quum nos sociique nostri, quum Philippus ejusque socii pacem agerent, alios qui neque nostri neque Philippi socii essent, desertos et relictos [2] perdi a potentioribus, sed hos quoque propter nostram [vestram] pacem esse incolumes, et nos revera pacem agere qui arma posuissemus: is porro qui in epistola sua, ut audivistis, hanc emendationem fatetur æquam esse et a se recipi, Pheræis urbem eripuit, et arci imposuit præsidium, ut scilicet suis legibus vivant, contra Ambraciam vero duxit exercitum, [et] tres urbes in Cassopia, Pandosiam, Buchetam et Elateiam, Eleorum colonias, exustis agris, oppidisque vi subactis, Alexandro affini suo in servitutem dedit. Ille sane vehementer cupit Græcos esse liberos, suisque vivere legibus, ut facta ipsa declarant.

8. De pollicitationibus vero quibus vos lactat indesinenter, tanquam magna in vos beneficia collaturus, se falso a me accusari, et apud Græcos in invidiam adduci dicit, quum vobis nihil unquam sit pollicitus. Usque adeo impudens est, is ipse qui in ea epistola quæ adhuc in *bouleuterio* habetur, scribebat se nobis sibi adversantibus os obturaturum si pax fieret, tot se beneficia in vos collaturum, quæ scripsisset jam tunc si novisset pacem futuram esse: bona illa nimirum quæ accepturi eramus prompta erant et expedita, si pax fieret. At, facta pace, beneficia in nos conferenda evanuerunt, tantaque Græciæ vastatio consecuta est quantum vos scitis. Vobis autem in hac epistola pollicetur, si et suis amicis ac defensoribus credatis, et nos puniatis qui ipsum apud vos criminamur, se in vos fore beneficentissimum. At illa beneficia erunt hujusmodi, neque vestra vobis reddet—sua enim esse contendit—, neque dona in hoc orbe habitabili locabuntur ut non incurrat in odium Græcorum; sed verisimile est fore ut aliqua alia regio et alius aliquis locus subito emergat ubi dona illa vobis dabuntur.

9. De oppidis autem quæ, quum vestra essent, tempore pacis occupavit, fœdere rupto et pace despecta, postquam non habet quid respondeat, sed injuriarum palam convincitur, de his arbitrium æquo et communi judicio permittere se paratum esse dicit, quum ea sola sententiam judicis non requirant, sed ipse dierum numerus sit judex. Omnes enim scimus quo mense et quoto die pax facta sit. Quemadmodum autem hæc scimus, sic nec illa ignoramus quo mense, et quoto die Serrium castrum, Ergisce, et Sacer Mons capta sint. Non utique res peractæ ita obscuræ sunt ut disceptatio requiratur,

[1] Nam et æquum hoc et humanum esse ducebatis. Wolf.
[2] Non perdi. Idem.

at notum omnibus priorem fuisse mensem eum quo pax facta est quam quo illa oppida capta sunt. Porro ait quotquot in bello e vestris civibus [capti sint], eos captivos se vobis reddidisse; quum Carystium, nostræ civitatis hospitem, cujus viri resposcendi gratia vos tres legationes misistis, tam vehementer voluerit vobis condonare, ut ipsum interfecerit, nec interfecti cadaver dederit ad sepulturam.

10. Jam de Chersoneso ea quæ ad vos scribat perpendere fuerit operæ prætium, et præter hæc etiam ea quæ agit cognoscere. Nam locum omnem qui extra Forum est, ut suum et nihil ad vos attinentem, Apollonidæ Cardiano fruendum concessit. Atqui Chersonesi limites sunt non Forum, sed ara Jovis [1]terminalis, quæ est intra Pteleum et [2]Leucam, quo in loco fossa ducenda fuit qua Chersonesus disterminaretur. Id quod aræ inscriptio Jovis [1]terminalis indicat. Quæ sic jacet:

Limes ut in medio Leucæ Pteleique notetur,
Hæc summo pulcra est ara sacrata Jovi.
Ne populos turbet contentio, Juppiter ipse
Rex superum medius limite signat agros.

Hac igitur regione quæ tanta est quantam norunt plerique vestrum, partim ut sua ipse fruitur, partim aliis eam dono dedit, omnesque possessiones vestras sibi vindicat. Nec eam tantummodo usurpat regionem quæ extra Forum est, sed et in hac epistola scribit vos oportere cum Cardianis qui intra Forum habitant judicio transigere, si qua vobis cum illis controversia sit, cum Cardianis, inquam, qui in ditione vestra consederunt. Considerate autem num parva de re illi vobiscum controvertant. Se dicunt regionem incolere quæ sua sit, et non vestra; et quidquid vos ibi possideatis, id vos possidere tanquam in aliena ditione partum, at quæ ipsi teneant, se tenere tanquam fundos in sua terra; et hæc civem vestrum, Callippum Pæaniensem, decreto scripsisse. In quo haud sane mentiuntur, scripsit enim. Quem quum ego violatarum legum reum fecissem, vos absolvistis. Proinde id effecit ut ea de regione haberetis controversiam. Quod si vos non pudebit de hoc in judicium venire contra Cardianos utrum ea regio vestra, an vero ipsorum sit, cur non eodem etiam contra Chersonitas reliquos jure utimini? Quin insultat vobis adeo contumeliose, ut aiat, si Cardiani venire in judicium recusent, se eos coacturum: quasi vero vos ne Cardianos quidem possitis adigere ad ea vobis præstanda quæ justa sunt. Quod quum vos nequeatis, ipse se illos ad id faciendum

[1] Montani. Wolf. [2] Albam Actam. Idem.

coacturum dicit. An non manifestum est ipsum magna in vos conferre beneficia?

11. Nec desunt tamen qui hanc epistolam egregie scriptam esse asserant: qui quidem majore vestro, quam Philippus, odio digni sunt. Is enim, dum vobis in rebus omnibus adversatur, sibimetipsi gloriam et magnas opes acquirit: at quicumque, Athenienses quum sint, benevolentiam erga Philippum, non erga patriam significant, eos convenit a vobis malos male perdi, si modo vos cerebrum in temporibus, non in calcibus, conculcatum geritis. Reliquum adhuc mihi est ut et ad præclaram istam epistolam, et dicta legatorum, responsum scribam quod et æquum esse et vobis utile existimem.

A U G E R I

ANALYSIS

ORATIONIS DE CHERSONESO.

Propositum.

Quum Atheniensibus Chersonesum cessisset Cersobleptes Thraciæ rex, Cardia, hujus regionis maxima civitas, detrectato Athenarum imperio, se addixerat regi Macedonum, qui eam in fidem suam ac tutelam receperat. Miserunt Athenienses coloniam in Chersonesum, et ejus coloniæ ducem constituerunt Diopithem, patrem Menandri illius comœdiarum scriptoris. Qui cum exercitu profectus, ut Philippi motus et consilia exploraret, quum illum videret pergentem tueri Cardiam, maritimam Thraciam, quæ Macedoniæ parebat, incursionibus vexat ac populatur, et antequam rex revertatur e superiori Thracia ubi gerebat bellum, in tuta se recipit. Quum ille armis tunc ulcisci non posset, ducem Atheniensem per literas accusat tanquam pacis violatorem. Oratores itaque Philippo studentes in Diopithem invecti, supplicium de eo sumi jubent. Eis adversatur Demosthenes, atque hac oratione defendit Diopithem, et vehementer accusat Philippum, ut qui prior pacem violarit; negat imprimis, et in hoc instat maxime, exercitum esse dimittendum.

Exordium.

Hortatur Athenienses orator ut, dum alii odio vel gratia adducti, animo suo morem gerentes, dicunt, ipsi ea quæ sunt e republica et decernant et faciant. Monet hic non agi de Diopithe et ejus actis, sed de Chersoneso servanda, sed de Philippo coercendo, ne ea ille præripiat, quæ restitui in integrum non poterunt.

Confirmatio.

1°. Eos oratores impugnat Demosthenes qui dicebant decere omnino ut consultor plane vel bellum gerere vel servare pacem juberet. Ostendit non dari optionem, sed illud omnium justissimum maximeque necessarium relinqui Atheniensibus ut eum ulciscantur qui prior ipsis bellum intulit.

2°. Probat non exercitum esse dimittendum, quod inde plura evenirent incommoda.

3°. Non modo non dimittendus est exercitus, sed novis etiam suppetiis augendus, nisi velint Athenienses ea facere quæ maxime Philippus optarit, et eo modo se gerere quo ille cupiat. Hincque per occasionem ipsos objurgat qui neque possint quiescere, neque ea agere studeant quæ expediunt.

4°. In eos orator invehitur qui, dum criminabantur Diopithem, prohibebant ne victus exercitui suppeditaretur, ipsumque jubebant per imperatorem et copias revocare.

5°. Ipsos increpat Athenienses, qui alium existimant malorum omnium auctorem ac ipsum Philippum, et moleste ferunt si quis illum armis coercendum contendat. Per figuram alios Græcos loquentes inducit et Atheniensibus inertiam simul et inquietem animum exprobrantes.

6°. Respondet iis qui interrogant quidnam agendum sit, Athenienses debere esse persuasos Philippum pacem violasse, civitati suæ bellum inferre, hanc deletam velle, et omnia quæ molitur et apparat nunc ad hanc oppugnandam pertinere, ac proinde istis deponendam esse perniciosam socordiam et habendas esse paratas semper legiones.

7°. Hortatur suos cives magna cum vehementia ut fortiter resistant Philippo, etiamsi pro certo tenerent illum in se non impetum esse facturum, ob dedecus quod ex ignavia orietur.

8°. Nonnulli jactitabant pacis commoda, exercitus alendi molestias, et pecuniarum publicarum direptiones: his omnibus occurrit orator, moxque expendit cur Philippus non dicatur bellum excitare qui tam manifeste bellum gerit, et ii dicantur excitare qui clamant Philippo esse resistendum; cujus vis eo validius propulsanda est quo certior et gravior in civitatem Atheniensem incumbet, quam ille cupit penitus exscindere.

9°. Verum cur Philippus idem Atheniensibus insultat, quum alios saltem benefaciendo deceperit? Quia nempe in sola civitate Atheniensi causam hostium agere impune licet: quod probatur per exempla. Hinc ii qui pro Philippo loquuntur divites sunt facti et illustres dum e contra civitas inops est et obscura.

10°. Nonnulli dicebant de Demosthene, alii eum esse mollem ac timidum, alii verba tantum ab ipso proficisci. Ille utrisque respondet magno spiritu, et per exemplum Timothei probat res confici tandem dum loquuntur oratores et audientes agunt.

11°. Concludit exponendo quid agendum sit Atheniensibus ut res prospere succedant; sine quo frustra et orator locutus fuerit et auditores oratori applauserint.

Dicta est hæc oratio tertio anno olympiadis cix, sub archonte Sosigene.

ARGUMENTUM

IN ORATIONEM DE CHERSONESO

EX

TOURELLIO.

HABITA fuit hæc oratio, Archonte Sosigene, biennio post Philippicam secundam. Est revera nil aliud, nisi defensio Diopithis, qui coloniam Atheniensem deduxerat in Chersonesum, peninsulam Thraciæ, tunc temporis sub

ditione Athenarum. Chersonesitæ, imperio auscultantes, colonos acceperunt, et cum illis domicilia agrosque suos partiti sunt. Cardiani soli repulerunt; libertatem suam imminutum iri simulantes. Hoc reipublicæ dedecus omnino ulciscendum ratus Diopithes, injussu civitatis in fines Cardianorum infenso exercitu venit. Hi ad Philippum confugiunt, qui eorum tutelam libenter in se suscepit. Diopithes defensorem Cardianorum rebellium, hostem reipublicæ judicans, et nactus opportunum tempus, quando Philippus bello adversus Amadocum Odrysiorum regem in Thracia superiori occuparetur, maritimam Thraciam, quæ Macedoni parebat, repentina incursione populatur, ingentem prædam aufert, et priusquam redire posset Philippus, se suamque prædam in tutum recipit. Philippus, cum injuriæ ut libuit vindicandæ non data esset copia, satis habuit per literas apud Athenienses graviter conqueri. Mercenarii itaque oratores Philippo inservientes, in Diopithen acerrime invecti, latrocinii hominem et violati fœderis accusant, et ut revocaretur efflagitant. Demosthenes salutem Diopithis cum reipublicæ utilitate conjunctam cernens, causam ejus defendendam suscipit. Diopithis culpam in inopiam et angustias rejicit, quibus per socordiam civium premeretur: animos eorum ad Philippum converti, ejus cœpta hostilia et fœderi adversa monstrat: docet denique, e republica facere, et gratias mereri, quicunque tales conatus reprimeret et ulcisceretur.

LIBANII ARGUMENTUM IN ORATIONEM DE CHERSONESO.

Hac oratione Diopithes defenditur, et crimina illi apud Athenienses objecta diluuntur. Fuit enim Thracia Chersonesus antiqua possessio Atheniensium; qui Philippi temporibus colonos e suis civibus illuc miserunt, veteri more suo, quo pauperes atque inopes cives in extera sua oppida habitatum ablegabant, armis et viatico e publico datis. Id quod nunc quoque factum est, missis in Chersonesum colonis, et Diopithe cum imperio eis præfecto. Ac Chersonesitæ quidem reliqui eos qui advenerant in societatem ædium et agrorum receperunt: Cardiani vero, quod regionem suam tenere se dicerent, non Atheniensium, repulerunt. Hinc a Diopithe Cardiani bello cum peterentur, ad Philippum confugiunt. Is igitur per literas Atheniensibus edicit, ne Cardianis suis clientibus vim faciant; sed jure ut agant, si quam sibi factam esse injuriam querantur. Quod cum Athenienses detrectarent, auxilia Cardianis mittit: quam rem Diopithes graviter ferens, dum Philippus in Mediterraneis superioris Thraciæ cum Odrysiorum rege bellum gerit, maritimam Thraciam, quæ Macedoni parebat, incursionibus vexat et populatur; ac antequam Philippus reverteretur, regressus in Chersonesum, in tuta se recipit. Quare cum Philippus armis eum ulcisci non posset, per literas ducem illum apud Athenienses accusat, ut qui aperte pacem violasset. Oratores itaque Philippi studiosi, in Diopithen invecti, supplicium de eo sumi jubent: quibus Demosthenes adversatus, duplici ratione Diopithen defendit. Eum enim inique fecisse quicquam negat; nam cum Philippus longe prior pacem violarit, et urbi Atheniensium noceat, non injuria hunc etiam se pro hoste gerere; nec esse e republica eum imperatorem supplicio affici, et ejus exercitum dimitti, qui nunc Philippum Chersonesi aditu prohibeat. Denique ad bellum hortatur, et vehementer Philippum accusat, ut injurium et fœdifragum, et Atheniensibus simul et reliquis Græcis insidiantem.

DEMOSTHENIS

ORATIO DE CHERSONESO.

1. Æquum esset, Athenienses, oratores vestros omnes, neque odio impulsos, neque ad gratiam *cujusquam* verbum ullum loqui, sed quod quisque optimum duceret, id proferre, vobis præsertim de publicis magnisque negotiis deliberantibus: sed quia nonnulli, alias æmulatione, alias quacunque de causa ad dicendum impelluntur, vestri, Athenienses, officii est, ut aliis rebus omnibus omissis, quæ futura esse putatis e republica, ea et decernatis et exsequamini. Cura igitur *præsens* res in Chersoneso gestas spectat et expeditionem illam, qua Philippus suscepta undecimum jam in Thracia mensem versatur: orationes autem pleræque de rebus habentur, quas Diopithes gerit et facturus est. Ego vero de iis *criminibus*, quorum quivis insimulat aliquem eorum, quos penes vos est ex legibus, quandocunque voletis, punire, sive jam vobis visum sit, sive paulisper inhibentibus, de hisce, *inquam*, ut deliberatio fiat, licere arbitror; neque esse necessarium, ut vel ego vel quisquam alius ea de re contentionem suscipiat: quæ vero Philippus, nostræ civitatis hostis magnasque copias circa Hellespontum habens, *vobis* præripere conatur, quæque nos occasione semel neglecta restituere in integrum nunquam poterimus, de his expedit, opinor, quam primum et decerni et paratos esse, neque ea propter turbas, aliis de rebus *excitatas*, et criminationes deserere.

2. Quanquam autem multa quæ apud vos dici solent mirer, dudum tamen vel in primis illud demirabar, Athenienses, quod in senatu quempiam dicentem audiebam, decere omnino consiliarium, ut vel plane bellum gerere vel servare pacem suadeat. Sic autem se res habet,—si Philippus quiescit, neque rupto fœdere quicquam vobis ereptum tenet, neque omnes pariter homines in nos armat concitatque, nihil est dicendum, sed plane pax agenda: et quod ad vos quidem attinet, parata esse omnia video. At si, quæ juravimus et quibus *conditionibus* pacem fecimus, ea in conspectu sunt et relata in tabulas, Philippum vero constat, antequam Diopithes cum colonis, in quos concitati belli crimen nunc confertur, hinc solveret, multa vobis per injuriam eripuisse, quibus de rebus decreta hæc vestra eaque rata exstant, quæ illum accusent, et omni tempore continenter tum cæterorum Græcorum tum barbarorum res occupasse et contra nos instruxisse, quid est cur isti dictitent, vel bellum gerendum esse, vel pacem retinendam? Nec enim utrum velitis, op-

tio datur, sed illud omnium operum justissimum maximeque necessarium relinquitur, quod isti de industria transiliunt. Quodnam illud est? ut eum ulciscamur, qui prior bellum nobis intulit. Nisi forte illud mehercule dicunt, quod, si abstineat Attica Piræoque Philippus, neque injuria urbem afficit neque bellum facit: qui si jus et æquum ista regula metiuntur et istos pacis limites constituunt, eos utique nec æqua nec ferenda dicere nec tuta vobis, perspicuum est omnibus; ac præterea accidit, ut hæc ipsa quæ dicunt, contraria sint accusationibus quas contra Diopithen ferunt.

3. Nam qui convenit, ut Philippo quidvis agendi licentiam demus, modo Atticam non invadat; Diopithen vero nec Thracibus opitulari sinamus, aut *si opituletur*, concitare bellum dicamus? Sed hæc scilicet exagitantur, ac non minus sunt gravia quæ agunt mercenarii milites, cum Hellespontum populantur, et injuste facit Diopithes navigia intercipiendo, neque hoc est permittendum. Esto, fiant hæc, nihil contradico. Veruntamen decere arbitror, si ex animo ista consulunt æquitatemque spectandam putant, ut quemadmodum constitutas nostræ urbis copias dissipare conantur, ducem earum, *suapte industria parta* stipendia solventem, apud vos calumniando, ita ostendant, si vobis hæc persuasa fuerint, etiam Philippi exercitum dilapsurum. Quod nisi *demonstrarint*, nihil aliud eos agere cogitate, nisi ut denuo rempublicam nostram in eum reducant statum, quo res præsentes omnes peirerunt. Scitis enim profecto, nihil omnium rerum tam profuisse Philippo ad nostram urbem superandam, quam quod prior omnes occasiones arripuit. Namque is, cum semper expeditum circum se atque instructum exercitum habeat, et quid facturus sit jam antea deliberarit, derepente quos libitum est aggreditur: nos vero, ubi jam aliquid factum esse audivimus, tum demum tumultuamur et *bellum* paramus. Inde nimirum accidit, ut ille omnia, quæ invaserit, summa cum tranquillitate potiatur; nos autem serius *ubique* adveniamus et frustra impensas omnes faciamus, ostensis quidem inimicitiis et *ejus conatibus* obsistendi voluntate, sed neglectis occasionibus et rebus infectis dedecus etiam insuper suscipiamus.

4. Ne igitur ignoretis, Athenienses, etiam nunc cætera quidem verba esse atque commenta, hoc vero agi et omni ratione strui, ut dum vos domi maneatis et nullæ nostræ urbis copiæ foris sint, per summum otium quæcumque vult Philippus conficiat. Videte etenim primum, quid in præsentia fiat. Nunc ille cum magno exercitu in Thracia versatur, et *copias*, ut præsentes hi dicunt, accersit e Macedonia et Thessalia. Quod si exspectatis Etesiis Byzantium aggressus obsederit, primum an putatis fore, ut Byzantii in eadem qua nunc sunt amentia maneant, et vos non accersant auxiliaque vestra non postulent? Equidem non opinor, sed si quibus minus etiam fidunt

quam vobis, eos quoque potius *in urbem* recipient, quam urbem illi tradent, nisi vi prius eam occuparit. Cum nos igitur et hinc navigare non poterimus, et illic nulla præsidia parata erunt, nihil obstabit quominus pessum eant. Sane, *dicat aliquis*, intemperiis enim agitantur homines isti, nec ad eorum amentiam addi quicquam potest. Omnino, sed incolumes tamen eos oportet: id enim est e republica. Præterea ne illud quidem compertum habemus, fore ut Chersonesum non invadat: sed si ex ejus epistola, quam ad vos misit, judicandum est, ulturum se ait milites Chersonesitanos. Proinde si exercitus hic jam constitutus retinebitur, is et provinciam tueri nostram poterit et illius ditionem nonnihil infestare: sin semel dilabetur, quid agemus, si Philippus Chersonesum invaserit; Diopithen in judicium adducemus scilicet. Sed quid *ea re* proficietur? At illis hinc auxilia mittemus. Quid si per ventos non liceat? At non veniet, credo. Et quis hujus rei sponsor erit? Nunquid cernitis et consideratis, Athenienses, imminens anni tempus, sub quod nonnulli existimant Hellespontum vestris præsidiis destitutum tradi oportere Philippo? Quid vero, si Thracia relicta ne quidem ad Chersonesum accesserit aut Byzantium—nam et hæc considerare debetis—sed Chalcidem aut Megaras invaserit, quomodo nuper Oreum, utrumne præstabit hic illi occurrere ac permittere ut bellum ad Atticæ fines accedat, an illic negotiis quibusdam illum implicare? Ego quidem hoc *præferendum* censeo.

5. Omnes igitur, his cognitis, et consideratis, exercitum, quem Diopithes in reipublicæ præsidium parare conatur, non adducere in invidiam oportet neque id agere ut dissipetur, sed ipsos etiam alium adjicere, tum suppeditanda illi pecunia, tum cæteris rebus rite adjuvando. Nam si quis Philippum percontetur, Age dic, utrum malles istos milites, quos nunc Diopithes habet, quales quales sint—nihil enim contradico—pollere et in gloria esse apud Athenienses atque eorum numerum, vires suas republica conferente, augeri, an vero propter quorundam calumnias et accusationes divelli ac interire? *Posteriora* hæc, opinor, se velle responderet. Quæ igitur Philippus a diis immortalibus precaretur, ea nostrum quidam hic moliuntur? Et quæritis adhuc, unde nostræ civitati omnia perierint?

6. Velim autem libere vos præsentem statum urbis examinare, et considerare quid ipsi faciamus nunc et quomodo nobismetipsis utamur. Nos neque tributum conferre volumus, nec ipsi militare audemus, neque publica pecunia abstinere possumus, neque assignatam Diopithi pecuniam pendimus, nec quæ ipse sua industria compararit laudamus, sed obtrectamus et speculamur unde et quid sit facturus ac id genus omnia, nec, cum his animis simus, nostrum negotium agere volumus, sed verbis quidem eos laudamus qui pro dignitate reipublicæ dicunt, reipsa vero horum adversariis nos conjungimus. Pro-

inde *quemadmodum* vos eum, subinde qui suggestum conscendit, rogitare soletis, quid igitur faciendum est? *sic* ego vos interrogabo, quid igitur est dicendum? nam si vos neque tributum conferetis, neque ipsi militabitis, neque publicæ pecuniæ parcetis, neque constitutam Diopithi pecuniam numerabitis, nec quæ ipse sibi compararit relinquetis, neque vestrum negotium agere voletis, non habeo quid dicam. Nam si jam tantam licentiam criminari et calumniari volentibus datis, ut illis quoque de rebus quas acturum eum esse aiunt, antequam fiant, accusantes audiatis, quid aliquis dicat?

7. Quid vero his rebus proficiatur, vestrum quibusdam est cognoscendum. Dicam autem libere; nec enim possum aliter. Quotquot vestri duces e vestro portu unquam solverunt, hi omnes, aut ego me quovis supplicio dignum fatebor, et a Chiis et ab Erythræis et a quibus quisque potuit, his dico qui Asiam incolunt, pecuniam accipiunt. Accipiunt autem qui naves habent singulas aut binas minorem, majoribus instructi copiis majorem. Dant autem, quicunque dant, neque parum neque multum gratis—nec enim ita insaniunt—sed illud *hac pecunia* redimunt, ut ne mercatores sui injuriis afficiantur, ne spolientur, incolumes suæ naves deducantur, et similia: aiunt autem se benevolentiæ causa dare, idque nomen hujusmodi largitionibus accommodatur. Jam igitur etiam Diopithi exercitum habenti minime dubium est, quin isti omnes pecuniam daturi sint: nam unde alias eum, qui nec a vobis quicquam accipit nec ipse habet unde stipendia solvat, milites alere putatis? de cœlo? minime id quidem: sed his proventibus, quos congregat et emendicat et mutuatur, eos sustentat. Quare qui eum apud vos traducunt, nihil aliud agunt, nisi quod omnibus denuntiant, ne quid ei dent, ut qui pœnas daturus sit, non eorum modo facinorum, quorum ipse vel auctor vel adjutor exstiterit, sed horum etiam quæ facturus fuerit. Huc pertinent isti sermones, "obsidionem parat," "Græcos hostibus objicit:" maximæ scilicet his hominibus curæ sunt Asiam incolentes Græci, *quod si ita sit*, major certe virtus eorum esset ad consulendum aliis quam ad patriam defendendam, atque huc *etiam* pertinet illud, *oportere* alium imperatorem mitti in Hellespontum. Nam si male se gerit Diopithes et naves intercipit, parva, Athenienses, parva tabella, hæc omnia prohibere valeat, legesque jubent hæc, nempe, eos qui delinquunt publice accusari, tantis vero sumptibus totque triremibus custodiri a nobis nequaquam, nam ea quidem esset extrema insania: contra hostes quidem, qui legibus coerceri nequeunt, milites alere, triremes mittere, pecuniam conferre oportet et necesse est, at contra cives nostros decretum, publica accusatio, Paralus, hæc sufficiunt. Hæc prudentium virorum essent, quæ autem isti agunt, hominum molestiam rebus et perniciem afferentium.

8. Ac istorum quidem nonnullos esse tales, quanquam ferendum

graviter, non tamen graviter est ferendum: sed *hoc potius*, vos in hoc consessu ita jam esse animatos, ut si quis pro concione dixerit Diopithen esse, aut Charetem, aut Aristophontem, aut quemvis qui nominari possit civium, cui mala omnia accepta referenda sint, statim assentiamini, et ejus orationi applaudatis: at si quis progressus in medium, vera dicat, "nugas agitis, Athenienses," malorum omnium et rerum harum Philippus est caput; qui si quievisset, nihil negotii esset reipublicæ: non quidem vera eum dicere negare possetis, sed graviter laturi tamen videmini, et periisse vobis aliquod existimaturi. In causa hoc est—sed oro per deos, ut quæ ad vestram salutem pertinent, libere dicere mihi liceat—: jam olim quidam reipublicæ gubernatores ita vos paraverunt, ut in concionibus metuendi sitis et acres, in bellicis vero apparatibus remissi et aspernandi. Si quis igitur auctorem malorum eum esse dicat, quem scitis inter vos posse comprehendi, assentimini et *puniri istum* vultis: si quis vero eum designet, qui nisi victus armis affici supplicio non potest, nescitis, opinor, quid sit agendum, sed vos coargui moleste fertis. Atqui decebat, Athenienses, diversum fieri, ut omnes, qui ad remp. accedunt, vos assuefacerent, in concionibus, ad clementiam et humanitatem; nam in his de jure civium et sociorum agitur: in apparandis vero bellis, metuendos vos et acres efficerent; ibi enim cum hostibus et adversariis res est. Nunc, dum vobis assentantur et obsequiis omnibus vestram gratiam aucupantur, id vobis contulerunt, ut in concionibus fastum præ vobis feratis et ab adulatoribus nihil audiatis, nisi quod auribus blandiatur, res vero eo redierint, ut de ipsa salute periclitemini.

9. Agite vero, per deos immortales, si Græci a vobis earum occasionum, quas per ignaviam modo amisistis, rationes reposcerent, vosque *ita* interrogarent: Athenienses, mittitis ad nos passim legatos, dictitantes, Philippum nobis et Græcis omnibus insidiari, et hominem esse cavendum—et omnia ejusmodi necesse est fateri vera esse; facimus enim hæc—. At o mortalium omnium ignavissimi, *dicent*, cum homo iste decem menses *continuos* abesset, ita et morbo et hyeme et bellis interclusus, ut domum regredi nullo modo posset, vos nec Eubœam in libertatem asseruistis nec vestrorum quicquam recuperastis, ipse vero, dum vos domi sedetis, dum otium agitis, dum sani estis (si qui tamen, his factis, sani dicendi sunt) duos in Eubœa tyrannos constituit, quorum alterum e regione Atticæ tanquam propugnaculum opposuit, alterum ad Sciathum *collocavit*: vos autem ne hæc quidem, siquidem nihil aliud velletis, impedivistis, sed conniventes de jure utique vestro illi concessistis, ut jam nemini dubium esse possit, etiamsi Philippus decies moreretur, vos nihilo magis commotum iri. Quorsum igitur legatos mittitis, et incusatis, et negotium nobis facessitis?

Hæc si dixerint, quid asseremus aut respondebimus, Athenienses? Ego quidem non video.

10. Sunt igitur qui putent, se oratorem ita redarguere, postquam interrogarint, quidnam ergo agendum est? quibus ego summa æquitate verissimeque sic respondebo, Hæc non agenda sunt, quæ nunc agitatis: et tamen singulatim etiam accurate omnia dicam. *Videant* autem illi, ut quemadmodum prompti sunt ad percontandum, ita et ad rem gerendam sint alacres et parati! Primum, Athenienses, persuasum omnino habere debetis, Philippum civitati nostræ bellum inferre pacemque violasse—quare de hoc desinite vos invicem accusare—hostem esse præterea toti urbi et solo urbis, addam etiam omnibus hominibus qui in urbe degunt, atque illis imprimis, qui se in maxima esse apud eum gratia putant (quod si non *credendum videatur*, intueantur Euthycratem et Lasthenem Olynthios, qui cum ei esse intimi viderentur, postquam urbem prodiderunt, omnium pessime perierunt), nulli tamen rei tam infense adversatur, quam libertati nostræ urbis; nec in quicquam aliud tanto studio incumbit, quam quomodo hanc demoliatur. Idque cum ratione agit quodammodo: satis enim hoc perspectum habet, etiamsi cæteros omnes suæ dominationi subjecerit, se tamen nihil secure constanterque tenere posse, dum vobis libera sit respublica, at si quis casus adversus inciderit, quales homini evenire multi possunt, fore ut omnes, qui jam vi subacti illi parent, ad vos confugiant. Estis enim vos, non ipsi ad aliena arripienda dominationemque affectandam natura comparati, sed alium ne arripiat prohibere aut arreptis exturbare validi, denique affectantibus imperium facessere negotium et omnibus hominibus libertatem restituere parati. Non igitur vult libertatem vestram suis imminere temporibus, multum abest ut hoc velit, cum rem non male nec segniter consideret.

11. Primum igitur ob hoc existimandum est, hostem illum esse reipublicæ ac libertatis irreconciliabilem; quod nisi animis vestris infixum sedeat, rerum curam serio suscipere non voletis: secundo loco illud certo sciendum, omnia quæ molitur et parat nunc, adversus remp. nostram apparat, et ubicunque aliquis ei obsistit, is pro nobis illic obsistet. Neque enim quisquam vestrum ita simplex est, ut Philippum existimet misera illa in Thracia—nam quo alio nomine appelles Drongilum et Cabylen et Mastiram et ea quæ nunc expugnat sibique subjicit?—cupere, utque illa obtineat et labores et hyemes et extrema pericula sustinere; Atheniensium vero portus et navalia et triremes et argenti fodinas et tantos proventus non cupere, aut passurum ut vos ista teneatis; cum propter panicum et siliginem, in Thraciis cuniculis defossa, in barathro non dubitet hybernare. Non ita est, sed et illa, ut his potiatur, et cætera omnia molitur.

Quid igitur prudentium hominum est? Cum hæc sciant et cognorint, insignem istam perniciosamque socordiam deponere, pecuniam autem conferre *idemque ut faciant* a sociis postulare, ac providere atque agere omnia, constitutus iste exercitus ne dilabatur, ut quemadmodum ille paratas legiones habet ad violandos et subigendos omnes Græcos, ita vos legiones habeatis ad servandos omnes et tuendos paratas. Fieri quippe nequit, ut qui repentinis subsidiis utuntur, quicquid recte perficere possint, sed conscribere oportet copias, et commeatus illis suppeditare, et quæstores *deligere*, et ut quam diligentissima fiat ærarii custodia, id vero curantes, pecuniæ rationes a quæstoribus, rerum gestarum a duce reposcere. Quod si hæc vobis cordi fuerint, si hæc susceperitis, revera justam servare pacem, et domi se continere Philippum cogetis, quo majus bonum nullum esse queat, aut æquo Marte bellum geretis.

12. Si quis vero hæc sine et magnis sumptibus et multis laboribus posse confici non putat, recte omnino putat: sed si idem consideret, quæ *pericula* huic urbi impendeant, nisi ita fecerimus, inveniet expedire, ut ultro quod fieri debet faciamus. Nam si quis deorum nobis sponderet (nec enim mortalium ulli tanta de re fides haberi tuto posset), si quieveritis et omnia neglexeritis, eum tandem in nosmet ipsos impetum non esse facturum, turpe quidem, Jupiter diique omnes! fuerit atque indignum vobis et *præsenti* dignitate reipublicæ et rebus gestis majorum, ob privatum vestrum otium reliquos Græcos omnes desertos objicere servituti, ac ego quidem ipse mortem oppetere malim, quam talia suadere: verum si quis alius ista dicit et vobis persuadet, esto, ne defendite vos, abjicite omnia. Sin hoc consultum esse nemo putat, contraque præscimus omnes, quanto plura eum sibi subjicere permiserimus, tanto cum graviore et potentiore hoste nobis fore conflictandum, quo subterfugimus? aut quid lente agimus? aut quando, Athenienses, rerum curam suscipiemus? cum, credo, necessitas aliqua ingruerit? atqui ea necessitas, quam homo liber ita nominet, non tantum jam adest, sed jam pridem etiam se obtulit: servilis vero necessitas ne ingruat, utique est optandum. Quid vero interest? quod homini libero maxima est necessitas rerum *male* gerendarum pudor, qua necessitate nescio an quis majorem possit dicere: servo autem plagæ et corporis excarnificatio, quæ absint ut fiant, et dictu indigna sunt.

13. Quanquam autem reliqua omnia libenter dicere possim, et ostendere quo pacto in vos nonnulli in administranda rep. delinquant, cætera missa faciam: sed cum primum aliqua mentio fit Philippicarum rerum, quidam surgens dicit, pacem tueri optabile esse, et magnum exercitum alere molestum, et diripere quosdam ærarium velle; aliaque similia verba, quibus vos remorantur, et huic occasionem præbent suo arbitratu per otium quidvis peragendi.

Ita fit, ut vos otium adipiscamini, atque in præsens nihil agatis, quæ vereor ne vobis aliquando magno constitisse credituri sitis, isti vero gratiam consequantur et quæ ex his *rebus oritur* mercedem. Ego vero supervacaneum esse puto vobis suadere pacem, qui, cum jam persuasum id est, desidetis, sed illi *suadendum est*, qui bellis gerendis occupatur; cui si persuasum fuerit, in vobis nulla mora est: molesta vero, *necesse puto vobis suadere*, ducere esse, non quæ tuendæ salutis gratia insumpserimus, sed ea quæ feremus, si hæc facere noluerimus: et "opes nostræ differentur" *quemvis obstrepentem* sistere, custodiam qua conservarentur assignando, non *neglectu et* abjectione utilitatis. Ego vero, Athenienses, hoc ipsum ægre fero, si pecuniæ direptio, quam ut tueri, sic peculatores punire, penes vos est, quibusdam vestrum est molesta. Philippus autem, qui totam deinceps Græciam diripit, et vestro malo diripit, non est molestus.

14. Quæ igitur causa tandem est, Athenienses, cum Philippus ita manifeste bella gerat, per injuriam grassetur, urbes occupet, ut istorum nemo unquam dixerit, eum injuste agere bellumque facere, sed *ut* concitati belli crimen illis impingant, qui *conatibus illius* obsistendum et hæc nostra vindicanda suadent? Ego docebo: quod iracundiam eam, quam par est ut vos concipiatis, si quas e bello molestias ceperitis, in eos, qui vobis utilissima dicunt, converti volunt; ut hos causam dicere cogatis, non Philippum ulciscamini, atque accusatores cum sint, ipsi tamen a se nunc admissorum pœnas nullas dent. Hoc illud est quod dicunt, velle quosdam apud vos excitare bellum, hinc illa nata est altercatio. Ego vero certo scio Philippum, cum nemo Atheniensium bellum decrevisset, tum alia multa, quæ nostra fuerunt, occupasse, tum nunc auxilia misisse Cardianis. Si nos igitur dissimulare volemus, ab eo nos bello peti, omnium stolidissimus esset, si ipse id coarguere vellet. Sed cum nos ipsos invaserit, quid [tum] dicemus? ipse enim se nobiscum bellum gerere *negabit*, quemadmodum et Oritis fecit, cum milites in eorum agro essent, et Pheræis, priusquam mœnia oppugnaret, neque cum Olynthiis statim in principio *se bellum gerere professus est*, donec in ipsorum agrum duxisset exercitum. An tum quoque bellum illos concitare dicemus, qui propulsare vim jubebunt? Hoc igitur superest, ut serviamus: nec enim medium quicquam est, si nec vis propulsetur nec ab hostibus otium concedatur. Sed neque de iisdem *rebus* vobis est periclitandum ac cæteris: neque enim urbem subigere vult Philippus, sed penitus exscindere. Quia satis intelligit, vos servire neque velle, neque si velletis, posse; cum imperare consueveritis: atqui occasione oblata, sibi plus negotii posse facessere, quam reliquos homines universos.

15. Proinde quasi de summa rerum decertaretur, ita vos oportet esse animis affectos, quique se illi vendiderunt, odio prosequendi et in cruciatum abripiendi sunt. Non enim fieri, non fieri potest, ut externi hostes superentur, nisi prius domesticos hostes punieritis, qui illi subserviunt; sed necesse est, ubi in hos tanquam scopulos quosdam impegeritis, ut illi vobis antevertant. Nam cur eum ita contumeliose vobis insultare nunc putatis—nihil enim aliud mihi quidem facere videtur, nisi hoc—et cum alios benefaciendo, si non aliud, saltem seducat, vobis jam etiam minitari? Veluti Thessalos, multis datis muneribus, in hanc servitutem pellexit: neque dicendo quisquam consequi potest, quam variis artibus miseros Olynthios, data prius Potidæa, multisque aliis deceperit: Thebanos nunc sub jugum suum allicit, tradita Bœotia, posteaquam eos magno gravique bello liberavit. Itaque hi omnes, dum aliqua commoditate fruuntur, alii jam perpessi ea sunt, quæ omnes norunt, alii ferent, quicquid tandem contigerit. At vos, ut quæ perdideritis taceam, in ipsa pacificatione, quoties decepti, quam multis spoliati estis! Nonne Phocensibus, nonne Pylis, nonne Thracia, Dorisco, Serrio, Cersoblepte ipso, nonne nunc urbem Cardianorum tenet ac confitetur? Cur igitur alia ratione illos, nec eodem modo vos tractat? Quoniam in hac vestra una cunctarum urbium impune hostium commodis patrocinari licet, ac si quis pecuniam ipse accepit, concionandi potestatem habet, etiamsi vos vestris opibus interim spoliati sitis. Non tutum fuit Olynthi causam agere Philippi, donec populus Olynthiorum simul delinitus esset illo traditæ Potidææ beneficio: non tutum fuit in Thessalia Philippi causam agere, donec multitudo Thessalorum, ejectis a Philippo, ipsorum causa, tyrannis, atque Pylæa restituta, in societatem beneficiorum et ipsa venisset: non fuit Thebis tutum, priusquam Bœotiam illis, deletis Phocensibus, reddidisset. Verum Athenis, cum non Amphipolim tantum et agrum Cardianorum nobis eripuerit, sed Eubœam ita muniat, ut *veluti* arx sit ad nos oppugnandos, et nunc Byzantium invadat, tutum est dicere pro Philippo. Proinde horum aliqui ex mendicis repente divites fiunt, ex ignotis atque obscuris celebres et illustres, vos contra ex illustribus obscuri, e copiosis inopes: nam reipublicæ ego quidem opes in sociis, fide, benevolentia esse positas existimo, quarum rerum omnium penuria vos laboratis. Quas dum vos negligitis et vobis eripi sinitis, ille quidem beatus factus est et magnus et formidatur ab omnibus et Græcis et barbaris, vos autem humiles et deserti, rerum venalium ubertate splendidi, eorum apparatu quæ opus erant ridiculi.

16. Non autem eodem modo vobis et sibimetipsis quosdam oratores consulere video: vobis enim quiescendum esse dicunt, etiamsi violemini, ipsi vero apud vos quiescere non possunt, tametsi nemo eis injuriam faciat. Deinde quisquis suggestum conscenderit, Non

vis, inquit, decretum scribere, aut periclitari, sed timidus es et mollis. Ego vero audax et importunus atque impudens neque sum neque fieri velim, fortiorem tamen longe lateque illis, qui præcipiti audacia apud vos publica negotia tractant, me esse existimo. Qui enim, Athenienses, posthabita utilitate reipublicæ, in judicium adducit, proscribit, dat, accusat, nulla quidem hæc fortitudine facit, sed quia scit, dum quæ vobis placeant loquatur et tutas tantum publicæ administrationis partes attingat, se quasi pignus habere suæ incolumitatis, audax et confidens est: qui vero, publici boni causa, crebro vestris voluntatibus adversatur, et nihil ad gratiam loquitur, sed semper utilitatem spectat, et eam gerendæ reipublicæ rationem eligit, in qua fortuna magis quam computatio dominatur, et tamen haud recusat, quo minus utriusque a se rationes repetatis, hic demum vir fortis, atque etiam bonus idem civis est; non isti, qui brevis gratiæ promerendæ causa summa reipublicæ præsidia perdiderunt, quos ego tantum absum ut æmuler aut dignos republica cives esse putem, ut si quis me roget, Dic mihi, tu vero quid contulisti reipublicæ? quanquam possem Athenienses, et trierarchias et ædilitia munera et pecuniæ collationes et captivorum redemptiones et alia similia humanitatis officia commemorare, nihil tamen hujusmodi referam, sed *hoc dicam*, me ab ista gerendæ reipublicæ formula prorsus abhorruisse, et quod cum fortassis et ipse, non minus quam alii, accusare possem et gratificari et proscribere et cætera quæ isti factitant facere, nunquam ne ad unum quidem talium aucupiorum vel voluntate mea me contuli vel spe lucri aut ambitione sum impulsus, sed ea perpetuo dico, quibus egomet id consequor, ut minus apud vos auctoritate valeam et gratia, quam alii multi, at vos, si mihi auscultaretis, ampliores fieretis: sic enim dicere fortasse non invidiosum est. Neque mihi videtur boni civis esse officium, eas gerendæ reipublicæ rationes excogitare, per quas statim ego princeps inter vos exsisterem, vos aliorum ultimi; sed rempublicam una cum bonorum civium actionibus et gubernatione augeri atque amplificari decet, omnibusque semper non facillima, sed optima dicenda sunt: nam illo natura suopte nutu fertur, ad hæc boni civis eloquentia et doctrina vos oportet provehi.

17. Jam quendam etiam tale aliquid dicentem audivi, me quidem semper dicere optima, sed quicquid a me proficiscatur verba tantum esse, cum operibus sit opus reipublicæ et actione aliqua. Ego vero quid de his sentiam, exponam vobis et non dissimulabo. Neque arbitror ullum aliud opus atque officium esse consiliarii, nisi ut maxime profutura dicat. Et hoc ita esse, me facile puto probaturum. Illud enim utique scitis, Timotheum quondam illum apud vos orationem habuisse de adjuvandis et conservandis Eubœensibus, cum eos Thebani oppressum irent. Cujus hæc fere verba fuerunt: Agite vero, deliberatis, inquit, cum Thebanos in insula habeatis, quæ ratio ineunda quidve agendum sit? non mare implebitis, Athenienses, triremibus? non jam surgitis in Piræum abituri? non classem in mare trahetis? Hæc Timotheus dixit, vos fecistis: quæ cum utraque conjungerentur, res confecta est. At si is quam optima, ut tum dixit, dixisset, vos vero ignavia impediti non obtemperassetis, essetne aliquid eorum actum, quæ tum civitati contigerunt? fieri non potest. Sic igitur quicquid vel ego nunc, vel quivis alius dixerit, res et actiones apud vosmetipsos quæritote, utilissimum consilium scienter explicatum apud oratorem.

18. Sed ubi orationem meam in summam et capita quædam redegero, descendam. Censeo igitur conferendam esse pecuniam, et exercitum jam comparatum esse conservandum, atque si quid non recte fieri videbitur corrigendum; non ob cujusvis cavillationes totum destruendum: legatos quaquaversum esse mittendos, qui doceant, moneant, conficiant reipublicæ quicquid poterunt: præter hæc omnia, qui corrupti largitionibus negotia perfide corrumpunt, tum puniendi, tum semper et ubique odio habendi sunt, ut moderati homines et boni viri recte prudenterque vitam instituisse, tum aliis, tum sibimetipsis videantur. Quod si hanc rationem secuti negligere omnia desieritis, fortasse, fortasse, *inquam*, et adhuc cætera melius successura spes sit. Verum si desidebitis, hactenus duntaxat, ut plaudatis et laudetis orationem studentes, cum vero gerenda res erit, tergiversemini, nullam equidem video orationem, quæ, detrectantibus vobis agere quæ opus sunt, rempublicam servare possit.

AUGERI

ANALYSIS

PHILIPPICÆ TERTIÆ.

Propositum.

In eo statu res erant positæ ut, pace cum Philippo nondum rupta, Diopithes quidem dux Atheniensis in Chersoneso exercitui præesset, Philippus autem armis subigeret Thraciam, copias mitteret in Eubœam, cujus urbes maximas civium potentissimorum ope quos sibi fecerat amicos, suo imperio addicebat, se compararet ad oppugnandum Byzantium, omni denique opera Græciæ invadendæ consilium perficeret: Demosthenes concionatur vehementer ut suorum Atheniensium animos incendat adversus hostem sibi reipsa, bello licet nondum indicto, totique Græciæ imminentem.

Exordium.

Queritur orator de ceteris oratoribus, qui, omissa utilitate publica, suæ gloriæ et aliorum criminationi unice dant operam, ac de Atheniensibus ipsis qui jucundas conciones utilibus anteponunt, et assentationibus gaudent deliniri. Addit se paratum esse dicere, si sui cives parati sint ea audire quæ sibi expetant, et eo libentius dicturum quod res adhuc possint adduci in statum meliorem.

Confirmatio.

1°. Impugnata nonnullorum inscitia, qui negabant Philippum bellum facere Atheniensibus, et dictitabant quosdam esse qui bellum excitarent, contendit Demosthenes Macedoniæ regem bellum reipsa facere populo Atheniensi, idque probat plurium populorum exemplis, quos ille inscios oppressit, dum eis se amicum esse et socium prædicaret.

2°. Dicit eum insanire qui servantem erga se pacem, vel bella secum gerentem, e verbis magis quam e factis æstimarit; docet porro paulo fusius ipsa facta Philippum Atheniensium hostem arguere.

3°. Longius prodire incipit, et demonstrat æque evidenter ac fortiter illum toti Græciæ imminere, illum vere Barbarum, non Græcum, ea spectare, ea designare, quæ nunquam spectarunt et designarunt nec Lacedæmonii nec Athenienses, quum maxima elati sunt potentia; denique eumdem singulos Græciæ populos invadere et subigere dum universi desides spectant et otiosi. Totus hic locus maxima tractatur cum vehementia.

4°. Sed cur nunc omnes Græci adeo parati sunt ad tolerandam servitutem, et olim adeo alacres erant ad defendendam libertatem? Hujus utriusque rei causam graviter exponit orator: nempe nunc dona facillime accipiuntur ad prodendam Græciam, dum olim, quod celeberrimo con-

firmatur exemplo, pœna mulctaretur acerbissima quisquis Græcos donis corrumpere tentaverat. Hunc locum absolvit tabulas recitando in quibus ea explicat quæ factu sunt utilia ad res emendandas.

5°. Refellit objectionem eorum qui dicebant Philippum nondum esse talem quales aliquando fuerunt Lacedæmonii, quibus tamen restitit civitas Atheniensis: ostendit nunc valde mutatam esse belli gerendi rationem, simplicem olim fuisse, multiplicem esse nunc et dolosam; Philippum omnia ferme agere per proditores et dolos, ac proinde Athenienses debere a dolis illius multo ante præcavere, præsertimque non auscultare proditoribus.

6°. Refert exempla plurium populorum qui pessum ierunt, dum Philippi fautoribus magis quam publicæ utilitatis defensoribus auscultarunt, causamque adjicit cur populi illis potius quam his faverint: hortatur suos cives ut ceterorum exemplo moniti sapientius agant, nec exspectent donec suo ipsi exitio doceantur.

7°. Totam concludit orationem exponendo quid Atheniensibus agendum sit ut res emendentur: scilicet debent omnia ad bellum gerendum necessaria ipsi primum parare, deindeque Græcos excitare. Invitat ad dicendum si quis habet aliquid melius, optatque ut sit ex usu reipublicæ quidquid probatum fuerit.

Dicta est hæc Oratio eodem anno quo ea quæ præcessit, i. e. tertio anno Olympiadis CIX, sub Archonte Sosigene.

ARGUMENTUM

AD PHILIPPICAM III

EX

TOURELLIO.

HANC orationem, eodem quo præcedentem anno, habuit Demosthenes. Philippi in Thracia victoriæ, et imperium novis societatibus, quas ille fœderum artifex diversis in locis sibi conciliarat, subinde munitum, nil nisi funestum Athenis portendebant. Orator itaque totis viribus (ut solet) in civium mollitiem invehitur: crescentis indies periculi terrorem incutit: tollit inanem de fœdere violando dubitationem, ab ignavia verius quam justitiæ ratione ortam: cum id fœdus, non, ut par esset, utrinque obstringeret, sed eos solos teneret. Hinc summopere necessarium esse ostendit, se tueri contra hostem, in pace vel magis quam in bello timendum. Consuetudines deinde pravas quasdam damnat, errores inveteratos coarguit, turbas compescit, suspiciones diluit, et murmura querelasque comprimit. Cum ad hunc modum viam munierit, pergit ad præcepta et ratiocinia quædam instituenda, quibus et vim rite temperatam et severam simul venustatem adspergit. Quod si veritati undecunque profectæ vis sua inest, invicta statim evadit, quando instat reprehensor, non minus sagaci ingenio quam vehementia et facundia insignis.

LIBANII ARGUMENTUM IN PHILIPPICAM III.

Simplex orationis hujus est argumentum. Nam cum Philippus verbo pacem ageret, revera Athenienses multis injuriis lacesseret, hortatur eos Orator, ut insurgant et regem ulciscantur: quod magnum periculum et ipsis impendeat, et omnibus communiter Græcis.

DEMOSTHENIS

PHILIPPICA III.

1. Cum multa verba fiant, Athenienses, in omnibus fere concionibus de injuriis Philippi, quibus, ex quo pacem fecit, non solum vos, sed et reliquos Græcos afficit, cumque omnes scio confiteantur, etsi id quidem non faciant, necesse esse [et convenire], ut omnes ea tum dicant, tum agant, per quæ iste ab insolentia reprimatur et pœnas luat, eo rediisse tamen omnia negotia et per incuriam prolapsa esse video, ut verear ne dictu odiosum, verum tamen sit: si omnes oratores dicere, vosque decernere velletis ea, per quæ res quam afflictissimæ fierent, existimare me statum earum, quam nunc est, non posse fieri deteriorem. Ac multæ fortasse sunt causæ, cur hæc ita se habeant, neque propter unum atque alterum *vitium* res huc redierunt: potissimum tamen, si recte consideretis, ii sunt in culpa, qui jucundissima dicere malunt quam utilissima, quorum alii, Athenienses, dummodo quibus rebus ipsi gloria florent et valent, eas tueantur, nullam futurorum rationem habent, quare nec vos habere oportere putant; alii, eos qui in rerum administratione constituti sunt criminando et calumniando, nil aliud faciunt, nisi ut civitas ipsa de se pœnas sumat et ea re occupetur, Philippo autem quidvis et agere et dicere liceat. Hæc instituta sunt vobis usitata, causæ vero perturbationis et delictorum.

2. Peto autem, Athenienses, si quid veri libere dixero, ne propterea mihi irascamini. Hoc modo quippe rem consideretis. Vos loquendi libertatem in aliis rebus ita communem putatis esse oportere omnibus in hac urbe degentibus, ut et advenis et servis eam impertieritis, et multos apud vos servos videre est quidvis loqui liberius, quam cives in quibusdam aliis urbibus, a consulendo autem omnino eandem repulistis. Unde id consequimini, ut in concionibus fastidiatis assentationibus deliniti et omnia quæ voluptati sunt audiatis, in rebus autem et factis de extremis jam periclitemini. Quod si nunc etiam sic affecti estis, non habeo quid dicam: sin

quæ in rem vestram sunt, sine adulatione audire voletis, dicere sum paratus. Tametsi enim res omnino male se habent, multaque per socordiam perierunt, tamen eæ, si vos vel nunc officio fungi volueritis, omnes corrigi possunt. Ac mirum fortasse videbitur quod dicam, sed verum: quod præteritis temporibus fuit pessimum, id ad futura est optimum. Quid igitur id est? quod dum vos neque magnum neque parvum quicquam quod oportet facitis, res male se habent, quæ si, vobis omnibus officio fungentibus, in hoc loco essent, ne spes quidem relinqueretur eas fore meliores. Nunc socordiam vestram et negligentiam superavit Philippus, civitatem non superavit, neque victi vos, at nondum loco moti estis.

3. Quod si omnes confiteremur Philippum gerere bellum cum rep. et pacem violare, nihil aliud oratorem dicere et consulere oporteret, quam quo pacto Philippum et tutissime et facillime ulcisceremur: cum autem eæ sint quorundam ineptiæ, ut, urbes illo occupante et multa quæ vestra sunt obtinente et omnes mortales exagitante, quosdam ferant in concionibus subinde dictitantes, nostrum esse quosdam qui bellum excitemus, caute nobis agendum et ea opinio refutanda est; cum verendum sit, ne quis, ubi scripserit et suaserit propulsandas esse injurias, in crimen excitati belli veniat. Ego hoc primum omnium statuo et definio, sitne nobis integrum consulere, utrum pacem agere an gerere bellum oporteat. Si igitur civitati liceat pacem agere et hoc nobis integrum sit, ut inde ordiar, affirmo ego pacem agendam esse nobis, et postulo, ut is qui hæc dicit, decretum proferat remque absolvat et non fraudulenter agat: sin alter, cum arma in manibus habeat et magnas copias circa se, nomen pacis vobis objicit, factis belli ipse utitur, quid reliquum est aliud præter ultionem? Quod si profiteri vultis, ut ille, vos pacem agere, non refragor. Si quis autem eam pacem esse putat, per quam ille, cæteris captis omnibus, contra nos venturus est, is primum insanit, deinde pacem vestram erga illum, non illius erga vos, commemorat: illud autem est quod omnibus suis largitionibus Philippus mercatur, ut cum ipse bellum vobiscum gerat, a vobis bello non petatur. Verum si tantisper cunctabimur, dum se nobiscum belligerare fateatur, erimus omnium stolidissimi: neque enim, tametsi Atticam ipsam invaserit et Piræum, hoc dicet, si ex iis quæ in alios fecit conjectura capienda est. Sic enim et Olynthiis, *non nisi* quadraginta ab urbe stadiis distans, edixit, alterutrum fieri oportere, vel Olyntho illis excedendum vel sibi Macedonia, superiore omni tempore, si quis ei tale aliquid crimini daret, indignaturus *scilicet* et legatos missurus qui se excusarent: sic ad Phocenses, tanquam ad socios, est profectus, et legati Phocensium eum proficiscentem comitabantur, et apud nos multi contendebant, ejus ingressum non e re fore Thebanorum. Quin et

Pheras nuper, ut amicus et socius in Thessaliam ingressus, occupavit et tenet. Ac postremo miseris illis Oritis dixit, se misisse ad eos ex benevolentia milites, qui eos viserent; audire enim se, laborare illos et seditionibus agitari, esse autem sociorum et amicorum verorum hujusmodi adesse temporibus. Putatis igitur eum esse Philippum, qui cum eos homines, qui nihil ei nocere potuissent, ne vero sibi noceretur fortasse cavere potuissent, decipere, quam indicto bello cogere, maluerit, vobiscum sit ex professo belligeraturus, idque, dum ultro fallimini? Non ita est: etenim mortalium omnium vecordissimus esset, si dum vos, qui injuriis afficimini, nihil eum accusatis, sed civium vestrorum quosdam culpatis et in judicium vocare vultis, ipse, consopita vestra inter vos lite et contentione, denuntiaret in se arma esse convertenda, et mercenariis suis ea verba eriperet, quibus vobis moras nectunt, negantes eum gerere bellum cum republica. Verum estne, proh divum fidem, quisquam sanæ mentis, qui vel pacem servantem vel bellum secum gerentem e verbis magis quam e factis æstimarit? nemo sane.

4. Atqui Philippus ab initio, pace recens facta, Diopithe nondum ducente exercitum, neque missis iis qui nunc in Chersoneso sunt, Serrium et Doriscum occupabat, et ex Serrio castro et Monte sacro milites eos ejiciebat, quos noster imperator ibi collocarat. At ista agendo quid faciebat? in pacem quippe jurarat. Neque quisquam dicat, quid vero ista sunt, aut quid attinent ad rempublicam? Utrum ea enim parva sint aut nulli curæ vobis fuerint, alia erit disputatio: sed jurisjurandi religio et justitia, sive in parvis sive magnis in rebus violetur, eandem vim habet. Age jam, cum in Chersonesum, quam rex *Persarum* omnesque Græci vestram esse judicarunt, milites immittit et palam auxiliatur et has literas mittit, quid agit? Se vobiscum belligerare negat, ego vero tantum absum, ut eum talia facientem pacem vobiscum agere fatear, ut, et Megaris invadendis et in Eubœa tyrannide molienda et nunc in Thraciam prodeundo et insidiis in Peloponneso comparandis et quæ facit omnia cum exercitu faciendo, solvere affirmem pacem et bellum vobiscum gerere, nisi eos fortasse qui machinas admoliuntur, pacem agere dicatis, donec eas jam ad ipsa mœnia adduxerint. Sed non dicetis: qui enim, quibus ego capiar, ea agit et instruit, is bellum mecum gerit, etsi me nondum vel jaculis vel sagittis petat. Quo igitur vos in periculo eritis, si quid acciderit? in eo quod Hellespontus a vobis alienabitur, in eo quod is qui vobiscum bellum gerit Megaris et Eubœa potietur, in eo quod Peloponnesii cum eo conspirabunt. Eum igitur, qui hanc machinam contra urbem erigit atque apparat, pacem agere dicam erga vos? multum certe abest, die autem quo Phocenses sustulit, ab eo ego vobiscum eum belligerare statuo. Vos autem, si nunc eum propulsetis, prudenter facturos dico: sin differetis, id neque cum voletis, facere poteritis. Et usque adeo ab aliorum consiliis mea discrepant, ut mihi videatur, nec de Chersoneso nec de Byzantio esse nunc consultandum, sed tum his succurrendum, et præcavendum ne quid eis accidat, et militibus qui nunc sunt illic omnia quibus indigent mittenda, tum de omnibus Græcis deliberandum, ut in maximo periculo constitutis. Exponam autem vobis, qua de causa rebus ita metuam, ut, si recte sentio, sententiæ meæ accedatis, et rationem aliquam vestrum ipsorum saltem, si omnino alios negligitis, habeatis: sin nugari et mente captus esse videbor, neque nunc neque in posterum mihi ut sano auscultetis.

5. Philippum igitur magnum e parvo et humili ab initio paulatim esse factum, et Græcos diffidere mutuo et agitari seditionibus, et multo minus credibile fuisse tantum eum e tantillo fore, quam nunc, cum adeo multa intercepit, etiam cætera subacturum, et reliqua ejus generis omnia, quæ commemorare possem, prætermittam. Sed illud ei video concessisse mortales omnes, a vobis initio facto, de quo antea semper universa Græca bella exstiterunt. Quid igitur illud est? agere quicquid ei libet, et singulatim quosvis ita concidere et spoliare Græcos, et invadere atque opprimere urbes servitute. Atqui Græcis vos præfecti fuistis tres et septuaginta annos, præfecti item undetriginta Lacedæmonii. Thebani quoque aliquid potuere extremis hisce temporibus, post pugnam Leuctricam. Sed tamen neque vobis neque Thebanis neque Lacedæmoniis ullo unquam tempore, Athenienses, concessum fuit hoc a Græcis, ut quod libitum esset ageretis: quin multum abfuit, sed et vobis, ac potius illius temporis Atheniensibus, cum quosdam non tractare moderate viderentur, omnes putabant, vel qui nihil queri de iis poterant, per causam eorum qui affecti erant injuria bellum esse inferendum, et rursus Lacedæmoniis imperantibus et eundem quem vos tenueratis principatum adeptis, cum insolescere cœpissent et immoderatius instituta vetera convellerent, omnes bellum intulerunt, ii etiam, qui nihil de eis querebantur. Et quorsum attinet referre cæteros? quin nos ipsi et Lacedæmonii, cum ab initio nihil dicere possemus, quo alteri ab alteris violati essemus, tamen propter injurias, quibus alios affici videbamus, bellum esse gerendum putavimus. Atqui omnia quæ a Lacedæmoniis peccata sunt per triginta illos annos et a majoribus nostris per septuaginta, minora sunt, Athenienses, iis quæ Philippus tribus et decem non totis annis quibus eminuit in Græcos commisit: imo nec minima pars illa sunt horum. Idque paucis ostendi verbis facile potest.

6. Olynthum quidem et Methonam et Apolloniam et duas et triginta urbes in Thracia omitto, quas universas adeo crudeliter excidit, ut si accesseris, nec an unquam habitatæ fuerint, facile dicas:

N

et gentem tantam Phocensium deletam taceo. Sed Thessaliæ qui status est? nonne et respublicas et urbes eis ademit et tetrarchias ibi constituit, ut non singula oppida duntaxat sed gentes etiam servirent? Euboicæ porro urbes nonne jam tyrannis parent, idque in insula vicina Thebis et Athenis? Nonne aperte scribit in literis, Mihi vero pax est cum iis, qui mihi parere volunt? Neque vero hæc scribit, reipsa vero non exsequitur, sed Hellespontum invadit, et pridem Ambraciam aggressus fuit, Elidem habet tantam Peloponnesi urbem, Megaris nuper insidiatus est, neque Græcia neque Barbaria hominis istius avaritiam capit. Quæ cum Græci omnes et videamus et audiamus, non legatos de hisce mittimus alii ad alios, non indignamur, sic autem male affecti sumus et quasi fossis interjectis divulsi per singulas civitates, ut in hunc usque diem neque utilitati consulere neque officio ulla ex parte fungi possimus, neque inire concordiam, neque societatem auxilii et amicitiæ ullam facere, sed incrementa potentiæ Philippi secure negligamus, idque tempus dum alius perit, unusquisque lucro sibi ipsi fore existimet, ut mihi quidem videtur, non de procuranda Græcorum salute cogitationis aliquid laborisque suscipiat: siquidem eum, tanquam conversionem atque accessionem febris aut alterius mali, etiam in illum qui sibi procul a periculo nunc abesse videtur, invasurum, nemo est qui nesciat.

7. Jam illud quoque nostis, quicquid a Lacedemoniis aut a nobis Græci perpessi fuerunt, ea saltem a germanis Græciæ civibus esse perpessos, idque perinde æstimari potuit, ac si filius natus in magnis facultatibus legitimus aliquid non bene neque recte administraret, eum ob id ipsum dignum esse reprehensione et accusatione, sed eum ut alienum aut non hæredem eorum illa facere, non posse dici. Quod si servus aut subdititius ea quæ nihil ad ipsum attinerent perderet et vastaret, o Hercules! quanto id gravius et ira dignius omnes dicerent! Atqui nequaquam erga Philippum et ejus actiones ita nunc affecti sunt, qui tantum abest ut Græcus sit Græcisve ullo modo conjunctus, ut nec inter barbaros sit honesto loco natus, sed perditus Macedo, unde neque mancipium frugi olim ullum emi potuit. At qua extrema contumelia abstinet? nonne præterquam quod urbes Græcas evertit, etiam Pythiis præest, communibus Græcorum ludis, quod si ipse non adfuerit, servos suos mittit certamini præfuturos? nonne Pylas et Græciæ aditus tenet, ac præsidiis et peregrino milite loca illa tuetur? nonne etiam prærogativam habet in consulendo Apolline, detrusis nobis et Thessalis et Doriensibus et aliis Amphictyonibus, in cujus dignitatis societatem nec Græci omnes veniunt? nonne Thessalis præscribit rationem gerendæ reipublicæ? nonne peregrinos milites ad Porthmum mittit, populum Eretriensium ejecturos, alios Oreum ad Philistidem tyrannum constituendum? Sed Græci tamen hæc videntes, tolerant, eodemque modo mihi videntur spectare quo qui grandinem spectant, optat quisque ne in suos agros deferatur, dum nullus prohibere conatur. Tantum autem abest, ut illatas ab eo Græciæ contumelias quisquam vindicet, ut neque suas quisque injurias ulciscatur: hoc enim jam *dementiæ nostræ* extremum est. Nonne Corinthiorum oppida, Ambraciam et Leucadem, invasit? nonne Achæis Naupactum ademptam Ætolis traditurum juravit? nonne Thebanis Echinum eripuit? et nunc contra Byzantios ducit exercitum, quamvis socii essent? nonne nostram—omitto cætera, sed Chersonesi maximam urbem habet Cardiam? Talia igitur passi cunctamur omnes et effœminati sumus et ad proximos respicimus, diffidentes alii aliis, non illi tam aperte nobis omnibus injurias inferenti. At quid eum qui in universos ita est petulans, ubi nos singulatim omnes subegerit, quid facturum existimatis?

8. Quæ igitur causa est harum rerum? neque enim sine ratione et justa causa, vel tum adeo alacres erant ad libertatem *defendendam* omnes Græci, vel nunc ad *tolerandam* servitutem? Fuit tum aliquid, fuit, Athenienses, in populorum animis, quod nunc non est, quod Persarum opulentiam vicit, Græciæ libertatem asseruit, neque navalibus neque terrestribus in præliis succubuit, quodque nunc perditum cum sit omnia corrupit et totam Græciam sursum deorsum permiscuit. Quid igitur fuit illud? nihil multiplex aut artificiosum, sed quod eos semper, qui a dominandi cupidis aut Græciam corrumpere conantibus pecuniam accipiebant, omnes oderunt, et gravissimum crimen erat, si quis acceptorum munerum convinceretur, eumque maximis pœnis afficiebant, neque deprecationi erat uspiam aut veniæ loci. Proinde occasionem singularum rerum, quam fortuna etiam negligentibus contra attentos sæpe suppeditat et iis qui nihil volunt facere contra eos qui omnia quæ oportet agunt, a nemine vel oratore vel imperatore nundinari licebat, neque etiam concordiam inter ipsos, neque diffidentiam adversus tyrannos et barbaros, neque denique tale quicquam. Nunc tanquam e foro et divendita sunt hæc omnia, et horum loco inferuntur ea, per quæ pessum ivit status sanitasque Græciæ. Ea quæ sunt? invidia, si quis accepit aliquid: risus, si confitetur: venia, si convincitur: odium, si quis ista reprehendit: cætera omnia, quæ pendent a corruptelis. Nam et triremes et multitudo hominum et pecuniarii reditus et reliqui apparatus copia, cætera denique quibus urbium vires æstimari solent, nunc omnia multo et plura et majora sunt quam superiori ætate: sed universa hæc inutilia, irrita, manca fiunt per eos qui cauponantur.

9. Ac eum quidem esse nunc statum rerum, ipsi profecto videtis neque meo insuper testimonio indigetis, superioribus autem temporibus contrariam fuisse rationem, ego declarabo, non mea verba proferendo, sed scriptum majorum vestrorum ostendendo, quod illi

in æream columnam incisum in arce collocarunt, non ut ipsis usui esset—nam vel sine illo scripto recta sentiebant—sed ut vos monumenta et exempla haberetis, quanta res tales solicitudine sint curandæ. Quid igitur sit illud scriptum? Arthmius, inquit, Pythonactis filius Zelites ignominiosus esto et pro hoste habetor populi Atheniensis et sociorum ipse et genus ejus. Deinde causa est scripta, propter quam ea facta sunt: quod aurum a Medis in Peloponnesum vexit. Hoc scriptum illud est. Considerate igitur per deos et cogitate vobiscum, quæ mens fuerit Atheniensium illius temporis, qui talia facerent, quæve dignitas. Illi Zelitam quendam Arthmium, servum regis—Zelea enim Asiæ est oppidum—, quod de domini mandato aurum vexisset in Peloponnesum, non Athenas, hostem pronuntiarunt et suum et sociorum ipsum et genus ejus, et ignominia notarunt. Id vero non *mere* est id, quod quisquam ignominiam appellaret: quid enim Zelitæ illius intererat, si republica Atheniensi non frueretur? scriptum igitur hoc non vult, sed in legibus de cæde est hoc diserte positum, quorum causa *legislator* actiones cædis nullas dat, quos tamen occidere fas erat, et ignominia notatus, inquit, moriatur: proinde cædis absolvit eum, qui horum aliquem occiderit. Itaque putabant illi totius Græciæ salutem sibi curæ esse oportere; neque enim curassent, si quis in Peloponneso aliquos emeret et corrumperet, nisi ita sensissent: puniebant autem tam graviter atque ulti sunt eos, quos corruptores esse animadverterant, ut etiam in columnis proscriberent. Quæ cum fierent, merito Græcia barbaro erat formidabilis, non barbarus Græcis. Nunc secus fit: non enim ita vos estis animis affecti vel in his vel cæteris in rebus, sed quomodo? nostis ipsi: quid enim attinet vos singulis de rebus accusare? Eadem plane nec melior est cæterorum Græcorum omnium ratio. Quapropter ego assero magna cura egere præsentem rerum statum et sapienti consilio. Quodnam dico *consilium?* Vultisne *ut edam* et non irascemini?

(E TABULA RECITAT)

10. Est autem ineptus quidam sermo ab iis prolatus qui consolari volunt civitatem, Philippum nondum esse talem, quales aliquando fuerint Lacedæmonii, qui et mari dominarentur et terra universa, qui regem *Persarum* socium haberent, quibus nihil obsisteret: et tamen illos repressisse nostram civitatem, et non abreptam fuisse e medio. Ego vero, cum omnia, ut in universum dicam, magna incrementa ceperint, et hæc veteribus nulla re similia sint, nihil esse magis arbitror, quam res bellicas, mutatum et auctum. Primum enim audio Lacedæmonios tunc et omnes Græcos, quatuor aut quinque menses, ipsam tempestatem æstivam, [militasse; ac per hoc tempus] impetu facto et hostium regione devastata legionibus et

civilibus copiis, domum rediisse: adeo autem veteri simplicitate se gesserunt, vel potius civilitate, ut ne pecunia quidem quicquam ab ullo redimerent, sed esse legitimam quandam rem et apertam bellum. Nunc autem videtis utique plurima proditorum opera periisse, nihil in acie aut pugna geri: Philippum vero auditis, non quod gravis armaturæ phalangas ducat, proficisci quo velit, sed quod ferentarios, equites, sagittarios, peregrinos, *quod* istius modi conflavit exercitum. Quibus dum pollet, cum in eos irruit qui discordia inter se laborant, cumque nemo pro agri defensione propter diffidentiam prodit, adductis machinis illos oppugnat. Et taceo nihil eum habere discriminis inter æstatem et hyemem, neque ullum illi sit tempus eximium quod intermittat. Quæ cum omnes sciatis et vobiscum reputetis, non oportet vos bellum in vestram ditionem admittere, neque ut dum ad Laconici belli simplicitatem respicitis colla frangatis, sed quam diutissime ante cavendum, ac rebus gerendis et apparatibus ne *domo* se moveat efficiendum, non consertis manibus decertandum. Nam ad bellum multæ natura nobis sunt commoditates, modo ea facere velimus, quæ debemus, Athenienses, natura regionis quæ illi paret, cujus magnam partem hostiliter diripere et infestare poterimus, alia sexcenta: sed ad prælium melius ille, quam nos, est comparatus.

11. Neque vero solum ita sentiendum est, aut ille belli operibus ulciscendus, sed et animo et cogitatione detestandi, qui apud vos ejus causam tuentur, cogitandumque non posse vos hostes extra urbem superare, priusquam eos qui intra urbem illis operam navant, puniveritis. Quod, ita me amet Jupiter aliique dii! neque potestis vos facere neque vultis, sed eo prolapsi estis stultitiæ vel dementiæ vel nescio quid dicam—sæpenumero enim mihi etiam illud vereri subit, ne numen aliquod res agitet,—ut convicii aut invidiæ aut dicterii gratia aut quacunque demum de causa homines mercenarios, quorum quidam haud negaturi sint se esse tales, dicere jubeatis, et rideatis, si quibus convicia fecerint. Neque hoc *summopere* grave est, quanquam grave: sed et illud eis dedistis, ut minore cum periculo rempub. gerant, quam vestri defensores. Atqui spectate, quanta ex eo mala exsistant, quod eos qui tales sunt audire vultis. Dicam autem ea, quæ omnes esse facta agnoscetis.

12. Erant Olynthi, ex iis qui rebus præfuerunt, nonnulli qui cum Philippo faciebant eique in omnibus subserviebant, nonnulli qui, ut optima valeant *consilia* et ne servituti cives dederentur, laborabant. Utri ergo patriam perdiderunt, aut utri equites prodiderunt, quibus proditis, Olynthus interiit? Qui Philippi sequebantur partes, quique tum, cum staret civitas, optime consulentes cives ita calumniis et criminibus proscindebant, ut etiam ad ejiciendum Apollonidem populus Olynthiorum impelleretur. Neque vero apud hos solos ista

consuetudo malorum omnium causa fuit, alibi vero nusquam: sed Eretriæ, postquam digresso Plutarcho et peregrinis militibus populus urbem tenebat et Porthmum, alii summam rerum ad nos transferebant, alii ad Philippum. His in plerisque, ac potius in omnibus auscultantes miseri et infelices Eretrienses tandem adducti sunt, ut eos ejicerent qui pro seipsis locuti sunt. Proinde misso Hipponico, socius et amicus eorum Philippus, et peregrinis mille, muros Porthmi diruit et tres imposuit tyrannos, Hipparchum, Automedontem, Clitarchum: et postea bis regione expulit, cum jam servari vellent, missis primum illis cum Eurylocho militibus, deinde aliis cum Parmenione.

13. Et quid multis opus est? In Oreo Philistides operam Philippo navabat et Menippus et Socrates et Thoas et Agapæus, qui nunc tenent urbem—et hæc norant omnes—, homo autem quidam Euphræus, qui aliquando hic apud nos *eo* habitavit, ut liberi essent *cives sui* et nemini servirent. Is quas cæteroquin injurias et contumelias ab populo perpessus sit, longum esset dicere: anno autem ante captam urbem proditionis reum fecit Philistidem et socios ejus, perspecto quid molirentur. Connixi autem homines multi, et præbitorem habentes Philippum et consiliis ejus instructi, abducunt Euphræum in carcerem, ut reipublicæ perturbatorem. Quæ cum videret populus Oritanus, hunc adeo non adjuvit, illosque in cruciatum egit, ut nec his irasceretur, et illum merito illa ferre diceret eique insultaret. Deinceps illi omnimoda cum libertate id agebant ut urbs caperetur, et rem struebant; quod si quis e populo sensisset, tacebat et erat attonitus, memor quid Euphræo accidisset. Adeo misera autem erant conditione, ut non prius auderet quisquam, tali imminente malo, vocem rumpere, quam instructa acie ad muros accederent hostes: tum demum hi oppidum defendebant, illi prodebant. Urbi, ita captæ turpiter et flagitiose, isti dominantur et tyrannidem exercent, iis, qui tum et semetipsos et Euphræum defendebant et quidvis suscipere parati erant, partim ejectis, partim occisis: Euphræus autem ille semetipsum jugulavit, reipsa testatus, se jure et integre pro civibus restitisse Philippo.

14. Quidnam igitur causæ sit, miramini fortasse, cur et Olynthii et Eretrienses et Oritæ magis Philippi defensoribus faverint, quam suis? Eadem causa, quæ et apud vos, quod ii qui reipub. consultum volunt, ne quidem si cupiant, quicquam ad gratiam dicere aliquando possunt; nam res ipsæ ut incolumes sint, providendum est: illi, his ipsis quæ in Philippi commodum agunt, gratiam ineunt. *Hi* tributum conferre jubebant, illi nihil opus esse dicebant: *hi* bellum gerendum esse et diffidendum, illi pacem agendam, donec circumventi sunt. Cætera eodem modo, arbitror, omnia, ut ne singula recenseam: illi, quibus in præsentia gratificarentur, ea dicebant

nihilque offendebant; hi, quibus incolumes in posterum essent futuri, at ea conjuncta cum offensione. Multa autem ad extremum non tam vel gratiæ causa vel per inscitiam multi projecerunt, sed quod animis succumberent, postquam in summa rerum se deteriores putant. Quod idem, ita me amet Jupiter et Apollo! vereor, ne vobis etiam accidat, posteaquam videritis vos consilio nihil proficere: [atque illi, qui huc vos adducere conantur, non me terrent quidem, sed pudore perfundunt: aut enim data opera aut errore in periculosum deducunt statum rempublicam.] Verum absit, Athenienses, ut res eo redeant: mori enim millies præstat, quam per assentationem Philippo quicquam conficere et aliquos vestri defensores abjicere. Præclara nunc Oritano populo relata est gratia, quod Philippi amicis se commiserunt, Euphræum autem expulerunt; præclara populo Eretriensium, quod vestros legatos repulerunt, Clitarcho se dediderunt: serviunt illi sane, flagris afficiuntur, et torquentur. Præclare Olynthiis pepercit, qui Lasthenem magistrum equitum creaverunt, Apollonidem vero ejecerunt. Stultitiæ et ignaviæ est talia sperare, dumque pessima consilia capitis et nusquam officio fungi vultis, sed eos qui hostium causam agunt auditis, urbem tanta magnitudine vos incolere existimare, ut extra omne periculum positi sitis. Atqui turpe etiam illud est, si quid post acciderit, dicere, quis putasset hæc futura? per Jovem, illud utique atque illud faciendum erat, et hoc non faciendum. Multa nunc dicere possint Olynthii, quæ tum si prævidissent, non periisent: multa Oritæ, multa Phocenses, multa quicunque perierunt. Sed quidnam hæc eis prosunt? Dum incolumis est navis, sive ea major sive minor sit, tum decet et nautam et gubernatorem et omnem per ordinem virum esse alacrem, utque nec de industria nec imprudens quisquam eam evertat, providere: postquam vero mare superaverit, inane est studium. Quare nos quoque, Athenienses, dum sumus incolumes, dum urbem maximam habemus, dum opportunitates plurimas, dum existimationem honestissimam. Quid agamus, jamdudum aliquis in hoc consessu libenter fortassis rogaret. Ego profecto dicam, atque etiam decretum proferam, ut suffragiis vestris, si voletis, *id* sanciatis.

15. Ipsi in primis vim propulsantes et instructi, triremibus et pecuniis et militibus dico; etenim si alii universi in servitutem consentiant, nobis certe pro libertate certandum est: hæc igitur, inquam, omnia ubi ipsi instruxerimus et Græcis ostenderimus, cæteros jam convocemus, et qui hæc edocturi sint legatos passim dimittamus, in Peloponnesum, in Rhodum, in Chium, ad regem inquam —neque enim ab illius rationibus abhorret, ne istum evertere sinamus omnia—ut, si persuaseritis, socios et periculorum et sumptuum, si opus fuerit, habeatis, sin minus, moram saltem rebus injiciatis.

Quoniam enim cum uno homine, non cum constitutæ civitatis viribus bellum est, ne hoc quidem usu suo caret, neque superioris anni legationes in Peloponnesum illæ fuerunt irritæ neque criminationes, quas ego et Polyeuctus optimus ille vir et Hegesippus et Clitomachus et Lycurgus et alii legati circumtulimus, quibus rebus effecimus, ut ille represso impetu nec Ambraciam invaderet nec in Peloponnesum irrueret. Illud autem non dico, si ipsi nihil quod necesse est pro nobismet ipsis agere velimus, alios esse convocandos: etenim absurdum fuerit, ut qui ipsi sua deserunt, aliena se curare profiteantur, et dum præsentia negligunt, rerum futurarum metum aliis proponant. Non dico hæc, sed Chersonesitanis militibus pecuniam dico esse mittendam et alia quæcunque postulant facienda, ipsi autem nos instruamur et fungamur officio primi, ac tum demum cæteros Græcos convocemus, congregemus, doceamus, admoneamus: hæc sunt civitatis tanta præditæ dignitate, quantam vos obtinetis. Quod si Chalcidenses putatis Græciam servaturos aut Megarenses, vosque interea labores defugeritis, non recte putatis: satis enim præclare cum illis agitur, si suam quisque tueatur salutem. Vobis id est agendum. Vobis majores vestri munus id, per multa et præclara et magna discrimina partum, reliquerunt. Sed si unusquisque quod cupit id requirens sedebit, et hoc spectabit ne quid sibi laboris capiendum sit, primum nunquam eos inveniet qui rem gerant, deinde metuo, ne una omnia, quæ nolumus, facere sit necesse. [Nam si qui essent, *qui pro nobis agerent*, jam olim inventi essent, cum nihil ipsi agere velimus: sed non sunt.]

16. Ego igitur hæc dico, hæc decerno: et puto nunc etiam res posse emendari, si hæc fiant. Si quis autem his melius aliquid habet, dicat et suadeat. Quod autem vobis probatum fuerit, id omnes deos oro, felix faustumque sit.

AUGERI

ANALYSIS

PHILIPPICÆ QUARTÆ.

Propositum.

Quum in Thracia Philippus vincere pergeret, quum jam oppugnaturus esset Perinthum et Byzantium, Eubœamque suo addixisset imperio, Demosthenes concionatur, eo adducturus Athenienses ut fervidam et indefessam illius cupiditatem retundant.

Exordium.

Queritur orator de incuria Atheniensium in publicis rebus, quod satis habeant in concionibus audire si quid novi dicitur, et æqua disceptare sedentes et otiosi, dum in armis Philippus ea quæ sibi expediunt agit alacriter. Ostendit quam ob causam et quibus modis ii dominentur in civitatibus qui Philippo favent, et unde res civitatis suæ in pejus eant; ac postquam explicavit quo pacto Macedoniæ rex paulatim et sensim maximus evaserit, præmonet se dicturum jam quid sit agendum.

Confirmatio.

1°. Demonstrat paulo fusius Philippum pacem violasse, Atheniensium civitati bellum inferre, ipsique hostem et malevolum esse et esse debere.

2°. Hac re demonstrata, dicit Atheniensibus non esse postulandum ab oratore ut decreto bellum suadeat, sed ipsis bellum suscipiendum esse gnaviter: itaque conferendam pecuniam, comparandos exercitus, et ipsis omnia suppeditanda quæ necessaria sunt. Hinc vivide exponit socordiam qua res nunc sua civitas administrat, et quæ commoda ex alia agendi ratione consequentur.

3°. Pergit ostendendo bellum prorsus suscipiendum esse, non consideratis sumptu, molestiis et labore; atque instat vehementius ut suos cives e turpi veterno excitet, quum eos premat necessitas quæ viros cogit honestos et ingenuos. Ipsis exprobrat quod ne velint quidem ea audire quæ in deliberationem cadunt, et post decisa tandem negotia præposteri deliberent.

4°. Monet audientes pecuniis præsertim reipublicæ opus esse, ac tempus esse commodissimum ut cum Persarum rege colloquantur, eumque adducant ut se pecunia et armis adjuvet. Contendit non Persarum sed Macedoniæ regem vere nunc esse metuendum.

5°. Loquitur de pecunia theatrali, quæ obstat ne publica res recte administretur. De hac pecunia oratori immutatam esse voluntatem constat, et quum cives suos videret inflexibiles, ipsum de via, publicæ causa utilitatis, paulum deflexisse. Hic itaque saudet divitibus, ne moleste ferant hanc pecuniam accipere pauperes; rursusque pauperibus, ut publicis pe-

cuniis contenti non privatas attingant, et quemque sua sinant securius possidere.

6°. Atheniensibus exprobrat quod mutatis jam animis existiment se non debere sua impendere ut Græcis injuria affectis opitulentur: stylo paulo fusiori probat hinc Philippum evasisse potentissimum, et locum vacuum occupavisse, civitatem e contra Atheniensem nullo in loco esse apud ceteras Græciæ civitates.

7°. Cetera reipublicæ mala persequitur, quæ confert in proditores a quibus venduntur rei gerendæ occasiones: eos valide confutat qui negabant bellum esse suadendum, qui pacis commoda et magni exercitus alendi molestias exaggerabant: causam adjicit cur cives suos criminarentur bellum suadentes, et Philippum bello grassantem placidis oculis spectarent: dicit quid inde eveniat.

8°. Docet civitati Atheniensi Philippum multo esse infestiorem quam ceteris, id quod fuse arguit exemplis ceterorum populorum, quos ille saltem beneficiis prius deliniverat quam dolis et armis perderet: vehementius impugnat oratores nonnullos, qui, dum Philippo faverent, celebres facti et divites, civitatem suam inopem et obscuram effecerant, ac præsertim Aristodemum quendam, qui, quum ipse publicæ rerum administrationi daret operam inquietus, satagebat ut Athenienses manerent quieti et desides.

9°. Totam orationem sic concludit, se, quum multa adhuc habeat dicenda, desinere, quia scilicet non inopia verborum res pessime eunt, sed facilitate eos audiendi qui in gratiam Philippi loquuntur; ceterum se benevole, simpliciter, nullo conciliandæ pecuniæ studio, vera nunc et utilia dixisse.

Dicta est hæc oratio eodem anno quarto olympiadis CIX, sub archonte Nicomacho.

ARGUMENTUM IN PHILIPPICAM IV EX TOURELLIO.

HABITA fuit hæc oratio, Archonte Nicomacho, anno post præcedentem proximo, regni Philippi vicesimo, Olympiadis vero centesimæ nonæ quarto. Dicit Ulpianus Demosthenem, propter tristem quendam nuntium a Thracia allatum, festinanter eam pronuntiasse; idque in causa fuisse, quominus peculiarem de hoc argumento rationem meditatus prodiret, temporis angustiis impeditus. Diodorus etiam narrat, hoc anno Phocionem ejecisse ex Eretria, urbe Euboica, Clitarchum, qui Philippi præsidio tyrannidem ibi exercuerat. In hac insula quippe tunc temporis complures tyranni, a Philippo constituti, rerum potiti sunt: seu potius eorum ministerio Philippus ipse. Eubœa itaque, ob oculos Atheniensium in servitutem redacta, eorum libertati nil nisi funestum portendebat. Demosthenes idcirco plurimum eorum interesse monstrat, hostem arceri, jam quasi portis appropinquantem. Hæc itaque oratio in duabus rebus vertitur præcipue: ut Eubœa in libertatem asseratur; et ut Perinthus Byzantiumque, quas urbes tum oppugnare parabat, et brevi revera aggressus est Philippus, conservarentur. Quoniam vero civitatis in se dissentientis vires bellis externis sufficere nequeunt, Demosthenes civium animos placare conatur, et divites pauperesque (quibus de pecuniæ publicæ divisione haudquaquam conveniebat) in gratiam reconciliare. Legationem deinde mitti jubet, quæ apud Regem de fœdere ineundo agat. Postremo, etiam atque etiam flagitat, ut exterminentur proditores; quos omnes affatur, nominatim Aristodemum compellans. Neque inanis fuit fulminis Demosthenici impetus: Athenienses etenim commoti, copias, Phocionis ductu, Thraciam mittere properarunt. Ibi dux ille præclarus veterem suam gloriam superavit. Byzantini obsidione pressi, portas, quas Chareti occluserant, (qui prius exercitum duxerat) ei statim aperuere: isque obsidionem solvit, Philippumque vulneratum, suorum multis amissis, abscedere coegit. Ceterum plura hic occurrere, quæ et in prioribus dicta sunt, animadvertet lector. Atqui cum hæc oratio in materia versatur, octo præcedentibus exhausta jam prope et confecta, necesse fuit quodammodo eadem nunc repetere; neque id damnandum videtur. Quinetiam prioribus coronidem imponit hæc oratio, quasi earum epilogus. Revocat itaque orator argumenta, quibus antea usus est: revocatis autem novam vim conciliat, tum collocatione artificiosa, tum pluribus quæ accedunt novis.

LIBANII ARGUMENTUM IN PHILIPPICAM IV.

IDEM et hujus orationis argumentum est, quod præcedentis; neque quicquam in ea inest amplius aut peculiare, præter illam de concordia rationem: cum enim divites a pauperibus dissentiant, Demosthenes sedare conatur discordiam, plebi suadens, non esse publicanda locupletum bona; opulentis, non esse invidendam inopibus publicam largitionem. Suadet etiam Atheniensibus, ut ad Persarum regem de societate legatos mittant.

DEMOSTHENIS PHILIPPICA IV.

1. CUM et gravibus vos, Athenienses, et reipublicæ necessariis de rebus deliberare putem, operam dabo ut ea dicam, quæ e republica esse arbitror: quanquam autem peccata non pauca sunt, neque parvo tempore cumulata, per quæ in hæc mala incidimus, nihil tamen omnium est, Athenienses, in præsentia difficilius, quam quod

vos animis a rebus gerendis abhorretis, et tantisper navatis operam, dum sedetis et auditis ubi quod novi nuntiatum fuerit. Deinde vestrum quisque digressus, non modo non curat ea, sed nec meminit.

2. Ac petulantiæ quidem et avaritiæ, qua erga universos mortales Philippus utitur, tanta magnitudo est, quantam auditis. Eum autem non posse coerceri verbis et concionibus, nemo certe ignorat; etenim si e nulla re alia id discere possit aliquis, hoc modo *rem* perpendat. Nos nullo unquam loco, cum de jure disputandum fuit, victi, nec injuriam fecisse visi sumus, sed omnes ubique superamus, et vincimus oratione: nunquid igitur propterea illi res adversæ sunt, aut reipublicæ prosperæ? Multum certe abest: cum enim ille sumptis post armis progreditur, omnes fortunas alacriter in discrimen adducens: nos vero sedemus, postquam alii æqua diximus, alii audivimus, fit, uti par est puto, ut factis verba superentur; et omnes spectent, non qua nos æquitate vel olim dixerimus, vel nunc dicamus, sed quid faciamus. Atqui ejusmodi ea sunt, quæ neminem possunt ab injuria vindicare; neque enim plura de iis dici opus est.

3. Proinde cum in *Græciæ* civitatibus in duas hasce partes divisi sunt cives, alii, ut neque vi in quemquam imperium exercere velint, neque servire cuiquam, sed in libertate et legibus ex æquo rempublicam gerere; alii, ut civibus imperare cupiant, et alteri parere, per quemcumque id se consecuturos putarint: ii qui illius sectam sequuntur, quique tyrannides et principatus concupiscunt, ubique dominantur; et urbs in qua constanter colatur libertas populi, haud scio an ulla sit reliqua ex omnibus, vestra excepta: et sunt, qui illius ope præsunt oppidis, omnibus iis rebus quibus negotia conficiuntur superiores: quorum illud primum omnium et maximum est, quod præbitorem habent ad eos corrumpendos, qui pecuniam accipere volunt: alterum, in quo non minus virium est, quod illis copiæ, quibus eorum adversarii evertantur, quocunque tempore postularint, præsto sunt. Nos vero non his modo rebus sumus inferiores, Athenienses, sed nec expergefieri possumus; hominibus qui mandragoram aut aliquod ejusmodi medicamentum biberunt similes: deinde puto:—vera enim, ut ego judico, fatenda sunt:—eo utique pacto in eam calumniam et contemptum venimus, ut qui in ipsis periculis versantur, partim de principatu nobis contradicant: partim de concilii loco: quidam etiam soli potius, quam vobis adjutoribus, se defendere decreverint. Cur igitur hæc dico et recenseo? Neque enim mihi, Jovem testor deosque omnes, odium quæro, verum ut unusquisque vestrum, Athenienses, hoc cognoscat et videat, quotidianam segnitiem et socordiam, ut in privata vita, sic etiam in urbibus, non in iis singulis quæ negliguntur statim animadverti, sed in summa rerum occurrere. Videtis Serrium et Doriscum: hæc enim primum neglecta sunt post pacem factam, quæ multis vestrum nec

nota sunt fortasse. Ea tamen, tum neglecta et despecta, perdidere Thraciam et Cersobleptem socium vestrum. Rursus ea negligi cum videret, et nullis defendi vestris auxiliis, subruit Porthmum, et tyrannidem e regione Atticæ, tanquam vallum, vobis objecit in Eubœa. Hac neglecta, Megaram cepit propemodum. Nihil curastis, neque commoti estis harum rerum ulla, neque ostendistis hoc, vos ei hæc agere non permissuros. Antronas emit: et non multo post, Orei potitus est. Multa præterea, Pheras, iter in Ambraciam, cædes in Elide, alia infinita: non enim ut eos enumerarem, quibus vim et injuriam fecit Philippus, hæc recensui; sed ut hoc vobis ostenderem, non desiturum omnes mortales vexare, omnia suæ ditionis facere Philippum, nisi quis eum prohibuerit.

4. Sunt autem quidam qui, priusquam de rebus orationes audierint, statim interrogare soleant, quid igitur est agendum: non ut cum audierint faciant, essent enim *tum* omnium utilissimi; sed ut oratore liberentur. Dicendum tamen est, quid sit agendum. Primum, Athenienses, hoc certo apud vos statuendum est, Philippum bellum gerere cum nostra republica, et solvisse pacem; et malevolum atque hostem esse toti urbi et solo urbis, addam etiam diis urbanis, qui eum perdant: cum nulla re tamen æque bellum gerere, ut cum forma reipublicæ; neque quicquam aliud molitur per insidias ac meditatur magis, quam ut eam destruat. Idque necessario quodammodo nunc quidem agit: reputate enim. Imperare vult. Ejus rei adversarios solos esse vos existimat. Injurius est longo jam tempore; ejusque rei ipse sibi est optime conscius: quæ enim vobis erepta pro suis occupat, his utitur ad omnia cætera tuto tenenda; nam si Amphipolim et Potidæam amitteret, ne in Macedonia quidem tuto se manere posse existimaret. Utrumque igitur novit, et se vobis insidiari, et vos id animadvertere. Cumque idem vos sapere arbitretur, jure se vobis invisum esse censet. Præter hæc tam multa, compertum habet, etsi cæterorum omnium dominus fiat, se, dum popularis status apud vos fuerit, nihil firmi habiturum. Sed si quam cladem aliquando acceperit—multæ autem homini accidere possunt—, fore ut qui nunc vi tenentur abeant, et ad vos confugiant: estis enim vos non ipsi ad aliena arripienda dominationemque obtinendam natura comparati, sed alium ne arripiat prohibere, aut arreptis exturbare, denique homines regnandi cupidos vexare, cunctosque mortales in libertatem asserere probe instructi. Non igitur vult suis occasionibus vestram libertatem imminere, in quo neque inepte neque oscitanter secum reputat. Primum igitur, hac de causa hostis est ille habendus reipublicæ et popularis status implacabilis; deinde certo tenendum, eum omnia, quæ molitur atque apparat nunc, contra nostram urbem apparare: neque enim quisquam vestrum ita ineptus est, ut Philippum existimet misera illa in

Thracia,—quo enim alio nomine appelles Drongilum, et Cabylen, et Mastiram, et ea quæ nunc tenere dicitur—, hæc *inquam* appetere, et ut ea obtineat, et labores et hyemes et extrema pericula tolerare; Atheniensium autem portus, et navalia, et triremes, et argentifodinas, et tantos reditus, et locum, et gloriam, quibus absit ut vel ille vel quisquam alius, urbe nostra subacta, potiatur, non desiderare, sed hæc vos habere permissurum, propter panicum autem et siliginem in Thraciis cuniculis *defossa*, in Barathro hybernaturum. Non hæc ita sunt, sed et illa, quo his potiatur, et reliqua omnia molitur.

5. Hæc igitur unusquisque scire et tenere debet, neque jubere mediusfidius ut bellum decernat is, qui optimo animo utilissima suadet; id enim eorum est qui detrectandi belli causam quærunt, non *qui* ea quæ sint ex usu reipublicæ agere *decreverunt:* videtis enim, si quis propter ea in quibus Philippus primum, secundum, aut tertium, fœdus violarat,—multa enim ordine sunt—, decrevisset ei bellum esse inferendum; is vero, æque ut nunc, nemine Atheniensium bellum decernente, Cardianis opem tulisset, annon abreptus esset e medio decreti auctor, et omnes questi essent, Philippum propter hoc decretum Cardianis opem tulisse? Ne igitur quæritote, quem pro Philippi delictis oderitis, et illius mercenariis dilaniandum objiciatis: neque, si bellum ipsi decreveritis, velitis inter vos disceptare, utrum id vos fecisse decuerit, vel non decuerit. Sed quibus ille rationibus bellum infert, eisdem vos propulsate: iis, qui nunc propulsant, pecuniam dantes et cætera quibus egent; ipsi autem tributum conferentes, Athenienses, et comparantes exercitum, triremes celeres, equos, hippagines, et cætera quæcunque ad bellum *requiruntur.* Ut enim nunc res administramus, ridiculum est. Quin ipsum etiam Philippum, ita me dii ament, optare puto, ut non aliud agat respublica nostra, quam quæ nunc agitis: cessatis, sumptus facitis; cui res mandetis, quæritis; succensetis, alius alium accusatis. Unde autem ista fiant, ego docebo, et quomodo compescenda sint, dicam.

6. Nihil unquam, Athenienses, ab initio recte instituistis, aut instruxistis; sed eventum semper assectamini: deinde, si serius venistis, cessatis, rursus, si quid aliud evenerit, instruitis vos, et tumultuamini. Cum non ita sit agendum: neque enim fieri potest, ut qui *subitaneis* utuntur auxiliis, quicquam recte unquam conficiant; sed conscribere oportet *justum* exercitum, et commeatus illis suppeditare, et quæstores publicos, et ut quam diligentissima fiat ærarii custodia; id vero curantes, pecuniæ rationes a quæstoribus reposcere, rerum vero gestarum, ab imperatore; et nullam vel navigandi alio, vel aliud aliquid agendi causam duci relinquere. Quod si sic feceritis, et hoc volueritis, revera justam servare pacem, et manere domi, *suo contentum*, Philippum cogetis: aut bellum ex æquo gere-

tis: et fortassis, Athenienses, fortassis, ut vos nunc sciscitamini, quid agit Philippus, et quo proficiscitur; sic et ille solicitus erit, quo nostræ urbis copiæ se contulerint, quo erupturæ sint.

7. Quod si cui videntur hæc et magni sumptus, et laboris ingentis, et occupationis esse, omnino recte videntur: sed si idem secum reputet, quæ reipub. post eventura sint, nisi hæc facere voluerit, inveniet expedire ut officium ultro faciamus. Nam si quis deorum sponsor nobis sit,—neque enim mortalium ulli tanta de re fides haberi tuto posset—, eum, si vos otium agatis, et negligatis omnia, non tandem in vos ipsos invasurum, turpe quidem, Jupiter diique omnes! fuerit, atque indignum vobis, et præsenti dignitate reip. et rebus gestis majorum, ob privatum vestrum otium reliquos Græcos omnes objicere servituti. Ac ego quidem ipse mortem oppetere malim, quam talia suadere. Verum si quis alius id dicit, vobisque persuadet, esto; ne defendite vos, abjicite omnia: sin hoc nemini consultum videtur, contraque præscimus omnes, quo pluribus eum potiri sinamus, eo nos acriorem illum et potentiorem hostem habituros. Quid subterfugimus, aut quid cunctamur, aut quando, Athenienses, officio fungi volemus? Cum per Jovem necessitas aliqua fuerit? At quæ liberorum hominum necessitas dici queat, non modo jam adest, sed jampridem etiam se obtulit: servilis autem illa ne ingruat, utique est optandum. Quid vero interest? Quod homini libero maxima est necessitas, rerum gestarum dedecus; eaque major haud scio an ulla sit: servo autem, plagæ et corporis cruciatus; quod absit ut fiat, et dictu indignum est.

8. Ac illud quidem, Athenienses, ad ea esse segnes et tardos, quæ corporibus et facultatibus præstanda reipublicæ sunt ab omnibus, non est comprobandum sane, quin multum abest: veruntamen excusationis aliquid habet. Sed nec ea, quæ audienda sunt, quæque in deliberationem venire debent, audire velle, id vero meretur omnem reprehensionem. Vos igitur nec audire priusquam res ipsæ adsint ut nunc, nec ulla de re deliberare soletis per otium: sed cum ille contra vos arma expedit, idem agere et contra instrui omittentes, desidetis; et si quis aliquid tale dixerit, ejicitis. Postquam autem periisse aut obsideri aliquid intellexistis, tum demum auditis et instruimini. Fuit autem audiendi tempus et consulendi tum cum vos noluistis: rei autem gerendæ et apparatus adhibendi nunc cum auditis. Itaque ex ista consuetudine, soli mortalium omnium contra quam alii solent factitatis: nam omnes alii homines ante negotia deliberare solent; vos, post negotia. Quod igitur est reliquum, et olim factum oportuit, sed neque nunc serum est, id dicam.

9. Nihil omnium rerum ad ea negotia quæ instant reipublicæ perinde est opus, ut pecunia. Ultro autem felicitas quædam nobis offertur, qua si recte utamur, fortassis etiam nunc aliquid utile confici

poterit: primum enim, quibus rex *Persarum* fidem habet, quosque de se bene esse meritos putat, hi oderunt et bello infestant Philippum: deinde, qui adjutor et conscius fuit omnium Philippi contra regem instructionum, is abreptus est, et omnia quæ gesta sunt rex non ex nobis accusantibus audiet, quos privatæ utilitatis causa dicere putaverit, sed ex ipso rerum actore et administratore; unde fides habebitur accusationibus, et ea vestris legatis reliqua erit oratio, qua rex maxime delectabitur, eum qui utrosque læserit communiter esse ulciscendum: regique multo fore formidabiliorem Philippum, si nos prius invaserit; nam si quod nos derelicti vulnus acceperimus, intrepide illum contra regem iturum. Propter hæc igitur omnia, censeo legatos esse mittendos, qui cum rege colloquantur; et simplicitatem istam deponendam, quæ vobis sæpe detrimento fuit. Enimvero barbarus est et communis omnium hostis, et reliqua ejus generis omnia: ego enim, cum video esse qui illum qui Susis et Ecbatanis degit metuat, et reipub. male velle dicat, qui prius etiam ad rempub. nostram erigendam adjutor fuit, et nuper pollicebatur, (quod si vos non accepistis, sed senatusconsulto repudiastis, per illum quidem non stetit.) de eo autem, qui in foribus adeo, prope in media Græcia crescit, prædone Græcorum, aliud aliquid dicat—demiror, eumque metuo, quisquis ille sit, cum ipse Philippum non *metuat*.

10. Est et alia res quæ reipublicæ nocet, injusta maledicentia verbisque non convenientibus adducta in invidiam; quæ iis occasionem, qui nihil æqui agere volunt in republica, suppeditat: denique omnium quæ desunt, cum id ab aliquo fieri oporteat, in eam rem transferri culpam invenietis. De qua omnino dicere vereor, sed dicam tamen: puto enim me habiturum, quod ad reipublicæ utilitatem et pro pauperibus contra divites dicam, et pro locupletibus contra egenos, si e medio sustulerimus calumnias, quas de theatrali pecunia quidam iniqui dicunt, et timorem illum, non posse sine magno aliquo malo hanc rem consistere, quo nihil majus ad res gerendas conferre, nihil quod totam urbem magis corroboret præstare, possumus. Sic autem considerate: sed primo loco dicam de iis, qui inopes esse videntur. Non ita olim vectigalia nostræ civitatis centum et triginta talenta non superabant: et nemo ex iis est, qui triremi præesse, aut conferre tributum poterant, qui non sua sponte sibi faciendum officium putaret, quod pecuniæ copia non erat: sed et triremes *instructæ* ibant, et pecunia in promptu erat, et omni officio fungebamur. Post hæc fortunæ benignitas auxit ærarium; ut talenta pro centum illis quadringenta redeant, sine ullo divitum detrimento, sed cum eorum emolumento potius: divites enim omnes veniunt in partem eorum, et merito veniunt. Qui fit igitur, ut id aliis alii exprobremus, et per eam speciem facere quæ decent recusemus? Nisi forte auxilium pauperibus a fortuna oblatam invidemus; quos nec ipse reprehendo, nec

censeo reprehendendos: neque enim in privatis familiis adolescentem erga seniores ita affectum esse video, neque adeo vecordem aut ineptum, ut, nisi omnes ea agant quæ ipse agit, se quoque neget acturum esse quicquam: is enim tum legibus impietatis teneretur: decere enim censeo, constitutam ab utraque stipem, et a natura et a lege, juste reddi, et ultro pendi. Sicut igitur uniuscujusque nostrum parens est aliquis, sic universæ civitatis communes parentes cives universi sunt existimandi: atque, adeo non eripiendum eis quicquam est, quod respublica largitur; ut, si horum nihil fieret, eis aliunde prospiciendum esset, ne qua re egentes negligantur. Quod si locupletes in hac sententia sint, eos non modo æqua facturos puto, sed utilia quoque: nam rebus necessariis fraudare aliquos, id efficere est, ut reipublicæ multi male velint.

11. Inopibus autem suaserim, ut quæ res locupletibus oneri est, et de qua haud injuria queruntur, eam removerent. Progrediar autem eodem modo quo dudum, et pro divitum defensione vera dicere non dubitabo: mihi enim nemo ita inhumanus aut crudeli animo esse videtur, nedum Atheniensium, sed nec cæterorum, ut pauperes, et rerum necessariarum egenos, capere ista cum videt, ægre ferat. Sed quod habet vulnus ista res, aut quam difficultatem? Cum videant quosdam publicæ *largitionis* consuetudinem ad privatas *hominum* possessiones transferre, et magnum esse statim apud vos ejus sententiæ auctorem, et quod ad securitatem quidem attinet immortalem, atque aliud esse occultum suffragium a publico clamore. Hæc diffidentiam, hæc iracundiam movent: oportet enim, Athenienses, cives pari jure cum civibus vivere: divites, ut facultates suas in tuto collocatas esse putent, deque iis non solicitentur; in periculis autem, ut pro patriæ salute opes suas in commune conferant: reliqui, ut communia pro communibus habeant, iisque pro portione fruantur; privata vero, pro propriis possessoris. Sic et parva civitas magna fit, et magna conservatur.

12. Quæ igitur ab utrisque præstanda esse videantur, hæc fere sunt: verum ut recte quoque fiant, correctio adhibenda est. Sunt autem horum negotiorum et perturbationis multæ jam olim collectæ causæ; quas, si vobis audire cordi est, narrabo. Emoti estis, Athenienses, ex eo fundamento, in quo vos majores vestri collocarunt: ac præesse Græcis, et legionibus instructis omnes affectos injuriis adjuvare, supervacaneum esse et inanem sumptum persuaserunt vobis istorum in rep. institutorum auctores; at in otio degere, et nusquam officio fungi, sed singulatim omnia projicere et sinere ut alii ea intercipiant, admirabilem felicitatem et rem nullo cum periculo esse conjunctam putatis. Quæ dum fiunt, alius in eum locum invadens, in quo vos stare oportebat, hic vero felix et magnus et

multarum rerum factus est dominus, idque merito: rem enim honorificam et magnam et splendidam, de qua omni tempore maximæ urbes inter se contenderunt, afflictis quidem Lacedæmoniis, impeditis Phocensi bello Thebanis, nobis negligentibus, desertam occupavit. Itaque formido, ad alios; multitudo sociorum et magnitudo potentiæ ad eum devenit: tantisque et talibus rebus Græci jam circumventi sunt universi, ut etiam quid consilii adhibendum sit haud facile reperiri queat.

13. Quanquam autem, Athenienses, hæ res, ut ego judico, omnibus sunt formidolosæ, nulli tamen omnium in majore sunt periculo quam vos, non eo tantum quod vobis Philippus potissimum insidiatur, sed ob illud etiam quod omnium estis ignavissimi. Quod si rerum venalium copiam et annonæ in foro ubertatem intuentes, iis deliniti estis, tanquam extra omne periculum sit respublica, neque convenienter neque recte judicatis: forum enim et mercatus bene an secus instruantur, ex his rebus æstimari queat; at vero de ea civitate, quam unam sibi adversariam, et communis libertatis propugnatricem futuram suspicaretur, quicunque tandem Græciæ dominatum appetierit, minime, ita me deus amet, ex venalium rerum copia judicium faciendum est. Sed utrum sociorum benevolentia munita sit, utrum armis valeat, hæc sunt quæ pro rep. exquiri debent. Quæ apud vos male omnia, et non præclare se habent. Idque ea ratione intelligetis, si sic cogitabitis, quando perturbatissimus fuerit Græciæ status? nullum certe tempus hoc fuisse perturbatius, quisquam dicet: omni enim superiori ætate, in duas has factiones divisi fuerunt Græci, Lacedæmonios et nos. Cæteri autem Græci, partim nobis, partim illis obediebant. Regi vero *Persarum* per se quidem æque apud omnes nulla erat fides. Sed bello victis adjungendis, tantisper fidem inveniebat, dum horum opes alteris æquasset: post iis, quos conservarat, non minus erat invisus, quam veteribus inimicis. Nunc autem, imprimis, rex *ille* omnibus Græcis est conjunctus, nobiscum autem minime omnium, nisi aliquid jam apud nos correxerimus: deinde patrocinia multa sunt et undelibet conciliantur; et principatum quidem omnes sibi vendicant, desciscunt autem nonnulli, et invident et diffidunt inter se secus quam oportebat, divulsique sunt singuli, Argivi, Thebani, Corinthii, Lacedæmonii, Arcades, nos. Sed tamen, cum in tot partes et tot principatus res Græcorum sint diremptæ, si verum libere dicendum est, apud horum neminem prætoria et curias magis deserta videas a Græcorum negotiis, quam nostratia, merito: neque enim sive amet, sive confidat, sive metuat, quisquam nos appellat. Causa vero harum rerum non est una, Athenienses:—nam alioqui facile mutaremus:—sed multa et varia commissa ab omni ævo delicta sunt:

quorum singulis omissis, unum, quo omnia tendunt, dicam, precatus a vobis, si vera libere dixero, ne mihi succenseatis.

14. Divenditæ sunt omnium jam temporum opportunitates, atque otium quidem et rerum vacationem vos arripuistis, quibus deliniti, his qui vos lædunt non graviter irascimini: honores autem alii abstulerunt. Ac quæ ad cætera quidem attinent, ea non est exquirere nunc operæ pretium: sed ubi aliqua Philippi mentio inciderit, statim quidam surgens dicit, non esse nugandum, nec decernendum bellum, deinceps statim addit, in pace vivere quam bonum, et magnum alere exercitum quam grave, et diripere quidam ærarium volunt, aliaque hujuscemodi proferunt ut opinantur verissima. Verum pacem tueri, non vobis utique suadendum est, qui jam persuasi desidetis, sed illi potius, qui hostilia facit: cui si persuasum fuerit, in vobis nulla mora est. Gravia autem existimanda sunt, non quæ tuendæ salutis causa insumpserimus, sed ea quæ perferemus, nisi hæc facere voluerimus; ac direptio ærarii, custodiam qua conservetur assignando, prohibenda est, non desertione utilitatis. Quanquam id ipsum iniquo animo fero, si vestrum quibusdam pecuniæ direptio est molesta, quam ut tueri, sic peculatores punire, penes vos est: Philippus autem, qui totam deinceps Græciam diripit, et vestro malo diripit, non est molestus.

15. Qui fit igitur, Athenienses, ut eum, qui tam aperte injurias facit, et urbes occupat, nemo unquam istorum injuste facere aut movere bellum dixerit: qui vero non concedenda, neque negligenda hæc esse suadent, eos bellum facere dicant? Quod culpam earum quæ ex bello orituræ sunt difficultatum—necesse enim, necesse est multas oriri e bello molestias—in eos qui vestra causa optima dicere solent, universi conferre cupiunt: censent enim, si vos concorditer unoque animo Philippum ulciscamini, et illum superatum iri a vobis, et ipsis faciendi quæstus nullum locum fore: sin oblato aliquo tumultu, criminantes quosdam, ad tribunalia devoletis, tum se iis accusandis utrumque consecuturos, et laudationem a vobis, et largitionem ab illo: tum vos, ob ea propter quæ ipsi mulctandi essent, pœnas de iis, qui pro vestris commodis locuti sunt, sumpturos. Ac spes quidem istorum hæ sunt; commentumque super quod exstruuntur criminationes, *illud est*, velle nonnullos homines bellum facere. Ego vero exploratum habeo, cum Atheniensium nemo bellum decrevisset, tum alia multa quæ nostræ urbis sunt tenere Philippum, tum nunc auxilia misisse Cardiam. Quod si nos dissimulare volumus eum bellum gerere nobiscum, mortalium omnium stolidissimus esset, si id coargueret: nam si violati negant, quid est violanti faciendum? Sed ubi nos ipsos invaserit, quid tum dicemus? Ille quidem se bellum gerere negabit, quemadmodum nec

cum Oritis, militibus in eorum agro versantibus: nec ante cum Pheræis, priusquam in mœnia faceret impetum: nec primum cum Olynthiis, donec in ipsorum agro cum exercitu adesset. An tum quoque eos, qui vim propulsare jubent, concitare bellum dicamus? Hoc igitur est reliquum, ut serviamus: nec enim quicquam est tertium. Quanquam non pari vos cum cæteris periculo decertatis: non enim imperio suo civitatem subjicere vult Philippus nostram, non; sed penitus exscindere: satis enim intelligit, servire vos neque velle, neque si velitis, posse; nam imperare consuevistis: negotia vero ei facessere, si detur occasio, posse plura quam reliquos homines universos: quapropter vobis non parcet, si rerum potitus fuerit.

16. Proinde quasi de summa rerum essetis decertaturi, ita vos oportet esse animis affectos, quique se illi aperte vendiderunt, et odio prosequendi et in cruciatum abripiendi sunt: non enim fieri, non fieri potest, ut externi hostes superentur, nisi prius domesticos hostes punieritis; sed necesse est, dum in hos tanquam in scopulos impingitis, ut illis sitis posteriores: etenim cur eum ita contumeliose vobis insultare nunc putatis; nihil enim aliud agere mihi quidem videtur nisi hoc, et cum alios benefaciendo, si non aliud, saltem seducat, vobis jam etiam minitari. Veluti Thessalos multis beneficiis pellexit in hanc servitutem: neque dicendo quisquam consequi possit, quam multis rebus miseros Olynthios, data prius Potidæa, multisque aliis, deceperit: Thebanos nunc sub jugum allicit, tradita eis Bœotia, posteaquam eos magno gravique bello liberavit: itaque hi omnes, dum aliqua commoditate fruuntur, alii jam perpessi ea sunt, quæ omnes norunt; alii ferent, quicquid tandem contigerit: at vos, quæ amisistis, taceo; sed in ipsa pacificatione, quoties decepti? quam multis spoliati estis? Nonne Phocensibus? nonne Pylis? nonne Thracia? Dorisco, Serrio, Cersoblepte ipso? nonne Cardiam nunc habet et confitetur? Cur igitur eo modo cum illis et alia ratione vobiscum agit? Quod in hac una cunctarum urbium, impune hostium causæ patrocinari licet; ac si quis pecuniam accepit, concionandi potestatem ipse habet, etiamsi vos vestris opibus spoliati estis. Non tutum fuit Olynthi causam agere Philippi, donec populus Olynthiorum simul delinitus esset illo traditæ Potidææ beneficio. Non tutum fuit in Thessalia Philippi causam agere, donec multitudo Thessalorum beneficii partem percepisset, ejectis a Philippo, ipsorum causa, tyrannis, et Pylæa restituta. Non fuit Thebis tutum, ante redditam Bœotiam, et Phocenses deletos. Verum Athenis, cum non modo Amphipolim et Cardianorum regionem Philippus eripuerit, sed et Eubœam contra nos tanquam arcem munierit, et nunc ad Byzantium accedat, tutum est dicere pro Philippo. Itaque istorum aliqui e mendicis repente facti sunt divites; ex ignobilibus et obscuris, clari atque illustres: vos contra, e claris obscuri, e locupletibus egentes: nam reipublicæ quidem opes ego esse existimo, socios, fidem, benevolentiam, quorum vos omnium estis inopes: quæ quia negligitis, et ad istum modum res ferri sinitis, ut ille beatus et magnus et formidolosus est omnibus Græcis et barbaris; ita vos deserti et humiles, rerum venalium ubertate splendidi, eorum apparatu quæ opus erant ridiculi.

17. Non autem eodem modo vobis et sibimetipsis quosdam oratores consulere video: vobis enim quiescendum esse dicunt, etiamsi violemini; ipsi vero apud vos quiescere non possunt, tametsi nemo eis injuriam faciat. Quanquam si quis citra convicium roget, Dic mihi, quamobrem, cum exploratum habeas, Aristodeme,—nemo enim talia ignorat,—ut privatorum hominum vitam esse, tutam et otiosam et extra periculum positam; sic eorum qui versantur in republica, criminationibus obnoxiam et lubricam et quotidianorum certaminum et malorum plenam, non quietam et otiosam, sed periculosam, amplecteris? quid respondeas? Nam si, quod optimum dicere posses, id te vere dicere concederemus, te honoris et gloriæ studio ista facere omnia, demiror equidem, cur tibi istorum causa facienda esse omnia censeas, neque ullum vel laborem vel periculum recusandum; reipub. autem sis auctor, hæc per socordiam ut amittat? Neque enim illud dices, te oportere in repub. esse conspicuum, reipub. nullam esse oportere apud Græcos dignitatem. Quin nec illud video, reipub. tutum esse suum agere negotium, tibi periculosum, si nihilo magis, quam alii, curiosus sis. Imo contra; tibi ex factis tuis et curiositate extrema impendere pericula, reipub. ex otio. At hercule est tibi avita et patria gloria, quam tibi turpe fuerit amittere. Reipublicæ vero omnia obscura et ignobilia a majoribus devenerunt? Sed ne hoc quidem ita se habet: nam tibi quidem fur pater fuit, si tui fuit similis; reip. vero nostræ *ejusmodi majores, quales* omnes norunt Græci, bis e maximis periculis a patribus nostris erepti. Sed non æqua conditione, nec civiliter nonnulli suas rationes et publicas persequuntur: qui enim æquum est, istorum quosdam e carcere progressos, semetipsos ignorare; rempub. autem, quæ cæteris Græcis hactenus præfuit, et principem locum obtinuit, nunc in obscuritate omni et humilitate versari?

18. Etsi autem habeo præterea quæ dicam multa et de multis, desinam: neque enim penuria verborum vel nunc, vel unquam alias, malus mihi rerum esse status videtur; sed cum vos audivistis omnia quæ expediunt, et in eo consentitis, ea recte dici, eos, qui interturbare illa et pervertere student, ex æquo in hoc consessu auditis, cum non ignoretis eos;—e primo enim adspectu certo scitis, quis

mercede conductus dicat, et quis in repub. Philippo subserviat, et quis revera consultum rebus esse cupiat—; sed ut his reprehensis, reque in risum et convicium versa, nihil ipsi quod oportet faciatis. Hæc vera sunt, magna cum libertate, simpliciter, ex benevolentia, rectissime dicta, non assentationis et detrimenti et imposturæ plena oratio, argentum allatura dicenti, reipub. negotia hostibus traditura. Itaque aut isti mores relinquendi sunt, aut nemo de afflicto rerum omnium statu est accusandus, præter vosmetipsos.

AUGERI

ANALYSIS

PHILIPPI EPISTOLÆ AD ATHENIENSES.

Propositum.

Demosthenis vehementia excitati tandem Athenienses, coacto exercitu liberaverant Eubœam, cujus præcipuas urbes Philippus imperio suo addixerat: miserant etiam Charetem cum maxima classe, auxiliaturum Perintho, quam obsidio premebat idem Macedonum rex. His paulisper turbatus ille ad Athenienses scribit epistolam in qua eos percellere et permovere satagit multis ac coacervatis criminibus. Nondum erat rupta pax, sed multa utrimque commissa fuerant hostilia: rex Macedoniæ ea callide revelat quæ Atheniensis civitas fecit hostiliter, dum suum ipse invadendæ Græciæ occultat consilium, et ea quæ violenter egit ut ad hunc finem perveniret.

Breve exordium.

Exponit breviter cur hanc scribat epistolam quæ multas conquerendi causas exhibebit. Itaque conqueritur,

1°. De abrepto Nicia suo caduceatore, quem Athenienses in carcere habuerunt, et cujus literas pro concione recitarunt;

2°. De Thasiis qui latrocinia maritima impune exercuerunt;

3°. De Diopithe, qui, inter cetera violenter acta, Amphilochum de captivis redimendis missum comprehendit, nec nisi extortis novem talentis dimisit. Hoc approbavit populus ille Atheniensis qui ejusmodi injurias semper tulit molestissime.

4°. Queritur etiam de Callia, duce item Atheniensi, qui plures ipsius urbes cepit, et eos omnes qui Macedoniam navigabant loco hostium habuit ac vendidit.

5°. Queritur præterea de legatis ad regem Persarum missis; quod crimen amplificat per circumstantias.

6°. Inique agunt Athenienses qui Teri et Cersoblepti eam Thraciæ partem restitui velint quæ ipsis erepta fuit.

7°. Non negat auxilium Cardianis datum, ac profitetur se illos semper omni ope defensurum ut socios fidelissimos.

8°. De Peparrhethiis et de Haloneso insula graviter simul et subtiliter expostulat.

9°. Ab Atheniensibus petitus hostiliter, et ipsorum civitati et triremibus pepercit. De mutuis controversiis quum ipse vellet rem alicujus judicio permittere hi constanter recusarunt.

10°. Imo ne legatos quidem audierunt ex omni conventu sociorum quos miserat, ut de Græcis quæ justa forent cum ipsis pacisceretur; quod

factum esse dicit per quosdam oratores, quorum maledicentiam pretio compescere noluit.

11°. Per plura evincit se juste et legitime possidere Amphipolim.

12°. Concludit significando se injuriarum auctores, ulturum, et quantum in se erit suum jus consecuturum diis testibus invocatis.

Scripta est hæc epistola primo anno olympiadis cx, sub Theophrasto archonte.

TOURELLII ARGUMENTUM

IN

EPISTOLAM PHILIPPI.

SCRIPTAM fuisse hanc epistolam, Archonte Theophrasto, anno post orationem præcedentem, testantur Diodorus et Dionysius Hal. Pax, quæ inter Philippum et Athenienses convenerat, (ut fit plerumque) infida fuit. Hostilibus sane abstiterant, invicem tamen suspecti invisique. Neque mirum, cum prorsus repugnarent quæ utrisque commoda aut expetita essent, causas dissidii indies nasci. Demosthenis facundia patriæque studium Philippi immodicæ ambitioni nunquam non obstabant. Nec pax inter eos, nec induciæ intercesserunt. Hic speciosas excogitare causas, quibus conatus suos et fœderis violationes obtegeret; ille contra vera ejus consilia Atheniensibus patefacere quærebat, qui quid statuerint agerentve, totius Græciæ maxime intererat. Insitum huic populo servitutis odium adeo languentes ipsorum animos subinde excitavit, ut majorum virtutem referre quodammodo viderentur. Superiore anno Clitarchum ejecerant tyrannum, quem Philippus Eretriæ præfecerat; et Charetem cum valida classe Thraciam miserant, ubi Philippus Perinthum oppugnabat. Rex igitur veritus, ne Athenienses hanc urbem obsidione liberarent, literas mittit, quibus ultro eos rupti fœderis insimulat, seque religiose pacis leges servasse jactat: nunc accusat, nunc minitatur; ut vel pudore eos, vel metu deterreret. Ipsa epistola videtur perfectum quid et absolutum. Inest ei ubique dignitas quædam eximia, mira argumentorum fides, factorum expositio perspicua, ironia venustissima, brevitas ista imperatoria denique, regibus consentanea, qui norunt aut ipsi bene dicere, aut eorum, qui norunt, ministerio uti. Et profecto, siquidem hæc epistola Philippum habuit auctorem, (quod credere æquum est, cum nihil contrarium constet) merito de illo, quod et de Cæsare, dici potest: EODEM ANIMO DIXIT, QUO BELLAVIT. Quint. Inst. Orat. lib. 10. c. 1.

LITERÆ PHILIPPI.

PHILIPPUS SENATUI POPULOQUE ATHENIENSIUM S. D.

1. Cum sæpe legatos ea de causa miserim, ut pactis et conventis staremus, idque vos nihil moverit, significandum vobis esse duxi, quibus in rebus injuriam mihi fieri existimem. Ne vero miremini epistolæ prolixitatem: quia enim multæ conquerendi causæ sunt, necesse est omnes perspicue explicari.

2. Ac primum, Nicia caduceatore e mea ditione abrepto, nequaquam vos sontibus pœnam gravem inflixistis, sed eum qui injuriam acceperat carcere decem mensibus detinuistis; quin et literas quas ei dederam perferendas, pro concione recitastis: deinde cum Thasii Byzantiorum triremes et piratas quoslibet portu recepissent, nihil id vobis curæ fuit, quanquam aperte in fœdere scriptum sit, pro hostibus esse habendos, quicunque id faciant. Rursus per idem tempus Diopithes, facta in regionem meam impressione, non modo Crobylen et Tiristasin, civibus in servitutem abductis, diripuit; sed et finitimam Thraciam populatus est; eoque tandem nequitiæ devenit, ut Amphilochum qui de captivis redimendis legatus venerat comprehensum, et in extremam necessitatem adductum, non nisi novem talentis extortis dimiserit. Et hæc populo approbante fecit. Atqui cum cæteris omnibus præconem et legatos violare impium videtur, tum vobis in primis. Certe, cum Megarenses Anthemocritum sustulissent, tanta iracundia populus exarsit, ut eos mysteriis prohiberet; et in monumentum injuriæ statuam ante portas erigeret. Cur igitur non gravissimum sit, vos ipsos nunc ea facere, quæ facta ab aliis tam iniquis animis tulistis?

3. Præterea, Callias vester imperator urbes in sinu Pagasitano sitas universas cepit, vobis fœdere, mihi societate conjunctas; qui vero in Macedoniam navigabant, eos omnes hostium loco habuit et vendidit; et propter hæc facinora vos eum publicis præconiis ornastis: quare valde dubito, quid his per vos adjici posset, si palam mecum bellum gereretis; nam cum haud occulte dissentiremus, prædones emittebatis, eos qui ad nos navigabant vendebatis, adversarios nostros juvabatis, regnum meum infestabatis. Ad eam denique iniquitatem et hostile odium progressi estis, ut etiam Persæ, missis legatis, persuadere studueritis, ut mihi bellum inferret; id quod maxime quivis demiretur: antequam enim is Ægyptum et Phœniciam cepisset, decreveratis, ut si quod novæ rei moliretur, non minus ego, quam cæteri Græci omnes, adversus eum accerserer;

nunc vero tanta est odii vestri in me acerbitas, ut de ineunda cum eo contra me societate agatis. Atqui olim patres vestri, ut ego audio, Pisistratidis crimini dabant, quod Persam in Græcos adducerent: vos vero ea facere non pudet, ob quæ tyrannos accusare solebatis.

4. Quin præter alia ecretis vestris mandatum inscribitis, ut Teren et Cersobleptem, quod cives Athenienses sint, Thraciæ dominari sinam. Ego vero istos, neque pactis de pace contineri memini una vobiscum, neque columnis inscriptos, neque Athenienses esse: quin Teren contra vos mecum arma tulisse *scio;* et Cersobleptem, cum meis legatis seorsim dare jusjurandum cuperet, a vestris ducibus fuisse prohibitum, qui eum Atheniensium hostem declararent. Verum istuc quomodo æquum aut justum est, cum e re vestra est, eum vestræ urbis hostem nominare; cum vero me calumniari vultis, eundem civem vestrum dictitare? et Sitalce occiso, quem civitate donaveratis, statim ejus interfectorem in amicitiam recipere; propter Cersobleptem autem bellum nobiscum suscipere? præsertim cum vobis exploratum sit, neminem eorum qui talia munera accipiunt, vel leges vel decreta vestra quicquam curare: verum, si omissis cæteris omnibus, breviter dicendum est, vos civitatem dedistis Evagoræ Cyprio, et Dionysio Syracusio, ac posteris eorum. Si igitur his qui utrosque ejecerunt persuaseritis, ut actis in exsilium imperia restituant, a me quoque illam Thraciæ partem recuperabitis omnem, quam Teres et Cersobleptes tenuerunt. At si cum victoribus eorum ne expostulandum quidem vobis esse censetis, mihi vero obturbatis, annon jure optimo vos ulciscar? Ac de his quanquam plura haberem quæ vere dicerem, prætermittere tamen ea statui.

5. Cardianis autem me opitulari profiteor, cum illorum socius ante factam pacem fuerim, et vos sæpe a me, neque raro ab illis orati, venire in judicium nolueritis: annon igitur essem omnium hominum nequissimus, si, desertis sociis, vestri potius rationem haberem, qui omni modo me vexatis, quam eorum qui mihi constanter et semper amici esse perseverant? Jam, si hoc quoque prætereun dum non est, eo insolentiæ venistis, ut prius de supra dictis tantum me accusaretis; nuperrime vero, cum Peparrhethii secum crudeliter actum esse quererentur, imperatori vestro mandastis, ut me illorum vicem ulcisceretur: quos ego sane clementius tractavi, quam commeruerant; cum illi, tempore pacis Haloneso occupata, neque insulam mihi, neque præsidiarios milites, quos per legatos sæpe repetieram, reddidissent. Vos autem injuriæ mihi ab illis illatæ nullam rationem habuistis, sed tantum supplicii; cum satis sciatis, me insulam nec vobis nec illis eripuisse, sed Sostrato pirata. Quam si vos Sostrato tradidisse ipsi dicitis, piratas in eam

misisse fatemini: sin vobis nolentibus vi obtinebat, quæ tandem in vos injuria fuit, eam a me occupari, et locum tutum reddi navigantibus? Quanquam autem in tantum ego vobis providissem, et insulam vobis donassem, oratores tamen vestri accipere prohibebant, recipiendam esse consulebant: ut, si quod imperabatur facerem, me alienam obtinere faterer; sin locum illum retinerem, populo suspectus fierem. Quibus ego cognitis, ultro denuntiavi, me de his in judicio vobiscum disceptaturum, ut, si mihi adjudicata esset, vobis a me daretur; sin judicaretur vestra esse, populo eam redderem. Hæc mihi sæpe postulanti vos mentem non adhibuistis, Peparrhethii autem insulam occuparunt. Quid igitur mihi faciendum fuit? non infligenda pœna fœdifragis? non ulciscendi, qui tam superbe insultabant? Nam si Peparrhethiorum fuit insula, quo jure ipsam repetunt Athenienses? sin vestra, cur non eis irascimini, qui occuparint alienam?

6. Eo porro progressæ sunt nostræ inimicitiæ, ut cum vellem naves in Hellespontum transmittere, coactus sim eas circumducto per Chersonesum exercitu deducere, cum vestri coloni ex decreto Polycratis bellum nobiscum gererent, et vos talia suffragiis comprobaretis, duxque vester Byzantios accerseret, et apud omnes divulgaret, sibi a vobis mandatum esse, ut, si daretur occasio, bellum in nos inferret. His modis cum tractarer, tamen et urbi vestræ, et triremibus, et agro peperci, quamvis plerisque potiri possem, vel potius omnibus: et vos ad eas, quæ inter nos essent, controversias disceptatione dirimendas perpetuo provocavi. Atqui considerate, utrum honestius sit, armis litem finiri, an verbis; utrum *nos* ipsos arbitros fieri *deceat*, an alios ad judicandum excitare: reputate etiam quam absurdum sit, Thasios et Maronitas litem de Stryme disceptatione finire cogi ab Atheniensibus, ipso sautem ea, de quibus ambigunt, mecum ad eundem modum non transigere: præsertim cum sciatis, vos si causa cecideritis nihil amissuros; sin viceritis, potituros his quæ nunc in nostra manu sunt.

7. Sed illud omnium iniquissimum mihi videtur, quod cum legatos ex omni sociorum conventu misissem, ut testes essent, cumque vellem de Græcis ea vobiscum pacisci quæ justa essent, ne audire quidem legatorum de his orationem voluistis, cum licuisset vobis, vel periculis liberare eos qui sibi aliquid infensi a nobis suspicabantur, vel palam convincere me omnium hominum esse improbissimum. Ac populo quidem illa erant utilia; sed e re oratorum, non erant: dicunt enim ii qui vestram rempublicam norunt, pacem eis bellum esse, et bellum pacem; cum a ducibus vel patrocinando, vel calumniando, pecuniam extorqueant: et tum nobilissimis civibus, tum exterorum celeberrimis conviciando pro concione, id captent, ut populares esse videantur. Facile mihi quidem esset, si paulu-

lum pecuniæ dilargiri velim, eorum compescere maledicentiam, et efficere ut nos laudibus eveherent. Sed me puderet vestram benevolentiam ab istis mercari, qui præter cætera tam confidentes sunt, ut jam de Amphipoli movere nobis controversiam non dubitent, pro qua ego me puto longe dicturum æquiora, quam istos qui illam sibi vendicant: sive enim eorum sit, qui primi devicerunt, annon jure nos illam habemus, cum Alexander avus noster oppidum illud primus occuparit? unde etiam de primitiis captorum Medorum, Delphis auream statuam dedicavit: sive hoc aliquis in dubium vocat, et eorum fieri censet qui postremi potiantur, hoc etiam jus penes me est; expugnatis enim illis qui vos ejecerant, et a Lacedæmoniis ibi collocati fuerant, oppidum cepi. Atqui omnes in urbibus habitamus, vel a majoribus acceptis, vel bello subactis. Vos autem, qui neque primi potiti estis, neque nunc obtinetis, sed minimum tempus in illis locis consedistis, urbem eam vestram esse contenditis, idque, cum ipsi urbis possessionem nobis evidentissimo testimonio confirmaveritis: sæpe enim in literis me de ea mentionem faciente, censuistis eam juste a me teneri, cum pacem fecistis, me urbem illam et societatem deinde vestram eadem pactione obtinente. Quæ igitur possessio firmior fieri queat hac, quæ primum a majoribus nobis relicta, deinde jure belli denuo nostra facta, postremo a vobis concessa est qui vendicare vobis soletis etiam ea, quæ plane ad vos nihil attinent?

8. Quæ igitur in vobis accusem, hæc sunt: et quia vos auctores estis injuriarum, et propter circumspectam meam timiditatem magis jam rebus meis infesti imminetis, et quantum in vobis est nobis malefacitis, jure optimo vos ulciscar; diisque testibus invocatis, consilium inibo, quid sit in rebus vestris gerendum.

AUGERI

ANALYSIS

ORATIONIS AD PHILIPPI EPISTOLAM.

Propositum.

Quum timeret Demosthenes ne Athenienses, Philippi epistola perculsi et ejus potentia attoniti, a bello abstinerent, omittit quidem per singula refutare epistolam, at hortatur suos cives ut forti animo et impavido bellum indicentem Philippum ulciscantur.

Exordium.

Evidens est per Philippi literas, illum non fecisse pacem, sed bellum distulisse: verum illi haud timide est resistendum, nec illius potentia est pertimescenda.

Confirmatio.

1°. Philippus habebit contra se deos immortales quorum religionem violavit soluta pace, plures Græcos quos decepit, ac denique Persarum regem cujus opes et auxilium magni sunt momenti.

2°. Philippi res parva offensione dissolventur quum pravis artibus coaluerint: Macedoniam per se infirmam reddidit ille infirmiorem ipsis bellis et expeditionibus quæ plebem Macedonicam vexaverunt et exhauserunt.

3°. Ita male habent ii qui circa ipsum sunt satellites, et duces peregrinorum militum, ut ipsi in illis non multum sit præsidii. Expendit orator cur illi hactenus fidi remanserint, et quomodo illæ tantæ opes mox sint dissolvendæ.

4°. Fortuna Philippi non est anteponenda fortunæ Atheniensium: et his male res successerunt dum illi bene, quia ille gnaviter agit dum hi segniter. Illius diligentia et horum ignavia paulo fusius exponuntur.

5°. Concludit Atheniensibus promptius esse agendum, ut digne majoribus se gerant, nec cedant viro e Macedonia oriundo: cum ipsi debent ad bellum se parare, tum ceteros Græcos factis non verbis excitare.

Dicta est oratio eodem anno quo scripta est epistola, i. e. primo anno olympiadis cx, sub Theophrasto archonte.

ARGUMENTUM

IN ORATIONEM AD EPISTOLAM

EX

TOURELLIO.

PHILIPPI epistola mercenariis, quos Athenis habuit, occasionem præbuit eum purgandi apud populum, suopte ingenio nimis de republica securum, magisque de labore et impensa solicitum, quam de libertate et imperio acciso. Compertum habuit Demosthenes, quanti interesset, ut ex animis civium eruantur argumenta Philippi. Strenuus itaque libertatis ille vindex, conscenso suggesto, ad hoc illico se accingit. Pro certo et explorato, quicquid e re sua sit, affirmat; quod quidem apud vulgus argumenti validissimi vim habet. Civibus persuasum esse vult, hasce literas justam esse denuntiationem belli. Et ut animos addat, omnia Philippo perniciem minari docet, deos, homines, Græcos, Persas, Macedonas, Philippum denique ipsum. Epistolæ refutationem hic non habemus, sed (ut præ se fert titulus) Orationem in Epistolam. Cum enim Philippus (sive scriba fuit ejus) facta exposuisset adeo scite ordinata, et adjunctis consequentiis firmata, ut refelli nequeat; Orator, missa disceptatione, in qua inferior esset, in auditores concitandos totus incumbit. Rata quoque in medium affert præcepta quædam, quibus cum ratio statim assentiatur, nihil operis restat, nisi ut animos commoveant. Athenienses itaque accensi, Phocionem confestim cum classe altera Thraciam miserunt; qui Byzantinos obsidione liberavit.

Haud quidem inficias ire licet, Demosthenem hic eadem repetere, quæ et in prioribus occurrunt. Ei quippe (ut videtur) unice cordi fuit patriæ salus. De propria fama parum solicitus, loquitur ut orator, qui suadere, non ut declamator, qui oblectare ac plausus excitare quærit. Colligit idcirco argumenta, quibus antea usus est, et ex callida junctura vim iis novam conciliat. Quamobrem spectari potest hæc oratio tanquam omnium, quæ vi et acumine maximo antea dicta sunt, compendium quoddam. Cumque ultima sit hæc oratio, tum Philippicarum brevissima est. Fidenter tamen affirmarem, eam haudquaquam reliquis cedere, ni Ciceroni refragari veritus essem, qui longissimam ex orationibus Demosthenis præstantissimam esse dixit. Plutar. in Cic.

LIBANII ARGUMENTUM IN ORATIONEM AD EPISTOLÀM.

Miserat Philippus ad Athenienses epistolam, qua eos accusabat, et palam bellum denuntiabat. Non amplius igitur Orator suadet Atheniensibus, ut bellum gerant; cogebat enim ipsa necessitas: sed confirmat eorum animos ad periculum adeundum; Macedonem facile posse superari asserens.

DEMOSTHENIS

IN PHILIPPI EPISTOLAM

ORATIO.

1. Philippum non pacem fecisse vobiscum, Athenienses, sed distulisse bellum, omnes jam cognovistis: postquam enim Pharsaliis Alum tradidit, et Phocense negotium confecit, totamque Thraciam vi subegit, falsis causis confictis, et iniquis rationibus excogitatis, re quidem ipsa jam olim cum urbe nostra bellum gerit, nunc autem per missas literas verbis ipsis confitetur. Ego vero neque potentiam ejus vobis expavescendam esse, neque timide illi resistendum, sed et corporibus, et pecuniis, et navibus, et, ut paucis absolvam, rebus omnibus oportere vos ad bellum accingi, docere conabor.

2. Primum enim consentaneum est, Athenienses, deos nobis firmissimos socios et adjutores adesse, quorum ille religione violata, neglectoque jurejurando, pacem injuste solvit: deinde, quibus rebus ejus opes hactenus auctæ sunt, dum semper aliquos decipit, et magnifica quædam pollicetur, his jam defunctus est omnibus. Neque ignorant ejus animum Perinthii et Byzantii eorumque fœderati, cupere eum eodem modo ipsos tractare, quo prius *tractavit* Olynthios. Neque Thessalos præterit, hoc ei propositum esse, ut dominus sit, non dux sociorum. Suspectus etiam Thebanis est, quod Nicæam præsidio tenet, et in Amphictyoniam irrepsit; et legationes e Peloponneso ad se trahit, eorumque societatem dissolvit. Proinde qui prius ejus amici fuerunt, partim cum eo nunc implacabile bellum gerunt, partim minus alacriter eum adjuvant: universi autem suspectum illum habent, et criminantur. Præterea,—nec enim in hoc momenti parum est—, Asiani satrapæ recens intromissis conductitiis militibus, expugnari Perinthum prohibuerunt. Nunc vero cum Philippi inimicitias susceperint, et, si Byzantium capiatur, periculum eis impendeat, non ipsi tantum strenue nunc nos in bello juvabunt, sed regi etiam Persarum persuadebunt ut nobis pecuniam suppeditet: qui tantas opes habet, quantas nec reliqui universi. Tantum porro momenti ad nostras hasce actiones affert, ut olim etiam Laconico bello, utris sese adjunxisset, eos victores redderet. Is igitur nunc etiam vobiscum conjunctus, facile debellabit Philippi potentiam.

3. Præter hæc quæ tanta sunt, non equidem negabo, eum loca complura, et portus, et ejus generis alia gerendo bello utilia, pacis occasione præripuisse vobis. Illud autem video, quando imperia benevolentia coalescunt, et eadem omnibus belli sociis expediunt, diu-

turnam esse concordiam: quoties vero ex insidiis et avaritia per imposturam et violentiam obtinentur, ut ab isto nunc, parva quapiam occasione et quantumvis levi offensione celeriter discuti et dissolvi omnia. Quin et reputanti mihi sæpenumero compertum est, non solum, Athenienses, socialia fœdera Philippo suspicionibus et odiis labare, sed et proprii imperii potentiam non belle, neque apte, neque ut arbitretur aliquis, esse compositam: omnino enim Macedonica potentia, additamenti quidem vice, ponderis nonnihil habet atque usus; ipsa vero per sese infirma est, et, si tantæ moli rerum comparetur, despicienda. Præterea ipse eam bellis et expeditionibus, et rebus illis omnibus propter quas magnus existimari possit, infirmiorem sibi minusque fidam reddidit: nolite enim existimare, Athenienses, iisdem rebus delectari Philippum et populum ejus; sed illud considerate, gloriam illum, hos securitatem desiderare: quam nec ille sine periculis adipisci potest, et his minime opportunum est, relictis domi liberis, parentibus, uxoribus, atteri, et indies pro eo periclitari. Ex quo perspici potest, quomodo vulgus Macedonum erga Philippum sit affectum: ejus porro familiares et amicos et peregrini militis duces, laude quidem florere fortitudinis, sed in majore metu quam homines obscuros vivere, invenietis; his enim hostes tantummodo metuendi sunt; illi autem magis ab assentatoribus et calumniatoribus, quam a præliis metuunt. Ac illi quidem, adjutoribus omnibus, cum hostibus pugnant: his autem et belli malorum partem haud mediocrem sustinere contigit; et seorsim regis ingenium expavescere. Ad hæc, si plebeius aliquis deliquerit, pœna pro delicti modo ei infligitur; proceres vero tum, cum præclarissime se gesserunt, maximis conviciis et contumeliis præter meritum incessuntur: neque quisquam sanæ mentis fidem his abrogaverit; eum enim ita gloriæ cupiditate inflammatum esse dicunt hi, quibus familiariter notus est, ut omnia præclara facinora sua esse videri velit, et magis indignetur ducibus et præfectis qui aliquid laude dignum gesserunt, quam illis qui prorsus offenderunt.

4. Qui fit igitur, si ista vera sunt, ut jam longum tempus in fide maneant nec eum deserant? Quia successus, Athenienses, hæc omnia caligine involvunt; nam secundæ res magnam vim habent ad peccata hominum contegenda et obumbranda: sed si quam cladem acceperit, tum in apertum hæc omnia palam proferentur; eadem enim harum rerum ratio est, quæ corporum nostrorum, nam dum aliquis valet, nullum ex male affectis partibus dolorem sensu percipit; sin decubuerit, commoventur omnia, sive ruptum sit aliquid, sive luxatum, sive quod aliud membrum perfecta sanitate destituatur: sic etiam fit in regnis et quibuslibet imperiis, dum in bellis victoria potiuntur, eorum mala vulgus non perspicit; sin alicubi impegerint, id quod ei nunc usu venturum verisimile est post-

quam majus onus quam sustinere valeat suscepit, omnes eorum difficultates ab omnibus conspiciuntur.

5. Quod si quis vestrum, Athenienses, Philippi successus videns, formidabilem eum existimat, et superatu difficilem, is quidem digna sapienti viro providentia utitur: magna enim vis est in fortuna ad omnes res mortalium, vel ea potius omnia *sibi vendicat*. Sed multæ sunt causæ, propter quas aliquis non injuria nostram felicitatem non minus quam illius optet: a majoribus enim nostris longo jam tempore id accepimus, ut non huic solum, verum omnibus, ut verbo dicam, Macedoniæ regibus auctoritate excelleremus; illi Atheniensibus vectigales fuerunt, nostra civitas nulli unquam hominum. Præterea tanto plures ad benevolentiam deorum habemus aditus, quanto pietatis et justitiæ perpetuo fuimus studiosiores. Cur igitur ille superiori bello successus majores habuit, quam nos? Quoniam, Athenienses,—nam libere vobiscum agam—, ille ipse militat, et ærumnas tolerat, et præliis interest, nec occasionem negligens, nec anni ullum tempus prætermittens: nos vero,—nec enim dissimulabo veritatem,—hic otiose desidemus, cunctantes semper, et decernentes, et sciscitantes in foro, nunquid dicatur novi. At quid magis novum queat eo fieri, quod Macedo contemnit Athenienses, et illis tales literas mittere non dubitat, quales paulo ante audivistis? Et is quidem in procinctu habet mercenarios milites, atque adeo mediusfidius nostrorum oratorum quosdam, qui, dum largitiones illius domum recipiunt, non erubescunt Philippo vivere, nec animadvertunt, se et rempublicam omnem et suas privatas opes exiguo lucello vendere. Nos vero neque ullas ei turbas concitamus, nec militem peregrinum alere volumus, nec ipsi militare audemus. Proinde minime mirum, eum superiori bello conditione quam nos fuisse meliore: hoc potius mirandum foret, si nos, qui nihil facimus quod bellantes decet, putaremus eum superaturos, qui nihil prætermittit, quod ad victoriam parandam requiratur.

6. Quamobrem, Athenienses, hæc animis infigere oportet, et cogitantes, ne quidem in vestra esse manu, ut dicatis vos pacem agere,—jam enim ille et bellum indixit, et reipsa intulit—, nullis jam parcere, neque publicis, neque privatis opibus; sed omnes, cum tempus postularit, promptis animis militare; et meliores duces constituere, quam prius. Nemo enim vestrum in ea esse debet opinione, ut quibus rationibus felix reipublicæ status labefactatus est, per easdem in integrum omnia restitui et meliora posse fieri putet: neque sperandum, nisi veterem ignaviam vestram abjeceritis, alios pro salute et incolumitate vestra strenue dimicaturos. Considerate potius, quam turpe sit, cum majores vestri multos labores et magna pericula Laconico bello sustinuerint, vos nec pro his, quæ illi jure parta nobis reliquerunt, defendendis fortiter pugnare velle: et cum iste e Macedonia prorum-

pens, adeo nullum recuset periculum, ut dum pro amplificando imperio cum hostibus dimicat, toto corpore sit convulneratus; Athenienses, quibus patrium est parere nemini, omnesque armis vincere, hos demum ob mollitiem aut socordiam res gestas a majoribus dedecorare, et patriæ deesse utilitati.

7. Ne vero prolixus sim, affirmo nos omnes ad bellum parari oportere; et reliquos Græcos ad coeundam nobiscum belli societatem convocare, non modo verbis, sed etiam factis, nam cum omnis oratio inanis est, nisi res ipsa consequatur; tum vero nostris verbis tanto minus habetur fidei, quanto ad dicendum reliquis Græcis expeditiores habemur.

DEMOSTHENIS ORATIONUM SUASORIARUM INTERPRETATIO LATINA.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS DE CLASSIBUS.

Orto rumore, Persarum Regem expeditionem moliri adversus Græcos, populus Atheniensis tumultuatur, et cum convocare Græcos, tum bellum statim inferre properat. Demosthenes autem suadet, ne ipsi priores insurgant, sed eos exspectare jubet dum Rex novi quid conetur. Nunc enim, inquit, non persuadebimus Græcis ut socia nobiscum arma jungant, cum in tuto adhuc sibi esse videantur: tum vero periculum ipsum eos nobiscum conjunget. Monet igitur, ut quiete se instruant, et ad bellum parent; atque etiam commemorat, quæ debeat esse ratio instructionis: unde *περὶ συμμοριῶν* oratio est inscripta; nam apud Atticos *συμμορία*, cœtus et ordo eorum est qui munera publica obeunt.

DEMOSTHENIS
DE CLASSIBUS
ORATIO.

1. Qui majores vestros laudant, Athenienses, instituere mihi videntur orationem auditu jucundam, non ea tamen agere quæ illis prosint quos celebrant: nam cum iis de rebus dicere conentur, quas mortalium nemo pro dignitate possit explicare, ipsi quidem opinionem eloquentiæ consequuntur; efficiunt vero, ut virtus illorum minor videatur auditoribus quam putarant. Ego vero laudationem eorum maximam puto ipsum esse tempus, quod cum non exiguum intercesserit, rebus illorum gestis majora nulli alii suscipere gerenda potuerunt. Ipse autem rationem explicare conabor, qua vos optime instructos fore censeam; etenim res ita se habet: Si nos omnes qui verba facturi sumus eloquentes videamur, nihilo res vestræ satis scio erunt meliores; sed si unus, quisquis ille fuerit, progressus docere possit et suadere, quæ instructio, et quanta, et unde comparata, nunc reipublicæ profutura esse videatur, omnis hic metus evanuerit. Quod ego, si modo potero, dabo operam ut faciam, pauca præfatus apud vos, quid de regio negotio sentiam.

2. Ego existimo communem hostem omnium Græcorum esse Regem Persarum; non tamen propterea suaserim, soli omnium vos ut bellum contra eum suscipiatis: neque enim ipsos Græcos video communes inter se esse amicos; sed nonnullos magis illi fidere, quam quibusdam suorum. Quæ cum ita sint, e re vestra esse censeo, providere, ut justum sit, quod capiatur belli initium; utque apparentur quæ convenit omnia, et hoc proponatur ad deliberandum. Arbitror enim, Athenienses, Græcos, si declaretur et perspicuum fiat, fore ut

Rex ipsos aggrediatur, et adjuturos, et magnam gratiam habituros iis, qui ante ipsos, et cum ipsis Regem ulciscantur: quod si, dum id aliquantum obscurum est, nos priores arma sumpserimus, vereor, Athenienses, ne hos cum illo conjunctos propulsare cogamur, quibus consultum volumus. Is enim represso impetu suo, siquidem invadere Græcos instituit, largitionibus aliquos eorum corrumpet, et amicitiam simulabit: illi vero privata bella corrigere volentes, et hoc in animo habentes, communem omnium salutem negligent. In eum autem tumultum et amentiam moneo ne præcipitetis urbem nostram. Neque enim eandem nobis in regio negotio deliberationem, quam aliis Græcis, esse video: quod multi illorum mihi videntur privati alicujus emolumenti causa, posse negligere alios Græcos; vobis autem nec affectis injuria honestum fuerit, eas de sontibus sumere pœnas, ut eorum aliquos a Barbaro subigi patiamini.

3. Quod cum ita sit, providendum est, ne et nos bello simus impares, et is, quem Græcis insidiari putabamus, ita se insinuet, ut fidus illis esse videatur. Quomodo igitur hæc curanda erunt? Si copiæ reipublicæ delectæ et instructæ omnibus conspicuæ fuerint, atque apparuerit, nos iis ita esse fretos, ut nihil iniqui tamen conemur. Ferocibus autem et nimis expedite ad bellum impellentibus, illud dico, non esse difficile, neque, quum deliberandum est, fortitudinis opinionem consequi, neque, quum periculum aliquod imminet, vehementem oratorem videri: sed illud et difficile est et conveniens, in periculis, fortitudinem declarare; in deliberando, prudentius aliis dare posse consilium.

4. Ego vero, Athenienses, existimo, bellum cum Rege difficile esse reipublicæ: prælium futurum esse facile. Cur? Quia non aliter, ut opinor, fieri potest, quin bella omnia et triremes et pecuniam et loca requirant: quæ omnia penes illum copiosiora quam apud vos reperio. Prælia vero nulla re alia tantopere video indigere, ut fortibus viris: quos plures vobis et iis qui vobiscum hoc periculum adibunt esse existimo. Bellum igitur hisce de causis moneo, ne ulla ratione priores suscipiatis: ad prælium vero vos recte instructos esse oportere dico. Quod si alia ratio copiarum esset, quibus Barbari propulsarentur, alia quibus Græci; deprehensum iri fortasse consentaneum esset, nos contra illum instrui: cum autem omnis instructionis ratio sit eadem, et eadem oporteat esse capita copiarum, ut hostes repelli possint, ut socii defendantur, ut opes nostræ conserventur,—quid, quum habeamus qui se hostes esse fatentur, alios quæritamus? ac non potius et adversus hos instruimur, et illum quoque ulciscimur, si violare nos instituerit? Agite vero, Græcos nunc ad vos accersite: at, si quæ illi jubent, non facitis, cum quidam non optime vobis cupiant, estne sperandum quemquam esse obtemperaturum? Quia mediusfidius audient e nobis, Regem

Persarum ipsis insidiari? ipsos vero non prospicere: itane vos obsecro putatis? ego vero opinor *vos ita existimare*. Sed metus iste non magis apud eos poterit, quam sua vobiscum dissidia suæque inter se contentiones. Nihil igitur aliud quam nescio quam cantilenam passim canent legati nostri. Tum autem si forte quæ modo censemus vos agetis, nemo sane Græcorum adeo subtiliter de se consilium inibit, quin, ubi viderit vobis præsto esse et mille equites, et legiones, quot voletis, et naves trecentas, venturus et supplicaturus sit, illis adjutoribus minimo se cum periculo incolumem evasurum existimans. Proinde, si jam accersetis, supplices; si non auscultarint, frustrati eritis: sin ipsi vestris copiis instructis cunctemini, supplices defendetis, neque dubium est quin omnes ad vos venturi sint.

5. Ego igitur, Athenienses, et hæc et his similia reputans, nullam orationem confidentem aut vanæ prolixitatis exquirere volui; sed quænam ratio instructionis et optima et expeditissima esset, considerando fui vehementer occupatus: puto igitur, vobismetipsis eam, si et audita et probata fuerit, esse decernendam. Prima itaque et maxima instructionis pars, Athenienses, hæc est, ut quisque ultro alacriter omni officio fungi velit. Illud enim videtis, Athenienses, quæcunque unquam universi vos voluistis, et postea quisque pro se gerenda putastis, eorum vos nihil unquam effugisse: quæ vero voluistis, post autem alius alium respexistis, tanquam ipse nihil, proximus omnia facturus esset, in iis nihil unquam promovistis. Quod si vos ita eritis animati atque incitati, numerum mille et ducentorum dico esse complendum, et octingentis adjunctis, bis mille faciendos: nam si hunc numerum designaveritis, existimo virginibus orbis, et pupillis, et in colonias abituris, et societatibus, et si quisquam alius justo detineatur impedimento, demptis, præsto futura vobis corpora mille et ducenta. Ex his igitur classes viginti censeo designandas, ut nunc sunt, quarum singulæ sexagena corpora contineant. Earum porro classium singulas in quinas dividi partes jubeo duodenarias, sic, ut tenuissimi quique locupletissimis adjungantur. Et corpora quidem sic ordinanda esse censeo. Quod cur censeam, tum scietis, cum totam instructionis rationem audieritis. Triremes autem, quomodo? Omnino trecentas numero triremes designari jubeo, et in viginti partes, quarum singulæ naves quindenas contineant, distribuendas: primæ centuriæ, quinque; et secundæ centuriæ, quinque; et tertiæ centuriæ, quinque navibus attributis. Deinde singulis virorum classibus quindenas naves: classium singulis partibus, ternas triremes attribuendas.

6. Postquam hæc ita confecta fuerint, jubeo, cum agri nostri æstimatio sit sex mille talentûm, ut et pecuniæ certus ordo ineatur, eam dividi, et centum fieri partes, quarum singulæ sexagena talenta contineant; deinde quinquies sexagena talenta singulis magnis clas-

sibus attribuenda, eo pacto classes singulæ singulis quinariis sexagena talenta reddant: ut cum respublica centum triremibus opus habeat, pecuniam e censu per sexagies talentûm diviso Trierarchi duodecim tribuant. Si ducentis indigeat per tricies talentûm sex Trierarchi. Si denique trecentis, per vicies duntaxat, Trierarchis quatuor onus idem subeundum sit. Eodem quoque modo, Athenienses, armamentis etiam quæ nunc ad triremes debentur æstimatis, ex tabulis omnia distribui jubeo in viginti partes. Deinde singulis magnis classibus unam tribui partem, unicuique aptam; quam deinde singulæ classes singulis suis partibus ex æquo dividant: et duodeni illi in singulis partibus ea exigant, et quas singuli triremes sortiti fuerint, eas instructas exhibeant. Sumptum igitur, et naves, et trierarchos, et armamentorum exactionem, sic optime posse censeo et comparari et apparari. Unde autem hæ et certo et facile compleri possint, deinceps dicam.

7. Censeo a ducibus navalium decem loca esse deligenda, atque rationem ineundam ut quam proxime inter se absint navalia quorum singula triginta triremium sint capacia. Quod ubi fecerint, binas classes et tricenas triremes horum locorum singulis attribuant. Deinde sortito tribus introducant, et trierarchos singulos in singula navalia, ut sint binæ classes, triremes tricenæ, et una tribus: qui vero locus tribui obvenerit, is trifariam dividatur; et naves similiter. Deinde trientes tribuum sortiantur, ut singulæ tribus una pars sint totorum navalium; et singularum partium tertiam partem triens obtineat: utque sciatis, si quid erit opus, primum tribus, quo loco stationem habeat; deinde triens; postea trierarchi qui, et quot triremes. Ac tricenas triremes una tribus, denas unusquisque triens triremes contineat: nam si hæc ordine expedita fuerint, etiamsi nunc aliquid prætermisimus,—neque enim facile sane est exquisite reperire singula—, id ipsa sibi res inveniet; et una constitutio tum omnium navium, tum partium futura est.

8. Jam quod ad pecuniam attinet et evidentem aliquam parandorum sumptuum rationem, scio equidem incredibile visum iri quod jam dicam; dicetur tamen: confido enim, si quis recte consideret, fore ut me solum vera, et ipso eventu comprobanda dixisse appareat. Ego affirmo nunc non dicendum esse de pecunia: cum commeatus adsit magnus et præclarus et justus, quem, si nunc quæremus, ne tum quidem præsto futurum sentiemus nobis; tantum abesse, ut jam eum inventuri simus: sin omiserimus, præsto futurus est. Quis igitur ille est? qui cum nunc non adsit, tum in promptu futurus est; nam istæ nescio quæ esse ambages videntur: ego dicam. Videtis, Athenienses, totam hanc urbem? In hac pecunia inest, parum abest quin dicam, quæ cum omni aliarum urbium pecunia conferri possit. Quam qui possident eo animo sunt, ut si omnes oratores eos ita terrerent, venturum esse Regem, adesse, non aliter posse fieri, et una cum oratoribus alii totidem vaticinarentur, non modo non conferrent, sed nec proferrent, aut faterentur se habere. At si verborum terrores istos ad rem conferri viderent, nemo ita stolidus est, qui non liberaliter daret, et primus conferret: quis enim malit ipse una cum fortunis omnibus interire, quam partem facultatum pro semetipso et reliquis suis bonis conferre? Pecuniam igitur tum in promptu fore dico, cum revera fuerit opus; non prius: proinde ne quærendam quidem censeo; quantum enim nunc exigeretis, si institueretis exigere, id magis ridiculum fuerit, quam si nihil omnino esset exactum. Age centesimam jubebit aliquis? proinde sexaginta talenta dicet. Sed quinquagesimam dicet aliquis, duplum? proinde centum et viginti. Ecquid hoc est ad ducentos et mille camelos, quos Regi pecuniam vehere isti dictitant. Sed ponam, velle vos conferre duodecimam, quingenta talenta? verum id vos nec sustinebitis, nec, si numeretis, bello par erit pecunia. Cætera igitur vobis sunt comparanda; pecunia relinquenda nunc suis possessoribus: nusquam enim reipublicæ commodius et honestius costodietur. Cum vero necessitas illa venerit, tum ultro conferentibus illis, accipienda erit. Hæc et fieri possunt, Athenienses, et factu honesta sunt et utilia; et digna quæ Regi de vobis nuncientur, neque per hæc levis ei terror incuteretur. Scit enim majores suos a trecentis triremibus, quarum nos centum præbuimus, mille naves subactas amisisse: atque audiet, trecentas triremes vos ipsos instruxisse. Quare non temere, tametsi valde insaniet, inimicitias nostræ urbis sibi putabit suscipiendas. Quod si propter pecuniam ei subit efferri animis, id quoque subsidium vestro infirmius reperiet. Is enim, aurum, ut aiunt, vehit: quod ubi distribuerit, requiret. Nam et fontes et putei deficere solent, si quis magnam inde copiam simul, et crebro, hauserit: vobis autem agri æstimationem sex mille talentûm subsidio esse audiet, pro cujus defensione pugnaturos esse nos, majores ejus, qui in Marathone fuerunt, optime noverint. Dum vero superiores erimus, pecunia utique defici non poterimus.

9. Ac ne illud quidem quod nonnulli metuunt, ne, cum pecuniam habeat, magnas peregrini militis copias conducat, verum esse mihi videtur: ego enim arbitror contra Ægyptum et Orontem et alios Barbaros quosdam multos fortasse Græcorum velle apud illum merere stipendia, non ut ille horum aliquem capiat, sed unusquisque ut opibus aliquibus partis urgente inopia liberetur: sed qui reliquam Græciam invadere velit, nullum Græcum fore arbitror; quo enim ipse postea se convertet? In Phrygiam profectus? serviet: neque enim alia de re bellum est cum Barbaro, quam de agro, de vita, de institutis, de libertate, de talibus rebus omnibus. Quis igitur ita est infelix, ut semetipsum, parentes, sepulcra, patriam, parvi lucelli gratia velit

amittere? Equidem neminem esse existimo. Imo nec illi expedit, peregrini militis opera Græciæ potiri: qui enim nos subegerint, jampridem illo fuerint præstantiores. Neque vero vult, nobis excisis, ipse in aliorum esse potestate: sed omnibus, si fieri possit; sin id fieri non possit, at servis certe suis imperare.

10. Quod si quis Thebanos cum illo se conjuncturos putat, difficilis quidem est apud vos ea de re oratio: nam cum eos oderitis, neque verum libenter neque boni quicquam de eis audietis; veruntamen eos decet, qui magnis de rebus deliberant, nullam utilem cogitationem prætermittere ulla de causa. Ego vero existimo, tantum abesse ut Thebani unquam cum illo Græciam invasuri sint, ut magna pecunia si liceret redempturos putem occasionem, qua vetera in Græcos delicta abolerent. Quod si quis existimat, Thebanos usque adeo natura esse infelices, illud utique intelligetis omnes, si Thebani cum illo faciant, esse necesse, ut eorum hostes stent a Græcis. Ego igitur existimo, hunc ordinem æquitatis, et eos qui cum hoc ordine se conjungent, tum proditoribus, tum Barbaris fore universis superiores. Quare neque immodice formidandum, neque committendum esse censeo, ut priores bellum inferamus. Ac ne cæterorum quidem Græcorum ulli merito bellum hoc formidini esse video: nam quis eorum ignorat, se, dum illum communem hostem ducentes, inter se consenserunt, magnis opibus floruisse; postquam autem ejus amicitia freti, de privatis controversiis inter se contenderunt, tot mala esse perpessos, quot si quis eos devovere vellet vix reperisset?

11. Quem igitur Fortuna et dii immortales tam amicum inutilem, quam hostem esse conducibilem declarant, eum nos formidamus? Nequaquam; sed ne faciamus injuriam nostra causa et propter cæterorum Græcorum turbas et diffidentiam: nam si concorditer, adjuvantibus omnibus, solum illum invadere liceret, ne injuriam quidem illi a nobis fieri putarem. Sed cum se res aliter habeat, cavendum censeo, ne ansam regi præbeamus ut juris cæterorum Græcorum arbiter esse studeat: quiescentibus enim vobis suspectus esset, si quid tale moliretur; sin priores bellum moveretis, haud injuria videbitur propter vestras inimicitias, aliorum expetere amicitiam. Ne igitur arguere velitis, quam corruptus sit Græciæ status, convocandis eis cum non persuadebitis, et gerendo bello cum non poteritis: sed quieti estote, et imperterriti, et instructi. Et nunciari de vobis regi velitis, non quidem certe æstuare aut metuere aut tumultuari omnes Græcos, et Athenienses—longe certe aliter se rem habere—: atque adeo nisi apud Græcos æque turpe haberentur mentiri et pejerare, ut apud illum præclarum, jampridem vos in illum fuisse impetum facturos. Nunc id vos nequaquam facturos vestrapte causa: sed omnes precari deos, ut eadem ipse amentia corripiatur, qua olim majores ejus. Atque hæc si considerare in animum induxerit, vos

non negligenter consuluisse vobis inveniet. Neque enim ignorat, e bellis cum suis majoribus gestis, urbem magnam et felicem esse factam: ex otio autem, quod ante illa tempora egerat, nulla Græcarum urbium tanto fuisse, quanto nunc superiorem. Quin Græcos etiam videt pacificatorem requirere vel volentem, vel invitum. Eum vero semetipsum eis fore intelligit, si bellum moverit. Quare ea quæ e nunciis audiet, ei et nota et credibilia erunt.

12. Ne vero, Athenienses, prolixitate orationis vobis nimis sim molestus, capitibus mei consilii expositis, descendam. Instrui vos et contra certos hostes jubeo; et propulsari etiam Regem et omnes, si vos lacessere instituerint, iis copiis oportere censeo: nullius autem iniqui vel facti vel dicti esse auctores. Facta autem nostra ut digna sint majoribus respiciamus, non in concione habitas orationes. Quæ si feceritis, et vobisipsis consuletis et iis qui contrarium suadent: nam post illis non irascemini, *quod fieret*, si nunc impingeretis.

LIBANII ARGUMENTUM IN ORATIONEM PRO MEGALOPOLITIS.

Lacedæmonii, quum ad Leuctra Bœotiæ oppidum victi a Thebanis, propter Arcadum defectionem, qui se ad Thebanos contulerant, in magno periculo essent, Atheniensium auxilio conservati sunt. Post, iis discriminibus propulsatis, recuperataque ex parte pristina potentia, Megalopolim Arcadiæ urbem invaserunt, postulata per legatos ab Atheniensibus ejus belli societate. Miserunt et Megalopolitæ Athenas, qui auxilium peterent. Demosthenes igitur Atheniensibus auctor est, ne vel exscindi Megalopolim, vel opes Lacedæmoniorum crescere patiantur, cum sit e republica eis terrori non esse Lacedæmonem.

DEMOSTHENIS

PRO MEGALOPOLITIS

ORATIO.

1. Utrique mihi peccare videntur, Athenienses, tam ii qui Arcadibus, quam ii qui Lacedæmoniis patrocinantur: tanquam enim ab alterutris missi, non nostri cives sint, apud quos illi utrique legationem obeunt, sic mutuo se accusant et criminantur. Id quod legatis relinquendum fuit: eorum enim qui consilium hic pollicentur, officium est, animis neutram in partem inclinantibus, dicere sententias, et sine contentionibus exquirere quid vobis maxime conducat. Nunc sic equidem existimo, nisi noti essent Atticeque loquerentur, fore multos, qui eos partim Arcades esse, partim Lacones putarent. Etsi autem video, quam difficile sit optima suadere: ne cum vos una decepti sitis et alii alia velitis, fiat, si quis mediam viam teneat, vosque rem cognoscere gravemini, ut et neutris gratificetur; et in utrorumque odia incurrat: veruntamen ipse malo, si forte ita ceciderit, ineptus videri, quam omissis his quæ mihi maxime videntur esse e republica, permittere ut quidam vos decipiant. Ac cætera quidem postea, si vestra voluntas feret, dicam: nunc vero quid potissimum expedire existimem, exorsus ab his quæ omnes confitentur, docere incipiam.

2. Nemo igitur negabit esse e republica et Lacedæmonios et Thebanos istos esse infirmos. Nunc autem is rerum status est, si qua modo conjectura ex his quæ sæpe apud vos jactata sunt capi debet,

ut Thebani, si Orchomenus et Thespiæ et Platææ instauratæ fuerint, infirmi; Lacedæmonii, si Arcadiam subegerint et Megalopolim ceperint, de integro potentes sint futuri. Videndum igitur est, ne prius hos formidabiles et magnos fieri sinamus, quam illi attenuati fuerint: neve clam nobis Lacedæmoniorum opes multo majores fiant, quantum Thebanas minui conducit. Neque enim illud profecto dicemus, malle nos, permutatione facta, Lacedæmonios habere adversarios quam Thebanos; neque hoc illud est quod consequi studemus, sed hoc contra ut neutri nos ullis injuriis afficere possint: hæc enim optima ratio fuerit res nostras in tuto collocandi. At hercule sic oportere fieri fatebimur, sed non esse committendum dicemus, ut eorum societatem amplectamur, cum quibus ad Mantineam collatis signis pugnaverimus: et nunc ipsos juvemus contra illos, cum quibus tum commune periculum adierimus? Ego quoque in hac sententia sum: sed illud etiam mihi requirendum videtur, ut alteri quæ æqua sunt facere non recusent.

3. Quod si omnes pacem agere volent, Megalopolitas non juvabimus, nulla postulante necessitate: itaque nihil moliemur adversus eos, qui nobiscum in acie steterunt. Nam et alteri, ut profitentur, jam socii nostri sunt: et alteri nunc nobiscum se conjungent. Et quid exoptemus aliud? At si Lacedæmonii jure violato bellum illis intulerint, equidem si hæc sola quæstio verteretur, utrum nos Lacedæmoniis Megalopolim condonare debeamus necne, non repugno, quanquam iniquum id esset, condonemus, neque quicquam illis adversemur qui tunc eadem pericula una nobiscum adierunt. Sin vero scitis omnes, hac capta, eos Messenam aggressuros, dicat mihi aliquis istorum, qui Megalopolitis nunc infesti sunt, quid nobis tum suasurus sit? Nemo respondet. Atqui scitis omnes, sive isti suadeant sive dissuadeant, opem esse ferendam, cum propter ictum cum Messeniis fœdus, tum quia expedit ut ea urbs incolatur. Cum animis igitur vestris cogitate, utrum initium nobis honestius futurum sit et humanius ad coercendas injurias Lacedæmoniorum? hocne pro defensione Megalopolis, an illud ad Messenam tuendam? Nunc quidem Arcadibus opitulari vos et pacis conservationi studere, pro qua periclitati estis et in acie dimicastis, apparebit. Tum vero perspicuum erit omnibus vos Messenam velle incolumem, non tam æquitatis causa quam metu Lacedæmoniorum. Semper autem spectari et agi debent ea quæ justa sunt: simulque danda est opera, ut eadem etiam expediant.

4. Affertur et talis quædam ratio ab adversariis nostris, dandam esse operam ut Oropum recipiamus. Quod si eos, qui ad eam rem adjutores alioqui fuissent, abalienaverimus, socii nobis sint defuturi. Ego vero, dandam esse operam ut Oropus recuperetur, et ipse af-

firmo: sed hostes nobis fore Lacedæmonios, si nunc societatem cum Arcadibus qui amici nobis esse volunt coierimus, dictu nefas solis illis esse puto, qui nobis persuasere, ut Lacedæmoniis periclitantibus subveniremus. Nam hæc qui dicunt auctores fuere, quum omnes Peloponnenses huc venissent, ductu et auspiciis vestris Lacedæmonios oppugnaturi, ut et illos repudiaremus,—qua illi de causa, id quod eis erat reliquum, ad Thebanos se contulerunt—, et pro incolumitate Lacedæmoniorum non modo pecuniam conferremus, sed vitam etiam nostram in discrimen adduceremus. Atqui ne vos quidem eos servare voluissetis, si hoc vobis ante dixissent isti, conservatos eos, nisi omnem licentiam daretis denuo faciendi quæ vellent et grassandi, nullam de accepta sulute gratiam vobis habituros. Imo etiamsi conatibus Lacedæmoniorum vehementer adversum est, Arcades in societatem nostram recipi; decet tamen eos majorem nobis habere gratiam, pro eo quod in summis ope vestra periculis conservati sunt, quam propterea nunc irasci quod illorum injuriis obsistatis. Quo pacto igitur nos ad Oropum recuperandum non juvabunt, nisi omnium mortalium ingratissimi esse velint? id quod ego mehercule non video.

5. Jam eos quoque demiror qui causam hanc prætexunt, videri nostram civitatem, ineunda cum Arcadibus societate et his agendis, inconstantiæ et perfidiæ opinionem subituram: mihi enim, Athenienses, contrarium videtur. Cur? quia neminem omnium negaturum arbitror, a nostra urbe et Lacedæmonios et prius Thebanos et postremo Eubœenses conservatos, et postea in societatem receptos esse, quum quidem unum et idem semper spectaret. Illud vero quidnam est? ut oppressos injuriis erigeret ac tueretur. Quod si ita est, non jam levitatis crimen in nobis hærebit; sed in illis, qui pari et æquo jure vivere nolunt: atque apparebit, mutari negotia propter eos qui per injuriam superiores semper esse student, civitatem nostram eandem manere.

6. Mihi vero videntur Lacedæmonii singulari agere calliditate: nunc enim illi aiunt Eleis quasdam Triphyliæ partes restituendas; Phliasiis Tricaranum; aliis quibusdam Arcadibus patriam reddendam; nobis Oropum; non ut nostrum quemque id quod suum est habere videant: longe alia ratio est; nova enim in eos incessisset ista humanitas: sed ut, dum omnibus adjutores videantur ad ea recuperanda, quæ singuli sua esse contendunt, ipsis Messenam oppugnaturis, aut omnes ejus expeditionis socii et strenui adjutores sint, aut cum eos suffragatores habuerint in iis vendicandis, quæ illi sua esse contenderant, nisi parem gratiam iidem retulerint, injurii videantur. Ego vero existimo, a nostra urbe, etiamsi nullos Arcades Lacedæmoniorum libidini permiserit, Oropum posse recuperari: et

illis, modo æquum facere velint, adjuvantibus; et cæteris omnibus annitentibus, quibus iniquum videtur a Thebanis aliena detineri. Etsi autem hoc nobis certo constaret, nisi Lacedæmonios Peloponnesum subvertere sineremus, nos Oropum capere non posse, optabilius, si dicere liceat, censeo missum facere Oropum quam Messenam et Peloponnesum Lacedæmoniorum objicere violentiæ. Nec enim hanc duntaxat rationem nobis cum eis esse existimo. Sed ut omittam id, quod in mentem mihi venerat; illud fore opinor, ut multis de rebus periclitemur.

7. Ea porro quæ Megalopolitas Thebanorum causa contra nos egisse dicunt, absurdum est, nunc accusationis proferre loco: quum autem amici fieri volunt, ut contra nobis benefaciant, obtrectare ac omnibus modis dare operam ne amici fiant; nec animadvertere, quo fideliores eos fuisse Thebanis ostenderint, eo se majore supplicio dignos esse, qui nostram urbem talibus sociis, cum prius ad nos quam ad Thebanos venissent, spoliarint. Sed ista nimirum vecordium hominum sunt, qui aliis hos efficere socios volunt. Illud autem, quantum suscepta cogitatione diligenti, conjectura possis assequi,— et plerosque v strum mihi esse assensuros arbitror—, si Megalopolim Lacedæmonii ceperint, periclitari Messenam: quod si et hanc expugnarint, dico vos Thebanorum socios futuros. Longe igitur honestius et præstabilius est, ut Thebanorum socios ipsi suscipiamus, et Lacedæmoniorum avaritiam reprimamus, quam ut nunc verentes ne socios Thebanorum conservemus hisce desertis, postea ipsis Thebanis opitulemur, atque insuper de nobis ipsis in metu et periculis simus: neque enim nostræ urbi tutum esse puto, ut Lacedæmonii Megalopolim capiant et rursus magni fiant: quum videam, eos etiam nunc suscepisse bellum, non suæ defensionis causa, sed ob veterem potentiam recuperandam; quæ vero, dum illam obtinerent, appetierint, ea vos cum magis f. tasse quam ego sciatis, jure metuetis.

8. Admodum autem ex oratoribus audire velim, tum qui Lacedæmonios tum qui Thebanos se odisse dictitant, utrum alterutri illos, quos sane oderunt, propter vos et utilitatem vestram oderint? an vero in gratiam Lacedæmoniorum Thebanos, et Thebanorum causa Lacedæmonios alterutri? Quod si propter illos, dixerint, neutris utpote furiosis obtemperandum est: sin vestra causa dicturi sunt, cur ultra quam sat est tempusque patitur alteros extollunt? Possunt enim, possunt Thebani deprimi, etiamsi Lacedæmoniorum opes non augeantur; et omnino facilius: quo autem pacto, id ego vobis declarare conabor. Universi hoc scimus, omnes, etiamsi justitiam non curent, erubescere tamen ad tempus, ea quæ justa sunt non agere: et hominibus injuriis palam adversari; præsertim si qui

læduntur; et hac re labefactari omnia inveniemus et hoc principium esse malorum omnium, quod homines nolint ea simpliciter agere quæ justa sunt. Ut ne igitur hoc impediat, quo minus Thebanorum opes minuantur, et Thespias et Platæas et Orchomenum instaurari oportere dicamus; eosque adjuvemus et alios hortemur—est enim et honestum et æquum—ne vetustas urbes eversas esse patiantur: Megalopolim autem et Messenam injuriosis non objiciamus, neque prætextu Thespiensium et Platæensium incolumes urbes quæque habitantur exscindi sinamus. Quod si hæc promulgata fuerint, nemo erit quin Thebanos velit alienos agros tandem amittere: sin minus, primum hi nobis adversabuntur ne illa confici possint, nec injuria, quum existimabunt illarum urbium instaurationem exscidium sibi allaturam; deinde nostri conatus erunt irriti. Nam quis tandem erit exitus, si urbes incolumes exscindi sinemus, exscissas instaurari postulabimus?

9. Dicunt porro qui æquissima dicere videntur, oportere *Arcades* erectas cum Thebanis columnas tollere, si modo nobis constanter socii esse debeant: alii columnas eis esse negant, sed utilitatem esse quæ amicitiam conciliet; et eos haberi pro sociis, a quibus adjuventur. Ego vero, si maxime tales sunt, ita sentio: Postulandum esse dico, simul, ut hi statuas tollant, simul, ut Lacedæmonii pacem agant. Utri autem ita facere noluerint, tum scilicet eos adsciscendos qui dicto fuerint audientes: sive enim pace conciliata Megalopolitæ adhuc Thebanorum societati adhærebunt, omnibus nimirum perspicuum erit præcipuum commodum et emolumenta Thebanorum, non æquitatem, eos sequi, sive Megalopolitæ socios nos sine fraude facient et Lacedæmonii pacem turbare tamen conabuntur, celare profecto neminem poterunt se non de hoc laborare ut Thespiæ instaurentur, sed ut Thebanis hoc bello conflictantibus interim ipsi Peloponnesum subigant.

10. Demiror autem quosdam, qui formidandum censent, si Thebanorum socii Lacedæmoniorum hostes sint; sed si Lacedæmonii illos ipsos everterint, id formidandum non censent: præsertim cum tempus reipsa nos docuerit, Thebanos semper his sociis uti contra Lacedæmonios; Lacedæmonios autem, dum eosdem habuere, contra nos illis fuisse usos. Proinde illud etiam cogitandum censeo, si vos Megalopolitas non receperitis, iis expugnatis et profligatis, Lacedæmonios statim fore potentes: sin forte manserint incolumes, sicuti nonnulla jam præter spem evenerunt, firmos Thebanorum socios merito futuros. Si autem eos vos receperitis, salutem suam vobis acceptam relaturos: verum eventum et periculi considerationem transferamus ab illis, idemque negotium in Thebanis et Lacedæmoniis consideremus. Si igitur Thebani bello, ut debent, subacti fuerint, justo majores non erunt Lacedæmonii, quod Arcades adversarios in vicinia habebunt; sin Thebani forte emerserint incolumesque manserint et non conciderint, saltem infirmiores erunt, postquam hi socii nobis facti, et per nos conservati fuerint: quare modis omnibus expedit, ut Arcades neque deseramus neque committamus, si forte manserint incolumes, ut aut suis evasisse viribus aut aliorum opera ac non vestra ope conservati esse videantur.

11. Ego quidem, Athenienses, Deos testor, me neutros vel amare vel odisse privatim; sed ea dixisse quæ vobis profutura putem: et vos hortor atque moneo, ne Megalopolitas deseratis, aut omnino ullum imbecilliorem objiciatis violentiæ potentiorum.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS DE LIBERTATE RHODIORUM.

Bellum quod sociale dictum fuit, susceperunt adversus Athenienses Chii et Rhodii et Byzantii: qui cum illis prius paruissent, tunc societatem contra Athenienses inter se fecerant. Cum autem Rhodii Cariæ vicini essent, se apud Mausolum, ejus provinciæ præfectum, gratia valere putabant. Is paulatim apud eos, fide sibi conciliata, insidias populo comparavit, et urbem, libertate Rhodiis erepta, paucorum potentiorum servituti subjecit. Censet igitur Demosthenes, eam rem non esse negligendam, sed juvandum esse populum Rhodiorum: quod e re sit Atheniensium, urbes populari parere imperio. Etsi autem, inquit, Rhodii vos læserunt: tamen vobis et honestum et usitatum est, eos etiam Græcos, qui vos nonnihil etiam offenderunt, liberare, atque delinquentibus in Rempublicam ignoscere.

DEMOSTHENIS
DE RHODIORUM LIBERTATE
ORATIO.

1. Arbitror oportere nos, Athenienses, tantis de rebus deliberantes, dare libere dicendi potestatem unicuique consulentium. Ego vero non putavi unquam difficile docere vos quæ optima factu sint—ut enim simpliciter dicam, omnes ea jam ante cognita habere mihi videmini—sed persuadere ut ea exsequamini: nam cum probatum aliquid decretumque est, tantundem ab agendo abest, quantum antequam decerneretur.

2. Est autem illud unum ex eorum numero, propter quæ diis immortalibus gratias vos habere existimo, quod qui non ita olim suapte petulantia impulsi vos bello petierunt, ii nunc in vobis solis spem suæ salutis habent. Atque æquum est gratulari huic occasioni; qua si recte utemini, fiet, ut eorum qui nostram urbem calumniantur maledicta reipsa et cum bona fama refutetis. Questi enim sunt sibi nos insidiari Chii et Byzantii et Rhodii; propptereaque conjunctis viribus, postremum hoc bellum nobis intulerunt. Apparebit autem Mausolum qui dux et auctor ejus rei fuit, dum se amicum esse Rhodiorum simulat, libertatem eis eripuisse: Chios et Byzantios, a quibus in societatem adscripti fuerant, cladibus eorum non succurrisse: vos quos metuebant solos omnium salutem eorum

defendisse. Quæ cum conspicientur ab omnibus, efficietis, ut omnes plebeii in civitatibus amicitiam vestram incolumitatis suæ tanquam tesseram esse judicent: neque vero vobis ullum majus bonum offerri queat, quam si omnes ultro benevolentia vos nullis suspicionibus obnoxia prosequantur.

3. Miror autem, cum eosdem video suadere civitati, ut pro defensione Ægyptiorum Persarum regi adversetur, in causa Rhodii populi eundem illum hominem formidare. Cum hos esse Græcos sciant omnes; illos sub illius imperio cadere.

4. Opinor autem meminisse vestrum quosdam, cum de regio negotio deliberaretur, me pro concione monuisse primum, ac nisi fallor solum etiam aut duntaxat cum altero, videri mihi sapienter vos facturos, si causam instructionis, non inimicitias quæ cum eo intercederent prætenderetis, sed si et adversus certos hostes vos pararetis, et illum etiam, si vos lacessere institueret, ulcisceremini. Neque vero ego cum hæc dixissem, vobis non recte dicere sum visus, sed vobis etiam eadem placuerunt. Quod igitur nunc dicam, id orationis tunc habitæ sequela erit: ego enim, si rex me illic degentem in consilium adhiberet, idem ei suaderem quod vobis: Ut pro sua ditione bellum gereret, si quis adversaretur Græcorum; quæ vero nihil ad eum attinerent, eorum dominatum uti prorsus non vendicaret. Quod si omnino decrevistis, Athenienses, quicquid Rex occuparit antevertendis et decipiendis oppidorum magistratibus, concedere, non recte decrevistis ut ego judico. Sin tuendæ justitiæ causa et bella gerenda, si sit opus, et quidvis perpetiendum esse putabitis, primum tanto minus hoc necesse vobis erit, quanto constantius ita sentietis; deinde consilium et judicium vestrum probabitur.

5. Jam ut sciatis, neque me quicquam novi dicere qui libertatem Rhodiis restitui jubeam, neque vos, si mihi auscultetis, facturos, rem quandam quæ et facta est et profuit vobis in memoriam revocabo. Vos Timotheum aliquando cum imperio misistis, Athenienses, opem laturum Ariobarzani, ad decretum hac adjecta clausula, ut ne fœdus factum cum Rege violaret. Cum autem ille videret Ariobarzanem palam descivisse a Rege, Samum autem præsidio teneri a Cyprothemide, quem Tigranes Regis præfectus urbi præfecerat, illi quidem opem ferre recusavit, hanc vero obsidione cinxit auxilioque suo liberavit; nec in hunc usque diem bellum propterea vobis illatum est: nemo enim est qui pari contentione certet rapinarum causa et opes proprias defendendi: sed pro his quæ de suo auferuntur, omnes summa vi pugnant; de finibus autem propagandis opibusque augendis, non item: appetunt illi quidem aliena, si nemo prohibeat; sin obsistatur, se ab his qui adversati sunt læsos esse non putant.

6. Artemisiam porro ne adversaturam quidem esse huic agendi consuetudini, ubi nostra urbs jam negotium susceperit, paucis au-

ditis considerate, rectene ego de his statuam an secus. Equidem existimo, si Regi omnia quæ instituit in Ægypto feliciter succederent, Artemisiam valde daturam fuisse operam ut Rhodum ei traderet, non tam ex benevolentia erga Regem, quam ut, si ille prope ipsam versaretur, magno beneficio sibi eum obligaret, summaque benevolentia devinciret: postquam vero ita cum eo agitur ut dicitur suisque conatibus ille frustratus est, existimare, id quod res est, insulam hanc in præsentia Regi ad nihil aliud esse utilem; sed velut arcem esse regni sui, quæ obstet ne quid ipsa novi moliatur. Quare mihi quidem videtur, malle a vobis eam teneri, a se palam non traditam, quam Regem ea potiri. Imo ne adjuturam quidem puto: aut tametsi hoc fecerit, segniter et tenuiter facturam. Nam de rege, scire me quid is facturus sit, haud equidem affirmarim; sed e republica esse, ut jam cognoscatur, utrum ille Rhodiorum urbem sibi vendicaturus sit an non, id ego affirmarim: nam si eam sibi vendicarit, non de Rhodiis solum, sed de vobis ipsis atque adeo de Græcis omnibus, erit deliberandum.

7. Neque vero, si per semetipsos tenerent urbem qui nunc in ea sunt Rhodii, censerem eorum defensionem suscipiendam, tametsi vobis omnia se facturos pollicerentur: quippe quos videam, primum ut popularem statum everterent, quosdam sibi cives adjunxisse; ac re jam confecta, eosdem ejecisse: cum igitur neutris fidem servarint, nec vobis eos firmos fore socios putarem. Atque hæc nunquam dixissem, si ea soli Rhodiorum populo prodesse putarem. Neque enim vel publicum vel privatum cum ullo eorum hospitium mihi est. Ac tametsi horum utrumque esset, non tamen hæc dicerem, nisi e re vestra esse crederem: nam Rhodiis—si tamen hæc a defensore salutis eorum dici fas est—ista accidisse gaudeo, qui, dum jus vestrum a vobis recuperari invident, suam libertatem perdiderunt. Cumque licuisset eis societatem æquo jure cum Græcis et vobiscum qui illis antecellitis colere, Barbaris et servis, quos in arces recepere, serviunt. Ac parum abest quin dicam, si vos eos juvabitis, hoc illis etiam profuisse: nam dum res bene gererent, nescio an unquam bonæ menti litassent, cum sint Rhodii; sed re ipsa experti atque edocti, multorum malorum amentiam multis causam exsistere, fieri fortasse potest ut fiant in posterum prudentiores et modestiores. Quam ego rem eis non parum profuturam esse existimo. Dandam autem operam censeo, ut hi viri conserventur, obliterata memoria injuriarum, debetis enim cogitare, vos etiam sæpe multis in rebus ab insidiatoribus esse deceptos, quarum ullius a vobis pœnas exigi æquum esse negabitis.

8. Quin illud etiam videte, Athenienses, quod multa vos bella gesseritis contra et Democratias et Oligarchias, idque et ipsi nostis: sed quibus de causis adversus utrasque bellum gestum est, id nemo

fortasse vestrum considerat. De quibus igitur fuit? Cum liberis populis aut propter privatas controversias, quæ dirimi publice non potuerunt, aut pro parte agrorum aut de finibus aut propter contentionem honoris aut de principatu: cum potestate paucorum de harum rerum nulla, sed de reipublicæ forma et libertate. Quapropter ego quidem certe dicere non dubitem, utilius videri mihi, ut Græci omnes populari statu utentes nobiscum belligerent, quam ut paucorum imperio subjecti nostram amicitiam colant: cum liberis enim pacem vos, quandocunque volueritis, non difficulter esse facturos arbitror; at cum iisdem, si paucorum regantur arbitrio, ne amicitiam quidem fidam fore puto: nullo enim modo fieri potest, ut pauci multis atque avidi imperii æqualitatis studiosis bene velint.

9. Miror autem, neminem vestrum existimare, si Chii paucorum potestate regantur et Mitylenæi et nunc Rhodii, atque omnes prope dixerim homines illius servitutis jugum subeant, vestram quoque rempublicam in aliquo fore periculo, neque cogitare, passim Oligarchiis institutis, non posse fieri, ut populi dominatus apud nos relinquatur: sciunt enim nullos alios rursus in libertatem res vindicaturos. Unde igitur imminere sibi periculum prævident, eos e medio sublatos volent. Proinde cæteri, qui aliquibus injuriam faciunt, eorum ipsorum qui læduntur hostes putandi sunt, rerumpub. autem eversores paucorumque potentiæ constitutores, communes hostes omnium eorum quibus libertas cordi est, me quidem auctore, judicabuntur; deinde æquum etiam est, ut vos, qui populi auctoritate ipsi regi vultis, sic in calamitosos populos animati esse videamini, ut alios in vos esse animatos velletis, si quando, quod Dii prohibeant, tale quippiam accidisset: enimvero siquis dicat, merito Rhodios plecti, minime opportuna præsens occasio ad hæc dicenda; quibus enim Fortuna secunda est, hi calamitosis perpetuo optime consulere debent, cum nemo omnium mortalium, quid sit futurum exploratum habeat.

10. Atque ego sæpe hic apud vos commemorantes quosdam audio, cum nostra urbs cladem accepisset, auctores fuisse quosdam ejus conservandæ: e quibus ego Argivorum duntaxat in præsentia brevem mentionem faciam. Nolim autem nos, quorum celebrata est perpetua in afflictos beneficentia, deteriores hac in parte Argivis videri, qui cum in Lacedæmoniorum vicinia habitarent, viderentque illos terra marique dominari, non dubitarunt nec veriti sunt ostendere suam erga vos benevolentiam; sed et legatos Lacedæmone profectos, postulaturos, ut ferunt, ad pœnas quosdam vestrorum exsulum, decreverunt, ni ante solis occasum recessissent, hostium loco habendos. Non igitur turpe fuerit, Athenienses, cum Argivorum vulgus non metuerit Lacedæmoniorum imperium illis temporibus aut potentiam, vos qui Athenienses sitis Barbarum hominem vel potius mulierem formidare? præsertim quum illi sæpe se victos esse a Lace-

dæmoniis referre queant: vos sæpe viceritis Regem Persarum, victi ne semel quidem sitis vel a servis Regis vel ab illo ipso; nam sicubi fortasse Rex urbi fuit superior, aut Græcorum scelestissimis et proditoribus inter eos largitionibus corruptis aut nulla alia ratione superior fuit; ac ne id ipsum quidem ei profuit; cognoscetis enim cum per Lacedæmonios urbis nostræ opes minuisset, ipsum a Clearcho et Cyro in regni sui discrimen adductum. Itaque neque palam vicit, neque ei insidiæ profuerunt.

11. Video autem a vestrum quibusdam Philippum ut nullius pretii hominem negligi sæpe, regem autem Persarum, ut potentem hostem quibus inferre bellum instituerit, formidari. Atqui si nec illum ut contemnendum ulciscemur, et huic ut formidabili omnia concedemus, quibuscum, Athenienses, præliabimur?

12. Sunt etiam quidam apud nos in defendendis contra vos aliorum causis acerrimi, quibus ego hoc solum suaserim, ut vestrum jus contra alios tueri studeant, quo ipsi primi juris observantes videantur; absurdum enim est in justitia eum sermone vos instituere, qui ea quæ justa sunt ipse negligat: injustum autem est, accusandis vobis, non vobis defendendis, paratum ac meditatum esse civem; agite vero per Deos considerate, cur tandem Byzantii nemo est qui eos moneat ne Chalcedonem occupent? quæ et regis est, et vestra olim fuit, et nullo ab eis jure vendicatur; neve Selymbriam, quæ aliquando societate vobiscum conjuncta fuit, ad suam ipsi jurisdictionem pertrahant et horum agro Byzantii limites constituant contra jusjurandum et fœdus, in quo sui juris eos esse scriptum est? cur item nemo fuit, qui Mausolo vel vivente vel defuncto Artemisiam docuerit, Coum et Rhodum non esse occupandas atque alias ejus generis civitates Græcas? quibus etiam Rex ipsorum dominus in fœdere cessit, et propter quas multa pericula et præclara certamina illorum temporum Græci subierunt. Atque ut maxime sint qui utrisque illis hæc dicant, at qui hisce pareant, ut apparet, non sunt: ego vero etiam justum esse censeo, ut Rhodiorum populus restituatur; id vero tametsi justum non esset, cum quæ isti agunt intueor, suadendum esse opinor, ut reducatur. Cur tandem id? Quoniam, si omnes, Athenienses, colere justitiam instituissent, turpe foret vos solos ab ea abhorrere. Cum vero cæteri omnes ita se parent jus violare ut possint, si soli nihil occupantes jus prætendatis, eam ego non justitiam sed ignaviam existimarim.

13. Video autem, ut quique armati sunt, ita etiam eos jus suum adipisci, et hujus rei exemplum vobis omnibus notum referre possum: Duo fœdera Græci cum Rege Persarum habent, ea quæ nostra urbs fecit, quæ universi laudant; et post ea Lacedæmonii deinceps, ea nimirum quæ culpant; atque in his non idem jus utrisque definitum est: nam privati juris in rebuspublicis communem æqualemque usum

dedere leges tam infirmis quam potentibus, Græcum autem jus hi qui rerum potiuntur imbecillioribus interpretantur et definiunt. Cum igitur vobis et decernere quæ justa sunt et præstare mandatum sit, elaborandum est, in vestra potestate ut sit, eadem etiam administrare atque exsequi. Quod tum fiet, si vos communes libertatis omnium esse vindices existimarint.

14. Neque vero mirum mihi videtur, officio fungi vobis omnium esse difficillimum. Nam cæteris hominibus universis unum certamen est cum hostibus manifestis, quos ubi vicerint, nihil eis obstat quo minus secure partis bonis fruantur: vobis autem, Athenienses, duo; cum hoc quod et ceteris, tum vero accedit alterum hoc prius et majus, quod in deliberationibus vincendi et hi sunt, qui reipub. adversari commodis apud vos decreverunt. Cum igitur per istos nihil absque magno labore confici rite possit, fit, quod mirum non est, ut multis in rebus erretis et frustremini. Atque ut multi secure has in repub. partes suscipiant, in causa fortasse potissimum sunt, quæ a præbitoribus suis accipiunt, emolumenta. Sed tamen vos etiam reprehendendi estis: decebat enim vos, Athenienses, eundem habere animum de ordine reipublicæ, quem de ordine militari habetis. Is igitur quis est? Vos desertorem assignati a duce ordinis ignominia notandum censetis et a repub. arcendum. Decet igitur eos etiam, qui ordinem in repub. traditum a majoribus deseruerunt itaque se gerunt ut potentiæ paucorum studeant, honore dicendæ apud vos sententiæ privari: nunc socios, qui se vobiscum eosdem et amicos et hostes habituros jurarunt, benevolentissimos existimatis; magistratus autem quos hostibus civitatis addictos esse liquido nostis, eos pro fidelissimis habetis.

15. Sed quod, vel in illis accusetur vel in cæteris vobis reprehendatur, difficile repertu non est: quibus autem orationibus aut quibus actionibus ea quæ prave nunc fiunt corrigantur, id demum repertu est difficile. Ac de omnibus dicere non est hujus fortasse temporis. Sed si ea quæ instituistis, utili quapiam actione confirmare poteritis, cætera etiam singula se fortasse melius habitura sunt. Ego igitur censeo harum rerum curam magno et constanti animo suscipiendam, easdemque pro reipublicæ dignitate a vobis conficiendas, recordantibus, quod majores vestros et eorum præclara facinora prædicari atque Tropæa enumerari cum voluptate auditis: itaque cogitate, monimenta illa erecta esse a majoribus non ut ea miremini spectantes duntaxat, sed ut eorum qui ea consecrarunt virtutes imitemini.

LIBANII ARGUMENTUM IN ORATIONEM DE REPUBLICA ORDINANDA.

ORATIO hæc non jam Philippica est, sed suasoria simpliciter: nam quum Athenienses de theatrali pecunia deliberaturi convenissent, progressus in medium Demosthenes suadet, ut cives in classes distribuantur et militando atque periculis pro salute Græciæ subeundis veterem dignitatem recuperent, ostendit etiam, in comparatione status præsentis cum vetere, quantum a virtute et excellentia majorum degenerarint.

DEMOSTHENIS

DE REPUBLICA ORDINANDA

ORATIO.

1. DE hac pecunia et iis de rebus propter quas hæc indicta concio est, neutrum, Athenienses, difficile mihi factu esse videtur, vel objurgatis illis qui publica distribuunt et largiuntur, laudem apud eos invenire qui rempublicam per hæc lædi credunt, vel si suffrager illis et horter ad accipiendum, iis gratum facere qui magna inopia premuntur: neutri enim, publico bono considerato, negotium hoc vel probant vel improbant, sed prout quique vel egent vel opibus abundant. Ego vero utrum accipiendum sit necne, neque id suadebo neque dissuadebo: moneo solum ut cogitetis et ipsi vobiscum meditemini, argentum hoc de quo deliberatis leve; consuetudinem, quam inducit, esse gravem. Quod si eam rationem inieritis, ut qui officium suum faciunt, ii etiam accipiant, non solum non lædetis, sed maximopere juvabitis tum rempublicam tum vosmetipsos: sin ad accipiendum et festum et causa quælibet satis erit, de his autem quæ præterea facienda sint ne orationes quidem audire volueritis, providete ne forte vos, in his quæ nunc recte fieri censetis, aliquando vehementer errasse judicetis.

2. Ego autem oportere censeo,—ne vero propter id quod dicam obturbate, sed re audita judicate—, quemadmodum de accipiendo concionem indiximus, sic etiam de ordinatione reipublicæ et apparatu bellico indici concionem, et singulos non modo ad hæc attente audienda, sed etiam ad alacriter exsequenda promptos esse debere: ut, o Athenienses, spem fortunæ melioris in vobis ipsis habeatis,

neque sciscitemini, quid rerum iste vel alius gerat. Ac de reditibus quidem civitatis, et his quæ insuper ex privato frustra nunc impenditis, sociorumque vectigalibus, unumquemque vestrum id accipere decere dico quod æquum est: ætate florentes militare stipendium, emeritos pecuniam ob exercenda judicia seu quo alio titulo rem insigniri placet. Sed ipsi militabitis neque eo munere cuiquam cedetis, quo reipublicæ vires domesticæ sint et e civibus instructæ, ut nec opes vobis desint et vos officio fungamini; et imperator exercitui præsit, et non, Athenienses, eadem quæ hactenus usu veniant, ut duces in judiciis vexetis: et hic tandem sit negotii totius exitus, Iste istius filius istum accusavit: prætereaque nihil.

3. Sed quid vobis studio habere debetis? Ut socii non præsidiorum metu, sed communicatione utilitatum inter nos et ipsos, nobiscum, sint conjuncti. Deinde ne duces peregrinis militibus socios vexent ac deprædentur, hostes ne videant quidem; quarum rerum emolumenta istorum propria sunt, odia et maledicta in totam civitatem redundant: sed ut cives habeant quorum opera hostes, eo modo quo nunc socios et amicos, affligant. Præterea multæ res vestram præsentiam desiderant: et præterquam quod domestica bella domesticis copiis geri conducit; idem ad alia quoque negotia est necessarium. Nam si contenti essetis otio, securi quomodo cum Græcis ageretur, alia esset ea ratio. Nunc principatum cæterisque dicendi juris potestatem vobis arrogatis, exercitum autem qui hæc et inspiciat et tueatur neque paratum habetis neque parare studetis: sed vobis otiose desidentibus et dormitantibus, respublica Mitylenæorum libertatem amisit; neque minus Rhodiorum nostrum nemine prohibente, et nobis quidem inimica, dicat aliquis? sed odia majora esse debent, Athenienses, in oligarchias propter instituti nostri dissimilitudinem, quam contra liberos populos propter quascunque causas.

4. Sed, ut eo redeam unde digressus sum, affirmo debere vos in ordinem describi atque ordinem eundem esse tum accipiendi tum faciendi ea quæ decet. Hisce de rebus prius etiam apud vos disserui et explicavi, quinam ordo inter vos, qui gravem armaturam geritis et qui equites estis, et qui horum numero non continemini, esset ineundus, et unde communiter omnes liberaliter sustentari possint. Quod vero meum animum maxime omnium turbavit, dicam vobis nec dissimulabo: nam, quum multa et præclara et magna essent ea omnia, nullius e cæteris quisquam meminit; duorum obolorum omnes. Atqui fieri non potest, ut isti majoris pretii sint quam duorum obolorum, cætera vero, quæ cum his quæ dixi, conjuncta sunt, regis Persarum opes æquant, ut urbs, quæ tot probe instructos pedites et triremes et equites et pecuniæ reditus habet, ordinata et instructa sit. Quid igitur, inquiet aliquis, hæc nunc comme-

moras? Quia censeo vos oportere, quoniam nonnulli ferendum non putant ut omnes stipendia mereant, ordinationem vero et instructionem esse utilem consentiunt omnes, hinc negotium auspicari et unicuique dare potestatem dicendæ his de rebus sententiæ, sic enim se res habet. Si vobis nunc persuaderi sinetis ut occasionem adesse his rebus conficiendis opportunam arbitremini, quum ea necessaria vobis fuerint, in promptu habebitis. Sin ut intempestiva negligetis, quum iis uti oporteat, tum demum ea comparare cogemini.

5. Jam vero locutus est quidam, non plebeius homo, sed talis qui disrumperetur si hæc fierent, his fere verbis, quid tandem fructus e Demosthenis orationibus cepimus? qui progressus, quum ipsi visum est, aures vestras obtundere solet et cavillari præsentem statum et, ubi primum vestros majores laudavit et vos concitavit inflavitque, descendere. Ego vero, si vobis eorum quæ dico persuadere aliquid possem, tot me utilitates allaturum esse reipublicæ putarem, quantas, si nunc dicere aggrediar, plerique fidem eis abrogaturi essent, tanquam majoribus quam quæ fieri possint. Enimvero me non parum prodesse reipub. censeo, si vos ad optima quæque audienda consuefaciam; oportet enim, Athenienses, ut is qui de civitate nostra bene mereri cupit, auribus primum vestris medeatur: corruptæ enim sunt; adeo multa et falsa et quævis potius audire quam salutaria consuefacti estis: veluti—ne vero mihi quisquam obturbet priusquam omnia dixero—recluserunt nuper quidam ærarium; oratores igitur omnes pro concione dictitabant, abrogatum esse statum popularem, interiisse leges, et hujus generis alia. Atqui, Athenienses,—considerate num vera dicam—, ea qui fecerunt, digni sunt qui capite plectantur; neque tamen popularis status his rebus abrogatur. Rursus, remos aliquis surripuit: flagellandum, torquendum, vociferabantur omnes, abrogari statum popularem dictitantes. Ego vero quid dico? Ea qui faciat, dignus est qui capite plectatur, æque ut illi, sed statum popularem his rebus abrogari nego. Sed is quomodo abrogetur, nemo dicit aut palam profiteri audet. Ego vero dicam: si vos, Athenienses, male educati multi et inopes et inermes et incompositi et non eodem modo animati sitis, et neque imperator neque quisquam alius decreta vestra curet; si hæc nemo indicare velit aut corrigere, neque de his malis corrigendis cogitet aut moliatur quicquam, id quod nunc accidit.

6. Et medius fidius, Athenienses, aliæ orationes falsæ ad nos invectæ sunt et exitiosæ reipublicæ, ut in judiciis vestra salus sita est, et, suffragio rempublicam conservetis oportet. Ego vero scio, ista judicia privatis controversiis inter vos dijudicandis et dirimendis esse comparata et ex æquo servire omnibus. Hostes autem armis superandi sunt, et in his consistit salus reipublicæ: nec enim vestra senatusconsulta efficient ut nostri eos qui sunt in armis vincant, sed ii qui hostes armis superant, efficiunt, ut vos et libere consultare et quicquid volueritis secure agere possitis; nam in armis formidabiles, in judiciis humanos vos esse decet.

7. Quod si cui grandiora loqui quam pro natura aut fortuna mea videor, eum ego recte sentire censeo: nam oratio, quæ pro tanta urbe tantisque de rebus habetur, semper uno quocunque oratore videri major, et ad vestram non ad dicentis dignitatem prope accedere debet. Cur autem eorum nemo qui a vobis honorantur hæc dicat, ejus rei causas ego vobis exponam: nam qui ad comitia creandorum magistratuum et ad eum ordinem accedunt, servilem in modum circumeunt ad eblandiendum suffragiorum favorem, unusquisque cupiens imperatorem se designari, non ullum viri fortis facere opus. Quod si quis etiam talis est ut aliquid conari audeat, is nunc gloria et nomine urbis nostræ munitus, eorum qui adversentur solitudine fretus, vos bona spe duntaxat esse lactandos, neque quicquam aliud agendum, se vero bonorum vestrorum tanquam hæreditatem cernere posse, existimat; idque verum est. At si per vosmetipsos egeritis omnia, se ut operum ipsorum, sic et præmiorum quæ illa sequuntur, æquam cum cæteris partem habiturum prævidet. Qui autem rempublicam gerunt et in eo studio versantur, utilissima dicendi ad vos consuetudine omissa, se cum hisce conjungunt. Ac prius quidem per classes conferebatis, nunc vero per classes rempublicam geritis. Orator dux est, et imperator huic obnoxius, et qui partim his partim illis suffragentur trecenti: vos reliqui attributi estis auctarii vice, alii his, illis alii. Ex his igitur rebus hoc consequimini, ut ille ærea statua ornetur, ille sit beatus, unus atque alter republica potentiores: reliqui testes felicitatis horum sedetis, et ut ignaviæ vestræ indulgere possitis, multas et magnas opes ac gloriam quæ in vestris manibus sunt abjicitis atque istis conceditis.

8. Atqui considerate, quo in loco hæc apud majores fuerint: nam quæ agenda sint, non alienis exemplis, sed domesticis usi, cognoscatis licet. Illi Themistocli cujus ductu navale prælium ad Salaminem commissum est et Miltiadi Marathoniæ pugnæ duci multisque aliis qui res non pares his nostris ducibus gesserant, medius fidius, non æreas statuas decernebant neque supra modum adamabant, sed, ut qui nulla re populo præstantiores essent, sic eos afficiebant honoribus; etenim nullius illorum facinorum gloria se fraudabant, neque quisquam est qui navale prælium ad Salaminem Themistoclis esse dicat sed Atheniensium, aut Marathoniam pugnam Miltiadis sed civitatis: nunc vero vulgus ita loquitur, Corcyram cepit Timotheus, et Moram cecidit Iphicrates, et navale ad Naxum prælium vicit Cha-

brias; ipsi enim videmini propter honorum magnitudinem, quos propterea ducibus decrevistis, harum rerum gloria illis cedere.

9. Quin etiam civilia dona ut illi pulcre largiebantur, sic vos non recte, peregrinis porro munera quomodo illi distribuebant? Menoni Pharsalio qui duodecim argenti talenta ad bellum gestum in Eione ad Amphipolim suppeditarat, et ducentos equites clientes suos suppetias miserat, non civitatem decreverunt, sed immunitatem tantum dederunt. Et ante hunc Perdiccæ, qui quo tempore Barbarus Persarum rex olim Græciam hostiliter invaserat rex Macedoniæ fuit, et Barbaros qui post acceptam cladem Platæis recedebant delevit et regi Persarum integram illam stragem fecit, non decreverunt civitatem, sed immunitatem duntaxat, magnam nimirum et præclaram et venerabilem suam patriam existimantes et quovis majorem beneficio. Nunc vero, Athenienses, homines perditos servos servis genitos, accepto tanquam pro aliis mercibus pretio, cives facitis. Et hæc vobis agere visum est non quod deterioribus sitis ingeniis quam majores vestri, sed quod illi ipsi de se præclare senserunt, vobis autem, Athenienses, id ereptum est. Neque vero fieri unquam profecto potest, ut homines parvis et vilibus occupati rebus sublimes et generosos spiritus concipiant, quemadmodum vicissim natura non fert ut splendidis et præclaris negotiis dediti, animos pusillos habeant et abjectos: nam qualia hominum studia fuerint, talibus eos animis etiam esse præditos necesse est.

10. Considerate, quæso, quæ capita enumerari possint earum rerum quas illi gesserunt quasque vos geritis, an his inter se collatis vobis ipsis meliores fieri possitis. Illi igitur annos quinque et sexaginta Græcis volentibus imperarunt; amplius decies mille talenta in arcem congesserunt; multa et præclara terra marique pugnantes tropæa erexerunt, quæ etiam nunc laudi nobis ducimus. Atqui putare debetis illos ea erexisse, non ut nos illa spectantes tantum admiraremur, sed ut etiam virtutes eorum a quibus consecrata essent imitaremur. Et illi quidem hæc: Nos vero tanta circumdati solitudine quantam videtis omnes, considerate an similia. An non amplius mille et quingenta talenta in Græcorum mendicos frustra profudimus? An non et privatæ familiæ omnes et ærarium publicum et quæ a sociis conferuntur sunt exhausta? An non quos in bello socios nobis adjunximus, hi pacis tempore perierunt? At, per Jovem, hæc sola scilicet tunc meliora fuere quam nunc, cætera vero deteriora? Plurimum certe abest. Sed quid? Consideremus vultis? Ædificia igitur et ornamenta urbis, templorum et portuum et quæ sunt ejus generis alia, tot et tanta illi reliquerunt, ut ad eorum excellentiam nihil possit posteritas addere; nempe propylæa hæcce quæ in conspectu sunt, navalia, porticus, cetera, quibus illi urbem nobis exornatam tradiderunt: privatas vero procerum illius temporis ædes ita moderatas et nomini popularis status congruentes, ut si quis vestrum, Themistoclis, Cimonis, Aristidis, aut Miltiadis, et cæterorum ejus ætatis illustrium hominum domum novit, nihilo vicini magnificentiorem esse videat. Nunc vero, Athenienses, urbi nostræ satis est, publice vias munire et fontes exstruere et incrustare parietes, et similibus nugis occupari,—neque vero harum rerum auctores reprehendo, nequaquam id facio, sed vos, si his procurandis vos officio functos putatis—: privatim autem qui publicum aliquod munus administrarunt, partim publicis ædificiis privatas ædes magnificentiores substruxerunt, non solummodo plebeiis superbiores, partim tot fundos coemptos colunt quot ne per somnium quidem unquam speraverant. Harum autem rerum omnium causa est, quod olim populus universorum dominus et auctor erat, cæterique bene secum agi putabant, si is honorem aut magistratum aut aliquod aliud beneficium impertiret: nunc contra isti omnes opes in sua potestate habent et istorum auspiciis geruntur omnia, sed populus ministri et additamenti locum obtinet; vobisque satis est id accipere, si quid isti forte impertierint.

11. Proinde dum hæc fiunt, talis etiam status civitatis est, ut, si quis decreta vestra legat et acta ordine percurrat, nemo credere possit eorundem hominum esse hæc et illa: veluti sunt, quæ contra Megarenses homines nefarios decrevistis, quum terram consecratam vindicarent et excolerent, exeundum esse, prohibendum, non concedendum; et de Phliasiis quum nuper patria pellerentur, opem ferendam, non permittendos crudelitati carnificum, a Peloponnensibus auxilia si qui juvare vellent accersenda. Universa hæc, Athenienses, præclara sunt et justa et e dignitate reipublicæ, at facta quæ sequi debebant nusquam apparent. Inimicitias igitur per senatusconsulta denunciatis, nullius autem rei gerendæ potestatem habetis: decernitis enim ea quæ urbe nostra digna sunt, sed viribus caretis ad ea quæ decrevistis exsequenda; ego vero velim—et nemo mihi succenseat—vos aut minus habere animorum, vestris negotiis agendis contentos, aut majores vires comparare. Quod si vos Siphnios aut Cythnios aut alios ejus esse generis scirem, hortarer minus habere animorum: sed cum Athenienses sitis, auctor sum vires majores ut comparetis. Turpe enim, Athenienses, turpe, inquam, est ejus magnanimitatis ordinem deserere, quem vobis majores tradiderunt. Imo nec vestri arbitrii est, etiamsi velitis, Græcos ut deseratis; multa enim ab omni ævo gessistis: proinde nec veteres amicos projicere, nec vestris hostibus fidere aut crescendi copiam dare, licet. Denique idem vobis contigit, quod illis qui, ubi semel apud vos ad gerendam rempublicam acces-

sere, post cum vellent recedere ab eadem non permittuntur, hoc et a vobis invicem requiritur: rem publicam enim inter Græcos gessistis.

12. Caput autem est, Athenienses, horum quæ diximus omnium, oratores vos nunquam neque probos facient neque improbos, sed vos illos tales quales volueritis; neque enim vos ad illorum voluntatem vos accommodatis, sed illi vestris cupiditatibus blandiri student: vos igitur principes esse decet in rebus bonis expetendis, et omnia recte se habebunt, aut enim nemo quicquam mali dicet, aut frustra dicet, quum quos persuadet non sit habiturus.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS DE FŒDERE ALEXANDREO.

Quum Alexander Macedo Messenam Philiadæ tyranni filiis restituisset, accusat eum de fœdere quod ei cum Atheniensibus et Græcis intercedat violato. Affirmat etiam Macedones multis aliis in rebus pactis non stetisse, idque non negligendum esse censet. Videtur autem hæc oratio falso tribui Demostheni: nec enim forma orationis cum aliis Demosthenicis convenit; sed ad Hyperidis stilum propius accedit; cum in aliis, tum verbis quibusdam, huic quam Demostheni magis usitatis, veluti νεόπλουτοι, id est novi homines vel nuper ditati, et βδελυρεύσεται, id est improbe ac petulanter aget.

DEMOSTHENIS

DE FŒDERE ALEXANDREO

ORATIO.

1. Vehementer, Athenienses, probandi sunt qui exhortantur et jubent ut pactis et conventis stemus, si ita sentiunt ut loquuntur: liberum enim populum nihil perinde decere existimo, ut æquitatis et justitiæ studium. Par igitur est eos qui hoc tantopere urgent non abuti verbis atque obstrepere, cum interim quidvis potius agant; sed censuram subire nunc ut in posterum vos hac in re dicto audientes habeant, vel omissa contentione dandi consilii locum iis relinquant qui verius de jure pronunciant: ut videlicet aut ultro sustineatis injurias et hoc ipsum injuriarum auctori condonetis, aut maximi faciendam esse justitiam statuatis et abjecta deinceps omni cunctatione sic vestræ utilitatis rationem habeatis ut eo nomine possitis a nemine reprehendi. Si igitur ipsum fœdus et jusjurandum de communi pace datum consideretur, perspicue cernitur, quinam sint qui jam illud violarint. Atque ego ut magnis de rebus compendio vos docebo.

2. Si quis vos roget, Athenienses, quam ob rem gravissime indignaremini, respondebitis opinor omnes, si quis vos cogeret, si hoc tempore viverent Pisistratidæ, et si quis vim faceret ut eos in integrum restitueretis, vos correptis armis quidvis potius periculi subituros quam ut eos admitteretis, aut, si vobis id persuaderi pateremini, pro ære emptis mancipiis servitutem servituros: et servitutem eo

graviorem, quod famulum nemo volens occidit; cum tyrannide oppressos non modo indicta causa perimi videamus, sed eorum etiam uxores et liberos ad stupra contumeliose rapi.

3. Alexander autem contra jusjurandum in communi pace perscriptum, Philiadæ liberis qui tyranni sunt Messenam reducendis, nunquid justitiæ rationem habuit? ac non potius suo tyrannico more usus, tum vos tum pactionem communem pro nihilo duxit? Annon vero, si quis vobis eam necessitatem imponat, iniquissimis ferre animis oportebit? Sin alibi usquam jusjurandum vobis datum violetur, boni consulendum erit, omissa defensione fœderis: neque quum quidam hic vos incitent ut fœdus servetis, tanta licentia concedenda illis est a quibus ita palam violatum est? Hæc enim admitti nequaquam possunt, si jus exsequi velitis: nam illud etiam in fœdere est adscriptum, ut pro hoste habeatur, qui talia egerit qualia studio sibi habet Alexander, ab omnibus iis qui pace comprehenduntur, is atque regnum ejus, utque omnes ipsum bello petant. Quare, si ea quæ convenere servare volumus, hostium numero habebimus eum qui tyrannos restituit: at vero dicent isti tyrannorum studiosi, Philiadæ liberos propterea quod Messeniis, antequam fœdus feriretur, imperarint, restitutos ab Alexandro. Sed ridicula est illa ratio, quum Lesbii tyranni sint ejecti Antissa et Hæreso, damnata ipsa gubernationis forma ut injusta, qui ante fœdus et ipsi dominati sunt: Messenæ tolerandos esse, cum utrinque sit eadem indignitas.

4. Deinde et fœdus statim ab initio G r æ c o s l i b e r o s e s s e s u i s q u e v i v e r e l e g i b u s jubet. Quid igitur absurdius, quam caput de libertate Græcorum, principem tenere locum in fœdere, et existimari illum qui eosdem servitute opprimit, nihil communibus pactis fecisse contrarium. Quare necesse habemus, Athenienses, si modo fidem servabimus et justitiam colemus,—quo nos isti vocant, ut modo dicebam—, correptis armis adscitisque sociis qui volunt fœdifragis inferre bellum: an vero cum putetis aliquando ipsam occasionem valere, ac sine justitia, id quod expediat conficere; nunc postquam et occasio et jus et utilitas una concurrunt, aliud quoddam tempus exspectabitis tum vestræ tum reliquæ Græciæ libertatis vindicandæ?

5. Jam ad aliud juris caput venio. Scriptum est in fœdere, s i q u i r e s p u b l i c a s a p u d q u o s q u e r e c e p t a s t u m, c u m i n p a c e m j u r a r e n t, a b r o g a v e r i n t, e o s a b o m n i b u s i i s a d q u o s p e r t i n e a t p a x, p r o h o s t i b u s e s s e h a b e n d o s. Agite vero considerate, Athenienses, Achæos qui Peloponnesum incolunt liberas habuisse civitates: at Macedo nunc Pellenæorum rempublicam abrogavit ejectis plurimis civibus, illorumque opes servis tradidit, Chærone palæstrita tyranno imposito. Nos vero pacis

ejus participes sumus quæ jubet, eos talia qui fecerint hostes judicari. Quæ quum ita sint, utrum communibus jussis parebimus, hostium loco eos habituri, an vero aliquis, ex eorum numero qui Macedoni mercede conducti serviunt et in vestram perniciem locupletati sunt, tam erit improbus et perfrictæ frontis ut id fieri oportere neget? Nec enim horum quicquam eos præterit, sed tanta illorum insolentia est, ut exercitibus tyranni tanquam custodia muniti, vos et ad violatum jusjurandum hortentur, quasi vero ille perjurii etiam dominus sit: et vestras leges vos abrogare cogant, dum et sententiis judicum damnatos absolvunt, et alia ejusdem generis infinita quæ pugnant cum legibus committere vos cogant. Nec id mirum est: nam qui semetipsos in patriæ perniciem vendiderunt, hi fieri nequit ut leges et jusjurandum curent; sed solis nominibus abutentes fucum faciunt his, qui non ut judices, sed fallendi temporis gratia duntaxat, concionibus intersunt, neque putant hanc tranquillitatem aliquando fore causam subitæ et magnæ tempestatis.

6. Ego vero jubeo, quemadmodum initio dixi, parere his qui affirmant communia pacta servari oportere: nisi forte illud putant, cum dicunt standum esse jurejurando, se non hoc dicere nullam accipiendam esse injuriam; et neminem animadversurum opinantur, tyrannides pro democratiis constitui et respublicas abrogari. Hoc vero cum primis est ridiculum: quum fœdere sit promulgatum, a s s e s s o r i b u s e t a l i i s a d c o m m u n e m c u s t o d i a m d e l e c t i s e s s e p r o v i d e n d u m, n e i n u r b i b u s a d q u a s p a x a t t i n e a t c æ d e s f i a n t a u t e x s i l i a c o n t r a l e g e s i l l i s u r b i b u s u s i t a t a s, n e v e p e c u n i æ p u b l i c e n t u r, n e v e l e g e s a g r a r i æ f e r a n t u r, n e v e n o v æ t a b u l æ f i a n t, a u t s e r v i a d p i l e u m v o c e n t u r n o v a r u m r e r u m s t u d i o: isti tantum absunt ut quicquam tale prohibeant, ut etiam adjutores sint; qui an non jure optimo perimentur, cum tantas clades in urbes invehant, ut propter earum cladium magnitudinem illis qui tot numero sunt imperatum sit, ne ad eas conniverent?

7. Nunc aliud ostendam quo solutum est fœdus: scriptum est, e x s u l i b u s n o n l i c e r e p r o g r e s s i s e x a l i q u a u r b e f œ d e r a t a, i n f e s t i s a r m i s u l l a m u r b e m f œ d e r a t a m a g g r e d i; q u o d s i f i a t, e a m u r b e m e q u a p r o f e c t i s i n t f œ d e r e e x c l u d e n d a m. At Macedo tam expedite arma circumtulit, ut nunquam ea deposuerit, sed etiam nunc ea gerens quantum potest omnia pervagetur. Idque tanto nunc magis quam prius, ut edicto cum alios in alias urbes tum Pædotribam Sicyonem restituerit. Quare, si communi fœderi parendum est, ut isti aiunt, fœdere nostro excludentur urbes quæ talia peregerunt. Quod si vera occultanda sunt, nihil dicere necesse est, Macedonicas eas esse: sin ministri Macedonis adversarii vestri jubere non de-

sistunt ut quæ communibus pactis continentur exsequamini, pareamus eis, quoniam æqua dicunt; et, quemadmodum jusjurandum jubet, excludamus illos fœdere ac deliberemus, quomodo tractandi sint ii qui pro dominis sese gerunt libidinemque suam sequuntur, et perpetuo vel insidias struunt, vel agunt interdicta pacemque communem derident: quam enim ob causam isti negabunt ita esse faciendum? Num pactionem quatenus ea reipublicæ nocet ratam esse volunt, quatenus vero eidem salutaris est sustulerunt? Nunquid hæc jure fieri videntur? Si quid in jurejurando pro hostibus et contra nostram civitatem facit, id perpetuo confirmabunt: sin aliquid vestrum contra illos simul et justum et utile fuerit, illud sibi oppugnandum esse perpetuo arbitrabuntur?

8. Ut vero evidentius etiam intelligatis, neminem Græcorum vos unquam accusaturum esse, de communibus pactis ulla re violatis, sed et gratiam habituros, quod soli fœdifragos coargueritis, pauca de multis quæ dicenda essent, percurram: continetur alicubi in fœdere, ut fœderati mare navigent, et nemo eos prohibeat, neque quisquam naves eorum exceptet: sin hæc aliquis violarit, ut ab omnibus fœderatis pro hoste habeatur. Atqui, Athenienses, vos evidentissime scitis hoc a Macedonibus esse factum: nam eo violentiæ processerunt, ut omnes naves Ponticas Tenedum pertraxerint, ac tergiversantes non prius eas dimiserint, quam vos decrevissetis centum triremes esse complendas et statim in mare deducendas, et ducem eis Menestheum præfecissetis.

9. An non igitur absurdum est, quum tot ac tanta delicta sint alterorum, istos illorum amicos a peccando eos non deterrere, sed suadere nobis ut pacta usque adeo neglecta servemus? quasi vero in illis et hoc adscriptum sit, ipsis etiam delinquere licere, alteris nec ulcisci injurias esse concessum? Nonne vero simul et inique et stupide egerunt, qui jusjurandum usque adeo violarint, ut minimum abfuerit quin ob illam perfidiam principatus maris eis jure eriperetur? atque adeo nunc etiam jus hoc nobis sine crimine suppeditant, si uti eo voluerimus: non enim quod peccare destiterunt, eo minus communia pacta violarunt scilicet; sed beati sunt, quod interim fruuntur ignavia vestra, quæ suum jus persequi nunquam instituit.

10. Atque hoc contumeliosissimum est, quod reliqui Græci et Barbari omnes vestras inimicitias metuunt, isti autem novi homines vos eo redigunt ut ipsi vosmet aspernari cogamini, alia vobis persuadendo, alia vi extorquendo, perinde ac si cum Abderitis aut Maronitis, non cum Atheniensibus administrandæ reipublicæ rationem habeant. Qui cum opes vestras extenuent, adversariorum amplificent; interim non animadvertunt, se confiteri urbem nostram esse insuperabilem, dum hortantur ut jus aliter quam justum est custodiamus, ut quæ hostes facile superasset, si utilitatis rationem habere voluisset. Jure autem in hac sententia sunt: dum enim maris imperium citra controversiam idque solum tenuerimus, ad terrestria pericula propulsanda facile alia supplementa his copiis, quas in procinctu habemus, invenire licebit: præsertim cum fortuna eorum insolentiam depresserit qui tyrannicorum exercituum custodia muniebantur; atque eorum alii perierint, alios res ipsa docuerit esse contemnendos.

11. Quod igitur ad naves attinet, in quo momenti plurimum est, id Macedo præter alia supra commemorata violavit: sed inter omnia Macedonum facta contumeliosissimum et insolentissimum illud est quod nuper accidit, Cum ausi sunt contra commune fœdus cum ipsis initum in Piræeum appellere; et hoc, Athenienses, non quia una triremis fuit ideo parvi ducendum est, sed eos periclitari patientiam nostram voluisse, ut pluribus idem facere liceret, statuendum, et ut declararent, sicut etiam in cæteris factum est, se communia decreta non curare: nam eos ita paulatim irrepere et nos assuefacere voluisse ad tales accessus perferendos, etiam inde perspicitur; ex eo enim quod is qui tum navim appulit, quem statim una cum triremi perditum a vobis oportebat, petiit ut in nostris portubus parva navigia fabricari liceret, cui tandem fuit obscurum, eos id consilii habuisse ut intra portum statim essent potius quam ut in eum appellerent? et, si parvula navigia toleraremus, paulo post triremes quoque; et, si primum paucas, paulo post multas: nec enim dici potest, quum Athenis magna copia sit lignorum ad naves fabricandas, quæ ligna et e loginquo et difficulter importantur, in Macedonia, quæ etiam aliis qui volunt ea vilissimo pretio suppeditat, exstitisse penuriam. Sed arbitrabantur naves ibi simul et fabricandas et in eodem portu implendas esse, quum communi fœdere sit sancitum ne quid tale admittamus, eamque licentiam indies fore majorem putaverunt, usque adeo illi nos e sublimi despiciunt propter nostrates doctores qui eis dictant quid faciendum sit. Sic una cum istis cujusdam ineffabilis dissolutionis et ignaviæ nostram urbem condemnant, neque eam futura providere, neque unquam cogitare putant, quomodo tyrannus iste communi fœdere utatur; cui ego, Athenienses, vos hortor ut pareatis, quemadmodum ego docui, et confirmare possim, ut qui hac ætate sum, nos et jure nostro citra cujusquam reprehensionem et occasionibus sine ullo periculo usuros, quæ nos ad prosequendas nostras utilitates incitant et urgent: nam insuper etiam communi fœderi adscriptum est, si participes communis pacis esse velimus; at verbum illud si velimus etiam contrarium complectitur, num tandem desistere velimus aliorum ductum et auspicia turpiter sequi, an vero ne recordari quidem ullius præclari facinoris, quæ ab antiquissimis temporibus plurima nobis præ cæteris omnibus relicta sunt. Si igitur jusseritis, Athenienses, decernam, ut fœdera jubent, FŒDIFRAGIS BELLUM ESSE INFERENDUM.

DEMOSTHENIS
ORATIONUM PUBLICARUM
INTERPRETATIO LATINA.

WUNDERLICHII

ANALYSIS

ORATIONIS PRO CORONA.

De dispositione ipsa totius orationis si quæritur, Demosthenem, quod ab oratoribus in causis, quæ apud judices aguntur, publicis fere postulatur, in tres eam distribuisse partes, Exordium, Argumenti tractationem, et Perorationem, lecturis facile apparebit. Exordium §. 1—16. quo longe splendidissimo ornata prodiit hæc oratio, solito longius ita compositum est, ut commode possit in duas dispertiri partes. Altera §. 1—4. deos invocat, ut benevolentiam, qua dignus sit, fidemque, legibus et jurijurando debitam, in judicum animis integram sibi servent. Duobus enim maximis sese affici in hac contentione ostendit incommodis, primum magnitudine noxæ, quam, causa si cecidisset Ctesiphon, ipse capturus sit, deinde prædicatione rerum a se gestarum, prorsus necessaria, quæ contra se faciat plurimum. Altera §. 5—16. docet, antequam in ipsam Senatusconsulti defensionem ingrediatur, voluntatem judicum, criminibus Æschinis gravissimis si forte sit alienata, iis refutandis sibi esse reconciliandam. Itaque ad crimina, vitæ privatæ dicta, quam brevissime §. 5. ita respondet, ut Æschinem, vitam Demosthenis §. 19. carpentem, longe post se relinquat. Res deinde publice gestas defensurus, §. 6. consilium accusationis insectatur, Æschinemque animum malevolentissimum sibique infestissimum probasse arguit, primum, quod malefacta tanta non singula olim, suo quodque tempore, ultum iverit, secundo loco, quod se ulturus, non se ipsum aggressus sit, sed in Ctesiphontem potius litem et noxam intenderit. Quibus in universum disputatis, cum de fide omnium adversarii criminationem multum detraxisset, et pacem, cum Philippo a 347. a. Chr. suis decretis non compositam, purgat, et Æschinis corruptela atque proditione cum Atheniensibus terras Thraciæ inter pacem confirmandam a Philippo ereptas, tum Phocensibus ejus irruptione nec opinato in Græciam facta interitum esse paratum, fusius et dilucide explicat. Unde, cum in omnibus fere civitatibus proditorum magnus proventus eandem Æschini utilitatem Philippi foveret, factum esse demonstrat, ut Græcia statu suo pristino dejecta libertatem amiserit.

Jam Æschinis proditione acerbissime notata, innocentia sua purgata, ad tractationem argumenti ipsam progreditur, quæ perinde duas partes complectitur, defensionem Senatusconsulti §. 18—38. et descriptionem morum factorumque adversarii §. 39—91. Ut igitur defensionem Ctesiphontis se justissime suscipere testetur, rerum ordinem non ad orationem Æschinis, quod ille §. 69. iterum iterumque postulaverat, sed ad libellum ejus, ad Archontem delatum, cujus capita supra proposui, §. 18. componit. Ostensurus itaque primum §. 18 fin.—31. Ctesiphontem non falsa de virtute sua et benevolentia prædicasse, res pro incolumitate Athenien-

sium, adeoque totius Græciæ, gestas dicere aggreditur. Statu Græciæ, qualis fuerit, cum ipse ad gubernacula reipublicæ accederet, exposito, ut Philippi consiliis omni ope viriumque contentione resisterent, sese civitatis et dignitati et saluti convenienter suasisse §. 18 fin.—22., nec suis decretis, sed Philippi dominandi libidini pacis solutæ causam esse imponendam §. 23. cum planum fecisset; inde, Eubœa liberata, corona se a civitate, §. 24—26. auxilio secundum decreta sua Byzantiis et Cherroneso lato, civitatem ipsam a servatis esse ornatam §. 27. Atheniensesque utroque, quamvis nec Eubœenses nec Byzantii hanc tantam pro malefactis suis gratiam meruissent, moris antiqui memores reipublicæ gloriæque suæ juxta consuluisse §. 28—29., commemorat. His factis, consiliis, meritis in rempublicam, quantum laudis de statu rerum maritimarum civitatis convulso restituendo et emendando meruerit, §. 30—31. subjungit.—Deinde Ctesiphontem, quod se, rationibus non relatis, ornandum censuerit, contra leges scripsisse negat. Sibi enim ob summam trium talentorum centumque minarum de suo civitati ultro impensam coronam decretam, aliisque ob idem meritum eundem honorem esse habitum. §. 32—35.—Tertio loco, donationis hujus prædicationem in theatro fieri posse, lege cum esset probatum §. 36., et maledicentia adversarii incusatur, et hostilis ejus in patriam animus hac ipsa accusatione arguitur §. 37—38.

Causa Ctesiphontis perorata, ut Æschinis fidem omnem famamque labefactatam penitus convelleret, seque ipsum judicum animis magis insinuaret, ad insectationem adversarii digreditur. Quam quidem orationis partem mira quadam arte ita composuit auctor, ut malefactis Æschinis sua benefacta, ejus vitiis suas virtutes opponat, quo nihil ad animos judicum movendos excitandosque efficacius cogitari potest. Exponit enim, Æschines, patre servo, matre nequissima natus, quam ingrato animo et Antiphontis atque Pythonis patrocinio et Anaxini amicitia contra rempublicam fecerit §. 39—43., utque belli Amphissensis concitator et auctor Philippo viam in Græciam irrumpendi Elateamque occupandi patefecerit §. 44—52., ipse contra, hoc rerum statu Atheniensibus in summo discrimine versantibus, quam egregie de summa re publica meruerit, vi orationis suæ pervincendo, ut et Athenis, armorum societatem cum Thebanis propere conjungendam esse, decerneretur §. 52—55.—quam quidem rationem, longe optimam visam, neque nunc post eventum improbandam esse, et tum, etiamsi omnes mala futura prævidissent, eligendam fuisse, §. 56—60. præclare demonstrat—et Thebani, ad quos legationem obierit, in partes Atheniensium transgrederentur §. 61—62. Unde quæ gloria, quæ lætitia in civitatem redundarit, quomodo Thebani, quomodo Philippus affectus fuerit, §. 63—64. legimus, utque ipse tum corona ob tanta merita publice ornatus sit, Æschine eum non accusante, qui nunc de laude ejus, qui tot socios, tot præsidia Atheniensibus comparaverit, malitiose detrahere contendat, §. 65—69. Exin causas accipimus, cur et iniquis conditionibus societas cum Thebanis, Byzantiis, et Eubœensibus sit facta, et Philippum, omnibus, quæ fieri potuerint, tentatis et ausis, ipse solus devincere nequiverit, §. 70—73.; nihilo minus tamen populum Atheniensem mirabiliter de eo, ejusque rebus gestis post prœlium ad Chæroneam sensisse, §. 74—75. Jam fortunam civitatis, hoc totius orbis statu miserrimo, satis bonam prosperamque dici posse, cum docuisset §. 76. ad suam ipsius

describendam progressus, conditionem suam commode cum Æschinis conditione componit, ut, qualem uterque se erga civitatem, erga cives præstiterit, judicibus declaretur, §. 76—81. Ad fortunam reipublicæ reversus, ejus calamitatem omnibus, qui tum viverent, hominibus communem, nec sibi tribuendam esse, ostendit §. 82—83. Crimina inde et convicia in vim suam dicendi dicta in adversarium regerens, ut ipse illa ad utilitatem, Æschines vero sua ad perniciem patriæ et ad inimicos ulciscendos usus sit, §. 84. aperit, cujus rei hanc etiam accusationem luculentissimum esse exemplum, §. 85. Inde virtutes viri in rebus publicis administrandis præclare versantis recenset, sui Æschinisque ratione habita, §. 86—87.; laudatio prœlio ad Chæroneam cæsorum cum epulo funebri cur sibi potissimum demandata sit, exponit, §. 88—89. Æschinis animum a republica alienum carpit, §. 90. crimenque, tanquam a Philippi partibus steterit, refutat, proditorum Græciæ recensum agens, §. 91.

Ita cum sua confirmasset, adversaria evertisset, Æschinis mores factaque a republica detestanda, suam vitam publice privatimque actam omni laude ornatam ornandamque esse explanasset, omnia peroratione §. 92—100. inflammante restinguentique commode concludit orator. Breviter enim et graviter recenset, quanta constantia summam rempublicam retinuerit atque defenderit, §. 92.; quibus præsidiis eam contra Philippi opes munierit, quæ sapienter incepta irrita fieri, eoque civitatem recidere, fortunæ, in omni re dominanti, placuerit §. 93—95. His laboribus egregiis, pro patria susceptis atque perlatis, oppositum legimus, Æschines quam segne, at malitiosum et in civitatem injuriosum otium consumserit §. 96—97. nihil prorsus bene reipublicæ fecerit §. 97. benevolentiæ signa nulla ediderit, at hostibus omnia gratificatus sit §. 97. Itaque ergo se æquales præeminentem, majorum præstantissimorum nulli non comparandum, Æschinem vero deterrimis priorum esse simillimum; §. 98—99. quem post civitatem calamitate oppressam hostibus serviliter blandiri, obedire ostendit, se vero forti animo virtutem atque benevolentiam in rempublicam retinere §. 100. pessimorum civium mores aversantem, qui alienis malis gaudeant, servitutemque sempiternam omnibus votis expetant, qua patriam dii propitii explicitam atque liberatam pristinæ libertati et incolumitati restituant, pia mente precatur. §. 100—ad finem.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS DE CORONA.

Mœnibus circummunierat Orator Athenienses, usitatis istis ac manufactis et firmioribus et melioribus, benevolentia erga remp. atque in dicendo vi, sicuti ipse loquitur, non saxis et lateribus Athenas munivi, sed magnis copiis et multitudine sociorum, tum terra tum mari conquisita: veruntamen et ad munimentum manibus exstructum non parum contulit civitati. Labefactatum enim multis in locis murum Atheniensibus postquam instaurare visum est, delecti sunt ad id munus decem viri, ex singulis tribubus singuli, quos conficere oporteret operis curationem: nam sumptus de publico fiebat. Unus igitur ex iis

cum Orator creatus esset, non ut cæteri procurationem tantum negotii obivit, verum et opus egregie quidem perfecit, pecuniamque de suo reipublicæ largitus est. Laudavit hanc ejus benevolentiam senatus, et studium in remp. remuneratus est aurea corona: prompti enim Athenienses ad gratiam bene merentibus referendam. Ctesiphon autem erat, qui sententiam dixit, Ut corona donaretur Demosthenes tempore Bacchanalibus, loco Bacchi theatro, spectatoribus omnibus Græcis, quos celebritas coegerat; utque coram istis præco prædicaret, Demosthenem Demosthenis filium Pæaniensem civitatem corona donare universæ virtutis ergo ejusque erga ipsam benevolentiæ. Erat igitur honos undecunque admirabilis: itaque et livor ipsum arrosit, et contra hoc scitum actio lata est de decreto legibus adverso. Æschines enim Demosthenis inimicus Ctesiphonti de decreto contra leges scripto diem dixit, cum Demosthenem affirmaret Magistratum esse et nondum relatis rationibus iisdem esse obnoxium, legem autem vetare ut obnoxii coronentur, aliamque insuper legem proferens quæ jubet, si quem populus Atheniensis coronet, in concione coronam prædicari, sin senatus, in curia, alibi autem non licere. Postremo ait falsas esse laudes quæ Demostheni tribuuntur: non enim bene administrasse remp. oratorem, sed et muneribus esse corruptum, et multorum malorum auctorem exstitisse civitati. Atque hoc in accusatione sua ordine usus est Æschines, ut primum de obnoxiorum, deinde de præconiorum lege, tertio loco, de administratione reipublicæ diceret: eundemque ordinem ut Demosthenes servaret postulavit. At Demosthenes et a suis rebus gestis initium fecit, et in easdem orationem reduxit, summa in eo arte usus: oportet enim a firmioribus auspicari in iisque finem facere; in medio autem collocavit, quæ ad Leges pertinent. Ac legi de obnoxiis opponit sententias *et voluntatem legislatoris*, alteri vero de præconiis legem aliam aut legis partem, ut ait iste, in qua concessum est etiam in Theatro prædicationem fieri, si id populus aut senatus decreverit.

ALIUD ARGUMENTUM ORATIONIS DE CORONA.

Athenienses et Thebani bellum cum Philippo gerentes ad Chæroneam, oppidum Bœotiæ, victi sunt: victor igitur Macedo præsidium Thebis imposuit, et in sua potestate habuit jugo servitutis oppressus. Quare veriti Athenienses ne ipsi idem paterentur, suspicatique tyrannum contra semetipsos primo quoque tempore deventurum, constituerunt vetustate labefactatas muri partes instaurare: atque ita ex unaquaque tribu mœnium curatores designati sunt. Quorum unum Pandionia tribus delegit ad negotium Oratorem. Cum igitur in manibus esset opus, et ampliorem pecuniam desideraret quam quæ data fuerat ex ærario, eam Orator de suo insumpsit, neque civitati expensum tulit, sed gratis ipse donavit. Hanc occasionem Ctesiphon unus ex iis qui remp. administrabant nactus, de illo ad senatum ita retulit: quoniam Demosthenes Demosthenis f. per totum vitæ cursum suam erga remp. benevolentiam declarare non desistat, et nunc muris reficiendis curator, cum ampliore pecunia indigeret, domo depromptam largitus sit, placeat ergo senatui populoque eum aurea corona donari in Theatro dum tragœdiæ novæ agerentur, fortasse quod eo tempore frequens multitudo concurrit, novas fabulas spectandi cupida. Cum itaque hoc senatus præconsultum ad populum perferretur, exoritur Ctesiphontis accusator Æschines, ob *diversa* in rep. administranda studia Demostheni inimicus, decretum istud asserens contra tres leges esse factum, unam quæ ut rationibus referendis obnoxius coronetur vetat, priusquam rationes eas reddiderit: nondum autem has, inquit, Demosthenes retulerat, cum et theatralem pecuniam tractaret et muris reparandis curator esset, oportuit autem manere præmiumque differre, donec facta inquisi-

tione integer reperiatur. Secundam vero legem recitat, quæ coronam donari jubet in Pnyce in concione, cives criminatus qui Demosthenis coronam in Theatro prædicari concederent. At tertia lex ad universum vitæ Demosthenis et rerum publice gestarum examen spectat: vetat enim ne falsæ unquam literæ in ædem Matris deum deferantur, ubi omnes reponuntur literæ publicæ. Falsa autem dixit reus, inquit, cum Demosthenis benevolentiæ ac studii in remp. testimonium dedit: nam malevolus potius et hostili in patriam animo reperitur. Hac tertia lege, quam ex usu suo esse videret Orator, tanquam anchora quadam prehensa, adversarium lucta prostravit, ratione in accusatorem solertissima usus et sapientissima: inde enim ansam habuit hostis capiendi atque expugnandi. Namque alteras duas leges, de obnoxiis scilicet et de præconio, in mediam orationem conjecit, more imperatorio, ignavis in medio collocatis, potentiora vero in extremis utrinque partibus disposuit, reliquorum infirmitatem utrobique corroborans. Videtur autem et ad utilitatem orationem dirigere, neque immodice admodum artem ostentare. Nam cum videatur in principio quod de legibus dicendum erat præterire, id tandem alio modo usurpavit. Legem enim de coronis recitarat Æschines falsam, cui dum respondet Orator, occasionem invenit sua in rep. gesta proferendi, quasi caput legitimum ad pugnam adhiberet. Dispositio igitur orationis talis est: firmamentum autem causæ Æschini est legitimum, Demostheni justum, utrique autem commune utile, cujus non manifesta est enodatio. Status est in scripto positus, negotialis: scripto enim constat Decretum.

Accusatio quidem Philippo adhuc vivente in judicium deducta est, habita tamen oratio et judicium *factum est* Alexandro jam imperium tenente. Nam postquam interiit Philippus et Thebani sumpta fiducia præsidium ejecerant, Alexander se contemni ratus Thebas funditus evertit, deinde cum eum facti pœnituisset e Græcia demigravit pudore affectus, et barbaris bellum intulit: Athenienses autem oblatam sibi esse occasionem putabant, ut proditores istos qui Græciam injuria læserant in jus vocarent, atque ita judicium commissum est. Primum igitur prooemium precatione constat, per partes inductum, et benevolentiam parat, qua hic maxime indigemus: estque illud Homerica imitatione expressum,

Dique Deæque meis omnes attendite dictis.

Quin et vim habet et significationem fiduciæ in auditorum benevolentia collocatæ: neque enim omne deorum genus invocaret, nisi eo animo fuisset. Verbum autem illud διατελῶ ex Decreto sumptum est: significat autem se et in benevolentia *erga cives* vitam degisse, eandemque perpetuo curare, et prius animam amissurum esse, quam ab ista sententia discessurum.

DEMOSTHENIS

DE CORONA ORATIO.

1. Primum a diis deabusque omnibus immortalibus precor, Athenienses, ut quantum ego semper erga et civitatem vestram vosque universos benevolentiam habeo, tanta mihi a vobis in hoc judicio tribuatur: deinde ut quæ res ad vos vestramque religionem et gloriam permagni interest, eam vobis rem dii concedant, ut ne

adversarium consulatis quo ego modo sim audiendus—asperrimum sane id foret—, sed leges et jusjurandum, in quo præter alia multa æquitatis plena illud quoque descriptum est, pariter utrumque esse audiendum. Quod non hanc modo vim habet nullam esse præjudicatam opinionem afferendam, aut par utrique studium præstandum, sed actorum cuique eum ordinem eamque defensionis rationem, quam ipse voluerit atque delegerit, esse permittendam.

2. Cum multis igitur rebus Æschine sum in hac contentione inferior, tum duabus Athenienses permagnis. Una, quod non pari de re cum isto in discrimen venio. Neque enim idem mihi nunc est vestra benevolentia excidere, atque isti causam non tenere, quin mihi quidem—sed nolo quicquam initio dicendi ominosius proloqui; illi supervacaneum est me accusare. Altera, quod mortalibus omnibus natura insitum est ut conviciis criminationibusque libenter aures advertant, iis autem qui se ipsi laudent offendantur. Ex his igitur quod voluptati est, id isti datur: quod omnibus pene dicam molestum accidit, mihi est relictum. Quod si dum hæc vereor atque fugio, res a me gestas non commemoro, nec allata in me crimina posse refellere videbor, neque cur honore dignum me censeam ostendere: sin me ad ea quæ feci quæque gessi in republica conferam, sæpenumero cogar ipse de me dicere. Quocirca dabitur a me opera ut id quam modestissime faciam: quicquid autem res ipsa dicere coegerit, hujus iste culpam merito sustinebit qui istiusmodi certamen instituerit.

3. Arbitror autem, judices, vos omnes confessuros communem esse hanc causam et mihi et Ctesiphonti, neque minori in hac re mihi opus esse studio. Nam cum quacunque re privari grave sit et acerbum, ab inimico præsertim; tum vero benevolentia vestra et humanitate *spoliari* tanto *est molestissimum*, quanto easdem consequi est amplissimum. Cum sit igitur hisce de rebus contentio instituta, vos omnes oro atque obtestor, ut me æque pariterque audiatis criminibus *in me allatis* juste respondentem, quomodo leges jubent, quas qui a principio tulit Solon, vir vestri amans ac popularis, non perscriptione tantum ratas esse censuit oportere, sed et vestro qui judices estis jurejurando firmatas; non quod vobis, ut mihi quidem videtur, diffideret, sed quoniam perspiciebat criminationes et calumnias eas, quibus accusator quod priorem dicendi locum obtinuit superior est, reo antevertere *et vincere* non licere, nisi quisque vestrum qui judices sedetis, deorum immortalium religione servata, tum ejus qui posteriore loco dicat excusationem benevole accipiet, tum posteaquam se parem communemque utrique præbuerit auditorem, ita demum de universa lite judicium feret.

4. Verum quando mihi hodierno die, uti videtur, et totius vitæ privatim actæ et rerum publice gestarum reddenda ratio est, placet

rursus [ut initio dicendi feci] deos immortales invocare, eosque in conspectu vestro precor primum, ut quantam ego semper erga et civitatem vestram vosque universos benevolentiam habeo, tanta mihi a vobis in hoc judicio tribuatur: deinde ut quod ad communem omnium existimationem et ad singulorum religionem magnopere conferet, id vobis dii concedant ut in hac causa statuatis.

5. Si igitur ea tantum crimina pertractasset Æschines de quibus actionem intendit, ego quoque de ipso senatus præconsulto statim respondissem: sed quoniam in aliis rebus exponendis haud minus multam orationem consumpsit, et simul de me plurima ementitus est, necessarium esse existimo atque adeo justum, pauca prius, Athenienses, his de rebus dicere, ut nequis vestrum verbis ad litem parum spectantibus adductus alieniore me animo audiat jura causæ commonstrantem. Itaque quod ad privatam quidem vitam pertinet, ad omnes eas contumelias quascunque in me conviciator hic effutiit, videte quam simpliciter quamque juste respondeam. Si me eum cognovistis, quem iste esse me criminatus est,—neque enim usquam alibi quam apud vos vixi—, ne vocem quidem meam sustinete, etiamsi omnia omnino præclara publice gessi, quin surgite meque jamjam condemnate. Sin isto multo et meliorem et a melioribus ortum, nullo denique eorum qui mediocri loco sunt, ne quid invidiosum proferam, deteriorem me meosque et existimatis et novistis, nec aliis de rebus isti creditote; perspicuum est enim omnia ab eo *similiter* esse conficta: mihi vero quam benevolentiam omni tempore multis in judiciis prioribus ostendistis, nunc quoque præstate. Sed cum sis usque eo veterator, Æschine, hoc tamen omnino stolide opinatus es, me factorum meorum et rerum publice gestarum missa mentione ad convicia tua orationem conversurum. Non profecto id faciam, non ita insanio, verum res publice gestas quas tu mendaciis et calumniis proscidisti, statim excutiam, istius autem tam effusæ petulantiæ deinceps, si modo his audire placuerit, mentionem faciam.

6. Crimina igitur mihi objecta sunt multa et atrocia, et quorum nonnullis magna et ultima supplicia legibus sunt indicta: hujus autem accusationis propositum ipsum in se pariter includit et hostilem vexationem et contumeliam et convicium petulantemque injuriam et id genus universa, quod si ea quæ accusator objecit atque recensuit, vera essent, respublica nec dignas nec dignis proximas de me sumere pœnas ullo modo potest. Neque enim cuiquam adimi debet ad populum accedendi copia et libera dicendi potestas, sed uti hoc fiat petulanter insectandi gratia et explendæ invidiæ,—id vero per deos immortales neque rectum est neque civile neque justum, Athenienses!—at quæ me facinora committere in rempublicam videbat, præsertim cum tanta fuerint, quanta quidem modo tragice vociferando recensebat, eorum pœnas legibus constitutas recentibus

etiam tum maleficiis expetere debebat, si qua delatione digna committere me videret, deferre atque hac via me in judicium vocare, sin scribere contraria legibus, violatarum legum postulare: *hac inquam via progrediendum erat*, neque enim Ctesiphontem reum peragere potest per meas *criminationes*, et si me convinci posse credidérit, utique illum nunquam accusavisset. Quinetiam si quid aliud eorum, quæ modo calumniose percurrebat, aut quidvis alioqui me in vos delinquere animadverteret, sunt leges de omnibus *constitutæ*, et actiones et judicia et supplicia, quæ acerbas atque magnas secum afferunt mulctas. Atque his illi licuit omnibus uti contra me, cumque hæc eum fecisse constaret ac ista mecum agendi ratione esse usum, cum ejus facto consentiret accusatio. Nunc autem, recta et justa via derelicta vitataque tunc cum res gererentur coarguendi occasione, tanto post temporis intervallo criminibus et dicteriis et maledictis coacervatis histrionem agit: cum me accuset, hunc in judicium vocat, et huic toti accusationi inimicitias mecum susceptas prætendit, nusquam tamen mecum congreditur, sed alteri existimationem suam eripere palam conatur. Itaque præter alia omnia, quæ juste quis dicere pro Ctesiphonte possit, Athenienses, illud mihi quidem etiam aptissime dici posse videtur, æquum esse ut inimicitias nostras ipsi inter nos disceptemus, non, prætermissis nostris inter nos contentionibus, alterum quæritemus cui mali quid afferamus: supra modum enim iniquum hoc est.

7. Omnia igitur accusationis capita æque esse et a justitia et a veritate aliena ex his persentire licet: volo tamen singula seorsim examinare, atque ea præcipue quæ de pace ac legatione in me ementitus est, suis quæ Philocrate socio patravit facinoribus in me translatis. Est autem necessarium et a causa pariter non alienum, Athenienses, quo tunc temporis res essent loco, in memoriam vobis redigere, ut singula prout cujusque tempus se ferebat perspiciatis. Bello igitur Phocensi conflato—non per me: nondum enim ad rempublicam accesseram—primum ita vos animis affecti eratis, ut Phocenses salvos esse velletis, quamvis parum juste agere eos videretis, Thebanis autem quantumcunque mali accidisset essetis lætaturi, neque absque ratione neque injuria illis irati: successus enim suos ad Leuctra parum tulerunt moderate. Deinde tota Peloponnesus dissidiis laborabat, nec qui Lacedæmonios oderant tantum valebant, ut eos possent evertere, neque qui antea illorum opera imperabant civitates in sua potestate habebant, sed quædam erat inexplicata et apud hos et apud alios universos lis et perturbatio. Hæc cum videret Philippus—neque enim erant obscura—largitionibus in singularum civitatum proditores effusis, eas omnes commisit et inter se concitavit, deinde quo tempore alii graviter peccabant maleque sentiebant, ipse interim se instruxit inque omnium perniciem accrevit. Posteaquam vero tædio belli confectos, graves tum, nunc infelices Thebanos perspicuum esset omnibus coactos fore ut ad vos confugerent, Philippus, id ut ne fieret neve civitates conjungerentur, vobis pacem, illis auxilium pollicetur. Quæ res igitur ei adjumento fuit ut vos pene dicam ultro deceptos interciperet? Reliquorum Græcorum—sive ea malitia sive ignorantia dicenda est sive utraque, qui, cum assiduum ac diuturnum bellum gereretis, idque pro communi omnium utilitate, quemadmodum res ipsa declaravit, neque pecunia neque viris neque re ulla omnino alia vos adjuverunt: quibus jure vos meritoque indignati Philippo haud inviti auscultavistis.

8. Ea igitur quæ tum concessa fuit Philippo pax hisce de causis, non mea, quomodo iste insimulavit, opera conciliata est: istorum autem injurias sordidosque quæstus in ea re *institutos* harum turbarum in quibus nunc versamur, si quis recte investiget, causas esse deprehendet. Atque hæc omnia veritatis *tantum* studio accuratius persequor et enarro. Nam si qua in his rebus vel maxime videantur esse peccata, ea nihil ad me utique pertinent: quin is qui primus sententiam dixit et mentionem de pace fecit Aristodemus histrio fuit, qui illum suscepit et *decretum* scripsit et cum isto suam operam in eam rem locavit Philocrates fuit Agnusius, tuus Æschine particeps, non meus, non si mentiendo disrumparis; ejus autem sententiæ suffragatores fuerunt quacunque demum de causa—hoc enim in præsens omitto—Eubulus et Cephisophon, ego vero nusquam quicquam. Et tamen, cum hæc ita se habeant et ab ipsa etiam veritate ita esse demonstrentur, usque eo venit impudentiæ, ut ausus sit affirmare, me non modo pacis fuisse auctorem, sed ne ea ipsa pax a nostra civitate una cum communi Græcorum concilio fieret obstitisse. At o—quo te quis nomine recte appellet? tune usquam qui adesses, cum me tantam rem tantamque societatem, quantam modo quidem tragica voce commemorabas et percensebas, civitati detrahere videres, *tune usquam* indignatus es et in medium progressus ea, quæ nunc arguis, docuisti aut enarrasti? Atqui si ut intercludatur ista cum Græcis communio Philippo ego *operam* vendideram, tibi erat reliquum silentium ut ne ageres, sed ut clamares et testimonium ferres et hisce rem indicares. At tu nunquam hoc fecisti, nunquam eam ex te vocem quisquam audivit. Jure: neque enim ad ullos omnino Græcorum tum missa erat legatio, sed jamdudum eorum omnium voluntates patebant, neque iste sinceri quicquam his de rebus protulit. Præterea vero mendaciis illis rempublicam acerrime calumniatur. Nam si vos simul Græcos ad bellum accersebatis, simul ipsi ad Philippum legatos de pace mittebatis, Eurybati facinus, non aut civitati vestræ aut viris bonis consentaneam rem præstitistis. Verum non ita se res habent, non: quorsum

enim illos tali tempore accerseretis? Ad pacem? at habebant omnes. Ad bellum? at ipsi de pace consultabatis. Perspicuum est igitur me pacis illius prioris neque ducem neque auctorem fuisse, neque cæterorum quicquam, quæ in me confinxit, verum esse ostenditur.

9. Postquam ergo pacem fecit respublica, hic iterum considerate, quid uterque nostrum agere instituerit: etenim ex his scietis, quis fuerit qui Philippo in omnibus suffragaretur, et quis contra qui pro vobis operam navaret et publicæ studuerit utilitati. Ego itaque senator decretum feci ut legati quamprimum in ea loca navigarent, in quibus esse Philippum audirent, ut jusjurandum ab eo exigerent: isti vero, nec postquam hoc decreverim, id facere voluerunt. Ea porro res quam vim habebat, Athenienses? ego vobis ostendam. Philippi intererat ut inter nostrum et ipsius jusjurandum quam longissimum tempus intercederet, vestra quam brevissimum. Quid ita? Quia vos, non ab eo tantum die quo juravistis, sed a quo pacem vos speravistis habituros, omnes belli apparatus remisistis: ille autem ex omni tempore hoc maxime moliebatur, ratus, id quod verum erat, quæcunque ante datum jusjurandum civitati nostræ præripuisset, ea se omnia firma sibi habiturum; neminem enim istorum causa pacem diremptúrum. Quæ cum ego præviderem, Athenienses, et mecum reputarem, hoc decretum feci, ut in ea loca, in quibus esset Philippus, *legati* navigarent et jusjurandum quam maturrime exigerent: ut Thracibus sociis vestris ea oppida tenentibus, quæ iste modo irrisu insectabatur, Serrium et Myrtium et Ergiscam, dicerentur adeo sacramenta, neque ille opportunis locis occupatis Thracia potiretur, neve magna inde pecunia, multisque militibus instructus reliquas deinceps res facilius aggrederetur. Hoc igitur decretum non commemorat, neque recitat: sed si ego senator cum essem introducendos esse legatos censui, id vero insectatur. At quid me facere oportebat? An ne illis aditus esset *ad concionem* decernere qui idcirco venerant, ut vobiscum loquerentur? An ne locus iis ab architecto spectandi gratia daretur vetare? At duobus obolis spectassent, hoc si decretum non fuisset. Exigua mihi reipublicæ commoda servanda erant, summa rerum quod isti fecerunt vendenda? Minime vero. Cape igitur decretum hoc et recita, quod iste cum probe nosset præterivit. Recita.

DECRETUM.

Archonte Mnesiphilo, Hecatombæonis die trigesimo, tribu Pandionia præsidente, Demosthenes Demosthenis f. Pæaniensis retulit: Quoniam Philippus, missis de pace legatis, rata percussit fœdera cum populo Atheniensi, placere senatui populoque Atheniensi, quo pax suffragiis populi in prima concione probata conficiatur, legatos ex omnibus Atheniensibus deligi quinque: eosque populi suffragiis approbatos nulla mora interposita eo proficisci, quoquo loco Philippum esse audierint, et jusjurandum ab eo primo quoque tempore accipiant vicissimque dent super fœderibus quæ inter

illum et populum Atheniensem convenerunt, eodem etiam *fœdere* comprehensis utrorumque sociis. Legati delecti sunt Eubulus Anaphlystius, Æschines Atrometi f. Cothocides, Cephisophon Rhamnusius, Democrates Phlyensis, Cleon Cothocides.

10. Hæc cum ego tum decrevissem, reipublicæ non Philippi utilitatem spectans, parum soliciti boni isti legati tres totos menses in Macedonia consederunt, usque eo dum Philippus e Thracia veniret, omnibus illic rebus eversis, cum decem diebus, vel triduo potius aut quatriduo liceret in Hellespontum pervenire et loca illa servare, jurejurando prius exacto quam ab illo expugnarentur. Non enim attigisset ea nobis præsentibus, aut jusjurandum ab eo non accepissemus, ita pace certe decidisset nec utraque simul tenuisset, et pacem et loca. Primus igitur in hac legatione Philippi quidem dolus, hominum vero istorum injustorum et diis invisorum mercatus improbus talis exstitit, propter quem et illo tempore et nunc et in æternum profiteor me cum istis pugnare et inimicitias gerere.

11. Jam aliud statim longe illo gravius flagitium animadvertite. Posteaquam jurejurando pacem firmavit Philippus, occupata prius Thracia istorum culpa qui decreto meo non paruissent, rursum ab iis pretio mercatur, ut ne decederent ex Macedonia, donec ea quæ ad expeditionem pertinebant contra Phocenses *susceptam* instructa habuisset, ne, si vobis isti renuntiassent eum parare se et brevi tempore profecturum, exiretis ipsi circumactisque triremibus ad Pylas navigantes Porthmum ei quemadmodum antea intercluderitis, sed ut simul hæc renuntiantibus istis vos audiretis, simul ille intra Pylas ingressus esset, vosque nihil quicquam agere possetis. Tanto autem in timore erat tamque vehementer æstuabat Philippus, ne, etiamsi hæc præoccupasset, vos antequam Phocenses periissent audita re mittendum iis auxilium decerneretis atque ita res sibi de manibus elaberentur, ut iterum impurissimum hunc conducit, non jam communiter cum cæteris legatis sed ipsum separatim, quo ea vobis diceret ac renuntiaret, per quæ omnia perierunt.——

12. Oro autem vos, Athenienses, atque obtestor, ut per totum hoc judicium memineritis, si nihil Æschines extra causam criminatus esset, me quoque nullum *ab hac* alienum verbum fuisse facturum, sed cum iste omnia crimina et maledicta coacervarit, necesse quoque mihi est ut ad singulas criminationes pauca respondeam.—Quænam igitur illius verba tum fuerunt per quæ perierunt omnia? Non esse tumultuandum, propterea quod Philippus esset intra Pylas progressus: omnia enim vobis ex animi sententia processura, si modo quiescatis, atque intra biduum vos aut triduum audituros, quorum hostis venisset, iis amicum, contra, quibus amicus, iis hostem esse factum. Neque enim verbis aiebat amicitias confirmari, graviter et magnifice pronuntians, sed utilitatum communione: ex-

pedire autem et Philippo et Phocensibus et vobis pariter omnibus stupore et importunitate Thebanorum liberari. Hisce quidam libenter tunc aures advertebant propter odium illud in Thebanos quod nobis illo tempore clam insedit. Sed quid deinceps recta consecutum est, non longo post tempore? Ut miseri Phocenses interirent et urbes eorum delerentur, vos dum quiescitis istique obtemperatis paulo post vasa ex agris comportaretis, iste aurum acciperet: ad hæc etiam ut Thebanorum et Thessalorum odium ad civitatem nostram, rerum gestarum gratia ad Philippum, deveniret. Atque ut hæc ita esse constet, recita mihi et Callisthenis decretum et epistolam Philippi, utrisque enim perlectis hæc omnia plana vobis fient. Recita.

DECRETUM.

Archonte Mnesiphilo, concione extra ordinem a Strategis convocata, de sententia Prytanum ac senatus, XXI die Mæmacterionis, Callisthenes Heteonici f. Phalereus retulit: Nequis Atheniensium ullo de prætextu in agro pernoctet, sed in urbe et Piræeo *maneant*, qui non in præsidiis dispositi sunt: horum autem, quem quisque locum nactus est, eum tueatur, neque interdiu aut noctu absit. Quicunque huic decreto non paruerit, proditorum pœnas luat, nisi se necessitate aliqua inevitabili deprehensum esse ostendat: de ea autem necessitate cognoscat Strategus qui peditatui præest et quæstor et scriba senatus. Deferantur omnia ex agris quam primum, quæcunque intra CXX stadia sunt in urbem et Piræeum, quæ ultra CXX stadia in Eleusinem et Phylam et Aphidna et Rhamnuntem Suniumque. Dixit Callisthenes Phalereus.

Nunquid vos hac spe pacem faciebatis, ut hæc vobis pollicebatur iste mercenarius? Recita nunc epistolam eam, quam his peractis misit ad nos Philippus.

EPISTOLA PHILIPPI.

Rex Macedonum Philippus senatui populoque Atheniensi S. Scitote nos intra Pylas esse progressos, et Phocidem subegisse, quæque sponte deditionem fecerant, in iis oppidis præsidia locavimus, quæ autem cedere noluerunt vi cepimus civibusque in servitutem redactis solo æquavimus. Cum autem audirem vos quoque auxilium iis parare, scripsi jam ad vos, ne diutius ea de re laboretis. Ad summam enim nihil mihi moderate facere videmini, qui cum pacem pepigeritis nihilominus in aciem descendatis, idque cum Phocenses in communi nostro fœdere non sint comprehensi: quare si conventis manere nolitis, nulla re alia me antevertetis nisi auspicandis injuriis.

13. Auditis quam luculente in hac ad vos epistola sociis suis ostendat ac declaret, ut hæc ego feci invitis Atheniensibus et ægre ferentibus, quare si vos sapitis, o Thebani et Thessali, eos quidem in hostium numero ducetis, mihi vero fidem habebitis, non utique ipsis illis verbis scripsit, sed ita significare voluit. His igitur rebus captos illos eo perpulit ut nihil deinceps providerent, nihil præsentirent, sed eum omnia in suam redigere potestatem paterentur: unde infelices Thebani in has calamitates inciderunt. Atque hujus fidei

apud illos comparandæ administer atque adjutor, qui falsa hæc renuntiavit et fucum vobis fecit, is est qui Thebanorum nunc luget infortunia quamque ea miserabilia sint exponit, cum et horum et eorum quæ Phocensibus acciderunt et omnium denique quæcunque Græci pertulerunt malorum ipse auctor exsistat. Scilicet enim, Æschine, tu propter casus illos angeris et Thebanorum vicem doles, qui possessiones teneas in Bœotia et illorum agros colas, ego vero lætor, qui statim ad supplicium deposcebar ab eo qui hæc effecerat.

14. Sed in eam orationem incidi, qua me post paulum uti fortasse multo magis conveniet: revertor itaque ad probandum, istorum corruptelas et injusta facinora earum in quibus nunc versamur rerum esse causas. Nam postquam vos a Philippo circumventi estis istorum opera, qui se in legationibus mercede locaverant nihilque veri vobis renuntiarant, decepti autem simul sunt et miseri Phocenses eorumque urbes deletæ, quid factum est? Contemptissimi Thessali et vecordes Thebani amicum, patronum, servatorem Philippum ducebant: instar omnium is illis erat: et ne vocem quidem ejus sustinebant, qui aliud quippiam vellet dicere. Vos autem, quamvis ea quæ fiebant suspecta haberetis et iniquo animo ferretis, pacem tamen servabatis: neque enim erat quod efficere poteratis soli. Græci quoque reliqui, consimili vobiscum ratione decepti et sua spe frustrati, pacem libenter servabant, tametsi essent ipsi quodammodo jamdudum bello lacessiti. Cum enim quoquoversum grassans Philippus Illyrios et Triballos, nonnullus etiam Græcorum subigeret, multasque et magnas copias suo subjiceret imperio, et nonnulli pacis auctoritate freti ex civitatibus illuc profecti corrumperentur, quorum unus hic fuit, tunc *inquam* omnes, contra quos hæc ille comparabat, bello lacessebantur. Quod si non animadvertebant, alia hæc disceptatio est, nihilque ad me pertinet. Ego enim prædicebam et testificabar, tum apud vos semper tum quocunque missus essem: civitates autem ægrotabant, dum hinc magistratus rebusque gerendis præfecti munera captarent ac pretio corrumperentur, illinc privati et multitudo partim futura non providerent, partim quotidiana indulgentia et otio inescarentur, denique sic omnes essent affecti, ut ad se quidem solos malum non accessurum singuli existimarent, sed alienis periculis res suas in tuto se collocare posse crederent. Itaque multitudini opinor hoc usu venit, ut pro infinita illa et intempestiva desidia libertatem amitteret: principibus vero quique se cætera præter seipsos vendere putabant, ut ipsi sese primos omnium venditos esse sentirent. Etenim pro amicis atque hospitibus, quæ tum nomina, cum muneribus corrumpebantur, accipiebant, nunc assentatores et diis invisi et cætera id genus omnia, quibus digni sunt, audiunt.

15. Jure: nemo enim, Athenienses, quo proditoris utilitati consulat pecuniam insumit, neque postquam iis quæ redemit potitus sit, de iis quæ supersunt proditorem in consilium adhibet; sic enim

nihil esset proditore beatius. Verum non ita est, non. Qui potest? multum certe abest. Sed simulatque is qui imperium affectat rerum fit dominus, etiam eorum dominus fit qui ista vendiderunt, perspecta autem illorum improbitate tum vero, tum illos et odit et suspectos habet et contumelia vexat. Rem vobiscum reputate: etenim si ipsarum rerum tempus præterierit, at eas cognoscendi tempus nunquam non adest cordatis. Tantisper Lasthenes amicus Philippi nominabatur, dum Olynthum prodidisset: tantisper Timolaus, dum Thebas pessundedit: tantisper Eudicus et Simus Larissæi, dum Thessaliam Philippo subjecerunt. Deinde, cum ejicerentur et contumeliis exagitati essent et nihil non subirent mali, universus terrarum orbis completus est proditoribus. Quid Aristratus Sicyone, et quid Megaris Perilaus? non viles atque abjecti? Ex quibus evidentissime cuivis videre licet, qui patriam suam defendit maxime quique istis plurimum adversatur, eum vobis, Æschine, proditoribus ac mercenariis unde pretium accipiatis suppeditare, et, quod id genus multi sint et vestris consiliis refragentur, vos salvos esse ac mercede auctos, nam quantum in vobis quidem ipsis fuit jamdudum periissetis.

16. Ac de iis profecto quæ tum gesta sunt tametsi multo plura habeam dicere, hæc tamen nimis multa dicta esse puto. Cujus rei iste culpam sustinet, qui suæ improbitatis suorumque flagitiorum veluti hesternam crapulam in me evomuit, quam necesse fuit apud vos qui rebus illis juniores estis eluere. Vos autem fortasse estis interturbati, qui prius etiam quam verbum ego ullum facerem venalem istius operam noveratis. Quam tamen ipse amicitiam et hospitium nominat, atque nunc alicubi dixit i s q u i m i h i A l e x a n d r i h o s p i t i u m e x p r o b r a t. Ego tibi hospitium Alexandri? unde consecuto aut quinam merito? Nec Philippi amicum neque Alexandri hospitem ego te appellarim, non ita insanio, nisi forte messores aliique qui suas operas mercede locant amici atque hospites sunt appellandi eorum a quibus conducti sunt. Verum non ita est, non. Qui enim? multum certe abest. At mercenarium ego te sicut antea Philippi, ita nunc Alexandri dico, et hi etiam omnes. Si dubitas, interrogato eos. Quin egomet pro te hoc faciam. Utrum vobis, Athenienses, mercenarius Æschines an hospes esse Alexandri videtur? Audis, quid dicunt. Nunc igitur isti de accusatione respondere volo simulque res meas gestas exponere, ut quanquam pernorit Æschines, audiat tamen, quas ob causas ego me non iis tantum quæ a senatu decreta sunt, verum etiam longe majoribus præmiis dignum esse contendam. Sume igitur ipsius accusationis libellum, et recita.

ACCUSATIO.

17. Archonte Chæronda, sexto die mensis Elaphebolionis, Æschines Atrometi f. Cothocides judicium de decretis legibus adversis ad Archontem detulit in Ctesiphontem Leosthenis f. Anaphlystium, quod decretum contra leges tulit, *nempe* ut Demosthenes Demosthenis f. Pæaniensis aurea corona donaretur, et in theatro Dionysiis magnis novis agentibus tragœdis prædicaretur, d o n a r i a p o p u l o D e m o s t h e n e m D e m o s t h e n i s f. P æ a n i e n s e m a u r e a c o r o n a v i r t u t i s e r g o b e n e v o l e n t i æ q u e, q u a m p e r p e t u o h a b e t t u m i n G r æ c o s u n i v e r s o s t u m i n p o p. A t h e n i e n s e m, a t q u e f o r t i t u d i n i s, e t q u o d n u n q u a m n o n o p e r a m d e d i t i i s a g e n d i s d i c e n d i s q u e q u æ s u n t p o p u l o u t i l i s s i m a, e t p r o p e n s o a n i m o s i t a d q u a n t u m v i s b e n e f i c i u m p r o v i r i l i p r æ s t a n d u m—: quæ omnia falsa scripsit et legibus contraria, cum legibus cautum sit primum ne falso scripta in tabulas publicas deferantur, deinde ne quis ante relatas rationes coronetur: est autem Demosthenes curator muris reficiendis et theatrali pecuniæ præfectus: adhuc etiam ne coronæ prædicatio fiat in theatro Dionysiis tragœdis novis, sed siquem senatus corona donet, in curia de eo prædicandum esse, sin civitas, in Pnyce in concione. Mulcta talenta quinquaginta. Testes citationis Cephisophon Cephisophontis f. Rhamnusius, Cleon Cleonis f. Cothocides.

18. Quæ in decreto isto exagitat, Athenienses, hæc sunt. Ego vero ex hisce primum ipsis planum me vobis facturum confido, quod in omnibus sim justa defensione usurus. Servato enim eodem ordine quem ipse in iis quæ contra me scripsit *secutus est*, de omnibus deinceps sigillatim dicam nihilque sciens præteribo. Quod igitur scripsit *Ctesiphon* perpetuo me quæ populo utilissima sunt et dicere et agere animoque esse propenso ad quantum in me situm sit boni præstandum, meque super his laudaverit, eorum ego censeo in meis publice gestis rebus positam esse disceptationem: his enim diligenter examinatis compertum erit, verane sint atque idonea quæ de me scripsit Ctesiphon, an vero falsa. Quod autem decreto illud non adscripsit coronandum esse eum p o s t q u a m r a t i o n e s r e t u l e r i t, quodque coronam in theatro prædicari jussit, etiam hoc ad ea quæ in rep. gessi puto pertinere, utrum scilicet corona et præconio inter cives *faciendo* dignus necne sim: deinde leges mihi proferendas esse existimo, per quas scribere hæc licuerit Ctesiphonti. Atque istiusmodi quidem defensionem, Athenienses, simplicem ac legitimam facere constitui, aggrediar autem primum ad ea, quæ gessi.—Neque me quisquam existimet abducere sermonem ab accusatione, si in Græcanicas res gestas et orationes incidero. Nam qui eam decreti partem insectatur in qua me optima dicere atque agere scriptum est, quique hæc tanquam falsa judicio prosequitur, is ipse est qui hanc de omnibus meis in rep. institutis rebusque gestis orationem et accusationi convenientem fecit et necessariam. Deinde cum multa sint in rep. administranda ministeria, illud ego secutus sum quod ad Græcanicas res pertinebat: ex iis ergo probationes meas æquum est ut deducam.

19. Quæ igitur priusquam ego ad remp. accessi et verba pro concione feci præoccuparat ac detinuerat Philippus, prætermittam; nihil enim istorum ad me abitror attinere: quæ autem posteaquam

ad res gerendas me contuli prohibitus est ille a me facere, ea vobis in memoriam revocabo eorumque rationem proferam, si prius hoc subjecero. Commodum, Athenienses, permagnum aderat Philippo. Apud Græcos enim, non hos tantum aut illos, sed peræque universos, seges proditorum et largitionibus inhiantium et diis invisorum hominum enata fuit tanta, quanta post hominum memoriam nulla unquam exstiterat. Quos Philippus administros ac adjutores nactus, Græcos, antea inter se male animatos et dissidentes, ad pejorem etiam statum adegit, dum alios falleret, aliis largiretur, alios omni ratione corrumperet, multasque in factiones eos distraxit, quibus hoc unum expediebat omnibus, ne ille cresceret prohibere. In hoc igitur rerum statu et in summa ignoratione adnati jam latiusque serpentis mali cum Græci omnes versarentur, vestrum est, Athenienses, vobiscum reputare, quid agere quidque efficere decuerit civitatem, et earum rerum a me rationem reposcere: nam qui in hoc se reip. gubernandæ loco collocavit is ego sum.

20. Utrum eam conveniebat, Æschine, elationem illam animi deponentem suæque amplitudinis *oblitam*, in eodem atque Thessalos Dolopesque *positam* numero una Philippum adjuvare Græcorum dominatum affectantem, majorumque suorum decora atque jura abolere? An id quidem non facere—grave enim mehercule hoc fuisset—, sed quæ futura, nisi quis prohiberet, videbat, et multo ante, ut verisimile est, præsentiebat, ea ne acciderent haud quicquam laborare? Atqui libenter quidem ex eo qui res meas gestas vel maxime reprehendit quæsierim, quam tandem sectam civitatem nostram esse velit secutam, an illam quæ communiter *cum Philippo* malorum omnium ac dedecorum Græcis causa exstitit, in qua Thessalos eorumque socios annumerare possis, an illam quæ hæc fieri passa est ac neglexit privatarum suarum opum amplificandarum spe, quo in loco Arcadas et Messenios et Argivos ponamus? Sed et multi horum, imo vero omnes pejus quam nos discesserunt. Enimvero si statim, ut vicit Philippus, abiisset ac deinde otium egisset, nemini neque ex sociis suis neque ex cæteris Græcis uspiam allata injuria, essent tamen ii qui conatibus illius non restiterant aliqua ex parte culpa et accusatione digni: sed si peræque omnibus dignitatem, principatum libertatem, immo etiam et reip. suæ formam quibuscunque potuit, ademit, nonne vos omnium gloriosissimo usi estis consilio qui mihi paruistis? Sed illuc revertor.

21. Quid civitatem nostram, Æschine, tum facere conveniebat, cum Philippum videret principatum sibi in Græcos ac regnum comparantem? aut quid me consiliarium dicere aut decernere oportebat Athenis—nam hoc plurimum refert—, qui sciebam ab omni memoria ad eum usque diem, quo die ego in suggestum adscendi, semper de principatu honoreque ac gloria patriam decertasse, pluresque viros et majorem pecuniarum vim consumpsisse pro studio laudis omniumque Græcorum utilitatibus, quam cæteri Græciæ populi pro se quique impenderunt: videbam autem Philippum illum, quocum nobis erat certamen, pro imperio ac dominatione oculo sibi effosso, jugulo confracto, manu, crure comminuto, omnem quamcunque sibi fortuna vellet corporis auferre partem, facile et libenter abjicere, ut cum eo quod restaret honorate et gloriose vitam traduceret. Atqui ne hoc quidem quisquam dicere audeat, homini Pellæ educato, in oppido obscuro tunc temporis ac pusillo, tantam animi magnitudinem rite innasci potuisse, ut imperium Græcorum concupisceret atque hoc in animum induceret: vobis qui Athenienses estis, quique quotidie in omnibus et concionibus et spectaculis majorum vestrorum monumenta contuemini, tantam ignaviam inesse *oportuisse*, ut Græcorum libertatem ultro sponte dederitis Philippo. Nemo *inquam* hæc dixerit. Reliquum igitur erat atque idem necessarium, ut iis omnibus quæ ille contra vos moliebatur injuria vos juste obsisteretis. Ergo hoc quidem faciebatis ab initio vos, ut æquum erat et decebat, decernebam autem et suadebam ego quibus temporibus in republica versabar. Fateor.

22. At quid me facere oportebat? Te enim ipsum jam interrogo, reliqua omnia prætermittens, Amphipolim, Pydnam, Potidæam, Halonesum; nihil horum memini: Serrium vero et Doriscus et Peparethi depopulatio et quæcunque alia id genus civitati in injuriam cesserint, ne si exstiterint quidem novi. Et tamen tu me horum commemoratione inimicitias huic populo concitasse dixisti, cum ea quæ ad has res pertinent decreta sint Eubuli et Aristophontis et Diopithis, non mea, o ad dicendum quicquid tibi libeat omnium hominum promptissime! Nihil igitur de his nunc quicquam dicam. Verum ille qui Eubœam sibi vendicabat aggeremque Atticæ oppugnandæ exstruebat, quique Megaras adortus est, et Oreum occupavit, Porthmumque effodit, quique Philistidem Oreo, Clitarchum Eretriæ, tyrannos imposuit, quique Hellespontum sub ditionem suam subjunxit, et Byzantium obsedit, quique urbes Græciæ alias funditus evertit, in alias exsules reduxit, utrum is qui hæc omnia patravit injuriam fecit et fœdera dirupit et pacem violavit, necne? Utrum porro Græcorum aliquem exoriri oportebat qui hæc eum facere prohiberet, an non? Nam si non oportebat, quin Græciam Mysorum quam vocant prædam, viventibus et stantibus Atheniensibus, videri *decuit*, supervacaneam ego operam suscepi cum his de rebus dixi, supervacaneam quoque civitas quæ consilio meo paruit, fuerint denique scelera omnia et errata quæcunque gesta sunt mea: sin autem aliquem esse opus erat qui hæc prohiberet, quem alium quam populum Atheniensem fuisse conveniebat?

23. Hæc igitur ego tum publice gerebam, et cum illum omnium

mortalium libertati imminere viderem ego contra obnitebar, ac prædicere monereque perseverabam ne hæc Philippo proderetis. Atqui pacem ille cum navigia caperet violavit, non hæc civitas, Æschine. Profer autem ipsa decreta et epistolam Philippi, et ex ordine recita: his enim perpensis, cui quæque res sit imputanda, perspicuum fiet. Recita.

DECRETUM.

Archonte Neocle, mense Boedromione, concione extraordinaria a Strategis convocata, Eubulus Mnesithei f. Cyprius retulit: Quoniam Strategi in concione renuntiarunt, Leodamantem navarchum cum viginti navigiis quæ frumenti deportandi causa missa sunt cum eo in Hellespontum, ab Amynta Philippi imperatore in Macedoniam deductum esse atque ibi in custodia teneri, *placere* ut Prytanes et Strategi dent operam, ut cogatur senatus, legatique ad Philippum deligantur, qui cum ad eum pervenerint, agant cum eo de dimittendo navarchoque et navibus et militibus. Et si per imprudentiam fecit hæc Amyntas, nihil de eo queri *dicant* populum Atheniensem: sin aliquid præter mandata inique molientem *navarchum* deprehenderit, Athenienses re cognita pro negligentiæ ipsius modo in eum animadversuros. Quod si neutrum horum sit, sed privatim fidem violat vel is qui *naves* misit vel is qui missus est, *petant* ut de hoc quoque ad nos scribat *Philippus*, ut populus cum hæc cognoverit quid facto opus sit deliberet.

Hoc igitur decretum Eubulus fecit, non ego, alterum vero quod sequitur Aristophon, deinde aliud Hegesippus, aliud rursus Aristophon, deinde Philocrates, tum Cephisophon, post alii omnes, ego vero his de rebus nihil. Recita decretum.

DECRETUM.

Archonte Neocle, Boedromionis die ultimo, de sententia senatus, Prytanes et Strategi sententias rogarunt, postquam ea quæ in concione acta sunt renuntiassent, populo *scilicet* placere ut legati ad Philippum de navibus recuperandis deligantur, iisque *ad illum* mandata dentur et decreta in concione lata. Lecti sunt hi, Cephisophon Cleonis f. Anaphlystius, Democritus Demophontis Anagyrasius, Polycritus Apemanti Cothocides. Præsidente tribu Hippothoontide, Aristophon Collyteus proedrus dixit.

Quemadmodum igitur ego hæc decreta profero, ita et tu ostende, Æschine, quonam ego decreto scripto belli auctor fuerim. At non potes: si enim posses, nihil illo prius jam protulisses. Atqui ne Philippus quidem belli culpam in me confert, cum alios insimulet. Recita autem ipsam Philippi epistolam.

EPISTOLA PHILIPPI.

Rex Macedonum Philippus senatui populoque Atheniensi S. Venerunt ad me legati vestri, Cephisophon et Democritus et Polycritus, egeruntque mecum de navibus dimittendis, quibus præerat Leodamas. Ad summam igitur magnopere mihi desipere videmini, si quidem clam me esse existimatis, naves istas per speciem frumenti ex Hellesponto in Lemnum exportandi missas fuisse, at revera ut Selymbrianis qui a me obsidentur, nec in communibus amicitiæ nostræ fœderibus continentur, auxilium ferrent. Atque hæc navarcho mandata sunt absque populi Atheniensis auctoritate, a

quibusdam utique magistratibus aliisque, qui nunc quidem privati sunt, cupiunt autem vehementer ut dirupta quæ nunc mihi cum eo intercedit amicitia bellum populus instauret, idque ut fiat multo majore studio contendunt quam ut Selymbrianis opitulentur. Eamque rem sibi quæstui fore existimant: verum ego non arbitror nec mihi nec vobis id quicquam profuturum. Quamobrem et navigia quæ ad nos delata sunt vobis iterum remitto, ac in posterum si quidem magistratus vestros remp. malitiose administrare non sinetis, quin in eos animadvertetis, ego quoque paci conservandæ operam dabo. Valete.

24. Nusquam hic Demosthenis nomen posuit, nullam in me culpam injecit. Cur igitur, cum alios criminetur, nullam de meis rebus gestis mentionem fecit? Quia de suis *in nos* injuriis mentionem fecisset, si quid de me scripsisset. His enim ego inhærebam, hisque adversabar. Ac primum illam in Peloponnesum legationem decrevi, quo tempore is in Peloponnesum irrepsit: deinde alteram in Eubœam, cum Eubœam attentavit: expeditionem deinde in Oreum, non jam legationem, atque alteram in Eretriam, posteaquam tyrannos iste in his urbibus constituerat. Postremo classes eas omnes immisi, quibus et Chersonesus et Byzantium et socii omnes sunt conservati. Unde vobis pulcherrima illa nata sunt, laudes, gloria, honores, coronæ, gratiæ ab iis qui beneficium a vobis acceperant: eorum autem quibus *is* injuriam faciebat, si qui vobis paruerunt, salutem adepti sunt, qui autem neglexerunt, *hoc sunt consecuti* ut et ea quæ prædixeratis sæpe recordarentur, vosque non solum optime sibi voluisse sed et prudentes viros et vates fuisse judicarent; omnia enim quæcunque iis prædixistis, evenerunt.

25. Atqui magno empturum fuisse Philistidem, ut Oreum teneret, magno Clitarchum, ut Eretriam possideret, magno Philippum ipsum, ut hæc contra vos præsidia haberet, nec de cæteris rebus coargueretur, neu quis in eas quas faciebat injurias usquam inquireret, nemo est qui ignorat, omnium vero minime tu: legati enim qui tum a Clitarcho et Philistide huc veniebant, apud te, Æschine, diversabantur, tuque illos hospitio publico excepisti; quos civitas *nostra* tanquam hostes et neque justa neque utilia suadentes ejecit, at tibi erant amici. Nihil igitur horum factum est, o mei maledice insectator, qui dicis, me accepto munere tacere, consumpto vociferari. Tu vero non item, sed et tum vociferaris cum habes, et nunquam desines, nisi hi tibi vocem compresserint, infamia hodierno die notato.

26. Cum igitur propter has causas vos me tum corona donassetis, scripsissetque Aristonicus decretum iisdem plane syllabis, quibus nunc utitur Ctesiphon, cumque coronæ prædicatio facta esset in Theatro, atque hoc secundum mihi jam obtigerit præconium, neque tum contradixit Æschines, cum præsto esset, neque eum qui

decretum fecerat in judicium vocavit. Ac mihi hoc quoque decretum cape et recita. Recita.

DECRETUM.

Archonte Chæronda Hegemonis f., xxv. die Gamelionis, tribu præsidente Leontide, Aristonicus Phrearrhius dixit: Quoniam Demosthenes Demosthenis f. Pæaniensis multas et magnas populo Atheniensi utilitates attulit, multisque *ejusdem populi* sociis et antea et hoc item tempore suis decretis profuit, atque aliquas Eubœæ civitates liberavit, quoniam denique perpetuam erga pop. Atheniensem benevolentiam præstat, et tum dicendo tum agendo quantum potest ipsis Atheniensibus et aliis Græcis consulit, placere senatui populoque Atheniensi ut Demosthenes Demosthenis f. Pæaniensis laudibus ornetur atque aurea corona coronetur, ejusque coronæ prædicatio fiat in theatro Dionysiis tragœdis novis: prædicationis autem curam habeat præsidens tribus et certaminum præfectus. Dixit Aristonicus Phrearrhius.

Estne igitur quisquam vestrum qui civitatem hanc dedecore aliquo affectam, aut ludibrio habitam aut derisam, propter hoc decretum esse sciat, quæ iste modo futura esse dicebat, si ego corona donatus fuero? Atqui cum recentia adhuc omnibusque nota sint facinora, si recte fuerint gesta, gratiam consequuntur, sin aliter, pœnam. Mihi vero gratiam tum relatam fuisse constat, non culpam aut supplicium.

27. Quare usque ad illa tempora, quibus hæc gesta sunt, in confesso est me omni tempore civitati optime consuluisse, quod cum deliberabatis vos, sive dicerem quid sive decernerem pervici, quod decreta mea peracta sunt, coronæque ex iis civitati et mihi et vobis omnibus comparatæ, quod vos sacrificia diis et supplicationes pro rebus istis tanquam faustis et utilibus fecistis. Postquam igitur depulsus est ex Eubœa Philippus, armis quidem a vobis, consiliis autem in rep. gerenda et decretis, disrumpantur licet istorum quidam, a me, alteram civitatis nostræ oppugnandæ viam quærebat. Cum igitur videret nos majore quam reliqui omnes mortales frumenti copia uti aliunde importati, rei frumentariæ exportandæ potestatem concupivit, progressusque in Thraciam a Byzantiis, sociis suis, primo quidem petivit ut conjunctis copiis una secum bellum vobis inferrent: quod cum illi recusarent, negarentque se his conditionibus cum eo societatem inivisse, vera prædicantes, urbem iste vallo circumjecto machinisque admotis oppugnabat. Hæc cum fierent, quid nos facere conveniret, non jam quemquam interrogabo; perspicuum enim est omnibus: at quis fuit qui Byzantiis opem tulit quique eos servavit? quis prohibuit ne Hellespontus temporibus illis a nobis alienaretur? Vos, Athenienses. Vos autem cum dico, rempublicam dico. Quis vero pro republica dicebat, decernebat, agebat, se denique totum rebus gerendis minime sibi parcens offerebat? Ego. Atenim quantum hæc omnibus profuerint, non jam vos

oportet verbis edoceri, cum re sitis experti: bellum enim quod tum susceptum est, præterquam quod magnam vobis gloriam comparavit, fecit ut omnia quæ ad vitam degendam necessaria sunt et largiori copia et viliori pretio vobis suppeterent quam in hac pace, quam isti contra patriam tuentur egregii cives spe quadam futurorum adducti, qua utinam frustrentur, neque earum rerum sint participes quas vos optima studia prosecuti a diis expetitis, neque vobis ea impertiant quæ sibi ipsi elegerunt. Recita vero illis Byzantiorum et Perinthiorum coronas, quibus propter hæc civitatem nostram ornaverunt.

DECRETUM BYZANTIORUM.

Hieromnemone Bosporicho Damagetus in concione verba fecit, de senatu rogationem ferens: Quoniam populus Atheniensis cum superioribus temporibus perpetuam erga Byzantios sociosque et cognatos Perinthios, benevolentiam habuit et multa magnaque officia præstitit, tum etiam hoc tempore, cum Philippus Macedo huic agro atque urbi bellum inferret eo animo ut Byzantios et Perinthios funditus deleret, cumque agros incendio et succisis arboribus vastaret, missis in auxilium nostrum centum et viginti navibus cum frumento et armis virisque, magnis nos periculis liberavit, et antiquum nobis reipublicæ statum restituit et leges et sepulcra majorum, placeat ergo populo Byzantio et Perinthio, dare Atheniensibus jus matrimonii nobiscum contrahendi, civitatis communionem, agrorum domuumque possidendorum potestatem, principem in certaminibus locum, ingressum in senatum et in concionem primis omnium post peracta sacrificia, tum si qui volent in hac urbe domicilium collocare iis immunitatem dari omnium functionum imperatarum: statuas autem tres sexdecim cubitorum in Bosphoricho poni, *quæ significent* populum Atheniensem a populo Byzantio et Perinthio coronari: mitti autem theorias ad celebres totius Græciæ conventus, Isthmia, Nemea, Olympia, Pythia, ibique prædicari coronas, quibus populus Atheniensis a nobis est donatus, ut perspecta sit Græcis omnibus tum Atheniensium virtus tum Byzantiorum Perinthiorumque gratus animus.

Recita et coronas a Cherrhonesitis donatas.

DECRETUM CHERRHONESITARUM.

Cherrhonesitæ quotquot Sestum, Eleuntem, Madytum, Alopeconnesum incolunt, senatum populumque Atheniensem donant aurea corona talentûm LX. atque aram Gratiæ et Populo Atheniensi statuunt; quod Cherrhonesitis bonum bonorum omnium summum conscivit, ereptis iis ex Philippi manibus, et patria, legibus, libertate, sacris restitutis. Neque unquam per secula futura ei gratias agere et quacunque ratione poterunt bene de eo mereri desinent. Hæc decreverunt in communi concilio.

Itaque non solum ut Chersonesus et Byzantium servarentur, Hellespontus eo tempore in Philippi potestatem ne veniret, nostra civitas his de causis honore afficeretur, mea instituta meaque reip. administratio perfecerunt, sed etiam omnibus mortalibus perspicuam reddiderunt civitatis nostræ probitatem et Philippi malitiam. Namque is, Byzantiorum amicus cum esset et socius, eos tamen oppugnare ab omnibus conspiciebatur, quo quid turpius aut sceleratius

esse possit? vos qui multa et quidem merito de illis queri poteratis propter ea quæ superioribus temporibus in vos deliquerant, non modo præteritas injurias non recordari neque homines injuria læsos deserere sed etiam conservare cernebamini: ex quibus gloriam, benevolentiam, honorem apud omnes estis assecuti. Atqui multos jam ex iis qui in republica versati sunt coronis esse a vobis donatos, norunt omnes: cujus vero alius opera civitas ipsa coronam consecuta sit, consiliarii inquam et oratoris, præterquam mea, nemo est qui proferre queat.

28. Ut igitur et maledicta, quæ iste in Eubœos et Byzantios effutiit, cum siquid forte asperius ab illis contra nos actum sit commemorabat, meras esse calumnias ostendam, non eo solum quod falsa sunt—hoc enim scire jam vos existimo—, sed quod, ut maxime vera essent, tamen ita ut ego eas moderatus sum res tractari utilissimum fuit, unum atque alterum quæ apud vos cum reipublicæ gloria gesta sunt volo exponere, atque ea paucis. Nam et unumquemque privatim et civitatem oportet publice ad præclarissima quæ sibi exstant exempla reliquas semper actiones conari dirigere. Vos igitur, Athenienses, cum Lacedæmonii terra marique dominarentur, totamque Atticam præfectis ac præsidiis undequaque obsessam tenerent, Eubœam, Tanagram, Bœotiam omnem, Megaram, Æginam, Cleonas, cæteras insulas haberent, cum civitati nostræ non mœnia non naves essent, ad Haliartum egressi estis iterumque non multis post diebus ad Corinthum, quo tempore multas quidem injurias ii qui tum vivebant Athenienses recordari et objicere possent tum Corinthiis tum Thebanis ob ea quæ bello Decelico admiserant: sed non ita fecerunt, quin multum abfuit. Atque hoc utrumque, Æschine, neque pro bene de se meritis faciebant neque ea periculo vacua esse cernebant. At non idcirco tamen deserebant eos qui ad se confugerant, quin pro gloria et honore in discrimina se objicere cupiebant, recto et pulcherrimo usi consilio. Namque omnibus hominibus vitæ terminus mors est, vel si cavea quis se ipse conclusum teneat: viros vero fortes honesta semper aggredi oportet, spem ante se bonam proponentes, subire autem quodcunque deus dederit generose. Hæc faciebant vestri majores, hæc qui inter vos ætate estis grandiores, qui Lacedæmonios, neque amicos neque bene de vobis meritos, quin multarum et gravium in civitatem nostram injuriarum auctores, postquam Thebani victoriam in Leuctris consecuti de medio tollere conati sunt, obstitistis, non robore gloriaque illa qua tum florebant Thebani perterriti, neque pro quibus hominibus et qualia post ab iis admissa facinora periculum essetis adituri reputantes. Itaque his factis Græcis omnibus declarastis, vos, siquis eorum in vos quantumvis graviter deliquerit, iracundiam adversus eum aliis in rebus retinere, sin aliquod in discrimen salutis aut libertatis venerint, neque injuriarum vos memores futuros neque rationem habituros.

29. Neque vero in his solum rebus eo animo fuistis, sed cum sibi iterum Thebani Eubœam vendicarent, non neglexistis, neque injuriarum quas a Themisone et Theodoro de Oropo acceperatis estis recordati, sed his quoque succurristis, quo primum tempore trierarchi voluntarii civitati exstiterunt, quorum unus ego fui. Sed nondum de his. Præclare quidem fecistis cum insulam servaretis, multo autem præclarius facinus præstitistis quod cum et virorum et urbium compotes essetis iis qui vos læserant utraque reddidistis, nulla injuriarum acceptarum cum fides vobis haberetur ratione ducta. Sexcenta utique alia quæ commemorare possum prætermitto, pugnas navales, expeditiones pedestres, militias, tum superiori tempore tum vestra etiam memoria comparatas, quas omnes pro communi Græcorum aliorum libertate ac salute civitas hæc suscepit. Cum igitur animadvertissem civitatem nostram in tantis talibusque certaminibus pro alienis commodis implicari velle, cum de seipsa quodammodo consultum esset, quid ego ei suadere debui quidve consilii exhibere? Injurias scilicet ut recordaretur in eos qui servari cupiebant, utque excusationes quæritaret, quibus communia commoda proderemus. Et quis me non merito necaverat, si quod eorum quæ civitati adsunt ornamenta vel verbo tantum contaminare essem aggressus? Nam rem quidem ipsam vos non fuisse facturos, ego certo scio. Si enim voluissetis, quid obstitisset? non licebat? non præsto erant qui id suaderent isti?

30. Jam igitur ad ea revertar quæ deinceps in republica gessi: atque in his iterum spectate quid civitati esset utilissimum. Nam cum viderem, Athenienses, rem navalem vestram dilabi, divites exiguis sumptibus factis immunitatem consequi, reliquos mediocrium aut tenuium facultatum cives fortunis suis orbari, civitati ob has causas rerum gerendarum occasiones effluere, legem tuli, qua divites officium facere coegi, pauperes ab injuria vindicavi, denique civitati quod erat utilissimum, ut omnis belli apparatus suo tempore suppeteret, perfeci. Atque in ea causa de scito contra leges scripto accusatus, coram vobis comparui et absolutus sum, quintam autem suffragiorum partem adversarius non obtinuit. Atqui quanta mihi præmia daturos fuisse putatis classium principes aut secundos aut tertios, primum quidem ut hanc legem non ferrem, sin minus, ut rem negligerem et jurejurando interposito differri sinerem? tanta profecto, Athenienses, quanta apud vos ego dicere non ausim. Neque hæc immerito facerent illi. Licebat enim iis per priores leges sedecim inter se copulatis muneribus publicis fungi, cum ipsi pauca immo nihil impenderent, inopes autem cives attererent: mea vero lege *sanctum est* ut pro facultatibus singuli quod æquum esset conferrent,

ita duarum trierarchus evasit qui ante in unam triremem decimus sextus pecuniam contulerat; neque enim trierarchos se, sed collatores appellabant. Quare ut hæc tollerentur neve ipsi justa facere cogerentur, nihil est quod non fuerint daturi. Ac mihi primum recita decretum illud, quo in judicium adductus sum, deinde censuum descriptiones, tum illam quæ priore lege tum hanc quæ mea instituta est. Recita.

DECRETUM.

Archonte Polycle, mensis Boedromionis die XVI., tribu Hippothoontide præsidente, Demosthenes Demosthenis f. Pæaniensis legem induxit in curiam trierarchicam loco superioris, juxta quam tributorum collationes fiebant a trierarchis: eamque suffragiis suis comprobavit senatus ac populus. Et postulavit Demosthenem legis non legitime rogatæ Patrocles Phlyensis, isque quinta suffragiorum parte non accepta mulctatus est quingentis drachmis.

Age profer et egregiam illam census descriptionem.

DESCRIPTIO.

Trierarchi ad triremem *instruendam* vocentur senideni ad rationem earum tributi collationum quæ in manipulis observari solent, ab anno ætatis vicesimo quinto usque ad quadragesimum, hique sumptus ex æquo suppeditent.

Profer jam cum hac *conferendam* census descriptionem quæ mea lege decernitur.

DESCRIPTIO.

Trierarchi ad triremis sumptum deligantur pro re familiari, quæ, censu habito, decem talentûm sit: quod si pluris æstimata fuerit res familiaris, pro hac proportione usque ad tria navigia et scapham conferendi munus progrediatur. Eadem autem ratio servetur in iis quorum bona minoris sint quam decem talentûm, consociatis inter se usque dum decem talenta confecerint.

31. Nunquid vobis parum videor auxilii pauperibus attulisse, aut parum daturi videntur divites, ne justa facere cogerentur? Itaque non idcirco tantum glorior quod hæc illis non concessi, quodque in judicium vocatus absolutus sum, sed quod legem utilem tuli idque re probavi. Nam cum toto belli tempore secundum meam legem classes mitterentur, nullus unquam trierarchus ad vos supplex confugit ut injuria læsus, nullus in Munychia sedit, nullus a classis mittendæ curatoribus in vincula conjectus est, nulla triremis neque foris comprehensa periit reipublicæ, neque hic relicta fuit quod educi non posset. Atqui prioribus legibus hæc omnia accidebant. Causa autem in pauperibus consistebat, quippe qui munus publicum obire non poterant: sæpenumero quidem ejusmodi nascebantur defectus. Ego vero a pauperibus ad locupletes transtuli trierarchias: ita

omnia rite fiebant. Et profecto vel hoc nomine laus mihi debetur, quod istas reip. gerendæ rationes unice secutus sum, ex quibus simul gloria et honores copiæque ad civitatem redundarent: invidum vero aut acerbum aut malitiosum in iis quæ publice gessi nihil est, nihil abjectum neque republica indignum. Atque eandem plane indolem servasse me constabit et in urbanis administrationibus et in Græcorum negotiis: nam neque in civitate locupletum gratias pluris quam multitudinis jura feci, neque in Græcanicis rebus Philippi munera atque hospitium universæ Græciæ commoditatibus antetuli.

32. Jam igitur mihi reliquum esse arbitror ut de præconio dicam et de rationibus referendis: namque me et optime fecisse et semper erga vos benevolum esse et benefacere paratum, satis ex supradictis a me ostensum esse puto. Quamquam quidem maximam partem rerum a me publice institutarum et actarum prætermitto, quod arbitrer primum, mihi de crimine ipso decreti contra leges facti esse disserendum, deinde, etiamsi nihil de reliquis actionibus meis publicis dicam, earum tamen adfuturam mihi testem vestram singulorum conscientiam.

33. Eorum igitur sermonum, quos iste sursum ac deorsum permistos habuit de legibus exceptoriis, neque mehercule vos puto magnam partem intellexisse, neque ipse animo comprehendere potui: ego vero simpliciter ac recta via de jure disputabo. Tantum enim abest ut dicam me referendis rationibus non esse obnoxium, quod iste nuper multoties objiciebat falso et asseverabat, ut per omnem vitam eorum me rationi reddendæ obnoxium esse fatear quæ apud vos publice vel tractavi vel administravi. Sed quæ de propriis bonis pollicitus et largitus sum populo, eorum rationem nullo tempore a me referendam esse dico—audis Æschine?—neque ab alio quoquam, ne si ex novem quidem sit Archontibus. Nam quæ tandem lex est tanta injustitia atque inhumanitate plena, ut eum qui de suo sit largitus fecitque facinus benignum ac liberale gratiæ quidem fructu privet, ad calumniatores autem abripiat, hosque rationibus eorum quæ dedit reposcendis præficiat? Nulla profecto est. Aut si quam iste esse dicat, ostendat, atque ego conquiescam et tacebo. Sed nulla est, Athenienses, at iste calumniator, quod cum ego theatrali pecuniæ præfectus essem nummos sum largitus, laudavit eum inquit senatus rationibus referendis obnoxium. Non ob ullam rem cujus rationem referre debui, sed ob ea quæ largitus sum, sycophanta.

34. Sed et muris reficiendis curator eras inquit. Atque ob hoc ipsum merito laudabar, quod ea quæ insumpta sunt donavi neque expensa tuli. Nam expensi latio rationum calculos et inquisitores desiderat, donatio vero gratiam laudemque promeretur: quam ob causam hæc de me scripsit Ctesiphon. Atque hæc

ita non solum legibus verum etiam institutis vestris esse definita, ego facile multis testimoniis ostendam. Nam primum Nausicles cum esset Strategus, ob ea quæ de suo largitus est, sæpe est a vobis coronatus: deinde Diotimus quia clypeos dedit et rursum Charidemus, coronis donati sunt: tum Neoptolemus hicce, multis cum esset operibus præfectus, ob ea quæ donavit, honorem consecutus est. Acerbum enim profecto esset, si magistratum aliquem gerenti vel sua reip. largiri propter magistratum non liceret, vel eorum quæ largitus sit non gratiam acciperet, sed rationes subire cogeretur. Hæc ut vere a me dici constet, cape ipsa decreta propter istos facta, ac recita. Recita.

DECRETUM.

Archonte Demonico Phlyensi, Boedromionis die XXVI., de sententia senatus populique, Callias Phrearrhius retulit, placere senatui populoque corona donare Nausiclem peditatui præfectum, quod cum Atheniensium bis mille gravis armaturæ peditum essent in Imbro ferrentque auxilium Atheniensibus eam insulam incolentibus, neque posset Philon ærarii præfectus propter tempestates navigare neque stipendium militibus persolvere, de suo is ultro erogavit, nec expensa populo tulit: coronæ autem prædicationem fieri Dionysiis tragœdis novis.

ALIUD DECRETUM.

Dixit Callias Phrearrhius, prytanibus de sententia senatus verba facientibus: Quoniam Charidemus peditum præfectus cum classe Salaminem missus, et Diotimus magister equitum, in pugna quæ ad fluvium commissa est, nonnullis militibus ab hostibus spoliatis, suis sumptibus adolescentes armarunt clypeis octingentis, placere senatui populoque donari Charidemum et Diotimum aurea corona, ejusque prædicationem fieri Panathenæis magnis in gymnico certamine et Dionysiis tragœdis novis: prædicationis autem curam habere thesmothetas, prytanes, certaminum præfectos.

35. Horum unusquisque, Æschine, magistratus, quem obiit, rationes reddere debebat, sed eorum propter quæ corona donabatur, minime. Ne ego quidem igitur: eadem enim jura iisdem in rebus mihi sunt cum aliis communia scilicet. Donavi? propterea laudor, non eorum quæ donavi rationes referre teneor. Magistratus gessi? et eorum quidem rationes retuli, non eorum quæ de meo dedi. At hercule male gessi magistratum? Cur igitur tu qui adesses, cum me rationum præfecti in curiam suam vocabant, non accusabas? Ut igitur sciatis istum ipsum mihi testem esse, me ob ea de quibus rationes reddere non tenebar corona esse donatum, cape mihi et recita totum decretum de me factum: ex iis enim quæ in senatus præconsulto non criminatur, calumniator reperietur in iis quæ judicio persequitur. Recita.

DECRETUM.

Archonte Euthycle, Pyanepsionis die XXII., tribu Œneide præsidente, Ctesiphon Leosthenis f. Anaphlystius retulit: Quoniam Demosthenes Demosthenis f. Pæanien-

sis, muris reficiendis curator factus, tria in id opus talenta de suo insuper erogata populo donavit, et theatrali pecuniæ præfectus omnium tribuum theatrales collationes centum minis auxit in sacrificia, placere senatui populoque Atheniensi laudare Demosthenem Demosthenis f. Pæaniensem virtutis ergo benevolentiæque, quam perpetuo habet erga populum Atheniensem; eumque aurea corona donare, et prædicari coronam in theatro Dionysiis tragœdis novis: prædicationis autem curam habere certaminum præfectum.

Quæ igitur largitus sum, hæc sunt, quorum tu nihil incusas: quæ autem jubet mihi senatus pro his rependi, ea sunt quæ judicio persequeris. Accipere igitur beneficia legitimum esse concedis, pro iisdem gratiam referre id quasi legibus contrarium insectaris? Homo undique profligatus et diis invisus et revera lividus qualis erit per deos immortales? non hujusmodi?

36. Atqui quod attinet ad prædicationem in Theatro faciendam, millies quidem millies factam fuisse prætermitto, meque ipsum sæpenumero antehac ibidem esse coronatum. Sed per deos immortales itane stolidus es atque vecors, Æschine, ut tecum ipse cogitare non potueris, viro qui coronatur eandem gloriam afferre coronam, ubicunque demum prædicetur, sed eorum qui coronam donant utilitatis gratia in Theatro fieri præconium? Omnes enim quotquot audierunt ad bene merendum de republica excitantur, eosque qui gratias retribuunt majoribus laudibus efferunt quam eum qui coronam consequitur: quocirca hanc legem civitas tulit. Sed ipsam mihi legem cape et recita.

LEX.

Quoscunque corona donant aliqua ex municipiis, coronarum prædicationes fiant in ipsis singulæ municipiis, nisi quos populus Atheniensis aut senatus coronabit: de his autem liceat in theatro Dionysiis prædicare.

37. Audis, Æschine, legem dilucide loquentem, n i s i q u o s p o p u l u s a u t s e n a t u s c o r o n i s d o n a v i t: d e h i s a u t e m f i a t p r æ c o n i u m. Quid igitur, miser, calumniaris? quid verba fingis? quin te ob hæc elleboro purgas, nec te pudet actionem alteri intendere invidia, non crimine aliquo commotum, legesque alias commutare, aliis partem detrahere, quas integras æquum erat recitari, præsertim iis, qui se jurarunt secundum leges sententiam laturos? Deinde tu cum talia facias quid viro populari inesse debeat recenses, perinde ac si statuam ex syngrapha faciendam locaveris, eamque postea acceperis non ita confectam, ut syngrapha postularet, aut quasi verbis populares, non factis et institutis publicis dignoscantur. Et vociferaris fandaque et infanda, tanquam e plaustro, blaterans, quæ in te genusque tuum conveniunt, non in me. Et tamen, Athenienses, sic se res habet. Hoc ego convicium ab accusatione differre arbitror, quod accusatio crimina complectitur,

quibus pœnæ sunt legibus constitutæ, convicium vero maledicta *tantum*, quibus inimici pro sua quisque indole alii alios forte impetunt. Construxisse autem majores nostros hæc fora judicialia puto, non ut vobis a domesticis rebus huc convocatis maledicta inter nos dictu nefaria jaceremus, sed ut reum coarguamus, si quis forte injuriam fecerit reipublicæ. Hæc cum sciret Æschines æque atque ego, scommata tamen effutire maluit quam accusare.

38. Veruntamen ne hac quidem in re æquum est ut ille, minus *quam attulit*, auferat. Jam itaque me ad hæc conferam, si hoc tantum ab eo quæsivero. Utrum te quis, Æschine, reipublicæ inimicum an meum esse dicat? Meum scilicet. Itaque ubi tibi licebat horum causa pœnas a me legibus expetere, si quid male fecissem, neglexisti, in rationibus referendis, in accusationibus publicis, in aliis judiciis: ubi vero ego rebus omnibus integer sum, legibus, tempore, diei præscriptione, multis judiciis his de rebus antea factis, eo denique quod nullius unquam in vos peccati convictus sum, cumque ad civitatem ex iis quæ publice gesta sunt plus minus gloriæ redeat necesse est, hic tu obstitisti? Vide, ne horum quidem inimicus sis, cum meum esse te fingas.

39. Postquam igitur religiosa ac justa sententiæ ferendæ ratio omnibus monstrata est, oportet me, ut videtur, licet natura minime maledicum, propter ea quæ hic effutiit convicia, pro multis et falsis *criminibus* pauca maxime necessaria de ipso dicere, et simul ostendere, quis ille et a quibus ortus tam sit ad alterum maledictis provocandum et ad verba quædam exagitanda paratus, cum ipse ea locutus sit, quæ quis est homo paulo modestior qui proferre non vereatur?—. Si enim Æacus aut Rhadamanthus aut Minos esset is qui accusat, non blatero inanis, rabula detritus, perditus scriba, non tamen eum arbitror talia fuisse dicturum neque tam importuna verba conquisiturum, tanquam in tragœdia clamitantem o terra et sol et virtus et similia, et rursus intelligentiam et doctrinam invocantem, qua honesta ab inhonestis discernuntur: audistis enim cum hæc diceret, scilicet. Tibi vero aut tuis, sterquilinium, ecqua virtutis communitas est? ecqua rerum honestarum aut inhonestarum dijudicatio? unde nacto aut quinam dignitatem eam adepto? Ubi tibi doctrinam commemorare fas est, quam qui vere consecuti sunt nemo tamen eorum est qui tale quicquam de se prædicaverit, sed vel alio id prædicante erubesceret: ii vero qui ea carent sicut tu, præ stupore tamen cordis habere se simulant, id tandem consequuntur, ut auditores enecent quidem, dum hæc effutiunt, talem autem de se opinionem nequaquam pariant.

40. Sed cum mihi non desit quod de te ac de tuis dicendum sit, unde potissimum initium dicendi faciam deest. Utrum ab eo quod

pater tuus Tromes apud Elpiam qui ad Thesei fanum docebat literas serviebat, crassis compedibus et ligno constrictus? an quod mater tua quotidianis nuptiis in fornice juxta Calamitem heroem operam cum daret, elegantem eam statuam et summum tertiarum partium histrionem nutriebat te? Atqui hæc omnes norunt, etiamsi ego prætermittam. An quod eam nauticus ille tibicen Phormio Dionis Phrearrhii servus ab honestissimo hoc quæstu avocabat?

41. Verum per Jovem deosque omnes! vereor ne, dum de te ea dico quæ in te conveniant, ipse mihi quidem parum congruum suscepisse videar sermonem. Hæc igitur missa faciam, ab iis autem ordiar quæ ipse in vita gessit. Non enim ex quovis hominum genere fuit, sed ex iis quos populus exsecratur. Sero enim tandem—, sero loquor? immo vero heri et nuper simul et Atheniensis et orator est factus, ac duabus syllabis adjectis patrem pro Tromete fecit Atrometum, matrem autem honorifice sane Glaucotheam nominavit, quam Empusam omnes sciunt vocitatam, tracto videlicet inde cognomine quod omnia et faceret et pateretur: unde enim alioqui? Et tamen ita ingratus es atque improbus natura, ut liber ex servo et dives ex egente horum beneficio factus, non modo non gratiam iis habeas, sed et opera tua locata contra hos remp. geras.

42. Atque ea quidem de quibus controversia est, utrum pro republica dicta sint ab illo necne, prætermittam: quæ vero pro hostibus proculdubio agere compertus est, hæc commemorabo. Quis enim vestrum Antiphontem illum tribu motum ignorat, qui Philippo pollicitus se navalia vestra incensurum in urbem venit? quem cum ego latentem in Piræeo deprehenderam coramque vobis in concione produxeram, clamitans malignus iste et vociferans, me in civitate libera indigna facere qui calamitosis civibus insultarem atque ædes invaderem sine decreto, perfecit ut dimitteretur. Quod nisi senatus Areopagiticus re intellecta, cum imprudentia labi vos alienissimo tempore videret, hominem perquisivisset comprehensumque ad vos reduxisset, ereptus esset homo talis justisque pœnis elusis a grandiloquo hoc oratore esset dimissus: nunc vero eum quæstione habita morte affecistis, qua hunc etiam affici oportuit. Itaque cum hæc sciret quæ tum ab eo gesta sunt senatus Areopagiticus, vosque eum per eandem ignorantiam, per quam multa jam in republica projecistis, actorem vestrum *in controversia* de templo Deliaco suffragiis vestris creavissetis, simulatque senatum illum advocastis eique rem permisistis, istum is quidem continuo rejecit ut proditorem, Hyperidi autem causam hanc mandavit: atque hæc, cum ex ara ferrentur tabellæ, gessit, neque ulla omnino tabella isti impuro suffragata est. Quæ ut vere a me dici constet, advoca mihi earum rerum testes.

TESTES.

Testimonium perhibent Demostheni vice omnium hi, Callias Suniensis, Zeno Phlyensis, Cleon Phalereus, Demonicus Marathonius, quod cum populus olim Æschinem designasset actorem causæ de templo Deliaco apud Amphictyonas dicendæ, nos in consessu assidentes Hyperidem digniorem judicavimus qui pro civitate diceret, et missus est Hyperides.

43. Cum igitur istum civitatis causam acturum senatus repudiavit, et alteri negotium dedit, tunc et proditorem et malevolo in vos esse animo pronuntiavit. Unam rem habetis ab heroe illo publice gestam, iis quas in me reprehendit valde similem, nonne? jam alteram in memoriam revocate. Quo tempore Philippus Pythonem Byzantium *Thebas* misit, atque ab omnibus sociis suis legatos simul mittendos curavit, tanquam ignominia affecturus civitatem nostram eamque injuste agere ostensurus, tunc ego Pythoni insolentius se jactanti et ingenti flumine contra vos invehenti non cessi neque pedem retuli, sed surrexi contraque dixi, civitatis autem jura nequaquam prodidi, sed Philippum injustitiæ coargui usque adeo manifeste, ut ipsi illius socii ultro exsurgerent ac faterentur: at iste *iis* patrocinatus est, et testimonium dixit contra patriam, idque falsum. Neque hæc ei satis erant, sed iterum postea cum Anaxino exploratore in Thrasonis ædibus congressus deprehenditur. Atqui qui ab hostibus missum *speculatorem* solus solum conveniebat et cum eo sermones conferebat, is ipse natura explorator hostisque erat patriæ. Atque ut vera me hæc dicere appareat, citentur mihi earum rerum testes.

TESTES.

Meledemus Cleonis filius, Hyperides Callæschri, Nicomachus Diophanti, testificantur Demostheni et jurejurando coram Strategis affirmant, scire se Æschinem Atrometi f. Cothocidem noctu in ædes Thrasonis simul introisse et sermones contulisse cum Anaxino, qui explorator habitus est a Philippo missus. Dicta sunt hæc testimonia Archonte Nicia, Hecatombæonis die tertio.

44. Infinita alia quæ de isto possem dicere prætermitto. Nam ad hunc fere modum se habent. Multa quidem ego nunc præterea possem vobis ostendere, quibus ille per ea tempora hostibus inservire, meque petulantiis insectari compertus est. Sed ea vos neque diligenter memoriæ mandatis neque ea qua conveniebat iracundia prosequimini, quin prava quadam consuetudine plenam jam cuilibet licentiam permisistis eum supplantandi et calumniandi qui dicat aliquid e re vestra, civitatis commoda cum voluptate et deliciis quæ ex maledicentia percipiuntur commutantes. Quapropter facilius semper et tutius est hostibus inservientem conductitium agere, quam susceptas *in rep.* pro vobis partes administrare.

45. Atque antequam aperte bellum gereremus Philippo auxiliari nefarium profecto fuit, o terra diique immortales! quis neget? contra patriam: sed tamen date hoc ei, si vultis, date. Verum cum palam jam spoliatæ naves essent, Chersonesus everteretur, in Atticam homo iste invaderet, neque jam amplius in dubio res essent, sed bellum exarserat, quid unquam pro vobis egerit invidus ille iamborum manducator, non potest ostendere, neque exstat plebiscitum ullum neque magnum neque parvum quod in reip. utilitatem Æschines fecit: sin aliquod *esse* dicat, jam nunc ostendat meisque horis utatur. Sed nullum est. Atqui alterutrum utique necesse est vel, quoniam in iis quæ a me gesta sunt nihil poterat reprehendere, alia igitur eum non decrevisse, vel, quod hostium commodis studeret, his meliora in medium proferre noluisse. Nihilne igitur dicebat, nihilne decernebat iste, cum aliqua in re noceri vobis licuit? Immo nemini tunc alii dicendi locus erat.

46. Ac cætera quidem ferre fortasse poterat civitas, eaque occulte iste patrabat: unum vero superioribus facinus addidit, Athenienses, ejusmodi, quod cæteris omnibus fastigium imponeret; de quo multa sane verba consumpsit, cum Amphissensium Locrorum persequeretur decreta, quasi rei veritatem posset invertere. Id vero non ita est. Qui enim? multum certe abest. Neque tu unquam eorum quæ illic commisisti maculam elues: nunquam adeo multa dices. Obtestor autem coram vobis, Athenienses, deos deasque universos, qui regioni præsident Atticæ, et Apollinem Pythium, qui est huic urbi patrius, precorque ab iis omnibus, si quidem vera apud vos dixero et dixi tum apud populum, cum primum impurissimum istum hanc rem attingere animadverti—cognovi enim statim, cognovi—felicitatem mihi tribuant ac salutem: sin odio privato et contentionis studio ductus crimen isti falsum inferam, omnium me bonorum fructu privent. Cur igitur hæc imprecatus sum aut cur tam vehementer contendi? Quia, quamvis et tabulas habeam in tabulario publico conditas, quibus hæc ostensurus sum manifeste, et sciam vos res gestas memoria retinere, illud tamen vereor, ne iste levior existimetur quam qui malorum quæ confecit auctor exstiterit. Quod et antea quidem accidit, cum miseris Phocensibus internecionem comparavit, rebus falsis huc renuntiatis.

47. Amphissense enim bellum, per quod in Elateam venit Philippus, et per quod Amphictyonum dux electus est, quod universas Græcorum res subvertit, hic est qui excitavit, et omnium unus vir acerbissimorum auctor exstitit malorum. Cumque ego illo tempore statim testarer et clamarem in concione, **bellum in Atticam invehis, Æschine, bellum Amphictyonicum,**

alii qui corrogati convenerant dicendi mihi potestatem non faciebant, alii mirabantur, et inane crimen ex privata simultate inferre me ei putabant. Quæ autem conditio, Athenienses, harum rerum fuerit, quamque ob causam ista comparata sunt et qua ratione gesta, nunc denique, quoniam tunc prohibiti estis, accipite: nam et pulcre rem compositam videbitis, multumque illinc adjumenti capietis ad communium rerum cognitionem, et quanta erat in Philippo solertia, perspicietis.

48. Nullus erat belli quod vobiscum gerebat finis aut exitus Philippo, nisi Thebanos et Thessalos hostes efficeret reipublicæ: sed infeliciter licet et male cum illo vestri imperatores bellarent, ab ipso bello tamen et a prædonibus innumeris malis vexabatur. Neque enim exportabatur eorum quicquam quæ ex terra illa proveniebant, neque ea quibus egebat importabantur; jam vero neque in mari tunc superior vobis erat, neque in Atticam venire poterat, si nec Thessali eum sequerentur nec Thebani transitum darent: usu autem veniebat ei, ut cum bello superaret qualescunque tandem vos mitteretis imperatores—omitto enim hoc utique—ipsa tamen loci rerumque quæ utrisque suppetebant natura infestaretur. Si igitur suarum causa inimicitiarum vel Thessalis vel Thebanis suaderet ut in vos invaderent, eorum neminem auditurum putabat: sin communes se illorum causas suscipere simulans dux ab iis eligeretur, facilius sperabat se partim fallendo, partim persuadendo, *quod optaret* consecuturum. Quid igitur? Molitur—videte quam egregie!—bellum excitare inter Amphictyonas et in consessu Pylæo tumultum: ad eas enim res statim eos existimabat auxilium suum desideraturos. Quod si quis ex iis quos ipse mitteret hieromnemonibus vel ex ipsius fœderatis hoc proponeret, Thebanis ac Thessalis rem fore suspectam putabat, omnesque sibi cauturos: sin Atheniensis esset atque a vobis adversariis suis profectus qui id ageret, facile clam futurum *consilium;* quod ita evenit.

49. Quonam igitur modo hæc perfecit? Conducit huncce. Nemine autem opinor rem prospiciente aut cavente, sicuti talia inter vos fieri consueverunt, nominatus iste Pylagoras, et tribus quatuorve suffragantibus, renuntiatus est. Postquam autem civitatis auctoritate munitus ad Amphictyonas pervenit, aliis rebus omnibus relictis ac despectis, ea expedivit propter quæ conductus est. Ac verbis specie honestis fabulisque, ut Cirrhæus ager consecratus esset, comparatis atque expositis, homines imperitos verborum et quid futurum esset minime providentes, hieromnemonas, adduxit ut regionem illam obeundam decernerent, quam Amphissenses ut suam a se arari dicebant, at iste ad terram sacram pertinere arguebat, cum Locri nullam nobis mulctam imponerent neque ea *cogitarent* quæ iste modo causatus est a veritate aliena. Quod inde

cognoscetis. Non licebat utique Locris, nisi re prius nobis denuntiata litem adversus nostram civitatem conficere. Quis igitur nos citavit ad quem judicatum? Cedo hominem qui sciat, ostende. At non potes, sed inanem illum perperam adhibuisti prætextum et mendacem.

50. Obeuntibus igitur regionem eam istius hortatu Amphictyonibus, Locri impetu facto pene omnes jaculis confixerunt, nonnullos etiam ex hieromnemonibus corripuerunt. Ut vero ex his querimoniæ *ortæ* bellumque contra Amphissenses concitatum est, primum Cottyphus Amphictyonum præfectus est exercitui, deinde, cum alii non venirent, alii qui venerant nihil effectum darent, in sequente conventu Pylæo ad Philippum statim principatum detulere nonnulli homines ad eam rem instructi et jampridem profligati, partim ex Thessalis, partim ex aliis civitatibus. Causasque nacti sunt speciosas: aut enim ipsos pecunias conferre externosque milites alere oportere dicebant, et qui hæc recusarent mulctare, aut illum ducem eligere. Quid multa? creatus ille hisce *artibus* dux est. Et statim postea Philippus copiis comparatis progressus quasi campum Cirrhæum invasurus esset, longum valere jussis et Cirrhæis et Locrensibus, Elateam occupat. Quod si non statim, ut id viderant, consilium mutassent Thebani seseque vobiscum conjunxissent, torrentis instar universa rei moles in hanc urbem irruisset: nunc autem eum derepente illi coercuerunt, maxime quidem, Athenienses, dei alicujus benignitate erga vos; deinde vero quantum in uno viro situm est opera mea. Cedo mihi hæc decreta et tempora, quibus singula peracta sunt; ut sciatis, quantis turbis impurissimum istud caput excitatis pœnas nondum persolverit. Recita decreta.

51. DECRETUM AMPHICTYONUM.

Sacerdote Clinagora, Pylæo concilio verno, visum est Pylagoris et consessoribus Amphictyonum et communi Amphictyonum, quoniam Amphissenses in sacrum agrum ingrediuntur, eumque conserunt et armentis distribuunt, ut eo se conferant Pylagoræ ac consessores, et terminos columnis distinguant, et Amphissensibus interdicant ne in posterum ingrediantur.

ALIUD DECRETUM.

Sacerdote Clinagora, Pylæo concilio verno, visum est Pylagoris et Amphictyonum consessoribus et communi Amphictyonum, quoniam Amphissenses agrum sacrum inter se divisum colunt et armenta in eo pascunt, et, cum hoc facere vetarentur, armati venerunt et commune Græcorum concilium vi propulsarunt, nonnullos etiam vulnerarunt, [et] Cottyphum Arcadem ducem ab Amphictyonibus creatum mitti ad Philippum Macedonem, ab eoque peti, ut Apollini et Amphictyonibus opem ferat, neque deum negligat ab impiis Amphissensibus nefarie violatum: *nunciari quoque* eum imperatorem cum summa potestate a Græcis constitui omnibus qui concilii Amphictyonici sunt participes.

Recita vero et tempora, quibus hæc gesta sunt: ea enim ipsa sunt, quibus iste fuit Pylagoras. Recita.

TEMPORA.

Archonte Mnesithide, mensis Anthesterionis decimo sexto.

Cedo mihi et literas illas, quas, cum ei non morem gesserint Thebani, misit ad socios suos in Peloponneso Philippus: ut ex iis quoque perspiciatis, eum veram rerum *susceptarum* causam, nempe se hæc contra Græciam et Thebanos et vos moliri, occultasse, communia vero quæque ab Amphictyonibus decernerentur agere se simulasse. Qui autem has ei et opportunitates et causas subministravit, iste fuit. Recita.

LITERÆ PHILIPPI.

Rex Macedonum Philippus Peloponnesiorum qui in fœdere continentur magistratibus et consessoribus reliquisque sociis omnibus S. Quoniam Locri qui nominantur Ozolæ, Amphissam incolentes, in templum Apollinis Delphicum delinquunt, et terram sacram armata manu progressi populantur, habeo in animo vobiscum deo subvenire, eosque qui aliquid religione apud homines consecratum violant ulcisci. Quapropter facite ut mihi cum armis ad Phocidem occurratis, commeatu instructi in quadraginta dies, hoc ipso mense Loio, ut nos computamus, ut Athenienses, Boedromione, ut Corinthii, Panemo. Eorum igitur qui nobis cum omnibus copiis occurrerint utemur consilio, eos vero qui se nobiscum non conjunxerint mulctabimus. Valete.

52. Videtis, ut privatas *incepti* causas devitet, et ad Amphictyonicas confugiat. Quis igitur illi his comparandis adjutor fuit? Quis latebras eas suppeditavit? Quis malorum quæ inciderunt maxime architectus? Non iste est? Nolite igitur, Athenienses, inter deambulandum dicere, ab uno homine Græciam his calamitatibus esse affectam. Non ab uno, sed a multis atque improbis per singulas civitates, o terra diique immortales! quorum unus hic est, quem, si quidem verum libere dicendum sit, non dubitarim ego communem labem eorum quæ postea perierunt omnium nominare, hominum, locorum, urbium: nam qui semen præbuit, is segetis auctor est. Quem statim ut adspexistis, quo tandem pacto non sitis aversati, demiror: sed immensæ quædam scilicet apud vos tenebræ sunt objectæ veritati. Contigit ergo mihi, ut dum eas res tracto quas iste contra patriam gessit, ad eas etiam pervenerim quas iis resistens ipse administravi: quas cum multis de causis merito ex me audiatis, tum ob eam præcipue quod turpe est, Athenienses, quorum ego laborum molestias ipsas pro vobis sustulerim, eorum vos ne verba quidem velle sustinere. Cum igitur viderem Thebanos, ac pene dicam vos ipsos ita istorum hominum qui cum Philippo sentiebant et pretio apud utrosque corrupti erant consiliis adductos esse, ut, quod erat utrisque formidandum ac magnopere cavendum, ne Philippum crescere sineritis, id negligatis nullaque in re caveatis, ad inimicitias autem atque ad offensiones mutuas proclives sitis, ego hoc ut ne fieret assidue providebam: non quod mea solum sententia ductus hæc conducere existimabam, sed quia sciebam Aristophontem itemque Eubulum semper hanc inter vos amicitiam conciliare studuisse, et cum aliis in rebus sæpenumero inter se dissentirent, in hac nunquam non consensisse. Quos tu vivos, o bellua, adulationibus sectabaris, mortuos non te pudet criminari: nam quæ mihi de Thebanis objicis, in iis multo magis illos quam me reprehendis, qui societatem istam ante me approbarunt. Verum illuc *unde digressus sum* revertor, quod Amphissensi scilicet bello hujus opera concitato, et perfectis per alios ejus adjutores adversus Thebanos inimicitiis, accidit ut Philippus nos adoriretur, cujus rei gratia civitates isti inter se commiserunt, et nisi priores experrecti paululum essemus, ne colligendi quidem nostri data esset facultas: eo usque isti rem perduxerant. Quo animo autem tum inter vos affecti fueritis, his decretis ac responsis auditis, cognoscetis. Age cape illa et recita.

DECRETUM.

Archonte Heropytho, mensis Elaphebolionis xxv., tribu Erectheide præsidente, de sententia senatus et Strategorum, quoniam Philippus finitimas urbes alias occupavit, alias vastavit, denique in Atticam parat invadere, pro nihilo ducens fœdera inter nos percussa, ac jusjurandum suum pacemque factam solvere instituit, placuit senatui populoque, ut mittantur ad eum caduceator et legati, qui cum eo agant, hortenturque, maxime ut concordiam nobiscum factam tueatur et conventa, sin minus, ut spatium deliberandi det civitati induciasque faciat usque ad mensem Thargelionem. Lecti sunt e senatu Simus Anagyrasius, Euthydemus Phliasius, Bulagaros Alopecensis.

ALIUD DECRETUM.

Archonte Heropytho, mensis Munychionis die ultimo, de sententia Polemarchi: Quoniam Philippus alienare Thebanos a nobis aggreditur, et cum universo exercitu in maxime vicina Atticæ ingredi parat loca, neglectis quæ inter nos sunt fœderibus, placuit senatui populoque, ut mittantur ad eum caduceator et legati, qui petant eumque hortentur ut inducias faciat, quo populus quoad ejus fieri poterit deliberet: nunc enim non censuit vel mediocre quidem auxilium ferre se oportere. Lecti sunt e senatu Nearchus Sosinomi f., Polycrates Epiphronis, et caduceator Eunomus Anaphlystius e plebe.

Recita jam et responsa.

RESPONSUM AD ATHENIENSES.

Rex Macedonum Philippus senatui populoque Atheniensi S. Qua erga nos ab initio voluntate fueritis, non ignoro, quantoque studio elaboraveritis ut Thessalos et Thebanos, atque etiam Bœotos, ad vos allicceretis. At cum cepissent illi saniora consilia neque vobis submittere voluissent judicia sua, sed in utilitatis suæ partibus mansissent, vos nunc mutata sententia, missis ad me legatis ac fecialibus, fœderum admonetis et inducias fieri petitis, nulla prorsus injuria a me affecti. Ego vero, auditis legatis vestris, assentior postulatis et inducias facere paratus sum, si modo eos qui vobis parum recte consulant amandatos ea qua digni sunt ignominia mulctabitis. Valete.

RESPONSUM AD THEBANOS.

Rex Macedonum Philippus senatui populoque Thebano S. Literas vestras accepi, quibus concordiam et pacem quæ inter nos est in memoriam mihi revocatis. Audio porro Athenienses omni vos studio prosequi, ut ea nimirum quæ ab ipsis postulantur comprobetis. Ac primum quidem vos accusabam, quasi spes ab illis oblatas essetis amplexuri eorumque instituta secuturi: nunc vero posteaquam cognovi vos ea erga nos esse voluntate, ut pacem potius tueri, quam aliorum sententiis morigerari velitis, lætatus sum et cum multis vos nominibus impensius laudo, tum eo præcipue quod et tutiora in his rebus consilia cepistis et vestram erga nos benevolentiam retinetis: quod non parum vobis momenti allaturum puto, si in isto instituto maneatis. Valete.

53. His artibus cum ita inter se Philippus civitates affecisset, hisque esset decretis et responsionibus elatus, venit cum exercitu et Elateam occupavit, proinde quasi quidlibet licet accidisset nunquam jam vos et Thebani consensuri essetis. Enimvero qui tum in urbe tumultus excitatus est, nostis omnes, pauca tamen de eo, quæ sunt maxime necessaria, accipite. Vesper enim erat, venit autem quidam ad prytanes, nuntiabatque captam esse Elateam. Ibi continuo alii a cœna surgentes homines ex tabernis quæ in foro sunt exturbarunt et vela incenderunt, alii strategos arcesserunt et tubicinem evocarunt; ac plena tumultus erat civitas. Postridie summo mane prytanes senatum vocant in curiam, vos in concionem contenditis, et priusquam senatus retulerat et præconsultum fecerat, universus jam populus supra consederat. Deinde postquam ingressus est senatus, et exposuerunt prytanes ea quæ ad se delata essent, eumque qui venerat produxerunt, isque locutus est, interrogabat præco q u i s c o n c i o n a r i v u l t? nemo prodibat. Sæpius autem rogante præcone, nihilo magis surgebat quisquam, cum adessent omnes strategi, omnes oratores, cumque communis patriæ vox aliquem citaret qui de salute publica diceret: quam enim præco ex legum præscripto vocem mittit, hanc communem patriæ existimare oportet. Atqui si eis qui rempublicam salvam voluissent prodeundum fuit, vos utique omnes et cæteri Athenienses consurgentes in suggestum adscendissetis; omnes enim, sat scio, salvam eam voluistis: si ditissimis, trecenti viri *surrexissent:* si eis quibus utraque hæc suppetebant, nimirum et benevolis in rempublicam et locupletibus, ii qui posthæc magna ultro *patriæ* donarunt munera; nam ex benevolentia pariter et divitiis id fecerunt. Verum, uti videtur, tempus illud atque ille dies non virum in remp. benevolum et divitem tantum requirebat, sed eum qui res ab initio assectatus observarat, et recte computaverat quam ob causam hæc ageret Philippus et quid spectaret: nam qui hæc nesciret neque ea diligenter multo ante investigarat, quantumvis benevolus quantumvis esset locuples, nihilo magis tamen quid faciendum esset sciturus erat aut vos consilio adjuturus.

54. Is igitur illo die exortus ego sum, et progressus apud vos ea

dixi, quæ ex me duabus de causis attentis animis audiatis velim, primum, ut intelligatis, me unum ex iis qui concionari et remp. administrare solent benevolentiæ locum in periculis non reliquisse, sed ea pro vobis tum dicere tum decernere quæ conveniebant perspectum esse in ipsis temporibus formidolosis: deinde, quia brevi tempore *in his* consumpto, multo magis ad reliquum totius administrationis publicæ statum cognoscendum eritis instructi. Dixi igitur, eos qui sic tumultuarentur, quasi Thebani essent amici Philippo, totius rerum præsentium status ignaros mihi videri. Probe enim cognovi, si ita se res haberet, non jam eum Elateæ nos, sed in nostris finibus esse, audituros. Venisse autem illum, ut ea quæ Thebanis *machinatur*, expedita habeat, certo scio. Ut autem hæc se habeant, inquam, attendite. Quoscunque ille Thebanos vel pecunia inducere vel dolo capere potuit, omnes habet instructos: eos autem, qui ab initio sibi restiterunt et nunc adversantur, nullo modo suadere potest. Quid igitur sibi vult et cur Elateam occupavit? Ut, admotis copiis armisque in conspectu positis, amicos quidem suos confirmet atque erigat, adversarios autem terreat, ut vel metu perculsi ea concedant quæ nunc recusant, vel vi cogantur. Si igitur nos, inquam, hoc tempore statutum in animis habebimus, si quid forte a Thebanis gravius in nos olim commissum est, id recordari, iisque quasi ab hostium parte starent diffidere, primum quidem id faciemus, quod Philippus exoptarit; deinde vereor, ne consentientibus iis qui nunc ipsi adversantur atque uno animo omnibus cum Philippo facientibus, utrique simul in Atticam invadant. Quod si mihi auscultabitis, et ad ea quæ dicam consideranda, non ad lites de iis movendas, vos accingetis, arbitror fore ut et recta monere videar et imminens reip. periculum propulsem. Quid igitur dico oportere? Primum metum in quo nunc versamini remittere, deinde *alio illum* transferre et pro Thebanis omnes timere; multo enim nobis cladi propiores sunt, iisque omnium primis imminet periculum: tum vero et juvenes militiæ aptos et equites Eleusinem profectos ostendere Græcis omnibus vos in armis esse, ut iis qui Thebis vobiscum sentiunt æque vobiscum liceat libere de

juribus suis disceptare, cum perspectum habuerint, quemadmodum iis qui patriam Philippo vendunt aderit opem laturus exercitus Elateæ, ita iis qui pro libertate conniti volunt vos præsto esse, auxilium ferre paratos, si quis in eos invaserit. Posthæc creari jubeo decem legatos, atque his pariter cum imperatoribus potestatem permitti et statuendi quo tempore milites illuc proficisci oporteat et quo modo educentur. Postquam vero legati Thebas pervenerint, quomodo hanc vos rem tractare præcipio? huic parti meæ disputationis diligentius attendite. Nihil quicquam a Thebanis petite—turpe enim tempus est—, sed vos auxilium iis laturos, si jusserint, promittite, tanquam illi quidem summo in discrimine versentur, nos melius quam illi rerum eventum prospiciamus: ut, si quidem hæc approbent nobisque assentiantur, tum ea quæ expetimus consecuti fuerimus, tum ista pro dignitate nostræ reipublicæ confecerimus; sin votis cadere contigerit, isti quidem se ipsi accusent, si quid nunc offenderint, a nobis autem nihil turpe aut humile sit admissum.

55. Hæc atque his similia cum dixissem, descendi. Quæ cum collaudassent omnes et nemo quicquam contra dixisset, non dixi hæc quidem, non autem scripsi, nec scripsi quidem, non profectus sum autem ad legationem, nec profectus quidem, non persuasi autem Thebanis, sed a principio omnia sum ad usque finem persecutus, meque totum vobis in urgentibus rempublicam periculis plane concessi. Age, profer mihi decretum, quod tum factum est.—Atqui quem te vis, Æschine, quem meipsum fuisse illo die ponam? Vin' me quidem eum, quem tu per convicium et contumeliam Batalum appellaveris, te autem non forte fortuna oblatum heroa, sed aliquem ex his de scena, Cresphontem aut Creontem aut quem tu olim in Collyto malus male dum ageres obtrivisti Œnomaum? Tunc igitur, illo *inquam* tempore, Pæaniensis ego Batalus Œnomao Cothocide te utilior patriæ civis compertus sum. Tu enim nusquam omnino profuisti, ego vero omnia quæcunque bonum civem decent, peregi.—Recita decretum.

DECRETUM DEMOSTHENIS.

Archonte Nausicle, tribu Æantide præsidente, Scirophorionis decimo sexto, Demosthenes Demosthenis f. Pæaniensis retulit: Queniam Philippus Macedonum rex, cum superiori tempore pacis fœdera quæ inter ipsum et populum Atheniensem per-

cussa sunt, plane violasse compertus est, spretis jurejurandis iisque omnibus quæ apud universos Græcos sancta perhibentur, et urbes nullatenus ad se pertinentes intercepit, nonnullas etiam quæ sunt Atheniensium captivas fecit, nulla a populo Atheniensi lacessitus injuria, tum etiam hoc tempore vi et crudelitate longius progreditur: nam ex Græciæ urbibus, aliis præsidia imponit et reipublicæ statum evertit, alias civibus in servitutem redactis exscindit, in aliis colonos barbaros pro Græcis collocat, in sacra atque sepulcra inductos, nihil alienum neque patria neque moribus suis faciens, eaque quæ nunc ei adest fortuna intemperanter perfruens, oblitus se ex humili quodam et vulgari factum esse insperato magnum, —. Et quamdiu urbes videbat eum intercipere barbaras ac privatas, levius id esse putabat populus Atheniensis, quod in se peccaretur: nunc vero cum cernat Græciæ urbes partim ignominia affici, partim funditus everti, iniquum et majorum suorum gloria indignum esse ducit, si se connivente Græci in servitutem redigantur. Propterea visum est senatui populoque Atheniensi, ut, votis ac sacrificiis rite factis diis atque heroibus qui civitatem regionemque Atheniensium custodiunt, et revocata in memoriam majorum suorum virtute, quippe qui pluris æstimabant Græcorum libertatem quam propriam tueri patriam, ducentæ naves in mare deducantur, navarchus intra Pylas naviget, imperator et equitum præfectus pedestres et equestres copias Eleusinem educant: mittantur etiam legati tum ad cæteros Græcos, tum omnium primum ad Thebanos propterea quod illorum finibus maxime imminet Philippus; qui hortentur eos, ut nihil Philippum reformidantes constanter retineant suam aliorumque Græcorum libertatem. *Dicant* etiam populum Atheniensem, omni offensarum memoria deposita, si quid olim durius inter civitates intercesserit, opem iis laturum esse, copiis, pecunia, telis, armis, cum sciat ipsos inter se, qui Græci sunt, de principatu decertare, honestum esse, alienigenæ autem hominis dominatum subire principatuque ab eo spoliari, hoc vero et Græcorum gloria et majorum suorum virtute esse indignum. Præterea nec alienum a se reputare populum Atheniensem Thebanorum populum, neque stirpe neque gentilitate. Recordari etiam collata a majoribus suis in majores Thebanorum beneficia: namque Herculis filios, a Peloponnesiis paterno imperio spoliatos, restituebant, bello devictis iis qui soboli Herculis resistere aggressi sunt, nosque Œdipum et exsilii sui socios excepimus, aliaque multa nobis exstant humana atque illustria beneficia erga Thebanos. Itaque ne nunc quidem populum Atheniensem Thebanorum reliquorumque Græcorum commodis defuturum. Pactionem autem cum iis faciant *legati* de ineunda societate, et jure connubii tribuendo, dentque jusjurandum et accipiant. Legati Demosthenes Demosthenis f. Pæaniensis, Hyperides Cleandri Sphettius, Mnesithides Antiphanis Phrearrhius, Democrates Sophili Phlyensis, Callæschrus Diotimi Cothocides.

56. Hoc rerum Thebanarum principium constitutioque prima fuit, cum antea in inimicitias et odium et diffidentiam mutuam adductæ essent civitates istorum dolis. Hoc plebiscitum imminens tum temporis civitati periculum dispulit sicut nubem. Erat igitur boni civis, si quid his melius haberet, tunc ostendere, non *quæ gesta sunt* nunc criminari. Consiliarius enim et delator, cum nulla alia in re similes sint, tum in hac plurimum discrepant. Ille quidem ante res gestas consilium exponit, seque ipse rationibus referendis obnoxium tradit iis quos persuasit, fortunæ, temporibus, unicuique: hic autem tum cum loquendum fuisset silentio usus, si quid acerbius accidit, id malevole proscindit. Illud igitur, ut dixi, tempus fuit, quod virum requirebat de republica solicitum deque salutaribus consiliis *proferendis:* ego vero eousque ausim procedere, ut si

quis vel nunc denique melius aliquid possit ostendere, aut si quid omnino aliud sequi licuit præterquam ea quæ deligi, peccasse me confitear. Si quid enim est quod nunc quisquam profuturum fuisse videat, si tunc fuisset factum, id ego me dico non debuisse ignorare: sin neque est neque fuit neque proferre quisquam ne hodie quidem possit, quid eum qui consilium dabat facere oportebat? non eorum quæ in promptu atque in potestate erant optima deligere? Hoc igitur ego feci, præcone interrogante, Æschine, quis concionari vult, non quis de præteritis accusare, aut quis de futuris sponsorem fieri. Te autem muto temporibus illis in concionibus sedente, ego prodibam et concionabar. Verum quoniam id tum non *fecisti*, nunc saltem ostende. Dic, quæ oratio, quam me excogitare convenerit, quæ reip. utilis opportunitas a me fuit prætermissa? quæ societas, quæ actio, ad quam potius hos perducere me oportuerit?

57. Atqui præterita ab omnibus semper negliguntur, neque de iis quisquam usquam deliberationem instituit: futura autem aut præsentia consiliarii partes requirunt. Eo igitur tempore calamitatum aliæ, ut apparebat, futuræ erant, aliæ jam urgebant, in quibus meum in rep. administranda institutum specta, non eventa calumniare. Namque exitus rerum omnium, quemadmodum deo libuit, perducitur, consilium autem et propositum, id vero consiliarii mentem declarat. Quare ne mihi hanc culpam tribue, si in acie vicisse contigit Philippo; in deo enim illius prælii exitus positus erat, non in me: sed me aut non omnia, quæ humano consilio provideri poterant, delegisse, et recte hæc diligenter et laboriose etiam supra vires peregisse, aut res minus honestas ac civitate indignas instituisse minimeque necessarias, hæc mihi ostende, et tunc denique me incusa. Sin autem procellæ illius quæ tum coorta est vis, non nos solum, verum etiam reliquos omnes Græcos perculit et superavit, quid facto opus est? *egone accusandus sum?* Ut si quis navicularium qui omnia quæ ad salutem pertinerent fecisset, rebusque omnibus instruxisset navigium, quibus id servari posse confideret, postea tempestate conflictatum, et fatiscentibus ei navis armamentis aut prorsus etiam confractis, naufragii accuset. Sed neque navem gubernabam, dicat ille, quemadmodum neque exercitum ducebam ego, neque fortunæ dominabar, quin illa omnibus. Verum illud mihi vide et considera. Si nobis, Thebanis nobiscum in acie stantibus, ita rem gerere fatale erat, quid exspectandum fuit, si hos socios non haberemus, sed ii sese cum Philippo conjunxissent, quod ut fieret omnimodis tum ille verbis laborabat? Et si nunc tridui itinere ab Attica prælio commisso tantus terror tantumque periculum civitatem incessit, quid, sicubi in regione nostra eadem clades accidisset, exspectandum nobis erat? Nostin' ut nunc staremus, congrederemur, respiraremus, multa ad civitatis salutem spectantia diem unum et alterum et tres contulisse: tunc autem—, non est opus ea commemorare, quæ ne experta quidem respublica est dei alicujus benevolentia, et circumjecto sibi societatis illius propugnaculo, quam tu incusas.

58. Sunt vero hæc quæ disserui omnia ad vos directa, judices, atque ad eos qui foris circumsistunt atque audiunt: nam, quod ad istum quidem despicatum attinet, brevis et perspicua suffecerit mihi oratio. Si enim tibi soli ex omnibus explorata erant futura, Æschine, cum de iis consultaret civitas, tum ea prædicere oportebat: sin haud prævidebas, ejusdem tu atque alii reus es ignorantiæ, quare quid est quod tu me potius de his accuses quam ego te? Tanto enim melior ego quam tu civis exstiti in iis ipsis quæ jam dico—neque dum de cæteris dissero—, quod ego iis quæ omnium opinione commoda videbantur me totum tradidi, nullius periculi privati metu aut respectu territus: tu vero neque alia dixisti his meliora—sic enim neque meis usi essent—neque teipsum in his *exsequendis* ulla ex parte utilem præbuisti, sed quod nequissimus quisque et malevolentissimus in rempublicam fecisset, hoc tu in iis quæ accidebant compertus es fecisse; et uno tempore in Naxo Aristratus et in Thaso Aristolaus inimicissimi hujus civitatis Atheniensium amicos in judicium vocant, et Athenis Æschines Demosthenem accusat. Atqui is, cui ut inclarescat Græcorum calamitates reservabantur, perire potius ipse debet quam alterum accusare: et cui eadem quæ reip. hostibus tempora profuerunt, is nequit esse benevolo in patriam animo. Declaras id tu ex vita quam vivis, ex iis quæ facis, ex iis rebus quas geris, quasque non geris in republica. Proceditne aliquid quod e re vestra esse videatur? Mutus Æschines. Ceciditne incommode aliquid et contigit quale non oportebat? Præsto est Æschines: ut rupta et convulsa, si quid mali corpus invaserit, tum commoventur.

59. Sed quoniam multum ille in eventis rerum insistit, libet aliquod dicere quod etiam incredibile videatur. Ac mihi, per Jovem quæso deosque omnes, nemo hanc in dicendo confidentiam demiretur, sed benevole, id quod dicam, consideret. Si enim omnibus manifesta fuissent ea quæ erant futura, si præscivissent omnes, et tu prædixisses, Æschine, et obtestatus esses clamitans ac vociferans, qui ne locutus quidem es, ne sic quidem civitati ab his *consiliis* desistendum fuit, si quidem aut gloriæ aut majorum aut futuri seculi rationem duceret. Nunc quidem decidisse tantum propositis videtur, quod omnibus commune est mortalibus, ubi ita deo visum fuerit: tunc vero ea quæ principatum sibi in alios vindicaret, deinde ab hoc descisceret, totius Græciæ Philippo proditæ culpam sustine-

ret. Nam si hæc citra certamen tradidisset, pro quibus nullum non periculum majores nostri subiissent, quis non te consputaret, *Æschine?* absit enim ut civitatem dicam, aut me. Quibus vero oculis pro Jupiter! homines intueremur qui in hanc urbem venirent, si res in eum quo nunc sunt locum devenissent, ac dux dominusque omnium constitueretur Philippus, contentionem autem hæc ut ne fierent alii sine nobis iniissent! idque cum hæc civitas nunquam superiori tempore securitatem ingloriam pluris quam periculum pro rebus honestis susceptum fecerit. Quis enim Græcorum, quis barbarorum nescit, et Thebanos quique ante eos pollebant Lacedæmonios et ipsum Persarum regem multa cum gratia illud libenter civitati nostræ fuisse concessuros, ut quicquid vellet acciperet et sua retineret, si modo imperio obsequeretur alterumque Græciæ principatu potiri sineret. Verum enimvero non erant hæc Atheniensibus priscis avita neque ferenda neque insita, neque potuit ab omni ævo quisquam unquam reipublicæ persuadere ut potentibus, iisdemque iniqua facientibus, addicens se tuto serviret, quin per omnem ætatem de principatu honoreque et gloria decertavit et in periculis versata est. Atque hæc tam splendida, tam vestris moribus consentanea esse judicastis, ut majores nostros, eos qui hæc gesserunt, maximis laudibus efferatis. Neque injuria. Quis enim virtutem illorum virorum non admiretur, qui patriæ solum atque urbem, conscensis navibus, relinquere non dubitarunt, ne imperio parerent? atque hujus quidem consilii auctorem Themistoclem imperatorem delegerunt, eum vero qui parendum imperatis censuit Cyrsilum lapidibus obruerunt, neque eum solum, sed et mulieres vestræ uxorem ejus. Non enim quærebant prisci illi Athenienses neque rhetorem neque imperatorem, cujus opera feliciter servirent: sed neque vivendum sibi judicabant, nisi cum libertate vivere liceret. Existimabat enim eorum quisque non solum patri se et matri natum esse, verum etiam patriæ. Quid vero interest? quod is, qui se parentibus solum natum esse arbitratur, mortem quam fatum ac natura afferat exspectabit, qui autem et patriæ, ut ne eam servire videat, emori præoptabit, et magis metuendas esse ducet contumelias ignominiasque, quas in civitate servienti perferre est necesse, quam interitum.

60. Si igitur hoc dicere instituerem, me vobis auctorem fuisse ut spiritus majoribus vestris dignos sumeretis, nemo profecto est quin me jure reprehendat. Nunc ego vestra esse hæc instituta declaro, monstroque etiam ante mea tempora hos fuisse spiritus ac sensus civitatis, ac ministerii quidem partem in singulis rebus gestis ad me quoque referendam esse dico: at iste, dum summam rem insectatur, vosque mihi infensos esse jubet ut qui timorum ac discriminum reipublicæ causa fuerim, me quidem præsenti ornamento cupit exspoliare, vobis vero sempiterna præconia eripere. Si enim, quasi non optime a me gesta republica, hunc *Ctesiphontem* condemnabitis, deliquisse videbimini, non fortunæ temeritate ea quæ acciderunt pertulisse. Verum non est, non est ut deliquistis, Athenienses, qui pro communi omnium libertate ac salute periculum adiistis, non, *juro*, per majores nostros qui in Marathone propugnarunt et qui ad Platæas acie instructa conflixerunt et qui ad Salamina quique ad Artemisium navali prælio decertarunt multosque alios quorum in monumentis publicis memoria condita est, præclaros viros, quos omnes peræque civitas consimili dignata laude sepelivit, Æschine, non eos solos qui rem bene gesserant neque eos solos qui vicerant. Ac merito. Nam quod fuit fortium virorum opus, omnes præstiterunt: fortuna vero usi sunt ea, quam cuique deus tribuit. Atque hic, o scelus literatorque vilis, tu mihi honorem atque gratiam apud hos cupiens eripere, tropæa et pugnas et antiqua facinora commemorabas, quorum quidnam hæc causa desiderabat? Me vero, tertiane histrio, qui de principatu consilium daturus patriæ prodibam, cujus hominis spiritu suscepto in suggestum adscendere oportebat? ejusne qui his indigna diceret? merito sane periissem. Nam ne vos quidem, Athenienses, eodem oportet animo privatas causas ac publicas disceptare, sed uti in quotidianæ vitæ contractibus *expendendis* in privatas leges atque actiones inquirendum est, ita in consiliis publicis ad majorum honores respiciendum, simulque existimandum una cum virga et tessera *judiciali* spiritum civitatis unumquemque vestrum suscipere, ubi de rebus ad remp. pertinentibus acceditis judicaturi, si quidem illis digna agere vos arbitremini oportere.

61. Sed in ea quæ a majoribus vestris gesta sunt facinora delapsus nonnulla decreta actaque præterii. Eo igitur revertar, unde sum digressus. Ut Thebas pervenimus, ibi Philippi et Thessalorum aliorumque sociorum legatos offendimus, et nostros quidem amicos trepidos, illius autem fiducia elatos. Atque ut hæc non meæ nunc utilitatis causa dicere compertus sim, recita mihi literas eas, quas tum nos legati statim misimus. Et vero usque eo iste calumniando progressus est, ut si quid recte et e rep. gestum sit, id tempori, non mihi tribuendum dicat: aliarum autem rerum omnium, quæ secus ceciderunt, in me atque in meam fortunam culpam conferat. Atque ita scilicet, suasor et orator ego nullius earum rerum quæ oratione et consilio actæ sunt adjutor ei fuisse videor, earum vero quæ in armis et imperio infeliciter processerunt solus auctor exstitisse. Ecquis immanior calumniator fingi potest aut exsecrabilior isthoc? Recita literas.

ret. Nam si hæc citra certamen tradidisset, pro quibus nullum non periculum majores nostri subiissent, quis non te consputaret, *Æschine?* absit enim ut civitatem dicam, aut me. Quibus vero oculis pro Jupiter! homines intueremur qui in hanc urbem venirent, si res in eum quo nunc sunt locum devenissent, ac dux dominusque omnium constitueretur Philippus, contentionem autem hæc ut ne fierent alii sine nobis iniissent! idque cum hæc civitas nunquam superiori tempore securitatem ingloriam pluris quam periculum pro rebus honestis susceptum fecerit. Quis enim Græcorum, quis barbarorum nescit, et Thebanos quique ante eos pollebant Lacedæmonios et ipsum Persarum regem multa cum gratia illud libenter civitati nostræ fuisse concessuros, ut quicquid vellet acciperet et sua retineret, si modo imperio obsequeretur alterumque Græciæ principatu potiri sineret. Verum enimvero non erant hæc Atheniensibus priscis avita neque ferenda neque insita, neque potuit ab omni ævo quisquam unquam reipublicæ persuadere ut potentibus, iisdemque iniqua facientibus, addicens se tuto serviret, quin per omnem ætatem de principatu honoreque et gloria decertavit et in periculis versata est. Atque hæc tam splendida, tam vestris moribus consentanea esse judicastis, ut majores nostros, eos qui hæc gesserunt, maximis laudibus efferatis. Neque injuria. Quis enim virtutem illorum virorum non admiretur, qui patriæ solum atque urbem, conscensis navibus, relinquere non dubitarunt, ne imperio parerent? atque hujus quidem consilii auctorem Themistoclem imperatorem delegerunt, eum vero qui parendum imperatis censuit Cyrsilum lapidibus obruerunt, neque eum solum, sed et mulieres vestræ uxorem ejus. Non enim quærebant prisci illi Athenienses neque rhetorem neque imperatorem, cujus opera feliciter servirent: sed neque vivendum sibi judicabant, nisi cum libertate vivere liceret. Existimabat enim eorum quisque non solum patri se et matri natum esse, verum etiam patriæ. Quid vero interest? quod is, qui se parentibus solum natum esse arbitratur, mortem quam fatum ac natura afferat exspectabit, qui autem et patriæ, ut ne eam servire videat, emori præoptabit, et magis metuendas esse ducet contumelias ignominiasque, quas in civitate servienti perferre est necesse, quam interitum.

60. Si igitur hoc dicere instituerem, me vobis auctorem fuisse ut spiritus majoribus vestris dignos sumeretis, nemo profecto est quin me jure reprehendat. Nunc ego vestra esse hæc instituta declaro, monstroque etiam ante mea tempora hos fuisse spiritus ac sensus civitatis, ac ministerii quidem partem in singulis rebus gestis ad me quoque referendam esse dico: at iste, dum summam rem insectatur, vosque mihi infensos esse jubet ut qui timorum ac discriminum reipublicæ causa fuerim, me quidem præsenti ornamento cupit exspoliare, vobis vero sempiterna præconia eripere. Si enim, quasi non optime a me gesta republica, hunc *Ctesiphontem* condemnabitis, deliquisse videbimini, non fortunæ temeritate ea quæ acciderunt pertulisse. Verum non est, non est ut deliquistis, Athenienses, qui pro communi omnium libertate ac salute periculum adiistis, non, *juro*, per majores nostros qui in Marathone propugnarunt et qui ad Platæas acie instructa conflixerunt et qui ad Salamina quique ad Artemisium navali prælio decertarunt multosque alios quorum in monumentis publicis memoria condita est, præclaros viros, quos omnes peræque civitas consimili dignata laude sepelivit, Æschine, non eos solos qui rem bene gesserant neque eos solos qui vicerant. Ac merito. Nam quod fuit fortium virorum opus, omnes præstiterunt: fortuna vero usi sunt ea, quam cuique deus tribuit. Atque hic, o scelus literatorque vilis, tu mihi honorem atque gratiam apud hos cupiens eripere, tropæa et pugnas et antiqua facinora commemorabas, quorum quidnam hæc causa desiderabat? Me vero, tertiane histrio, qui de principatu consilium daturus patriæ prodibam, cujus hominis spiritu suscepto in suggestum adscendere oportebat? ejusne qui his indigna diceret? merito sane periissem. Nam ne vos quidem, Athenienses, eodem oportet animo privatas causas ac publicas disceptare, sed uti in quotidianæ vitæ contractibus *expendendis* in privatas leges atque actiones inquirendum est, ita in consiliis publicis ad majorum honores respiciendum, simulque existimandum una cum virga et tessera *judiciali* spiritum civitatis unumquemque vestrum suscipere, ubi de rebus ad remp. pertinentibus acceditis judicaturi, si quidem illis digna agere vos arbitremini oportere.

61. Sed in ea quæ a majoribus vestris gesta sunt facinora delapsus nonnulla decreta actaque præterii. Eo igitur revertar, unde sum digressus. Ut Thebas pervenimus, ibi Philippi et Thessalorum aliorumque sociorum legatos offendimus, et nostros quidem amicos trepidos, illius autem fiducia elatos. Atque ut hæc non meæ nunc utilitatis causa dicere compertus sim, recita mihi literas eas, quas tum nos legati statim misimus. Et vero usque eo iste calumniando progressus est, ut si quid recte et e rep. gestum sit, id tempori, non mihi tribuendum dicat: aliarum autem rerum omnium, quæ secus ceciderunt, in me atque in meam fortunam culpam conferat. Atque ita scilicet, suasor et orator ego nullius earum rerum quæ oratione et consilio actæ sunt adjutor ei fuisse videor, earum vero quæ in armis et imperio infeliciter processerunt solus auctor exstitisse. Ecquis immanior calumniator fingi potest aut exsecrabilior isthoc? Recita literas.

LITERÆ.

62. Concione igitur advocata, *Thebani* priores illos introduxerunt, quod sociorum locum apud ipsos obtinebant. Producti itaque concionabantur, multum quidem Philippum laudantes, multum vos insectantes, omnia quæcunque unquam adversa fecistis Thebanis memoria repetentes. Ad summam, æquum esse censebant, ut pro acceptis a Philippo beneficiis gratiam sibi ipsis rependant, injuriarum vero quas a nobis accepissent pœnas, utrocunque velint modo, expetant, vel dato iis transitu ad nos, vel armis una in Atticam illatis. Præterea demonstrabant, ut sibi quidem videbantur, ex iis quæ ipsi suaderent, pecora et mancipia aliaque Atticæ bona in Bœotiam perventura, ex iis vero quæ nos essemus dicturi, Bœotiæ fructus omnes a bello direptum iri. Multaque alia præterea, sed quæ huc tamen omnia spectarent, dicebant. Quæ autem nos contra diximus, sigillatim vobis exponere licere præ omnibus ego quidem æstimarim opibus, sed vereor ne vos, præteritis jam temporibus, quasi eluvionem quandam rerum accidisse existimantes, inanem verborum strepitum omnem esse his de rebus orationem ducatis: quæ igitur persuaserimus nos et quæ nobis illi responderint, audite. Cape hoc et recita.

RESPONSUM THEBANORUM.

63. His igitur actis, vocarunt vos illi et arcesserunt. Exiistis, opem tulistis, ut ea quæ in medio sunt prætermittam, ita familiariter vos exceperunt, ut cum foris essent pedites equitesque, exercitum vestrum in tecta atque in urbem reciperent, ad liberos, ad uxores, ad omnia carissima. Atqui tres illo die vestrum laudationes omnibus mortalibus declararunt Thebani pulcherrimas, unam fortitudinis, alteram justitiæ, tertiam temperantiæ. Nam cum stare vobiscum in acie quam contra vos maluerunt, et fortiores vos esse judicarunt et æquiora postulare quam Philippum; et cum ea, quæ et apud semetipsos et apud omnes homines diligentissime custodiri solent, liberos conjugesque, vestræ potestati permiserunt, firmam se de vobis temperantiæ opinionem habere declararunt. In quibus omnibus, Athenienses, quod ad vos attinet, recte eos judicasse compertum est. Nam neque, ingresso in oppidum exercitu, quisquam de vobis ne injuria quidem questus est; ita vos continentes præbuistis: et cum bis conjunctis copiis pugnaveritis, superioribus illis præliis, altero ad fluvium commisso, altero hyberno, non inculpatos solum vosmet verum etiam admirabiles præstitistis, ornatu, apparatu, alacritate animi. Propter quæ ab aliis quidem in vos collatæ laudes erant, a vobis vero sacrificia et supplicationes diis agebantur. Atque ego libenter sane ab Æschine quæsierim: cum in his versaremini et honoris lætitiæque et laudum plena esset civitas, utrum ipse una cum populo sacrificarit et lætatus sit, an mœrens ac gemens et livore confectus ob communem felicitatem domi consederit? Nam si aderat et inter cæteros annumeratus est, nonne inique, imo vero nonne impie facit, qui quarum rerum tanquam optimarum ipse deos testes adhibuerit, easdem nunc ut indignas judicetis, postulet a vobis qui per deos jurati estis? Sin vero non aderat, annon millies is perire meritus est, si quibus lætitiam suscipiebant alii, iis ipse visis contristabatur? Recita igitur et hæc mihi decreta.

DECRETA DE SACRIFICIIS.

64. Ergo nos quidem in sacrificiis tum eramus occupati, Thebani autem inibi erant ut sese per nos salutem consecutos esse existimarent, eoque res redierat ut quibus propter istorum facinora auxilii opus fore videbatur, ii ipsi aliis ferrent auxilium ex iis rebus quas me auctore suscepistis. Quales porro tunc propter hæc ipsa voces mitteret Philippus et quibus in turbis versaretur, ex epistolis illius cognoscetis, quas in Peloponnesum misit. Age cape illas ac recita, ut intelligatis, meam assiduitatem et discursus et ærumnas et complura decreta, quæ iste modo calumniis proscidit, aliquantum profecisse. Enimvero multi apud vos, Athenienses, exstiterunt oratores clari atque magni ante me, Callistratus ille, Aristophon, Cephalus, Thrasybulus, alii plurimi: verum tamen nemo ex his unquam se totum ulla in re tradidit reipublicæ, sed si quis decretum scriberet, non obiit legationem, si legationem obiret, non scripsit decretum. Reliquit enim sibi quisque simul laxamenti aliquid, simul si quid accideret receptum. Quid ergo? dicat aliquis, tune adeo robore et audacia præstas aliis, ut omnia ipse conficias? Non dico hoc, verum ita magnum esse mihi persuaseram periculum quod invaserat civitatem, ut neque tempus neque copiam de privata salute prospiciendi dare videretur, sed præclare nobiscum actum iri *existimarem*, si quis nulla re prætermissa quæ opus erant perficeret. Mihi autem de me ipso in animum induxeram, stulte fortasse, sed tamen induxeram, neminem neque qui decreta scriberet melius quam me fuisse scripturum, neque qui ageret *commodius* acturum, neque qui legationem obiret studio aut fide majore legationem obiturum. Ea propter ad omnia me negotia accinxi. Recita jam epistolas Philippi.

EPISTOLÆ PHILIPPI.

Huc redegit Philippum mea reip. gerendæ ratio, Æschine: hanc illum vocem mittere coegi, qui antea multa atque insolentia in civitatem nostram verba contorserat. Pro quibus ego merito ab his corona sum donatus, neque tu cum adesses contradixisti, et qui me accusavit Diondas quintam suffragiorum partem non obtinuit. Ac mihi recita illa decreta, quæ tunc judicio absoluta, ab hoc ne in jus quidem vocata sunt.

DECRETA.

65. Hæc decreta, Athenienses, easdem syllabas eademque verba continent, quæ ante Aristonicus, nunc Ctesiphon iste scripsit; atque hæc Æschines nec ipse judicio persecutus est, neque accusanti subscripsit. Atqui tunc Demomelem qui hæc decernebat et Hyperidem, si quidem veris me criminibus nunc arcessit, æquius fuit quam huncce accusare. Quid ita? Quia Ctesiphonti quidem licet in illos regerere tum judiciorum cognitiones, tum et illud quod neque iste ipse eos accusavit qui eadem, quæ hic nunc scripsit, decreverunt, denique quod non amplius sinant leges de rebus ita transactis quenquam in judicium vocare, et permulta alia: tunc autem per se res in disceptationem venisset, priusquam aliquid ex his iste præoccupasset.

66. Verum non licebat opinor, tum quod nunc facit, ab ultimis temporibus et ex multis decretis ea excerpentem, quæ neque quisquam antea noverat neque hodie prolatum iri suspicatus esset, calumniari, et perturbato temporum ordine, falsisque rerum causis pro veris assignatis, aliquid videri dicere. Non tum ea licebant, sed coram ipsa veritate, prope eventa, vobis adhuc recenti memoria continentibus et tantum non eorum singula contrectantibus, omnis habeatur necesse fuit oratio. Quamobrem, vitatis tunc cum res ipsæ gererentur probationibus, nunc denique venit, oratorum certamen existimans vos, ut mihi quidem videtur, non rerum publice gestarum disquisitionem propositurós, et judicium de verbis, non de utilitate reipublicæ futurum.

67. Deinde sententiosum agit, aitque oportere, vos eam de nobis opinionem quam huc domo detulistis negligere: sed quemadmodum cum rationes cum aliquo subducitis, aliqua esse apud eum reliqua existimantes, si calculi quadrarint nihilque sit reliqui, conceditis, ita et nunc vos iis quæ oratione plana fient convenit assentiri. Videte igitur, quam ruinosum utique natura sit quicquid non juste actum est. Nam isthoc ipso sapienti exemplo confitetur nunc vos habere persuasum, me pro

patria mea dicere, ipsum pro Philippo: non enim vos de sententia demovere conaretur, nisi talis reapse esset vestra de utroque nostrum existimatio. Atqui illum injusta dicere, cum vos sententiam eam mutare suadeat, ego facile docebo, non calculis adhibitis—non enim ita rerum gestarum subducuntur rationes—sed singularum actionum memoria breviter repetita, vobisque qui auditis rationum judicibus simul et testibus assumptis. Mea enim reip. administratio, quam iste criminatur, effecit, ut pro eo quod Thebani una cum Philippo in nostram regionem invaderent, quod omnes existimabant futurum, illi conjunctis nobiscum copiis eum prohiberent: pro eo quod bellum in Attica versaretur, ad septingenta ab urbe stadia in Bœotorum finibus gereretur: pro eo quod prædones ex Eubœa *profecti* nos diriperent vexarentque, ut pace Attica maritima per omne belli tempus frueretur: pro eo quod Hellespontum teneret Philippus, Byzantio occupato, ut conjuncti nobiscum Byzantii bellum ei communiter inferrent. Nunquid calculis tibi similis videtur ea quæ de rebus gestis initur ratio? aut hæc contrario judicio tolli oportere *putas*, et non quomodo sempiternæ consecrentur memoriæ videre? Mitto quod crudilitatem eam, quam ubicunque aliquos penitus in suam potestatem redegerat Philippus licuit conspicere, aliis experiri contigit, humanitatis autem, quam ille cum ad cætera viam affectaret vobis ficte ostentabat, fructus vos merito percepistis.

68. Verum hæc missa facio. Attamen hoc dicere non verebor, eum, qui in oratorem juste velit inquirere neque calumnias intendere, non ea quæ tu modo commemorabas, crimini esse datum, exempla fingentem verbaque et gestus imitantem,—omnino enim in eo, nonne vides? positæ sunt fortunæ Græciæ, illone an illo verbo usus sim, huc an illuc manum porrexerim—, sed ipsas res indagantem spectaturum, quas facultates quasque copias tum haberet civitas, cum ad negotia ista accessi, quasque ego ei postea rerum cura suscepta compararim, et quo loco fuerint res adversariorum: deinde si quidem imminuissem reip. copias, in me crimen hærere ostendisset, sin multum auxissem, non esset calumniatus. Quoniam autem tu hoc defugisti, ego faciam: vos, utrum recte orationem instituam, spectate.

69. Copias igitur habebat civitas insulares, non universos, sed infirmiores; neque enim Chios neque Rhodus neque Corcyra nobiscum erant. Pecuniarum collatio descripta erat ad quinque et quadraginta talenta; atque hæc jam ante erant exacta. Gravis armaturæ militem aut equitem præterquam urbanum *habebamus* nullum. Quod autem erat omnium maxime et formidandum nobis et hostibus utilissimum, perfecerant isti ut finitimi omnes inimicitiis essent erga nos quam amicitiæ propiores, Megarenses, Thebani, Eubœi. Res igitur civitatis hoc erant loco, neque præter hæc di-

cere quisquam aliud possit: Philippi vero, cum quo nobis erat certamen, quomodo se res habuerunt videte. Primum imperabat iis qui eum sequebantur ipse auctoritate summa, quod eorum quæ ad bellum pertinent maximum est omnium. Deinde hi arma nunquam non habebant in manibus. Deinde pecunia abundabat. Et, quæ ipsi visa essent, agebat, non decretis *quid vellet* ante denuncians, nec in propatulo deliberans, non a calumniatoribus in judicium vocatus, non decreti contra leges scripti postulatus, non rationibus cuipiam referendis obnoxius, sed plane ipse dominus, dux, imperator omnium. Ego vero qui contra hunc instructus eram—nam et hoc exquiri æquum est—cujus rei potestatem habebam? Nullius. Nam primum hanc ipsam concionandi facultatem, cujus solius eram particeps ego, communem proposuistis vos illius mercenariis atque mihi, et quibuscunque in rebus me illi superarent—multa autem acciderunt hujusmodi, alia aliis de causis, quascunque fors tulisset—, in iis ex usu hostium initis consiliis discessistis. Veruntamen tot rebus inferior ego socios vobis comparavi Eubœos, Achæos, Corinthios, Thebanos, Megarenses, Leucadios, Corcyræos, ex quibus externorum militum quindecim millia, equitum duo millia, præter urbanas copias, sunt coacta: pecuniarum vero collationem quantam potui maximam exegi.

70. Quod si jura nostra cum Thebanorum juribus comparas, Æschine, aut cum Byzantiorum aut cum Eubœorum, aut de æquabili parte *tributi conferendi* nunc disputas, primum ignoras, olim etiam, cum trecentæ triremes essent illæ quæ pro Græcis decertarunt, ducentas civitatem nostram præbuisse, neque se idcirco deteriore conditione esse arbitrari neque eos qui hoc consilii dedissent judicio persequi neque ea graviter ferre compertam esse—turpe enim fuisset—sed diis immortalibus gratiam habere, si, Græcis in commune discrimen adductis, ipsa duplo plus quam alii ad omnium salutem contulisset. Porro inanem apud hos gratiam captas, cum me calumniaris: quid enim nunc ea dicis quæ facere oportebat, ac non tum, cum in urbe esses rebusque interesses, hæc decernebas, si quidem licebat per illa tempora, in quibus non quod vellemus, sed quod res ipsæ darent, accipere necessum erat. Namque is qui contra liceretur, qui iis quos rejecerimus promptum hospitium præberet, qui pecunias insuper daret, aderat paratus.

71. At si nunc propter ea quæ gesta sunt accusor, quid futurum fuisse censetis, si, cum ego scrupulosius his de rebus disceptarem, abscessissent civitates et sese cum Philippo conjunxissent, isque uno tempore Eubœæ simul et Thebarum Byzantiique compos factus esset, quid facturos aut quid putatis dicturos fuisse sceleratos istos homines? Non, proditos esse illos? non, spretos ac rejectos cum nobiscum esse cupiissent: deinde Philippum Hellesponto per Byzantios esse potitum, frumentique quod ad Græcos supportabatur dominum esse factum, bellum finitimum atque atrox per Thebanos in Atticam invectum, mare propter prædonum ex Eubœa eruptiones navigantibus esse clausum? Nonne hæc dicerent aliaque præterea multa? Improba, Athenienses, improba semper res est calumniator, et undecunque malignus et criminandi cupidus: iste autem homunculus et natura bellua est, qui nihil unquam a prima ætate sinceri fecit, nihil libero digni, simia tragœdorum, rusticus Œnomaus, adulterinus orator. Quid enim tua dicendi facultas patriam juvit? Nunc tu nobis de præteritis verba facis? Ut si quis medicus, ægris interea dum ægrotent ingressus, non dicat neque ostendat, quomodo morbo liberentur, sed ubi obierit eorum aliquis eique justa funeris solvantur, *pompam* ad sepulcrum secutus prolixe narret, s i h o c e t i l l u d f e c i s s e t h o m o i s t e, n o n o b i i s s e t. Stupefacte, nunc demum loqueris?

72. Jam vero ne cladem quidem illam—si in ea exsultas, propter quam ingemiscere te, o scelus, oportebat—ullam ob rem quæ in mea potestate sita fuit contigisse invenietis reipublicæ. Ita autem rem perpendite. Nusquam ego, quocunque legatus a vobis missus sum, victus unquam discessi a Philippi legatis, non ex Thessalia, non ex Ambracia, non ab Illyriis, non a Thraciæ regibus, non Byzantio, non ullo alio ex loco, non denique nuper Thebis: sed quibus in rebus ejus legati victi fuerant verbo, has ille armis superveniens evertebat. Hæc tu igitur a me repetis, neque te pudet eundem hominem ob mollitiam vellicare utque omnes Philippi copias unus ille superet postulare? idque verbis: quid enim aliud in mea potestate positum erat? non enim anima neque fortuna cujusquam eorum qui in acie steterant, non imperatorium munus, cujus tu a me postulas rationes: usque adeo stolidus es.

73. At quarum rerum orator rationem referre debet, de iis qualemcunque inquisitionem facito: non recuso. Quænam igitur ea sunt? Prospicere initia rerum et præsentire et prædicere aliis: hæc a me facta sunt. Deinde quæ singulis in negotiis incidunt tarditates, segnitias, inscientias, contentiones, quæ insita sunt civitatibus omnibus et necessaria peccata, ea quam arctissime comprimere, et contra ad concordiam amicitiamque et studium peragendi quæ opus sunt excitare: atque hæc omnia a me facta sunt, neque aliquid quisquam mortalium reperire queat, quod a me quantum potui erat prætermissum. Si quis igitur quemcunque roget, quibus rebus Philippus maximam eorum quæ gessit partem expedierit, respondebunt omnes e x e r c i t u e t p r o m i s s i s p r e t i o q u e c o r r u m p e n d i s i i s q u i r e b u s e r a n t p r æ f e c t i. Exercitum igitur neque in mea potestate habebam neque ducebam ego, ita neque eorum quæ ibi gesta sunt ratio ad me pertinet: sed enim

in eo, quod muneribus corrumpi nollem, superior fui Philippo. Nam ut is qui emit vicit eum qui pretium accepit, si modo emerit, sic, qui nec accepit nec corruptus est, vicit emptorem: quare invicta civitas est quoad me.

74. Quæ igitur ego eo contuli, ut jure talia scribere posset iste de me, præter alia multa, hæc et his similia sunt: quæ autem omnibus nota vobis sunt, jam exponam. Statim post pugnam populus, qui sciret ac vidisset quæ ego gesseram omnia, cum per ipsos illos terrores ac discrimina medius incederet, quo tempore non erat mirandum si gravius aliquid in me ageret multitudo, primum, cum de salute publica consuleret, sententias meas confirmabat, et omnia quæcunque præsidii causa agebantur, custodum distributio, fossæ, pecuniæ in muros *erogandæ*, meis decretis fiebant: deinde, cum rei frumentariæ curatorem crearet, me unum ex omnibus delegit populus. Et cum postea conspirassent ii, quibus erat curæ ut me læderent, et actiones de decretis illicitis, rationum examina, perduellionis judicia, cætera hujuscemodi omnia in me intendissent, non per se ipsi quidem initio sed per quos maxime sese putabant latituros,—nostis enim utique et meministis, primis illis temporibus diebus fere singulis me in judicium vocari, et neque amentiam Sosiclis neque calumniam Philocratis neque Diondæ et Melanii insaniam neque aliud quicquam intentatum ab iis relinqui contra me,—in his igitur omnibus maxime quidem deorum immortalium, deinde vestro aliorumque Atheniensium omnium beneficio conservatus sum. Nec injuria: hoc enim et verum est et juratis judicibus et religiose pronuntiantibus accommodum. Itaque cum me perduellionis reum absolveretis et quintam suffragiorum partem accusatoribus non daretis, tum rectissime agere me pronuntiastis: cum de illicitis decretis postulatus effugi, legibus consentanea et decernere et dicere compertus sum: cum rationes meas comprobatas obsignaretis, juste et incorrupte a me acta esse omnia confessi estis.

75. Cum hæc igitur ita se habeant, quod conveniebat aut quodnam æquum erat rebus a me gestis imponere Ctesiphontem nomen, nonne id quod populum videbat imposuisse, non id quod juratos judices, non id quod veritatem apud omnes certam? Immo inquit, sed illud Cephali præclarum, nullo unquam eum judicio postulari. Et mehercule fortunatum quoque. Sed qui magis ille, qui sæpe in judicium vocatus, nunquam ullius criminis convictus sit, idcirco in culpa jure fuerit ponendus? Quanquam quod ad istum quidem attinet, Athenienses, etiam illud Cephali præclarum mihi de memetipso prædicare licet. Nullam enim unquam in me aut instituit aut prosecutus est actionem, itaque tua quidem confessione nihilo ego Cephalo deterior civis sum.

76. Cum multis igitur ex rebus iniquitatem quis illius et livorem perspexerit, tum ex iis maxime quæ de fortuna disseruit. Omnino equidem ego, quisquis homo cum sit homini fortunam objectat, fatuum et vecordem eum duco: nam cum is, qui optime secum agi putat et prosperrima se uti fortuna, exploratum non habeat, eam talem esse mansuram usque ad vesperam, qui convenit de hac loqui aut eam alteri exprobrare? Verum quoniam præter alia multa, de his quoque orationem habuit insolentiæ plenam, considerate Athenienses et spectate, quanto ego verius isto quantoque ad hominum conditionem aptius de fortuna disputem. Ego civitatis quidem hujus fortunam bonam esse arbitror, atque hoc video et Jovem Dodonæum vobis et Apollinem Pythium vaticinatum esse: omnium vero hominum, eam quidem quæ nunc urget, miseram atque acerbam; quis enim Græcorum aut quis barbarorum non multas calamitates hoc tempore est expertus? Quod igitur honestissima prætulerimus quodque ipsis illis Græcis qui putarunt se, si nos deseruissent, beate victuros, feliciores simus, hoc bonæ fortunæ nostræ civitatis acceptum fero: quod autem offenderimus neque omnia nobis ex animi sententia processerint, in eo aliorum hominum fortunæ ratam quandam partem ad nos pertinentem tulisse puto rempublicam. At privatam meam et cujusque nostrum fortunam in privatis exquiri rebus æquum esse duco. Ego igitur sic de fortuna quærendum censeo, recte atque juste, mea quidem sententia, puto etiam et vestra: iste autem privatam fortunam meam valentiorem esse quam publicam civitatis ait, tenuem ac dejectam quam secundam atque amplam. Id vero fieri qui potest?

77. Verum enim si in meam inquirere fortunam omnino statutum habes, Æschine, confer eam cum tua, et si meam compereris esse tua meliorem, jam eam desinito conviciari. Considera igitur usque a principio.—Sed ne me quisquam, per Jovem deosque oro, insulsitatis postulet. Ego enim neque si quis paupertatem ludibrio vexat, sanæ eum mentis esse puto, neque si quis in rerum affluentia educatus eo nomine superbit: verum istius importuni maledictis et calumniis in hanc orationem cogor incidere, cui tamen, ut rei natura feret, quantum maxime possum moderabor.

78. Mihi ergo contigit, Æschine, cum puer essem, idoneos literarum ludos frequentare, eaque omnia habere quæ opus sunt homini nihil turpe admissuro propter egestatem; egresso autem e pueris, his consentanea agere, choragi munus obire, trierarchum esse, pecunias conferre, nulli vel privatæ vel publicæ munificentiæ deesse, sed me et reipublicæ et amicis utilem præstare: deinde, cum ad remp. accedere visum est mihi, eam administrandi rationem *mihi contigit* sequi, unde tum a patria tum a cæteris Græcis sæpenumero corona donatus sim, neque vos quidem inimici, non præclara esse ea quæ agenda suscepi, dicere sitis conati. Hac ego

igitur per omnem vitam usus sum fortuna, ac multa alia quæ de illa possim dicere prætermitto, veritus ne quospiam offendam, dum meipsum effero.

79. Tu vero vir gravis atque alios conspuens vide cum hac mea collatam qualem habuisti fortunam: ob quam scilicet puer magna in egestate educatus es, una cum patre ludo literarum assidens, atramentum terens, scamna spongiis purgans, pædagogium verrens, famuli vice, non pueri ingenui, functus; vir autem factus matri initianti libros recitabas aliaque fraudis instrumenta simul concinnabas, noctu eos qui initiabantur hinnulorum pellibus succingens et vinum iis effundens, et expians eos, et luto et furfure detergens, et expiatione peracta eos surgere faciens, et dicere jubens effugi mala, reperi meliora, neminem unquam tam immani voce ululasse gloriatus,—quod ego verum arbitror: nolite enim existimare eum qui tam clare loquatur, non ululare etiam clarissime—, interdiu vero præclaros illos thiasos per vias agitabas fœniculo et populo redimitos, anguibus, quos pareias vocant, compressis et supra caput elatis, clamitansque evœ sabœ, et carmen illud saltans hyes attes attes hyes, auspex et antecursor et hederifer et vannifer et similia ab aniculis salutatus, mercedem pro his reportans intrita et scriblitas et mellitas placentas, quibus rebus quis non eum vere beatum prædicet *beatamque* fortunam ejus? Postquam autem in popularium album inscriptus es, quoquo modo id fuerit—mitto enim hoc—, sed postquam inscriptus es, statim pulcherrimum suscepisti munus, ut infimis magistratibus scriba esses et subservires: deinde, ut hoc etiam munere defunctus es, iis omnibus quorum tu alios incusas ipse perpetratis, nihil medius fidius eorum quæ olim a te acta sunt posteriore vita dedecorasti, sed cum teipsum histrionibus illis qui mugitores cognominantur, Simylo et Socrati, mercede locavisses, tertiarum partium actor eras, ficus et uvas et olivas colligens, tanquam pomarius ex alienis fundis, plura ob hæc vulnera accipiens quam in iis certaminibus, in quibus vos de vita dimicastis; erat enim internecinum et implacabile vobis cum spectatoribus bellum, a quibus cum multa vulnera acceperis, recte eos qui insueti sunt hujusmodi periculorum ut timidos irrides. Sed missis iis, quorum culpam quis in paupertatem conferre queat, ad ea veniam crimina quæ in mores tuos conveniunt. Eam enim reip. administrandæ rationem secutus es, postquam id quoque opus venit tibi in mentem ut susciperes, unde florente quidem patria leporis vitam viveres, horrens ac tremens et nunquam non verbera exspectans ob ea quorum tibi conscius eras flagitia, sed cum adversa alii fortuna uterentur, ferox et alacer ab omnibus cernereris: at qui mille civibus interfectis exsultavit, qualia iste ab iis qui supersunt pati meruit? Cum multa igitur alia habeam, quæ de isto possim dicere, prætereo: non enim quæcunque in eo inesse possum ostendere probra ac dedecora, omnia puto a me jam statim esse proferenda, sed ea demum quæ mihi turpia dictu non sunt.

80. Expende igitur collatas inter se utriusque nostrum vitas, leniter et non acerbe, Æschine: deinde ex his quærito, utrius sibi quisque fortunam dari malit. Tu literas docebas, ego ad ludum literarum ibam. Tu initiabas, ego initiabar. Tu cum choro saltabas, ego chorum alebam. Tu scriba eras, ego concionabar. Tu tertias agebas, ego spectabam. Tu excidebas, ego exsibilabam. Tu omnia pro hostibus in rep. gessisti, ego pro patria. Mitto cætera: at nunc hodie ego ut corona doner inquisitionem subeo, nihil autem deliquisse me in confesso est; tu cum hoc assecutus es ut calumniator habearis, tum in discrimen venis, utrum amplius id te facere oporteat, an jam compesci, quintam suffragiorum partem non consecutum. Enimvero bona tu videlicet per omnem vitam fortuna usus, meam tanquam abjectam criminaris! Age autem et publicorum munerum, quæ obii, testimonia recitabo vobis omnia. Recita vero nobis e contra tu versus illos, quos *olim* jugulasti, adsum relictis inferorum sedibus et mala scito non volentem nuntiare me, et malum male te primum dii immortales, deinde hi omnes, perdant, improbum et civem et proditorem et tertianum histrionem. Recita testimonia.

TESTIMONIA.

81. In iis igitur quæ ad rempublicam spectant talis *extiti:* in privatis autem, si non omnes me comem et humanum et in egentes beneficum cognovistis, taceo et nihil dicam neque ullum his de rebus proferam testimonium, non si quos ab hostibus redemi, non si quorum filias in matrimonium collocavi, non quicquam horum tale. Sic enim existimo. Eum qui beneficium acceperit omni id tempore memoria tenere puto oportere, eum vero qui contulerit de memoria statim deponere, si modo vult ille viri boni, hic non pusilli hominis animi officio fungi: sua vero beneficia commemorare et prædicare propemodum exprobrare est. Quare nihil sum tale facturus, neque usque eo provehar, sed qualiscunque hominum in his rebus de me opinio est, ea mihi satis est.

82. Volo autem, privatis jam explicitis rebus, pauca quædam amplius apud vos de publicis disserere. Si quem igitur mortalium quos hic sol videt, Æschine, proferre potes, qui incolumis antea a Philippi et nunc ab Alexandri dominatu evaserit, sive Græcorum sive barbarorum, esto, concedo tibi, meam sive fortunam sive infortunium nominare mavis, omnium malorum causam fuisse. Sin autem eorum, qui neque me viderunt unquam neque vocem meam audiverunt, multi multa et gravia sunt perpessi, non solum singulares homines

sed et totæ civitates et nationes, quanto æquius est et verius communem omnium hominum, ut credibile est, fortunam et concursum quendam rerum sævum atque infaustum horum causam fuisse existimare? At tu, his omissis, me qui apud hos remp. gessi criminaris, idque cum scias, si non totum, partem certe maledicti tui cum ad omnes tum ad te maxime pertinere. Nam si ego, summa potestate præditus, per me ipse de rebus consilia inivissem, licuisset utique vobis aliis oratoribus me criminari: at si vos semper in concionibus aderatis, si communiter omnibus ad deliberandum quid expediret respublica proponebat, si hæc cum omnibus eo tempore optima videbantur tum maxime tibi,—non enim benevolentia adductus, spem gratiam, honores, quæ omnia inerant in iis quæ tunc a me gerebantur, mihi concedebas, sed veritate victus scilicet et quia nihil melius quod diceres haberes—, non tu injuste improbeque facis, qui ea nunc reprehendis, quibus tum afferre non poteras meliora?

83. Apud alios equidem homines hæc quodammodo video definita esse passim et ordinata. Facit aliquis injuriam sponte? ira et pœnæ adversus eum *parantur*. Erravit aliquis invitus? veniam pro supplicio impetrat. Nec injuriam fecit quis nec erravit, sed cum se totum iis quæ omnium opinione commoda videbantur tradidisset, successu caruit pariter ac reliqui? non exprobrare neque maledicere huic tali convenit, sed una cum illo dolere. Atque hæc omnia non solum legibus contineri reperientur, verum etiam ipsa natura legibus non scriptis hominumque moribus definivit. Æschines igitur usque adeo omnes mortales crudelitate et calumniandi studio superavit, ut etiam ea, de quibus ipse tanquam de infortuniis disserebat, mihi criminis loco ponat.

84. Et præter cætera, quasi ipse simpliciter atque optimo erga vos animo cuncta dixisset, observare vos me et cavere jussit, ne fucum faciam neve seducam, callidum et præstigiatorem et sophistam et his similia me appellans: quasi vero si quis prior alteri impegerit quæ in se insunt, ea sic essent adhæsura neque unquam auditores sint quæsituri, qualis tandem is ipse sit qui ista dicat. Ego vero scio quidem istum vobis notum esse omnibus, vosque arbitrari multo magis hæc in eum quam in me convenire. Quin et illud quoque compertum habeo, meam in dicendo facultatem—esto enim. Quanquam ego video equidem eorum qui dicunt eloquentiæ dominos esse ut plurimum auditores: ut enim vos accipitis et benevolentia quemque prosequimini, ita is qui dicit sapere videtur. Sed tamen si qua mihi sit hujusmodi exercitatio dicendi, hanc vos reperietis omnes in rebus communibus pro vobis semper esse versatam et contra vos nunquam ne privatim quidem, istius autem *eloquentiam* huic contrariam, non solum ad hostium agendam causam adhibitam, verum etiam si quis animum ejus solicitavit aut alicubi offendit, adversus hos. Neque enim eam recte neque ex usu reipublicæ exercet. Non enim probum honestumque civem decet, a judicibus qui de publicis commodis convenerunt postulare, ut suam vel iracundiam vel inimicitias vel aliud quippiam simile sibi expleant et confirment, neque his de causis ad vos in judicium accedere, sed primum operam dare ut talia ei natura non inhæreant, sin id fieri non possit, ut cum clementia et moderatione conjuncta inhæreant.

85. Quibus igitur temporibus vehementem esse oportet hominem in rep. versantem et oratorem? In iis scilicet in quibus de summa rerum periclitatur civitas et in quibus res sit adversus inimicos status popularis, in iis *inquam:* hæc enim generosi sunt bonique civis. Eum autem qui nullius unquam publici criminis, addam ne privati quidem, pœnas sibi putaverit a me esse repetendas, vel reipublicæ vel suopte nomine, coronam laudemque ut criminetur paratum nunc venire et idcirco tot jam verba consumpsisse, *hoc enimvero* privatæ simultatis et invidiæ angustique animi indicium est, nullius certe probitatis. Atqui illud etiam, quod omissa mecum contentione in hunc *Ctesiphontem* nunc incurrat, cætera omnia in se vitia inclusa continet.

86. Ac mihi videris ex iis quæ dixisti, Æschine, ut scite exercitatam vocem ostentares, judicium hocce instituisse, non ut criminis alicujus pœnas expeteres. Verum non oratoris oratio, Æschine, magni æstimanda est neque vocis contentio, sed judicio ac voluntate cum populo consentire eosdemque odisse atque amare, quos patria. Nam qui hoc animo est, is omnia amice benevoleque dicet: at qui eos, a quibus sibi periculum aliquod civitas prospicit impendere, obsequio colit, non eadem qua populus ancora innititur, itaque neque eandem habet spem salutis. Sed, videsne? ego, *scil. eadem qua populus ancora innitor &c.:* eadem enim mihi quæ et his erant commoda proposui, et nihil mihi eximium aut proprium esse volui. Ne tu quidem igitur? At quomodo? qui statim post pugnam legatus ad Philippum es profectus, omnium quæ tum acciderunt calamitatum patriæ tuæ auctorem, idque cum superiori tempore semper munus illud recusasses, ut omnes norunt.

87. Atqui quis est qui civitati fucum facit? non qui aliud sentit, aliud loquitur? Quem præco diris devovet merito? non talem? Quod porro gravius crimen objicere quisquam potest oratori, quam quod non eadem loquatur atque sentiat? Tu igitur talis repertus es. Et tu vocem mittis tamen horumque ora audes intueri? Nunquid existimas hos nescire qui sis, an tantum omnibus somnum atque oblivionem obrepsisse *putas*, ut non meminerint quæ inter concionandum locutus es durante bello, cum exitium tibi precareris ac dejerares, nihil tibi rei esse cum Philippo, sed me hoc tibi crimen impingere ex privata simultate falso. Deinde, ut de prælio renuntiatum est, his neglectis, statim fatebare et præ te ferebas amicitiam et

hospitium tibi cum eo intercedere, ad operam mercenariam nomina ista perperam traducens: quæ enim æqua aut justa potest afferri causa propter quam, Æschine, Glaucotheæ tympanistriæ filio hospes aut amicus aut notus esset Philippus? Ego equidem non video, sed mercede ab eo conductus es ut horum commoda labefactares. Et tamen, cum ita manifesto ab his proditor deprehensus sis et in teipsum post eventa rerum index exstiteris, mihi maledicis eaque exprobras, quorum quemvis potius quam me auctorem fuisse reperies.

88. Multas res et magnas et præclaras civitas nostra et suscepit et feliciter gessit me auctore, Æschine, quarum non oblita est. Idque hoc declarat: quod cum populus aliquem creare vellet qui orationem de mortuorum laudibus haberet, recenti adhuc clade, non te creavit qui nominatus eras, quantumvis vocalem, non Demadem, qui modo pacem fecerat, non Hegemona, non quemquam denique alium vestrum, sed me. Et cum in medium prodissetis tu et Pythocles impudenter atque immaniter, per deos immortales! et me his ipsis criminibus, quibus tu nunc, insimularetis, et conviciis peteretis, tanto etiam propensius me creavit. Causam etsi nec ipse ignoras, tamen et ego tibi dicam. Utrumque noverant isti, et meam in se benevolentiam meamque in agendis rebus alacritatem, et vestram iniquitatem: quæ enim, læto rerum statu, jurati negavistis, hæc eadem ubi offenderat respublica professi estis. Eos igitur, qui in communi calamitate consiliorum suorum impunitatem invenerant, hostes quidem jam antea, tunc et manifestos esse existimarunt. Simulque convenire arbitrati sunt, eum qui de mortuis orationem habiturus esset eorumque virtutem celebraturus, neque contubernalem neque fœderatum fuisse iis qui adversus illos instructa acie depugnaverant, neque cum illic comissaretur hymnosque caneret ob Græcorum clades una cum ipsis cædis patratoribus, huc reversum honore affici oportere, neque simulata voce illorum fortunam lamentari, sed ex animo simul dolere. Hoc autem videbant in se atque in me esse, in vobis vero minime. Propterea me delegerunt, non vos. Neque porro ita fecit populus, mortuorum autem patres atque fratres, ad funus procurandum a populo tunc electi, secus, sed cum dare eos oporteret epulum parentale, hoc ipsum, tanquam apud eum qui mortuos summa necessitudine attingeret, quemadmodum alia fieri solent, apud me fecerunt: neque injuria. Genere enim singuli singulis erant me propinquiores, communiter autem universis nemo conjunctior: nam cujus intererat maxime salvos esse illos ac feliciter rem gerere, is posteaquam ea subierunt, quæ utinam nunquam subiissent, doloris omnium interitu suscepti partem maximam tulit. Recita vero isti hoc epigramma, quod publice iis civitas inscribi voluit: ut ex hoc etiam intelligas, Æschine, iniquum esse te et sycophantam et scelestum. Recita.

89. EPIGRAMMA.

Pro patria hi tellure sua quondam arma ferentes,
Hostilem valida vim repulere manu.
Dum pro se positis certant virtute metuque,
Commune his lethum palma beata fuit,
Græcia capta fero ne subderet ora tyranno
Neu grave servitii ferret adacta jugum.
Patria sed gremio fessorum amplectitur ossa,
Nam legem humanis hanc deus imposuit.
Nil peccare deum est rectoque agere omnia cursu,
Sed fati certa est nec fugienda manus.

Audis, Æschine, etiam in hoc ipso *epigrammate*, quod nil peccare deum est rectoque agere omnia cursu. Non consiliario facultatem rei bene gerendæ ab dimicantibus adscripsit, sed diis immortalibus. Quid igitur mihi, o scelus, his de causis maledicis eaque loqueris, quæ in tuum tuorumque caput dii convertant?

90. Cum multa igitur alia, Athenienses, mihi crimini dedit et in me mentitus est, unum maxime demiratus sum, quod, dum ea quæ tum civitati nostræ acciderunt commemoraret, non ut benevolum justumque decuit civem affectus est, non illacrymavit, non ullum talem in mente sensum habuit, sed elata voce et lætabundus et gulam dilatans putabat se mihi crimen inferre scilicet, indicium autem contra se ipse ferebat, in reipublicæ cladibus nequaquam se ut cæteros afflictum fuisse. Atqui eum qui sibi leges et rempublicam curæ esse dicit, quemadmodum iste nunc, si nihil aliud, hoc certe habere convenit, ut iisdem rebus doleat iisdemque lætetur, quibus populus, neque in publicis consiliis instituendis ab adversariorum partibus stare; quod tu nunc aperte facis, qui me omnium causam esse et per me in molestias incidisse dicis civitatem, cum vos, *Athenienses*, non mea administratione neque instituto adducti Græcis opitulari cœperitis. Nam si mihi hoc a vobis daretur, me auctore tantopere vos dominationi illi restitisse, quæ in Græcos comparabatur, majus utique mihi donum tribueretur, quam quæ aliis unquam concessistis. Sed neque ego hæc prædicarim; injuriam enim facerem vobis: neque vos, certo scio, concederetis. At iste, si justum se præbere vellet, nunquam ejusquam me cum gerit inimicitiæ causa, gloriosissima ex vestris ornamentis labefactaret et calumniis proscinderet.

91. Sed quorsum ego hæc inculpo, cum alia multo atrociora objecerit ac ementitus sit? Nam qui mihi Philippi studium, o terra diique omnes! objicit, quid hic dicere non audeat? Atqui, Herculem deosque testor universos! si quidem vere spectare oporteat, mendaciis et ab odio profectis sermonibus sublatis, qui revera illi sint in quorum capita eorum quæ acciderunt culpam conferre omnes debeant, homines istius similes eos esse in singulis civitatibus

reperietur, non mei: qui, quo tempore infirmæ essent Philippi opes et admodum tenues, sæpe prædicentibus nobis et cohortantibus atque optima ostendentibus, turpis sui quæstus gratia publica commoda projecerunt, suis singuli civibus deceptis et corruptis, donec in servitutem redegerunt, Thessalos Daochus, Cineas, Thrasydæus; Arcadas Cercidas, Hieronymus, Eucampidas; Argivos Myrtis, Teledamus, Mnaseas; Eleos Euxitheus, Cleotimus, Aristæchmus; Messenios Philiadæ diis invisi hominis filii, Neon et Thrasylochus; Sicyonios Aristratus, Epichares; Corinthios Dinarchus, Demaratus; Megarenses Ptœodorus, Helixus, Perilaus; Thebanos Timolaus, Theogiton, Anemœtas; Eubœos Hipparchus, Clitarchus, Sosistratus;—dies me deficiat si omnia proditorum nomina persequar. Hi omnes sunt, Athenienses, iisdem consiliis in suis patriis usi, quibus apud vos isti, impuri homines et adulatores et pestiferi, qui suas singuli patrias mutilarunt, libertatem antea Philippo, nunc Alexandro propinarunt, ventre metientes et turpissimis voluptatibus felicitatem, libertatem vero et nulli parere domino, qui veteribus illis Græcis fines erant et regulæ bonorum, funditus evertentes.

92. Hujus igitur adeo turpis ac famosæ conspirationis et improbitatis, vel proditæ potius, Athenienses, si nugis missis loquendum sit, Græcorum libertatis, cum civitas nostra apud omnes homines ex meis in rep. institutis, tum ego apud vos, culpa vacamus. Et tu me rogas cujus virtutis ergo honore me dignum putem? Ego tibi respondeo. Propterea quod, cum ii qui Græcorum administrarunt respublicas corrupti fuerint universi, te primum numerando, antea a Philippo, nunc ab Alexandro, me neque inclinatio temporum neque verborum comitas neque promissorum magnitudo neque spes neque metus neque gratia neque aliud quippiam excitavit neque adduxit, ut quicquam eorum quæ statuissem vel ad jus vel ad utilitatem patriæ pertinere proderem, neque, quæ unquam hisce suasi, quemadmodum vos ad lucrum quasi in trutina propendens suasi, sed a recto et justo et incorrupto animo omnia quæcunque gessi profecta sunt, et, cum omnium mei temporis mortalium maximis rebus præfuerim, has omnes salutariter et recte et integre administravi: propter hæc honore me dignum puto.

93. Munitionem autem istam, ob quam tu me malefice lacerabas, et fossarum refectionem gratiam quidem ac laudem mereri judico: quidni? longe tamen a rebus meis in rep. gestis semoveo. Non enim lapidibus urbem neque lateribus munivi ego, nec in his mihi præcipue esse gloriandum duco: sed si munitiones meas juste velis excutere, invenies arma, urbes, loca, portus, naves, equos, et qui pro hisce propugnarent milites. Hæc ego munimenta ante Atticam obtendi, quanta maxima humano consequi licuit ingenio, hisque regionem totam communivi, non Piræei tantum aut urbis circuitum. Neque vero consiliis Philippi victus ego sum, multum sane abest, neque apparatu, sed sociorum nostrorum duces atque copiæ fortuna. Quæ sunt harum rerum argumenta? Luculenta et manifesta. Reputate enim.

94. Quid facere oportebat amantem patriæ civem, quid eum qui omni providentia, studio, integritate, in administranda rep. patriæ consuleret? Non a mari Atticam Eubœa contegere, aque mediterraneis regionibus Bœotia, et ab iis locis quæ ad Peloponnesum spectant populis huic conterminis? Non, quomodo res frumentaria per pacata undique omnia usque ad Piræeum supportaretur, providere? et alia quidem jam ante parta tueri, auxiliis mittendis, dicendo, decernendo talia, Proconnesum, Chersonesum, Tenedum, alia ut amicitia et societate nobiscum conjungerentur, efficere, Byzantium, Abydus, Eubœa? et maximas quas habebant hostes copias adimere, quæ deessent autem reipublicæ, ea comparare?

95. Hæc igitur vobis confecta omnia sunt meis decretis meisque in rep. institutis, quæ et recte cogitata esse, Athenienses, si quis absque invidia considerare volet, reperiet, et summa cum integritate administrata, nullius porro rei tempus a me neque prætermissum neque ignoratum neque proditum, et eorum quæcunque in unius hominis potestatem mentemque venire possint, nihil neglectum. Quod si aut dei alicujus aut fortunæ vis, aut ducum imbecillitas aut vestra qui urbes prodidistis malitia aut hæc simul omnia rerum summam labefactarunt, quoad evertissent, quid Demosthenes peccavit? At si qualis ego eram apud vos pro meo loco, talis vir unus in singulis Græciæ urbibus exstitisset, imo vero si unum solum Thessalia unumque Arcadia habuisset qui idem quod ego sentiret, nullus neque eorum qui sunt extra Pylas Græcorum neque eorum qui sunt intra hasce calamitates esset expertus, sed omnes liberi suisque legibus viventes, ab omni metu vacui, tuti ac beati suas ipsorum patrias incolerent, tantorum ac talium beneficiorum vobis et cæteris Atheniensibus gratiam habentes propter me.

96. Atque ut intelligatis verba, quibus utor, factis multo esse tenuiora, quod invidiam verear, sume hanc tabellam, cumque sumpseris perlege numerum auxiliorum, quæ meis decretis comparata sunt.

NUMERUS AUXILIORUM.

Hæc atque his similia, Æschine, bonum honestumque civem agere oportet, quæ si prospere cessissent, o terra diique immortales! in amplissimo rerum statu haud dubie nobis esse licuisset, et sine injuria licuisset, sed quando secus acciderunt, at hoc certe restat, quod bene audiamus quodque nemo neque civitatem nostram neque

ejus institutum reprehendat, sed fortunam vituperet quæ talem esse rerum eventum voluit: non medius fidius a reipublicæ commodis desciscere, seseque adversariis mercede locato, hostium potius quam patriæ temporibus inservire; non eum qui res civitate dignas et dicere et decernere ausus fuerit, et in iisdem strenue perstiterit, obtrectare, neque si privatim ab aliquo læsus sit, hoc recordari et memoria custodire; non denique otium agere infidum et insidiosum, quod tu facis sæpenumero.

97. Est enim, est aliquod otium justum ac utile reipublicæ, quod vos plerique cives simpliciter amplectimini. Sed non hoc iste otium agit, quin multum abest, verum subtrahens se quando ei visum est a republica—sæpe autem visum est—observat quo tempore vos satietas ceperit oratoris assidue dicentis, aut adversi aliquid a fortuna manarit, aut aliunde quippiam tristius evenerit—multa autem hujusmodi fert vita—: deinde hoc ipso tempore orator ex otio repente tanquam turbo cooritur, et, exercitata voce et verbis ac nominibus congestis, clare ista unoque spiritu concinit, quæ neque utilitatem aliquam ferunt neque bonæ cujusquam rei fructum, sed contra calamitatem cuilibet civi reique publicæ dedecus *important*. Atqui istius commentationis et studii, Æschine, si quidem ab animo integro quique utilitatem patriæ sibi propositam habeat nasceretur, fructus generosos et præclaros omnibusque utiles esse oportebat, societates urbium, subsidia pecuniarum, mercatuum structuras, legum utilium lationes, cum apertis reip. inimicis susceptas contentiones. Hæc enim superiori ætate dispici solebant, deditque præteritum tempus civi bono atque honesto multas voluntatis suæ declarandæ occasiones, quibus nusquam tu reperieris interfuisse, non primus, non secundus, non tertius, non quartus, non quintus, non sextus, non quotuscunque, non inquam cum inde patria aucta esset. Quæ enim societas te auctore civitati comparata est? quod auxilium, quæ benevolentia gloriave parta? quæ tua legatio? quæ procuratio, per quam reip. dignitas propagata sit? quæ res domestica, quæ Græcanica et externa, cui tu præfueris, tua opera correcta est? quæ triremes? quæ tela? quæ navalia? quæ murorum instructio? qui equitatus? qua denique in re te utilem præbuisti? quod vel divitibus vel egenis civile et amicum pecuniæ subsidium abs te provenit? Nullum. Sed heus, *inquiet aliquis*, si nihil horum, at certe benevolentia et studium. Ubi? quando? qui, o omnium hominum iniquissime, cum cæteri quicunque unquam de suggesto verba fecerunt, ad salutem publicam contribuerent, et postremo Aristonicus pecuniam dignitatis recuperandæ gratia coactam *effunderet*, ne tum quidem prodiisti neque quicquam erogasti, non quod egeres—qui enim? cui hereditas testamento Philonis affinis amplius quinque talentorum venit, qui duo talenta a classium principibus donum collatitium

habebas, quod legem trierarchicam labefactaris. Verum ne alium ex alio sermonem trahens ab instituto memet excutiam, missa hæc faciam. Atqui non tibi indigentiam obstitisse quominus pecuniam in remp. conferres, ex his perspicuum est, sed quod sedulo caveres, ne quid abs te fieret, quod iis obesset quorum arbitrio omnia in republica gerebas. In quibus igitur tu rebus vir fortis es et quando magnificus? Ubi contra hosce aliquid dicendum sit, hic tu clarissimus voce, acerrimus es memoria, actor optimus, tragicus Theocrines.

98. Deinde clarorum virorum qui olim fuerunt mentionem facis. Ac pulcre facis. Veruntamen nequaquam æquum est, Athenienses, occupata ea qua vos defunctos prosequimini benevolentia, me qui vobiscum vivo cum illis componere et comparare. Ecquis enim mortalium nescit, vivis omnibus aliquid plus minusve succrescere invidiæ, in mortuos autem ne inimicorum quidem odium permanere? Hæc igitur cum ita sint natura comparata, cum iis qui ante me vixerunt componar ego et spectabor? Minime: nam neque justum neque æquum est, Æschine, sed tecum et cum quovis alio illorum qui tua consilia tuumque vitæ genus consectantur. Simul id considera. Utrum honestius ac melius sit reipublicæ, propter veterum beneficia, quæ sunt immensa, nec possit dici quanta, ea quæ hac ætate conferuntur ingrato animo et contumelia rependere, an iis omnibus, qui benevole quicquam præstiterunt, honoris apud hosce et benignitatis fructum impertire?

99. Atenim, si mihi hoc quoque dicendum est, mea reip. administrandæ ratio meumque institutum, si quis recte consideret, eorum qui tum laudabantur *institutis* consentaneum esse idemque spectare reperietur, tuum autem illorum qui tunc tales viros calumniis appetebant: constat enim nonnullos etiam illis fuisse temporibus, qui suæ ætatis homines insectabantur, veteres autem laudabant, malignitatis plenam rem eandemque quam tu facis facientes. Itane vero dicis, me nulla ex parte illorum esse similem? At tu similis, Æschine? at frater tuus? at aliquis ex iis qui nunc sunt oratoribus? Ego enimvero neminem esse aio. Sed cum viventibus, o bone, nequid aliud dicam, viventem contende et cum sui seculi hominibus, ut cætera omnia, poetas, choros, palæstritas. Philammon, non quia Glauco Carystio aliisque nonnullis superioris ævi athletis erat infirmior, idcirco sine corona ex Olympia discessit, sed quia eorum qui certamen secum inierunt optime pugnaverat, corona donatus est et victor pronuntiatus. Tu quoque me cum his qui nunc sunt oratoribus collatum specta, tecum, cum quo alio voles ex omnibus; nulli cedo. Quorum omnium, dum sequi optima reipublicæ licebat, dum certamen de caritate patriæ in medio positum omnibus erat, ego utilissima suadere compertus sum, meisque decretis et legi-

bus legationibusque omnia gerebantur: vestrum vero nemo usquam comparebat, nisi forte huic populo insultandum esset. Sed posteaquam ea acciderunt, quæ utinam dii avertissent! et jam non amplius consiliarii, sed servi qui imperata facerent, qui contra patriam mercedem acciperent, qui aliis assentari vellent, exquirebantur, tum tu tuique similium quisque in numero fuistis, et magnus *evasisti*, et magnificus divitiarum ostentator, ego vero infirmus, fateor, at benevolentia erga istos vobis superior.

100. Duo autem hæc, Athenienses, natura moderatum oportet habere civem:—sic enim maxime mihi de memetipso sine invidia dicere licebit—: ut in magistratibus *obeundis* magnanimitatis principatusque studium in patria foveat, et in omni tempore omnique actione benevolentiam *tueatur;* hujus enim natura domina est, posse autem et valere in altera sita sunt. Hanc igitur *benevolentiam* apud me infixam semper mansisse reperietis. Spectate enim. Neque cum ad supplicium deposcerer, neque cum me *hostes* in judicia Amphictyonica vocarent, neque cum minis incesserent, neque cum promissis tentarent, neque cum sceleratos istos in me tanquam feras immitterent, ullo modo meam erga vos benevolentiam deserui. Quippe ab initio statim rectam et justam reip. administrandæ viam sum ingressus, ut honores, potestates, glorias *non nisi* patriæ excolerem, hæc augerem, cum his consisterem. Non ego externorum rebus secundi selatus atque alacer in foro inambulo, dexteram protendens iisque læta nuntians, quos illuc perlaturos sperem: patriæ vero successus horresco inaudiens et gemo et in terram caput demitto, quemadmodum impii isti, qui rempublicam dilacerant, quasi non semetipsi lacerent, qui istuc faciunt, extra autem prospectant, et ubi Græcorum cladibus alterius prosperitas inolevit, hæc collaudant hæcque ut perpetuo durent dandam esse operam dicunt.

101. Nolite vero, o dii immortales! nolite eadem numine vestro comprobare. Sed potius maxime quidem istis meliorem mentem animumque date: sin eorum insanabile ingenium sit, istos quidem ipsos separatim terra marique funditus et immatura morte disperdite, nobis vero reliquis impendentium terrorum quamprimum liberationem concedite et salutem integerrimam.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS DE MALE GESTA LEGATIONE.

ÆSCHINES homo Atheniensis, Atrometi filius et Glaucotheæ, utriusque obscuri, ut ait Demosthenes. Illum enim literis docendis, hanc lustrando, et sacra quædam frivola peragendo, victum quæritasse dicit. Quin ipsum etiam Æschinem traditum est, et tragicum fuisse histrionem, et scribam civitatis, quod vile ministerium habebatur. Sed in oratorum tandem numerum venit, et legationem, qua de pace cum Philippo ageretur, obiit. Nam cum Athenienses bellum cum Philippo de Amphipoli gererent, et multis cladibus acceptis nihil memorabile efficerent, legatos ad Philippum de pace mittendos censent, legant igitur decem, inter quos et Æschines et Demosthenes fuerunt. Cum autem pacis conditiones Philippus accepisset, rursus iidem secundum legati eunt, ut jusjurandum de pace detur. In his negotiis tria Demosthenes objicit Æschini: eum Philocrati, fœdam ac noxiam suadenti ac decernenti pacem, suffragatum esse: tempus trivisse, unde contigerit, ut res Thraciæ perirent: Atheniensibus falsa renunciasse, unde factum sit, ut Phocenses delerentur. Dixit enim, inquit, Philippum non eversurum Phocenses; et vos ei fide habita, hominibus opem non tulistis. Asserit autem hæc omnia mercede et largitionibus adductum, malitiose fecisse. Status est de facto, et conjecturalis. Sed inimicitiæ exstitisse dicuntur propter Timarchum, Demosthenis amicum, quem in ordinem coegerat Æschines, improbæ vitæ accusatum, propterea quod ad Pittalacum aviarium, ut ait, ingrederetur homo formosus ad spectandas avium pugnas, qui flagitiosa tum faceret, tum pateretur.

ALITER.

Bellum inter Philippum et Athenienses longum intercesserat, ex quo ille pactis et conventis violatis, Amphipolim ab Olynthiis acceperat, quæ cum urbs Atheniensis esset, Olynthiis eo tempore parebat, quo etiam socii defecerant. Flagrabat et aliud bellum Phocensium cum Thessalis et Thebanis, cum Thessalis, propter templum Delphicum, cum Thebanis, propter Orchomenum et Coroneam. Constat enim ex historia, eos et his eripuisse duas illas urbes ipsis finitimas; et Thessalis depulsis, Amphictyoniam occupasse, quod Delphicum templum in media Phocide esset situm. Cum autem diuturnum bellum inter se gessissent Athenienses et Philippus, ac tandem utrique pace uti vellent, sed ejus petendæ facere initium utrique turpe ducerent, Aristodemus et Neoptolemus actores tragœdiarum (quibus propter artem quocumque impune ire licebat, atque etiam ad hostes) profecti in Macedoniam, artem suam ostentarunt; adeoque humaniter a Philippo sunt accepti, ut præter ceteras pecunias, alia quoque de suo eis largiretur. Cum autem fore sentiret, ut ad se legatos mitterent Phocenses, et Thessali, et Thebani, Athenienses decipere voluit; eamque causam nactus, Aristodemo et Neoptolemo, cum eos dimitteret, se amicum esse Atheniensibus dicit. Rursus contigit, ut tale quiddam accideret. Phryno quidam Atheniensis, regressus Olympia, sive a certamine, sive a spectaculo, captus est a quibusdam Philippi militibus in festo, et spoliatus omni pecunia. Is reversus Athenas precatur Athenienses, ut se legatum decernant, quo profectus ad Philippum, reciperet ea quibus esset spoliatus. Assensi Athenienses, eum et Ctesiphontem decreverunt, quos in Macedoniam profectos, Philippus humaniter accepit: neque solum per milites erepta reddidit, sed et alia de suo est largitus, et factum excusavit, ignorasse milites, eo tempore fuisse festivitatem. Et rursus his item dixit, se esse amicum Atheniensibus. Qui in Atticam reversi, eadem quæ alteri nunciarunt. His auditis Athenienses certo comperire voluerunt, an revera pacem servare vellet Philippus. Itaque decem legatos decernunt. Sunt autem hi, Ctesipho, Aristodemus, Iatrocles, Cimo, Nausicles, Dercyllus, Phryno, Philocrates, Æ-

schines, Demosthenes. Eos igitur mittunt in Macedoniam, cognituri verene ad pacem versus esset animus Philippi; quod si verum esset, jusserunt, ut secum adducerent legatos, qui jusjurandum acciperent. Regressi decem legati, quorum unus fuit et Demosthenes, adduxerunt a Philippo tres legatos, Antipatrum, Parmenionem, et Eurylochum, exacturos jusjurandum. Cum autem convocarentur socii Atheniensium ad dandum jusjurandum, et mora intercederet, intelligens Demosthenes Philippi ingenium, semper aliquid subigentis et grassantis, auctor est Atheniensibus, dandi celeriter jurisjurandi, etiam non præsente Cersoblepte; nobis inquit, in Thraciam abeuntibus jusjurandum dabit Cersobleptes. Sciendum autem est Demosthenem in secunda legatione abiisse tali de causa. In prima legatione, quibusdam Atheniensibus quos in Macedonia captivos invenerat, pollicetur, se illos sua pecunia redemturum: id quod, nisi persona legati, facere non poterat. Jusserat autem navi abire legatos, quo celerius iter conficerent, et ubicunque Philippum esse audirent, eo proficisci, et illic jusjurandum exigere. Illi vero non paruerunt, sed pedestri itinere abierunt, et cum in Macedoniam pervenissent, tres totos menses desederunt, donec multis Atheniensium oppidis subactis, Philippus reverteretur, ac præter cetera ipso etiam Cersoblepte capto. Ac ne reversus quidem statim dedit jusjurandum, sed distulit, dum expeditionem contra Phocenses instruxisset, etsi ii legatos ad eum de bello deponendo miserant. Cum autem contra Phocenses proficisceretur, non in fano, uti fieri par erat, sed in caupona jusjurandum dedit, in hæc verba: pacem facio cum Atheniensibus et Atheniensium sociis, Alensibus et Phocensibus exceptis: quod Alenses hostes essent Pharsaliis, suis amicis, cum Phocensibus autem se pacem facere negabat, quod fanum Delphicum impie violassent. Secunda igitur legatione in Atticam reversa, Demosthenes controversiam movet, decreta Philippi non placere sibi dictitans. Æschines respondet, ea dixisse Philippum aperte, sibi vero in aurem insusurrasse, Alenses et Phocenses se excepisse, ne, re animadversa, Thebani sibi caverent; quos invadere ac perdere vellet, hos conservaturus. Athenienses autem de sententia Æschinis, tertiam legationem decreverunt, cogituri, an Philippus staret pollicitationibus Æschinis. Sed Demosthenes et legationem ejuravit, et se negavit quicquam cum legatione rei habiturum, sive ea bene, sive male obiretur. Tum veritus Æschines, ne manens domi Demosthenes persuaderet populo, ut Phocensibus auxilium mitteret, simulat, ut ait Demosthenes, se ægrotare. Venit frater ejus Eunomus, adductoque medico, jurat ægrotare Æschinem; sic ipsum Eunomum, Æschinis loco populus legatum creat. Qui legati cum abiissent, ut in Eubœam pervenerunt, audivere Phocenses eversos esse a Philippo, et cum dedecore redierunt. Reversa tertia legatione in Atticam, Æschines suapte auctoritate legatus abiit ad Philippum, ut ait Demosthenes. Sciendum autem est, post legationem singulos legatos rationem reddidisse. Ac primi legati tam præclare fidem suam probarunt, ut Demosthenes eos decreto ad prandium invitari jusserit. Moris enim erat, legatos, re bene gesta, convivio publico excipere. Quidam dubitant cur eos Demosthenes, si scierit fuisse proditores, ad publicum invitandos prandium curarit. Ad quod respondemus, eum a prandio propositum eorum animadvertisse. Ex posteriore autem legatione solus Demosthenes rationem reddidit: quam et Æschinem redditurum, cum Timarchus et Demosthenes accusare instituissent. Postulat Æschines, ut inquisitio fiat, facta inquisitione, Timarchum prostitutæ pudicitiæ convictum ejicit. Lege enim cavebatur, ne quis impudicus rempublicam administraret. Deinde aggreditur Demosthenes Æschinem, accusat. Quidam etiam quærunt, cur hic tertiæ legationis meminerit? respondemus, eum triennio post dictam diem, causam egisse in judicio. Missa enim posteriore legatione, Athenienses, cognito Phocensium excidio, ex agris in urbem sua comportant, et in magno sunt tumultu. Triennio post ingressus Demosthenes Æschinem accusare, duo ei crimina objicit, interitum Phocensium et accepta munera. Sciendum autem est, præcipuum esse crimen interitum Phocensium. Ad cujus probationem altera quæstio incidit, propter pecuniam Æschinem id esse ausum, ut pro-

betur prius crimen de Phocensibus. Hæc et hæc argumento sunt, inquit, illa comparata et instructa esse,—per quæ simul etiam tollit Æschinis colorem ad ignorationem et deprecationem confugientis—, atque argumentorum alia ex prætermissis, alia ex factis petiit. Quod suffragatus fuerit Philocrati, pacem sine Phocensibus decernenti: quod non exegerit jusjurandum a Thessalis, Philippi sociis, qui non militassent contra Phocenses, si jusjurandum dedissent: quod spatium Philippo præbuerit instruendæ contra Phocenses expeditionis, commoratum enim fuisse de industria, et consumpsisse tempus, ne missa classe populus Pylas clauderet: quod deceperit populum data opera duplici spe, una, fore ut Thebani perderentur, altera, ut Phocenses conservarentur, ne spatium daretur de incolumitate Phocensium deliberandi, cum dixisset, fidem habendam esse Philippo, qui se illis in gratiam nostræ urbis velle parcere promisisset. Ac prioris quæstionis hæc argumenta sunt: posterioris autem, de largitionibus, dum ostendit accepisse Æschinem pecuniam, hæc argumenta, quorum item alia e prætermissis petita sunt, alia e factis. Non odit, inquit, Philippum, quanquam ab eo deceptus, ut ait: patrocinatus est Philippo, ut Amphictyo fieret, quum ea de re legationem huc misissent Amphictyones: perpetua consuetudine Philocratis utitur, corrupti largitionibus: postulatus ad dicendum testimonium, cum Hyperides Philocratem detulisset, quanquam præsens, os non aperuit: creatus legatus in Phocidem ad Philippum de pollicitationibus firmandis, ægrotare se simulavit: captis Phocensibus post ejurationem, ultro sine auctoritate publica est profectus, quo etiam tempore cavere eum oportebat. Hæc argumenta sunt secundæ orationis. Inter ea autem firmissimum est, quoque maxime nititur, promissio et pollicitatio Æschinis, de Thebanis et Phocensibus. Argumentum orationis conjecturale est; neque enim crimina fatetur Æschines, sed omnino negat. Causæ genus alii simplex putant, et copiosam in uno crimine probando concurrisse materiam: alii simul confirmari duo crimina statuunt, unum Phocense, alterum Thracense. Menander autem incidentia vocat. Exordium sumptum est a calumnia. Dum enim adversarium, timidum et supplicem facit, indicat eum causa parum esse fretum. Simul etiam ad odium concitandum ea sententia pertinere potest, quo statim tum adversarium, tum patronos adversarii, ut Eubulum, et ejus familiares, perstringit. Semper enim Eubulus infestus fuit Demostheni, propter crimen illud Aristarchi, ut ex oratione Midiana cognovimus.

DEMOSTHENIS

DE MALE GESTA LEGATIONE

ORATIO.

1. Quanta in hoc judicio contentione utantur adversarii, quibus prehensationibus, Athenienses, fere omnes vos arbitror animadvertisse, cum paulo ante videretis quosdam, dum sortiremini, facessere negotium et supplicare vobis: petam autem a vobis omnibus ea, quæ etiam non rogantibus præstari est æquum, ut neque gratiam ullam, neque virum pluris faciatis, quam æquitatem, et jusjurandum, quo unus quisque vestrum dato huc est ingressus; vel hac de causa, quod hoc e re vestra est, et totius civitatis, advoca-

torum autem istæ intercessiones et studia propter privata emolumenta suscipiuntur: ad quæ prohibenda vos legum auctoritate convenistis, non, ut ea injuriis hominibus confirmaretis.

2. Ac alios quidem qui recto proposito ad rempublicam accedunt, etiamsi rationem reddiderunt, semper tamen ultro ad respondendum paratos: Æschinem autem longe aliter animatum esse video. Priusquam enim ad vos ingrederetur, et actorum suorum rationem redderet, alterum eorum qui rationes postulabant, sustulit, aliis passim minitatur: et iniquissimam omnium consuetudinem in rempublicam et vobis perniciosissimam, introducit. Si enim is qui publicum munus gessit et procuravit, sui terrore, et non æquitate efficiet, ne ab aliquo accusetur, omnis vobis eripietur auctoritas.

3. Ac multa quidem istum gravia scelera designasse, et extremo supplicio esse dignum, facile me confido probaturum, et omnino persuasum habeo: quid autem etiam in hac persuasione formidem, dicam apud vos, et non dissimulabo. Mihi causæ quæ apud vos aguntur omnes, non minus, Athenienses, temporum esse videntur, quam negotiorum, et, quia longum inter legationem spatium interjectum est, id metuo ne quam vobis oblivionem attulerit, aut consuetudinem injuriarum. Sed tamen quemadmodum etiam sic et intellecturi quæ æqua sunt et pronunciaturi nunc videamini, id vobis dicam, si vobiscum ipsi consideretis, judices, et reputetis, quarum rerum civitatem rationes a legato repetere oporteat. Primum, eorum quæ renunciavit: secundo loco, eorum quæ persuasit: tertio, eorum quæ vos ei mandastis: denique temporum: post hæc universa quærendum, incorrupte necne ea facta sint omnia. Cur tandem horum? quod ex renunciationibus recte vobis deliberare de rebus licet: quæ si veræ fuerint, ea quæ res postulat, statuetis, sin non tales, contraria. Legatorum enim consilia veriora esse putatis; auditis enim eos, ut gnaros earum rerum de quibus missi sunt. Nequaquam igitur decet convinci legatum, dati vobis ullius futilis et perniciosi consilii. Jam, quæ illum dicere aut agere jussistis, et nominatim decrevistis esse facienda, ea convenit esse procurata. Esto. Temporum autem quamobrem? quia sæpe usuvenit, Athenienses, ut multarum rerum et magnarum occasio paulo momento temporis concludatur, quam si quis ultro adversariis condonarit et prodiderit, etiamsi omnia conetur, nunquam poterit recuperare. An vero gratis, necne? quod inde accipere, unde reipublicæ damnum detur, omnes, satis scio, et indignum esse fateamini, et graviter vindicandum. Ac legislator quidem hoc non explicavit, sed simpliciter atque severe vetuit accipere munera, cum, ut mihi videtur, existimaret, eum, qui semel accepisset, ac largitionibus corruptus esset, non jam constantem manere judicem publicorum commodorum.

4. Quod si ostendero, et perspicue probaro, Æschinem et nihil veri renunciasse, et obstitisse populo, ne verum ex me audiret, et utilibus maxime contraria suasisse vobis, et nihil eorum quæ mandaveratis, in legatione fecisse, et consumpsisse tempora, quibus multarum et magnarum rerum occasiones reipublicæ perierunt, et propter hæc omnia munera et mercedes accepisse cum Philocrate, condemnate eum, et, ut factis ejus dignum est, mulctate: sin hæc non ostendero, aut non ostendero omnia, et me improbum ducite, et istum absolvite. Quanquam autem multa et gravia, præter hæc, etiam alia in eo accusare possem, Athenienses, ob quæ nemo non eum jure oderit, vos tamen ante omnia quæ dicturus sum (licet id, ut satis scio, plerique vestrum meminerunt) commonefaciam, in quem reipublicæ gradum Æschines se primum collocarit, et quales conciones contra Philippum sibi habendas esse censuerit; ut sciatis, eum suis actis, et primis concionibus maxime acceptorum munerum posse convinci.

5. Primus igitur hic est Atheniensium qui animadverterit Philippum, ut tum pro concione asserebat, insidiari Græcis, et corrumpere magistratuum quosdam in Arcadia: qui adhibito Ischandro, Neoptolemi secundano actore, retulerit ad senatum, retulerit ad populum his de rebus, et suaserit vobis, quocunque terrarum legatos esse mittendos, qui Græcos huc convocarent, de bello Philippico deliberaturos: qui postea reversus ex Arcadia, præclaras illas et longas orationes recensuerit, quas apud decem illa virorum millia, Megalopoli, adversus Hieronymum, Philippi defensorem, se habuisse pro vobis asseruerit, et commemorasse, quantis injuriis omnem Græciam, non suas tantum patrias, largitionum avidi et pecuniam a Philippo accipientes, efficerent.

6. Posteaquam igitur, ea tum isto administrante, et tale de se specimen præbente, vobis ad Philippum legatos mittere persuasum est ab Aristodemo, Neoptolemo et Ctesiphonte, ac ceteris, nihil sani ex Macedonia renunciantibus, eorum legatorum et iste fit unus; non qui vestra venderet, aut qui Philippo fidem haberet, sed qui ceteros custodiret. Nam propter orationes ante habitas, et Philippi odium, sic de eo non abs re omnes sentiebatis. Deinde mecum congressus, paciscitur se communiter legationem obiturum, et ut sacrilegum et impudentem Philocratem uterque caveremus, multum hortatur. Ac donec huc redissemus a prima legatione, equidem, Athenienses, non animadverti, corruptum esse eum, et semetipsum vendidisse. Præter enim cetera, quæ, ut recensui, prius dixerat, priore concione qua de pace deliberabatis, surrexit, eoque principio usus est, quod ego verbis etiam, ut opinor, iisdem, quæ ille dixit, apud vos commemorabo: Si multum, inquit, et diu meditatus esset Philocrates, quo pacto acerrime reipublicæ adversaretur, Athenienses, nihil eum melius fuisse reperturum arbitror talibus decretis.

Ego vero pacem istam, dum unus Atheniensis superfuerit, nunquam civitati suaserim; pacem tamen faciendam esse dico. Talia loquebatur breviter et moderate. Qui vero pridie hæc dixerat, audientibus vobis omnibus, idem in posteriore, cum pax confirmanda esset, me sociorum decretum defendente, et id agente, ut pax justa et æqua fieret, vobisque ita sentientibus, ac ne vocem quidem spurcissimi Philocratis audire volentibus, surgit ad concionandum, illique patrocinatur, verbis, o dii immortales, multis mortibus vindicandis: neque majorum recordari vos oportere, neque eos qui triumphos et navalia prælia narrarent, tolerare, seque lege lata decreturum, ne cui Græcorum opem ferretis, qui non prior vobis opem tulisset. Atque hæc detestabilis iste et impudens dicere audebat, adstantibus legatis et audientibus quos e Græcia tum convocaveratis de istius consilio, cum se nondum vendidisset.

7. Quemadmodum igitur, Athenienses, iterum a vobis delectus ad jusjurandum exigendum et tempora consumpserit, et omnia reipublicæ negotia corruperit, et quæ mihi ea prohibere cupienti, contentiones cum eo fuerint, statim audietis. Postquam autem ab ea legatione, propter exigendum jusjurandum suscepta, reversi sumus, ad quam hæ rationum relationes pertinent, cum neque parvum neque magnum quicquam eorum reperissemus, quæ, cum pacem faceretis, dicta et exspectata fuerant, sed in omnibus decepti essemus, cumque isti rursus alia vendidissent, et contra ipsum decretum legationem obiissent, accessimus ad senatum; et horum quæ dicam, multi sunt conscii, curia enim referta erat plebeiis hominibus. Ego vero progressus in medium, omnem veritatem senatui renunciavi, et istos accusavi, et a prima ille spe rerum earum, quas Ctesipho et Aristodemus vobis renunciarant, omnia enumeravi, et postea, cum pacem fecissetis, quæ iste pro concione dixisset, et quo perduxissent rempublicam, et ea quæ restabant—quæ Phocenses erant et Pylæ—suasi ne amitteretis, neve in eandem fraudem incideretis, neve alia ex alia spe suspensi, et pollicitationibus deliniti, res in extremum discrimen adduci pateremini. Atque hæc senatui persuasi.

8. Cum vero concio convenisset, et ad vos verba facienda essent, progressus Æschines primus omnium nostrum—obtestor autem vos per Jovem et deos, date operam, ut una mecum memoriæ infigatis, si vera dixero, ea enim demum sunt, quæ omnia negotia vestra prorsus corruperunt et perdiderunt—progressus igitur longissime abfuit, ut renunciaret aliquid in legatione actum, aut, ut de iis quæ in senatu dicta essent, si forte utrum ego vera dicerem dubitabat, ullam in cœtu populi mentionem faceret, sed eam habuit orationem, et tot tantisque bonis refertam, ut universos vos in suam sententiam pertraxerit. Aiebat enim, se persuasisse Philippo omnia, quæ essent utilia reipublicæ, tam in Amphictyonica causa, quam ceteris universis, et prolixam vobis orationem recensebat, quam se contra Thebanos apud Philippum habuisse diceret, et capita vobis referebat, et commemorabat, se id sua effecisse legatione, ut intra biduum, aut triduum, si domi maneretis, et non moveretis bellum, neque vobis ipsi negotium facesseretis, audituri essetis et Thebas solas absque reliqua Bœotia obsideri, et Thespias atque Platæas instaurari, et Apollini pecuniam solvi, non a Phocensibus, sed a Thebanis, qui auctores fuissent templi occupandi. Se enim docuisse Philippum, nihilo deliquisse minus eos qui facere cogitassent, quam qui manus intulissent; propterea que se proscriptum esse a Thebanis. Quin audivisse se, et Eubœensium quosdam territos et perturbatos, propter conjunctionem inter Philippum et urbem conciliatam, qui in hanc sententiam verba fecissent, non præterit nos, legati, quibus conditionibus pacem feceritis cum Philippo, neque ignoramus, vos illi dedisse Amphipolim, Philippum autem promisisse, traditurum se vobis Eubœam. Atque aliud etiam se procurasse, sed nondum id velle dicere, quosdam enim e collegis jam invidere sibi. Sic autem obscure et tecte Oropum innuebat.

9. Cum vero propter hæc celebraretur, cum et orator optimus, et vir admirabilis haberetur, descendit magna cum majestate. Ego vero ut surrexi, et ea ignorare me dixi, et eorum aliquid dicere sum conatus, quæ ad senatum retuleram, ibi alter hinc, alter illinc assistens, iste et Philocrates, clamitare, interturbare, me tandem subsannare; vos tum ridere, tum neque audire velle, neque credere posse alia, quam quæ iste renunciarat. Atque, ita me dii bene ament, haud ab re vobis id accidere videbatur. Quis enim tanta et tot oblatum iri bona existimans, ferret aliquem, qui aut ea nulla fore diceret, aut acta istorum accusaret? Nam cetera omnia nimirum tum minoris erant, præ excitatis exspectationibus et spe: qui refragabantur, obturbare sine causa, et obtrectare videbantur, illa vero per quam admirabiliter atque utiliter confecta esse putabantur civitati.

10. Qua igitur gratia vobis hæc primo nunc in memoriam redegi, et recensui has orationes? Una de causa, eaque maxima et prima, ut nemo vestrum, si quid me dicentem audierit, et acta accusantem, diffidat, idque iniquum et importunum esse putet, ac cur tum illa non dixerim in re præsenti, et vos docuerim, demiretur; sed pollicitationes istorum meminerit, quibus singulis temporibus utentes, dicendi facultate alios excludebant, et renunciationem istius præclaram illam, ut sciatis præter cetera omnia, etiam hanc ab illo vobis esse factam injuriam, quod verum statim et cum opus erat, audire prohibiti estis, spe et fucis et pollicitationibus decepti. Primum igitur hac, et ea potissimum, qua dixi, gratia hæc commemoravi. Deinde, quadam et hac nihilo minore de causa; ut ejus, antequam corrumperetur largitionibus, institutum in republica recordati,

quam id munitum fuerit, quamque Philippo diffidens, secutam post repente fidem et amicitiam consideretis. Deinde, si evenerunt ea quæ iste vobis renunciavit, et acta præclara fuerunt, ut propter veritatem et reipublicæ utilitatem esse facta existimetis: sin omnia contra quam iste dixit, acta sunt, et multum dedecoris et magna reipublicæ pericula attulerunt, propter sordes istius et veritatem ab eo pecunia venditam, ut mutatum eum esse videatis.

11. Dicam autem, quando huc provecta est oratio, primum omnium, quo pacto vobis Phocense negotium eripuerint. Ne vero quisquam vestrum, judices, magnitudinem rerum intuens, accusationes et crimina majora esse putet, quam pro istius auctoritate; sed illud spectate, si quemcunque vos illi muneri præfecissetis, et oblatas occasiones ejus fidei mandassetis, illum etiam, si istius exemplo voluisset, opera sua locata hostibus, vos decipere, et fraude circumvenire, eadem quæ et istum excitare mala potuisse. Non enim, si vos levibus sæpe hominibus publica mandatis negotia, res etiam leves sunt, quæ honori civitatis nostræ ab aliis deferuntur. Neque multis verbis est opus. Itaque Phocenses etiam Philippus sane perdidit, sed isti ei adjutores fuerunt. Hoc igitur considerandum et videndum est, utrum, quatenus Phocensium salus a legatione pendebat, eatenus isti corruperint, et perdiderint omnia; non quasi iste per se perdere Phocenses potuisset. Quo quid absurdius? sed da mihi senatusconsultum, quod me referente factum est, et testimonium ejus qui tum id fecit, ut sciatis, et me non tum tacuisse, nunc ab actis me removere, sed statim accusasse, et prævidisse futura, et senatum, qui ex me audire verum prohibitus non fuit, neque laudasse istos, neque in curiam vocandos censuisse. Atqui id ab urbe condita ullis accidisse legatis, nemo meminit: ne Timagoræ quidem, quem capitis damnavit populus. At istis hæc acciderunt. Recita primo testimonium, deinde senatusconsultum.

TESTIMONIUM. SENATUSCONSULTUM.

Hic neque laus, neque invitatio legatorum in curiam a senatu, continetur. Sin iste contineri ait, ostendat atque exhibeat, et ego descendam. Sed non continetur.

12. Quod si omnes eadem in legatione egissemus, jure neminem laudasset senatus (revera enim vituperanda essent acta omnium) sin alii bona fide rem gesserunt, alii contra, satis apparet, propter improborum scelera, etiam bonos viros eandem ignominiam subiisse. Quo pacto igitur facile cognoscetis omnes, quisnam improbus ille sit? In memoriam ipsi revocate vobis, quisnam ille sit, qui ab initio acta accusarit. Perspicuum enim est, sonti satis fuisse futurum tacere, et eluso eo tempore, nullam actorum reddere rationem: qui autem nullius culpæ sibi conscius erat, is, si tacuisset, facinorum et scelerum socius fuisse videretur. Ego igitur is ab initio fui, qui istos accusarim, istorum vero me nemo.

13. Ac senatus illa quidem jam decreverat, concione autem convocata, et Philippo jam intra Pylas progresso (primum enim id fuit omnium scelerum, quod Philippum iis negotiis præfecerant, item, cum primum vobis negotia cognoscenda essent, deinde consultandum, post, quod visum esset, agendum, quod effecerant, ut simul vos et audiretis, et ille adesset, utque nec quid fieri oporteret, dici facile posset) illud etiam ad reliqua accessit, ut id quidem senatusconsultum populo nemo legerit, neque audierit populus, sed iste surrexerit, et ea prædicarit, quæ modo vobis exposui, multa et ingentia bona, quæ se impetrasse a Philippo atque afferre jactabat, propter quæ proscriptus esset a Thebanis. Proinde vos territi primum præsentia Philippi, et istis irascentes, qui non ante indicassent, aliquanto mitiores fiebatis, quod omnia vos consecuturos quæ velletis, sperabatis, nec vocem audire meam, aut cujusquam alterius volebatis. Post hæc recitabantur missæ a Philippo literæ, quas iste scripserat, commoratus post nos, quæ palam et aperte nihil erant aliud quam defensio scelerum, quæ isti perpetrarant. Nam et hoc inest, se prohibuisse illos in urbes ituros, et jusjurandum exacturos, et, ut adjumento sibi essent in reconciliandis Alensibus et Pharsaliis, eos detinuisse, denique omnia istorum peccata in se transfert, et sibi adscribit: Phocensium vero, aut Thespiensium, aut eorum quæ iste vobis nunciarat, nulla vel minima fit mentio. Neque hoc forte fortuna ita factum est, sed quarum rerum vobis pœnæ sumendæ erant ab istis, qui nihil fecerant aut administrarant eorum quæ senatusconsulto jusseratis, earum ille culpam in se transfert, seque in causa fuisse affirmat, quem vos punire scilicet non possetis: quæ autem ille fraude obtinere, et præripere civitati voluit, ea iste renunciavit, ut neque accusare, neque postea queri quicquam de Philippo possetis, cum ea nec in literis illius, nec orationibus usquam contineantur. Age recita ipsas literas, quas ut iste scripsit, sic ille misit, et considerate, an eo illa modo se habeant, quo ego exposui. Recita.

LITERÆ.

Auditis, Athenienses, literas, quam præclaræ sint et humanæ. De Thebanis autem et Phocensibus, aut aliis, de quibus ille apud vos renunciavit, ne tantillum quidem.

14. In iis igitur nihil prorsus æqui et boni continetur, idque vos ipsi statim perspicietis. Nam et Alenses, quorum reconciliandi gratia se istos detinuisse dicit, eam conciliationem experti sunt, ut extorres sint facti, et urbs eorum sit eversa; captivos autem, is qui

dispiciebat quo pacto vobis gratificaretur, missos facere, ne in mentem quidem sibi venisse profitetur. Sæpe autem testatum vobis est, idque publice, me attulisse talentum, et ad eos redimendos profectum esse, quod testimonium nunc etiam audietis. Quapropter ut iste laudem illam benignitatis mihi eriperet, etiam id ut inscriberet, Philippo persuasit. Quod igitur maximum est omnium, qui prioribus literis per nos allatis, inscripserat, se aperte etiam fuisse scripturum, quantis beneficiis vos affecturus esset, si sciret societatem etiam secum initum iri, is, conflata societate, neque scire se, qua re vobis gratificetur, neque quicquam promisisse ait; quod utique nosset, si fucum vobis non fecisset. Verum ut eum hæc scripsisse constet, cape priores literas, atque ex illis idipsum recita, ab hoc initio.

EX LITERIS.

Ante pacem igitur impetratam, si etiam societas secum iniretur, se scripturum promittebat, quantis rempublicam beneficiis affecturus esset: postquam autem utrumque obtinuit, ignorare se dicit, qua vobis re gratificetur. Cum vero vos ea facturos dicatis, quæ ei nec pudenda, nec ignominiosa sint, ad has excusationes confugiendo, etsi sane et ipse dixerit aliquid, et vos adducamini ad pollicendum, receptum sibi relinquit.

15. Hæc igitur et alia multa eo tempore statim in re præsenti coargui potuerunt, vosque edoceri, et cavere, ne rerum gerendarum occasiones amitteretis, nisi Thespiæ, et Platææ, et Thebanis sine mora infligendum supplicium, veritatem vobis eripuisset. Atqui ea si tantum audienda fuissent, et verba danda civitati, recte dicta essent: sin revera gerenda et præstanda, taceri expediebat. Nam si in eo res jam erant, ut nec animadversis insidiis Thebani quicquam proficerent, cur factæ non sunt? Sin propterea sunt impeditæ, quod illi præsenserant, quis enunciavit? nonne iste? Sed illa neque Philippus instituit, aut voluit, neque speravit iste: proinde enunciationis eum crimine libero. Fucum illis verbis fieri vobis oportuit, et id effici, ne verum ex me audire velletis, et ut domi maneretis, et tale scitum juberetur, quo Phocenses interituri essent; eo pertinebant illæ deliciæ, hinc erant illæ conciones.

16. Ego vero cum tanta et talia illum polliceri tum audirem, et mentiri compertum haberem,—idque unde dicam vobis: primum ex eo, cum Philippus jusjurandum de pace daturus esset, quod Phocenses ab istis exclusos esse fœdere apparebat, quod taceri et omitti conveniebat, si futurum erat ut conservarentur: deinde quod neque Philippi legati id dicebant, neque literæ Philippi, sed iste—, hinc igitur conjecturam capiens, surrexi et prodii, daturus operam, ut refragarer. Ut autem vos audire me nolebatis, quievi, tantum duntaxat testatus,—idque obsecro vos per deos ut in memoriam revocetis—, me ea neque scire, neque participare, et addidi, neque etiam exspectare. Ut autem vos illud verbum nec exspectandi, ægre ferebatis, facite, inquam, Athenienses, si quid istorum factum fuerit, ut istos laudetis, et ornetis, et coronis donetis, me vero non: sed si quid secus acciderit, istis irascimini, ego vero cedo. Non nunc, subjicit Æschines iste, non nunc cede, sed vide ne tunc tibi vendices. Ita fiet, inquam, nisi velim esse injurius. At Philocrates post illum surgens valde insolenter, nil mirum, inquit, est, Athenienses, non eadem videri mihi quæ Demostheni; nam is quidem aquam, ego vero vinum bibo. Ibi vos ridebatis.

17. Jam decretum considerate, Athenienses, quod postea scribendum curavit Philocrates. Nam obiter quidem auditu sane præclarum est: sed si quis tempora computarit, quibus scriptum fuit, et pollicitationes quas iste tum afferebat, constabit, eos nihil fecisse aliud, quam tradidisse Philippo et Thebanis Phocenses, tantum non manibus post terga religatis. Recita decretum.

DECRETUM.

Videtis, Athenienses, decretum quantis laudibus et benignitate verborum sit refertum; et pax eadem, inquit, esto quæ Philippo, etiam posteris ejus, et societas; et laudetur Philippus, quod pollicetur se facturum ea quæ æqua sint. Verum nihil ille quidem pollicitus fuerat, sed tantum aberat e pollicendo, ut se ignorare diceret, qua re vobis gratificaretur; iste autem pro eo loquebatur, et pollicebatur. Philocrates igitur vos in istius verba propensos nactus, illud inscribit decreto; quod nisi fecerint Phocenses ea quæ debeant, nec Amphictyonibus templum tradiderint, populum Atheniensem auxilia missurum contra eos, per quos stet, quo minus ea fiant.

18. Itaque, Athenienses, vobis domi manentibus et non egressis, et regressis Lacedæmoniis fraude animadversa, et nemine alio Amphictyonum præsente præter Thessalos et Thebanos, minima cum offensione, et moderatione summa scripsit, templum illis esse tradendum, cum tradendum esse scripsisset Amphictyonibus. Quibus? neque enim erant ibi alii, quam Thebani et Thessali. Sed neque convocari jussit Amphictyones, neque differri dum convenissent, neque Proxenum ferre opem Phocensibus, neque educere exercitum Athenienses, neque tale quicquam. Quin et literas misit Philippus binas, quæ vocabant vos, non ut exiretis. Nequaquam. Neque enim spatium sustulisset, quo exire potuissetis, et tum demum vocasset, neque me huc navigaturum detinuisset, neque talia istum verba facere jussisset, quibus adducti vos minime exituri eratis: sed id spectavit, ut vos, putantes eum facturum quæ velletis, nihil ei contrarium decerneretis, et Phocenses vim non propulsarent, neque resi-

sterent, exspectatione spei per vos sibi factæ, sed desperatione fracti, omnes deditionem facerent. Sed recita eis ipsas Philippi literas.

LITERÆ.

Ac literæ quidem hæ vocant, atque adeo statim. Istos autem, si quid istorum verum sincerumque fuisset, quid decuisset aliud quam suffragari, ut copias educeretis, et decernere, ut Proxenus, quem in illis locis esse norant, statim opem ferret? verum omnia his eos contraria fecisse constat, nec abs re. Nihil enim ejus literas curabant, sed quo eas consilio scripsisset, norant. Id igitur adjuvabant, et defendebant.

19. Phocenses autem, ut quid apud vos actum esset in concione, audierunt, et decretum illud Philocratis acceperunt, et renunciationem istius et pollicitationes, modis omnibus perierunt. Quod ita intelligetis. Fuerunt ibi qui Philippo diffiderent, cordati homines. Ii adducti sunt, ut ei fidem haberent. Quamobrem? Quia putabant, etiamsi decies ipsi a Philippo deciperentur, nunquam tamen fore, ut Atheniensium legati Athenienses decipere auderent; sed vera esse illa, quæ iste vobis renunciasset, et Philippum in Thebanorum, non in ipsorum venire excidium. Erant alii quidam, qui quidvis perferendum, et propulsandam esse vim arbitrarentur. Sed et illorum animos fregit persuasio illa de Philippi amicitia, et exspectatio belli vestri, nisi fecissent, cum illi ante a vobis auxilium sperassent. Quin et pœnitere vos factæ cum Philippo pacis putabant quidam. Iis et ad posteros eam pertinere pacem demonstrarunt, ut jam undique vestra auxilia essent desperanda. Quapropter omnia ea in unum decretum conjecerunt; in quo injuriam vobis omnium maximam fecisse mihi videntur. Nam cum viro mortali, et propter tempora quædam potenti pace immortali decernenda, pacisci urbis opprobrium, et spoliare non modo aliorum, sed etiam fortunæ beneficiis rempublicam, et tam insigni uti improbitate, ut non eos modo Athenienses, qui nunc sunt, sed illos etiam qui olim aliquando futuri sunt, omnes injuriis affecerint, nonne intolerandum est? hoc igitur nunquam adscribere deinde sustinuissetis ad pacem, etiam posteris, nisi ab Æschine tum recitatis pollicitationibus crederetis, quibus freti Phocenses perierunt. Siquidem, dum se Philippi fidei committunt, et ultro illi oppida tradunt, omnia eorum contraria, quæ isti vobis renunciarant, sunt experti.

20. Ut autem certo sciatis, hæc ita et propter istos periisse, tempora vobis computabo, quibus singula facta sunt: quæ vero istorum aliquis inficiabitur, is surgat, et ad meam aquam dicat. Pax igitur XIX Februarii facta est, peregre autem abfuimus nos ad exigendum jusjurandum, tres perpetuos menses; quo toto tempore Phocenses fuerunt incolumes. A legatione ad exigendum jusjurandum suscepta huc reversi sumus XIII Maii; et jam intra Pylas erat Philippus, et Phocensibus pollicebatur ea, quorum illi nihil credebant. Cujus rei signum illud est, quod alioqui huc ad nos non venissent. Secuta est postea concio, in qua isti omnia negotia perdiderunt, mentiendo, et decipiendo vos, decimo sexto Maii. Quinto igitur die post, etiam vestra decreta Phocensibus esse nunciata colligo. Adfuerunt enim Phocensium legati, quibus studio fuit cognoscere, tum quid isti renunciaturi essent tum quid vos decreturi. Vigesimo die proponimus, responsum vestrum Phocenses cognovisse. Nam a XVI ad hunc, dies quintus fit. Posterior igitur est X. IX. VIII. hoc factum est fœdus, illic perdita et consummata erant omnia. Unde id perspicitur? XXIIII die concionem vos habebatis in Piræeo de navalibus, venit Dercyllus Chalcide, et vobis nunciat Philippum summam rerum commisisse Thebanis, et quintum eum esse diem ponebat, ex quo fœdus esset factum. Igitur VIII. VII. VI. V. IIII. exquisite convenit, ad hunc esse quintum. Itaque temporibus quibus renunciabant, quibus decernebant, omnibus convincitur, eos collusisse cum Philippo, et adjutores fuisse Phocensium internecionis.

21. Jam quod nulla Phocensium urbium expugnata, aut facto in eam impetu vi capta est, sed persuasione funditus omnes perierunt, maximo argumento est, id eis accidisse propterea quod Æschini crediderunt, se a Philippo conservatum iri: neque enim illum ignorabant. Age, profer mihi et societatem Phocensium, et decreta per quæ muros eorum subruit, ut sciatis, qua necessitudine vobiscum conjuncti, qualia pertulerint propter istos sacrilegos. Recita.

SOCIETAS ATHENIENSIUM ET PHOCENSIUM.

Conjuncti igitur fuere vobiscum, amicitia, societate, auxilio: quid vero pertulerint propter istum, qui vos opem ferre prohibuit, audite. Recita.

CONVENTA PHILIPPI ET PHOCENSIUM.

Auditis Athenienses. Conventa Philippi et Phocensium, inquit, non Thebanorum et Phocensium, nec Thessalorum et Phocensium, nec Locrensium, nec aliorum qui adfuerunt ullius. Et rursus, tradendas esse, inquit, urbes Philippo, non Thebanis, non Thessalis, non alii cuiquam. Quapropter? quia renunciabatur ab istis, Philippum propter Phocensium conservationem adesse. Ei igitur credebant omnia, ad eum omnia referebant, cum eo pacem faciebant. Age recita reliqua, considerate quæ sperarint, et quæ sint perpessi. Nunquid similia et consentanea illis, quæ iste renunciavit? Recita.

DECRETUM AMPHICTYONUM.

His, Athenienses, nihil atrocius factum est, nec majus, non modo

nostra ætate in Græcia, sed nec, ut opinor, etiam superiori tempore. Tantarum igitur et talium rerum unus homo Philippus potitus est per istos: incolumi urbe Atheniensium, cui præesse Græcis patrium est, et non connivere, ut quicquam tale perpetretur.

22. Quemadmodum igitur ærumnosi Phocenses interierint, cum ex his decretis videre est, tum etiam ex ipsis rebus quæ actæ sunt. Quæ res spectaculum, Athenienses, crudele sunt et miserabile. Cum enim nuper Delphos proficisceremur, necesse habebamus ea videre omnia, ædificia diruta, mœnia prostrata, regionem juventute desolatam, mulierculas duntaxat, et paucos puerulos, et senes, homines miserandos: denique nemo verbis assequi possit ea mala, quæ nunc illic sunt. Atqui eos olim contrarium Thebanis pro vobis tulisse suffragium, cum de urbis excidio ageretur, e vobis ego omnibus audio. Quod igitur putatis, Athenienses, majores vestros, si in vitam redirent, suffragium aut quam sententiam laturos, de interitus Phocensium auctoribus? Equidem arbitror, tametsi eos suis manibus lapidassent, nullum se commisisse piaculum putaturos. Qui enim turpe non sit, imo quæ major esse turpitudo queat, quam iis, qui nos tum conservarunt, et salutare pro nobis suffragium tulerunt, contraria per istos accidisse: et neglectos esse, iis acceptis malis, qualia nulli Græcorum alii acceperunt? Quis igitur eorum auctor? quis imposturæ artifex? an non iste?

23. Cum autem, Athenienses, fortuna Philippi multis sit prædicanda nominibus, tum vero hoc felicissimum ei contigit, quod, ita me dii deæque omnes ament, haud scio an ulli contigerit nostris temporibus. Nam urbes magnas cepisse, et multas nationes subegisse, et ejus generis omnia, prædicanda sane sunt, et splendida: quis enim neget? sed eadem, et a multis aliis facta recenseri queant. Illam peculiarem, et cum alio nemine omnium communem habet fortunam. Quam? quod, cum improbos homines ad suas res conficiendas requireret, improbiores reperit quam voluisset. Quis enim istos tales esse non fateatur, siquidem quæ nec ipse Philippus, cum ejus tanta res ageretur, ementiri audebat, nec in ullas inscribere literas, neque legatorum ejus ullus dixit, ad ea isti locata sua opera vos deceperunt? Ac Antipater quidem et Parmenio, domino inservientes, neque deinceps collocuturi vobiscum, tamen id excogitarunt, ne per se vos deciperemini: isti vero Athenarum, liberrimæ civitatis, legati delecti, vos, quos obvios intueri, cum quibus familiariter vivere reliquo vitæ tempore necesse habent, et apud quos rationem actorum reddituri erant, vos inquam decipere non dubitarant. Quo pacto homines ulli improbiores aut profligatiores esse queant?

24. Ut autem sciatis, eum a vobis diris etiam imprecationibus esse obligatum, et nefas esse vobis et impium, talia mentitum absolvere, recita devotionem, et lege: eam cape quæ hac lege continetur.

DEVOTIO.

Hæc pro vobis, Athenienses, in singulis concionibus præco vota facit, mandata legibus, et cum senatus consedit, apud eum repetit. Neque iste se hæc ignorare potest dicere: dum enim scriptioni apud vos daret operam, et senatui inserviret, ipse legem hanc præconi enarrabat. An non igitur absurdum quiddam, et rerum naturæ contrarium faceretis, si, quæ mandatis, imo quæ petitis, ut dii vestram vicem exsequantur, ea cum hodie in vestrapte manu sint, non facietis: sed quem ab illis male perdi optatis, ipsum, et genus, et familiam ejus, eum ipsi absolvetis? Nequaquam. Nam qui vos fefellerit, eum diis puniendum relinquite: quem vero ipsi deprehenderitis, de eo nihil jam illis mandatote.

25. Eo autem impudentiæ et audaciæ venturum eum esse audio, ut, omnibus actis cedens, quæ renunciavit, quæ pollicitus est, per quæ rempublicam decepit, tanquam apud alios quospiam judicium exerceatur, non apud vos qui omnia nostis, primum Lacedæmonios, deinde Phocenses, denique Hegesippum sit accusaturus. Quæ quidem ridicula sunt, vel summæ potius sunt impudentiæ. Quæ enim nunc dicet de Phocensibus, aut Lacedæmoniis, aut Hegesippo, aut de Proxeno non recepto ab eis, aut de impietate eorum, aut quocunque nomine eos accusabit, ea certe facta fuerant omnia, priusquam legati isti huc venissent: neque obstabant, quo minus Phocenses conservarentur, quo auctore? isthoc ipso Æschine. Neque enim si absque Lacedæmoniis esset, neque si Proxenum non repulissent, neque si per Hegesippum non stetisset, neque si hoc vel illud non impedisset, conservatum iri Phocenses, non ita tum renunciavit: sed his omnibus præteritis, se advenire verbis disertis dixit, ac persuasisse Philippo ut Phocenses conservaret, ut Bœotiæ urbes instauraret, ut vestræ auctoritati negotia committeret, ea statim confectum iri intra biduum, aut triduum, propterea se a Thebanis proscriptum, promissa interfectori pecunia.

26. Ne igitur ea quæ ante istius renunciationem vel a Lacedæmoniis facta fuerunt, vel a Phocensibus, audiatis, aut patiamini, neque Phocensium accusare improbitatem sinatis. Neque enim Lacedæmonios olim propter virtutem eorum conservastis, neque exsecrandos illos Eubœenses, neque alios multos: sed quod eos esse incolumes, e republica erat, ut etiam nunc Phocenses. Et quid Phocenses, aut Lacedæmonii, aut vos, aut alii aliqui mortales deliquerint post istius verba, quo minus ejus orationem eventus sequeretur, id rogitate. Neque enim ostendere potest. Nam quinque dies duntaxat intercesserunt, in quibus iste falsa renunciavit: vos credidistis: Phocenses audiverunt: se dediderunt: perierunt. Unde opinor etiam

manifeste patet, omnem imposturam et fraudem fuisse instructam in Phocensium interitum. Quo enim tempore Philippus venire non poterat propter pacem, sed sese comparabat, Lacedæmonios accersebat, se facturum eis esse omnia pollicitus, ne eos sibi Phocenses, vobis intercessoribus, conciliarent: postquam autem venerat in Pylas, et Lacedæmonii, animadversis insidiis, recesserant, rursus istum præmisit ad vos decipiendos, ne iterum, vobis intelligentibus eum Thebanorum agere negotium, tempus terere, et bellum gerere cogeretur, tum Phocensibus se defendentibus, tum vobis opem illis ferentibus, sed ut citra pulveris tactum (quod aiunt) omnia conficeret. Idque factum est. Non igitur quod et Lacedæmonios et Phocenses decepit Philippus, propterea iste se vobis impune illusisse postulet, neque enim æquum est.

27. Quod si pro Phocensibus, et Pylis, et aliis rebus quæ perierunt, Chersonesum superesse reipublicæ dixerit, per deos vos obsecro, judices, ne admittatis, neque patiamini, ut ad legationis injurias etiam ex defensione probrum civitati concilietur: vos, ut aliquid privati eriperetis, sociorum salutem neglexisse. Neque enim ita fecistis, sed pace jam facta, et Chersoneso incolumi, quatuor totos menses post salvi fuere Phocenses; sed istius mendacia, quibus vos in fraudem illexit, eos, his actis demum, perdiderunt. Deinde Chersonesum nunc etiam in majore versari periculo, quam tum, reperietis. Utrum enim facilius fuisset ulcisci Philippum, si quid in eam commisisset, antequam horum aliquid reipublicæ præripuisset, an nunc? equidem opinor tum fuisse longe facilius. Quæ igitur ejus est provinciæ nunc prærogativa, adempto metu et periculis ei, qui illam sit affecturus injuria?

28. Jam etiam tale quiddam eum esse dicturum audio, mirari se, cur a Demosthene accusetur, a Phocensium autem nemine. Quod cujusmodi sit, in primis ex me audire præstat. Phocensium optimi quique et modestissimi, extorres facti, et ad hunc modum tractati, otium nimirum agunt, neque quisquam eorum propter rempublicam privatas suscipere velit inimicitias: qui vero nihil sine pecunia facturi sint, ii præbitorem non habent. Neque enim ego cuiquam quicquam dederim, ut hic mihi assistentes clamitarent, qualia perpessi essent: veritas enim et res ipsa clamat. Cum populo autem Phocensium, adeo male et miserabiliter agitur, ut jam eis non laborandum sit de accusandis rationibus Athenis perperam redditis, sed de eo, ne serviant, et metu emoriantur tum Thebanorum, tum Philippi militum, quos alere coguntur, in vicos redacti, et armis spoliati. Ne igitur ista eum dicere sinite, sed, aut non periisse Phocenses, ostendere jubete, aut se non promisisse, Philippum eos conservaturum. Nam hæ sunt legationis rationes, quid actum est? quid renunciasti? si vera, absolvitor, sin falsa, dato pœnas. Quod si Phocenses non

adsunt, quid tum? sic enim tractasti eos, pro tua quidem parte, ut nec amicis opitulari, nec inimicos ulcisci possint.

29. Jam præter dedecus et ignominiam, quæ in actis insunt, etiam magna ex his orta esse reipublicæ pericula, ostendi facile potest. Quis enim vestrum ignorat, Phocensi bello, dum Phocenses Pylas tenerent, nec a Thebanis quicquam vobis fuisse metuendum, nec vel in Peloponnesum, vel in Eubœam, vel in Atticam venturum fuisse Philippum, aut Thebanos? Eam igitur securitatem, quæ et a loco et rebus ipsis reipublicæ suppetebat, istorum fraudibus et mendaciis circumventi, vos amisistis; atque armis, et bello perpetuo, et magnis urbibus sociorum hominum, et amplo agro munitam passi estis everti. Itaque frustra priora auxilia in Pylas missa sunt, quæ amplius ducentis talentis vobis constiterunt, si etiam privatos eorum, qui expeditioni interfuerunt, sumptus supputetis: inanis etiam spes est, quam de ulciscendis Thebanis conceperatis.

30. Quod autem omnium, cum multa et acerba ea sint, in quibus iste Philippo inserviit, et in rempublicam et in vos omnes, contumeliosissmum est, id ex me audite. Cum Philippus ab initio constituisset, omnia quæ decreverat præstare Thebanis, iste contrario nunciato, vestraque aversatione declarata, et vobis inimicitias Thebanorum auxit, et gratiam Philippo. Quis igitur mortalium insolentius agere vobiscum potuisset? Cape decretum Diophanti et Callisthenis, et recita, ut sciatis, cum officio fungeremini, supplicationes decretas, et laudationibus affectos esse vos, et a civibus vestris, et ab aliis: postquam autem isti vos deceperint, vos liberos et uxores ex agris in urbem transtulisse, et sacra Herculis, cum pax esset, intra mœnia facienda decrevisse. Id quod miror, si eum, per quem deos patrio ritu colere non licuit, impune dimittetis. Recita decretum.

DECRETUM.

Hæc igitur olim e dignitate rerum gestarum decrevistis. Age et recita et ea quæ sequuntur.

DECRETUM.

Hæc tum vos decrevistis, ab istis impulsi, cum ea spe initio neque pacem fecissetis, neque societatem inissetis, neque post cum adducti estis, ut posteros etiam scripto complecteremini: sed tanquam mirabilia nescio quæ propter istos bona percepturi. Quoties autem etiam post, audientes Philippi exercitum ad Porthmum aut ad Megara esse, tumultuati sitis, scitis omnes. Non igitur hoc spectandum est, aut cessandum, etiamsi nondum Atticam invadit, sed illud videndum, an per istos potestas id faciendi data ei sit, quando

libitum fuerit, et illa calamitas respicienda, et auctor et instructor illius potestatis odio prosequendus et ulciscendus.

31. Equidem scio Æschinem ad accusationem nihil esse responsurum: sed, quo vos quam longissime a causa abducat, commemoraturum, quantum universi mortales commodorum ex pace percipiant, contra quas e bello clades, ac denique laudationem pacis, defensionis loco allaturum. Sunt autem ea omnia cum ejus criminatione conjuncta. Nam si pax, quæ aliis tot bonorum causa est, tot negotiorum et tantæ perturbationis causa nobis exstitit, quid tandem dici conveniet, nisi istos, muneribus acceptis, rem suapte natura bonam male corrupisse? Quid vero? an non triremes trecentæ, et armamenta illarum, et pecuniæ vobis supersunt, et supererunt propter pacem? fortasse dicat. Vobis autem contra ita sentiendum est, etiam Philippi opes ea pace multo auctiores esse factas, et apparatu armorum, et provinciis, et reditibus, quos ille nactus est ingentes: accesserunt et nobis aliqui, sed tamen rerum gerendarum apparatus, et sociorum, quo omnes aut sibimetipsis, aut potentioribus opes parant, ac tenent, noster quidem ab isto venditus, periit et debilitatus est, illius autem, formidabilis est factus, et multo major. Non igitur æquum est, illi utraque esse aucta per istos, et societates, et reditus: nobis ea quæ propter pacem merito teneremus, istorum corruptelis æstimari. Non enim hæc pro illis recepimus, neque multis verbis est opus; sed et hæc eodem modo teneremus, et illa si absque istis esset, accessissent.

32. Illud autem, Athenienses, omnino assentiemini, etiamsi multa et gravia mala reipublicæ acciderint, eorum autem nullius auctor sit Æschines, non esse justum, ut in eum sæviatur, nec si quid per aliquem alium bene gestum est, ut illud eum tueatur; sed quarum iste rerum sit auctor, cogitabitis, eique et gratiam, si dignus videbitur, referetis, et contra, si commeruerit, succensebitis. Hæc igitur quomodo recte deprehendetis? Si eum non omnia simul commiscere patiemini, ducum scelera, bellum gestum cum Philippo, commoda pacis, sed si singula per se considerabitis. Quod genus est: fuit nobis bellum cum Philippo. Hic, nunquis accusat Æschinem? vult ne aliquis eum postulare de rebus in bello gestis? Nemo. Proinde horum eum absolvite, neque ad hæc eum respondere necesse est. Nam in controversiis et testes producendi, et argumenta proferenda sunt reo, non iis defendendis quæ in confesso sunt, facienda impostura. Cave igitur quicquam de bello dicas: nemo enim de eo quicquam te accusat. Postea quidam nobis suaserunt pacem: persuaserunt: legatos misimus: adduxerunt illi huc eos qui pacem facturi essent. Hic iterum, nunquis ea de re culpat Æschinem? asserit aliquis eum pacis auctorem, aut deliquisse, qui legatos ea gratia missos huc adduxerit? Nemo. Proinde nec de pace facta a republica quicquam est dicendum,

neque enim iste auctor ejus est. Si quis autem roget, quid igitur dicis homo? et unde primordia capis accusandi? Inde, Athenienses, cum vobis deliberantibus, non utrum pax facienda esset, nec ne,—nam id quidem jam decretum erat—, sed de eo qualis ea esse deberet. Justa enim decernentibus refragatus, mercede decernenti suffragatus est, largitionibus corruptus; deinde ad jusjurandum exigendum delectus, nec de mandatis vestris quicquam egit, et socios, qui e bello evaserant, perdidit, et tanta est ementitus, quanta nemo alius unquam mortalium, neque ante, neque post. Nam ab initio eo usque dum permissum Philippo est agere de pacis conditionibus, Ctesipho et Aristodemus primum initium fecerunt imposturæ: postquam autem jam eo ventum fuit, ut res gerenda esset, eam Philocrati et isti tradiderunt; qui ea suscepta, omnia perdiderunt. Et postquam rationes actorum referendæ sunt, iste homo, veterator nimirum et diis invisus, et scriba, ita se defendet scilicet, quasi de pace agatur, non ut de pluribus quam accusatur, respondeat (nam ea quidem insania esset) sed illud videt, in suis actis non modo nihil esse boni, sed etiam scelera inesse omnia, pacis autem defensionem, ut nihil aliud, nomen saltem habere plausibile. Quam, vereor Athenienses, vereor, ne sero, ut debitores, magno cum fœnore nos agere intelligamus. Ejus enim securitatem et firmitatem isti prodiderunt, Phocenses et Pylas, non tamen propter istum, eam initio fecimus.

33. Quanquam autem id quod dicam absurdum, verum tamen omnino est. Si quis re vera pace gaudet, ducibus, quos omnes culpant, gratiam habeat. Nam si illi, ut volebatis, bellum administrassent, vos nec nomen pacis tolerassetis. Pax igitur per illos, periculosa et lubrica et infida pax per istos facta est corruptos largitionibus. Repellite igitur, repellite eum a disputatione de pace, et in disputationem de actis compellite. Non de pace accusatur Æschines: sed pax propter Æschinem crimen habet. Argumento illud est, quod si pax ita facta esset, ut vos postea in nulla re decepti essetis, neque sociorum quisquam periisset, nemini mortalium omnium pax molesta fuisset, ignominia duntaxat excepta. Etsi autem et ejus culpæ pars in isto hæret, cum sit Philocrati suffragatus: nihil tamen immedicabile fuisset admissum. Nunc multorum aliorum malorum istum causam esse apparet.

34. Ac turpiter quidem, et flagitiose per istos ea esse omnia perdita et corrupta, scire omnes vos arbitror: ego vero, judices, tantum abest ut quicquam illis rebus adjungere calumniæ velim, aut a vobis id fieri postulem, ut, si illa per væcordiam aut simplicitatem acta sunt, aut quamvis aliam ignorationem, et ipse missum Æschinem faciam, et vobis missum ut faciatis, suadeam. Quanquam harum excusationum nulla civilis, aut justa est. Neminem enim vos rempublicam gerere jubetis, aut cogitis, sed si quis sibi persuasit, se

habere adjumenta rerum gerendarum, atque accesserit, pro vestra bonitate et humanitate eum recipitis, benigne, et non invide: quin et magistratus ei mandatis, et ejus fidei vestra negotia committitis. Quæ si quis probe administraverit, honorabitur, et eo nomine supra vulgus efferetur: sin frustratus fuerit, excusationes et causas afferet? Æquum non est. Neque enim ita satis factum erit eversis sociis, nec liberis eorum, nec uxoribus, neque ceteris, si constet eis, se propter meam inscitiam, ne istius dicam, ea esse perpessos. Multum certe abest. Sed tamen vos condonate Æschini atrocia ista et immensa, si per simplicitatem, aut quamvis aliam ignorationem commisisse videbitur: at si ex improbitate, argento accepto, et muneribus, idque aperte ex ipsis actis demonstrabitur, maxime quidem si fieri potest, occidite, sin minus, at in eo documentum statuite vivente.

35. Considerate autem ipsi vobiscum, ejus convincendi ratio quam æqua futura sit. Omnino est necesse, Æschinem ea verba apud vos fecisse de Phocensibus et Thespiensibus, et Eubœa, si non ultro se vendiderat, vosque decipiebat, vel quod aperte audierat Philippum pollicentem, se illa suscepturum, et facturum: vel, si id non fuit, præstigiis quibusdam et fucis humanitatis illius ceteris in rebus deceptum, etiam hæc de illo sperasse. Ut verum non sit horum alterum, fieri non potest. Propter hæc autem utraque ei Philippum maximo esse odio decet. Cur? quia, quod ad illum attinet, ei acerbissima et turpissima quæque acciderunt: vos decepit: laborat infamia: dignus interitu judicatur. Quod si ita fieret, ut conveniebat, jamdudum proditionis reus ageretur: nunc propter nostram mansuetudinem, et simplicitatem, rationes reddit, easque cum vult. Est igitur quisquam vestrum, qui ex Æschine ullam vocem audierit, Philippum accusante? quid? redarguentem quisquam aut dicentem eum aliquid vidit? Nemo, sed omnes Athenienses prius accusant Philippum, et quivis semper; quorum utique nulli ulla privatim facta est injuria. Ego vero hæc verba ab eo requirerem, si se non vendidisset: Athenienses, me quidem tractate ut vultis: credidi: deceptus sum: erravi: fateor: illum autem hominem cavete Athenienses, perfidus est, impostor, improbus. Non videtis quomodo mecum egerit? ut deceperit? Horum verborum ego nullum audio, neque vos. Quamobrem? quia non deceptus, neque falsus, sed mercede ultro conductus, atque argento accepto, ea dixit, et illi prodidit, seque præclarum ac justum illi mercenarium præbuit, legatum autem vobis, et civem et proditorem, et ter, non semel morte mulctandum.

36. Neque vero ex his solum constat, eum mercede conductum, omnia illa dixisse, sed et ex eo, cum nuper Thessali, et Philippi legati cum eis, venerunt, postulantes, ut Philippo Amphictyoniam decerneretis. Quem igitur omnium mortalium maxime istis refragari decebat? Æschinem. Cur? quia ejus renunciationi contraria

ille fecit. Iste enim dixerat, illum Thespias et Platæas muniturum, et cum Phocenses non perditurum, tum Thebanorum in vos insolentiam repressurum: ille vero et Thebanos majores fecit quam oportebat, et Phocenses funditus delevit, ut nec Thespias nec Platæas muro circumdedit, sic Orchomenum et Coroneam insuper excidit. Possuntne res inter se ullo modo magis esse contrariæ? Neque vero refragatus est, neque os aperuit, neque vocem ullam contrariam emisit. Quod tantum cum sit, non tamen est grave, sed illud, quod et solus omnium in hac urbe degentium suffragatus est; quodque nec Philocrates facere fuit ausus, impurus ille, id Æschines fecit. Ac tumultuantibus vobis, et eum audire nolentibus, descendens de suggesto, missis a Philippo legatis se venditans, multos esse dicebat, qui tumultuarentur, paucos qui militarent, si necesse esset. Meministis enim utique: cum ipse, o Dii, sit mirificus bellator.

37. Jam si nullum legatum quicquam accepisse ostendere possemus, neque res ita pateret, ut palam esset universis, quæstiones et ejus generis alia restarent: si vero Philocrates se accepisse, non modo pro concione sæpe confessus est, sed et vobis ostentavit, vendendo tritico, ædificando, profitendo se iturum, etiamsi vos non juberetis, vehendis lignis, auro in mensis aperte commutando, non profecto habebit iste quod illum accepisse neget, qui ipse confessus est et ostentavit. Est vero quisquam mortalium adeo væcors, aut infelix, ut, dum et Philocrates dona accipiat, et ipse male audiat ac periclitetur, cum ei liceret stare ab innocentibus, hos quidem infestet, cum illo autem conjunctus judicium subire malit? Equidem opinor esse neminem, sed hæc omnia, si recte consideretis, invenietis, Athenienses, magna et evidentia esse signa acceptæ ab isto pecuniæ.

38. Jam illud quod non ut postremo factum est, sic minimum signum est, istum Philippo se vendidisse, spectate. Proculdubio nostis dudum, cum proditionis reum ageret Hyperides Philocratem me progressum dicere, unum quendam in accusatione mihi restare scrupulum, quo pacto solus Philocrates tot et tantorum scelerum causa fuisset, novem legati nullius: atque id ita se habere negavi. Nullam enim ejus per se futuram fuisse auctoritatem, nisi adjutores illorum aliquos habuisset. Ut igitur, inquam, neque absolvam, neque criminer quenquam, sed res ipsa et noxios inveniat, et criminis expertes absolvat, surgat quicunque volet, et progressus in conspectum vestrum, declaret se non esse socium, nec probare acta Philocratis; atque eum qui ita fecerit, absolvo ego, inquam. Hæc meministis, ut ego arbitror. Nemo autem prodiit, nec ostendit se: ac ceterorum quidem singulis aliqua causa fuit. Nam alius rationes retulerat, alius fortasse non aderat, alius affinem illic habebat: isti autem causarum illarum nulla erat, sed usque adeo se prorsus vendiderat, neque in præteritis tantum suam locarat operam, ut non

dissimulet, se in posterum etiam, si nunc absolutus fuerit, illi præsto futurum contra vos. Quare cavet, ne quod vel verbulum Philippo non jucundum sibi excidat, nec ut missum faciamus, missum facit, sed laborare infamia, accusari, quidvis apud vos perpeti satius esse ducit, quam aliquid minus gratum Philippo facere. Quæ vero illa est societas? quæ tanta ista solicitudo de Philocrate? quem, si omnem legationem præclarissime obiisset, et pecuniam tamen se propter legationem accepisse fateretur, ut fatebatur, illud ipsum fugere et solicite cavere incorruptum legatum conveniebat, et testari suam integritatem. Sed id non fecit Æschines. Hæc nonne perspicua sunt, Athenienses? hæc nonne clamitant et loquuntur, pecuniam accepisse Æschinem, et propter argentum perpetuo esse improbum, non ex simplicitate, aut ignoratione, aut per calamitatem? Et quis, inquit, testificatur, me accepisse munera? hæc enim est præclara illa defensio. Res ipsæ, Æschine, quæ sunt fide omnium dignissimæ; neque dici potest, aut prætexi, vel ex persuasione alicujus aut gratificandi studio eas esse tales, sed quales prodendo et corrumpendo tu eas effecisti, tales in exquirendo apparent. Et præter res ipsas jam tute in te dices testimonium. Age huc assiste, et responde mihi, neque enim per imperitiam habere te negabis, quid dicas. Cum enim novas causas tanquam fabulas, easque sine testibus ad præfinitam diem accusator vincas, ex eo constat, te esse acerrimum.

39. Quanquam autem multa sunt et atrocia scelera Æschinis, et magna improbitate referta, ut vobis etiam, nisi fallor, videtur, nullum tamen, meo quidem judicio, est atrocius, aut evidentius corruptelarum ejus argumentum, aut quod magis ostendat, palamque demonstret, eum accepisse munera, et vendidisse omnia, eo quod et nunc dicam. Cum jam tertium legatos missuri essetis ad Philippum, propter præclaras et magnas illas spes earum rerum, quas iste pollicebatur, delegistis et istum, et me, et ex reliquis plerosque eosdem. Ego progressus statim ejuravi. Tumultuantibus autem quibusdam, et me ire jubentibus, negavi me abiturum. Iste autem delectus erat. Deinde cum concio surrexisset, congressi isti consultabant, quemnam hic relicturi essent. Dum enim etiamnum in motu essent omnia, et incerta futurorum exspectatio, tum et congressus, et verba varia in foro fiebant. Metuebant enim, ne subito concio indiceretur: et vos, audita ex me veritate, aliquid opportuni de Phocensibus decerneretis, et Philippus gerendarum rerum occasionem amitteret. Nam si decretum duntaxat fecissetis, et aliquam mediocrem spem eis prætulissetis, conservati essent. Non enim licuisset Philippo, nisi vos decepti essetis, manere diutius. Neque enim frumentum erat in agris, propter bellum incultis, neque etiam invehi potuisset, vestris triremibus ibi præsentibus, et mare

obtinentibus, et Phocensium urbes multæ erant, et expugnatu difficiles, nisi mora, et obsidione. Nam si singulis diebus singulas cepisset urbes, duæ et viginti fuerunt numero. Propter ea igitur omnia ne quid eorum mutaretis, in quibus decepti eratis, istum hic reliquerunt. Sed ejurare, nulla allata causa, non ferendum erat, et vehementer suspectum. Quid ais? ad tot et tanta bona quæ nunciasti, non abis, nec legatione fungeris? sed manendum erat. Quid fit? Morbum simulat: frater ejus, adducto Execesto medico, curiam ingressus, coram senatu jurat, ægrotare istum: ejus vice ipse deligitur. Ut autem perierant Phocenses, quinque diebus aut sex post, et ea locatio ab isto confecta erat, quasi aliud quiddam conduxisset, Dercyllus Chalcide reversus, vobis concionem in Piræeo habentibus nunciat, Phocenses periisse; quo vos, Athenienses, audito, et illorum vicem dolebatis, ut par erat, et ipsi perterriti, liberos et uxores ex agris in urbem transferendos decernebatis, et castella instauranda, et Piræeum muniendum, et Herculana sacra in urbe facienda. Cum hæc fierent, et tanta perturbatio, tantusque tumultus urbem invasisset, tum iste vir eloquens et sapiens et vocalis, nec a senatu, nec a populo delectus, legatus abit ad eum, qui illa perpetrarat. Nulla habita ratione vel morbi, quo simulato legationem dudum ejurarat, nec quod alius ipsius loco legatus erat, nec quod lege talia facinora capite sancita sunt, nec, quod absurdissimum esset, postquam renunciarat, se a Thebanis esse proscriptum, cum ii præter Bœotiæ totius imperium, etiam Phocensis regionis potiti essent, tum in medias Thebas, et Thebanorum castra vadere. Verum ita erat extra se raptus, ita totus in quæstum et largitionem immersus, ut sublatis et despectis ceteris rebus omnibus abiret.

40. Quæ res cum talis sit, multo etiam graviora sunt ea, quæ postquam illuc venit, perpetravit. Cum enim vos, qui adestis omnes, et ceteri Athenienses, tam misere et crudeliter cum miseris agi Phocensibus duceretis, ut neque senatorios spectatores, neque sexviros ad Pythia mitteretis, sed patrium spectaculum desereretis: iste ad triumphales epulas, negotiis et bello confecto, quas Thebani et Philippus in honorem deorum instruxerant, accessit, et cum libationum, tum votorum fuit particeps, quæ ille ob sociorum nostrorum mœnia et agros et arma perdita nuncupabat, et una coronas gestavit, et pæana concinuit cum Philippo, et familiariter propinavit. Neque ego hæc sic, iste aliter narrare poterit, sed ejuratio inter publica vestra monimenta in tabulario, quibus minister publicus præest, asservatur, et decretum palam de ista re est scriptum, quæ autem ibi perpetrarit, collegati ejus, et ii qui adfuerunt, testimonium in eum dicent: qui iidem hæc mihi retulerunt. Neque enim ego una in legatione fui, sed eam ejuravi. Age, recita mihi decretum, et literas, et testes accerse.

DECRETUM. LITERÆ. TESTES.

Quæ igitur vota putatis nuncupasse diis Philippum cum libaret, aut Thebanos? nonne ut in bello vim et victoriam ipsi et sociis largirentur, et horum contraria Phocensium fœderatis? Iste porro eadem precabatur et imprecabatur patriæ, quæ nunc vos in ejus caput convertere oportebit. Itaque abiit contra legem, quæ id facinus capitale esse jubet: illuc autem profectum aliis mortibus luenda designasse constat: jam ejus acta priora, et obitæ propter hæc legationes, merito eum interfecerint.

41. Quare considerate quæ litis æstimatio ea magnitudine sit, ut tot sceleribus non minor esse videatur. An non turpe fuerit, Athenienses, cum publice universi vos et totus populus omnia ea quæ pacem consecuta sunt, reprehendatis, cum nec Amphictyonum decretis assentiamini, et irascamini Philippo, eumque suspectum habeatis, tanquam impia sint et crudelia illa facta, et neque justa, neque vobis conducibilia: si in curiam ingressi, ad rationes de illis redditas dijudicandas, et jurejurando pro repub. dato, malorum omnium auctorem, quem in talibus facinoribus palam deprehendistis, eum absolvetis? Ecquis ceterorum civium, vel potius Græcorum omnium, non jure vos reprehendet, qui videat vos irasci Philippo, qui pacem e bello ut faceret, negotia ab iis qui vendere solent, mercatus, rem agit omnino venia dignam: istum autem absolvere, qui vestra tam flagitiose vendidit, cum legibus extrema supplicia talibus facinoribus sint constituta?

42. Fortassis etiam talis ab istis ratio afferetur, principium hoc fore inimicitiarum cum Philippo, si pacis interpretes damnaveritis. Ego vero, id verum si est, quod gravius isti crimen impingam, nulla ratione reperio. Si enim is qui pecuniam impendit, ut pacem impetraret, ita nunc factus est formidabilis et magnus, ut vobis, neglecto jurejurando, et justitia, videndum sit jam, qua re gratum Philippo faciatis, quo supplicio afficiendi erunt ejus rei auctores, ut dignas dent pœnas? Verum enimvero eam rem amicitiæ vobis utilioris etiam principium futurum esse, quantum conjectura licet assequi, id quoque me ostensurum opinor. Hoc certo tenendum vobis est Philippum, Athenienses, non contemnere vestram urbem, neque eo quod vos inutiliores putarit quam Thebanos, vobis illos prætulisse, sed ab istis edoctum esse, et audivisse, id quod prius etiam publice vobis exposui, nemine istorum refragante; populum esse turbam, rem omnium inconstantissimam et stolidissimam, ut in mari undam fluctuantem, quæ fortuito agitetur, alium accedere, alium abire, rempublicam autem curæ esse nemini, ac quid actum sit, ne meminisse quidem; habendos autem aliquos amicos, qui ei

apud vos singula conficiant, atque ejus arbitratu gubernent, quod si in primis sit consecutus, eum a vobis facile, quicquid libitum fuerit, impetraturum. Si igitur eos, qui tum illa ad eum dixerunt, statim, ut huc redierant, in crucem actos audivisset, fecisset idem quod rex Persarum. Quid autem fuit quod ille fecit? Deceptus a Timagora, cui quadraginta, ut ferunt, talenta dederat, ut audivit eum a vobis interfectum, ac ne suam quidem tueri vitam, nedum quæ pollicitus fuerat, præstare potuisse, animadvertit se pecuniam non ei numerasse, penes quem summa esset auctoritas. Proinde primum Amphipolim urbem vestro imperio denuo subjecit, quam hactenus sociam suam et amicam esse scripserat: deinde nemini unquam postea pecuniam dedit. Idem igitur et Philippus fecisset, si horum aliquem pœnas dare vidisset: idque etiam nunc, si viderit, facturus est. Sed cum audiat, eos conciones habere, florere gloria apud vos, aliis creare pericula, quid facere conetur? multum impendat, cum liceat pauciora? an omnes colere velit, cum duos aut tres liceat? Insaniret profecto. Neque enim Thebanorum urbi Philippus benefactum publice voluisset (multum certe abest) sed a legatis est ei persuasum. Quo autem pacto, dicam ego vobis.

43. Venerunt Thebis ad eum legati, cum et nos a vobis missi illic essemus. Iis pecuniam ille dare voluit, eamque, ut aiebant, omnino magnam: non admiserunt, nec acceperunt eam Thebanorum legati. Post, in sacrificio quodam et cœna, potans cum eis Philippus, et humanum erga illos se præbens, cum alia multa, ut captivos et ejus generis alia, tum pocula tandem argentea et aurea eis offerebat. Ea illi omnia repudiabant, nec usquam sui oblivisce-bantur. Postremo, Philo, unus legatorum, habuit orationem, Athenienses, quam non pro Thebanis, sed pro vobis habitam esse oportuit. Aiebat enim, se, cum Philippum videret magno et humano in ipsos esse animo, delectari et gaudere. Sed se jam antea ipsius esse hospites, et amicos, etiam sine illis muneribus: petere autem, ut ad negotia urbis, quæ tum illa ageret, ea humanitate conversa, aliquid et seipso dignum et Thebanis præstaret, ita polliceri et se et totam urbem ei fore addictam. Jam spectate, quid hoc pacto Thebani consecuti sint, et quid vobis acciderit, et vere æstimate, quanti sit non vendere negotia civitatis. Primum, pace potiti sunt, laborantes et afflicti jam bello et succumbentes: deinde hostes Phocenses ad internecionem deleti, eorumque mœnia et oppida sublata e medio. Nunquid sola hæc? Non medius fidius, sed accesserunt etiam Orchomenus, Coronea, Corsiæ, Tilphossæum, Phocensis agri quantum voluerunt. Thebani igitur hæc e pace consecuti sunt, quibus utique majora nec optarint: Thebanorum autem legati quid? nihil, nisi quod eorum opera hæc patriæ contigerunt.

Id vero præclarum est, Athenienses, et egregium, si virtutis et gloriæ ratio ducatur, quas res isti pecunia vendiderunt.

44. Conferamus jam quid Atheniensium respublica e pace consecuta sit, et quid legati Atheniensium, et considerate, num similia respublica et isti ipsi. Respublica igitur, ut cesserit omnibus, et possessionibus, et sociis, ut jurarit Philippo, si quis alius illas invaserit, vobis ut restituat, vos prohibituros, et qui vobis eas tradere voluerit, eum pro inimico et hoste habituros, qui eripuit, pro socio et amico. Hæc enim sunt quæ et Æschines defenderit, et adjutor ejus Philocrates decreto sanxerit. Item cum ego pridie superior, vobis persuasissem, ut sociorum decretum confirmaretis, et legatos Philippi accerseretis, iste cavillationibus ea re in posterum diem rejecta, persuasit, ut in Philocratis sententiam iretis, in qua et hæc et alia multo his graviora continentur. Ac reipublicæ quidem hæc ex pace contigerunt, quibus flagitiosiora nec inveniri facile possunt: legatis autem quid, horum auctoribus? cetera omnia taceo, quæ ipsi vidistis, ædes, ligna, frumentum, sed in sociorum qui perierunt regione, possessiones et fundi plurimi, quæ Philocrati talentum, Æschini tricenas minas pensitant. Nonne vero grave est et miserabile, sociorum vestrorum calamitates, reditus legatis vestris esse factas, eandemque pacem urbi, a qua missi fuerunt, et sociorum interitum, et possessionum jacturam, et pro gloria dedecus attulisse, legatis autem qui rempublicam violarunt, reditus, opes, possessiones, divitias, pro extrema inopia peperisse? Et hæc vere a me dici ut constet, voca testes harum rerum Olynthios.

TESTES.

45. Neque vero mirabor, si etiam tale aliquid dicere audebit, non licuisse præclaram, neque qualem ego postularim, facere pacem, cum duces male rem bellicam administrassent. Quod si dixerit, obtestor vos ut memineritis eum interrogare, utrum ex alia urbe legatus abierit, an ex hac eadem. Nam si ex alia, quam bello superiorem fuisse dicet, ac bonos duces habuisse, merito pecuniam accepit: sin ex hac ipsa, qua gratia, propter quæ urbs, a qua missus erat, suis bonis cessit, ob ea ipse accepisse dona cernitur? Eadem enim et urbi mittenti tribuenda fuerunt, et missis ex ea legatis, si quid recte factum esset. Jam et illud considerate, Athenienses, plusne putetis a Phocensibus Thebanos, an a Philippo vos bello superatos? Equidem compertum habeo a Phocensibus Thebanos. Tenebant enim illi Orchomenum, et Coroneam, et Tilphossæum, et suos, qui Neotibus fuerant, receperant, et septuaginta et ducentos occiderant ad Hedyleum, et tropæum erexerant, et

equestri prælio superiores erant, et malorum Ilias Thebanos circundederat: vobis autem nec tale quicquam acciderat, et absit ut accidat in posterum. Sed illud erat in Philippico bello gravissimum, quod ei cum volebatis nocere, non poteratis, ne vero noceretur vobis, minime timebatis. Qui factum est igitur, ut per eandem pacem Thebanis, qui bello usque adeo inferiores erant, et sua recipiendi, et hostium opes adjungendi potestas data sit: vobis autem Atheniensibus, etiam ea quæ bello defendebantur, pace facta, perierint? Quod illorum legati opes eorum non vendebant, vestras isti vendiderunt.

46. At dicet, hercule, socios fuisse bello defatigatos. Nam hæc ita fuisse acta, ex iis etiam quæ sequuntur, magis intelligetis. Ut enim pax ista Philocratis facta auctoritate, confecta fuit, cui iste suffragatus est, et Philippi legati discesserant, exacto jurejurando, —et hactenus quidem nihil erat actum atrocius, sed turpis pax erat, et aliena a dignitate reipublicæ, loco autem dedecoris hujus admiranda illa bona percepturi eramus—, postulabam ego, et istis dicebam, ut primo quoque tempore in Hellespontum navigarent, neve quicquam negligerent, aut Philippum occupare quicquam interjecto tempore paterentur ex locis illius regionis. Compertum enim habebam, quæcunque bello in pacem converso projecta fuerint, ea iis qui neglexerint periisse. Nemo enim unquam, cui persuasum fuit de totius imperii statu pacem inire, pro iis quæ ab initio neglecta fuerunt, bellum gerere voluit; sed ea tenent ii qui occuparunt. Ad hæc, si navigassemus, duplici bono auctum iri putabam rempublicam. Aut enim, si adessemus, et ex decreto jusjurandum ab eo exegissemus, tum ea quæ reipublicæ nostræ præripuisset, redditurum, tum reliqua non invasurum: aut, nisi ille hæc faceret, nos statim huc renunciaturos, ut vos in remotis illis et minoribus cognita hominis avaritia et perfidia, de his finitimis et majoribus, Phocensibus, inquam et Pylis retinendis, cogitaretis. Quod si ille hæc non occupasset, neque vos decepti essetis, in tuto vobis essent omnia, et quæ æqua sunt, ille vobis ultro præstaret. Neque hæc ab re ita fore putabam. Si enim essent Phocenses, uti tum erant, incolumes, et Pylas tenerent, ille nullum vobis incutere terrorem potuisset, quo perculsi jus aliquod vestrum neglexissetis. Neque enim aditu terra patefacto, neque navali prælio victor, in Atticam venturus fuit, vos autem illi statim, si jus violasset, mercatus claudere potuissetis, et ad pecuniæ penuriam, et ceterarum rerum iterum velut obsidionem redacturi. Quare ille serviturus fuit pacis commoditatibus, non vos. Et hæc non nunc a me fingi ex eventu, et simulari, sed tum statim et sensisse, et prævidisse me in vestram utilitatem, et istis indicasse, inde cognoscetis: cum jam nullæ conciones restarent (habitæ enim erant omnes) et isti nondum abiissent, sed hic tempus tererent, senator decretum facio, populi auctoritate senatui permissa, ut primo

quoque tempore legati abirent, et ut Proxenus dux eos in illa loca deportaret, in quibus versari Philippum cognovisset, iis verbis, quæ nunc refero, aperte in decreto positis, age cape id decretum, et recita.

DECRETUM.

47. Hinc igitur eos eduxi, adeo invitos, ut ex iis quæ postea fecerunt, liquido cognoscetis. Ut autem Oreum pervenimus, et cum Proxeno congressi sumus, isti neglecta navigatione, et executione mandatorum, passim oberrabant. Antequam igitur in Macedoniam veniremus, dies tres et viginti consumpsimus, reliquos vero omnes Pellæ desedimus, ante Philippi reditum, iis quos in itinere fuimus additis, quinquaginta totos. Interea Doriscum, Thraciam, Muros, Sacrum montem, omnia denique pacis tempore et fœderum, capiebat et procurabat Philippus, crebro dictitante me, et clamitante, primum ita ut in commune consuli solet, deinde, ut qui docerem ignaros, postremo, ut in eos qui se vendidissent, impurissimos homines, sine ulla dissimulatione inveherer: qui autem his aperte refragaretur, et omnibus tam dictis meis, quam decretis vestris adversaretur, iste fuit. An vero eadem ceteris etiam legatis omnibus placuerint, statim scietis. Ego enim nondum quicquam de ullo dico, neque queror, neque ullum eorum coactum hodie videri bonum virum oportet, sed ultro et ob vitandam scelerum societatem. Nam ea esse atrocia flagitia, et non admissa gratis, omnes vos vidistis: quorum qui socii fuerint, res ipsa ostendet. At, hercule, eo tempore jusjurandum a sociis exegerunt, aut alia quæ decuissent egerunt? Multum certe abest. Sed tribus mensibus peregre absumptis, et mille drachmis in viaticum a vobis acceptis, quantum a nulla civitate numerari solet, neque cum illo proficiscerentur, neque cum illinc huc redirent, jusjurandum exegerunt, sed in caupona, quæ est ante Castoris et Pollucis—si quis vestrum Pheris fuit, intelligit quid dicam—, ibi jusjurandum dabatur, cum jam cum exercitu Philippus huc proficisceretur, turpiter Athenienses, et non e vestra dignitate. Ut autem illa eo modo fierent, id Philippus omnium maximi æstimavit. Nam si nec pacem ita, uti instituerant isti primum, decernere potuissent, exceptis Alensibus et Phocensibus, sed coactus esset a nobis Philocrates id delere, ac perspicue ponere, Athenienses et Atheniensium socios, noluisset id jusjurandum ab ullo sociorum suorum dari: neque enim ea quæ nunc vobis erepta tenet, oppugnatum illi ivissent, sed jusjurandum excusassent: neque eos conscios esse voluisset pollicitationum, quibus pacem impetrasset: neque id ostendi palam omnibus, non civitatem Atheniensium succubuisse bello, sed Philippum esse qui pacem expeteret, et ab Atheniensibus pacem

multis pollicitationibus impetraret. Ne igitur hæc quæ dico palam fierent, propterea censuit eis nusquam esse abeundum; isti autem ei omnia gratificabantur, cum ostentatione, et insigni assentatione. Verum si horum omnium convincentur, consumpsisse tempus, neglexisse Thraciam, nihil ex decretis egisse vestris, aut ex utilitate reipublicæ, falsa huc renunciasse, qui possunt isti a cordatis judicibus et religiosis conservari? Quæ ut a me vere dici constet, recita primum decretum, quo pacto nobis fuerit exigendum jusjurandum: deinde literas Philippi: post, Philocratis decretum: mox plebiscitum.

DECRETUM. LITERÆ. DECRETA.

Jam ut appareat nos potuisse Philippum in Hellesponto deprehendere, si quis mihi paruisset, et vestra mandata exsecutus esset ex decretis, voca testes qui illic adfuerunt.

TESTES.

Recita et alterum testimonium, quid Euclidi post profecto Philippus responderit.

TESTIMONIUM.

48. Eos igitur nec inficias ire posse, quin illa pro Philippo egerint, ex me audite. Cum priore legatione profecti sumus de pace facienda, vos caduceatorem præmisistis ad impetrandam fidem publicam. Tum igitur, ut primum Oreum venerunt, non exspectarunt caduceatorem, neque ullam moram fecerunt, sed quamvis Alus obsideretur, tamen eo trajecerunt, et rursus inde ad Parmenionem, qui oppidum obsidebat, egressi per hostilem exercitum Pagasas abierunt, et progressi, caduceatori Larissæ occurrerunt, tanto studio et alacritate tum proficiscebantur. Cum autem pax esset, et sine omni periculo ire liceret, et a vobis properandi mandatum haberent, tum nec iter accelerare, nec navigare in mentem eis venit. Cur tandem? Quia tum e re Philippi erat, pacem quam primum fieri: eo vero tempore, moram quam longissimam interponi, priusquam jusjurandum exigeretur. Sed ut et hæc vere a me dici constet, etiam hoc cape testimonium.

TESTIMONIUM.

An igitur fieri potest, ut ulli homines magis convinci possint, se omnia pro Philippo agere, quam qui in eodem itinere, cum pro

vobis festinandum esset, desederunt, cum vero non eundum esset ante caduceatoris reditum, festinarunt?

49. Quo igitur tempore illic fuimus, et Pellæ desedimus, considerate quid quisque nostrum facere instituerit. Ego, captivos redimere et quærere, et de meo pecuniam insumere, et a Philippo petere, ut hospitalium munerum vice, quæ nobis offerebat, illos missos faceret: iste autem quid perpetuo fecerit, statim audietis. Quid igitur illud erat? Ut Philippus communiter pecuniam nobis largiretur. Ut autem nec illud ignoretis, ille nos periclitatus est omnes, ad singulos privatim missitans, et multum sane auri offerens. Ut autem frustra experiebatur quemcunque,—neque enim de me ipso mihi dicendum est, sed facta et res ipsæ declarabunt—, communiter datam pecuniam universos putabat statim temere accepturos. Eos igitur in tuto fore, qui se privatim vendidissent, si vel minimum communiter datæ pecuniæ accepissemus. Eo dabatur: hospitalia autem munera prætexebantur. Ut autem ego prohibui, rursus isti de integro inter se partiti sunt. Cum vero peterem a Philippo ut eam pecuniam in captivos impenderet, neque opportunum illi fuit istos prodere, aut dicere illum, vel illum accepisse, neque impensam fugere. Assensus est igitur, sed elusit, se ad Panathenæa illos amissurum pollicitus. Recita igitur testimonium Apollophanis, deinde aliorum qui adfuerunt.

TESTIMONIUM.

50. Age, vobis exponam etiam, quot ipse captivos redemerim. Dum enim ante reditum Philippi Pellæ commorabamur, nonnulli captivorum, qui vades dederant, diffidentes, ut mihi videtur, se post a Philippo id impetraturos, dixerunt, se velle semetipsos redimere, neque id beneficium acceptum Philippo relaturos; et mutuo sumpserunt, alius tres minas, alius quinque, alius prout cuique conditiones erant propositæ. Postquam autem Philippus pollicitus fuit, se ceteros missos facturum, ego convocatis iis, quibus mutuam pecuniam ipse dederam, et actorum commonefactis (ne suam sibi festinationem fraudi fuisse putarent, neve suis sumptibus redimerentur tenues homines, cum spes esset, fore ut ceteri a Philippo dimitterentur) dono dedi pretium redemptionis. Quæ ut vere a me dici constet, recita et hæc testimonia.

TESTIMONIA.

51. Quam igitur remisi pecuniam, et dono dedi calamitosis civibus, hæc est. Quod si mox iste ad vos dicet, cur tandem, Demosthenes, ex mea, ut ais, Philocratis defensione cum intellexisses, nos sani nihil agere, posteriori legationi ad jusjurandum exigendum missæ interfuisti? cur eam non ejurasti? Hoc mementote, me promisisse iis quos redemeram, et allaturum pecuniam, et eos, quantum in me esset, conservaturum. Non committendum igitur erat, ut mentirer, et desererem calamitosos cives; neque etiam admodum honestum aut tutum erat, detrectata legatione privatim illic oberrare. Nam nisi illos servare voluissem, dii me omnes perdant et eradicent, si magnam mereri pecuniam voluissem, ut istorum in legatione collega essem. Cujus rei signum hoc est; quod ad tertiam legationem bis delectus a vobis, bis jurejurando recusavi, et in illa profectione illis per omnia fui adversatus. Quæ igitur in legatione mei arbitrii fuerunt, hoc se modo vobis habuerunt: in quibus autem isti, ut plures, vincebant, ea omnia perierunt. Quin et cetera omnia convenienter his acta essent, si quis mihi paruisset. Neque enim ego ita infelix, aut væcors fui, ut pecuniam darem, cum alios accipere viderem, pro meo vestri studio: quæ autem et sine impensis confici potuissent, et universæ civitati longe plus profuissent, ea fieri noluissem. Imo quid maluissem, Athenienses? sed me vincebant isti nimirum.

52. Agite vero quid inter hæc iste egerit, et quid Philocrates, spectate: hæc enim inter se collata, clariora erunt. Primum igitur Phocenses et Alenses fœdere excluserunt, et Cersobleptem, tum contra decretum, tum contra ea quæ ad vos relata erant: deinde loco movere atque immutare decretum, quo legati veniebamus, sunt aggressi: postea Cardianos Philippo socios inscripserunt, et scriptas a me literas ad vos non mittendas censuerunt, ipsi autem væcordes suas literas miserunt: et tamen præclarus iste vir me pollicitum esse Philippo dixit me rempublicam vestram abrogaturum, quod illas reprehendebam, quas non modo turpes existimabam, sed et verebar, ne insons ego meo interitu culpam illorum luerem, Æschines vero nunquam destitit privatim congredi cum Philippo. Ac cetera quidem taceo, Dercyllus autem Pheris eum nocte quadam observavit, non ego, adhibito puero hoc meo, eoque deprehenso, e tabernaculo Philippi exeunte, puerum mihi renunciare jussit, et ipsum id meminisse. Denique nefarius iste, et impudens, noctem et diem, digressis nobis, remansit apud Philippum. Et hæc vere a me dici ut appareat, primum ego ipse in tabellas referam, et meo periculo testificabor: deinde ceterorum legatorum singulos citabo, et omnino aut testificari, aut ejurare cogam. Quod si ejurarint, perjurii eos manifeste in conspectu vestro convincam.

TESTIMONIUM.

53. Quibus igitur malis et negotiis in toto itinere sim conflictatus, vidistis. Quid enim eos illic fecisse putatis, dum prope largitorem essent, cum videntibus vobis, qui habendi honoris, contraque irrogandæ mulctæ potestate valetis, ista designent? In summa igitur capita accusationis ab initio colligam, ut ea me præstitisse demonstrem, quæ in principio orationis, me vobis ostensurum esse sum pollicitus. Demonstravi eum nihil renunciasse veri, sed fucum fecisse vobis, ipsarum rerum non verborum testimoniis usus: demonstravi, eum in causa fuisse, ne vos vera ex me audire velletis, tum istius promissis et pollicitationibus occupati, cum is omnia contra quam oportuit suasisset, et sociorum refragatum esse paci, Philocraticæ suffragatum: tempora contrivisse, ut nec si velletis, possetis educere copias in Phocidem: et alia multa et atrocia in itinere commisisse: prodidisse omnia: vendidisse: accepisse munera: nullum præterisse improbitatis genus. Hæc igitur in principio promisi, hæc demonstravi.

54. Jam quid reliquum sit, videte; simplex enim est quæ mihi jam vobiscum erit oratio. Jurastis vos pronunciaturos ex legibus et plebiscitis, et decretis senatus quingentorum: constat autem, istum omnia contraria legibus, decretis, institutis in legatione fecisse. Eum igitur condemnari convenit a cordatis judicibus. Nam si nihil aliud commisisset, duo tamen ejus facinora morte mulctanda essent. Neque enim Phocenses tantum, sed et Thraciam prodidit Philippo. At duo loca utiliora reipublicæ in orbe terrarum nemo possit ostendere, in terra, Pylis, Hellesponto, in mari: quæ utraque isti flagitiose vendiderunt, et vestro malo Philippo tradiderunt. Illud ipsum igitur, præter cetera, quantum scelus est, Thraciam et Muros prodidisse? Infinita dici possent, quam multi propter talia facinora etiam interfecti sint apud vos, alios autem magna esse pecunia mulctatos, ostensu non est difficile; ut Ergophilum, Cephisodotum, Timomachum: ut olim aliquando Ergoclem, Dionysium, alios, quos universos parum abest quin dicam minus quam istum nocuisse reipublicæ. Nam eo tempore, Athenienses, pericula vos etiamnum consilio cavebatis et prospiciebatis: nunc, nisi quod vos quotidie vexat, et præsentia sua molestiis afficit, negligitis. Postea frustra hic decernitis, et Cersobleptæ a Philippo dandum esse jusjurandum, et Philippo non dandum esse locum inter Amphictyones, et pacem esse corrigendam. Quorum decretorum nullo fuisset opus, si navigare iste, et officio fungi voluisset: nunc quæ navigando conservare potuissent, ea dum ire jubet, perdidit, quæ dicenda veritate, mentiendo.

55. Indignabitur autem statim, ut ego audio, si soli sibi popularium oratorum, verborum ratio reddenda sit. Ego vero æquum esse, ut omnes eorum quæ dicant, si propter argentum dicunt, rationem reddant, prætermittam: sed illud dico. Si Æschines, ut homo rerum imperitus, deliravit alicubi, et frustratus est, ne severius inquirite, sed missum facite, veniam date: sin legationem obiens, accepta pecunia, de industria vos fefellit, ne absolvite, neque admittite illud, pœnas verborum non esse dandas. Cujus enim alterius rei, quam verborum, ratio a legatis reposcenda est? Neque enim legatis committuntur triremes, aut loca, aut legiones, aut arces. Nemo hæc legatis tradit, sed verba et tempora. Quod si reipublicæ tempora non præripuit, non peccavit, sin præripuit, peccavit: verba autem si vera renunciavit, aut utilia, absolvatur, sin et falsa, et corruptus, et inutilia, teneatur. Nulla enim re populus lædi gravius potest, quam audiendis mendaciis. Quorum enim in verbis sita est respublica, quo pacto si ea vera non sunt, tuto geri potest respublica? Quod si quis insuper ea quæ hostibus conducant, accepta mercede dicat, an non etiam in magno periculo eritis? Neque etiam eadem injuria est, tyranno, aut oligarchiæ præripere tempora, quæ vobis: neque parum interest. In illis enim imperiis omnia ex edicto celeriter fiunt: apud vos autem in primis ad senatum omnia referenda, et ab eo decernenda sunt; idque duntaxat, cum præconibus et legationibus adscriptum fuerit, non semper; deinde indicenda concio, eaque tempore legibus constituto; post vincendi et superandi sunt iis qui rectissime consulunt, illi qui ex inscitia, aut ex improbitate adversantur; post hæc autem omnia, cum jam et decretum aliquid fuerit, et jam conducibile esse videtur, spatium dandum est multitudinis tenuitati, in quo ea comparent, quorum indigent, ut decreta etiam exsequi possint. Qui igitur ea tempora sustulit in tali, qualis apud vos est, republica, is non tempora sustulit, non, sed ipsas actiones plane vobis eripuit.

56. Etsi autem in promptu est quædam iis, qui vos decipere volunt, omnibus oratio: illi qui civitatem turbant, qui Philippum reipublicæ benefacere prohibent, iis tamen ego nihil respondebo, sed literas vobis Philippi legam, et tempora singula, quibus decepti estis, redigam vobis in memoriam: ut sciatis, frigidum illud nomen ad fastidium usque repetitum decipiendis vobis illum consumpsisse.

LITERÆ PHILIPPI.

57. Cum igitur tam turpia, tam multa, omnia denique contra vos in legatione commiserit, passim dictitat, quid de Demosthene est dicendum, qui collegatos accuset? Mehercule sive velim, sive nolim,

cum sim et tot a te in toto itinere insidiis appetitus, et duarum nunc mihi rerum detur optio, aut ut talium actorum vestrorum socius esse videar, aut vos ut accusem, ego vero tuum me collegam fuisse nego, et te in legatione multa et non ferenda designasse; et ea me fecisse dico, quæ essent reipublicæ utilissima. Philocrates quidem collega tuus fuit, et tu illius, et Phryno. Vos enim ista agitabatis, ista vobis omnibus probabantur. Ubi autem sal? ubi mensa? ubi libationes? Hoc enim passim tragice declamitat, quasi non homines injurii rerum illarum sint proditores, sed ii qui officio funguntur. Ego vero scio, eos omnes qui summæ rerum præsunt, semper rem divinam facere communiter, et concœnare inter se, et una libare, neque tamen propterea boni malos imitantur, sed si quem suorum in facinore deprehenderint, apud senatum et populum deferunt. Senatus item communia sacra habet auspiciorum, communia convivia: una libant, una sacrificant duces, parum abest, quin magistratus dicam omnes. Nunquid propterea collegis delinquentibus dant impunitatem? minime vero. Leo Timagoram accusavit, cum quadriennium in legatione cum eo fuisset: Eubulus Tharrecem, et Smicythum, cum quibus communem mensam habuit: Cono antiquus ille, Adimantum, imperii militaris socium. Utri igitur, Æschine, salem et libationes negligebant? Iine qui prodebant, et legationem ementiebantur, et largitionibus corrumpebantur, an ii qui accusabant? Ii nimirum, qui totius patriæ libationes violabant, ut tu, et non solum privatas.

58. Ut autem sciatis istos non eorum modo qui publice unquam, sed eorum etiam qui privatim ad Philippum venerunt, atque adeo mortalium omnium nequissimos et improbissimos exstitisse, pauca ex me audite, quæ ad hanc legationem nihil attinent. Olyntho capta Philippus Olympia celebrabat: ad id autem sacrificium et celebritatem, omnes artifices congregarat. Quos cum exciperet epulis, et victores coronis ornaret, interrogabat Satyrum, comicum histrionem, cur tandem solus nihil postularet? num in se aliquas sordes, aut aliquam animi erga ipsum offensionem perspexisset? Respondisse aiunt Satyrum, quæ alii requirerent, eorum sibi nihil esse opus: quæ vero ipse libenter postularet, ea Philippo quidem datu esse omnium facillima, et donatu, sed vereri se, ne repudiaretur. Cum autem ille dicere jussisset, et juvenilius aliquid addidisset, se nihil non esse facturum, respondisse illum ferunt, Apollophanem Pydnæum sibi fuisse hospitem et amicum; quo per insidias occiso, a cognatis ejus, metu perterritis, filiolas ejus puellulas Olynthum, quo tutiores essent, esse missas. Eæ nunc, inquit, expugnata urbe, captæ, penes te sunt, ætate jam nubili. Eas a te peto, et quæso ut mihi des. Quas si mihi dederis, quale munus daturus sis, audire et cognoscere te velim. Quo ego lucri nihil faciam, sed eas dote data elocabo, neque committam, ut aliquid indignum vel nobis, vel patre patiantur.

Quod ut convivæ audiverunt, tantus plausus, tanta collaudatio, tantus tumultus excitatus est ab omnibus, ut Philippus humanitate motus concederet. Quanquam ex interfectoribus Alexandri, fratris Philippi, fuerat is Apollophanes.

59. Agite, conferamus cum hoc Satyri convivio, aliud convivium istorum in Macedonia celebratum: ut spectetis, an æquale huic et simile videatur. Invitati isti ad Xenophronem, Phædimi filium, unius e triginta tyrannis, propere abierunt, ego vero non abii. Ut autem ad pocula ventum est, introducit is mulierem quandam Olynthiam, formosam quidem illam, sed ingenuam et modestam, ut exitus declaravit. Eam primum bibere paulatim cogebant, atque edere (nisi fallor) isti, ut mihi postridie Iatrocles narravit: ut autem res procedebat, et mero incalescebant animi, assidere, atque etiam aliquid canere jubebant. Æstuante muliere, ut quæ neque vellet, neque sciret, contumeliam id factum interpretantur iste et Phryno, et non ferendum esse dictitant, ut captiva ex diis invisis et nefariis Olynthiis, delicias faceret. Age, voca servum, inquit, et lorum aliquis afferat. Venit servus scuticam gestans. Cum autem potassent scilicet, et levi de causa bilis moveretur, ut aliquid illa dixerat, et illacrymarat, lacerata et direpta tunica, servus crebras plagas tergo ingerit. Tum amens animi præ dolore et terrore mulier, subsiliens ad genua Iatrocli accidit, et mensam subvertit; quod nisi is eam eripuisset, interfecta esset in illa ebrietatis insania. Temulentia enim istius impuri, crudelis est. Ac de hac muliere et in Arcadia sermo fuit percelebris, inter decem illa virorum millia, et Diophantus apud vos renunciavit, quem mox dicere cogam testimonium, pervulgatus rumor fuit et in Thessalia, et ubique gentium. Et tamen talium sibi conscius facinorum impurus iste vos audebit intueri? et actam a se vitam clara statim voce prædicabit? quæ res mihi spiritum intercludit. Num hi nesciunt, te a primordio ætatis lectitasse libros matri initianti? et puerum etiamnum in cœtibus Liberi patris, et inter ebriosos homines esse volutatum? post autem scriptioni apud magistratus dedisse operam, et propter binas aut ternas drachmas fuisse sceleratum? postremo, non ita olim alienis sumptibus ad tertias partes actitandas, cum bene tecum agi putares, victitasse? Quam igitur vitam referes? quam non vixisti? Nam eam quidem quam vixisti, talem esse constat. Sed o licentiam! iste apud vos alium impudicitiæ reum egit. Verum nondum hæc, sed testimonia mihi prius ista recita.

TESTIMONIA.

60. Cum igitur ea quæ in vos commisisse convictus est, tot et tanta sint, judices, in quibus quid mali non inest? Corruptus, assen-

tator, diris obligatus, mendax, amicorum proditor, omnia insunt atrocissima, nihil horum defendet, neque quicquam æqui aut boni respondere poterit: quæ autem ego eum responsurum esse audio, sunt illa quidem insaniæ proxima. Sed eum fortasse qui nullam justam habet excusationem, quidvis necesse est comminisci. Dicturum audio, eorum me quæ accusem, socium sibi fuisse, et approbatorem, et adjutorem omnium, ac deinde repente mutatum accusare. Quanquam autem actorum illa neque justa est defensio, neque conveniens, sed mei quædam accusatio (ego enim ista si feci, nequam homo sum, res autem propterea nihilo sunt meliores, neque multis verbis est opus) tamen officii mei esse puto, utrumque vobis ut ostendam, et mentiturum eum, si talia dicet, et legitimam defensionem declinaturum. Quæ ita fuerit justa et simplex, si aut non fecisse se quæ accusentur, ostenderet, aut acta quæ sint, profuisse reipublicæ; quorum iste neutrum facere poterit. Neque enim profecto dicere poterit, expedire, ut Phocenses perierint, ut Pylas Philippus teneat, ut Thebani sint potentes, ut milites in Eubœa versentur, ut Megaris insidiæ fiant, ut pax nullo sit jurejurando confirmata, quibus tum contraria vobis nunciavit, ut quæ et utilia essent, et futura essent: neque illa non esse facta, persuadere vobis poterit, qui vidistis ipsi, et comperta habetis. Reliquum est, nihil istorum omnium ad me attinere ut ostendam.

61. Vultis igitur me, ceteris omnibus omissis, ut scilicet apud vos in eos sim invectus, ut in itinere eos offenderim, ut eis omni tempore sim adversatus, istos ipsos producere testes omnia inter me et illos contraria esse facta? istos pecuniam contra vos accepisse, me recusasse? Videte igitur, quemnam in civitate fateamini esse væcordissimum, et temeritatis atque impudentiæ refertissimum? Neminem vestrum vel per errorem alium scio dicturum, quam Philocratem. Quem autem omnium clamosissimum, et quælibet clarissima voce pronunciantem? Æschinem nimirum. Quem autem isti carere audacia, et timidum esse ad turbas dicunt, ego autem verecundum? Me. Neque enim unquam vobis molestus fui, aut coegi invitos. Atqui in omnibus concionibus, quoties de his mentio facta est, et accusantem me audistis, et semper istos redarguentem, et palam dicentem, eos accepisse pecuniam, et omnia vendidisse negotia civitatis. Quæ isti cum audirent, nemo unquam eorum ivit inficias, non os aperuit, non se ostendit. Quæ igitur causa est, ut omnium væcordissimi in civitate, et voce amplissima præditi, a me omnium timidissimo, et nemine clarius loquente, tantum superentur? Quia veritas est potens, contrarium infirmum. Conscientia proditionum, eripit eis audaciam, ea linguam reprimit, obturat os, angit, silentium imponit. Postremum autem illud profecto nostis, eum, cum nuper legatum ire non sineretis, clamitasse, diem se mihi dicturum

apud senatum, et accusaturum, et heu, heu. Atqui illa sunt longorum et multorum certaminum atque orationum exordia, hæc autem simplicia, et duo aut tria circiter verba, quæ vel heri emptum mancipium proferre posset: Athenienses, negotium hoc perindignum est. Iste me earum rerum accusat, quarum ipse socius fuit, et pecuniam accepisse me dicit, cum ipse acceperit, aut in partem venerit. Horum quidem nihil dixit, nec locutus est, nec ex eo quisquam vestrum audivit, sed alia minitabatur. Quomobrem? Quod ea a se esse facta sibi conscius erat, et hæc verba serviliter reformidabat. Non igitur eo accedebat animus, sed resiliebat. Retrahebatur enim a conscientia; alia vero quædam conviciari, nemo eum prohibebat, et maledicere.

62. Quod autem est maximum omnium, et non verba jam, sed res ipsa. Cum ego vellem, quod æquum erat, ut bis legatus ieram, sic bis reddere vobis rationem, Æschines, multis testibus adductis, ad rationum magistros accessit, meque vocari in prætorium vetuit, ut qui rationem reddidissem, nec postulari possem. Et res fuit perquam ridicula. Quæ igitur illa fuit? Cum de priore legatione rationem reddidisset quam nemo accusabat, nolebat denuo in jus venire de hac, qua nunc reus agitur, in qua omnes injuriæ inessent: quod autem ego me bis sistebam, ex eoque et ipsi necessitas imponebatur, se denuo sistendi. Propterea citari me non sinebat. Id autem factum, Athenienses, utrumque vobis ostendit aperte, tum istum semetipsum damnasse, ut jam nemo vestrum eum sine impietate possit absolvere; tum nihil de me veri dicturum. Si enim habuisset, ibi et dicendo et accusando protulisset; non medius fidius citari vetuisset. Hoc a me vere dici ut constet, voca mihi hujus rei testes.

TESTES.

63. Jam si quæ in me convicia extra legationem dixerit, multis nominibus eum audire non debebitis; non enim ego sum hodie reus, neque deinceps mihi quisquam infundet aquam. Quid igitur aliud illa sunt, quam justarum rationum inopia? Quis enim accusare velit, dum reus agitur, si, quo se defenderet, haberet? Illud etiam considerate, judices, si ego ipse reus essem, et Æschines accusaret, Philippus autem esset judex, atque ego non negare possem me deliquisse, sed isti maledicerem et eum exagitare instituerem: nonne putatis illud ipsum ægre laturum Philippum, si quis apud eum hominibus de ipso benemeritis malediceret? Ne igitur vos deteriores sitis Philippo, sed ad ea respondere eum cogite, quorum accusatur. Recita testimonium.

TESTIMONIUM.

64. Ego igitur integritatis meæ conscientia fretus, et rationem reddendam, et quæ legibus jubentur, præstanda omnia ducebam: iste contra. Quare qui fieri potest, ut in eodem negotio ego et iste fecerimus eadem? aut qui convenit isti nunc apud vos ea dicere, quorum me antea nunquam insimulavit? Nequaquam certe. Sed tamen dicet, nec mehercule injuria. Scitis enim utique hoc, ex quo nati sunt homines, et judicia exercentur, neminem unquam, qui crimen fateretur, esse condemnatum; sed frontem perfricant, negant, mentiuntur, causas comminiscuntur, omnia faciunt ne pœnas luant. Quarum rerum nulla vos oportet hodie decipi, sed ex vestrapte conscientia de causa judicare, non meis aut istius credere sermonibus aut testibus, quos iste paratos habebit ad quidvis testificandum, Philippo præbitore utens: videbitis autem, quam pro eo sint expedite dicturi testimonium. Neque illud etiam vos moveat, si vox illius clara et magna est, mea vero tenuior. Neque enim de oratoribus, aut orationibus, si sapitis, judicium hodie facietis: sed ignominiam propter res flagitiose et scelerate perditas, susceptam in auctores retorquebitis, negotiis, quæ omnes nostis, examinatis. Quæ igitur illa sunt? Quæ vos scitis, neque opus est, ea vos e nobis audire. Nam si ea, quæ vobis pollicitus est, omnia pacem secuta sunt, tantaque ignavia et timiditate vos esse refertos fatemini, ut, (cum in agro nostro nulli hostes versarentur, cum neque mari oppugnaremur, neque ulla alia calamitas reipublicæ accidisset, sed et annona parvi emeretur, et nihilo pejus quam nunc vobiscum ageretur, etsi præscissetis, atque ex istis prius audissetis, et socios perituros, et Thebanos potentes fore, et Thraciam Philippum occupaturum, et in Eubœa castella exstructum iri ad vos oppugnandos, et omnia quæ facta sunt futura esse) tamen cupide facturi pacem fueritis, absolvite Æschinem, nec cum tot flagitiis perjurium conjungite. Neque enim vobis injuriam facit, sed ego insanio, et sum attonitus, qui eum nunc accusem. Sin omnia horum contraria, et multa et benigna locuti, Philippum bene velle reipublicæ, Phocenses conservaturum, Thebanorum insolentiam repressurum, quin ultra hæc majora in vos quam quæ cum Amphipoli conferenda sint, collaturum, si pacem impetrasset, Eubœam, Oropum redditurum: si hæc, inquam, locuti et polliciti, omnia fefellerunt, si fucum vobis fecerunt, si vobis tantum non Atticam eripuerunt, condemnate, neque ad alias factas vobis contumelias,—neque enim ego scio quo illa nomine alio appellanda sint—, propter istorum corruptelas, vos diras et perjurium domum reportate.

65. Jam illud etiam considerandum, Athenienses, quanm ego de

causa istos, insontes si essent, accusare instituissem. Nullam enim reperietis. Num suave est, multos habere inimicos? Imo ne tutum quidem. At cum isto aliqua mihi simultas intercedebat? Nulla. Quid igitur? De te ipse pertimueras, et propter metum hoc tibi saluti fore putabas? Hoc enim eum dicere audivi: at nihil erat periculi, Æschine, nihil peccatum erat, ut tu ais. Nam si hæc dicet, considerate, judices, si acta ejusmodi fuerunt, ut ego prorsus insons timerem ne propter istos mihi pereundum esset, quo pacto eos tractari conveniat, qui ipsi deliquerunt? Verum non propter hæc, sed cur te accuso? Per calumniam nimirum, ut abs te nummos extorqueam. Utrum autem præstabilius mihi fuisset, a Philippo accipere multum largiente, et nemine istorum minus, et amicum etiam illum habere, et istos,—essent enim, essent amici mihi, si in earundem rerum societatem venissem; neque enim nunc paternas inimicitias exercent. Mecum, sed propter actorum communitatem recusatam—, an ab istis aliquid de acceptis emendicantem, tum illius, tum istorum suscipere inimicitias? cum captivos privatis sumptibus tanti redemerim, pauca turpiter ab istis velle capere et per simultatem? Non ita sunt hæc. Sed et vera renunciavi, et a corruptelis abstinui, propter justitiam et veritatem et vitam reliquam, existimans fore, ut mihi, quemadmodum et aliis quibusdam apud vos, si bonus vir essem, honos haberetur, neque commutandum esse mihi vestri studium ullo emolumento. Istos autem odi, quod improbos esse, et sacrilegos, in legatione animadverti, et per istorum corruptelas, etiam privato meo honore sum spoliatus, cum vos toti legationi succenseretis. Accuso autem nunc, et rationem reddi postulo, propter curam rerum futurarum, et lite judicioque declarari volo apud vos, ea quæ a me et ab istis facta sint, inter se pugnare omnia. Et vereor, vereor,—dicam enim judices, quicquid sentio, apud vos—, ne tum me quoque eodem cum istis reti implicetis, criminis omnis expertem, nunc autem nimium sitis negligentes, et supini. Prorsus enim, Athenienses, dissoluti mihi esse videmini, et eo usque differre severitatem, dum in mala incidatis; quibus dum alios conflictari videtis, non cavetis, neque movemini, tametsi respublica multis jamdiu, et diris modis lædatur. An non grave ac pene incredibile videtur esse vobis? Etsi enim aliquid reticere statueram, nunc tamen facere non possum quin eloquar. Nostis utique Pythoclem istum, Pythodori filium. Cum eo ego conjunctissime vixi. Neque ulla inter me et illum in hunc usque diem exstitit offensio. Is nunc devitat occursum meum, ex quo ad Philippum profectus fuit. Et sicubi mecum congredi necesse habet, resilit statim, ne se quis mecum videat colloquentem: cum Æschine autem circumquaque obit forum, et deliberat, et meditatur. Peracerbum profecto est, Athenienses, et indignum, in eos qui colere Philippum instituerunt, adeo excitatos ejus in utramque

partem esse sensus, ut quisque putet, tanquam eo semper assistente, ne ullum quidem suum hic factum clam fore, sed et amicos existiment, qui illi placuerint, et inimicos similiter: iis autem qui ad nutum vestrum vivunt, et honorem a vobis expetunt, eumque nullo emolumento commutatum volunt, tantum surditatis, et tantum tenebrarum a vobis occurrere, ut ego nunc ex æquo cum nefariis istis dimicem, idque apud vos, quibus nota sunt omnia.

66. Vultis igitur nosse et audire hujus rei causam? Dicam equidem. Peto autem, ne quid dicenti mihi verum succenseatis. Ille unum habet corpus et unum animum, toto pectore et amat bene de se merentes, et odit adversarios: vestrum autem singuli, primum nec bene merentes de republica, bene de se mereri putant, nec male merentes, sed alia singulis majori curæ sunt, per quæ sæpe abducimini ab officio, ut misericordia, invidia, iracundia, supplicibus gratificando, aliis rebus infinitis. Nam ut alia effugias omnia, nunquam tamen eos effugies, qui neminem talem esse velint. Ac singulatim ita commissa delicta, paulatim progressa, universe tandem cedunt in reipublicæ detrimentum. Quale nihil hodie vobis committendum est, Athenienses, nec dimittendus is, qui tantis vos affecit injuriis. Quæso enim vos, qui de vobis sermones erunt, si istum absolvetis? Athenis legati ad Philippum iverunt quidam, Philocrates, Æschines, Phryno, Demosthenes. Quid tum? Hic præterquam quod nihil ex egatione accepit, captivos privatis sumptibus redemit: ille, qua pecunia vendiderat negotia civitatis, ea passim scorta emit, et pisces. Et sceleratus ille Phryno filium ad Philippum misit, antequam in album virorum inscriberetur: Demosthenes nihil vel republica, vel se indignum fecit. Atque idem, cum et ædilitates obiret, et triremes instrueret, etiam hos sumptus ultro faciendos existimavit, ut captivos redimeret, neque ullum civium propter egestatem in ærumna esse pateretur. Ille, tantum abfuit ut ullum de suo captivum redimeret, ut totam provinciam et amplius decies mille milites probe instructos, et simul plures mille equitibus e nostris sociis, ut captivi Philippi fierent, adjutor fuerit. Quid igitur secutum est? Athenienses, cum is esset in judicium adductus, olim norant. Quid autem? Eos qui pecuniam acceperant, et munera, qui probris affecerant semetipsos, rempublicam, suos liberos, dimiserunt, eos tum sapere, tum bene actum iri cum republica putarunt. De accusatore autem quid? Esse attonitum, ignorare ingenium civitatis, non habere quo suos nummos abjiciat. Ecquis, Athenienses, in hoc exemplum intuens, justum se præbere volet? quis gratis agere legatum? si nec accipere, nec quam ii qui acceperint, plus apud vos invenire fidei licebit? Quare non modo judicium de istis hodie facitis, non: sed et legem sancitis istis in omne ævum, utrum propter pecuniam flagitiose legati omnes hostium utilitatibus servire debeant, an gratuito et sine corruptelis agere quæ vobis sunt utilissima. Ac de ceteris nullo teste vobis est opus: a Phrynone autem missum esse filium ut constet, voca mihi testes.

TESTES.

Hunc igitur non accusavit Æschines, quod suum filium ad probrum misit ad Philippum: sed si quis adolescens, aliis forma præstantior, non cavens illam ex facie nasci solitam suspicionem, liberius postea vixit, eum impudicitiæ accusavit.

67. Verum jam de invitatione ac decreto ut dicam, faciendum est. Parum enim abfuit, quin ea primæ legationis acta, quæ me vobis in primis referre oportet, præterirem. Ego cum senatusconsultum scriberem, ac rursus apud populum, cum quidem iis concionibus, in quibus de pace deliberaturi eratis, nihil dum neque de rationibus istorum, neque de injuriis constaret, consuetudinis jure usus, et laudavi istos, et in curiam invitavi. Ac mehercule et Philippi legatos hospitio excepi, idque, Athenienses, omnino splendide. Nam cum viderem eos illic etiam eam rem gloriæ sibi ducere, ut beatis et splendidis, statim duxi me primum eis superiorem esse oportere, et magnificentia antecellere. Ea igitur iste nunc afferet et recensebit: ipse, inquiet, laudavit nos, et ipse legatos convivio excepit; neque tempus illius facti distinguet. Facta autem illa sunt, antequam respublica quicquam detrimenti cepisset, antequam palam factum esset, istos se vendidisse: cum legati primum recens advenissent, et populo audiendum esset quid dicerent: cum nondum vel istum patrocinari Philocrati, vel illum talia esse decreturum, constaret. Si igitur talia dixerit, mementote temporum, quæ injuriis antecesserunt. Post autem nulla mihi cum istis familiaritas aut societas intercessit. Recita testimonium.

TESTIMONIUM.

68. Fortassis autem frater ei patrocinabitur Philochares et Aphobetus, quorum utrique multa et æqua respondere poteritis. Necesse autem est, Athenienses, libere loqui, nihilque dissimulare. Nos, Aphobete, et tu, Philochares, scimus te quidem alabastrothecas pingere solitum, et tympana, istos vero notarios et vulgares fuisse homines—atque hæc ut ab omni sunt improbitate remota, sic neque imperii dignitatem merentur—legationibus, imperiis, maximis honoribus vos ornavimus. Quod si nemo vestrum quicquam delinqueret, non nos merito vobis ullo nomine, sed vos nobis de his jure gratiam haberetis. Multis enim honore quam vos dignioribus præteritis, vos extulimus. Sed si quis vestrum in illis ipsis, qui vobis habebantur, honoribus deliquit, idque tanta in re, quanto

magis odio, quam conservatione digni estis? Multo equidem opinor. Vim autem fortasse facient, ut homines vocales et impudentes, atque illa re freti: non vitio vertendum, fratri opitulari. Vos autem nolite succumbere, illud cogitantes, convenire illis, ut istum curent: vobis, ut leges et totam rempublicam, et præter omnia, jusjurandum, quo dato ad judicandum sedetis. Quod si rogarunt vestrum aliquos, ut illum servaretis, illud considerate, utrum ita rogarint, si insons reperiretur, an, si in rempublicam injurius. Si insons, et ego censeo: sin omnino, quicquid deliquisset, id rogarunt, ut nullum perjurium recusaretis. Non enim si occulta suffragia sunt, latebunt deos: sed et hoc vidit, et omnium rectissime providit legislator, ut clam suffragia ferrentur. Cur? Ut nemo reorum sciret, quis ei esset gratificatus: sed dii scirent, et numen, eum qui iniqua pronunciasset. A quibus præstabilius est, singulos sibi et liberis, justa quæ sunt pronunciando, spem bonam reservare, quam obscuram et incertam gratiam istorum captare, et absolvere istum, qui in se ipse dixit testimonium.

69. Quo enim alio majore teste probem, Æschine, te multa, et non ferenda in legatione designasse, quam te teste contra teipsum? Quod enim eum, qui aliquid eorum quæ in legatione egisti, palam facere voluit, in tantam et talem calamitatem conjiciendum esse censuisti, ex eo constat, pessime tecum actum iri te putasse, si tua facinora judices comperissent. Illud igitur ejus factum in ejus fraudem, si sapitis, esse factum intelligetis, non eo duntaxat, quod ingens signum est, qua ratione legationem obierit: sed quod in accusando, ea verba protulit, quæ nunc in eum possint retorqueri. Quod enim jus accusando Timarcho constituisti, idem etiam ab aliis usurpatum in te valere debebit. Tum autem dicebat ad judices, defendet eum Demosthenes, et meam legationem accusabit: et, si vos a causa abduxerit, strenue declamitabit, et passim jactabit; quomodo? quid? Abduxi a causa, judices, et surrepto eis negotio abii. Nequaquam vero: sed quibus de rebus controversia est, ad eas respondeto—. Tum igitur, cum illum accusares, criminari tibi et dicere licebat, quicquid libebat. Quin et ad judices dicebas te, qui nullum actionis tuæ testem haberes, ipsum hominem exhibere,

> Quam populi sermo creber ciet, irrita nunquam
> Fama cadit penitus: dea quædam cum sit et ipsa.

Atqui et te, Æschine, hi omnes dicunt ex legatione accepisse pecuniam; itaque in te quoque illud profecto valet

> Quam populi sermo creber ciet, irrita nunquam
> Fama cadit penitus.

Nam quod te longe plures quam illum criminantur, id cujusmodi sit,

considera. Timarchum, ne finitimi quidem omnes norant: vos autem legatos, nemo vel Græcorum, vel Barbarorum est, qui pecuniam accepisse ex legatione non dicat. Quare si fama verax est, contra vos etiam valet vulgaris ille rumor. Cui fidem esse habendam, quædam dea cum sit et ipsa, et sapientem fuisse poetam versuum auctorem, tu ipse definiisti.

70. Præterea collegit iambos, si diis placet, et prolixe recitavit: veluti,

> Mala improborum consuetudo cui placet,
> Is qui siet vir, non rogo: sciens satis
> Sodalium illum convenire moribus.

Eum igitur qui ad gallos gallinaceos ingreditur, et cum Pittalaco obambulat, et ejus generis alia cum dixisset, ignoratis, inquit, cujusmodi sit existimandus; proinde et in te iambi isti mihi nunc erunt opportuni, Æschine: quos si ad judices dicam, recte convenienterque dicam. Cui consuetudo placet Philocratis, et eadem obeundæ legationis ratio, de eo nihil rogo, pecuniam eum accepisse sciens, ut Philocratem, qui confitetur. Cum autem orationum scriptores et sophistas alios cognominet, atque exagitare studeat, eum ipsum talem esse constabit. Hi enim iambi e Phœnice sunt Euripidis. Quam fabulam nunquam vel Theodorus, vel Aristodemus egit, apud quos iste tertias partes actitavit, sed Molo repræsentavit, et quispiam fortassis alius veterum histrionum: Antigonam autem Sophoclis sæpe Theodorus, sæpe Aristodemus egit, in qua factos iambos præclare et vobis utiliter, quos sæpe iste recitavit, et in promptu habet, prætermisit. Nostis enim hoc scilicet, in omnibus fabulis tragicis, eximium veluti præmium virtutis hoc esse tertianis actoribus, ut tyrannorum habitu et sceptra gerentes in scenam ingrediantur. Eos igitur iambos in ea fabula considerate, quales poeta Æschini Creonti recitandos tribuerit: quos iste nec sibi ipsi dixit in legatione, neque judicibus recitavit. Recita.

IAMBI SOPHOCLIS EX ANTIGONA.

> Pernosse mentem nullius queas viri,
> Tacitosve sensus pectoris deprendere,
> Diu antequam versetur in republica.
> Nam quisquis urbi, cujus imperium gerit,
> Metu subactus ora degeneri tenens,
> Mutamque linguam, haud consulit salubriter,
> Culpandus est et hoc et omni tempore.
> Itemque amicum patriæ qui prætulit,
> Habetor improbus vir, et civis malus.
> Sed ipse (magnus idque Jupiter sciat,
> Qui cuncta vigili semper lumine adspicit)
> Minime tacebo, si quid ingruat mali

Urbi, vel vitæ cum periculo meæ:
Nec urbis hujus hostis impius, mihi
Amicus esto; nam considero satis,
Portum salutis patriam esse civibus:
Cui dum ventus prosper adspiraverit,
Ex illa amicos nobis eligi decet.

71. Horum nihil sibi proposuit Æschines in legatione, sed republica neglecta, Philippi hospitium et amicitiam longe pluris æstimavit, sibique utiliora fore censuit, nihil motus omnino sapientis poetæ Sophoclis auctoritate. Et cum noxam una cum expeditione in Phocenses pergere videret, non prædixit, non ante denunciavit, sed contra, occultavit, et adjuvit, et dicturis obstitit, non recordatus, hanc esse portum salutis, et in ea initiantem matrem suam, et lustrantem, et fruentem eorum, qui ejus opera uterentur, opibus, istos tantos viros educasse; et patrem suum, ut ego e natu majoribus audio, ad Herois medici fanum docentem literas, ut potuerit illum quidem, sed in hac urbe vixisse tamen; se vero et suos scripturæ operam dantes, et omnibus magistratibus inservientes, nummos accepisse, denique scribas a vobis delectos, biennium in Tholo esse enutritos; et nunc se ex hac urbe legatum esse missum. Horum nihil consideravit, neque ut reipublicæ prosper ventus adspiraret, procuravit, sed eam evertit, et demersit, et quantum in se fuit, operam dedit, ut in hostium potestatem redigeretur. Nonne tu igitur literator es, et improbus? Nonne tu scriptor orationum, et diis invisus? Qui, quæ in scena sæpe recitaras, et memoria probe tenebas, præterieris: quæ vero in tua vita nunquam repræsentaras, ea exquisita ad lædendum civem quendam, in medium attuleris?

72. Agite vero et de Solone quid dixerit, considerate. Dixit Solonem dedicatum esse in exemplum modestiæ oratorum, manum intra vestem tenentem, quo reprehendit et exagitat Timarchi petulantiam. At istam statuam nondum ante annos quinquaginta fuisse dedicatam, dicunt Salaminii: a Solone autem omnino ducenti sunt anni et quadraginta, ad hanc ætatem. Quare artifex, qui eum gestum effinxit, non ipse solum eo tempore non fuit, sed nec avus ejus. Hoc igitur dixit judicibus, et imitatus est: id autem, quod gestu illo multo esset reipublicæ utilius, ut animus Solonis inspiceretur, et mens, id non est imitatus, sed omnia potius contra fecit. Nam ille, cum Salamis descivisset ab Atheniensibus, et capite sancitum esset, nequis ejus recuperandæ esset auctor, privatim periculum sibi depoposcit, et elegiacos versus quos fecerat, cecinit, et provinciam reipublicæ restituit, et susceptum dedecus abolevit: iste autem, quam rex Persarum, et omnes Græci vestram esse decreverunt, Amphipolim, eam tradidit et vendidit, et ejus senatus-consulti auctorem defendit Philocratem. Præclare sane. Neque enim ei Solonis recordari vacabat. Neque id hic solum fecit, sed et illuc cum venisset, ne mentionem quidem fecit ejus regionis, propter quam legatus abierat. Idque ipse vobis renunciavit. Meministis enim profecto dicere eum, de Amphipoli et ego verba facere potuissem; sed ut Demostheni de ea dicendi esset locus, ideo præterii. Ego vero progressus dicebam, eum nihil eorum quæ ad Philippum dicere voluisset, mihi reliquisse (facilius enim sanguine, quam dicendi loco cuiquam cedere) sed putasse, accepta pecunia, adversari Philippo non licere, qui pecuniam ea de causa largitus esset, ne id oppidum redderet. Age, cape Solonis elegiam illam, et recita: ut sciatis etiam Soloni homines istius similes fuisse invisos. Non concio habenda est, Æschine, manu in sinu condita, non: sed obeunda legatio manu in sinu condita. Tu vero, cum eam illic porrexeris, et exhibueris, et hos contumelia affeceris, hic disseris magnifice, et propter miseras sententiolas, quas meditatus es, et vocis exercitationem, te pœnas esse daturum non putas, tot et tantorum scelerum: etsi pileolo capiti imposito obambularis et in me convicia dixeris. Recita tu.

ELEGIACI VERSUS SOLONIS.

Nostra quidem, fato Jovis, urbs non occidet unquam,
  Propitiisque diis salva manere potest.
Nam Jove nata, ferox hastaque atque ægide Pallas,
  Hanc teget, hostiles disjicietque minas.
Mœnia sed cives stolidi, cupidique lucrorum
  Ardua subverti per sua facta student;
Atque ducum populi mala mens, elataque corda,
  Accersunt pœnas, et mala multa sibi.
Non etenim placida didicerunt munere divum
  Mente frui, saturi nec tenuere modum.
Despoliant ærarium, et ipsa altaria divum,
  Per fas atque nefas quo cumulentur opes.
Furantur, rapiunt omnes datur unde, nec iram
  Justitiæ curant, scitaque sancta deæ.
Illa tacet veterum memor, et præsentia cernens,
  Sæva, sed ad pœnas post ruitura graves.
Urbibus hinc ulcus venit immedicabile cunctis,
  Ut juga servitii mox odiosa ferant.
Seditiove oritur, sopitave bella moventur,
  Bella, quibus pubes læta perire solet.
Urbs etenim, quæ nulla tenet socialia jura,
  Est subito hostili disperitura manu.
Hæc agitant populum mala, sed paupercula turba
  Venditur, et peregre vincula dura gerit.
Nec sunt expertes cladis, quos ampla beat res,
  Et sua divitibus pœna luenda venit.
Publica sic intrant privatos damna penates;
  Excludi foribus nec mala tanta queunt:

Transiliunt muros altos, fuga nulla tuetur,
  Sive petas thalamum, sive sub antra ruas.
His ego Palladios monitis pius instruo cives,
  Ut sapiant, vigilent, nil petulanter agant.
Invehit heu quantas legum violatio clades?
  At justæ leges commoda quanta ferunt?
Compedibus stringunt sceleratos, ordinis æqui
  Conservatrices, nil nisi recta sinunt.
Aspera complanant, sedant fastidia, frænant
  Indomitos, abigunt semina quæque mali,
Jura regunt, mansuefaciunt turgentia corda,
  Compescunt miseræ seditionis opus,
Jurgia litis acerba premunt, ac denique vitam
  Humanam erudiunt, ut sapienter eat.

73. Auditis, Athenienses, de isto genere hominum Solo quid dicat, et de diis, a quibus urbem conservari asserit. Ego vero semper hanc orationem veram esse puto, et opto, conservari urbem nostram divinitus: et quodammodo existimo, et sic accipio ea quæ nunc acciderunt omnia in accusatione hac, divinæ cujusdam erga rempublicam benevolentiæ signum exstitisse. Idque sic considerate. Homo qui multa in legatione et atrocia scelera designavit, qui provincias tradidit, in quibus deos a vobis et sociis coli decebat, ignominia notavit quendam, qui ejus accusatorem se profiteri non dubitavit. Cur? ne ipse delictorum suorum veniam, aut ullam misericordiam consequeretur. Sed et illo accusando in me invehere instituit, et rursus pro concione accusationem mihi minitatus est, et ejus generis alia. Quamobrem? ut optima cum venia apud vos ego, qui scelera istius optime novi, et omnia comperta habeo, accusarem. Quin etiam cum omni superiori tempore judicia eluserit, in id conjecit sese tempus, in quo si non ob aliud, vel propter imminentia pericula, nec licitum, nec tutum vobis est, istum corruptum largitionibus absolvere. Semper enim, Athenienses, odio prosequendi sunt, et puniendi proditores, et homines corrupti: tum vero nunc id cum primis tempestive et communi cum utilitate mortalium fiet. Morbus enim, Athenienses, ingens invasit in Græciam, et difficilis, quique magnam et felicitatem et curam vestram postulet. Qui enim sunt in urbibus nobilissimi, et in quos collata est reipublicæ auctoritas, hi suæ proditores libertatis, infelices, ultro in servitutem se conjiciunt, dum Philippi hospitium, et familiaritatem, et amicitiam, atque alia, minuendi causa criminis, in ore habent: ceteri autem, et magistratus singularum urbium, quicunque illi sunt, a quibus illos coerceri oportebat, et statim occidi, ii, tantum abest, ut tale aliquid agant, ut eos admirentur, et fortunatos judicent, et singuli se tales esse optent.

74. Atqui ea res, et ejusmodi æmulationes, Thessalorum, Athenienses, cum nuper adeo principatum et communem auctoritatem

perdidissent, nunc jam etiam libertatem eis eripiunt. Nam quorundam ex eis arces Macedones præsidiis occupant. In Peloponnesum autem ingressa, cædes illas Elide concitavit, et ea iniquitate et insania miseros illos implevit, ut, quo alii aliis imperent, et Philippo gratificentur, cognatorum suorum et civium cæde se polluant. Ac ne hic quidem res stetit, sed Arcadiam ingressa, omnia illic sursum deorsumque vertit. Et nunc Arcadum multi, cum eos libertatem facere maximi oporteat, æque ut vos,—soli enim vos ex omnibus, et illi, aborigines estis—, Philippum admirantur, et æreas ei statuas erigunt, et coronas decernunt, denique, si in Peloponnesum ierit, eum oppidis recipere decreverunt. Eadem et Argivorum ratio est. Hæc medius fidius, si serio agendum est, non parvam prudentiam postulant; passim enim pervagata lues illa etiam huc introiit, Athenienses. Dum igitur in tuto estis, cavete, et eos qui illam primi introduxerunt, cogite in ordinem; quod si neglexeritis, videte, ne tum ea quæ nunc dico, recte dicta esse videantur, cum nullum rerum vestrarum initium reperietis.

75. Non cernitis, Athenienses, quam evidens et illustre exemplum sit in miseros Olynthios editum? qui nulla alia re magis quam istiusmodi factis perierunt. Idque ex eorum eventibus cognosci perspicue potest. Qui cum quadringentos duntaxat equites haberent, et universi non plures numero quinque millium essent, antequam Chalcidenses in unum locum convenissent, a Lacedæmoniis petiti magnis et pedestribus et navalibus copiis,—nostis enim hoc haud dubie, terra marique ut paucis dicam, illis temporibus imperitasse Lacedæmonios—, tamen tantis oppugnati copiis, neque urbem suam, neque castellum ullum amiserunt, sed et prælia multa vicerunt, et tres imperatores occiderunt, et pacem denique ex animi sui sententia fecerunt. Posteaquam autem quidam acceptare munera cœperunt, et ex simplicitate, ac potius calamitate, illos fideliores existimavit populus, quam patriæ studiosos et defensores, cum Lasthenes ædes suas contexit lignis dono allatis e Macedonia, et Euthycrates boves multos aluit, pretio nemini numerato, et alius aliquis oves advexit, alius equos, cum populus, in cujus illa fraudem fiebant, non modo non irasceretur, aut id genus hominum puniret, sed suspiceret, prædicaret, veneraretur, viros putaret; cum igitur ea ita crescerent, et largitiones invalescerent, quamvis equites mille haberent, et plures essent x. millibus, et cum finitimis omnibus societate conjuncti, quamvis vos eis decies mille conductitiis, et triremibus L. opem tulissetis, et quater mille præterea civibus, nihil horum eis saluti esse potuit, sed priusquam belli annus exiret, oppida omnia Chalcidicæ ditionis proditores perdiderunt, nec Philippus jam ad nutum proditorum præsto esse potuit, neque scivit, quid primum occuparet, et quingentos equites ab ipsis ducibus proditos cum

ipsis armis cepit, quod nemini mortalium unquam contigit, neque illi solem reverebantur, qui id agebant, neque terram patriam, in qua stabant, neque fana, neque monimenta majorum, nec dedecus ea facinora secuturum. Usque adeo væcordes, Athenienses, et attonitos faciunt largitiones. Vos igitur, vos, inquam, cives, et sapietis, et ad talia facinora non connivebitis, sed ea publice punietis. Nihil enim fieri queat absurdius, quam committere, cum in proditores Olynthiorum multa atrocia decreveritis, ut eos qui apud vosmetipsos deliquerunt, non puniatis. Age recita decretum de Olynthiis factum.

DECRETUM.

Hæc vos, judices, recte præclareque omnium et Græcorum consensu et barbarorum, decrevistis in proditores, et homines diis inimicos. Cum igitur acceptatio munerum talia facinora præcedat, et propter illa etiam hæc quidam admittant, quemcunque, Athenienses, acceptare munera videritis, eum etiam proditorem esse putatote. Quod si alius occasiones, alius negotia, alius milites prodit, quicquid singulis commissum fuerit id utique perdunt. Æque autem tales omnes digni sunt odio.

76. Et vos, Athenienses, in ea re soli exemplis uti domesticis potestis, et majores, quos jure laudatis, ipsa re imitari. Quod si prælia, et expeditiones, et discrimina, in quibus illi fuerunt splendidi, hoc tempore non incidunt, cum otium nunc vos agatis, at prudentiam eorum imitamini, qua ubivis est opus. Neque operosius est, aut molestius, sapere, quam desipere. Sed pari spatio temporis sedens vestrum quisque, si quæ oportet de rebus statuerit et decreverit, reipublicæ commodis consulet, et a dignitate majorum non degenerabit: sin quæ dedecent, statum rerum communium deteriorem faciet, et indignum majoribus. Ut igitur illi in istos fuerunt animati? Hæc cape, scriba, et lege. Cognoscendum enim vobis est, vos in iis rebus esse segnes, propter quas sontes capitis damnarunt majores. Recita has.

LITERÆ DELECTUS.

Auditis, Athenienses, hoc scripto contineri, Arthmium Pythonactis F. Zelitam, judicatum esse inimicum et hostem populi Atheniensis et sociorum, ipsum et universum ejus genus. Cur? quod aurum a Barbaris in Græciam invexit. Hinc apparet nimirum, et majoribus vestris, ne quisquam mortalium propter pecuniam, cladem importaret Græciæ, fuisse curæ: et vos nec illud cavere, ne vestrorum civium aliquis reipublicæ injuriam faciat. At hercule id monumentum utcunque collocatum est? Imo cum hæc tota arx sit sacrosancta, et amplum spatium occupet, juxta æream illam et magnam Minervam, ad dextram situm est, quam in victoriæ memoriam Barbarici belli, data pecunia illa a Græcis, respublica consecravit. Ac tum quidem tanti fiebat justitia, tantoque studio sontes plectebantur, ut eadem statio et deæ præmio, et talium scelerum supplicio tribueretur: nunc autem risus, impunitas, dedecus, nisi vos immodicam istam licentiam nunc reprimetis.

77. Existimo autem recte vos esse facturos, si non una tantum in re majores, sed ex æquo in omnibus ea imitemini, quæ illi fecerunt. Illi igitur, quod vos omnes audivisse compertum habeo, Calliam Hipponici F. qui legatus celebratam illam pacem fecit, ut nec intra spatium, quantum cursu equi uno die confici posset, rex Persarum cum exercitu ad mare descenderet, nec ad Chelidonias et Cyaneas longa nave accederet, quod in legatione munera accepisse visus fuit, parum abfuit quin occidissent, in referendis certe rationibus L. talenta ab eo exegerunt. Atqui pulcriorem ea pacem neque post, neque prius ullam a civitate nostra esse factam, quisquam dicet. Verum non illud spectabant. Id enim suæ virtuti et reipublicæ auctoritati acceptum referebant: an vero gratis fieret, necne, legati ingenio. Ab eo enim qui ad rempublicam esset accessurus, morum integritatem et abstinentiam flagitabant. Illi igitur ita inimicas ducebant largitiones, et reipublicæ perniciosas, ut nec in actione ulla, nec viro locum habere paterentur: sed vos, Athenienses, cum videritis eandem pacem et mœnia vestrorum sociorum diruisse, et legatorum ædes exstruxisse, et reipublicæ suas opes eripuisse, istis autem ea quæ nec per somnium unquam sperarant, contulisse, non ipsi eos occidistis, sed accusatore indigetis, et verbis disceptatis causam eorum, quorum injurias re ipsa omnes vident. Neque vero vetera duntaxat referri possunt, et per exempla vos ad ultionem incitari, sed vestra ætate, qui adhuc vivitis, multi pœnas dederunt: quorum ego alios præteribo, eorum autem, qui propter legationem, hac multo minus nocentem reipublicæ, capite mulctati sunt, unius atque alterius mentionem faciam. Age cape hoc decretum, et recita.

DECRETUM.

Ex hoc decreto, Athenienses, legatos illos capitis vos condemnastis, quorum unus fuit Epicrates, homo, ut ego e natu majoribus audio, frugi, et multum utilis reipublicæ, et ex eorum numero, qui populum e Piræeo reduxerunt, et alioqui popularis. Sed tamen nihil ei horum profuit. Merito. Neque enim ex semisse bonum oportet esse eum, qui tanta negotia suscipit, nec si fides ei adjungatur a vobis, ea abuti ad majorum scelerum licentiam; sed plane vos nulla injuria de industria afficere.

78. Si quid igitur eorum isti non perpetrarunt, propter quæ

capitis sunt damnati, me jam occidite. Rem autem ita considerate. Cum contra literas inquit legationem obierint illi et decretum: atque hoc primum crimen est. An vero isti non contra literas? Nonne decretum jubet pacem ad Athenienses et ad Atheniensium socios pertinere; isti autem Phocenses fœdere excluserunt? Nonne decretum jurejurando adigi urbium magistratus; isti autem, quos Philippus ad ipsos miserat, jurejurando adegerunt? Nonne decretum nusquam solos cum Philippo colloqui; isti autem privatim cum eo agere nunquam destiterunt? Quidam eorum in senatu falsæ renunciationis sunt convicti. At isti apud populum: et a quo?—id enim illustre est—a rebus ipsis. Nam eorum renunciationi evenerunt omnia sane contraria. Nec vera inquit scripserunt. At nec isti. Et in socios inquit mentiti sunt et munera acceptarunt. Isti vero non in eos mentiti sunt, sed funditus eos perdiderunt. Id quod multo est mendaciis acerbius. Jam de largitionibus, si se accepisse munera negarent, restaret, ut convincerentur, cum autem fassi sint, in cruciatum abreptos oportebat.

79. Quid igitur, Athenienses, cum hæc ita sint, cum vos illis viris prognati, partim etiam ex illorum numero sitis superstites, committetis ut de republica benemeritus, et populi ex Piræeo reductor Epicrates, urbe pulsus pœnas dederit, cum rursus, dudum Thrasybulus ille, Thrasybuli hominis popularis filius, ejus qui populum e Phyle reduxit, talentis decem sit mulctatus, cum quidam ex Harmodii et Aristogitonis posteris, et eorum qui maxima in vos beneficia contulerunt, quos lege ob beneficentiam erga vos in omnibus fanis, in sacrificiis, libationum et poculorum participes effecistis, quos celebratis et colitis pari cum heroibus honore, et diis, cum igitur hi quidem omnes pœnas legibus dederint, cum neque venia, neque misericordia, neque plorantes pueri, nomina eorum qui bene de republica sunt meriti, referentes, neque quicquam aliud eis profuerit—Atrometi literatoris et Glaucotheæ, cœtus bacchantium ductantis filium, ob quod factum alia sacrificula occisa est, eum vos nacti, prognatum talibus, nulla ex parte reipublicæ utilem, non ipsum, non patrem, non alium ullum ejus necessarium, dimittetis? Quis enim equitatus, quæ classis, quæ expeditio, quæ ædilitas, qui cœtus, quod munus, quod tributum, quæ benevolentia, quod periculum, quid horum omnium ab omni memoria præstitum est ab istis reipublicæ? Atqui si illa præstitissent omnia, neque tamen eis recte et gratuito legationis obitæ laus accederet, interfici eum utique deceret: quod si neque hæc, neque illa, non punietis? Non reminiscemini quid in accusando Timarcho dixerit? Nullum esse usum civitatis, quæ nervos contra facinorosos non habeat: neque reipublicæ, in qua venia et deprecatio plus valeant legibus. Neque vos misericordia moveri oportere

matris Timarchi, senis mulieris, nec puerorum, nec denique cujusquam, sed illud spectandum, si legem et reipublicæ curam abjeceritis, qui vestri misereatur, inventuros esse neminem. Ille igitur infelix homo ignominia notatus est, quod istius scelera vidit: isti autem impunitatem concedetis? Cur? Nam si ab iis qui in se ipsi deliquerunt, tantas pœnas expetiit Æschines, quid in eos, qui tantis in rebus reipublicæ nocuerunt, quorum istum unum esse constat, a vobis juratis judicibus erit statuendum? At hercule adolescentes propter illud judicium vobis erunt meliores? propter istum autem ii qui versantur in republica, per quos in summum civitas discrimen adducitur. Est autem et horum habenda ratio.

80. Ut autem sciatis, ab isto etiam hunc Timarchum eversum esse, non ita me dii ament de liberis vestris, quo illi essent modesti, sollicito,—sunt enim, Athenienses, jam nunc modesti: absit ut eo loci respublica redigatur, ut Aphobeto et Æschine censoribus indigeat, absit—, sed quod ille senator scripsit, si quis convincatur, arma vexisse ad Philippum, aut armamenta triremium, morte mulctandum. Cujus rei hoc signum est. Nam quamdiu concionatus fuit Timarchus? diu. Eo igitur omni tempore in republica fuit Æschines, et nunquam ægre tulit, aut grave esse duxit, si homo illis moribus conciones haberet, donec in Macedoniam profectus, seipsum mercede locavit. Age, ipsum Timarchi decretum cape, et recita.

DECRETUM.

Qui igitur pro vobis decrevit, ne belli tempore ad Philippum arma ferrentur, sin quis fecisset, capitale fore, periit, et contumelia est affectus, iste autem, qui et vestrorum sociorum arma illi tradidit, accusat, et de stupro disserit, proh divum atque hominum fidem, duobus suis affinibus assistentibus, quibus conspectis vos exclamaretis, Nicia illo væcordi, qui se in Ægypto mercede locavit Chabriæ, et homine exsecrando Cerybione, qui in festis absque persona comessatur. Sed quid hæc dico? Atqui fratrem ejus videat Aphobetum. Sed illa die profecto omnes de impudicitia orationes adverso, quod aiunt, amni fluxerunt.

81. Verum quanta ignominia rempublicam vestram istius improbitas et mendacitas affecerit, omnibus relictis ceteris, quod nostis omnes vos, id dicam. Olim, Athenienses, quid a vobis decretum esset, observabant alii Græci omnes: nunc obambulamus nos, quid visum sit aliis, speculantes, atque auscultantes, quid Arcades? quid Amphictyones? quo proficiscatur Philippus? vivatne, an obierit? Nonne ita facimus? Ego vero id non vereor, an vivat Philippus: illud vereor, ne reipublicæ odium in facinorosos et vindicta ob-

ierit. Neque mihi terrori est Philippus, si vos sani sitis, sed si a vobis impunitas proponetur iis, qui illi mercede servire non recusant, si illis quidam patrocinabuntur, quibus vos fidem habetis, si ii qui omni superiore tempore negarunt se causam Philippi agere, nunc suggestum conscendent: hæc mihi terrori sunt. Nam cur tandem, Eubule, Hegesileo reo, qui consobrinus tuus est, et Thrasybulo dudum Nicerati avunculo, cum prima suffragia ferrentur, advocatus esse, cum citarere, noluisti, et ad litis æstimationem progressus, nec pro illorum defensione dixisti quicquam, et judices precatus es, ut veniam tibi darent: itane, cum hominibus cognatis et necessariis non patrocineris, Æschini patrocinaberis? Qui, cum Aristopho reum ageret Philonicum, et per illum tua acta accusaret, una cum illo te accusabat, et in inimicorum tuorum subselliis versabatur; postquam autem post istos oratione habita affirmasti, aut jam in Piræeum esse descendendum, et pecuniam conferendam, et theatralem in militarem convertendam, aut jubenda quæ et iste defenderat, et nefarius Philocrates decreverat, unde factum est, ut pro honesta pace pax turpis fieret, postquam igitur isti, perpetratis postea sceleribus omnia perdiderunt, tum demum in gratiam redisti? Cum pro concione Philippum insecteris, et per liberos tuos juraris, haud dubie periturum Philippum, si populus velit: nunc isti opitulaberis? Qui peribit igitur, si eos quos ille corrumpit largitionibus, tu servaris? Nam cur tandem Myroclem accusabas, quod a singulis eorum qui metalla redemerant, vicenas drachmas exegisset? Cur Cephisophontem sacrilegii reum agebas, quod triduo post statam diem septem minas numerasset? Eos vero qui habent, fatentur, convicti sunt, palamque deprehensi fecisse illa in sociorum perniciem, eos non modo non accusas, sed et servari jubes?

82. Atqui hæc esse formidabilia, et magnam requirere prudentiam et cautionem, ea vero, quorum tu illos accusasti, ridicula, inde perspicietis. Fueruntne Elide quidam ærarii depeculatores? Omnino probabile est fuisse. An vero quisquam eorum auctor, adjutorve fuit abrogandi status popularis? Nullus. Quid? fueruntne Olyntho incolumi alii quidam tales? Equidem, opinor. Nunquid per istos periit Olynthus? Non. Quid igitur? Megaris nonne putatis aliquem fuisse peculatorem, et ex ærario surripientem? Non aliter fieri potest, palamque factum est. Quis igitur ibi auctor fuit rerum, quæ nunc illic acciderunt? Nemo horum. Quales igitur, et qui sunt, qui tanta et talia facinora designent? Qui se dignos esse putant, qui Philippi hospites et amici appellentur, quibus exercitus et summa rerum creduntur, qui præ se multitudinem despiciunt. Nonne Megaris Perilaus nuper apud trecentos causam dixit, quod ad Philippum venisset, Ptœodorus autem progressus pro eo deprecatus est, et genere, et opibus, et auctoritate princeps Megarensium, eumque ad Philippum remisit? Post, ille conductitios milites adduxit, alter intus talia instruxit. Non enim est, non quicquam est rerum omnium, quod magis sit cavendum, quam ne quem vulgo majorem fieri patiamini. Ne mihi sit incolumis, neque vero pereat quisquam, certi cujusdam arbitratu, sed is quem facta sua tuentur, contraque, ut jus et æquum est, in istum sententia feratur. Hoc enim populare est.

83. Jam sæpe accidit, ut pro ratione temporum, quidam apud vos multum potuerint, ut Callistratus ille, ut Aristopho, Diophantus, alii his antiquiores. Sed ubi horum singuli principatum tenuerunt? Apud populum. In judiciis autem, ad hodiernum usque diem nemo vel vobis, vel legibus, vel jurejurando plus valuit. Itaque nec istum nunc sinatis. Hanc enim rem vobis magis esse cavendam, quam istis fidendum, ut sciatis, responsa deorum vobis recitabo, qui semper multo magis rempublicam tuentur, quam ipsi magistratus. Recita oracula.

ORACULA.

Auditis, Athenienses, qualia dii vobis prædicant? qui, si belli tempore vobis hæc respondissent, imperatores cavendos esse vobis monuissent (belli enim duces sunt imperatores), at pace facta, reipublicæ gubernatores. Hi enim duces sunt, his vos paretis, ab his periculum est, ne decipiamini. Urbem porro conjungendam esse monet oraculum, ut omnes consentiant, neve hostibus voluptatem præbeant. Utrum igitur putatis, Athenienses, eum qui tot scelera perpetravit, conservatum, an mulctatum, voluptatem Philippo præbiturum? Equidem opinor conservatum. Asserit autem oraculum, semper esse curandum ne hostes gaudeant. Omnes igitur hortatur uno animo, ad puniendos eos qui aliquid officii hostibus præstiterunt, Jupiter, Dione, omnes dii. Foris sunt qui insidientur, intus qui juvent insidiatores. Proinde insidiatorum munus est, largiri: adjutorum autem, accipere, et eos qui acceperint, tueri.

84. Jam humana etiam prudentia perspici potest, omnium inimicissimum esse, et maxime periculosum, si princeps civitatis iis familiaris fiat, quorum animi a populi studiis abhorrent. Quibus enim rebus Philippus omnes subegerit, qua ratione maxima quæque confecerit, spectate. Emendis actionibus ab iis qui vendebant, corrumpendis principibus civitatum, iisque extollendis. Hæc autem utraque in vestra potestate est, hodie, si vultis, facere irrita, si et audire istos noletis, qui talibus hominibus patrocinantur, sed ostendetis, nullam eorum esse apud vos auctoritatem (nunc enim vos in sua potestate esse dicunt), et ipsum venditorem punietis, idque in conspectu omnium. Nam cum omnibus jure irascimini, Athenienses,

qui talia designarint, et prodiderint socios, et amicos, et occasiones, quibus rebus fit, ut singulorum fortunæ omnes vel floreant, vel marcescant: tum vero isti maxime et justissime omnium. Qui enim, cum ex eorum se esse numero voluerit, qui Philippo diffiderent, cum solus et primus perspexerit, communem illum esse hostem Græcorum omnium, transfugit ad hostes, et stationem deseruit, et subito factus et Philippi defensor, nonne is multiplici dignus est interitu? Hæc autem esse vera, nec ipse poterit ire inficias. Quis enim est, qui Ischandrum primum ad vos adduxerit, quem amicum reipublicæ ex Arcadia huc venire dicebat? quis compilari Græciam et Peloponnesum a Philippo clamitabat, vos autem dormitare? quis, qui præclaras et prolixas et multas illas orationes declamitaret, et Miltiadis et Themistoclis decretum recitaret, et illud in Agrauli sacello adolescentum jusjurandum? Nonne iste? Quis auctor fuit, tantum non ad mare rubrum mittendi legatos, tanquam et insidiæ fierent Græciæ a Philippo, et vos deceret id prospicere, et non deserere Græciæ libertatem? Nonne decreti auctor Eubulus fuit, legatus autem in Peloponnesum iste ivit Æschines? Quo cum pervenisset, quid disseruerit, et pro concione dixerit, ipse novit: quid vero renunciarit, vos scio meminisse omnes. Ita enim concionabatur, ut barbarum et pestem sæpe Philippum nominaret, et nunciabat, quanta lætitia Arcades afficerentur, si jam curam suscepisset rerum, et experrecta esset urbs Atheniensium. Quod vero sibi omnium gravissimum accidisset, id esse dicebat, quod in reditu in Atrestidam a Philippo abeuntem incidisset, qui secum mulierculas et puerulos proficiscentes haberet circiter triginta, se vero miratum, ex viatore quodam quæsisse, quisnam homo ille esset, et quæ turba cum eo? Postquam autem audisset Atrestidam dono acceptis illis Olynthiorum captivis a Philippo abire, indignum facinus sibi esse visum, et illacrymasse, et doluisse vicem Græciæ, et segnitiem, quæ ad tales injurias conniveret, vobisque suasit, ut mitteretis aliquos in Arcadiam, qui Philippi studiosos accusarent. Se enim ex amicis audisse dicebat, si reipublicæ nostræ curæ esset, sique legatos mitteret, pœnas illos daturos esse.

85. Hæc igitur tum, Athenienses, et quidem præclara, et e dignitate nostræ urbis pro concione dicebat: ut autem in Macedoniam venit, et hostem vidit, tum suum, tum Græcorum omnium, Philippum, nunquid his similia aut affinia? Minime gentium: sed neque majorum esse recordandum, neque triumphos prædicandos, neque cuiquam opem ferendam, seque eos qui de sententia Græcorum, de facienda cum Philippo pace deliberari juberent, demirari aiebat, si in vestris privatis negotiis, alterius vobis assensu esset opus, esseque Philippum ipsum o dii, omnium studiosissimum Græcorum, eloquentissimum, Atheniensium amantissimum, ceterum adeo perversos esse quosdam et morosos in urbe homines, ut non erubescerent ei convicia dicere, et barbarum eum vocitare.

86. Fieri potest igitur ut idem vir, illis sermonibus ante habitis, post, hæc dicere non dubitasset, nisi corruptus esset largitionibus? Quid vero? isne qui Atrestidæ tum infestus fuit propter Olynthios pueros et mulierculas, nunc adjutor Philocratis esse non dubitat, qui mulieres Olynthias ingenuas ad libidinem huc adduxit? qui ob vitæ petulantiam sic innotuit, ut mihi nulla jam ejus flagitia commemoranda sint, aut facinora, sed si tantum dixero, Philocratem huc duxisse mulieres, omnes vos et eos qui circumstant, cetera nosse sciam, et dolere vicem infelicium et ærumnosarum mulierum, quarum Æschines non miseretur, nec in eas intuens, Græciam deplorat, si illæ apud socios a legatis contumeliose vexantur, suas quidem fortunas lamentabitur, cum ita se in legatione gesserit, et puerulos fortassis accerset, et producet. Vos autem cogitabitis, judices, in respectu ad istius liberos, multorum sociorum vestrorum et amicorum liberos errare, et mendicos circumire, crudeliter tractatos propter istum; quorum vos misereri multo est æquius, quam natorum ita facinorosi et proditoris patris, et vestrorum liberum qui sunt ab istis, qui pacem ad posteros quoque extenderunt, etiam spe fortunæ melioris spoliati. Ipsius autem lacrymas intuentes, vos nunc habere hominem qui vos jussit mittere in Arcadiam, qui Philippi studiosos accusarent.

87. Nunc igitur nihil est necesse legatos mittere in Peloponnesum, aut longinquum iter suscipere, aut viaticum impendere, sed illud duntaxat, ut unusquisque vestrum usque ad tribunal progressus, sanctum et æquum suffragium ferat pro patria, contra hominem, qui, o dii immortales, cum illas, de quibus initio dixi, conciones habuerit, de Marathone, de Salamine, de præliis, de triumphis, statim ut Macedoniam attigit, omnia his contraria dixit: non recordandum esse majorum, non triumphos narrandos, nemini opem ferendam, non communiter cum Græcis consultandum, tantum non diruendos esse muros. Quibus orationes nullo unquam tempore apud vos habitæ sunt fœdiores. Quis est enim Græcorum et Barbarorum ita væcors, aut imperitus rerum, aut usque adeo nostræ urbi inimicus, qui, si quis roget, age, dic mihi, ejus Græciæ quæ nunc est, atque incolitur, estne ulla pars, quæ nomen suum retineret, atque incoleretur ab iis qui nunc eam obtinent Græcis, nisi in Marathone et ad Salaminem majores nostri pro eis tanta virtute dimicassent? Nemo id quidem, satis scio, dixerit: sed illud fuisse futurum, ut a barbaris hæc omnia caperentur. Quibus igitur laudibus et ornamentis illos vel hostium nemo spoliarit, eorum vos Æschines meminisse non sinit, illorum posteros, ut ipse nummos accipiat? Ac alia quidem bona nihil attinent ad defunctos: at rerum præclare gestarum laudes, eorum qui sic oppetiere, propria sunt possessio (neque

enim eis invidia post obitum adversatur), quibus eos iste dum defraudat, ipse merito nunc dignitate privabitur, et vos hoc modo majores vestros recte ulciscemini.

88. Talibus verbis, o improbum caput, tu res gestas majorum deprædatus, et calumniatus, omnia negotia perdidisti. Postea istis dictis et factis prædiatus nobis et magnificus exstitisti. Nam illud, antequam rempublicam omnibus cladibus affecisset, fatebatur, se fuisse scribam, et gratiam habere vobis de creditis magistratibus, et moderatum se præbebat. Posteaquam autem infinita scelera designavit, supercilium erigit, ac si quis dicat, Æschines qui scriba fuit, statim hostis est, statim male audisse se dicit, et per forum ambulat, veste ad talos usque demissa, pari cum Pythocle gradu incedens, buccas inflans, Philippi hospitum et amicorum vobis jam unus est, qui a populo recedere volunt, et tempestatem atque insaniam receptum statum interpretantur, qui non ita pridem Tholum adhuc adorabat.

89. Libet autem vobis summatim percurrere, quibus calliditatibus vos Philippus, adscitis istis nefariis adjutoribus, circumvenerit: omnino autem operæ pretium est, perpendere et spectare fraudem universam. Ab initio cum pacem expeteret, latronibus ejus regnum diripientibus, clausisque mercatibus, ut nullis omnino suis bonis frui posset, misit huc qui humana ipsius verba renunciarent, Neoptolemum, Aristodemum, Ctesiphontem: ut autem nos legati venimus, statim istum conduxit, ut defenderet, et adjuvaret nefarium Philocratem, et nos qui bona fide res agere institueremus, superaret. Scripsit et epistolam ad vos, qua se vel in primis pacem impetraturum putavit. Nihilo magis tamen etiam sic ei quicquam gerere magnum contra vos licebat, nisi Phocenses perdidisset: id vero expeditum non erat. Contractæ enim ejus res erant tanquam fato quodam, hoc modo, ut aut nihil eorum quæ vellet, posset consequi, aut necesse haberet mentiri, pejerare, et testes suæ improbitatis facere omnes et Græcos et Barbaros. Si enim Phocenses socios recepisset, et vobiscum eis jusjurandum dedisset, Thebanis et Thessalis datum jusjurandum statim violare coactus esset, quorum se illis Bœotiam subacturum, his Pylæam redditurum juraverat: sin eos non recepisset, sicut non admittebat, non permissuros vos sibi, ut progrederetur, putabat, sed auxilia missuros ad Pylas. Idque, nisi decepti essetis, fecissetis. Quod si fieret, satis videbat sibi aditum esse interclusum, neque id ei erat ex aliis cognoscendum, sed ipsemet ejus rei sibi testis erat. Ut enim primum Phocenses subegerat Philippus, et milites eorum occiderat, ac ducem atque imperatorem Onomarchum, tum si mortalium omnium nemo neque Græcus, neque Barbarus opem tulisset Phocensibus, præter vos, non modo non penetrasset, aut ingressus eorum quæ voluit

perpetrasset quicquam, sed nec prope accedere potuisset. Satis autem illud norat, opinor, se tum, cum inter Thessalos et se non optime conveniret, et Pheræi primum militiam detrectarent, et Thebani succubuissent, prælioque victi essent, et tropæum de eis erectum, non penetrare posse, si vos opem ferretis: nec, si armis conaretur, quicquam perfecturum, nisi dolus accessisset. Quo pacto igitur nec aperte mentiar, et sine perjurii infamia, omnia quæ volo consequar? quomodo? Sic. Si quos Athenienses invenero, qui Athenienses decipiant: id enim probrum jam meum non erit. Inde factum est, ut ejus legati vobis ante dicerent, Phocenses a Philippo in societatem non recipi: isti autem successere, atque ita concionati sunt; palam non sane commodum esse Philippo, in societatem recipere Phocenses, propter Thebanos et Thessalos, sed si summa rerum potiretur, et pacem impetraret, quæ nunc eum pacisci postulemus, tum facturum.

90. Pacem igitur his pollicitationibus et dolis et illecebris a vobis sine Phocensibus impetrarunt. Post, prohibendum erat, ne ad Pylas auxilia mitterentur: cujus rei gratia L. triremes in propinquo in ancoris stabant, ut si proficisceretur Philippus, vos prohiberetis. Quid igitur? quæ iterum fraus hic excogitabitur? Tempora vobis eripienda erant, et negotium ita ducendum, ut subito ingrueret, ac vos, nec si velletis, possetis egredi, itaque istos fecisse constat. Ego vero, ut jam sæpius audistis, non prius abire potui: sed et nave conducta sum retentus. Jam opus erat, ut etiam fidem haberent Philippo Phocenses, seque ultro dederent, ne res differretur, neve contrarium a vobis senatusconsultum ederetur. Proinde ab Atheniensium legatis nunciandum fuit, Phocenses conservatum iri: ut, tametsi aliquis mihi diffidat, illorum promissis fretus, se mihi tradat. Athenienses autem ipsos accersemus nos, ut omnia quæ volunt, sibi parata esse existimantes, nihil contrarium decernant. Illi autem a nobis talia nunciabunt et promittent, ut quicquid tandem fiat, non commoveantur.

91. Ad hunc modum et talibus technis, ab istis perditissimis hominibus omnes res sunt perditæ. Itaque statim non Thespias et Platæas instaurari vidistis, ut decebat: sed Coroneam et Orchomenum eversas esse audivistis: non Thebas depressas, nec insolentiam Thebanorum et ferociam cohibitam, sed Phocensium, sociorum vestrorum, mœnia diruta, eaque diruta a Thebanis, quorum urbem Æschinis verba in pagos redegerunt scilicet. Non vobis Eubœa tradita est pro Amphipoli: sed Philippus in Eubœa præsidia munit ad bellum vobis inde inferendum, et Gerasto et Megaris insidiari non desistit. Non vobis Oropus restituitur: sed de Drymo, et agro ad Panactum armis dimicamus, quod salvis Phocensibus, nunquam fecimus. Non patrii ritus in templo Delphico ob-

servantur, non Apollini pecunia redigitur, sed germani Amphictyones exsulant et exterminantur, eorumque regio vasta jacet, qui vero ante nunquam fuerunt Amphictyones, barbari Macedones, ii nunc vi Amphictyones esse volunt. Quod si quis de sacra pecunia mentionem fecerit, de saxo dejicitur, et urbi nostræ oraculi prærogativa est erepta, et totum negotium reipublicæ nostræ factum est ænigmatis instar. Ille et nihil mentitus est, et quæ voluit confecit omnia, vos, cum ea quibus optari meliora nequeant, speraveritis, eorum contraria fieri vidistis, et, cum in pace vivere videamini, acerbiora perpessi estis, quam si bellum gereretis, ex his isti pecuniam habent, et in hunc usque diem pœnas non dederunt.

92. Hæc autem omnino confecta esse largitionibus, et pretium eorum omnium habere istos, jamdudum vobis multifariam declaratum esse arbitror, et vereor, ne contra quam volo faciam, et dum id accurate conor ostendere, vobis molestus sim, rei jamdudum gnaris, sed tamen et hoc audite. Estne legatorum aliquis, quos Philippus huc miserit, cui vos æream in foro statuam decerneretis? quid vero? an victum in Prytaneo daretis? aut aliquod aliud præmium, quo benemeritos honoratis? Equidem non opinor. Cur? Neque enim vos ingrati estis, neque homines injurii, neque mali: sed eo vos facturos negaretis (idque vere et recte), quod pro Philippo omnia, pro vobis nihil prorsus egissent. Cum vos igitur ita sentiatis, putatis aliter Philippum esse animatum, atque istis tot et tanta largiri munera propterea, quod pro vobis legationem recte et vere obierint? Fieri non potest. Hegesippum enim, et collegatos ejus videtis ut acceperit. Cetera taceo. Sed Xenoclidem poetam egit in exsilium, quod eos, cives suos, hospitio exceperat. Sic cum illis agit qui vere et ex animo causam vestram agunt. Qui vero seipsos vendiderunt, eos tractat, ut istos. Hæc igitur testes, hæc aliqua majora argumenta requirunt? hæc quisquam vobis extorquebit?

93. Dudum autem ante curiam quidam venit, et mihi rem dixit omnium absurdissimam: instituisse eum Charetem accusare, atque eo modo et iis verbis decipi posse vos sperare. Ego vero, si accusetur Chares, inventum iri eum fideliter et benevole modis omnibus pro vobis egisse, quicquid in ipso fuerit: propter eos autem, qui suis corruptelis negotia perderent, tanto fuisse inferiorem, non magnopere contendo. Sed nimium isti largiar. Esto, vere Æschines de eo dicat omnia: etiam sic tamen admodum ridiculum erit, eum ab isto accusari. Ego enim nihil quod in bello commissum est, Æschini imputo (id enim a ducibus requirendum est) neque pacem factam a republica: sed hactenus condono omnia. Quid igitur dico? unde accusare incipio? Quod, dum pacem respublica faceret, Philocrati suffragatus est, non iis qui suadebant optima: quod munera accepit: quod deinde in posteriore legatione tempora consumpsit, et nihil eorum quæ vos mandaveratis, fecit, quod fucum fecit reipublicæ. Et excitata spe, quæ vellemus nos, Philippum esse facturum, omnia perdidit, quod postea, cum alii præmonerent, cavendum esse eum, qui vos tot injuriis affecisset, ipse defendit. Hæc accuso, hæc memineritis. Nam justam pacem et æquam, homines item incorruptæ fidei, et post nihil mentitos, etiam laudassem, et corona donari jussissem. Si quis autem vos dux affecit injuriis, id ad hanc reddendæ rationis causam nihil attinet. Quis enim dux Alum, quis Phocenses perdidit? quis Doriscum? quis Cersobleptem? quis sacrum montem? quis Pylas? quis effecit, ut per socios et amicos usque ad Atticam Philippo esset iter? quis Coroneam, quis Orchomenum, quis Eubœam alienavit? quis Megara paulo ante? quis Thebanos firmavit? Quæ quanquam tot tantaque sunt, nihil tamen eorum, culpa ducum periit, neque vestro consensu concessum in pace, Philippus tenet: sed ea per istos perierunt, eorumque corruptelas.

94. Quod si hæc fugerit, et errarit, et quidvis potius dixerit, sic ei occurrite. Non de duce judicium facimus: non horum criminum reus es, ne dic, etiam alium quempiam præbuisse causam Phocensium excidio: sed te insontem esse ostendito. Quid igitur, si quid deliquit Demosthenes, nunc narras, et non, cum rationem redderet, accusabas? Nam propter hoc ipsum dignus es exitio. Ne dic, quam res bona sit pax atque utilis. Nemo enim pacis a republica factæ auctorem te esse dicit: sed, non turpiter et flagitiose, post multis in rebus nos esse deceptos, non omnia periisse, id dicito. Horum enim omnium te esse auctorem, id nobis est ostensum. Cur vero hactenus eum qui talia designavit, laudas? Si sic ab eo caveritis, nihil habebit, quod respondeat: sed frustra vocem hic acuet, et declamitabit.

95. Sed fortassis et de voce necessario dicendum est. Nam ea quoque magnopere fretus esse fertur, ut actionis vehementia vos debellaturus. Facturi autem estis, mea quidem opinione, omnium ineptissime, si quem Thyestis et Trojani belli mala repræsentantem ejecistis, et exsibilastis e theatris, et tantum non lapidibus obruistis, usque adeo donec a tertiarum actione partium dimovistis: eum, postquam non in scena, sed in republica et maximis negotiis civitatis infinita scelera perpetravit, tum demum ut belle sonantem attente audietis. Minime vero. Absit a vobis ea stultitia: cum præco approbandus est, id spectandum esse ducite, an sit vocalis. Legatum autem et reipublicæ gubernatorem, cum virum esse bonum tum magnum pro vobis et æquum erga vos animum habere oportet. Sicut ego Philippum non sum admiratus, sed captivos admiratus servavi, neque dissimulavi quicquam. Iste vero et ante illum procidebat, et pæanas cantabat, et vos despiciebat.

96. Ad hæc, sive eloquentia, sive claritate vocis, sive alio

quopiam commodo bonum virum et vestri studiosum præditum videritis, congratulari omnes et excolere debetis (id enim bonum vobis omnibus fit commune), sin hominem corruptum et improbum, quique omni lucello vincitur, excludere, et acerbe atque hostiliter adversari. Improbitas enim facultatis apud vos adepta opinionem, reipublicæ perniciosa est. Videte quibus laudibus iste floret, eæ laudes in quæ negotia rempublicam conjecerint? Ac ceteræ quidem facultates suis ipsæ viribus nituntur: sed eloquentia, si auditorum studiis destituitur, intercidit. Sic igitur audite istum ut improbum, ut corruptum, ut nihil veri dicturum.

97. Jam non propter cetera duntaxat negotia, sed propter illa ipsa etiam, quæ cum Philippo vobis sunt, omnino esse utile ut condemnetur, spectate. Sive enim aliquando in necessitatem veniet præstandi aliquid reipublicæ quod debet, mutabit ingenium (nunc enim instituit populum decipere, et paucos colere, at si eos periisse audierit, populo et vobis, penes quos summa rerum est, cetera præstare volet), sin eandem, qua nunc utitur, licentiam et petulantiam retinebit, eos e civitate, qui ad nutum illi parati essent, sustuleritis, si istos sustuleritis. Si enim, cum putarent se pœnas daturos, talia commiserunt, eos, sublato vestri metu, quid facturos putatis? Quem Euthycratem? quem Lasthenem? quem proditorem non superaturos? Quem reliquorum civium non deteriorem fore? qui videat iis qui vendiderunt omnia, pecuniam, auctoritatem, opes, Philippi hospitium suppetere: iis autem qui se bonos viros præbuerunt, et insuper etiam sumptus fecerunt, molestias, inimicitias, invidiam superesse apud nonnullos? Absit hoc, absit. Neque enim ad gloriam, neque ad pietatem, neque ad securitatem, neque ad ullam denique rem aliam vobis prodest, istum ut absolvatis: sed ut eum in exemplum omnium et civium et aliorum Græcorum puniatis.

ARGUMENTUM LIBANII IN ORATIONEM ADVERSUS LEPTINEM DE IMMUNITATE.

Athenienses bene de republica meritos cum aliis rebus honorabant tum publicorum munerum immunitate. Qua cum multi donarentur, et qui munera obirent, defuturi viderentur: Leptines rogationem tulit: ne quis esset immunis neve populo in posterum liceret cuiquam immunitatem dare et quisquis eam petiisset ut extremo supplicio afficeretur. Huic legi intercesserunt cum alii prius (inter quos etiam Bathippus, qui tamen ab actione destitit, sive largitionibus corruptus, sive morbo impeditus) tum nunc Phormio et Ctesippus, Chabriæ filius, et alii quidam cum iis, quibus Demosthenes patrocinatur. Ac Leptines utilitatis loco prævalet: prætendit enim necessitatem: Demosthenes vero nititur honesto et justo. Ac justo quidem, quod æquum sit benemeritis referri gratiam, et eos qui recte aliquid consecuti sint non spoliari datis: honesto autem, quod cum alios dedeceat ea quæ dederint eripere, tum vel maxime Athenienses, qui magnitudine animi excellere videantur, tanquam peculiari quadam nota. Præterea ostendit, Leptinem etiam contra leges eam tulisse legem. Recitat enim legem, quæ jubet in primis abrogare legem contrariam, et tum demum ferre ac substituere aliam, ut ne leges inter sese contrariæ reperiantur.

ALITER.

Oratio ad Leptinem ita inscribitur, quod elapso eo tempore, quo qui legis auctor fuisset judicio et pœnæ obnoxius erat, Leptines extra periculum esse videbatur. Unde ad eum, non contra eum, orationi titulus est. Argumentum autem est hujusmodi. Atheniensium civitati familiare erat, cum primis afficere qui bene de civitate meruissent quum multis et variis honoribus, tum etiam immunitate. Quam multis et hospitibus et civibus consecutis, deerant qui munera obirent. Eaque de causa oneribus in pauperes fere inclinatis, Leptines unus ex magistratibus, vir non contemnendus, legem rogavit in hanc sententiam:

Ut ditissimi quique munera obeant, nemo sit immunis, præter Harmodii et Aristogitonis posteros, et novem viros; neque in posterum jus esto populo si petatur dandæ immunitatis: si quis autem petiisse convictus fuerit, ignominiosus ipse esto, et genus ejus et familia, isque tum violatæ reipublicæ accusator tum ut infamis defertor; quod si reus peragetur, easdem luito pœnas, quas ii qui mulcta reipublicæ non soluta jus dicunt.

Cum igitur lex ita se haberet, primum Bathippus Leptinem accusavit; isque, antequam causa in foro ageretur, obiit. Posteaque mora interjecta, Leptines factus est indemnis. Lex enim erat, quæ juberet, auctorem legis aut decreti post annum esse indemnem. Tamen quoniam et sic ex legibus licebat accusare, tametsi auctores legis indemnes essent, post annum accusavit Aphepsio, Bathippi filius, Phormione oratore, et Ctesippus Chabriæ F., Demosthene advocato. Hi igitur accusatores actionem contra legem instituerunt. Status negotialis est, scripto constans: capita orationis sunt, legitimum, utile, justum.

Sed necesse est utriusque partis argumenta ut explicemus. Leptines igitur utili nititur, quod eos qui munera obeant reipublicæ comparet, cum incommodum est vobis, si pauperes solummodo ea sint obituri; post aliquantum enim temporis deficient, et tum qui munera obeant non estis habituri: atque etiam justo, nefas esse, ut

alii divitias secure teneant, alii, munera obeuntes perpetua, miseria conflictentur. Accusatoris firmamenta sunt legitimum, justum et utile. Ac legitimum duplex est, partim in persona positum, partim in re. In persona, ex eo quod quæ facienda fuissent, non fecerit; thesmo violato. Thesmos autem lex est, ferendarum legum rationem præscribens. Scriptam enim legem cum ante statuas Heroum, a quibus cognomina tribus acceperunt, proponere, et apud legumlatores confirmare oportebat: id quod non fecit. In re, quod ea lex veterem legem violarit, qua Populi donationes ratæ esse jubeantur. Hæc igitur lex illi contraria est, cum illa jubeat quæ dona Populus dederit rata esse, hæc ea quæ data sunt vi eripere studeat. Justo sic utitur: non eripienda esse dona bene meritis. Utili porro trifariam nititur: primum, vobis incommodum erit, si benemeritis dona eripueritis; neque enim posthac Leuco e Bosporo frumentum vobis mittet: deinde, incommodum erit; quia nemo bene de republica mereri volet, cum alios dono spoliatos viderit: postremo, ignominiam subibitis; videbimini enim ingrati esse. Est autem hæc secundo loco habita oratio: nam Aphepsio, ut natu major, primas causæ partes egit. Leptines itaque præcipue utili nititur, asserens deesse reipublicæ, qui munera obeant: secundo justo, idque ex æqualitate spectatur. Nequaquam enim, inquit, ferendum est, ut aliqui arrepta immunitate opibus abundent, reipublicæ autem qui munera obeant desint. Etsi autem oratori legis accusatio proposita esse videtur; occulte se insinuans jam nunc etiam propriæ legis commendationem parat. Nam ejus in legitimo capite fundamenta jacit, ex adverso legendo et opponendo utramque legem, et quantum intersit ostendendo. Ne vero subito et inconvenienter leges ingereret, eam rem multo ante instruxit. Ac prima quidem orationis objectio videtur a Leptine oriri: sed revera inventa est ad Demosthenis utilitatem, ut videatur adversarius ejus sancire legem. Quid enim vult Demosthenis lex? Ut dona, quæ Populus dedit, rata sint: ea vero qui consecuti sunt in jus vocentur, ut si digni sint, teneant, sin immerito tenere videantur, convictis adimantur. Ipse igitur Leptines Demosthenis legem confirmat. Quid enim? statim initio queritur, multos immerito esse donatos. Habet igitur Demosthenis legem indignos secernentem; idque per omnia sparsum est. Multa enim ea de re verba facit, idque eo, ut assuefaciat judices recitationi legis paulo post secuturæ. Cum autem vidisset eam orationem Leptini esse validissimam, ut ditissimi munera obeant, neminem esse oportere immunem, non hanc posuit principalem objectionem, sed eam quæ sibi conducibilis, et ferendæ a se legi patrocinatura esset. Cum enim dicit, et ea ratione plurimum utetur, decipit auditores. Neque enim de indignis multa verba faciet, sed de eo nimirum, deesse reipublicæ qui munera obeant, et esse e republica ut a pauperibus onera in divites transferantur.

Genus orationis judiciale quidem est, cum de lege judicium fiat. Sed universa materia est duplex, partim judicialis, partim suasoria. Invenias etiam demonstrativi generis non expertem, ubi singulos qui bene meriti sunt ornare studet: etenim hic reperies laudes dignas illis viris, et verba illorum rebus gestis congruenter attemperata, veluti, cum se in Cononis et Chabriæ rebus gestis jactitat, et Epicerdis, et Thasiorum, et Corinthiorum, et Leuconis. Ad orationis vero tractationem transeamus oportet.

DEMOSTHENIS

ADVERSUS LEPTINEM

ORATIO.

1. Ego, judices, tum quod e republica esse judicavi, ut ista lex abrogaretur, tum propter Chabriæ filium, recepi me hisce, pro virili parte, patrocinaturum. Neque vero obscurum est, Athenienses, Leptinem, aut si quis alius legem tuebitur, justi nihil de ea dicturum, illud quidem prætexet indignos quosdam homines, immunitatem consecutos, excussisse onus publicorum munerum; ac in ea oratione potissimum se jactabit. Enimvero ne dicam quantopere cum omni æquitate pugnet, ut, dum unum accusas, omnes suis donis spoliatos velis (nam hoc prius etiam partim dictum est, et fortassis vobis probatum) illud libenter admodum ex eo quærerem, si maxime non pauci aliqui, sed prorsus omnes indigni honoribus essent, cur etiam vos velut in ordinem cogendos judicasset? Cum enim scripsit, neminem oportere immunem esse, immunitatem consecutos suo præmio spoliavit: dum vero adjicit, in posterum non licere vobis id honoris cuiquam tribuere, munificentiæ jus vobis ademit. Nec enim est ut dicat, se, quemadmodum illos dono spoliavit qui eo fruebantur, quod indignos judicarit, sic Populum indignum censuisse, penes quem esset liberalitate uti erga quem ei videretur. At illud ad hæc fortasse respondebit, quia Populus facile decipiatur, propterea legem se ita tulisse. Quid igitur obstat, quo minus omnia vobis eripiantur, et ipsa denique administrandæ reipublicæ functio, ista quidem ratione? Nec enim quicquam est rerum omnium, in quo vobis hoc usu non venerit: sed sæpe decepti multa senatusconsulta vestris suffragiis comprobastis, atque aliquando adducti estis, ut omissis potentioribus societatem cum his quorum minores essent opes coiretis: et quidem in tanta mole negotiorum prope necesse est etiam tale aliquid usu venire. An vero propterea legem feremus, ut deinceps neque Senatui, neque Populo liceat, vel decernere, vel jubere quicquam? equidem non opinor. Nec enim æquum est, ut quibus in rebus decepti sumus, eæ nobis eripiantur, illud quidem decet, moneri nos, ne posthac in eandem fraudem incidamus: legemque ferri, non quæ muneris jus vobis adimat, sed talem, cujus auxilio puniamus impostores.

2. Quod si quis, his omissis, illud saltem accurate perpendat,

utrum præstet penes vos esse jus largiendi, et aliquando fieri ut decepti etiam indigno alicui honorem hunc habeatis, an vero prorsus amissa auctoritate vestra, ne eum quidem honore vobis afficere licere qui dignus videatur, prius illud longe præstare comperietis. Quamobrem? Quia dum honoratis plures, quam decuerat, multi ad benefaciendum vobis invitantur: si vero nemini quidquam, etiamsi mereatur, impertietis, omnes deterrebitis a studio bene de vobis merendi. Præterea qui indigno alicui honorem habent, fortassis ut simplices reprehenduntur: qui autem bene meritis parem gratiam non referunt, ingrati animi crimen incurrunt. Quanto igitur simplicem quam ingratum videri præstat, tanto etiam præstabilius est hanc legem abrogari quam perferri.

3. Mihi porro cogitanti, ne illud quidem consentaneum videtur, Athenienses, ut, dum certos quosdam criminatur ob accepta munera, etiam eos honoribus spoliet, qui reipublicæ profuerunt. Nam si manentibus hisce præmiis, improbi et indigni quidam, id quod ipse jactat, exstiterunt, quid quæso tum exspectandum erit, quando hi, qui præclare sese gerunt, nullum omnino virtutis suæ præmium ferent?

4. Præterea illud etiam vobis considerandum est, ex instituto legum quibus etiam hodie utimur quæque per multos annos viguerunt, quas ne iste quidem præclaras esse negare ausit, singulos altero quoque anno munera obire: quare dimidiam temporis partem immunes sunt. Quo igitur commodo dimidia ex parte fruuntur etiam hi qui nihil in nos contulerunt, id bene meritis, cum ipsi antea dederimus, iterum eripiemus? minime vero! Nam cum per se turpe fuerit, tum nobis indecorum. Nam honestum esse qui potest, Athenienses, in rerum vænalium foro, ubi, si qua fraus aut impostura intercesserit, respublica nihil detrimenti capit, legem de vitando mendacio esse latam: publice autem civitatem, eam quæ privatis ipsa id imperarit, eadem lege non uti, sed bene de se meritos circumscribere, idque cum magno damno suo? Nec enim hoc solum considerandum est, an jacturam pecuniæ nullam faciatis, sed habenda etiam ratio bonæ existimationis quæ vobis est multo quam opes antiquior: neque id vobis solum, sed majoribus quoque vestris. Quod inde haud dubie perspicitur; quod cum olim maximas opes coacervassent, easdem universas honoris studio insumpserunt, tantique fecerunt gloriam ut nullum unquam periculum ob eam consequendam detrectarint, sed etiam privatim de suo conferre non destiterint. Jam ista lex bonam urbis existimationem tollit et in illius locum malam reponit, neque majoribus vestris neque vobis dignam. Tribus enim probris quæ gravissima sunt vos contaminat, ut invidi, ut promissa et conventa non servantes, ut ingrati esse videamini.

5. Omnino autem, Athenienses, a moribus vestris alienum esse, ut talem legem ratam habeatis, id quoque paucis demonstrare conabor, si unum prius nostræ urbis exemplum attulero. Dicuntur Triginta *tyranni* a Lacedæmoniis mutuo accepisse pecuniam contra eos qui in Piræeum secesserant. Reconciliatis autem inter se civibus, eoque tumultu sopito, Lacedæmonii pecuniam illam per legatos repetierunt. Orta porro ex ea re disputatione, cum hi eos qui in urbe manserant et æs alienum conflarant, idem etiam dissolvere juberent; illi communiter Lacedæmoniis satisfaciendum censerent, quo id primum concordiæ pignus esset: aiunt Populum non recusasse de suo contribuere et sumptuum partem in se reclinare, ne quid ex iis quæ convenerant violaretur. An non igitur absurdum fuerit, Athenienses, vos tum, ne mentiremini, conferre pecuniam in eorum usum qui vos affecerant injuria voluisse: nunc vero, cum liceat, abrogata lege, sine sumptu jus suum tribuere his qui bene meriti sunt, malle fallere? hoc mihi quidem indignissimum videtur. Ac mores nostræ civitatis, Athenienses, cum ex multis aliis, tum ex his quæ recensui, perspici potest esse tales, ut ea a mendaciis abhorreat et humana sit, ut non id solum spectet quibus rationibus ærarium locupletetur, sed illud etiam quid factu sit honestum: legislator autem iste, quonam aliis in rebus ingenio sit equidem nescio, neque quicquam improbum de eo dico, neque quicquam illi tale conscius sum; sed legem ejus intuens, video mores ejus a moribus civitatis multum dissidere. Quod si me audietis, longe præstabilius videbitur, ut is in abroganda lege vestram auctoritatem valere patiatur, quam ut eam vestris suffragiis perferat: etenim cum ipsi tum reipublicæ conducibilius erit, ut Leptines a republica exemplum petat, quam ut nostram civitatem ipse sui similem esse velit. Nam etiamsi optimus sit, qualis sane non obsto quo minus perhibeatur, ejus tamen mores publicis institutis non erunt anteferendi.

6. Verum ego, judices, rectius vos de hoc negotio deliberaturos arbitror, si consideraveritis, quæ causa sit; cur honores qui aliquibus a libera civitate habentur pluris fiant, quam qui a ceteris imperiis, eam hac lege tolli. Nam si accipientis compendium et utilitates spectentur, cum tyrannis et oligarchiis nemo liberalitate certaverit; cum eis in promptu sit mox quemvis locupletare: liberarum vero civitatum honores, longe plus et dignitatis et constantiæ habere censendi sunt. Quia et illud præclarum est, nullo cum dedecore, aut assentationis suspicione accipere, sed inter eos, cum quibus æquo et pari jure vivas, ob virtutis præstantiam magni fieri, et æqualibus ultro admirationi esse; id quod longe præclarius est, quam a domino quidvis accepisse. Nam ut apud illos impendentium periculorum metus vincit præsentis beneficii magnitudinem: sic apud vos, quicquid aliquis accepisset, secure tenere, superiore

certe quidem tempore, licuit. Lex igitur ista, quæ hujusmodi donationum fidem et securitatem tollit, id tollit, quo a vobis concessa dona ceteris antecellere videbantur. Enimvero si ex universis quocunque regantur imperio civitatibus morem illum et vetus institutum sustuleris, ne recepti status conservandi studiosis gratia referatur, maximum earum præsidium una sustuleris.

7. At illud fortasse Leptines afferre conabitur, ut vos ab his alio seducat, onera publicorum munerum nunc in tenues homines inclinata esse, quæ, si sua lex rata habeatur, ad opulentissimos reditura sint. Plausibiliter quidem hoc et speciose dicitur: sed si penitius introspiciatis, inane videbitur ac tralatitium. Duo enim omnino munerum genera recepta sunt apud vos, unum inquilinorum, alterum id quod a civibus oriri solet: quorum utriusque dari potest ea, quam iste eripit, bene meritis immunitas. Nam quæ omnia tributa triremiumque instructiones in belli necessitatibus exiguntur salutemque reipublicæ continent, eorum, recto veterum legum et justo instituto, nemini datur ulla immunitas, ne illis quidem, quos Leptines excepit, ex Harmodii et Aristogitonis familia oriundis. Videamus igitur quomodo expleat munera illa quibusque præbitoribus, et quotnam, si ei non auscultaverimus, sit immunes dimissurus. Ditissimi quique igitur semper occupati triremibus instruendis, nulla tenentur parandi ludos necessitate: tenuiores cum ab iis ob inopiam exigi nihil possit, extra hunc numerum sunt. Quare neutri propter hanc legem vestras opes augebunt. At enim inquilini suppeditare multa cogentur. Verum si quinque ex illis demonstraverit, ego non recuso, quo minus delirare dicar. Verum ut concedam aliter hoc se habere, et longe majorem inquilinorum esse numerum qui, lege perlata, perpetuo munera obituri sint, neque triremium instructionem cuiquam fore præsidio quo magis immunis sit. Age consideremus, quam hoc futurum sit e republica, si hi omnes munera obibunt. Patebit enim non, multum abest, in æquo esse emolumentum ac dedecus inde deportandum. Idque hoc modo expendite. Immunes ex hospitibus sint, decem sane;—quanquam equidem, id quod modo dicebam, quinque esse non opinor—; ac civium certe non quinque aut sex reperientur: igitur utrique sedecim erunt. Verum viginti numerentur; aut triginta etiam, si vultis. Quotnam tandem sunt qui munera quotannis in orbem redeuntia curent, sive ædiles, sive gymnasiarchi, sive convivatores? Sexageni circiter, aut paulo plures universi hi. Ut igitur triginta homines in omne deinceps ævum munera nobis obeant, id efficiamus, ut nemo posthac fidem nobis habere ausit? Sed illud obscurum profecto nemini est, fore qui munera obeant, incolumi civitate, satis multos, neque illorum ullam fore penuriam: qui autem vobis benefactum velit, ubi perspexerit injuriam eis factam qui bene de

republica meriti fuerunt, nemo reperietur. Sed missa hæc faciamus, et illud videamus, si maxime qui obirent munera deessent, utrum præstaret, ædilitia munera collationibus, quemadmodum instructiones triremium, fieri, an de republica benemeritis illa eripi quæ dedissemus? equidem illud ego censuerim. Siquidem nunc, quo tempore horum quisque ædilitia munera curaret, illis cessatio tantum quædam concederetur, post sumptus pro se cuique nihilo minores facturis: tum vero, parva duntaxat collatione a singulis de re sua familiari facta, nemo est qui onerari se merito quereretur, quantumvis re tenui esset.

8. Enimvero, Athenienses, tanta est quorundam incogitantia, ut hæc quæ diximus, surdis velut auribus prætereant, et alia nescio quæ inculcent: perabsurdum (inquiunt) fuerit, magnas esse immunitatum male parto beneficio, privatorum opes et copias, ærario exhausto et vacuo. Verum utrumque hoc nulla cum ratione aut jure dicitur. Nam si quis re lauta est, sine injuria reipublicæ non profecto est illi invidendum, sin peculatus arguunt, aut alioqui crimini dant, non recte et jure possidere quæ habeat, leges sunt, quibus in eum animadverti convenit. Quam isti rationem si defugerint, ista oratione uti non debebunt. Jam quod ad illud attinet de exhausto ærario, cogitare debetis, vos nihilo copiosiores fore, abrogatis immunitatibus. Nec enim isti sumptus cum publicis vectigalibus commune quicquam habent. Præterea cum nunc respublica duobus præcipue bonis floreat, opibus et fide apud omnes, majus illud est, quod de fide nostra nemo dubitat. Si quis autem in ea est opinione, ut existimet, quia pecunia nobis desit, etiam honestam famam esse negligendam, is longe fallitur. Nam ego quidem a diis immortalibus precor, ut etiam ærarium habeamus locuples: quod si fieri nequit, illud saltem retineamus ut fidem constantiamque nostram prædicent universi. Age vero quod isti dicunt, magnas esse copias eorum, qui immunes sint, has ipsas demonstremus in commodum cedere reipublicæ. Nec enim hoc vobis ignotum est, teneri omnes et ad triremes instruendas, et ad tributa belli temporibus conferenda, nec ullam ejus esse rei immunitatem. Quare iste opibus abundans, quisquis sit, fieri omnino aliter non potest, quin multum ad eas res conferat. Esse autem reipublicæ maxima harum rerum subsidia necessaria, confitebuntur omnes. Nam, quæ ex apparatione popularium munerum delinitio spectatorum oritur, ad breve exiguumque tempus durat: copiæ vero bellicæ perpetuo toti reipublicæ sunt salutares. Quare quicquid hic detrimenti capitis, id illic lucro longe uberiore pensatur: et per honoris speciem ea tribuitis, quæ ultro sibi sumere ac usurpare possunt hi, quorum tantæ facultates sunt ut triremibus instruendis pares sint. Ut autem illo munere constet vacare neminem, etsi plerosque vestrum id antea satis scire arbitror;

tamen ipsam legem recitandam curabo. Cape legem trierarchicam, et hoc *colon* recita. Recita!

LEX.

Triremis instruendæ nemo sit immunis, novemviris duntaxat exceptis.

Videtis, Athenienses, quam perspicuis verbis lege sit cautum, ne quis instruendæ triremis immunis sit, novemviris duntaxat exceptis. Unde apparet, quorum opes et copiæ minores sint quam ut armandis navibus sint pares, eos alioqui tributa conferre ad bellum: qui vero locupletiores sunt, ad utrumque vobis fore usui, et rempublicam cum navibus tum aliis tributis adjuturos. Quæ sunt igitur, Leptine, legis tuæ commoditates, quibus tantum onus a cervicibus tenuiorum amoliri te dictitas, si unius atque alterius tribus unum aliquem præbitorem constitueris, qui pro alio quopiam semel ædilitio munere functus, nihil amplius cum ea re negotii habiturus est? Equidem nihil ejusmodi video: at ista ratione, universa civitas, perfidiæ crimine ignominiose passim traducetur. Nonne igitur, cum ex ista lege plus malorum quam commodi oriatur, per hos qui nunc judicant ea est abroganda? certe quidem mea sententia.

9. Præterea, judices, cum in ejus lege perspicue scriptum sit, neminem neque civium, neque municipum, neque hospitum esse oportere immunem: neque definitum, cujus rei immunem, utrum ædilitii, an alicujus alterius muneris, sed plane neminem esse immunem, exceptis Harmodii et Aristogitonis posteris: dum neminem ait, omnes comprehendit ceteros, dum hospitum adjicit, non distinguendo inter eos qui Athenis habitant; etiam Leucona, Bospori principem, et liberos ejus donata a vobis immunitate spoliat. Est enim Leuco, quod satis constat, genere peregrinus, vestro autem beneficio in civitatem adscriptus: quod si legem istam amplectemur, neutrum istorum ei proderit ad immunitatem retinendam. Enimvero alii qui bene meriti sunt, ad tempus aliquod quisque vobis commodarunt: hunc vero, si consideretis, apparebit, nunquam in vos conferre beneficia destitisse; et ejus generis beneficia, quæ reipublicæ maxime sunt necessaria. Nec enim hoc vobis obscurum est, nos aliunde importato frumento omnium mortalium uti plurimo. Quod si, quicquid frumenti ex aliis emporiis omnibus advehitur in unum conferatur, non tamen æquabit eas copias quæ ex uno Ponto advehuntur. Neque vero id mirum est: fit enim non ideo solum, quia locus ille frumenti est feracissimus, sed hac quoque de causa quod Leuco, ejus loci dominus, eos qui frumentum Athenas advehunt immunitate donavit, edicique jussit, ut primis eis onerare naves liceret. Nam qua immunitate ipse cum liberis suis fruitur, eam vobis omnibus impertiit. Jam quantum hoc sit, considerate. Ille ab iis qui frumentum inde exportant tricesimam pro vectigali partem exigit. Frumenti autem myriades, quæ ab illo huc perveniunt, sunt circiter quadraginta: id quod e commentariis eorum qui rei frumentariæ præsunt, omnibus evidens est. Quare de triginta myriadibus decies mille medimnos largitur nobis: de decem vero myriadibus, circiter tria millia medimnorum. Tantum autem abest ut hoc reipublicæ nostræ beneficium eripiat, ut novo Theudosiæ emporio instituto, quod negotiatores Bosporo nulla re cedere affirmant, etiam illic immunitatem nobis concesserit. Ac quæ alia beneficia vir ille, majoresque ejus in vos contulerint, cum multa commemorare possem, taceo: illud autem prætereundum non est, quod abhinc triennium, cum ubique annonæ penuria laboraretur, non modo quantum satis esset frumenti huc misit, sed tam vili, ut quindecim talenta, quæ a Callisthene tractabantur, superessent. Quid igitur creditis, Athenienses, eum, cujus tanta in vos munificentia exstitit, ubi audierit immunitatem sibi lege per vos ereptam, quam ne mutata quidem sententia per aliud senatusconsultum restituere liceat, facturum esse? An dubium vobis est, quin eadem ista lex, si perlata fuerit, et illum sit spoliatura et vestros cives immunitate qui ab eo frumentum advehunt? Nec enim quisquam est tam puerili sententia, ut existimet, illum æquo animo laturum esse vestra sibi munera eripi, sua vero munera vobis non erepturum. Quare præter multa incommoda quæ ista lex in posterum pariet, jam de præsentibus utilitatibus aufert ac diminuit aliquid. Et vos tamen de ea abroganda deliberatis adhuc, non jam olim deliberastis? Ipsa decreta de Leucone facta cape et recita.

DECRETA.

10. E decretis igitur perspicuum est, judices, Leuconem jure ac merito immunitatem a vobis esse consecutum. Ac earum rerum omnium columnas ejusdem sententiæ, et vos et ille erexistis, aliam Bospori, aliam in Piræeo, aliam ad Templum. Considerate igitur, in quam immensum dedecus lex ista vos conjiciat, quæ efficit, ut minus fidei in toto Populo quam in uno viro esse videatur. Nec enim putandum est alio nomine vobis erectas eas esse columnas, nisi ut pactiones sint earum rerum omnium, quas tum dedistis, tum accepistis: eas igitur Leuco sancte servabit, vosque aliis atque aliis subinde beneficiis cumulare studebit, vos vero erectas et stantes adhuc columnas irritas facietis; id quod longe gravius est, quam si demoliremini. Nam, si ita fiet, hæ columnæ dum steterint, eorum convicia, qui civitati nostræ maledictum volunt, suo quasi testimonio comprobabunt. Age vero, si Leuco missis huc legatis vobiscum expostularit, quodnam ob crimen aut delictum se immuni-

tate spoliaveritis, quid per deos immortales respondebimus? aut quid is, qui senatusconsultum pro vobis faciet, prætexet? Illud scilicet, quosdam indignos frui immunitatibus? At si ad hoc ille responderit: fortassis etiam Atheniensium nonnullos esse parum frugi, se tamen propterea non pati, ut bonis viris id fraudi sit, sed quia Populum bonum putet, nemini quicquam eripere; an non æquiora dicet quam vos? omnino, mea quidem sententia. Apud omnes enim homines usitatum est, propter benemeritos, etiam alios quosdam potius, quorum nullus usus est, afficere beneficiis, quam propter improbos eripere quæ concessa fuerunt his qui citra controversiam digni sunt beneficio. Præterea, si quis forte voluerit Leuconem ad permutationem facultatum adigere, quo id caveri possit non reperio. Semper enim opes illius aliquæ apud vos sunt: hac igitur lege, si quis eas invaserit, aut illis spoliabitur, aut obire publica munera cogetur. Neque vero de sumptibus Leuco magnopere laborabit, sed id demum moleste feret, sibi concessum a vobis donum eripi.

11. Neque, Athenienses, hoc solum providendum est, ut ne injuria Leuco afficiatur, qui non tam aliqua necessitate quam sui honoris causa, immunitatem a vobis impetrare studuit: sed id quoque considerari debet, ne is, qui secundis suis rebus in vos beneficus exstitit, nunc demum, cum remuneratione liberalitatis opus est, immunitate spolietur. Iste igitur quis est? Epicerdes Cyrenæus, qui certe, si quisquam alius, jure ac merito istum honorem est consecutus: non quod magna quædam aut admiranda præstiterit, sed quod tali tempore vestro benefacere vobis studuit, quo difficile erat eorum aliquem invenire, qui magnis beneficiis affectus, nemor et gratus esse vellet. Nam iste vir, ut senatusconsultum, quod tum ejus causa factum est, indicat, civibus eo tempore in Sicilia captivis, tanta calamitate circumventis centum minas dedit: qua re unus maxime cavit, ne fame perirent universi. Deinde, data illi propterea immunitate a vobis, cum videret in bello paulo ante Triginta *tyrannos* gesto, Populo deesse pecuniam, ultro talentum obtulit. Considerate igitur obsecro, Athenienses, quodnam evidentius benevolentiæ erga vos specimen quisquam præbere possit, quemve minus affici deceat injuria, quam eum, qui primum, cum cladi urbis interfuisset, calamitosos et eorum, quæcunque futura esset, gratiam, illis qui eo tempore vicerant, et apud quos erat, prætulerit: deinde, qui alia necessitate animadversa, pecuniam largitus sit, non de suis privatis opibus conservandis sollicitus, sed de eo, ut quantum in se esset, vos nulla penuria laboraretis? Eum igitur qui reipsa miserrimis temporibus opes suas Populo ita communes esse voluit, et verbo tenus ac honoris tantum causa immunitatem a vobis habet, non immunitate spoliabitis,—qua eum ne usum quidem esse constat—, sed id efficietis, ut nemo vobis fidere ausit: quo quid queat esse tur-

pius? Sed ipsum senatusconsultum, quod tum hujus viri causa factum est, vobis recitabitur. Et videte, Athenienses, quot senatusconsulta lex ista irrita faciat, et quot homines fraudet, eosque qui cum maxime necessarium fuit vobis benefecerunt! Invenietis enim eos lædi quos minime oportebat. Recita.

SENATUSCONSULTA.

12. Beneficia quibus Epicerdes immunitatem meruit, e senatusconsultis, judices, audivistis. Ne vero id spectate, quod primum centum minas, deinde talentum dedit,—nam ne eos quidem qui acceperunt pecuniæ numerum admiratos esse arbitror—, sed hoc intuemini, quod alacri animo, quod non rogatus, ultro, quod illis temporibus dedit. Etenim referenda gratia est cum benemeritis omnibus: tum vero eis qui tempestive beneficia dederunt; quorum unum hunc virum esse ostensum est. Nonne igitur nos pudeat, Athenienses, talis viri liberos, quibus nihil objicere possumus, nulla omnino harum rerum habita ratione, immunitate spoliare? Nec enim, propterea id minus turpe futurum est, quod alii fuerunt, qui tum ab eo servati sunt, atque immunitatem ei dederunt, alii vos estis, qui nunc eam eripitis: sed hoc ipsum est, quod indignationem moveat. Nam si illi, qui sciverunt et acceperunt beneficia, tali remuneratione digna ea censuerunt, nos vero qui duntaxat audivimus, ea dona tanquam indignis eripiemus, an non id erit indignissimum? Eadem etiam de iis dico, qui Quadringentorum tyrannidem destruxerunt, et de iis qui, cum secessisset Populus, bonam operam navarunt. Omnibus enim illis insignem injuriam fieri crediderim, si quicquam eis quod tum concessum fuit, nunc eriperetur. Si quis autem vestrum persuasum habet, longe abesse, ut civitati nostræ talis aliqua necessitas ingruat, is vota quidem diis faciat, idque ego una faciam: primum vero consideret, de lege ferenda esse suffragia, qua comprobata utendum erit, deinde malas leges etiam florentibus rebuspub. nocere. Nullæ enim rerum vicissitudines essent, nisi constitutos in periculis bonæ tum actiones, tum leges, tum boni viri, et accurata ratio rerum omnium erigerent et proveherent: eis vero qui felicissimi videntur, omnia hæc neglecta, paulatim effluerent. Nam plerique mortalium, rectis consiliis, et vigilantia minimis etiam in rebus, opes parant: sed eas iisdem rationibus tueri nolunt. Quod ne nunc vobis usu veniat cavendum est, neque existimandum talem legem ferendam esse, quæ nostram urbem et rebus secundis infamia repleat, et, mutata fortuna, efficiat, ne quisquam sit qui nobis benefactum velit.

13. Neque vero id solum cavendum est, Athenienses, ne injuria lædantur, qui privatim vobis benefacere voluerunt, et se talibus et

tantis temporibus utiles præbuerunt, qualia paulo ante Phormio recensuit, et ego modo dixi; sed multi etiam alii, qui totas civitates, patrias suas, Laconico bello, societate nobiscum conjunxerunt, tum dicendo quæ reipublicæ vestræ prodessent, tum agendo: quorum aliqui ob benevolentiam erga vos patria carent. Ac inter illos, Corinthiorum exsules primi occurrunt: cogor autem ea dicere apud vos, quæ ipse e natu majoribus inter vos audivi. Ac cetera in quibus nobis utiliter inservierunt, omittam. Sed, cum magnum illud cum Lacedæmoniis prælium ad Corinthum committeretur: deliberantibus his qui in urbe erant, post pugnam, de militibus intra mœnia non recipiendis, sed de caduceatoribus ad Lacedæmonios mittendis, hi cum viderent nostram urbem adversa fortuna usam, et Lacedæmonios iter nostris interclusisse, non prodiderunt eos, neque seorsim suæ saluti consuluerunt; sed, quamvis universi Peloponnesenses armati in propinquo essent, portas nobis, invita et repugnante multitudine, aperuerunt, ac præoptarunt cum vestris qui eo tempore militabant, si res ita ferret, quidvis potius perpeti, quam extra periculum sine vobis incolumes evadere, exercituque in urbem introducto, tum vos tum socios conservarunt. Deinde pace cum Lacedæmoniis facta, duce Antalcida, ob hæc facta in exsilium acti sunt a Lacedæmoniis. Vos vero susceptis iis, bonorum virorum functi estis officio. Decrevistis enim eis omnia quibus indigebant. Nunc vero an ea rata esse debeant, deliberamus? Sed isthæc ipsa deliberatio turpis vobis futura est, ubicunque auditum fuerit, Athenienses consultare, utrum relinquenda sint ea, quæ bene meritis data fuerint. Jam olim enim hæc et meditata et decreta esse oportebat. Sed hoc quoque senatusconsultum recita.

SENATUSCONSULTUM.

Quæ Corinthiis propter vos in exsilium actis decrevistis, judices, hæc sunt. Quod si quis illa tempora intuens, sive ipse interfuisset, sive aliquem rei gnarum commemorantem audivisset, nunc legem hanc illis temporibus data dona eripientem audiret, quantæ malitiæ legis istius approbatores condemnaret! Qui urgente necessitate tam humani essemus ac nihil non faceremus, post vero votorum omnium facti compotes, ita ingrati et malitiosi deprehenderemur, ut non contenti spoliasse eos qui dona accepissent, etiam legem tulissemus ne cui honorem habere liceret. Haud injuria nimirum, nam indigni quidam donis fruebantur: hoc enim in oratione sua passim inculcabunt. Age vero num nos illud ignorare dicemus, de dignitate, tum cum damus, esse judicandum, non longo post temporis intervallo? Nam initio non tribuere aliquid, prudentium hominum est: eos autem qui habent spoliare, invidentium. Quam opinionem a

nobis amotam esse decet. Præterea de judicio dignitatis, ne illud quidem apud vos dicere verebor; aliam ejus esse considerationem apud civitatem, aliam apud hominem privatum. Privatim enim quisque consideramus, quis affinis aut quis ad alias necessitudines adjungendas sit deligendus; quæ res et legibus quibusdam et opinionibus definitæ sunt: publice vero civitas et Populus id spectat, a quonam beneficiis afficiatur et conservetur; de eo non genere aut opinione, sed ex ipso facto, judicari solet. Cum igitur beneficiis indigebimus, neminem impediemus, quo minus nobis benefaciat: acceptis vero jam beneficiis, tum demum de dignitate ejus qui ea dedit, disputabimus? nonne præclarum consilium hoc erit!

14. An vero his solis id accidet, et de his solis tam multa verba facio? minime vero. Immo ne conari quidem ausim eos omnes conquirere, qui, cum benefici in vos fuerint, lege hac perlata, suis præmiis spoliabuntur: proferam tamen unum duntaxat adhuc aut alterum senatusconsultum, et post his de rebus verba facere desinam. Primum igitur, Thasios, qui Ecphantum secuti sunt, an non afficietis injuria, immunitate erepta? qui Thaso vobis tradita, et præsidio Lacedæmoniorum armis ejecto, ac introducto Thrasybulo, et patriæ suæ amicitia vobis conciliata, in causa fuerunt ut se et finitimi Thraces vobiscum conjungerent: deinde, Archebium et Heraclidem? qui cum Byzantium Thrasybulo tradidissent, vos Hellesponti dominos effecerunt, ita ut decimas venderetis, et, magna pecunia coacta, Lacedæmonios cogeretis talem facere pacem, qualis vobis expediat. Quibus, Athenienses, deinde ejectis, decrevistis ea quæ decerni par est viris benemeritis, qui propter vos exsulabant, hospitium, beneficium, rerum omnium immunitatem. Eos igitur qui propter vos patria carent, et jure aliquid a vobis impetrarunt, spoliari sinèmus cum nihil sit in quo eos accusemus? turpe id quidem fuerit.

15. Idque potissimum perspicietis, si hoc nimirum pacto rationem apud vos instituetis. Si eorum aliqui qui jam Pydnam, aut Potidæam, aut aliam urbem aliquam, quæ nunc Philippo paret, vobis inimica est eodem modo, quo tum Thasus et Byzantium, conjuncta cum Lacedæmoniis, a vobis aliena erant, se tradituros pollicerentur, vosque eis eadem dona daretis, quæ Ecphanto Thasio, et Archebio Byzantino dedistis; et istorum aliqui illis adversarentur, hæc dictitantes: non esse ferendum, siqui soli ex aliis inquilinis munera ædilitia non obirent: quomodo erga illos qui ea dicerent, affecti essetis? Sane non dubium est, vos eos tanquam calumniatores exsibilaturos. Turpe igitur fuerit, si cum accipienda beneficia essent, pro calumniatoribus haberetis eos qui talia dicerent: ac eisdem, cum disputant, olim bene meritos nunc esse spoliandos, aures præberetis. Age vero illud etiam consideremus. Qui Pydnam et Potidæam, ceterasque urbes Philippo prodiderunt, quibus tandem

rebus impulsi nos affecerunt injuria? Sane omnibus perspicuum est, exspectatione magnorum a Philippo munerum id esse factum. Utrum igitur, Leptine, te magis decuit, hostibus si potes, suadere, ne honorem habeant proditoribus, qui eo ipso quo nos læserunt, benefici in hostes nostros exstiterunt, an legem hanc nobis ferre, quæ aliqua data benemeritis de nobis præmia eripiat? ego quidem illud potius esse censeo. Verum ne longius ab instituto digrediar, cape senatusconsulta, quæ Thasiis et Byzantinis scripta sunt. Recita.

SENATUSCONSULTA.

Senatusconsulta quidem, judices, audivistis. Fortassis autem ex istis nonnulli obierunt; at res gestæ adhuc exstant postquam semel gestæ sunt. Columnas igitur eas in perpetuum ratas esse sinitote, ut ne, dum ulli superstites fuerint, injuria per vos afficiantur: et ut postquam obierint, moris civitatis nostræ monimentum sint, et tanquam exempla proposita bene de nobis mereri cupientibus, quæ moneant, nostram urbem gratiam de se benemeritis retulisse. Atque illud etiam, Athenienses, vos ne lateat, turpissimum esse, cum omnes homines tum videant tum audiant calamitates, in quas isti viri inciderunt, omni tempore ratas illis mansisse, præmia, quæ pro illis acceperunt, a vobis irrita esse facta. Multo enim convenientius erat, manentibus donationibus, infortunia minuere, quam eripere præmia, calamitates relinquere. Nam quis est, Deum immortalem! qui vobis benefacere velit, si conatus non successerint, mox hostibus pœnas daturus: sin successerint, dubiam a vobis gratiam initurus?

16. Molestissimum vero, judices, mihi fuerit, si hoc nomine duntaxat legem jure accusarem, quod multis externis bene de repub. meritis immunitatem eripiat: civium vero neminem proferre possem, cui merito is honos contigisset. Nam cum aliarum opum maximam apud vos esse copiam optarim, tum præstantissimos viros, ac plurimos de republica benemeritos cives esse. Primum igitur Cononem intuemini, utrum æquum sit, vel illum virum, vel res ab eo gestas, reprehendi, ac donationes illi factas abrogari. Is enim, ut e vestrum quibusdam, qui æquales illi fuerunt, audire licet, post Populi e Piræeo reditum, urbe nostra infirma, et nullam omnino navem possidente, cum regi Persarum exercitum duceret, a vobis nulla re prorsus adjutus, navali prœlio Lacedæmonios superavit, et qui prius aliis imperare consuerant, eos vobis parere docuit, et Laconum magistratus ex insulis expulit; deinde huc profectus, mœnia restituit; et primus effecit, ut nostra urbs rursus de principatu cum Lacedæmoniis disputaret. In sola enim illius ex omnibus columna scriptum est, his verbis: postquam Cono socios Atheniensium liberavit - - - Est autem ea inscriptio, judices, illi quidem

apud vos honorifica, vobis vero apud Græcos universos. Nam quisquis nostrum in alios beneficia confert, ejus facti gloria nomen civitatis fruitur. Quapropter illi tum non tantum immunitas decreta est, sed primus fuit, cui, quemadmodum Harmodio et Aristogitoni, ærea statua decerneretur. Putabant enim, eum qui Lacedæmoniorum imperium evertisset, non parvam tyrannidem destruxisse. Ut igitur majus apud vos pondus sit orationis meæ, ipsa senatusconsulta, quæ tum Cononi facta sunt, vobis legentur. Recita.

SENATUSCONSULTA.

Neque vero a vobis solum Cono, Athenienses, tum honoratus est, illis rebus gestis quas recensui, sed a multis etiam aliis, qui jure putabant, gratiam illi pro acceptis beneficiis esse referendam. Quare turpe est, Athenienses, honores ab aliis ei habitos ratos esse, vestrum vero solum ei eripi. Nec illud honestum, viventem eum tanti fecisse, ut ita quemadmodum auditum est, ornaretis: postquam vero mortuus est, oblitos eorum omnium, aliquid ex illis quæ tum ei data sunt, eripere. Nam cum ab eo multa laude digna gesta sint, propter quæ omnia non convenit, datas illi donationes tollere; omnium pulcherrimum est, instauratio mœnium. Id quod inde cernitur, si quis conferat, quomodo Themistocles, vir omnium ætatis suæ celeberrimus, illud ipsum perfecerit. Eum igitur ferunt edixisse civibus, ut mœnia struerent, et, si quis Lacedæmone venisset, eum detinerent, ipsum ad Lacedæmonios legatum abiisse: cum vero illic verba fierent, et quidam nunciarent, Athenienses mœnia struere, negasse, utque legatos rei explorandæ causa mitterent jussisse; illis vero non revertentibus, monuisse ut alios mitterent - - - Sed omnes fortassis audivistis, quomodo Lacedæmonios decepisse dicatur. Ego igitur aio,—quæso autem, Athenienses, ne invidiosa sit oratio mea, sed id spectetur, an vera sit!—quanto aliquid aperte quam clam, et victoria quam fraude perficere, præclarius est, tanto pulcrius Cononem condidisse mœnia quam Themistoclem. Hic enim ignorantibus, ille victis iis qui prohibituri erant, hoc effecit. Non igitur decet, talem virum injuria a vobis affici, aut minus apud vos valere quam oratores, qui vobis persuadere volunt, aliquid auferendum esse, quod illi concessum sit.

17. An vero permittemus, ut Chabriæ filio immunitas eripiatur, quam ei pater jure a vobis acceptam reliquit? sed neminem sanæ mentis hominem fore existimo, qui id rectum esse censeat. Scitis fortassis, etiam sine mea oratione, præstantem virum fuisse Chabriam: nihil tamen prohibet, me quoque res ejus gestas breviter attingere. Quem igitur ad modum, cum vos ejus ductu militaretis, ad Thebas cum universis Peloponnesensibus dimicarit, quo pacto

Gorgopam in Ægina occiderit, quot in Cypro tropæa erexerit, et deinde in Ægypto, et universa terra prope dixerim peragrata, nusquam neque nomini civitatis nostræ, neque sibi ipsi dedecori fuerit: omnino facile non est pro dignitate dicere, et magnum dedecus fuerit, me hæc commemorante, minora videri ea opinione, quam apud animos quique vestros de eo concepistis. Quæ vero me dicendo nequaquam extenuaturum puto, ea vobis in memoriam redigere conabor. Prælio igitur navali vicit Lacedæmonios, et undequinquaginta triremes captivas abduxit; cepit et insularum harum plerasque, et eas nobis amicas reddidit, cum prius infestæ essent; ter mille captiva corpora huc misit, et amplius decem et centum talenta e præda redegit: quarum rerum omnium, vestrum quidam natu maximi testimonium mihi perhibebunt. Præter hæc alias triremes ultra viginti cepit, singulis vel binis potitus; quas universas in vestros portus perduxit: unus denique omnium imperatorum, non urbem, non castellum, non navem, non militem unum amisit, dum vobis imperaret: nec ullus vestrorum hostium ullum tropæum de vobis et illo erexit; vos multa de multis, illo duce. Ne autem dicendo prætercam ullum ejus præclarum facinus, de scripto vobis recitabuntur et naves quas cepit, et quo loco singulas, et urbium numerus, et pecuniæ multitudo, et tropæorum, quo quodque loco sit erectum. Recita.

RES GESTÆ CHABRIÆ.

Num dignus vobis videtur, Athenienses, is qui tot urbes cepit, tot hostium triremes navali prælio vicit, reipublicæ tantam gloriam et felicitatem peperit, nunquam ullam maculam adspersit, immunitate ut spolietur, quam a vobis consecutus, filio reliquit? ego quidem non opinor. Etenim absurdum esset, una urbe et decem navibus duntaxat amissis, eum ab istis proditionis accusandum, et convictum, in perpetuum fuisse periturum: quum vero urbes sedecim, naves septuaginta ceperit, et ter mille captivos, et decem ac centum talenta redegerit, cum tot tropæa erexerit, tum demum de his quæ ob ista facinora accepit illi facessi negotium!

18. Equidem, Athenienses, tum vivus pro vestris commodis omnia fecit Chabrias, tum non aliam ob rem mortem oppetiit: quare non tantum ob res ab eo vivente gestas filio ejus favere debetis, sed etiam propter obitum. Jam illud quoque, Athenienses, providendum est, ne gratitudine a Chiis superemur. Nam si illi, quos armis hostiliter invasit, nihil ei nunc, quod olim dederant, ademerunt, sed plus valere passi sunt vetera beneficia, quam recentes offensas; vos vero, pro quibus apud illos occubuit, tantum abest ut propterea majores honores illi decernatis, ut etiam ob vetera beneficia factas illi donationes eripiatis: an non jure optimo vituperemini? Quin ea quoque de causa inique agetur cum Chabriæ filio, si dono spoliabitur, quod cum sæpe duxerit exercitum Chabrias, propter eum neminis vestrum filius pupillus factus est, ipse vero in prima ætate patre orbatus est, propter ejus insigne studium erga vos. Nam quam caram rempublicam habuerit, verissime constantissimeque ex eo posse intelligi puto, quod cum et haberetur et esset dux omnium cautissimus neque quicquam temere aggrederetur, ea solertia cum nobis imperaret, pro vobis usus est: pro se ipso autem, cum suum cornu periclitaretur, neglexit, atque occumbere maluit, quam honores sibi a vobis decretos dedecorare. Pro quibus igitur ille rebus vel oppetendum vel vincendum esse censuit, eas nos ejus filio eripiemus? Ecquid dicemus, Athenienses, cum tropæa quidem universis hominibus in conspectu erunt quæ ille dum vester imperator esset erexit: præmiorum autem quæ propterea illi data sunt aliquid auferetur? An non illud considerabitis et perpendetis, Athenienses, non nunc de lege judicium fieri, utrum ea valere, an abrogari debeat: sed de vobis, utrum in posterum vobis benefieri debeat, necne? Age cape et senatusconsultum quod Chabriæ factum est.—Vide ac circumspice; nam id hic alicubi esse oportet - - -

19. Ego vero etiam hoc amplius pro Chabria dicam. Vos, Athenienses, cum quodam tempore Iphicratem honoraretis, non eum solum honorastis, sed, propter illum, Strabacem etiam et Polystratum. Ac iterum cum donum daretis Timotheo, propter illum etiam Clearchum et quosdam alios civitate donastis. Chabrias vero ipse apud vos honoratus est solus. Si tum igitur cum donum consecutus est, petiisset a vobis, ut quemadmodum propter Iphicratem et Timotheum, quibusdam benefecistis, sic et sua causa benefaceretis aliquibus, qui immunitatem consecuti, nunc ab istis ita exagitantur, ut propter eos immunitatem jubeant omnibus eripi: annon similiter illi in eo gratificati essetis? ego quidem id arbitror. Quibus igitur propter ipsum donum hoc tum dedissetis, propter eos nunc illum ipsum immunitate spoliabitis? absurdum id est. Nec enim de vobis sic existimari convenit, ut, dum recentia et in conspectu adhuc sunt beneficia, promptissime non tantum ipsos beneficiorum auctores, sed et eorum amicos honoretis: paulo post vero etiam ea quæ ipsis dedistis, eripiatis.—

SENATUSCONSULTUM DE CHABRIÆ HONORIBUS.

Quos igitur, nisi legem illam abrogabitis, afficietis injuria, præter alia multa quæ audivistis, hi sunt, judices. Considerate autem apud vosmetipsos; si qui ex hisce defunctis aliquo pacto quid in

præsentia ageretur, cognoscerent, quam justa indignatione moverentur! Nam quæ unusquisque re ipsa in vos beneficia contulit, de illis e sermone si fit judicium, et res ab illis præclare gestæ, si a nobis male narrentur, frustra ab illis susceptæ, magnisque laboribus confectæ sunt, an non iniquissime cum illis agitur?

20. Ut autem videatis, Athenienses, nos revera nihil iniqui oratione nostra complecti, neque quicquam dicere, quo fucum vobis faciamus: recitabitur vobis ea lex, quam illius loco, quam repudiandam dicimus, substituendam censemus. Ex hac enim cognoscetis, curæ nobis esse, tum ne quid vos admittere turpe videamini, tum, ut si quis immunem aliquem insimulat, adductum in judicium apud vos, si æquum sit, mulctet, tum, ut potestas immunitatis concedendæ vestra sit, quod æquum esse nemo negavit, tum, ut bene meriti suis præmiis secure fruantur. Nec horum omnium quicquam nostrum est, nuper a nobis excogitatum; sed antiqua lex, quam iste violat, sic leges ferre jubet: primum, si qua recepta lex mala videatur, eam ut accuset, deinde, illa abrogata, ut ipse aliam substituat, vos vero potiorem præferatis. Nec enim Solo, a quo hæc ferendarum legum ratio proposita est, censuit sexviros, qui legum gratia forte creantur, inire magistratum oportere, non prius quam bis probati essent, cum in Senatu, tum apud vos in judicio: leges vero ipsas, ad quarum præscriptum, et eis magistratum gerere, et aliis in republica versari convenit, temere ac fortuito latas, priusquam examinentur, ratas esse oportere. Nam illis temporibus hæc ratio erat: ut latis ante legibus uterentur, novas vero nullas ferrent. Postquam vero quidam e magistratibus, qui magnas opes habebant, ut ego quidem audio, perfecerunt, ut leges sibi ferre liceret, quandocunque et quocunque modo libitum esset: tot inter se contrariæ leges exstiterunt, ut vos deligatis aliquos, qui jam diu nihil aliud agunt, nisi ut contrarias seligant, et rei hujus nihilo tamen magis exitus aliquis reperitur; neque quicquam prorsus a senatusconsultis leges differunt, adeo ut leges, ad quarum præscriptum senatusconsulta scribi debent, ipsis senatusconsultis sint recentiores. Ut igitur non tantum verba afferam, sed legem ipsam, de qua loquor, ostendam. Cape legem, qua quondam legumlatores constituebantur. Recita.

LEX.

21. Intelligitis, Athenienses, quo pacto, et quam præclare leges ferre Solo jubeat; primum apud vos, qui jurati estis, apud quos etiam alia confirmantur, deinde contrariis legibus abrogatis: ut singulis de rebus leges singulæ sint, neque homines imperitos id turbet, et efficiat ut deteriore conditione sint quam qui universas cognitas et perceptas habent; sed ut jura simplicia et perspicua legere et intelligere liceat omnibus. Quin etiam ante hæc, jussit ante Statuas Heroum, a quibus cognominatæ tribus sunt, proponere, et scribæ tradere, qui eam in concionibus legeret, ut unusquisque vestrum sæpe audita, et per otium considerata, ea quæ justa essent et utilia suis suffragiis comprobaret. Quamvis igitur tot jura in promptu sint, Leptines tamen nihil horum fecit; nec enim vobis unquam persuasum esset, opinor, ut legem hanc juberetis: nos vero, Athenienses, omnia, legemque item substituimus multo istius lege præstantiorem, et æquiorem. Id quod audita re cognoscetis. Cape et recita primum quæ in istius lege accusavimus, deinde, quæ illorum loco poni debere asserimus. Recita.

ACCUSATIONES LEGIS.

Hæc sunt quæ in ista lege damnemus, tanquam non convenientia. Recita etiam ea quæ sequuntur, quæ istis potiora dicimus. Animadvertite, Judices, dum hæc leguntur, diligenter. Recita.

LEX SUBROGATA.

Desine. Hoc igitur est in receptis legibus, Athenienses, pulcrum et perspicuum, ut dona quæ Populus concessit rata sint: justum hoc est omnino, medius fidius! Decuisset igitur, Leptinem non prius suam ferre legem, quam veterem hanc accusatam abrogasset: nunc vero cum eam, ceu testimonium contra semetipsum reliquerit legum a se violatarum, nihilominus istam legem tulit; idque, cum alia lex jubeat, et ob hoc accusationi obnoxiam esse, si veteribus legibus adversetur. Cape ipsam legem.

LEX.

Contrarium igitur est, Athenienses, rata esse dona quæ Populus dederit, neminem eorum immunem esse quibus Populus id dederit? evidenter utique. Nequaquam vero in hac lege quæ jam substituitur, idem usuvenit: sed tum ea quæ vos dedistis, rata sunt, tum justa in eos actio relinquitur, qui vel fraude aliquid impetrarunt, vel deinceps injuste agunt, vel prorsus indigni sunt, qua actione cuicunque vobis visum erit, donum eripietis. Recita legem.

LEX SUBROGATA.

Auditis, Athenienses, et intelligitis, cautum hic esse, ut et digni quæ data sunt teneant, et qui tales judicati non fuerint, si quid injuste acceperunt, eo priventur, et deinceps in vestra manu sit, sicut æquum est, quælibet vel dare vel non dare. Legem hanc igitur non præclaram et æquam esse, nec dicturum arbitror Leptinem, nec, si dixerit, posse demonstrare: quæ vero apud sexviros dixit, ea fortassis hic repetens, vos circumducere conabitur. Aiebat enim, imposturæ gratia legem hanc esse substitutam: si vero ea quam ipse tulerit, abrogetur, non perlatum iri. Ego vero, ista lege vestris suffragiis abrogata, substitutam illius loco ratam esse, antiqua lege perspicue juberi, secundum quam sexviri nobis hanc surrogarunt, omittam; nequis mihi controversiam ea de re faciat: sed illuc venio. Cum hæc dicit, nimirum confitetur, meliorem et æquiorem esse hanc legem ea, quam ipse tulerit: de eo vero verba facit, quomodo sit perferenda. Primum igitur multæ illi viæ propositæ sunt, quibus substituentem, si nolit, cogat ad ferendam alteram legem; deinde spondemus ego et Phormio, si quem alium vult, nos legem laturos esse. Constat autem legem esse apud vos: s i q u i s, p o l l i c i t a t i o n i b u s, v e l P o p u l u m v e l S e n a t u m v e l J u d i c i u m d e c e p e r i t, e u m c a p i t e m u l c t a n d u m. Spondemus, pollicemur: sexviri scribunto hæc: his conditionibus res peragitor! Sic neque vos quicquam vobis indignum facietis; neque, si quis dono quod consecutus indignus est, id tenebit: sed seorsim lege hac in judicium adducetur! Si vero verba hæc et nugas esse dicet, illæ certe nugæ non sunt: ipse legem ferat, neque hoc dicat, nos eam laturos non esse. Præclarius profecto est, ut eam legem, quam vos approbaveritis, ferat, quam eam valere, quam ipse sua auctoritate commentus est.

22. Mihi vero videtur, Athenienses,—sed quæso te, ne mihi irascaris; nam mali de te nihil dicam—Leptines leges Solonis aut non legisse, aut non intellexisse. Nam cum legem Solo tulerit, l i c e r e, c u i l e g i t i m i l i b e r i n o n s i n t, q u e m l i b i t u m s i t, h æ r e d e m i n s t i t u e r e; non ut genere proximos jure propinquitatis fraudaret, sed ut utilitate in medium proposita efficeret, ut homines inter se certarent beneficiis: tu contra non dubites auctor esse, n e q u i c q u a m P o p u l o d e s u i s o p i b u s l i c e a t a l i i s i m p e r t i r i; quo modo quisquam dixerit te Solonis leges vel legisse, vel intellexisse? Cum efficias ne quis Populo studeat, dum prædicis et ostendis, benemerentibus nullam omnino sperandam esse remunerationem. Quin illa etiam Solonis lex est e laudatarum numero, m o r t u o n e m i n i m a l e d i c e n d u m, e t i a m s i q u i s a l i b e r i s e j u s i n c e s s a t u r m a l e d i c t i s; tu vero non maledicis, sed malefacis mortuis bene meritis, illum nescio quem reprehendens, et illum indignum esse dictitans, id quod ad illos plane nihil attinet; an non igitur a mente Solonis et sententia longissime recedis?

23. Quidam autem serio mihi nunciavit pro defensione ejus, n e q u i c q u a m c u i q u a m d e t u r, q u i c q u i d t a n d e m p r æ s t i t e r i t, eos dicere paratos esse; neque Lacedæmonios qui bene rempublicam gerant, neque Thebanos cuiquam e suis ullum talem honorem decernere: cum verisimile sit etiam apud illos præclaros aliquos esse viros. Mihi vero videntur ista verba, Athenienses, valere illa quidem ad vos movendos et eo abducendos ut immunitates tollatis, sed a justitia plurimum abhorrere. Nec enim hoc ignoro, Thebanos, et Lacedæmonios, et nos neque legibus iisdem, nec institutis uti, nec forma reipublicæ. Nam idipsum quod nunc isti facient, si hæc dicturi sunt, interdictum est apud Lacedæmonios, [ne vel Atheniensium, vel aliorum quorundam instituta recitent, aut laudent] minime profecto id conceditur: sed quæ eorum in administranda republica rationi consentiunt et conducunt, ea cum laudare tum facere necesse est. Deinde Lacedæmonii etsi a talibus institutis abhorrent: alii tamen quidam honores apud eos sunt in usu, quos hic recipi Populus omnino detestetur. Qui sunt igitur illi? Singulos equidem non commemorabo: sed unum tantum proferam, qui ceteros in se continet. Cum aliquis, spectata virtute, in Senatum allectus fuerit, dominus est multitudinis. Nam illic virtutis præmium est, cum æqualibus in potestate civitatem habere. Sed apud vos quidem reipublicæ dominus est Populus, atque magistratus et leges cautiones sunt, ne quis alius ea potiatur: præstantibus autem viris præmia sunt proposita coronæ et immunitates et victus in curia et ejus generis alia. Et utraque hæc, tum quæ ibi, tum quæ hic fiunt, bene constituta sunt. Quamobrem? Quia oligarchias id ad concordiam provehit, cum omnes reipublicæ domini eodem jure sunt: Populorum autem libertatem custodiunt præstantium virorum certamina, quæ inter se propter honores qui a Populo haberi solent suscipiuntur. Jam quod ad Thebanos attinet, qui neminem honorent, illud vere mihi dicturus videor. Majori laudi, Athenienses, Thebani sibi ducunt crudelitatem et improbitatem, quam vos humanitatem et justitiam vobis. Neque igitur illi, si quid optandum est, unquam desinant de se bene meritos neque honorare, neque admirari, et cognatos suos—scitis enim quomodo cum Orchomeniis egerint—sic tractare: neque vos, his contraria studio habere, ut et benemeritis honores decernatis, et jus vestrum a civibus facta dicendi potestate secundum legum decreta consequamini. Denique tum demum leges et instituta aliorum laudanda censeo, et vestratia

reprehendenda, cum demonstrari poterit illos vobis esse feliciores: quamdiu autem vos benignitate deorum magis quam illi floretis, sive communes actiones spectentur, sive concordia, sive cetera omnia, quæ causa est cur vestris institutis neglectis, illa persequamini? Nam tametsi illa, si ratio spectetur, meliora viderentur, at fortunæ certe causa, quam hisce usi propitiam habuistis, nostra retinere conveniebat. Quod si omissis his omnibus id dicendum est, quod justum esse arbitror, sic ego dixerim. Non justum est, Athenienses, Lacedæmoniorum, aut Thebanorum leges prædicare, ad nostras hasce labefactandas: neque consentaneum est, cum eum qui tale aliquid apud nos machinaretur, per quæ illi magni sunt, interemptum velletis; vocem tamen ejus sustinere, qui ea tolli et aboleri jubet, in quibus Populi felicitas consistit.

24. In promptu illis est etiam alia ratio, apud nos majorum quoque nostrorum temporibus quosdam præclare se gessisse, quibus tale nihil delatum sit, sed eos boni consuluisse inscriptionem aliquam in statuis Mercurialibus: et fortasse vobis aliquem talem inscriptionem ex iis recitabit. Ego vero, Athenienses, multis de causis hæc reipublicæ inutiliter, atque etiam injuste, dici censeo. Nam si quis illos quoque honore indignos fuisse dixerit, dicat, quis dignus sit: [si neque ante illos, neque post quisquam:] quod si neminem omnino dicet, equidem urbis nostræ vicem doleo neminem omnibus sæculis beneficio dignum exstitisse. At si præstantes viros eos fuisse fatebitur, et nihil tamen esse consecutos ostendet, civitatem utique accusat ingratitudinis. Plurimum vero abest, ut hæc ita sint: sed si quis malitiose ac fraudulenter orationem in res non convenientes transtulerit, aliter profecto fieri non potest, quin ea molesta et absurda videatur. Ego vero, quod æquum et verum est, id ad vos dicam. Fuerunt superiori ætate multi viri præstantes, et eos etiam tum resp. nostra honoravit: honores igitur et cetera omnia fiebant, pro illius ætatis consuetudine, nunc vero nostro more geruntur eadem. Qua igitur hoc de causa dico? Quia dixerim ego illos nihil, quod voluissent, a civitate non impetrasse. Quo argumento id colligo? Quia Lysimacho, uni illius temporis qui reipublicæ profuerat, centum in Eubœa jugera arboribus consiti soli, totidemque nudi dederunt, prætereaque centum argenti minas, et quaternas drachmas in dies singulos. Ac de his Alcibiadis senatusconsultum exstat, in quo hæc scripta sunt. Tunc enim nostra urbs et pecuniis et agro abundabat: nunc vero abundabit; sic enim loquendum est, et non conviciandum. Enimvero quem non putatis nunc tertiam illorum partem immunitati prælaturum? Ut autem hæc a me vere dici appareat, cape senatusconsultum istud. Recita.

SENATUSCONSULTUM.

Fuisse igitur majorum quoque nostrorum moris, Athenienses, ut bonos honorarent, hoc senatusconsultum indicat: si vero non iisdem rebus quibus nos nunc, id jam aliud quiddam est. Quod si concederemus neque Lysimacho, neque cuiquam alteri, quicquam a majoribus nostris fuisse concessum, proptereane justum esset, eos quibus nos aliquid nunc dedimus, eo spoliari? Nec enim qui non dederunt, quod visum eis non est, accusandi sunt: sed hi, qui quod antea dederant, deinde sine justa causa rursus eripuerunt. Si quis enim demonstrare potest, etiam illos aliquid quod dederant ulli eripuisse, non obsto quo minus etiam nos id exemplum imitemur; quanquam id æque inhonestum esset: si vero nemo est qui ullo tempore factum id esse demonstrare possit, cur nos primi talis exempli auctores erimus?

25. Illud autem, Athenienses, quoque considerandum est et in conspectu habendum, quod jurati ad judicium venistis, non legibus Lacedæmoniorum, aut Thebanorum, neque iis quæ olim apud primos majores nostros in usu fuerunt, sed iis quibus illi, quos iste lege sua spoliare conatur, dona consecuti sunt; et quarum rerum leges nullæ sunt, de iis ut ex æquo et bono quam verissime sanctissimeque fieri potest judicetis. Recte! Conferte igitur æquum et bonum cum universa lege! Estne æquum, Athenienses, honorem benemeritis haberi? Æquum! Quid porro? estne æquum, ut quæ semel quis dederit, habere sinat? Æquum. Vos igitur tum ipsi hæc facite, ut jurisjurandi religionem servetis: tum eis qui majores hæc fecisse negant, succensete: tum istos qui talia exempla recensent, eos magnis beneficiis affectos nemini honorem habuisse, et improbos et inurbanos esse arbitramini; improbos, quod majoribus vestris falso crimen ingratitudinis impingunt; inurbanos, quod si maxime verum id esset, negari potius id ab iis, quam commemorari, officii fuisset.

26. Arbitror autem etiam hoc Leptinem dicturum, lege sua nec imagines nec victum in curia eripi eis qui acceperint, nec civitati facultatem adimi honorandi eos quos dignos censuerit: sed licere et æreas statuas decerni, et victum in curia, et quicquid præterea volueritis, hoc uno duntaxat excepto. Ego vero, quod ad ea attinet, quæ civitati se relinquere dicit, tantum respondeo: si quid prius datum cuiquam eripueritis, efficietis, ne quisquam etiam de ullis reliquis donationibus securus esse possit. Nam quæ major fiducia esse debet de imagine, de victu, quam de immunitate, quam prius datam quibusdam eripueritis? Quod si nihil ea in re incommodi inesset, tamen ne illud quidem consultum mihi videretur, eam civitati nostræ necessitatem imponi, qua vel minima beneficia æquare ma-

ximis, vel, nisi id fecisset, ingrata in aliquos esse cogeretur. Jam magnorum beneficiorum sæpe occasionem incidere neque vobis expedit, neque ea fortasse conferre facile est: sed pro mediocribus et quæ in pace tranquillaque repub. liceat assequi, cujusmodi sunt benevolentia, justitia, cura, pro talibus, *inquam*, et expedire mihi videtur, et debere honorem haberi. Quare etiam distinctam rationem donationum esse oportet, ut qua quisque dignus videbitur, eam a Populo accipiat. Quod vero se relinquere ait eis qui sunt honores consecuti, alii simpliciter prorsus et juste responderint, sibi ea relinquenda esse omnia quæ propter accepta beneficia dederitis; alii, esse impostorem eum qui sibi dicat aliquid relinqui. Nam qui beneficiis suis immunitatem meruisse videtur, et eum honorem a vobis adeptus est solum, sive sit hospes, sive etiam civis, postquam is ei ereptus fuerit, quam donationem reliquam habet, Leptine? nullam profecto. Ne igitur eo quod alios ut improbos accusas, illos spolia: neque rursus eo quod illis relinquere te dicis, id eripe quod solum habent. Ut autem simpliciter dicam, non tam illud graviter ferendum est, si ex omnibus aliquem, sive parva sive magna injuria afficiemus; quam si honores, quibus aliquos benemeritos renumerabimur, dubios efficiemus et incertos: neque ego de immunitate potissimum laboro, sed de eo ne ista lex pravam consuetudinem introducat, et talem, ut propter eam omnia, quæ Populus dederit, incerta sint.

27. Ne vero per incuriam decipiamini, fortasse præstat id vobis indicari, quo tanquam callidissimo et nobis maxime contrario invento nituntur ad persuadendam vobis immunitatum abrogationem. Dicturi enim sunt, sumptus hos omnes, [ut sunt ædilitia munera, et gymnasiarchiæ,] ad sacra pertinere, ac proinde minime ferendum esse, ut cuiquam sacrorum immunitas detur. Ego vero, ut aliqui sint horum immunes, quibus hoc a Populo concessum est, æquum esse puto: quod vero isti nunc facturi sunt, si modo ista dicent, non ferendum esse puto. Si enim quæ nullo alio pacto demonstrare possunt æquum esse ut eripiatis, ea per causam religionis perficere instituerint, an non facinus impiissimum et atrocissimum suscipient? Decet enim mea quidem sententia, quæcunque interposito divino nomine aguntur, talia videri, ut nec ab homine facta improbarentur. Aliud autem esse immunitatem habere sacrorum, aliud publicorum munerum, et istos dum publicorum munerum nomen ad sacra transferunt, vos decipere studere, Leptinem ipsum testem vobis adducam. Nam legis initio scribit, Leptines censet, ut ditissimi publica munera obeant, neminem debere immunem esse, exceptis Harmodii et Aristogitonis familiis. Enimvero si idem est sacrorum et publicorum munerum immunem esse, quid in mentem illi venit ut hoc adscriberet? Nec

enim istis sacrorum immunitas data est. Ut autem sciatis hæc ita se habere, cape primum exemplum statuæ, deinde principium legis Leptineæ. Recita.

EXEMPLUM STATUÆ.

Auditis, Athenienses, exemplum statuæ, quod eos immunes esse jubet, sacris exceptis. Recita igitur principium legis Leptineæ.

LEX.

Bene! Desine! Cum scripsisset, ut ditissimi obirent munera, adscripsit, exceptis Harmodii et Aristogitonis posteris. Qua de causa, siquidem obire munera ad sacra pertinet? Nam si hæc dixerit, statuæ contraria scripsisse convincetur. Libenter autem ego Leptinem interrogarim, cujus rei immunitatem aut tu nunc illis te reliquisse dicas, aut majores nostros olim dedisse, ædilitia munera si ad sacra pertinere dixeris? Nam veterum legum auctoritate, tributorum quæ ad bellum pertinent omnium, et instruendarum triremium non sunt immunes: immunitatem porro ædilitiorum munerum, siquidem illa ad sacra pertinent, non habent. Et tamen scriptum est, immunes eos esse. Cujus igitur rei? num tributi quod inquilini solvunt? hoc enim reliquum est. Non certe: sed eorum munerum quæ in orbem redeunt, quemadmodum et statua indicat, et tu initio legis definisti, et omnia superiora tempora testantur; quæ cum longissima intercesserint, neque tribus unquam ulla quemquam ex illorum familia ædilem decernere ausa fuit, neque si quis alius decretus fuit ad permutationem facultatum eos provocare: quare auscultandum illi non est, si his contraria proferre ausus fuerit.

28. Præterea fortassis etiam hoc exagitabunt, quosdam qui se Megarenses et Messenios esse dicant, quorum maxima sit multitudo, immunes esse: et alios quosdam servos et verberones, ut Lycidam, et Dionysium, et qui palam *sunt* convicti esse tales. Si igitur hoc dicent: jubete eos, si fidem sibi a vobis haberi velint, senatusconsulta ostendere, quibus isti immunes sint. Nec enim quisquam apud vos immunis est, nisi eis sit immunitas vel senatusconsulto vel lege data. Hospites quidem publici et procuratores tales apud vos per magistratus facti sunt, quorum unus est Lycidas: sed aliud est esse hospitem, aliud habere immunitatem. Ne igitur vos seducant; nec quia servus Lycidas et Dionysius, et alius aliquis, per eos qui mercede conducti talia facile scribunt, hospites facti sunt, propterea alios dignos, et liberos, et optime promeritos, donationibus quas jure a vobis acceperunt spoliare studeant. Nam vel hac ratione cum

Chabria iniquissime ageretur, si isti qui rempub. hoc modo gerunt, hoc uno non contenti, servum ejus, Lycidam, vestrum hospitem fecisse; etiam propter illum aliquid ipsi concessum rursus eripuerint, falsam præsertim causam prætexendo! Nec enim vel iste, vel quisquam alius, etiamsi hospes sit, propterea immunis est, nisi cui claris verbis Populus immunitatem dederit: istis vero non dedit, nec id demonstrare poterunt; sin impudenter affirmabunt, nihil præclari facient aut laude dignum.

29. Jam quod omnium maxime cavendum vobis est, Athenienses, id adjiciam. Nam si quis omnia quæ Leptines de lege dicet, et quibus ostendet, eam recte latam esse, concedat, vere ab eo dici, una tantum, etiamsi promoverit aliquid, turpitudo non tollitur, quæ lege ista approbata, reipublicæ omnino usuveniet. Quæ igitur illa est? Quod benemeritos decepisse videbitur. Nemo autem, opinor, erit, quin fateatur id esse turpe: quanto vero vobis turpius, quam aliis, me audite. Est vobis antiqua lex e probatarum numero: s i q u i s a l i q u i d p o l l i c e n d o, v e r b a P o p u l o d e d e r i t, u t a d d u c a t u r i n j u d i c i u m; c o n v i c t u s u t m o r t e m u l c t e t u r. Vos igitur non pudebit, Athenienses, ipsos ea palam committere, quæ in aliis capitali vindicanda supplicio censuistis? Nam cum omnia cavenda et fugienda sunt, tam quæ turpia revera sunt, quam quæ videntur inhonesta: tum vero ea potissimum, quæ in aliis moleste feras. Nec enim ulla controversia relinquitur, quin ea facienda non sint, quæ ipse antea turpia judicaris. Ad hæc illud quoque cavendum, ne quid publice admittatis, quod privatim vitaretis. Vestrum autem nemo est, qui quod dedisset alicui, rursus auferret, imo ne conaretur quidem. Quare neque publice hoc feceritis! jubete potius patronos istius legis, si quem qui consecutus est hoc donum indignum esse aiunt, sive quod id teneat, cum non ea fecerit propter quæ sit datum, sive ob aliud crimen aliquod, accusare ex lege, quam nos modo substituimus, sive nos eam tulerimus, id quod nos facturos esse spondemus et pollicemur, sive ipsi tulerint, cum primum creati fuerint legumlatores. Sunt autem cuique eorum aliqui inimici, aliis Diophantus, aliis Eubulus, aliis alius quispiam. Quod si hoc detrectabunt, et facere nolent, considerate, Athenienses, quam vobis honorificum futurum sit, vos bene meritis ea eripuisse, quæ istorum nemo inimicis eripere non vereatur; et eos qui vobis benefecerunt, quibus nemo quicquam objicere potest, quæ data fuerant per vos amisisse universos: cum fieri potuisset, si quis sane indignus est, sive unus, sive duo, aut plures, ut ab istis accusati, et viritim adducti in judicium, pœnas dedissent. Equidem ista nec laudo, nec digna vobis esse censeo. [Cujus ego rei etiam rationem habeo.]

30. Jam nec illa ratio prætereunda est, de dignitate eorum, qui-

bus dedimus, tum æquum fuisse judicari, cum nemo ex istis contradixit: deinde vero missos eos fieri, nisi ab iis affecti sitis post injuria. Quod si isti affirmabunt; demonstrare namque non poterunt: hoc requiritur, ut ostendatur, eos mox admissis delictis pœnas dedisse. Si vero, tali re nulla prolata, legem approbabitis, opinionem afferetis hominibus, vos non ob ullum delictum, sed ex invidia immunitates sustulisse. Cum autem probra, ut breviter dicam, fugienda sunt omnia: tum hoc maxime omnium, Athenienses. Quare? Quia invidia omnino pravitati naturæ tribuitur, nec ulla causa est, ob quam invidus veniam mereatur. Deinde nullum vitium est, a quo nostra urbs tam aliena videatur, ut ab invidia, quamvis ab omni alia turpitudine abhorreat. Cujus rei quanta sint argumenta, videte! Primum soli ex universo genere mortalium eos qui pro patria in bellis occubuere sepelitis publice, ac funebribus orationibus ornatis facta fortium virorum. Hoc vero ejusmodi est, ut indicet homines, qui virtutem magni faciant, non qui virtutis honoribus invideant. Deinde ab omni ævo maximos honores habetis victoribus gymnicorum certaminum, in quibus coronæ tribui solent; et non propterea, quia natura fert ut eo honore pauci potiantur, eam felicitatem adeptis invidetis, neque honores diminuitis. Præter ea quæ diximus, nemo videtur unquam vestram urbem vicisse beneficentia: tanta est ejus in remunerando liberalitas, et magnificentia. Sunt autem hæc universa, Athenienses, justitiæ, virtutis, magnanimitatis indicia. Ne igitur ea nunc tollite, propter quæ nostra urbs omnibus sæculis celebrata est; nec, ut Leptines privatim nonnullis, quibus infensus est, insultet, præclaram existimationem, qua perpetuo floruistis abjicite! Neque existimate aliam rem agi nunc, quam dignitatem et existimationem civitatis, utrum eam conservatam et priori similem esse oporteat, an vero abolitam et imminutam!

31. Cum autem multa sint in hac lege quæ in Leptine mira mihi videantur, unum hoc maxime sum miratus: an ignorarit, quemadmodum is qui atrocissimas pœnas malefactis constituit, nihil malefacturus esse videtur, sic eum, qui beneficiorum honores tollit, non eo animo esse credi, ut reipublicæ benefacere studeat. Utrum igitur hoc ignorarit,—fieri enim potest—, mox ostendet; vobis enim tollere concedet id, in quo ipse deceptus fuit: sin rem urgebit, et omni vi in legem stabiliendam incumbet, ego sane qui eum laudem non invenio, vituperare autem nolo. Ne igitur contenderis, Leptine, neque violenter quicquam tale constituere velis, quo nec tibi, nec eis qui tibi paruerint, virtutis et bonitatis opinio augebitur: præsertim cum ex hoc judicio nihil tibi periculi metuendum sit. Quia enim Bathippus, Aphepsionis pater, obiit, qui istum adhuc obnoxium accusarat, exierunt judicii tempora: nunc omnis est de lege disputatio, isti vero periculi nihil est. Sed

audio te paratum esse dicere, cum tres te prius accusarint, eorum neminem actionem esse persecutum. Quos si ob id culpas, quod tibi creare periculum noluerunt, omnium hominum es audacissimus: sin ita probari censes causæ tuæ bonitatem, inepte facis. An enim propterea lex tua melior est, si quis accusatorum, priusquam veniretur in judicium, vel obiit, vel a te corruptus ab actione destitit, vel denique a te subornatus fuit? sed ista ne dici quidem merentur.

32. Delecti sunt autem, qui legi patrocinentur, eloquentissimi viri, Leodamas Acharnensis, et Aristopho Azeniensis, et Cephisodotus Ceramensis, et Dinias Erchiensis. De quibus, quid vos sentire deceat, audite quæso, et considerate, an vobis justum videatur. Ac primum Leodamas Chabriæ donationem accusavit, quæ inter alia immunitatis donum continet, et apud vos judicio victus est. Leges autem vetant ne bis cum eodem iisdem de rebus ullo judicio aut ratione agi liceat. Fuerit autem omnium absurdissimum, cum Chabriæ facinora apud vos tum plus valuerint quam eloquentia Leodamantis: nunc demum, cum et illa manent, et aliorum facta qui bene de republica meriti sunt accesserunt, istius eloquentia universa superari. In Aristophontem puto me habere multa quæ jure dicam. Is donationem a vobis consecutus est, qua etiam immunitas continetur:—nec id ego reprehendo; penes vos enim esse decet, ut vestra, quibuscunque visum vobis fuerit, detis—: sed illud iniquum esse dico, quod eas commoditates isti tribui, æquissimo animo passus, nunc demum postquam eædem aliis concessæ sunt, indignatur, et vobis suadet ut eos spolietis. Et quidem hic auctor fuit ut Gelarcho quinque talenta numerarentur, quod is ea commodasset eis e Populo qui in Piræeum secesserant: nec id ego reprehendo; sed potius recte factum esse censeo. Ne igitur, cum tu ea, quæ teste nullo probantur, per causam Populi dederis, suadeas ut hæc eripiantur, quorum ipse Populus testimonia, et in inscriptionibus templorum, erexit, et omnes conscii sunt: nec qui debita reddenda esse decrevisti, idem horteris, ut aliquis iis spolietur, quæ Populo accepta retulit. Jam Cephisodoto tantum responsum esse volo. Is, Athenienses, cum eloquentia nemini oratorum cedat, plus laudis mereretur, si ea facultate ad exigendum a sontibus supplicium, quam ad lædendos bene meritos uteretur. Nam si quorum odia suscipienda sunt, eorum inimicitiæ subeundæ sunt, qui lædunt Populum, non qui eidem benefaciunt, mea quidem sententia. Dinias porro fortassis commemorabit, se triremes instruxisse, et ædilitia munera exhibuisse. Ego vero, si Dinias, id quod et ipse existimo, bene de republica meritus est, potius auctor ei fuerim muneris aliquid a vobis petendi, quam ut juberet eos, qui prius accepissent, spoliari. Nam boni viri hoc potius officium est, pro suis beneficiis gratiam exigere, quam habitos honores aliis invidere.

Quod vero omnium maximum est, et in genere contra omnes advocatos facit: unusquisque eorum sæpe prius quibusdam in causis subscripsit. Est autem præclara lex apud vos, non ob hujusmodi viros lata, sed ideo ne ea res quæstui esset sycophantis quibusdam: ne liceat Populi suffragiis non delecto plus quam semel subscribere. Decet autem patronos legis, cujus vobis æquitatem persuadere student, ipsos veteribus legibus obtemperare: quod si negligunt, ridiculum est, eos, dum legi patrocinantur, aliam legem interim violare. Cape legem de qua dico, ac recita.

LEX.

Hæc, Athenienses, et vetusta et præclara lex est; quam nec isti, si sapiunt, violabunt.

33. Ego vero, ubi pauca addidero, descendam. Studio et magnæ curæ vobis esse debet, Athenienses, cum ut omnes leges vestræ præclarissimæ sint, tum vero hæ in primis, quæ civitatem aut magnam aut parvam efficere possunt. Eæ vero quæ sunt? Hæ nimirum, quæ et bene meritis honorem habent, et improbos suppliciis coercent. Nam si omnes, pœnarum metu quæ legibus sancitæ sunt, maleficiis omnibus abstineant, et omnes præmiis beneficiorum invitati, officium facere studeant: quid obstat quo minus civitas florentissima efficiatur, et boni sint omnes, malus nemo? At ista Leptinæ lex non id solum, Athenienses, mali habet, quod sublatis beneficiorum præmiis, efficit ne qui sui erga vos studii et benevolentiæ fructum percipiant, sed illud etiam, quod nostræ civitati turpissimam violatarum legum opinionem conciliat. Neque enim vos profecto præterit, ea lege unam tantum pœnam esse constitutam eis etiam qui gravissime in vos deliquerunt, qua sancitum est: unius judicii non plus una æstimatione esse debere, utra in foro decreta fuerit, vel luenda esse vel solvenda; utrasque vero non licere. Hac vero mensura iste non usus est: sed si quis gratiam referri sibi postulat, infamis, inquit, esto, et opes ejus publicentur: binæ pœnæ hæ sunt! liceat porro et deferre et in carcerem abducere: quod si convictus fuerit, obnoxius esto legi, quæ lata est contra ærarios si magistratus gesserint. Mortem dicit; nam id ejus rei supplicium est: tres igitur pœnæ sunt hæ! An non igitur miserandum et acerbum est, Athenienses, si gravius apud vos videbitur, gratiam pro beneficio repetere, quam gravissimi sceleris reum peragi?

34. Turpis lex est, Athenienses, et minime probanda, et invidiæ ac æmulationi cuidam similis, ne plura dicam. Et quidem his af-

fectibus laborare videtur auctor illius: vobis vero non convenit talia imitari, neque virtute vestra quicquam indignum committere. Quid enim obsecro est, quod maxime deprecemur omnes, et quid omnibus legibus accuratissime cautum est? Ne mutuæ cædes fiant; cujus rei custos eximius senatus Areopagiticus est constitutus. In legibus igitur Draco quæ de homicidiis latæ sunt, cum maximum terrorem incutere omnibus vellet, ne quis jugularet alterum, scripsit, homicidam arcendum esse a purgationibus, libationibus, crateribus, fanis, foro, et cetera commemoravit omnia, quibus se homines maxime repressurum opinatus est ne quid tale auderent, nec tamen juris ordinem sustulit, sed definivit, propter quæ liceret cædem facere: et si quis eo modo cædem fecisset, purum fore pronunciavit. Occidere igitur jure, vestris quidem legibus licebit: gratiam repetere, neque jure, nec ullo modo licebit, per istius legem? Minime vero, Athenienses, minime de vobis eam opinionem suboriri patiamini, ut hoc majori studio vobis fuisse videatur, ne cui gratia referatur, quam ne qua cædes in urbe vestra fiat. Sed recordati eorum temporum, quibus affecti beneficiis gratiam retulistis, immunitate data, et Demophanti statuæ, de qua Phormio dixit, in qua scriptum et jurejurando confirmatum est: si cui quid pro libertate Populi propugnanti acciderit, eadem vos illi præmia daturos, quæ Harmodio et Aristogitoni: condemnate legem istam! Quod nisi factum fuerit, jurisjurandi vestri religionem violabitis.

35. Præter hæc omnia, etiam illud audite. Fieri nequit ut ea lex commode lata sit, quæ de præteritis et futuris non eadem statuit: ne quis, inquit, immunis esto, exceptis Harmodii et Aristogitonis posteris: bene! nec deinceps dare liceat. Ne tum quidem, Leptine, si tales aliqui exstiterint? At qui anteacta reprehendere non es ausus, quid? num tu etiam futura noras? Dices quidem procul nos abesse a tali exspectatione. Utinam quidem ita sit, Athenienses! Sed cum homines simus, ea tum dicenda, tum legibus sancienda sunt, quæ nemo jure culparit: et bona quidem exspectanda, et votis a diis immortalibus exoptanda sunt, sed nihil humani tamen alienum a nobis existimare debemus. Nec enim Lacedæmonii unquam sperarunt ita secum actum iri: neque forte Syracusani, qui populari sunt olim usi republ. et tributa a Carthaginensibus exegerunt, et finitimis omnibus imperarunt, cum nos navali prœlio superassent, ne ab uno scriba, [qui, ut aiunt, minister fuerat,] tyrannide opprimerentur. Neque Dionysius, qui adhuc superstes est, unquam fortassis opinatus est fore, ut a Dione, rotunda nave et paucis cum militibus adversus se profecto, imperio spoliaretur, qui triremes multas et milites et urbes possideret. Sed, mea sententia, quid futurum sit, omnibus hominibus obscurum est:

et parvæ occasiones magnos motus mutationesque pariunt. Quare modus in rebus secundis servandus est, et providendum quid accidere possit.

36. Multa adhuc dici et commemorari possent ad istam legem evertendam, ut quæ nec probanda, nec vobis profutura sit: sed ut id paucis intelligatis, et ego tandem dicendi finem faciam, sic agite! Conferte inter se, et cogitate cum animis vestris, quid vobis eventurum sit, si legem istam damnaveritis, quid, si approbaveritis. Deinde tenete et mementote, quæ ex utraque re vobis fore videbuntur, ut potiora præferatis. Si igitur eam damnabitis, ut nos jubemus, et digni jus suum a vobis consequentur; et si quis indignus est, sicut esto sane aliquis, præterquam quod dono privabitur, ex animi vestri sententia etiam a vobis punietur lege a nobis substituta: et nostra civitas fidelis, justa, verax erga omnes videbitur. Sin approbabitis, quod absit ut faciatis, et boni propter improbos afficientur injuria, et indigni calamitatis aliis auctores erunt, nec ullas ipsi pœnas dabunt: nostraque civitas, contra quam dixi modo, ut perfida, ut invida, ut mendax apud omnes traducetur.

37. Quare non committendum est, Athenienses, tantam ignominiam ut adsciscatis, præclaris et vobis convenientibus bonis repudiatis. Nam quisque vestrum ejus opinionis, quæ de publicis decretis oritur, partem capiet. Non enim quisquam ignorat, vel eorum qui circumstant, vel ceterorum, Leptinem in judicio nobiscum contendere, sed in singulorum judicum animis, humanitati cum invidia, justitiæ cum improbitate, denique virtutibus omnibus cum vitiis certamen esse. Si igitur melioribus obtemperantes, nobis assensi fueritis, tum ipsi quæ decet decrevisse videbimini, tum quæ reipublicæ honestissima erunt statuetis, tum, si quod forte inciderit tempus, non deerunt qui pro vobis adire pericula non dubitent. Hæc igitur universa curæ vobis opinor, ac studio esse debent, ac diligenter providendum, ne vi ad delinquendum adigamini. Sæpe enim factum est, Athenienses, ut multa vobis probata et persuasa non sint, sed erepta et extorta oratorum clamoribus et violentia et impudentia: id quod nunc vos committere indignissimum fuerit! Sed quæ justa esse intelligitis, ea tenete ac recordamini, ut in pronunciando ferendisque suffragiis, quemadmodum jurisjurandi religio postulat, consultores improbos condemnetis. Miror autem, eos qui monetam adulterant capite mulctari apud vos, eis vero qui totam civitatem adulterinam et infidam reddunt, dicendi fieri potestatem. Ne utique *hoc fiat*, o Jupiter et Dii!

Scio non opus esse ut plura dicam: opinor enim vos omnia quæ diximus satis intellexisse.

LIBANII ARGUMENTUM IN ORATIONEM CONTRA MIDIAM DE ALAPA.

Festum Bacchi celebrabant Athenienses, quod a deo illo Bacchanalia nominabant: in eo festo tragici, et comici, et tibicinum cœtus inter sese certabant. Hi cœtus constituebantur a tribubus, quæ numero decem erant: et eligebatur præbitor ex unaquaqua tribu, qui cœtui sumptus suppeditaret. Demosthenes igitur suæ tribus Pandioniæ ultro præbitor esse voluit. Cum autem haberet inimicum Midiam, hominem locupletem, ab eo in ædilitate cum aliis malis se affectum esse queritur, tum postremo in orchestra, in conspectu omnium spectatorum, pugnis cæsum. Quamobrem Midiam apud populum accusat impietatis, qui festum et Bacchum violarit. Vocabatur autem ea actio, προβολή. Populus Midiam impietatis condemnat. Nunc in judicio contendunt de populi Midiæ condemnatione. Nam cum populus aliquem condemnarat, necesse erat causam in judicio retractari. Certamen igitur est de mulcta. Neque enim Midias se injuste fecisse negat, sed de litis æstimatione controversia est, utrum contumeliæ, an vero impietatis sit reus. Proinde finitivi status est oratio, cum Midias dicat, id facinus esse contumeliam, quod hominem liberum verberarit: contra Demosthenes, impietatem, tum quod ædilem, tum quod Bacchanalibus, tum quod in theatro verberarit; his enim etiam impie fecisse Midiam ait: ut ita definitio duplex sit per comprehensionem, ea ratione, dum et nomen ab adversario introductum admittimus, et aliud eidem copulamus, ut quum hoc loco Demosthenes, fatente Midia se contumeliose fecisse, ne contumeliam quidem rejicit, sed eidem etiam impietatem adjungit.

ALIUD ARGUMENTUM.

Varia apud Athenienses festa agebantur: in quibus erant Panathenæa tum parva, tum magna. Quorum hæc quinto, illa tertio quoque anno celebrabantur. Ac in magnis quidem exercitationes quædam fiebant, et e singulis tribubus unus gymnasiarchus decernebatur, eique dabatur pecunia ad exercendos eos, qui festum peracturi erant, et ad earum rerum sumptus suis tribulibus suppeditandos. Agebantur apud eos etiam Bacchanalia, eaque duplicia, et parva et magna: ac parva quidem in urbe quotannis, magna vero tertio quoque anno ad torcularia: in quibus decernebatur ædilis a singulis tribubus, qui cœtus et puerorum et virorum aleret: ad quam rem pecunia ei dabatur. Festo autem jam instante, certabant et contendebant inter se ædiles, carminibus in Bacchi laudem cantandis: victori tripos præmium erat; nam eundem et Solem et Apollinem et Bacchum putabant. Peracto festo, primo mense decernebantur præbitores futuri festi. Quum autem eo tempore singularum tribuum ædiles promulgati essent, Pandionia, Demosthenis tribus, præbitore carebat: eamque rem primo, secundo et tertio anno neglexerat. Moris autem erat, ut prætor uno mense ante festum, omnium tribuum præbitoribus convocatis, tibicines sortiri juberet: et quum singularum tribuum præbitores adessent, excepto eo qui e Pandionia desiderabatur, videns Demosthenes suæ tribui dedecori esse apud omnes, quod præbitorem non haberet, ultro, jubente nemine, suo ipse suffragio, se præbitorem obtulit, atque ob id factum ab omnibus laudatus est. Quum vero tibicines sortiretur, alacritatem et studium ejus fortuna adjuvante, Telephanes tibicinum præstantissimus ei obvenit. Volens igitur suum cœtum ornare præter ceteros, coronas aureas eis imposuit. Midias autem, unus e civitatis gubernatoribus, vir opibus abundans, et magnæ auctoritatis, infensus Demostheni ob eas causas, quas paulo post ipse in oratione dicet, cum sæpe alias ei obturbarat, et insultarat, tum vero id quoque affirmat Demosthenes, jurantibus judicibus se victoriam illi daturos qui præclare ce-

cinisset, Midiam eos vellicantem dixisse, Demosthene excepto. Quamobrem Demosthenes exclamavit, eumque arguit. Tandem in eam venit insaniam Midias, ut etiam in theatro ei alapam impingeret, et vestem sacram dilaceraret. Ea re populus visa, Midiam exsibilat: quæ antiquitus iræ nota erat, et vituperationis. Demosthenes igitur digressus et orationem hanc meditatus, eum publici criminis reum facit: in qua Midiam etiam criminatur, quod ex coronis aureis unam sit aurifici suffuratus. Orator igitur eum in judicium adducit, magno impetu et loco vehementi adhibito. Nam Midiæ persona, et ipsa rerum gestarum protervitas, exagitationem adversarii juvant.

Status finitivus est, proprium enim criminis nomen quæritur: quod crimen Midias privatum, orator publicum esse contendit. Finitio enim est ejus rei, cujus pars una facta est, altera deest, quo minus rei nomen imponi queat. Ut in illo exemplo, ubi is qui cenotaphium effregerat, sepulcri violati fit reus. Hic enim de fossione constat: id vero ambigitur, an sepulcrum sit effossum. Reus enim, effodi, inquit, sed non sepulcrum: nam cadaver non inveni. Accusator vero objicit, ego cenotaphii perfossionem, sepulcri violationem voco. Nec enim tu sciebas id esse cenotaphium: sed cum foderis tanquam sepulcrum, nunc, postquam id cenotaphium esse constat, impune abire studes. Eadem etiam hic ratio est, constat enim vapulasse Demosthenem: sed in controversia est, utrum is qui ultro sese obtulit, ædilis sit vocandus. Nam Demosthenes ait, ædilem verberasti: Midias, non verberavi ædilem (nam tuo suffragio es creatus) sed hominem privatum. Hoc vero non est crimen publicum.

Duplex autem est finitio ejus generis quod comprehensione constat. Est autem comprehensio, quum actor suam intentionem et rei defensionem in unum contrahit. Cum enim non alterum ejicit, alterum accipit, sed utrumque conjungit et complectitur, id huic generi subjicimus. Facit autem hoc noster orator in multis partibus, et se et una secum civitatem ait injuriis et contumeliis affici. Ac capita in oratione ordine posita, hæc sunt. Principia vero impetuosa sunt, habentia crebram complexionem, et circumstantiarum amplificationem. Id quod hoc, an non adversus omnes? et, non contra me solum: item, petulantiam semper meditatus: et, non semel fortuito deliquisse, ostendunt. Capita orationis sunt hæc, definitio, contraria definitio, sententia legislatoris, ratiocinatio, magnitudo, una e numero contentionum, quam sequitur translatio, et absoluta defensio. Ibi orator quatuor definitionibus accusationem implicat, ut ostendat, Midiam publicum crimen admisisse. Est autem hæc prima definitio: qui in festo delinquunt, publicum crimen admittunt. Altera definitio: præsertim si ædiles læduntur. Tertia: omnis contumelia est crimen publicum; decipit autem hic per homonymiam vocabuli ὕβρις, sive enim flagitium committatur, sive aliquis verbis, sive verberibus lædatur, ὕβρις dici potest, publicum autem crimen arbitrabantur flagitium, homonymia igitur, ut dixi, decipiendi causa est usus. Quarta finitio: qui semper studet insultare omnibus, in rempub. peccat: nam si respub. ex omnibus constat, ergo publicum hoc crimen est. Ponit autem sparsim in exordio quatuor hasce finitiones. E quibus in confirmatione sunt tres. Quartam in digressione inserit. Bono consilio. Quum enim dicat omnes ab eo lædi, ac ideo rempub. violari, digreditur in superioris ejus vitæ commemorationem. Habet oratio hæc duo exordia, prius ex adversarii calumnia et ex commendatione suæ personæ, atque ex attentione. Est autem propositio bipertita, ac prior quidem pars confirmatione caret: posterius autem et ipsum bipertitum, et eo utrumque confirmat. Deinde infert conclusionem, in qua est attentio. Finitio per comprehensionem. Dicitur autem sic, quando reo nomen criminis aliud ponente, actor eum et hoc et altero nomine teneri affirmat. Duplex igitur est, quum duo crimina complectatur. Exempli gratia. Dux qui puellæ a legato suæ mandatæ fidei stuprum intulerat, publici criminis accusatus, respondet, se non commisisse in rempubl., sed vim puellæ fecisse: legatus autem utrumque crimen in eo hærere contendit.

DEMOSTHENIS

CONTRA MIDIAM DE ALAPA

ORATIO.

1. Qua petulantia, judices, et contumelia semper in omnes utatur Midias, neminem neque vestrum, neque reliquorum civium, ignorare arbitror. Ego vero, quod unusquisque vestrum affectus contumelia faciundum sibi censuisset, id et ipse feci. Ac publice conquestus sum, istum violare festum, non modo acceptis ab eo plagis, Bacchanalibus, sed et alia multa eaque violenta perpessus toto tempore ædilitatis. Postquam vero populus universus, ut æquum et bonum postulabat, sic excanduit et concitatus fuit, tantæque curæ habuit eam injuriam qua me sciebat affectum esse, ut, quamvis iste nihil non faceret et alii quidam pro eo vehementer laborarent, tamen non paruerit, neque istorum opes aut pollicitationes respexerit, sed consentientibus suffragiis eum condemnarit: multi ad me accessere, judices, tum vestrum qui nunc in judicio adestis, tum reliquorum civium, qui suaderent et hortarentur ut jus meum persequerer, atque istum ad vos adducerem; mea quidem profecto sententia, ob utraque hæc, Athenienses, quod et me insignem accepisse injuriam putabant, et simul de isto pœnas sumere optabant, quem alias etiam, qua est audacia et furore, nec coerceri jam potest, plurima petulanter admisisse cognossent.

2. Quæ cum ita sint, quæ a me observari conveniebat, ea juste vobis omnia reservata sunt, et ad accusandum, si quis actionem dederit, adsum, ut videtis, quum quidem, Athenienses, et magnam pecuniam ne accusarem, mihi promissam, repudiarim, et multas deprecationes et gratias, imo etiam comminationes, contempserim. Quod vero ad vos deinceps attinet, quanto pluribus iste molestias concitavit et denunciavit,—vidi enim modo quæ ante prætoria actitaret—, tanto magis me jus meum consecuturum spero. Neque enim de ullo vestrum tam male existimo, ut verear, ne vel prius erga me vestrum studium deposituri, vel, ut Midias deinceps impune et secure civibus insultet, neglecta jurisjurandi religione, quicquam aliud judicaturi sitis, quam quod æquum esse et justum censueritis.

3. Quod si, Athenienses, eum violatarum legum, falsæ legationis, aut de alio quopiam simili crimine accusaturus essem, nullis mihi precibus utendum apud vos existimassem, siquidem id statuo,

tantum esse accusatoris, ut crimen probet, rei, ut etiam deprecetur. Sed cum iste tunc et judices corruperit, et propterea meæ tribui per injuriam tripos sit ereptus, atque ego non modo verberibus, sed iis etiam contumeliis sim affectus, quibus haud scio an ullus ædilis unquam, non dubito in hoc judicio, quod nunc demum, postquam adversarius justa indignatione et suffragiis populi damnatus est, subeo, etiam precibus uti. Nam si hoc dicere liceat, ego nunc reus sum, si qua modo calamitas est, injuriis et contumeliis agitatum non posse ullo modo jus suum adipisci. Oro igitur vos omnes, judices, et supplico, primum ut me dicentem benigne audiatis. Deinde, si ostendero, Midiam istum non mihi tantum, sed vobis etiam, et legibus, et ceteris omnibus insultasse, ut cum mihi tum vobismetipsis opem feratis. Sic enim res fere habet, Athenienses, ego sum contumeliis affectus, et meum corpus tunc ignominiose tractatum est, ea vero res in judicio versatur nunc et de hoc certamen est, utrum licere debeat hujusmodi facinora committere, et vestrum quemlibet impune exagitare, an non. Quod si quis forte vestrum superiori tempore causam hanc esse privatam putavit, is nunc cogitans esse e republica, ne cuiquam quicquam tale committere liceat, sic auscultet, tanquam publicum crimen agatur, et quæ sibi justissima videbuntur, ea decernat. In primis autem vobis lex recitabitur, qua queri licet apud populum: deinde vos de reliquis etiam docere conabor. Recita legem.

LEX.

Magistratus concionem habento in æde Bacchi postridie primi Jovialium. In ea concione primum de sacris respondento: post de querimoniis aut pompæ causa aut propter ludos Bacchanales factis, si quæ nondum transactæ fuerint.

4. Lex, Athenienses, quà publice queri licet, hæc est, quæ jubet, ut audivistis, haberi concionem in æde Bacchi post Jovialia. In qua postquam præsides de administratione prætoris responderint, etiam injuriæ in festo aut alia contra leges facta tractari debeant. Præclaram utilemque esse hanc legem ipsa res ostendit, Athenienses. Quum enim, tanto metu impendente, tamen protervi quidam exsistant, quid ab isto genere hominum exspectandum erit, sublato omni judicio, periculique metu? Legam vobis etiam eam legem quæ ex ordine sequitur: ex qua perspicietis et aliorum omnium civium vestramque verecundiam, et istius confidentiam. Recita legem.

LEX.

Evegorus dixit, quum Bacchi festivitas in Piræo est, et comœdi, et tragœdi, et cum Lenæa pompa est, et tragœdi, et comœdi, et cum urbanis Bacchanalibus pompa est, et pueri et cœtus, et comœdi, et tragœdi, et in Thargeliorum pompa et ludo, ne plane liceat vel pignora, vel quicquam quod sit alterius capere, ne illorum quidem qui ad diem non solverint, in hisce diebus. Si quis autem in horum aliquod commiserit, ei qui passus est injuriam jus esto accusandi, et conquerendi de illo in concione in æde Bacchi congregata, tanquam de injuria, quemadmodum de aliis injuriosis perscriptum est.

5. Cogitate, judices, quum in priore lege de injuriosis agatur, in hac vos conquestiones de iis qui dilatum æs alienum exigunt, aut quidvis alienum capiunt, aut vim faciunt, concessisse. Nam tantum abest, ut hisce diebus corpus cujusquam, aut instrumentum, privato sumptu ad hoc munus confectum, lædi oportere censueritis, ut, quæ jure et sententia judicum eorum fiunt qui vicere, victis primisque possessoribus, hoc quidem certe in festo, restitueritis. Tanta igitur, Athenienses, vestra omnium est et humanitas et pietas, ut hisce diebus de injuriis prius factis pœnas sumi vetueritis: Midias autem his ipsis diebus ea perpetrasse ostendetur, quæ ultimo supplicio sunt vindicanda. Volo autem, ubi ab initio singula quæ perpessus sum exposuero, etiam de verberibus dicere, quibus me postremo affecit. Nam ex omnibus ejus facinoribus ne unum quidem est ob quod exitio dignus non sit.

6. Quum Pandionia tribus tertio abhinc anno præbitorem non haberet, convocataque concione, in qua prætorem lex jubet choris tibicines sortito dare, verba et jurgia intercederent, prætor enim curatores tribus, hi prætorem accusabant, ego me ultro sumptus suppeditaturum sum pollicitus, et cum sortitione facta mihi obvenisset prima tibicinis electio: vos, Athenienses, universi utrumque summopere comprobastis, et pollicitationem meam, et fortunæ benignitatem; et strepitum plausumque talem, qualis laudantium et gratulantium solet esse, excitastis: Midias autem solus, ut apparet, omnium indoluit, et me toto ædilitatis tempore continenter conviciis est insectatus et interturbavit, tam parvis quam majoribus in rebus.

7. Quantas autem turbas, aut, nobis adversandi studio, saltatores militiæ vacationem habere vetando, excitarit, aut lacessendo et jubendo se Bacchanalium curatorem decerni, aut cetera quæ generis ejusdem sunt, omittam. Nec enim hoc ignoro, me, qui tum istius insultus et contumelias tolerabam, ad tantam iracundiam singulis istorum concitari, quantam ullum atrocissimum facinus commovere potuisset: vobis autem ceteris, ad quos ea nihil attinebant, non perinde fortasse per sese digna videri, ut propterea in judicium veniatur; ea vero dicam, quibus auditis æque omnes jure indignemini. Omnem enim modum excedunt ea quæ deinceps dicam. Ac ne accusare quidem eum ego nunc instituissem, nisi tum etiam statim in populi conventu coarguissem. Sacram enim vestem—nam sacram ego esse puto, quam festi gratia pararis, quamdiu ea utare—aureasque coronas, quas curaveram faciendas, ornamenta chori, per insidias, Athenienses, mihi perdere conatus est, noctu aurificis ædes aggressus. Ac perdidit ille quidem, non tamen omnes: nec enim potuit. Quanquam autem nemo est, qui se dicat in hac civitate unquam de quoquam audivisse, qui hoc facinus ausus fuerit ac perpetrarit. Iste tamen hoc non contentus, etiam chori mei magistrum, Athenienses, corrupit. Quod nisi Telephanes, tibicen, singulari probitate, mihi tum optime consultum voluisset, fraudeque animadversa, homine illo repulso, instruendum sibi docendumque chorum censuisset; ne certare quidem licuisset, Athenienses: sed chorus rudis et imparatus introiisset, cum ignominia nostra maxima. Neque vero hic suæ improbitati modum fecit, sed tam infinita fuit ejus protervitas, ut coronatum prætorem corruperit; ædiles contra me concitarit; clamitando, minitando, jurantibus judicibus adstando, scenæ aditus obstruendo clavis defigendo, ipse homo privatus, vim publicam facere, et infandis molestiis afficere me non destiterit.

8. Harum rerum, quæ quidem in præsentia populi, aut apud judices in theatro actæ sunt, vos mihi, Judices, omnes testes estis. Enimvero æquissima verissimaque censenda est ea dicentis oratio, cujus veritas eorum qui pro tribunali sedent testimonio comprobatur. Præterea corruptis iis, qui de certamine ludorum inter actores judicaturi erant, duo hæc tanquam fastigia quædam omnibus suis præclaris factis imposuit. Quod et meum corpus contumeliose vexavit, et tribui meæ, quæ in certamine superior erat, in primis causa fuit ne victoria potiretur. In me igitur et tribules meos proterve, atque in festum nefarie commissa per istum, Athenienses, quibus ego commotus eum apud populum accusavi, hæc sunt, et alia multa: e quibus quæcunque potero, statim vobis commemorabo. Possum autem et alias infinitas ejus injurias, et contumelias multis vestrum factas, et facinora impuri istius multa et atrocia narrare: quæ alii, judices, metu istius, et ejus confidentiæ, et sodalium, et opum, et insolentiæ, ac reliquarum rerum quibus iste pollet, attoniti, suo dolore dissimulato, quieverunt; alii ulcisci judicio conati, nihil effecerunt; sunt etiam, qui præstare id atque expedire sibi fortasse rati, cum eo transegerint. Quod qui facere non recusarunt, iis quidem ipsis est satisfactum, ejus autem vindictæ, quæ legibus debetur, propter injurias et illis tunc, et nunc mihi, ceteris-

que omnibus ab isto factas, ad vos rediit hereditas. Ea igitur omnia in unum collecta tanti æstimate, quanti vobis æquum videbitur. Excutiam autem et coargua mordine, primum, ea in quibus ego sum violatus: deinde injurias vobis factas: postea, Athenienses, in reliquam ejus omnem vitam inquiram, ac ostendam non unam eum mortem commeruisse, sed multas. Cape primum aurificis testimonium, ac recita.

TESTIMONIUM.

Pammenes Pammenis filius eparchus, ego aurificinam in foro habeo, in qua et versor et aurificinam facio. Cum autem mihi Demosthenes, cui dico testimonium, auream coronam parandam, et auratam vestem faciendam, locasset, ut in iis Bacchanalium festivitatem celebraret, egoque confecissem omnia, et penes me parata haberem, Midias is qui nunc a Demosthene accusatur noctu in ædes meas impetu facto, cum aliis quos secum adduxerat, coronam et vestem perdere conatus est, et quædam sane læsit, non omnia tamen potuit interventu meo prohibitus.

9. Possum præterea de his quoque, Athenienses, multa dicere, ut initio hujus orationis dixi, quæ in alios admisit, ac contumelias et improba ejus facinora tot collegi, quot mox audietis. Fuit autem collectio facilis: nam hi, quibus insultarat, ipsi ad me accesserunt. Volo autem, priusquam ad illa veniam, ea dicere, quæ decipiendi vestri causa eum afferre instituisse audio: nam, ut mihi dictu summe necessarium, sic auditu vobis utilissimum esse puto, ut illæ rationes in primis aperiantur. Quapropter? Hæc oratio qua cavebitur ne decipiamini, erit in causa, ut sicut jus et jurisjurandi religio postulat pronuncietis. Omnium igitur maxime vobis hæc oratio diligenter audienda, et infigenda memoriæ est, et singulis istius cavillationibus occurrendum. Jam primum omnium non est obscurum, ex his quæ ipse apud quosdam, ut mihi nunciatum est, commemoravit, eum hoc dicturum, me, si omnino perpessus essem hæc quæ dicam, decuisse judicio privato accusare; nam quod ad vestium et aurearum coronarum perditionem attineat, et universam violentiam in chorum admissam, actionem damni dati fuisse instituendam; deinde, quod meum corpus læsum esse querar, injuriarum: nequaquam vero publici criminis reum faciendum, et hanc litis æstimationem intentandam, quid sit luendum, aut solvendum. Ego vero unum illud satis scio, idque vobis etiam tenendum est, nisi populum appellassem, sed in jus eum vocassem, contrariam statim rationem objici mihi potuisse, me, si quid horum esset verum, publice conqueri, et in re præsenti supplicium de injuriis exposcere debuisse: nam et chorum fuisse civitatis, et vestem omnem causa festi paratam; et me, cui illa accidissent, ædilem. Quis igitur aliam vindictam ei prætulisset, quæ legibus in eos datur, qui festum violarunt? Hæc omnia compertum habeo, istum

tum fuisse dicturum. Rei enim, opinor, et sontis est, præsentem pœnæ irrogandæ modum detrectando, dictitare eum fuisse modum usurpandum, qui nullus est: sapientes autem judices decet, et hæc non audire, et quemcunque petulanter delinquentem comprehenderint, supplicio coercere. Ne igitur eum dicere sinatis, privata etiam judicia mihi lege concedi, et actionem injuriarum,—conceduntur enim—, sed, vel non fecisse se ea de quibus accusatur, vel, iis factis, festum non polluisse, hoc ostendat. De hoc enim et ego sum conquestus, et vos nunc sententiam feretis. Quod si ego privatorum judiciorum prærogativa omissa, reipublicæ vindictam relinquo, et id certamen delegi, unde nihil ad me lucri redit, æquum fuerit utique mihi gratiam potius haberi a vobis, quam damnum infligi.

10. Scio etiam eum hoc subinde inculcaturum: ne me tradite Demostheni, neque me propter Demosthenem e medio tollite. Ideone me interficietis, quia cum isto bellum gero? Talia sæpe, scio, clamitabit, ut me hisce verbis invidiosum faciat. Absit autem, et multum absit, ut hæc ita se habeant. Neminem enim sontem vos cuiquam accusatori traditis: nec enim, ubi quis affectus injuria fuerit, tale supplicium delinquenti infligitis, quale is qui læsus est, infligendum esse persuadere vobis studet, sed contra, tulistis leges ante injurias, quum et qui delinquerent in incerto essent, et in quos delinqueretur æque in incerto. Quæ vero harum legum vis est? Pollicentur omnibus civibus, si cui fiat injuria, ei se ulciscendi suo præsidio copiam facturas. Si quem igitur leges violantem punitis, eum non accusatoribus traditis, sed leges vestras confirmatis. Jam ad illud, quum D e m o s t h e n e s, inquiet, l æ s u s e s t justa et communis et ad omnium securitatem pertinens responsio est. Illo die non me Demosthenem tantum esse exagitatum, sed etiam ædilem vestrum: quod quantum valeat, hinc cognoscetis. Scitis e sexviris nemini esse nomen s e x v i r, sed suum quoddam unicuique. Si quem igitur eorum, dum privatus est, vel mulctarit quispiam, vel conviciis incesserit, injuriarum et convicii judicio privato postulabitur: sin sexvirum, ignominia sine dubio notabitur. Quapropter? Quod quisquis id facit, is jam etiam leges contumelia afficit, et vestram communem coronam, et nomen civitatis: nam sexvir nullius hominis est nomen, sed civitatis. Eadem est et prætoris ratio, quem si quis coronatum verberaverit, aut conviciis incesserit, infamis est: sin privatum, privato judicio est obnoxius. Nec horum tantum ea ratio est, sed omnium eorum quibus publice aliqua securitas, aut coronæ jus, aut alius quispiam honos conceditur: ita etiam, si Midias aliis quibusdam diebus me, ut personam privatam, ad hunc modum læsisset, privatim etiam pœnas eum dare oporteret; si vero ædilem vestrum, die festo, his omnibus injuriis et contumeliis affe-

ctum ab eo esse constat, æquum eum est publicam indignationem et ultionem experiri: nam cum Demosthene simul etiam ædilis violabatur. Hoc vero nomen publicum est. Idque his diebus factum, quibus est legibus interdictum. Sunt autem leges, quando feruntur, considerandæ, quænam, et cujusmodi sint; quum vero receptæ fuerint, custodiendæ et usurpandæ: nam hoc jurisjurandi vestri religio, et æquitas alioqui postulat. Olim habuistis legem damni dati, habuistis verberationis, habuistis contumeliæ. Jam si eos qui Bacchanalibus horum aliquid admisissent, hisce legibus fuisset satis puniri, supervacanea fuisset hæc lex. Sed non est satis. Ejus rei signum hoc est: sacram legem constituistis ipsi deo de festi solennitate; si quis igitur illis etiam veteribus legibus, et hac post illas lata, et reliquis omnibus est reus, is proptereane impune feret sua scelera, an potius merito gravius mulctabitur? Equidem existimo gravius mulctandum.

11. Nunciavit mihi porro quidam, eum circumeuntem colligere ac sciscitari, quibusnam usuvenerit, ut contumeliis afficerentur; eosque vobis dicturum, et commemoraturum esse. Veluti, Athenienses, præsidem, quem aliquando ferunt apud vos a Polyzelo verberatum, et sexvirum, qui nuper plagas accepit, in tibicina asserenda; et alios quosdam ejus generis: quasi vero, si multos alios multa et acerba perpessos ostenderit, vos æquioribus animis factas mihi injurias laturi sitis. Mihi vero, Athenienses, contrarium jure potius faciendum videtur, si quam modo publicæ utilitatis rationem habere debeatis. Quis enim vestrum ignorat, ut hujusmodi multa fiant, impunitatem in causa esse, ut vero deinceps nemo petulanter agere ausit, id hac sola ratione posse perfici, si quicunque deprehensus fuerit, meritum supplicium luat? Si igitur alios ab hujusmodi facinoribus deterreri expedit, ea quoque de causa iste puniendus est; eoque magis, quo plura ejus et atrociora facinora exstant. Sin ad licentiam aperienda fenestra est, et iste et alii sunt impune dimittendi. Jam non similem habere istum, et alios, impetrandæ veniæ causam inveniemus. Nam primum is, qui sexvirum verberavit, tres habuit excusationes, ebrietatem, amorem, ignorantiam, propterea quod noctu et in tenebris res gesta est. Deinde Polyzelus ille iracundia insitaque morum vehementia, ad tempus delirans, per errorem plagam inflixit. Neque enim hostis fuerat, neque contumeliæ causa fecerat. Midiæ vero nihil horum est quod dicat. Nam et inimicus mihi fuit, et interdiu, sciens, contumeliam fecit: nec ex hoc solum, sed ex omnibus rebus apparet, illi fuisse propositum mihi insultare. Jam nec simile quicquam ab illis et a me factum esse video. Nam sexvirum illum, nec vestri, nec legum rationem habuisse, aut graviter tulisse constat; sed privatim argenti summa nescio quanta delinitum, ab actione destitisse. Deinde is qui a Polyzelo verberatus fuit, de ea ipsa re, privata transactione facta, et legibus et vobis pro nihilo habitis, ne in judicium quidem Polyzelum adduxit. Si quis igitur illos accusare in præsentia volet, hæc dicenda erunt. Sin crimina isti per me objecta refutare, quidvis potius erit afferendum. Nam hæc negotia cum illis, ut quæ maxime, pugnant, me enim nec accepisse quicquam, nec accipere instituisse cognoscetur, sed eam ultionem, quæ tum pro legibus, tum pro deo, tum pro nobis exigenda est, ita uti decet, reservatam, nunc vobis reddidisse.

12. Ne igitur sinatis eum talia dicere, neque etiam, si per vim ingesserit, tanquam aliquid æqui dicenti auscultetis. Nam si hæc sic apud vos decreta fuerint, non ullam defensionem habebit. Quæ causa enim, humana saltem, quæ mediocris excusatio facinorum illius proferetur? Iracundia nimirum. Nam hoc fortasse dicet. Verum ad quæ aliquis subito, non exspectato consilio mentis, facienda impulsus fuerit, etiamsi contumeliose fecerit, per iram tamen esse facta, dicere potest. Quæ vero diu ante præmeditatus, continenter per multos dies contra leges facere palam deprehenditur, non modo abest ab eo ut iratus fecerit, sed nemini jam dubium esse debet, quin de industria, dataque opera talis homo contumeliam fecerit. Enimvero quum ea quorum a me accusatur, et fecisse, et contumeliose fecisse convincatur, judices, leges de cetero sunt consulendæ. Ex quarum præscripto vos judicaturos esse jurastis. Et considerandum, quanto severius et gravius hæ puniendos statuerint eos, qui data opera, et per contumeliam aliquid delinquunt, quam reliquos qui alio quopiam modo peccant. Primum de dato damno hæ leges omnes, ut ab his ordiar, si quis volens damnum dederit, duplum: si invitus, simplum pro dato damno solvere jubent. Merito. Æquum enim est, ut læsus, utut factum est, adjuvetur. Sonti autem non eandem pœnam statuit, sive volens, sive invitus fecerit. Deinde leges capitalium facinorum, cædes consilio factas, morte perpetuoque exsilio et publicatione bonorum puniunt, qui autem fortuito cædem fecerunt, cum his multo remissius et humanius esse agendum sanxerunt.

13. Nec in his tantum hominibus petulantibus et protervis, sed et in ceteris omnibus, leges iratas esse cernitur. Nam quæ causa est, si quis judicatum solvi non solverit, cur lex actionem unde vi non jam amplius privatam fecerit, sed ad crimina publica referri oportere statuerit? Quæ item causa est, si quis volens a volente talentis singulis vel binis, vel denis etiam acceptis, defraudarit: cur ei nihil cum republica negotii sit? sin aliquid exigui omnino pretii ceperis, idque vi eripueris, tantundem convictum ærario debere, quantum homini privato leges jubent. Quamobrem? Quia quæcunque vi geruntur, communes esse injurias etiam iis, ad quos illud negotium nihil attineret, legislator censuit. Robur corporis

paucorum, leges universorum esse, eumque qui transegerit, sibi, cui vis facta sit, reipublicæ velle satisfactum. Quapropter etiam ipsius contumeliæ accusationes cuivis liberas, litis æstimationem totam publicam fecit. Quod putaret, ab eo qui contumeliose agere institueret, non eum tantum, cui facta esset injuria, sed rempublicam etiam lædi. Et ei qui læsus esset, animadversione satisfieri, nec decere eum, injuriam sibi factam vendere pecunia. Et rem usque adeo exaggeravit, ut si vel servo contumelia facta fuerit, non minus in ea causa publicam actionem dederit. Nec enim putavit respiciendum, quisnam esset qui læderetur: sed cujusmodi res esset quæ fieret. Quam cum dedecere reperisset, sanxit et vetuit, ne vel in servum, vel omnino in quenquam committeretur.

14. Non enim est, non est, Athenienses, quicquam rerum omnium intolerabilius contumelia, aut majore vobis cum indignatione vindicandum. Sed cape ipsam legem de contumelia, et recita. Nihil enim præstabilius est, quam ipsam legem audire.

LEX.

Si quis aliquem contumelia affecerit, sive puerum, sive mulierem, sive virum, ingenuos, aut servos, aut aliquid legibus interdictum in horum aliquem admiserit, eum quicunque volet Atheniensium, cui id licet, deferto apud sexviros. Sexviri autem actionem danto intra dies triginta apud Heliæam, ab eo die quo res in judicium allata fuerit, nisi publicum aliquid impediat. Tum vero, cum primum fieri poterit. Qui vero damnatus fuerit, illi Heliæa statim crimen æstimet, quid luere, aut solvere, debere videatur. Qui vero privata judicia dictarint ex lege hac, si quis non persecutus fuerit actionem, aut persecutus quintam suffragiorum partem non tulerit, is mille drachmarum mulctam ærario solvat. Sin contumelia pecuniis æstimata fuerit, vinciatur, si ingenuum affecerit contumelia, donec solverit.

Auditis, Athenienses, humanitatem legis, quæ nec servos affici contumeliis sinit. Quid igitur, per deos? si quis lege hac ad barbaros perlata, unde mancipia in Græciam adducuntur, vos laudans, et de vestra urbe commemorans, ad eos dixerit: esse quosdam Græcos, homines ita mansuetis et humanis moribus præditos, ut multis injuriis ab iis affecti, et paternis inimicitiis in eos quasi naturæ instinctu propagatis, tamen ne illos quidem vexari contumeliose patiantur, quos pretio numerato ad servitutem emerint, sed legem publice sanxerint hanc, quæ talia vetaret, et multos jam ob eam legem violatam capite mulctarint. Hæc inquam si audivissent, percepissentque barbari, an non arbitramini eos publice jus hospitii nobiscum omnibus inituros? Eam legem igitur non tantum apud Græcos celebrem, sed barbarorum etiam approbatione dignam, is qui violat, quonam supplicio sit afficiendus considerate, ut satis graves pœnas dederit.

15. Quod si ego, Athenienses, quum sic tractarer a Midia, non

ædilis fuissem, contumeliæ tantum ejus facinora damnari potuissent. Nunc, si quis eum violatæ religionis damnet, recte mihi facturus videbitur. Neque enim certe hoc ignoratis, vos istos choros universos et hymnos, in Bacchi honorem instituere, non modo ex legibus Bacchanalibus, sed etiam ex oraculis, in quibus universis nostræ urbi divinitus hoc esse promulgatum invenietis, non minus Delphis quam Dodonæ, ut choros instituat ritu patrio, et vicos lustret, et coronas gestet. Sed cape ipsa oracula, et recita.

ORACULA.

Impero Erechthidis, Pandionis urbis alumnis,
Qui solito regitis semper sacra patria cultu,
Ut Bacchi memores, amplis regionibus urbis
Primitias Bromio celebri tribuatis honore,
Sacra aris fiant, coma sit redimita coronis.

Sacra pro sanitate fiant et vota Jovi supremo, Herculi, Apollini præsidi: pro bona fortuna, Apollini compitalitio, Latonæ, Dianæ, item in compitis crateres statuendi sunt et chori ducendi, et coronæ gestandæ, ritu patrio sublatis puris manibus dextris et sinistris, ad divos divasque cœlestes omnes, et donorum recordandum.

ORACULA DODONÆA.

Populo Atheniensi Jovis filius jubet. Propterea quod tempus solennitatis prætermisistis, delectos [jubet] sacrificulos mitti, qui Jovi Tomario tres boves, binasque cum singulis oves, offerant. *Qui* Dionæ porro bovem et alias victimas, et æream mensam, *offerant*. *Quique* insuper, id donarium, quod populus Atheniensium dedicavit, *offerant*.

ALIUD.

Jovis filius Dodonæ jubet: Baccho publico sumptu sacra facienda, et craterem miscendum, et choros ducendos: Apollini malorum depulsori mactandum bovem, coronasque gestandas tam servis quam ingenuis, et per unum diem ab opere feriandum: Jovi ctesio bovem album immolandum.

16. Sunt, Athenienses, et hæc et alia multa urbi præclara oracula. Quid igitur inde vobis colligendum est? Hoc nimirum: reliqua sacra diis, qui in singulis oraculis nominatim exprimuntur, fieri jubent, choreas autem ducere, patrioque ritu gestare coronas, reliquis omnibus vaticinationibus tanquam appendicem addunt. Choros igitur omnes qui conveniunt et nos ædiles constat illis diebus, quibus ad ludum convenimus ex hisce oraculis, pro sacris ornari coronis, nec minus eum qui postremus omnium, quam qui victor est futurus: die autem victoriali tum demum pro sese coronatur victor. Qui igitur in aliquem e choro, aut ædilem, odio impellente, impetum facit, in ipso certamine præsertim, et dei templo, eum ne aliud quam violasse religionem dicemus? Illud etiam scitis, vos, quanquam velitis

ne quis peregrinus in certamen descendat, omnino tamen ædilium nulli permisisse, ut actores ad magistratus rapiat, eosque dispiciat, sed si citarit, quinquaginta, sin sedere jusserit, mille drachmarum mulctam solvere jussisse. Cur vero? Ne coronatum aliquem et sacris operantem illo die vocet, molestiave aut contumelia afficiat quisquam de industria. Is igitur qui vel actorem citarit, lege indemnis non erit: qui vero ædilem [ipsum] contra leges omnes conciderit adeo manifeste, pœnas non dabit? Atqui nulla erit legum humanarum et popularium utilitas, si contemptoribus et violatoribus earum, vestra, qui singulis temporibus cum auctoritate estis, iracundia non erit metuenda.

17. Agite vero, per deos immortales, illud etiam considerate: oratos autem volo vos, ne mihi succenseatis, si quorundam quibus res adversæ acciderunt, nominatim meminero. Nec enim per deos id a me fiet, ut cuiquam quicquam objiciam, sed ut ostendam, quantopere vos ceteri omnes a vi aut contumelia facienda, et aliis ejusdem generis rebus abhorreatis: est Sannio quidam qui tragicos choros docet. Is desertæ militiæ reus est peractus. Ac adversiore fortuna usus est. Hunc post eam calamitatem, quidam præbitor tragœdorum, æmulandi studio conduxit, Theosdotides, opinor. Ac primum ejus in ædilitate æmuli indignabantur, seque prohibituros minabantur. Ut vero theatro pleno populum ad spectandos ludos convenisse viderunt, veriti sunt, permiserunt, nemo attigit. Ac tantum in unoquoque vestrum in religionem fuisse obsequium videre est, ut omne deinceps reliquum tempus choros doceat, neque ex privatis ejus inimicis quisquam prohibeat. Nedum ut ædilis quisquam ei manus afferat. Alius est Aristides e tribu Œneia, simili fere et ipse calamitate conflictatus. Qui jam et consenuit, et in cœtu ludionum minus est fortasse celebris. Sed aliquando dux et princeps tribus fuit. Scitis autem hoc utique, si quis ducem sustulerit, reliquum chorum perire. Sed tamen cum ædiles inter sese multi ambitiose contenderent, nullus unquam prærogativam hanc animadvertit, aut ausus est eum educere ac prohibere. Nam quia id facere necesse erat, eo manu prehenso, nec licebat citare ad prætorem, sicuti, si quis educere peregrinum voluisset, nemo fuit omnium qui id tam petulans facinus in conspectu populi committere non erubesceret.

18. Nec vero est ferendum, Athenienses, ac potius non gravissime vindicandum, cum ædilium, qui in ea re positam esse victoriam putarent, et sæpe omnes opes suas in hæc munera effudissent, nemo unquam fuerit ausus vel eos attingere, quos legibus licet, sed ita religiosis, ita verecundis, ita moderatis fuisse ingeniis, ut quanquam et sumptus faciebant, et æstuabant, tamen sibi temperarent, et cum vestras voluntates, tum festi studium considerarent: a Midia

homine privato, qui nihil insumpsisset, propterea quod cuidam infensus erat atque inimicus, illum sumptus facientem, ædilem, nulla ignominia notatum, impudenter invadi et verberari, neque festi, neque legum, neque sermonum vestrorum, neque dei habita ratione. Etsi autem, Athenienses, inimicitiæ inter multos intercesserunt, non modo privatis, sed publicis etiam de causis, nullus unquam tamen eo venit impudentiæ, ut tale quicquam auderet. Nam Iphicratem olim illum ferunt a Diocle Pitthensi capitali odio dissensisse. Prætereaque sic evenisse, ut Tisias, Iphicratis frater, in ædilitate cum Diocle componeretur. Sed tamen, quamvis et multos amicos, et magnas opes haberet Iphicrates, tantaque esset animi magnitudine, quanta esse consentaneum est virum et gloriam et eos honores assecutum, quibus ille a vobis ornatus fuerat, non noctu aurificum officinas invasit, neque ad festum parata vestimenta dilaceravit, neque chori magistrum corrupit, neque chorum discere prohibuit, aut quicquam tale, qualia perpetravit iste, designavit: sed et legum et vestrarum voluntatum habita ratione, inimicum suum victorem et coronatum spectare sustinuit. Merito. Nam in qua ipse republica se beatum esse factum sciebat, ei talibus in rebus concedendum putabat. Præterea Philostratus Colonæus, ut scimus omnes, Chabriam, cum dies illi capitis de Oropo dicta esset, accusavit, et quidem omnium accusatorum fuit acerrimus, posteaque cum pueris sumptus ad Bacchanalia suppeditaret vicit, nec illi tamen alapas dedit Chabrias, neque coronam eripuit, nec omnino ad illum accessit, ubi non oportebat. Quanquam autem complures habeo, qui multis de causis inter se inimici fuerunt, nullum tamen audivi unquam, aut vidi, qui eo contumeliæ venerit, ut tale aliquid designaret.

19. Ac ne illud quidem quenquam vestrum scio meminisse prius factum, ut quisquam sive privatim, sive publice susceptis inimicitiis, aut quum judices vocarentur, adstitisset, aut dum jurarent, eosdem jurisjurandi religione solvisset, aut denique ulla tali re hostile odium præ se tulisset, atque effudisset: nam hæc omnia, et ejus generis alia, Athenienses, æmulatione adductum aliquem, qui sit ædilis, facere, nonnihil excusationis habet. Sed ex malevolentia, consulto, aliquem in rebus omnibus exagitare, suamque potentiam et violentiam ostentare tanquam legibus superiorem, grave est mehercule, et iniquum, neque utile vobis. Nam si quisque ædilium hoc sibi certo esse propositum sciret, si mihi ille nescio quis, sive Midias, sive quispiam alius, confidens ita divesque, inimicus fuerit, primum et victoria privabor, etiamsi præclarius aliquo me gessero; deinde rebus omnibus ero inferior et perpetuo contumeliis onerabor: quis ita inconsideratus, aut ita deplorati animi est, qui ultro quidem unicam a se drachmam insumptam velit? Nemo profecto. Sed illud,

opinor, est quod studia et cupiditatem omnium excitat, ut nullis sumptibus parcere velint, quod in populari republica pari æquoque jure cum ceteris, omnes licere sibi vivere arbitrantur. Mihi vero hæc, Athenienses, per istum contingere non potuerunt. Sed præter acceptam contumeliam, insuper victoria quoque sum fraudatus. Atqui vobis omnibus illud ego perspicue demonstrabo, licuisse Midiæ nihil improbe molienti, neque contumeliam facienti, neque verberanti, et exhibere mihi molestiam, et laudem a vobis concessu legum adipisci, et quidem sic ut ego nunc ne hiscere quidem auderem.

20. Decuisset enim, Athenienses, cum ego publice Pandioniæ tribus ædilitatem suscepi, tum ipsum ædilem Erechtheiæ suæ tribus se profiteri; suaque re familiari, exemplo meo, insumenda, sic demum eripere mihi victoriam: sic vero insultare et verberare, ne tum quidem. Nunc id quidem non fecit, quo populo honorem habere potuisset, neque ullum tale suæ generositatis specimen edidit: sed me, qui—sive quis, Athenienses, insaniam eam existimare vult; est enim fortasse insaniæ, niti supra vires: sive liberalitatem—ultro ædilitatem subii, adeo palam et nefarie insultans assectatus est, ut neque a choro, neque a corpore meo manus abstineret. Si quis autem vestrum, Athenienses, Midiæ quidem irascitur, non adeo tamen, ut eum morte mulctandum existimet, is non recte sentit. Nec enim æquum est, aut convenit, ejus qui læsus est verecundiam, illi qui omnes contumeliæ suæ habenas laxavit, ad salutem quicquam opitulari. Sed is quidem sic est puniendus, ut per quem non steterit, quo minus atrocissima quæque perpetrarentur: accusatori vero prompte opem ferendo, gratiam referri decet.

21. Nec enim hoc profecto dici potest, me, cum ex hujusmodi rebus nihil unquam atrocitatis exstiterit, nunc exaggerare hoc factum, et terribile facere. Longe quidem se res aliter habet, quum norint omnes; aut plerique saltem: Euthynum, qui olim palæstrita fuit, illum, adolescentulum, Sophilum, pancratiasten,—fuit is homo robustus, niger, satis scio intelligere vestrum aliquos, quem dicam—, hunc igitur Sophilum Sami in congressu quodam familiarique colloquio, quod ille a quo vapulabat contumeliam ei facere non dubitaverat, in illum sic vindicasse, ut etiam occideret. Norunt ab Evæone multi, Leodamantis fratre, occisum esse Bœotum in cœna, et congressu communi, ob unam plagam. Nec enim plaga excitarat iracundiam, sed ignominia: neque verbera ingenuis sunt acerba, quanquam acerba sunt, sed contumeliæ causa verberari est acerbum. Multa enim is qui verberat, Athenienses, fecerit, quorum quædam is qui læsus est, aliis nec referre possit, gestu, obtutu, voce, quum ut insultans, quum ut inimicus, quum pugno, quum in mala. Hæc commovent, hæc ad insaniam adigunt homines, ferendis contumeliis non assuetos. Neque est, Athenienses, qui hæc referens, acerbitatem rei gestæ auditoribus sic repræsentare possit, sicut revera, ipsoque facto vapulanti et spectatoribus evidens apparet contumelia. Considerate igitur per Jovem et deos, Athenienses, et cogitate vobiscum, quanto majore iracundia me inflammari convenerit, cum a Midia sic tractarer, quam tunc Evæonem illum qui Bœotuminter fecit. Nam is a familiari, eoque ebrio, coram sex aut septem hominibus, iisque familiaribus, vapulavit; qui alterum ob ea quæ fecerat vituperaturi, alterum, si æquo tulisset animo injuriam iræque imperasset, deinde laudaturi erant. Præsertim ad cœnam in ædes ingressum, quo nec accedere ipsi licebat. Ego vero ab inimico, sobrio, mane, contumeliæ causa, non per ebrietatem, in conspectu multorum, et hospitum, et civium, sum contumeliis affectus, atque insuper in templo, quo mihi munus ædilitatis sustinenti magna eundi necessitas incumbebat.

22. Ac me quidem, Athenienses, prudenter aut feliciter potius existimo fecisse, tum qui eo tempore injuriam dissimularim, tum qui per iracundiam non sim ad atrox aliquod facinus impulsus. Sed Evæoni tunc, et omnibus, si quis illi dum contumeliam pateretur, opem tulit, omnino ignosco. Idemque meo quidem judicio, etiam judicum plerique tum fecerunt. Nam uno tantum suffragio damnatum esse audio, idque cum neque flevisset, neque ullum judicem deprecatus esset, neque ullum humanitatis apud judices vel parvum vel magnum signum dedisset. Ponamus igitur sic: eos qui eum damnaverunt, non damnasse propterea, quod se ultus sit, sed quod eo modo, ut etiam occideret; qui absolverunt, etiam hanc immodicam ultionem illi cujus corpus esset violatum largitos esse. Quid igitur? mihi qui ita diligenter cavi, ne quid gravius committeretur, ut nec vim vi repulerim, a quo tandem ultionis injuriarum exigendæ copia fieri debet? Equidem a vobis arbitror, et legibus. Et exemplum istum statui omnibus, contumeliosos omnes et petulantes neminem ipsum ulcisci per iracundiam, sed ad vos adducere debere, ut qui confirmetis et reservetis his qui læsi sunt legum præsidia contra injurios.

23. Credo autem quosdam vestrum audire velle, judices, quæ causæ inimicitiarum inter nos intercesserint. Quum existimetis mortalium neminem ita insolenter et violenter in ullum civem debacchaturum, nisi contra quem gravissimas irarum causas haberet. Volo igitur et de hoc simultatis initio referre, et commemorare, ut intelligatis, eum jure propter illud etiam gravissimas pœnas fuisse daturum. Absolvam autem narrationem hanc breviter, etiamsi altius repetere videbor. Cum admodum adolescentulus, tutores meos male administrati mei patrimonii accusarem, et istum adeo non nossem, ut nec an natus esset scirem (atque utinam ne nunc

quidem nossem), tum quum mihi actio danda esset in diem circiter quartum aut quintum, impetum fecerunt in ædes meas istius frater et iste, trierarchiæ nomine opes mecum permutaturi. Ac nomen quidem ille accommodabat, et erat is qui opes permutaret, Thrasylochus: res vero ipsa, et totius rei administratio istius erat. Ac primum fores ædium, ut quæ jam sui juris ratione permutationis factæ essent, diffiderunt. Deinde cum soror etiam mea tum intus esset, puella adhuc, coram virguncula obscœna locuti sunt, et talia, qualia id genus hominum solet. Nec enim ego me unquam adduci sinam, ut quicquam tum dictum apud vos referam. Ac matrem et omnes non fandis et infandis conviciis prosciderunt. Quod vero gravissimum est, et jam non dictum, sed factum: quasi suum negotium ageretur, tutores judicio liberarunt. Hæc quanquam vetera, quosdam tamen e vobis recordari puto. Tota enim civitas illam permutationem, et illius temporis insidias, et petulantiam istorum cognovit. Atque ego tum omnino destitutus ope amicorum, et admodum adolescentulus, ut ne his quæ apud curatores habebam, privarer, cum me recepturum exspectarem non tantillum, quantum recuperare potui, sed tam multa, quam multis me fraudatum esse noram, do istis viginti minas, quanti trierarchiam locarant.

24. Ac illorum illius temporis in me injuriæ, hæ sunt. Postea vero, dicta illi die ob maledicta, absentem damnavi. Nec enim ad judicium venit. Cumque judicatum non solvisset, nihil rerum ejus, quod mihi licebat, unquam attigi, rursus autem dicta illi die unde vi, nunquam hactenus in hunc usque diem impetrare actionem potui: tot technis et causis subinde inventis iste tergiversatur. Ac ego quidem ita verecunde, legibus, judicio, omnia mihi censeo facienda. Iste autem, ut vos auditis, petulanter non mihi tantum et meis, sed et tribulibus meis insultandum putavit propter me. Hæc ut a me vere dici constet, voca mihi testes, ut sciatis, priusquam auctoritate legum veteres ejus injurias ulcisci possem, me aliis ab eo, quales audistis, esse contumeliis oneratum.

TESTES.

Callisthenes Sphettius, Diognetus Thoricius, Mnesitheus Alopecensis, scimus Demosthenem, cui testimonium dicimus, Midiæ diem dixisse unde vi, ei qui nunc ab eo publico crimine accusatur, et jam octo annos illud judicium elusisse Midiam, ac totius hujus moræ causam exstitisse, semper tergiversantem, et procrastinantem.

De judicio igitur quod scelus, Athenienses, commiserit, audite, et spectate in singulis ejus insolentiam, et confidentiam. Illius enim judicii, hoc dico, quo eum convici, fuit mihi arbiter Strato Phalereus, homo pauper ille quidem et quietus, sed alioqui non improbus, ac potius omnino bonus. Id quod miserum non recte, imo per quam flagitiose, neque jure perdidit. Eo Stratone nobis arbitrante, cum tandem advenisset status dies,—ac omnia constituta legibus peracta essent, ut dilationes, ut exceptiones, neque quicquam restaret amplius—, primum me precatur, ut arbitrium differrem: deinde ut in posterum diem rejicerem. Tandem, quod nec ego consentirem, neque se iste sisteret, et jam advesperasceret, Midiam damnavit. Crepusculo autem, et tenebris ingruentibus, venit Midias ad prætorium, et prætores exeuntes deprehendit, Stratonemque jam abeuntem, qui in reum absentem pronunciarat, ut ego e quodam qui interfuit comperi. Primum igitur persuadere Stratoni conatur, ut sententiam damnatoriam in absolutoriam converteret, utque prætores scripturam mutarent. Et quinquaginta drachmas se illis daturum paciscitur. Qui cum eam rem moleste ferrent, ac neutri eo se adduci paterentur, comminatus multisque conviciis eos insectatus, digressus inde, quid facit? Operæ pretium est spectare ejus malitiam. Quum arbitri sententiam dicta die rescindere vellet, jusjurandum non dedit. Sed contra se ratam fieri sivit. Sic ad novemviros absque jurejurando est relata. Et quia clam fraudem struere instituerat, observato arbitrorum die ultimo, qui mense Aprili aut Maio est, ad quem arbitrorum alius venit, alius non venit, consuli persuasit, ut sententiam ferret contra omnes leges, nullo viatore adscripto, accusato absente, præsente nemine, loco movet, atque ignominia notat, arbitrum: et nunc unus Atheniensium, quia Midias deserti vadimonii damnatus est, totius reipublicæ commodis spoliatus, ab omni dignitate privatus est. Sic nec accepta injuria diem dicere, nec arbitrum esse Midiæ, denique nec eadem ire via, ut apparet, tutum est.

25. Sic autem hoc negotium vobis considerandum est, animoque reputandum, quid tandem sit, qua [tam atroci] affectus injuria Midias, ab homine cive tantum exigere pro factis supplicium studuerit. Quod si revera quid intolerabile atque immane fuerit, veniam meretur: sin tale nihil, spectate scelus et crudelitatem, qua in omnes obvios semper grassatur. Quid est igitur quod sit perpessus? Magno scilicet judicio damnatus fuit, et tanto, ut tota re familiari privaretur. At mille drachmarum duntaxat lis erat. Omnino. Sed mordet etiam hoc, inquiet aliquis, quum per injuriam, judicatum solvendum est. At statum diem præterisse ignorabat, quod fraude captus esset. Imo illo ipso die cognovit, idque maximo argumento est, hominem illum nihil injuste fecisse. Iste vero drachmam nondum ullam solvit. Sed de hoc posterius. Atqui licebat ei profecto referre causam ad judices, et defendere judicium esse nullum, ac mecum experiri, cum quo ab initio res ei fuerat. Sed hoc noluit. Et ne Midias definito legibus decem minarum judicio periclitaretur, cui se non stitit, (quod factum oportuit, quo, si deliquisset, pœnas daret, sin minus, absolveretur), civem Atheniensem digni-

tate spoliari oportet, negata omni venia, omni defensione, omni æquitate, quæ etiam palam convictis injuriarum conceduntur omnia. Postquam autem in ordinem coegit, quem voluit, et vos hoc ei condonastis, suumque impudentem animum, quo talia consilia nectit, explevit, tum saltem hoc fecit: judicatum solvit, propter quod hominem perdidit; at ne teruncium quidem in hunc usque diem. Potiusque actione unde vi postulari non recusat. Alter igitur ignominia notatus propter nostras rixas, periit, alter, cui mali nihil quicquam accidit, sursum deorsum leges, arbitros, omnia quæ libido tulerit, versat. Ac sententiam latam in arbitrum, quam reo non vocato per insidias elicuit, ipse sibi ratam fecit: qua vero ipse mihi tenebatur, vocatus, sciens, vadimonium deserens, irritam facit.

26. Atqui si iste tanta pœna dignos judicat eos, a quibus absens damnatur: quas pœnas istum dare vobis oportebit, ita manifeste leges vestras per contumeliam violantem? Nam si ignominia, si legum, si judiciorum, si rerum denique omnium privatio, illius injuriæ digna pœna est, contumeliæ certe parva erit, meo quidem judicio, mors. Ut autem vera me dicere constet, voca mihi harum rerum testes, et arbitrorum recita legem.

TESTES.

Nicostratus Myrrhinusius, Phanias Aphidnæus, scimus, Demosthenem, cui testimonium dicimus, et Midiam qui a Demostheno accusatur, quum ob maledicta diem illi dixisset, sumpsisse arbitrum Stratonem, et quum vadimonii dies lege præfinita adesset Midiam apud arbitrum se non stitisse, sed deseruisse vadimonium. Damnatum igitur Midiam absentem scimus conatum esse persuadere Stratoni arbitro, et nobis, qui temporibus illis novemviri eramus, ut arbitrium rescinderemus, drachmis quinquagenis promissis. Quod ubi recusavimus, nobis minitatum insuper discessisse. Ob hanc causam scimus Stratonem a Midia insidiose circumventum, et contra omne jus et æquitatem ignominia notatum esse.

Recita etiam arbitrorum legem.

LEX.

Si qui de privatis contractibus litigarint, et arbitrum sumere voluerint quemcunque, eis liceat sumere, quemcunque voluerint arbitrum. Quod si communiter sumpserint, acquiescant in ejus sententia, neque ab hoc in aliud judicium eadem crimina deferant: sed quæ ab arbitro judicata fuerint rata habento.

27. Age, voca etiam Stratonem ipsum, eum qui talia pertulit. Stare enim ei profecto licebit: hic, Athenienses, pauper fortassis est, improbus non est. Qui cum civis sit, et omnes expeditiones juvenis obierit, neque sceleris quicquam admiserit, nunc tacitus adstat, non aliis modo communibus bonis spoliatus, sed loquendi etiam lamentandique potestate; ac jurene an injuria hæc sibi acciderint, ne id quidem apud vos audet exponere: et hæc a Midia perpessus est, et a Midiæ opibus, atque insolentia, ob paupertatem, solitudinemque suam, et ordinem plebeium. Qui, si legibus contemptis, quinquaginta drachmis ab isto acceptis, damnatoriam sententiam in absolutoriam mutasset, jam honoribus fungeretur, et, sine ullo malo, æquo jure cum reliquis civibus frueretur. Sed quia justitiam pluris fecit quam Midiam, et leges magis timuit, quam istius minas, ob hæc in tantam et talem calamitatem ab isto est injuria conjectus. Vos igitur hominem ita crudelem, ita inhumanum, tantum supplicium pro his exigentem, in quibus injuriam sibi esse factam duntaxat dicit,—nec enim facta illi fuit injuria—, hunc, inquam, in civium aliquem contumeliose palam insultantem, absolvetis, et qui, neque festi, neque sacrorum, neque legis, nec alterius rei ullius rationem habet, non condemnabitis? Non in eo exemplum aliis statuetis? Ecquid dicetis, judices? quam, obsecro vos, æquam excusationem habituri estis, aut honestam? Eam scilicet, esse petulantem et improbum? Nam hæc certe vera sunt: sed odio prosequendi, judices, vobis sunt potius tales, quam servandi. Num quia dives? At hanc fere causam esse injuriarum ejus et petulantiæ reperietis. Quare occasio hæc et facultas, propter quam ita insolescit et grassatur, adimatur ei potius, quam propter eandem conservetur. Magnam enim pecuniam in hominis confidentis et improbi manu relinquere, id est ensem illi porrigere, quo jugulemini.

28. Quid restat igitur? Ut vos ejus miserescat scilicet. Nam filiolos adducet, et lamentabitur, et eorum precibus se donari petet: hoc enim est reliquum. Atqui nostis hoc profecto, qui indigne malo aliquo conflictantur, cui ferendo sint impares, eorum moveri misericordia oportere, non istorum qui dant perpetratorum scelerum pœnas. Ecquem isti jure moverent? qui videat istum hujus filiis nihil esse motum, qui præter mala cetera, calamitati patris nullam adhiberi posse medicinam sciunt. Nec enim inflicta illi mulcta est, qua dissoluta pristinam recuperare dignitatem liceat, sed ita simpliciter impetu iracundiæ et contumeliæ Midianæ est ignominia notatus. Cujus ergo ferocitas comprimetur et frangetur audacia, cui tandem opes, propter quas iste hæc facit, eripientur, siquidem isti tanquam calamitoso vos misericordiam tribuetis: sin pauper aliquis, scelere nullo obligatus, in summas ab isto miserias per injuriam est conjectus, hujus vicem nihil irascemini? Absit. Neminis enim miserendum est, qui neminis miseretur, neque quicquam illi veniæ dandum, qui veniam dat nemini. Nam ego quidem ita sentio, mortales omnes in hac sententia esse, ut existiment, oportere unumquemque ex tota sua vivendi ratione quasi stipem quandam ad degendam vitam colligere, non eam tantum quam colligunt, et quam explent aliqui, sed aliam etiam, veluti: ego quisquis sum qui adsum æquus sum comisque erga omnes, misericors, beneficus in multos. Omnes decet tali homini eadem tanquam tributum pendere,

si quando vel occasio vel necessitas inciderit. Alter qui adest quisquis est violentus, sævus, qui tum neminis miseretur, tum neminem hominem esse putat. Eadem hæc vectigalia isti apud singulos reposita esse decet. Tu igitur, qui talem collectam expleveris, dignus es qui ipse nunc eandem recipias.

29. Arbitror equidem, Athenienses, etsi præterea nihil accusandum in Midia haberem, nec ea quæ dicenda restant, superiorum criminum atrocitatem superarent, jure vos ex his quæ diximus eum condemnaturos et capite litem æstimaturos. Non tamen hic rei finis fuit, neque mihi plura, quæ subjiciam, defutura sunt. Tantam iste mihi accusandi sui copiam suppeditavit. Quod igitur desertorum ordinum actionem contra me machinatus est, et qui id faceret mercede conduxit, inquinatum illum et nimis expeditum, Euctemonem pulvisculum, prætermittam. Nec enim sycophanta ille mihi negotium facessit, nec iste ullam ob aliam causam conduxit, nisi ut ante statuas heroum exstaret, omnesque viderent: E u c t e m o n L u s i e n s i s a c c u s a v i t D e m o s t h e n e m P æ a n i e n s e m d e s e r t o r u m o r d i n u m. Ac mihi videtur illud, si quo modo licuisset, libenter adscripturus, se a M i d i a c o n d u c t u m accusare. Sed hæc omitto. Nam quo ipse judicio, actione omissa, infamem sese reddidit, de eo mihi non opus est alio judicio, sed hac ultione sum contentus.

30. Quod vero, Athenienses, et acerbum, et miserandum, et commune mihi quidem piaculum, non scelus, admissum esse ab eo videtur, id jam dicam: nam afflicto et ærumnoso Aristarcho Moschi filio quum malum et grave crimen objiceretur, primum, Athenienses, in foro obambulans, impios et non ferendos de me sermones spargere audebat, me illius facinoris esse auctorem. Quibus rebus cum nihil proficeret, accedens ad eos, qui eum cædis ejus insimulabant, perempti necessarios, pecuniam pollicebatur, si me illius criminis arcesserent. Nec ab eo conatu, vel religio, vel jus et fas, vel quicquam eum aliud impediit, atque deterruit. Nec illorum puduit, a quibus ista petebat, si tale ac tantum crimen in aliquem insontem conjiceret. Sed, cum hunc unum sibi quasi limitem præfinisset, ut me tolleret e medio, nihil prætermittendum esse duxit, quasi vero oporteat, qui, contumeliis et injuriis ab eo oneratus, ultionem flagitat nec reticet, eum exterminatum tolli e medio, nec usquam respirare, quin et desertorum ordinum reum peragi, et cædis accusari, ac tantum non palo affigi.

31. Quod si hæc fecisse convincetur, præter ea quibus in ædilitate me exagitavit, quam jure misericordiam a vobis, quam veniam consequetur? Nam ego quidem, Athenienses, his machinationibus interfectorem meum exstitisse illum judico; ac tum quidem Bacchanalibus ornatum, et corpus, sumptusque meos omnes læsisse, nunc vero

his quæ moliebatur et struebat, tum illa, tum cetera omnia, tum urbem, tum familiam, tum jus honorum, tum fortunas, tum spes: nam si unæ ejus insidiæ successum habuissent, omnibus his fuissem spoliatus ego, nec domi sepeliri mihi licuisset. Quamobrem, judices? Quod si cui, eo quod contra omnes leges injuriis et contumeliis agitatus a Midia, opem judicum et fidem implorarit, hæc et hujusmodi alia perpetienda erunt, adorare injurios et contumeliosos, quemadmodum fit apud barbaros, non ulcisci, consultissimum fuerit.

32. Atque ut me vera dicere, et hæc ab insano et impudente isto ceteris esse facinoribus adjecta constet, voca mihi harum rerum testes.

TESTES.

Dionysius Aphidnæus, Antiphilus Pæaniensis, sublato Nicodemo, cognato nostro, violenta morte ab Aristarcho Moschi filio, reum cædis agebamus Aristarchum. Ea re Midias animadversa, qui nunc accusatur a Demosthene, cui nos testimonium dicimus, nos data pecunia tentabat, ut omisso et liberato Aristarcho, Demostheni judicium cædis intentaremus.

Cape mihi jam etiam legem de muneribus. Interim vero, Athenienses, dum iste legem profert, volo pauca ad vos dicere, precatis vobis omnibus: per Jovem et deos, judices, omnia, quæ a me audietis, sic audite, ut cum animis vestris cogitetis, quidnam vestrum aliquis, si talia perpessus esset, fecisset, quantaque indignatione factam sibi injuriam vindicandam censuisset. Nam ego graviter tuli equidem contumelias in munere obeundo mihi factas, sed multo etiam gravius, Athenienses, ea quæ secuta sunt, majoreque cum indignatione tuli. Quem enim omnino finem esse dixeris improbitatis, atque summæ impudentiæ, et crudelitatis, et contumeliæ, si quis, postquam aliquem multis hercule et non ferendis injuriis agitarit, illas adeo non emendet mutatasque velit, ut multo etiam atrociora insuper designet, nec opibus ad ea utatur, quibus sine cujusquam offensa suis ipse commodis consulat, sed ad contraria magis, per quæ aliquo injuste ejecto, et contumeliis onerato, copiis et abundantia divitiarum ipse beatus videatur? Hæc autem, Athenienses, iste in me omnia designavit: quem et falso crimine cædis reum fecit, quod in me non cadebat, ut res ipsa declaravit. Et desertorum ordinum accusavit, tribus ipse ordinibus desertis. Et rerum Euboicarum,—nam hoc pene omisissem—, a Plutarcho hospite atque amico suo gestarum, culpam in me transferre conatus est, antequam constaret inter omnes Plutarchum auctorem esse: denique cum sortito mihi senatorius ordo decerneretur, et de me censura fieret, accusavit. Et in summas angustias sum redactus: nam non modo atroces injurias mihi factas ulcisci non licebat, sed periculum etiam erat, ne alienorum scelerum pœnas darem. Quæ cum ego ferrem, et hoc quo re-

censeo modo agitarer, quanquam nec omnium desertissimus, neque nimis pauper atque inops, quid agere debeam, Athenienses, non invenio. Si quid enim etiam hac de re jam dicendum est, non pari æquoque jure, Athenienses, vivimus cum opulentis nos tenuiores: non vivimus; non: sed et dilationes sistendi se judicio, quas ipsi volunt, eis conceduntur; et injuriæ istorum obsoletæ jam et frigidæ ad vos perveniunt. Nos autem reliquum vulgus, si quid contigit, recentibus adhuc delictis in judicium adducimur. Et testes istis in promptu sunt, et advocati omnes expediti contra nos: mihi vero nec vera testari velle quosdam cernitis.

33. Et hæc quidem cum lacrymis dixerit aliquis, opinor. Sed legem mihi recita, quemadmodum cœperam. Recita.

LEX.

Si quis Atheniensium ab aliquo acceperit, aut ipse alteri dederit; aut pollicitis aliquos corruperit, ad nocendum populo, vel privatim alicui civium, modo machinationeve quacunque, ignominiosus esto tum ipse, tum liberi, tum quicquid ejus est.

Iste autem tam est homo impius et pollutus, et ad quidvis dicendum faciendumque paratus,—verumne sit an falsum, amicum oppugnet an inimicum, id genus cetera, pensi nihil habens—, ut me, quem homicidii crimanatus fuerat, tanto scelere objecto, nihilominus pro feliciori senatus ingressu rem divinam facere, et sacrificare, et victimas ferire siverit pro vobis totaque republica, idemque non prohibuerit, quo minus spectaculi princeps, in honorem Nemii Jovis commune pro republica spectaculum celebrarem: prætereaque permiserit, ut sacerdos venerandis deabus deligerer ex omnibus Atheniensibus, cum duobus collegis, victimasque ferirem. Nunquid igitur, si punctum duntaxat aut umbram eorum quæ in me machinabatur, ostendere potuisset, hæc concessisset? Ego quidem non opinor. Itaque his rebus evidenter convincitur, id eum sibi studio habuisse, ut me per libidinem et petulantiam urbe ejiceret. Sed cum id facinus, quoquo se verteret, nullo modo in me derivare posset, aperte jam, me relicto, Aristarchum criminabatur, atque ut cetera taceam; senatu ea de re coacto et deliberante, iste progressus: ignoratis, inquit, rei veritatem, senatores? et cum homicidam habeatis, Aristarchum intelligens, tempus teritis, et inquiritis, et nugas agitis? non eum occidetis? non in ædes facietis impetum? non comprehendetis? Hæc dicebat scelerosum istud caput, et impudens, quum pridie fuisset ab Aristarcho egressus, itaque ejus consuetudine ut alius quispiam usus, quum ille, rebus suis secundis, omnium acerrime a me contendisset, ut cum isto redirem in gratiam, atque transigerem.

34. Quæ si ita dicebat, ut Aristarchum eorum aliquid propter quæ periit, designasse existimaret, fidemque verbis accusatorum adhibebat; ne tum quidem sic decuisset. Moderata enim amicorum pœna hæc est, si quid atrocius designasse videantur, ab illorum consuetudine deinceps te segregare. Ulcisci autem et persequi, læsis atque inimicis relinquitur. Sed hoc ei sane condonemus. Sin autem hospitio ejus usum, et sub ejusdem tecto versatum esse, tanquam omnis criminis expertis, constabit, illa vero dixisse atque objecisse calumniandi mei causa: nonne decies, vel decies millies potius, jure meritoque occidetur? Atqui me vera dicere, et pridie quam hæc loqueretur, istum accessisse et sermonem contulisse; postridieque iterum—quid vero ad summam istam impuritatem addi potest, Athenienses?—domi illum convenisse, et juxta assidentem, dextera injecta, præsentibus multis, post ista verba in senatu, quibus Aristarchum ut homicidam detulerat, gravissimeque criminatus fuerat, adjurantem, exitium ipsum sibi imprecantem, si quid de illo mali dixisset, nec reformidasse perjurium, quamvis ejus rei conscii adessent; ac per eum studuisse redire mecum in gratiam, uti constet: etiam horum, eos qui interfuere, testes vobis cito. Nonne vero indignum facinus est, Athenienses, ac potius impium, asserere homicidam esse eundem, ac rursus, id se non dixisse, ejurare, cuique cædem objecerit, cum illo sub eodem versari tecto? Quod si ego istum dimisero, vestro in istum præjudicio deserto, nihil delinquo, si diis placet. Sin jus meum persequor, ordines deserui, cæde sum pollutus, me tolli oportet e medio. Ego vero contra sentio: si istum dimisissem, me, Athenienses, relicturum fuisse justitiæ ordinem, mihique jure diem homicidii dicendum. Nam id si fecissem, non utique vivere me decuisset.

35. Ut igitur hæc quoque vere a me dici constet, etiam horum voca mihi testes.

TESTES.

Lysimachus Alopecensis, Demea Suniensis, Chares Thoricius, Philemo Sphettius, Moschus Pæaniensis, quibus temporibus Aristarchus Moschi filius apud senatum est delatus, de occiso Nicodemo, scimus Midiam, qui a Demosthene, cui testimonium dicimus, accusatur, ad senatum ingressum dicere, non alium ullum esse Nicodemi interfectorem, quam Aristarchum, qui id facinus suis manibus perpetrasset; consiliumque dedisse senatui, ut in Aristarchi ædes facto impetu eum comprehenderent. Hæc autem ad senatum dicebat, quum pridie cum Aristarcho et nobiscum esset cœnatus. Scimus porro Midiam, ut a senatu recesserat et ea verba dixerat, denuo ad Aristarchum ingressum, illique [sic] injicientem dextram; et cum devotione sui capitis jurantem nihil se in senatu mali de eo dixisse, atque ab Aristarcho petentem, ut sibi Demosthenem reconciliaret.

Quid igitur addi potest? quæ istius similis fuit, aut fieri potest, improbitas? qui hominem calamitosum, a quo nulla re læsus fuerat,—omitto dicere amicum—, simul et calumniandum censuit, et oran-

dum ut se apud me in gratia poneret, eaque egit, et sumptus fecit in hoc, ut una cum illo me quoque per injuriam ejiceret civitate?

36. Istum igitur talem morem et machinationem, Athenienses, ut qui sibi factas injurias jure ulciscuntur, pluribus etiam afficiantur malis, non quidem graviter et iniquo animo ferre me, vos autem reliquos negligere decet: minime profecto id committendum est; sed pariter omnes irasci debetis, illud reputantes et considerantes, injuriis accipiendis, Athenienses, maxime opportunos esse nostrum pauperrimos quosque et infirmissimos. Inferendis autem, sic ut non modo facinorum pœnas ipsi non dent, sed etiam aliquos mercede conducant, qui vicissim negotia facessant accusatoribus, [paratissimos et expeditissimos esse] homines petulantes et pecuniosos. Non igitur negligi talia debent, neque eum qui metu sui et terrore prohibet, quo minus a se injuriarum, quæ alicui nostrum factæ fuerint, pœnæ expetantur, aliud facere censendum est, quam æqualitatis et libertatis societatem nobis ereptum ire. Nam ego quidem fortassis atque alius quispiam falsum crimen atque calumniam repulerimus, non statim consternati et afflicti. Vos autem reliqui e populo quid facietis, nisi exemplum statueritis, quo deterreantur omnes a divitiis in tales abusus convertendis? Ubi rationem reddideris, judiciumque subieris, quibus de rebus accusaris, tum vindicandum in eos qui falsum in te crimen jecerint, ac tum, si quis te deliquisse viderit, non est tollendus e medio, neque, ubi falsa crimina objeceris, conandum ut sine judicio absolvaris, aut pœnas infligi tibi ægre ferendum, sed ante cavendum est, ne petulanter quicquam committas.

37. Quas igitur injurias et contumelias, tum corpore meo, tum in ædilitate perpessus, quibus et quam variis insidiis appetitus, quibus malis oneratus, tandem evaserim, audivistis, Athenienses, quanquam multa præterii. Nec enim explicari facile fortassis omnia queant. Sic autem se res habet: nullum est facinorum omnium, quod ad me solum attineat, nam in iis per quæ chorus violatus est, tribus nostra, decima vestrum pars, una est violata; injuriis et insidiis mihi factis, leges, quarum præsidio unusquisque vestrum salvus est; præter hæc omnia vero deus ille, cujus ego ædilis eram, et religionis, quæcunque illa est majestas et divinitas, una læsa est. Decet igitur eos qui pro atrocitate facinorum de isto pœnas sumere volunt, non ita modo irasci, quasi de me tantum agatur, sed quasi eadem opera leges, deus, respublica, simul omnes violati sint, sic exigere supplicium: istius porro adjutores et advocatos non patronos esse tantum, sed approbatores etiam facinorum istius existimabitis. Quod si, Athenienses, sobrium et moderatum erga alios Midias se gessisset, neque reliquorum civium ullum læsisset, atque in me solum adeo petulans et violen-

tus exstitisset, primum equidem id infelicitati meæ tribuissem; deinde vererer, ne iste, reliquæ suæ vitæ moderatione et humanitate ostensa, ea re id consequeretur, ut impune ferret injurias mihi factas. Nunc tot ejus exstant in multos vestrum edita facinora, et talia, ut hac solicitudine liberatus, contra magis timeam, ne, ubi audieritis alios ab eo multa et atrocia esse perpessos, talis aliqua cogitatio vobis incidat: quid igitur, non gravioribus quam alii affectus injuriis, indignaris? Omnia quidem istius facinora neque ego vobis exponere queam, neque vos audienda censeatis, nam tametsi nobis aqua geminetur, et istius, ad eam quæ mihi data est, addatur, non tamen sufficeret. Quæ vero maxima sunt, et evidentissima, hæc dicam. Vel illud potius faciam. Legam vobis, quos mihi ipsi confeci omnes commentarios. Dicam vero primum id, quod vobis audire placuerit: deinceps alterum, et reliqua eodem modo, quoad audire volueritis. Sunt autem scelera omnis generis, injuriæ contumeliæque multæ, in familiares maleficia, commissa in deos piacula, neque locus ullus est, in quo istum non morte digna commisisse multa inventuri sitis.

COMMENTARII FACINORUM MIDIÆ.

38. Quam multa igitur, Athenienses, perpetuo in obvium quemque commiserit, hæc sunt. Ac alia multa præterii. Nec enim semel quisquam referre queat, ea quæ iste petulanter atque assidue longo totius vitæ tempore perpetravit. Est et operæ pretium videre, quantos jam animos ei fecerit horum facinorum omnium impunitas. Nec enim putavit, ut mihi videtur, illustre, aut animosum, aut morte dignum esse, quicquid unus aliquis cum uno egerit. Sed, nisi totam tribumque et senatum et gentem probris affecisset, et multos vestrum simul exagitasset, vitam sibi acerbam fore putavit. Ac cetera quidem, cum infinita dicenda haberem, taceo. Sed de equitibus qui Arguræ expeditionis commilitones ei fuerunt, scitis utique omnes, quales conciones apud vos habuerit, Chalcide reversus, quum accusaret ac diceret, illum exercitum cum ignominia reipub. exivisse: et quibus conviciis propter eos Cratinum, qui nunc ei, ut audio, patrocinabitur, propterea fuerit insectatus, meministis. Eum igitur qui tam multorum civium simul tantas inimicitias et odia suscipere de nihilo non dubitat, quanta improbitate et confidentia hæc agere putandum? Atqui uter, Midia, dedecori sunt civitati, qui acie instructa et armis, quibus oportebat eos, qui hostibus occursuri essent, ornati, transfretarunt, et se cum sociis conjunxerunt, an vero tu, qui in sortitione vota faciebas, ne tibi militandum esset; ac thorace nunquam induto, mulo vectus ex Argura Eubœæ, cum lænis et cymbiis et cadis, qui publicani pignerabant? Hæc enim

ad nos legionarios perferebantur. Nec enim ad eundem cum istis locum pervenimus. Ita si te propter hæc derisit Archetio, aut aliquis alius, omnes agitasti? Nam si illa fecisti, Midia, quæ de te socii equites jactabant, et tu de te dici quereris, jure male audiebas. Etenim et illos, et hos, et totam civitatem injuriis et probris afficiebas. Sin te tale nihil designantem quidam confixerunt, de te mentientes, reliquique milites illos non objurgabant, sed tua infamia lætabantur, perspicuum est, te visum esse propter reliquæ tuæ vitæ petulantiam talia maledicta commeruisse. Majus igitur habere modestiæ studium te decuisset, non illos calumniari. Tu vero minitaris omnibus, exagitas omnes; postulas ut alii, quid tu velis, considerent, ipse, quid sine molestiis aliorum facere possis, non consideras. Jam quod indignissimum est et maximum meo quidem judicio petulantiæ signum: tot homines, nefarium caput, tu simul in concione accusabas! quod quis alius non horruisset?

39. Jam ceteris hominibus in judicium adductis, judices, unum atque alterum crimen objici video; atque illis tales excusationes abunde suppetere: Quis vestrum talis noxæ mihi conscius est? Quis vestrum talia me facere vidit? Non ita est.—Sed in me isti ex inimicitiis mentiuntur. Falsis testimoniis oppugnor. Ejus generis alia. Isti vero contrario modo res sese habent. Vos omnes enim scire arbitror mores ejus et petulantiam, vitæque insolentiam, et jamdudum plerosque mirari existimo, cur quædam, quæ ipsi norunt, nunc ex me non audierint. Multos etiam injuriis oneratos, nec pro testimonio dicere velle omnia video, quæ ab isto sunt perpessi, cum violentiam istius et importunitatem metuant, atque opes, quæ potentem et metuendum nefarium istum efficiunt. Nam quod auctoritate divitiisque pollens improbus est, et petulans, eo quasi propugnaculum quoddam habet contra subitos vindictæ insultus. Sed si ei res familiaris adimatur, fortasse fiet in posterum modestior. Posteaque minoris putabitur quam omnium minimus apud vos. Frustra enim conviciabitur et clamitabit. Si quid admiserit, eadem qua nostrum aliquis pœna afficietur. Nunc præsidiis eum niti videmus Polyeucti, Timocratis, Euctemonis, nequissimi hominis. Tales quosdam satellites secum habet. Et præter hos, alios, testium constitutam sodalitatem, aperte quidem non adversantium vobis, sed tacite mendacia facillime nutu comprobantium. Quos medius fidius nihil ab isto emolumenti capere puto. Sed in hoc artificio exercitatissimi sunt, Athenienses, ut cum divitibus se conjungant, his adsint, testimonium dicant. Sunt autem ista omnia, opinor, terribilia ceteris vobis, per sese rerum suarum, ut quisque potest, satagentibus. Qua etiam de causa vos convenitis: ut quibus singulatim unusquisque vestrum est inferior, sive amicis, sive opibus,

aliqua re simili, illorum singulis congregati sitis superiores, eorumque ferociam coerceatis.

40. Jam fortasse talis etiam ad vos aliqua ratio perferetur: Quid igitur, si ille hæc, et hæc, perpessus est, cur me non ultus est? vel Quid igitur? item, alio fortasse quopiam e læsis nominato. Ego vero quibus de causis opitulari sibi quisque negligat, omnes vos scire arbitror. Nam et occupationes, et studium tranquillitatis, et infantia, et inopia, causæ denique aliæ infinitæ sunt. Non tamen decere arbitror, istum talia nunc afferre, sed ab objectis criminibus alienum et purum esse sese ostendere. Quod si nequeat, propterea multo magis exitio esse dignum. Nam si tam potens est, ut talibus factis, nemo nostrum judicio cum eo agere, aut ejus injurias ulcisci possit; nunc vindicta publica, postquam constrictus tenetur, ab omnibus nomine omnium est puniendus, tanquam communis hostis reipublicæ: fertur aliquando fuisse in hac urbe, veteris illius felicitatis temporibus, Alcibiades, qui quibus et quantis in populum beneficiis collatis, considerate quæso, quomodo a majoribus vestris fuerit tractatus, posteaquam omnem grassandi licentiam sibi sumendam censuit. Neque hæc eo dico, quod Alcibiadi Midiam comparatum velim. Non ita sum demens, nec attonitus ego. Sed ut sciatis vos, Athenienses, et statuatis, nullam neque esse, neque futuram esse, vel familiam, vel opulentiam, vel potentiam, quæ populo, conjuncta cum insolentia et injuria, sit ferenda.

41. Nam is paternum genus ab Alcmæonidis ducere perhibetur; quos aiunt mota pro libertate populi contra tyrannos seditione, actos esse in exsilium, et pecuniam Delphis mutuatos, liberasse civitatem, Pisistrati filiis ejectis: maternum ab Hipponico, quæ familia et ipsa optime de populo sæpenumero merita est. Neque ille hæc a majoribus duntaxat acceperat, sed et ipse pro populo, correptis armis, bis Sami, tertio in hac ipsa urbe, suo corpore suam benevolentiam, non pecuniis, aut verbis patriæ probavit. Præterea equestribus Olympiæ certaminibus contendebat, optimus item imperator, et summus, ut aiunt, orator ille habebatur. Sed nihilominus [illis temporibus] majores vestri istius æquales ob nihil horum se ab illo vexari contumeliose passi sunt: sed exsilio mulctatum ejecerunt, et quamvis Lacedæmoniorum opes magnæ tum essent, tamen et Deceleam contra se muniri, et naves intercipi, omnia denique tolerarunt, quidvis invitos pati præstabilius esse putantes, quam volentes concedere ut vexarentur. Sed quæ tandem illius tanta fuit injuria, quantarum iste nunc est convictus? Taureæ ædili alapam dedit. Sit ita sane. Sed ædilis ædili id fecit, nondum hac lege violata. Nam eo tempore lata nondum erat. Pictorem Agatharchum in vincula conjecit. Nam et hæc dicunt. At id delinquentem eum depre-

henderat, ut aiunt. Quod ne criminis quidem objici loco debet. Mercuriales statuas mutilavit. Omnia quidem impia facta eadem severitate sunt vindicanda: sed sacra prorsus abolere, est in quo a mutilatione statuarum differat? Atqui iste facinoris hujus convictus est. Conferamus igitur quis iste sit, et quibus ista fecerit.

42. Proinde præterquam quod inhonestum est, neque licitum, judices, ne fas quidem esse vobis, talium virorum posteri cum sitis, existimate, ut hominem improbum et violentum et contumeliosum, et omnis dignitatis expertem, posteaquam vestræ potestati subjectus est, quisquam aliqua venia, vel humanitate, vel misericordia dignetur. Id enim qua de causa fieret? Propter gesta imperia? At ne per se quidem miles est ullius pretii, nedum aliorum imperator. Eloquentiæ gratia? Qui publice nihil unquam boni dixit, privatim omnes homines maledictis insectatur. Ob nobilitatem generis medius fidius? Et quis vestrum nescit occultos tanquam in tragœdia istius natales? cui duo maxime contraria contigerunt. Nam vera mater, quæ eum pepererat, omnium mortalium sapientissima, quæ esse videbatur et adscititia, mulierum omnium stolidissima fuit. Illud argumento est. Quod illa statim natum vendidit, hæc, cum eodem pretio meliorem parare licuisset, istum emit. Proinde propter hoc, bonis ad se nihil attinentibus potitus, et patriam consecutus, quæ maxime civitatum omnium legibus regitur, nullo certe modo has ferre, neque hisce uti potest. Sed natura vere barbarica et diis inimica trahit et cogit, et prodit eum iis quæ habet, tanquam alienis, sicut illi revera sunt, utentem. Quum autem facinora tot et tanta in istius furiosi et impudentis vita emineant, quidam me aggressi, judices, ex familiaribus ejus, hortati sunt, ut desisterem atque actionem omitterem, quod cum mihi non persuaderent, istum multa eaque atrocia commisisse, suorumque facinorum jure quasvis pœnas daturum, negare non audebant, sed huc se recipiebant, esto, sit jam convictus et condemnatus: quam ei mulctam irrogaturos esse judices putas? non vides, eum abundare opibus, instructasque triremes aliaque munera obita allaturum? provideto, ne his se redimat, et longe minore in ærarium conjecta pecunia, quam quantam tibi pollicetur, te derideat.

43. Ego vero primum nihil putidum et abjectum a vobis exspecto, nec existimo vos litem illi minoris æstimaturos, quam, qua mulcta iste soluta, contumeliosus esse desinat. Quæ præstantissima fuerit, mors: proxima, bonorum omnium publicatio. Deinde quod ad obita munera et triremium instructionem, atque ejusmodi sermones attinet, sic sentio. Si hoc, Athenienses, est servire reipublicæ, apud vos in omnibus concionibus, atque ubique locorum inculcare: nos hi sumus qui obeamus munera, nos primi vobis tributa pendimus, nos divitiis abundamus: hæc inquam dictitare, si est servire reipublicæ, fateor exstitisse Midiam omnium civium splendidissimum. Occidit enim fastidio in concionibus omnibus et aures obtundit hisce ingerendis. Sin considerandum est, quæ revera illa munera sint quæ Midias obit, ego vobis exponam. Videte igitur quanta æquitate sim cum eo acturus, ad me facta collatione. Iste, Athenienses, natus annos quinquaginta circiter, aut paulo minus, nihilo plus vobis præstitit quam ego, qui annum ago alterum et trigesimum. Ac ego illis fui temporibus trierarchus, statim pueritiam egressus, quibus bini triremem instruebamus, et sumptus omnes ex privato promebantur, et naves ipsi complebamus. Iste autem, cum id ætatis esset, qua ego nunc, nondum quicquam reipublicæ præstare cœperat. Sed tum demum rem attigit, cum primum vos ducentos et mille attributos fecistis, a quibus talentum exigentes, talento trierarchias locant isti. Deinde et nautas et epibatas respublica suppeditat, et armamenta præbet, quare illorum quidam tam bona conditione sunt, ut, cum revera nihil impenderint, multum præstitisse videantur, et a reliquis oneribus facti sint immunes.

44. Age vero quid aliud? Tragœdis iste aliquando sumptus præbuit: ego vero tibicinibus. Et hanc impensam illo sumptu multo esse majorem, nemo profecto ignorat. Ac ego quidem nunc ultro, ille vero tunc ædilitate ob judicium permutationis suscepta. Pro quo nemo illi quicquam utique debet. Quid præterea? Tribui epulum ego præbui, et Panathenæa instruxi. Iste neutrum fecit. Classis ego vobis in tributo conferendo princeps decennium fui, æque ut Phormio, ut Lysithides, ut Callæschrus, et ditissimi quique, munificus non de opibus quas habeo; nam a tutoribus his fraudatus fui: sed de opinione relicti mihi patrimonii, quod sumpta virili toga, restitui mihi decuisset. Ac ego quidem sic egi vobiscum. Midias vero quomodo? Nondum vel hodie classis princeps factus est, patrimonii nulla parte a quoquam fraudatus, sed a patre multis opibus acceptis. Quis igitur est splendor, aut quænam obita munera et præclara istius munificentia? Equidem non video, nisi quis ea spectet: ædes Eleusine tantas exædificavit, ut omnibus illius loci domibus tenebras obducat. Et suam mulierem ad initia vehit, et si quo alio libuit, albis bigis Sicyoniis. Et ipse cum tribus pedissequis, aut quatuor, per forum insolenter incedit, cymbia, rorantia pocula, et phialas ita nominans, ut prætereuntes audiant. Ego vero, quæ privati luxus gratia et copiarum parat Midias, haud scio quid ea populo prosint. Insolentiam vero illius, cujus hæ res ei causa sunt, in multos et proximos quosque vestrum redundare video. Quare talia non semper honoranda sunt, neque admirationi vobis esse debent, neque splendorem hinc æstimari convenit, si quis magni-

fice ædificat, aut ancillas multas possidet, aut lautam suppellectilem, sed is magnifaciendus est, qui talibus in rebus splendidus est et magnificus, quarum utilitas ad universos redit: quale nihil in Midia reperietis.

45. Enimvero triremem civitati donavit; hanc enim satis scio jactabit, et gloriabitur: ego vobis triremem donavi. Sic autem facitote. Si, Athenienses, reipublicæ studio illam donavit, quæ pro tali munificentia gratia habenda est, eam illi habete et referte: sed grassandi ex libidine licentiam ne detis. Nulla enim res aut meritum tantum est, ut ea licentia propterea concedi debeat. Sin autem ob timiditatem atque effeminatum animum hoc fecisse convincetur, ne fucum vobis fieri patiamini. Id igitur quomodo cognoscetis? Ego et hoc docebo, exorsus a principio. Res enim paucis expedietur, tametsi altius repetita videatur. Largitiones apud vos primæ factæ sunt in Eubœam. In horum numero non fuit Midias, sed ego. Et trierarchiæ socius mihi fuit Philinus, Nicostrati F. Aliæ deinde secundæ in Olynthum. Nec in horum numero fuit Midias. Hominem autem munificum ubique suam declarare liberalitatem decuisset. Nunc hæ tertiæ largitiones factæ sunt. Ibi demum aliquid contulit. Quomodo? Cum in senatu largitiones fierent, quamvis tum adesset, nihil est largitus. Postquam vero nunciabatur, obsideri milites Tamynis, et reliqui equites omnes, quorum iste unus erat, exire senatusconsulto jubebantur: tum demum hujus expeditionis metu, in proxima concione, etiam priusquam principes consedissent, largitus est. Qua autem re tam evidenter ostendi potest, ut nec ipse negare ausit, expeditionis fuga, non studio liberalitatis, id esse factum? Iis ejus factis quæ postea secuta sunt. Nam primum, cum progressa concione, et re disputata, non jam opus esse videretur auxiliis equitum, et expeditio frigeret, non conscendit navem, quam donarat, sed inquilinum illum misit Ægyptium, Pamphilum, ipse hic hærens, Bacchanalibus ea perpetravit, propter quæ nunc accusatur. Postquam vero Phocio imperator equites Arguræos ad successionem accersebat, et timidum atque exsecrandum istum fraude agere constabat, tum eo ordine relicto, in navem se conjecit. Et quorum equitum apud vos præfectus esse voluit, cum iis non est egressus. Quod si quid in mari periculi fuisset, in terram nimirum se contulisset.

46. At non Niceratus quidem, non ita, Niciæ filius, gratiosus ille, orbus liberis, corpore prorsus debili; neque ita Euctemo Æsionis; neque Euthydemus Stratoclis F.: nam horum nemo, ultro collata trireme, expeditionem illam deseruit, sed navem illam muneris et beneficii loco instructam dedit ad classem augendam. Ubi vero lex jubebat, ibi suis ipsi corporibus decernendum censuerunt. Alia Midiæ ratio fuit, equitum præfecti; nam ordine legitimo deserto, id, propter quod pœnas dare debet reipublicæ, in beneficii loco numerabit. Atqui, talem trierarchiam, utrum, per deos, nundinationem, et exactionem, et desertionem ordinum, militiæque fugam, et quicquid hujus generis est, appellare potius conveniet, an munificentiam et liberalitatem? Nam cum nullo alio modo equestris expeditionis immunitatem posset adipisci, istam excogitavit Midias novam quandam equitatus nundinationem. Atque tum iterum, cum reliqui trierarchi omnes, qui aliquid largiti erant, vos in reditu e Styris comitarentur ac deducerent, solus iste comitatus non est. Sed vobis neglectis, vallos, et pecudes, et fores ad se, et ligna ad argentifodinæ instructionem asportavit. Proinde quæstus privatus, non onus publicum illa trierarchia homini spurcissimo fuit. Hæc a me vere dici, quanquam ipsi fere conscii estis, testes vocabo tamen.

TESTES.

Cleo Suniensis, Aristocles Pæaniensis, Pamphilus, Niceratus Acherdusius, Euctemo Sphettius, quo tempore cum tota classe e Styris huc renavigabamus, trierarchi eramus et ipsi, et Midias qui a Demosthene nunc accusatur, cui nos testimonium dicimus. Quumque tota classis ordine incederet, et trierarchis imperatum esset ne segregarent sese, donec huc appulissemus, Midias classe relicta, nave autem lignis, et vallis, et pecudibus, aliisque rebus quibusdam, onerata, in Piræeum appulit solus biduo post, nec sua præsentia cum aliis trierarchis classem ornavit.

47. Quod si vero, Athenienses, quæcunque proferet atque statim apud vos insolenter jactitabit, ad eum modum ab eo impensa reipublicæ et administrata essent, et non ita, ut ego demonstro, ne sic quidem injuriarum, quibus me affecit, propter merita in rempublicam, ei danda esset impunitas. Nam ego novi multos, qui complura in vos et Midiæ beneficiis multo ampliora contulerunt, alii classe victis hostibus, alii urbibus captis, alii multis et præclaris reipublicæ triumphis partis: nulli tamen horum vos unquam eam potestatem dedistis, et absit ut detis, ut eorum cuiquam liceret privatis inimicis insultare, quando vellet, et quo modo posset; ne quidem Harmodio et Aristogitoni. His enim maxima dona pro maximis beneficiis a vobis data sunt. Neque id tulissetis, si quis statuæ adscripsisset: liceat porro eis etiam lædere quemvis. Quia ob hoc ipsum reliqua dona acceperant, quod aliorum injurias compescuissent. Jam relatam ei quoque a vobis esse gratiam, non tantum ejus meritis,—quæ parva omnino esset—, sed maximis etiam beneficiis parem, id quoque ostendam, ne debere vos aliquid homini spurcissimo putetis. Vos, Athenienses, istum, qualis qualis est, Parali quæstorem creastis, nec non magistrum equitum, cum quidem in festivitatibus equo per forum incedere non posset, et mysteriorum curatorem, et aliquando regem sacrificulum boumque emptorem, et si quæ sunt ejus generis aliæ dignitates. Ejus igitur ingenii perver-

sitatem et ignaviam et improbitatem, vestris magistratibus honoribusque et suffragiis emendare, parvum creditis esse munus atque remunerationem? Atqui si quis ei isthæc ipsa sustulerit: fui magister equitum, Parali quæsturam gessi: cujus pretii tandem ille fuerit?

48. Illud etiam scitis, eum Parali quæstorem amplius quinque talenta Cyzicenis rapuisse. Ac ne repetundarum postularetur, modis omnibus homines vexando et exagitando, et tesseras conturbando, reipublicæ nostræ illius urbis inimicitias procurasse, pecuniam ipsum sibi retinuisse. Magister equitum factus, vestrum equitatum læsit, talibus legibus latis, ut eas a se esse latas ipse postea negaret. Ac tum Parali quæstor, cum in Eubœam vos contra Thebanos proficisceremini, et ipse in mandatis haberet ut duodecim ex ærario talenta dispensaret, petentibus vobis ut navigaret, deduceretque milites, non adjuvit. Sed icto jam per Dioclem fœdere cum Thebanis, venit. Ac tum a privata quadam triremi navigando vincebatur: adeo præclare sacram illam pararat. Dum vero magister equitum esset; quid putatis de reliquis? splendidus iste atque copiosus nec equum, equum inquam, proprium emere fuit ausus: sed alieno equo vehens, qui Philomeli Pæaniensis erat, pompas ducebat. Atque hæc norunt omnes equites qui militarunt. Quæ ut a me vere dici constet, voca mihi harum rerum testes.

TESTES.

Volo jam, Athenienses, etiam quos hactenus ex populi præjudicio de violatis feriis, vos condemnastis, commemorare atque ostendere, ob quæ facta illorum nonnulli quibus suppliciis sint affecti, ut ea cum istius facinoribus conferatis. Primum igitur—ut postremam condemnationem primo loco dicam—Evandrum, Thespiensem, violasse mysteria populi præjudicio statutum est, deferente eum Menippo, homine Care. Est autem eadem lex de mysteriis, quæ de Bacchanalibus: et hæc lata recentius quam illa. Ob quod factum igitur Evandrum damnaveritis? Hoc audite. Quod Menippum a se actione mercatoria damnatum, quum prius, ut aiebat, apprehendere nusquam potuisset, in Mysteriis hominem nactus arripuit, ob hoc igitur eum condemnastis, nullius alterius criminis reum. In judicio deinde, capite mulctare voluistis. Sed accusatore placato, et totam coegistis illi condonare mulctam, cujus prius damnatus erat; fuit autem illa duorum talentûm: et damnum, quo se, propter exspectationem judicii, affectum querebatur apud vos iste homo, accusatori adjecistis. Unus igitur hic ex privata causa, cum nulla contumelia conjuncta, propter ipsam legis violationem tantas pœnas dedit. Neque id injuria. Nam hoc illud est, quod vos custodire oportet, leges, jurisjurandum. Hæc habetis vos, judices, semper ab aliis, tanquam depositum, quod iis omnibus, qui justitia freti ad vos veniunt, sartum tectum præstandum est.

49. Alius commisisse vobis aliquando visus est in Bacchanalia. Et eum filio suo, tum prætori, assidentem condemnastis, quod quendam qui spectandi locum occupabat, prehensum theatro exegisset. Erat autem is Charicldæ, quem honoris causa nomino, viri prætorii, pater, ejusque accusator hanc valde justam causam vobis habere videbatur, cum diceret: heus tu, si occupavi locum, sique, id quod tu mihi objicis, præconiis non parui, quid tibi, atque ipsi adeo prætori leges licere volunt? Ut ministris ejicere me jubeas, non ipse verberes. Si ne tum quidem parerem. Mulcta mihi esset indicenda, et quidvis potius agendum, modo ipse manu me non attingeres. Multa enim sancita sunt legibus, contra vexationes corporum. Hæc ab illo dicta vos ita probastis, ut alterum damnaretis. Non tamen hic in judicium venit, sed morte præventus est. Alium porro tum populus damnavit universus, ut qui festum violaret, tum vos pro tribunali morte mulctastis: Ctesiclem inquam. Cur vero eum occidistis? Quod scuticam gestans pompæ intererat, qua ebrius quendam suum inimicum verberabat. Videbatur enim ex petulantia, non per ebrietatem verberare, sed per causam pompæ ac ebrietatis de industria grassari, et hominibus ingenuis perinde ac servis insultare. Enimvero his omnibus, Athenienses, quorum alter iis pecuniis cessit, quas judicio vicerat, alter capite mulctatus est, longe atrociora, confessione omnium, facinora Midiæ videri satis scio: neque enim pompam celebrans, neque judicio victor, neque prætoris assessor, nec ulla alia causa impulsus, nisi petulantia, talia commisit qualia illorum nullus. Ac hos quidem missos faciamus.

50. At Pyrrhum, Athenienses, Eteobutadem illum, delatum quod jus diceret, cum esset in ærarios relatus, vestrum quibusdam commeruisse mortem visus est. Et vestris sententiis damnatus periit. Atqui lucellum istud is sectatus est non petulanter, sed inopia coactus. Multos commemorare possem, quorum alii interfecti, alii infamia notati sunt, ob delicta his longe leviora. Et vos, Athenienses, Smicroni decem talentis; et Scitoni totidem, litem æstimastis, quod contraria legibus promulgare videbantur. Neque vos aut liberi, aut amici, aut cognati, aut ulli denique illorum advocati ad misericordiam flexerunt. Ne vero, si quis legibus contraria dixerit, tantopere irascamini. Si vero fecerit, non dixerit, æquis animis feratis. Nullum enim verbum, aut dictum tam grave populo et vobis est, quam ea sunt quæ a petulantibus hominibus in obvios quosque vestrum perpetrantur. Ne igitur ipsi tale in vosmetipsos exemplum statuite,

Athenienses, vos aliquem hominem moderatum et popularem in quocunque crimine deprehensum, nulla vel misericordia vel venia dignaturos, sed vel occisuros, vel ignominia notaturos; sin quis opulentus quævis per libidinem designarit, daturos esse veniam: absit; nec enim æquum est. Sed sine discrimine delicta omnium pari vobis severitate vindicanda sunt.

51. Jam quæ nullo eorum quæ diximus minus vobis explicatu necessaria esse puto, iis adhuc expositis, et brevi de illis disputatione adjecta, descendam. Magnam, Athenienses, ad peccandum fenestram facinorosis omnibus aperit humanitas vestra, et clementia. Quæ cur nulla sit impertienda Midiæ, id ex me auditote. Ego, Athenienses, omnes homines existimo sua tota vivendi ratione quasi stipem sibi colligere, non eam modo, quam nonnulli et colligunt, et conferunt, sed aliam quoque. Veluti: est nostrum quivis moderatus et humanus, et in multos misericors; huic æquum fuerit eadem officia vicissim præstari ab omnibus, si quando necessitas ejus et tempora postularint. Alter qui adest quisquis est impudens, et in multos injurius, qui quidem alios quisquilias, alios mendicos, alios nihil esse putet: isti tributa eadem, quæ ipse pendit aliis, sunt reservanda. Jam si recte vobis rem æstimare visum fuerit, hanc contulisse stipem Midiam, non illam alteram, reperietis. Non ignoro autem, eum et liberos suos lamentaturum, et multa supplici voce dicturum, lacrymando, et sese quam maxime miserabilem ostendendo. Sed quanto nunc abjectiorem se gesserit, tanto majore odio dignus erit, Athenienses. Quamobrem? Quia si nulla ratione ferociam suam domare potuisset, quin ita importunus et violentus esset, tempore vitæ superiore, naturæ et fortunæ, quæ talem eum reddidissent, ratione habita, nonnihil de severitate supplicii remitti fortasse decuisset. Sin quamvis submisse modesteque sese gerere, cum vellet, posset, contrarium vitæ institutum potius, quam hoc sequi præoptavit, non sane obscurum est hoc, si nunc suis artificiis pœnas subterfugerit, eum rursus eundem, quem scitis vos, futurum esse. Non igitur ejus humili specie moveri debetis, nec hujus temporis simulationi, fictoque vultui plus adhibere fidei, aut firmitatis inesse putare, quam reliquo tempori omni, quo quæ vita ejus, qui mores fuerint, ipsi perspexistis.

52. Ego liberos non habeo, quibus in conspectum vestrum productis, ejulare possim, ac deplorare injurias mihi factas. Num igitur propterea ipse contumeliose tractatus, deteriore apud vos conditione ero, quam is qui injuriam mihi fecit? Non utique: sed quando iste productis liberis supplicabit, ut illis judicium condonetis, tum vos me cum legum comitatu prope assistere putate, et jurejurando, quod dedistis, postulantem, et supplicantem, ut hæc in ferendis sententiis respiciatis. A quibus vos longe justius, quam ab isto, stabitis: nam et jurastis, Athenienses, vos legibus obtemperaturos; et legibus acceptum ferre debetis par et æquum jus quo fruimini, et quicquid bonorum habetis, id beneficio legum habetis, non Midiæ, aut ejus liberorum. Orator etiam iste est, me dicens, forsitan inquiet: ego vero, si is orator est, qui id consulit, quod vobis profuturum putat, idque ea modestia, ut neque vos obtundat, neque cogat, non sane fugerim, neque negaverim hoc nomen. Sin orator est, quales esse concionantium nonnullos ego, atque vos ipsi videtis, impudentes, et vestris opibus locupletatos, is ego non fuerim. Non enim quicquam a vobis accepi, sed meam rem familiarem, omnino paucis exceptis, omnem vobis impendi. Etsi autem illorum quoque omnium essem improbissimus, legibus a me pœna sumenda esset, non in obeundo munere publico mihi insultandum. Oratorum præterea nemo mihi suffragatur. Neque id vitio cuiquam verto: quia nec ipse unquam quicquam apud vos in eorum gratiam dixi. Sed simpliciter pro me tum dicere, tum agere decrevi, quicquid e republica fore ducerem. Cum isto autem statim videbitis oratores omnes ordine in procinctu stare. An vero eum decet nomen hoc probri loco mihi objicere, cum ipse in illis viris proram et puppim salutis suæ collocet?

53. Fortassis autem etiam talia dicet, me nunc omnia meditata et præparata afferre. Ego vero, Athenienses, meditatum esse me affirmo, et haud negaverim, summum in cogitando studium posuisse; væcors enim essem, si post tantas injurias, quas tuli et fero, quid apud vos iis de rebus dicturus essem, pensi nihil habuissem: ipsam tamen orationem Midias mihi dictavit; nam qui res, de quibus verba fiunt, suppeditavit, ei jure optimo id tribuetur, non ei qui meditatus est, soliciteque laboravit, ut causam suam in re præsenti, ita ut æquum est, proponeret. Ego vero me hoc facere solere, etiam ipse confiteor, Athenienses. Midiam autem nihil unquam in omni vita justi esse meditatum apparet: cui si vel paululum talia cogitare in mentem venisset, non ita toto cœlo a re aberrasset. Arbitror porro eum non dubitaturum esse populum etiam accusare, et concionem. Et ea quæ tum dicere audebat, quum de eo quererer, nunc quoque dicturum, quibus exeundum fuisset, eos remansisse, et qui præsidia deseruerint, eos interfuisse concioni; ac ludiones, et peregrinos, et ejus generis homines fuisse, a quibus fuerit condemnatus: nam tanta, judices, fuit ejus confidentia et impudentia, ut norunt e vobis qui interfuerunt; ut maledicendo, et minitando, et subinde in tumultuantem concionis locum intuendo, se terrorem incussurum putaret omni populo. Quamobrem haud profecto injuria ridiculæ jam ejus lacrymæ videbuntur.

54. Quid ais, o nefarium caput? Tune ab hisce postules, ut liberorum tuorum, aut tui misereantur, tuisve rationibus studeant, a te publice contempti, et ludibrio habiti? Tune solus mortalium om-

nium, quem apertissime constat in vita tanta superbia et omnium hominum despectu esse refertum, ut etiam illi, cum quibus tibi nihil est negotii, tuam confidentiam et vocem, et tumultum, et ministros, et opulentiam, et ferociam sine dolore spectare non possint, in judicio misericordiam statim consequeris? Magnum quidem principatum, vel potius artem inveneris, si duas res inter se maxime contrarias tam paulo momento tibi ipsi circumdare posses: invidiam ex vitæ insolentia, misericordiam ex impostura. Nulla tibi ratione tribui potest misericordia, quicquid intueamur, sed contra, odium, et invidia, et iracundia. Hæc enim mereris. Sed illuc redeo, ad ejus accusationem populi, et concionis. Quod ubi faciet, cogitate vobiscum, judices, istum equites commilitones suos, cum Olynthum ivissent, ad vos in concionem progressum, accusasse. Nunc rursus apud eos qui foris militant, occasione exspectata, populum accusaturum. Utrum igitur vos sive manseritis, sive exiveritis, tales perhiberi non recusabitis, quales Midias facit, an contra potius iste semper et ubique diis invisus erit et exsecrandus? Ego quidem opinor istum talem: nam quem non equites, non collegæ, non amici ferre possunt, quid de eo dicendum est?

55. Jovem testor, et Apollinem, atque Minervam,—dicetur enim sive profuturum, sive nociturum sit—, cum iste se transegisse mecum fabularetur, apparebat quosdam, qui blande omnino cum eo solent colloqui, moleste ferre. Idque medius fidius eis minime vitio vertendum. Nec enim ferri potest homo, sed et solus dives est, et eloquens solus, et omnes ei sunt quisquiliæ, et mendici, ac ne homines quidem. Eum igitur, qui tanto fastu turget, si nunc absolvatur, quid facturum putatis? Id quo pacto cognoscere possitis, ego dicam; si e signis, quæ secuta sunt populi præjudicium, rem æstimetis. Quis enim est, qui, præjudicio damnatus, violati festi præsertim, etiamsi nullum aliud periculum aut discrimen subesset, non ob idipsum domi se abstruderet, modestumque præberet ad judicii saltem, si non in omne, tempus? Nemo est, quin id faceret. Aliter vero Midias: nam inde ab eo die concionatur, conviciatur, clamitat. Legitur magistratus aliquis? Midias Anagyrasius in campum descendit. Plutarchi procuratorem agit. Ejus secreta novit. Urbs eum non capit. Et hæc omnia facit, non in aliud profecto, nisi ut ostendat populi sibi præjudicium nihil nocuisse, neque metuere aut formidare se futurum judicium. Qui igitur, Athenienses, vos pertimescere, turpe putat, vos vero nihil facere, præclarum: non hunc decies interfectum oportebat? Certe quidem mea sententia. Nec enim vos habituros, quod de se statuatis, putat. Dives, confidens, inflatus, magniloquus, violentus, inverecundus. Ubi comprehendetur, si nunc astu subterfugerit?

56. Ego vero, ut non ob aliud, vel ob crebras et importunas conciones, et tempora quibus eas habuerit, maximo supplicio censerem afficiendum: nostis enim hoc profecto, si res bene gestæ nunciantur urbi, et tale aliquid quo exhilarentur omnes, nusquam unquam inter eos esse Midiam inventum, qui cum populo gaudent, quique congratulantur. Sin quid adversi, quod deprecentur omnes, primum inter alios statim surgere et concionari, insultantem temporibus, silentioque fruentem, quod vos propter adversæ fortunæ tristitiam tenetis: *tales enim estis, Athenienses: neque enim egredimini, neque enim tributum conferendum censetis. Et miramini male vobiscum agi? Me putatis vobis tributa collaturum, vos illis fruituros? Me putatis triremes instructurum, vobis otiose domi sedentibus?* Tali petulantia utens, et animi sui acerbitatem ac malevolentiam, quam obscure contra populum apud semetipsum gerit, per occasionem detegens, obambulat. Oportet igitur, Athenienses, vos etiam sic nunc, quando iste per fraudem et imposturam lamentabitur, et plorabit, et supplicabit, talia illi subjicere: *talis es, Midia: homo enim contumeliosus es, neque vis manus apud te comprimere. Et miraris te, malus cum sis, male periturum? Sed putas nos te toleraturos, ipsum vero te verberaturum? nos te absoluturos, nullum statuentem improbitati tuæ modum?*

57. Oratores quidem istum defendent, non tam medius fidius, ut isti gratificentur, quam ut ægre mihi faciant ob privatas inimicitias, quas iste sibi mecum, sive affirmem, sive pernegem, intercedere dictitat, et vi extorquet non recte. Sed ita fere fit, ut nimia felicitas homines aliquando reddat intolerabiles. Nam cum ego nec acceptis injuriis, eum inimicum mihi esse profitear: ipse tamen me dimittentem non dimittit, sed in alienis causis semet ingerit, et nunc prodibit, ut nec commune legum præsidium mihi impertiamini, postulaturus, talis igitur nonne jam gravis est, et major quam unicuique nostrum expediat? Ad hæc adfuit, Athenienses, et sedit Eubulus in theatro, quum populus Midiam damnavit, et nominatim citatus, orante isto et contendente, uti vos nostis, non surrexerit. Atqui si Midiam insontem delatum esse credidit apud populum, officium amici utique fuisset, ei patrocinari et opitulari. Sin, quia tum sentiebat eum injuste facere, ideo adesse noluit, nunc quia mihi inimicus est, ideo istum liberare studet, vobis honestum non fuerit, illi gratificari: absit ut in republica populari quisquam tantus exsistat, cujus intercessione alter acceptam injuriam tolerare cogatur, alter factam impune ferat. Quod si mihi malefacere studes, Eubule, —quanquam ego deos testor, haud scio quo merito meo—, potes id

quidem, et rempublicam geris: sed legibus quodvis a me supplicium exigito. Ultione tamen injuriarum et contumeliarum, quibus ego sum contra leges affectus, noli me spoliare. Sin illo modo mihi te posse male facere diffidis, jam hoc quoque signum fuerit meæ probitatis, te qui alios facile accusare soleas, nihil in me reperire quod crimineris.

58. Audio porro et Philippidem, et Mnesarchidem, et Diotimum Euonymeum, ac tales quosdam divites et trierarchos, intercedere pro eo velle, et deprecaturos, ut sibi ipsis id beneficium a vobis præstetur. De quibus nihil dixerim apud vos mali. Insanirem enim si facerem. Sed quæ spectanda vobis, cum isti precabuntur, sint, et consideranda, hæc dicam. Cogitate judices, si—quod dii omen avertant, neque fiet—isti nunc cum Midia, et hominibus Midiæ similibus, rempublicam occuparent, et vestrum aliquis e vulgo et plebeiis hominibus, in istorum quempiam commisisset, non talia, qualia Midias in me, sed quidvis aliud, atque in judicium talibus hominibus refertum ingrederetur, quid veniæ aut misericordiæ impetraturum crederetis? Fortasse gratificarentur? nequaquam: aut plebeium quemquam deprecantem audirent? Sed nonne potius intonarent: huncce invidum! hunc pestilentem! hunc demum ita esse petulantem? ac efferri animis? cui vita licere frui abunde esse oportebat. Ne igitur, Athenienses, in eos qui ita vobiscum agerent, aliter vos animati sitis, neque auctoritatem istorum admiremini, sed vosmetipsos. Multa illis bona sunt, quæ possidere nemo eos prohibet. Ne igitur ipsi quoque vos libertatem, quam nobis communem possessionem leges præstant, possidere prohibento.

59. Nihil acerbum aut grave Midias patietur, si ejus facultates plebeiorum opibus, quos nunc insectatur, quos mendicos nominat, æquabuntur: et quæ copiæ nunc eum ad ferociam incitant, eæ adimentur. Neque istos scilicet decet a vobis hæc precari: ne secundum leges ferte sententiam, judices: ne opitulamini indignis tractato modis: ne curate jusjurandum: in nostram gratiam hoc facite. Hæc enim, si quid precabuntur, pro isto precabuntur, tametsi non hæc verba usurparint. Quod si amici sunt, nec ferendum, si Midias dives non sit, esse putant: ipsi cum primis pollent opibus, idque nemo eis invidet. Pecuniam igitur illi de suo largiantur, ut et vos, quibus de rebus jurati sedetis judices, iis de rebus ita pronuncietis, ut justitia postulat, et isti de semetipsis, non cum ignominia vestra, largiantur. Sin divites isti pecuniam negligere aut amittere nolunt, qua fronte vos jurisjurandi religionem negligetis? Opulenti multi, conspiratione inita, Athenienses, opinionis etiam et auctoritatis aliquid propter divitias consecuti, procedunt vos rogaturi. Horum nulli me, Athenienses, condonetis, sed quemadmodum

isti, suis quisque commodis et Midiæ student, ita vos vobis ipsis, et legibus, et mihi ad vos confugienti studete, et hanc sententiam, in qua nunc estis, retinete.

60. Nam siquidem, Athenienses, tunc cum ego quererer, re audita, populus Midiam absolvisset, non perinde grave videretur. Nam et non esse factas illas injurias, et nihil ad festum attinere, et multis aliis modis quispiam se consolari potuisset. Nunc hoc etiam omnium acerbissimum mihi accideret, si vos omnes, qui statim admissis delictis tantam iracundiam et acerbitatem atque molestiam præ vobis tulissetis, ut Neoptolemo, et Mnesarchide, et Philippide, et quibusdam ex isto valde locupletum grege, et a me et a vobis contendentibus, clamaretis, vos non condonaturos; et, aggresso me Blepæo mensario, ita exclamaveritis quasi ab eo pecuniam accepturus essem, ut ego, Athenienses, pallium, vestro tumultu perterritus, abjicerem, et propemodum nudus in tunicula adstarem, dum illum, cum me traheret, fugiebam; et deinde obviam euntes: vide sis, ut persequaris judicio nefarium istum. Neque cum eo transigas: observabunt te Athenienses, quid facturus sis: et ejus generis alia dictitantes: postquam vero suffragio decretum est, id factum esse contumeliam, et in templo, qui huic cognitioni sunt præfecti, sedentes pronunciarunt, egoque in sententia permansi, et neque vobis, neque mihi ipse defui, tum demum vos absolvetis. Minime gentium. Turpissima enim omnia in re insunt. Neque vero ego sum ita meritus de vobis. Qui pote, Athenienses, cum hominem accusem, qui et est, et habetur violentus, ac contumeliosus, qui in celebri ludorum conventu petulanter deliquit, qui contumeliæ suæ testes fecit non modo vos, sed et Græcos etiam omnes qui spectatum advenerant? Audivit populus istius facinora. Quid igitur? Præjudicio damnatum vobis tradidit. Quare vestra cognitio nec in obscuro fieri, nec latere potest, aut effugere disquisitionem hominum, quidnam re apud vos actitata decreveritis. Quod si pœnas infligetis, prudentes et bonos viros, et improbis infestos: sin dimiseritis, aliqua alia re superatos esse vos judicabunt.

61. Neque enim civili aliquo delicto admisso, aut ut Aristophon coronis redditis conquestionem publicam dissolvit, sed ob contumeliam, et quia nihil eorum quæ fecit, corrigere potest, in judicio versatur. Utrum igitur hoc facto, præstabat eum olim aliquando, an vero nunc puniri? Equidem nunc arbitror. Commune enim est hoc judicium et omnia facinora de quibus accusatur, communia sunt. Præterea non me verberabat, Athenienses, solum iste, neque contumeliis impetebat animo et cogitatione sua tum, cum faceret ea quæ faciebat, sed omnes, quotquot putet aliquis se minus, quam ego me, ulcisci posse. Nam quod non omnes verberibus aut con-

tumeliis afficiebamini in ædilitate, hoc utique nostis, vos nec ædiles omnes simul esse, neque posse quenquam vos simul omnes, una quidem manu, male tractare. Sed cum unus, cui facta injuria est, pœnas non sumpserit, tum unumquemque exspectare oportet se proximum fore ipsum qui sit injuriis afficiendus, neque talia negligere, neque exspectare eo usque dum simili clade prematur, sed longe ante præcavere. Odit Midias fortasse me. Vestrum vero quemque alius quispiam. Num igitur concesseritis, ut ille, quisquis est qui vestrum quemque odit, pro libidine sua vestrum quemque ita tractet, quemadmodum iste me tractavit? Equidem non opinor. Proinde me quoque ab istius insolentia defendite. Saltem hoc videte: jam statim ubi judicium surrexerit, unusquisque vestrum, alius fortasse maturius, alius serius domum revertitur, nulla re sollicitus, neque respectans, aut metuens quicquam, sive amicus sibi, sive inimicus obviam detur, neque porro utrum magnus an parvus, neque utrum robustus an imbecillis, neque denique tale quicquam. Cur vero isthuc? Quia hoc animo suo novit, hoc fidit, atque fretus est republica, se a nemine trahendum, aut exagitandum, aut verberandum esse.

62. In qua igitur securitate itis ipsi, non prius ea mihi confirmata vadetis? Qua spe igitur aut exspectatione talia perpessum superesse ac vivere oportebit, si nunc vos me negligetis? At hercule dicet aliquis, bono animo es. Nihil enim in posterum tale tibi fiet. Quid vero si fiet, tum irascemini, cum æquis animis nunc feratis? Nequaquam, Athenienses, ne destituite neque me, neque vosmetipsos, neque leges. Nam illud ipsum si considerare et indagare voletis, quare qui e vobis, suis quique temporibus jus dicitis, sacrosancti sint, et omnes cives in sua potestate habeant, sive ducenti, sive mille, sive quotcunque judices publice sint delecti; reperietis, non ideo fieri, quod soli ex reliquis armis insignes et instructi, aut corporibus lectissimis et valentissimis præditi sint judices, aut ætate florentissimi, aut ulla re denique simili, sed quod legibus valeant. Legum autem vis in quo est? Utrum in eo, si quis vestrum affectus injuriis exclamarit, ut ipsæ accurrant et præsentia sua opitulentur? Non. Literæ enim sunt, et scriptura constant, neque hoc facere possunt. In quo igitur earum vis est? Si vos eas confirmabitis, et semper ratas exhibebitis omnibus earum opem implorantibus. Ita et leges per vos firmæ sunt, et vos per leges. Hæ igitur ita sunt defendendæ, ut seipsum unusquisque defensum ab injuria vellet, legumque violationes pertinere ad omnes sunt existimandæ, in quocunque deprehendantur, neque obita munera, neque homo ullus, neque calliditas ulla reperiri, aut quicquam aliud debet, quod legum violatorem a dandis pœnis eripiat.

63. Qui Bacchanalibus in theatrum ingredientem videbatis istum, exsibilabatis explodebatisque, adeo ut quæ odii signa sunt, hæc faciebatis, quamvis nihil adhuc e me de eo audissetis. Priusquam igitur factum coargueretur, irascebamini, læsum ad injuriam ulciscendam hortabamini, applaudebatis, cum eum apud populum deferrem: postquam vero convictus est, et consessu populi in templo facto, præjudicio damnatus, et alia nefarii istius facinora insuper sunt in lucem producta, et vos sorte ad judicium estis delecti, et in manu vestra est, ut solo suffragio conficiatis omnia, nunc dubitabitis mihi opitulari? populo gratificari? cæteros modestiores facere? et id consequi, ut in posterum ipsi extra omnem periculi metum secure vivatis, edito in istum exemplo, quo reliqui moveantur? Itaque cum propter omnia supra dicta, tum vero maxime propter deum, cujus iste festum nefario scelere polluit, sancta et justa sententia lata, istum condemnate.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS CONTRA ANDROTIONEM MALE ROGATARUM LEGUM REUM.

Duo fuerunt Athenis senatus: alter perpetuus, Areopagiticus, qui de cædibus voluntariis, et vulneribus, et aliis similibus rebus judicaret: alter, qui remp. administraret. Is quotannis mutabatur, ex quingentis viris constans, qui essent ætate senatoria. Lege autem quadam is senatus jubebatur novas triremes fabricari: quod ni fecisset, eos donum a populo petere eadem lex vetabat. Nunc autem cum senatus triremes non fecisset, Androtio, qui plebiscito senatum corona donari jusserat, violatarum legum reus agitur. Nam duo eum inimici accusant, Euctemo et Diodorus, quorum ille priores causæ partes, hic posteriores agit, et perorat causam hac oratione. Dicunt autem accusatores, primum sine auctoritate senatus factum esse decretum. Cum enim lex juberet, ne prius ad populum ferretur decretum, quam senatui probatum esset, Androtionem contra eam legem, sine concilii jussu, decretum hoc ad populum retulisse. Deinde Legi illi esse contrarium, quæ vetet senatum non factis triremibus petere præmium. Si enim petere sit interdictum, utique nec dare concessum esse. Atque hæ leges ad rem attinent: afferunt autem et contra personam duas; unam de impudicitia, alteram de ærariis. Et asserunt, Androtionem utraque ignominiosum esse. Nam et prostituisse corpus suum, et patrio ære alieno esse obstrictum reipublicæ.

ALIUD ARGUMENTUM.

Varii fuere magistratus apud Athenienses: quorum alii sorte, alii suffragio, alii delectu creabantur. Sorte, qui sortito legebantur, ut judices: suffragio, qui populo suffragante, ut imperatores: delectu, qui deligi solebant, ut ædiles. Senatus igitur quingentorum ex his erat qui sorte legebantur. Quingentorum autem diximus ad discrimen Areopagitarum. Qui tribus a se invicem rebus maxime distinguuntur: eaque primum, quod quingenti publica negotia curabant, Areopagitæ capitalia duntaxat. Quod si quis dicat, etiam Areopagitas curasse publica, respondemus, cum maxima necessitas incidisset, eos publicis de rebus convenisse. Alterum discrimen est, quod senatus quingentorum sub certum numerum cadit, Areopagitarum incertus est. Ut enim quidam oratores dicunt, quotannis novemviri iis addebantur: ut alii, sexviri duntaxat, qui de impudicitia judicabant. Erant et alii tres, unus eponymus, cujus nomine fasti signabantur: alter rex, qui curæ pupillorum præerat, et violatam religionem vindicabat: tertius polemarchus, qui rem bellicam administrabat. Thesmothetæ annum duntaxat magistratu fungebantur, quem priusquam inirent, in omnem eorum vitam anteactam inquirebatur, qui si in omnibus integri comperiebantur, eum annum imperabant; post, finito anno, iterum de eis judicium fiebat; quod si constabat, eos eo quoque tempore probe functos officio, in senatum allegabantur Areopagitarum (quorum hac de causa certus non erat numerus) sin male se gessissent, ejiciebantur. Tertium discrimen est, quod quingentorum senatui quotannis succedebatur, Areopagitis successores non dabantur. Nisi quis enim graviter deliquisset, non ejiciebatur, quia vero propositum nobis est, non de Areopagitis, sed de quingentis disserere, cognoscendum est, quo pacto imperarint. Sciendum, non supputatos esse menses ab Atheniensibus ad solis, ut a nobis, sed ad lunæ cursum. Nam si solem spectes, habet annus dies CCC.LX.V.; unde fit, ut mensis habeat dies tricenos et trientem. Decies enim XXX faciunt CCC. Bis XXX faciunt LX. Restant V. Triens duodenarii est quaternio. Reliquus est unus dies. Unius diei pars duodecima sunt duo.

Sed ad lunæ cursum annus habet CCC.L.IIII dies: unde fit, ut mensis constet diebus vicenis novenis et semisse. Decies enim viginti sunt CC. Bis viginti XL. Decies novem XC. Bis novem X.VIII. Semissis duodenarii est senio. Itaque in universum sunt dies CCC.L.IIII. Ad cursum autem solis desunt dies XI. quos Athenienses tertio quoque anno conjungentes mensem faciunt intercalarem tricenum trium dierum. Continet igitur annus ad lunæ cursum CCC.L.IIII dies. Ac dies quatuor Attici vocabant comitiales, quibus interregnum erat in Attica, et magistratus designabantur. Quingenti igitur illi CCC.L dies in magistratu erant. Sed quia multi erant, et negotia non expedite succedebant, decuriarunt sese pro tribuum numero, ut singulæ decuriæ quinquagenos continerent (hos enim unaquæque tribus designabat): unde fiebat, ut quinquageni illi tricenos quinos dies reliquis imperarent. Hi enim XXX.V dies sunt decima anni pars. Decies enim XXX sunt CCC.; decies V sunt L. Cum autem ipsi etiam quinquageni plures essent, quam ut commode simul magistratu fungerentur, illi decem sortito unum septidui diem. Similiter et reliqui suum quisque diem imperabant, donec septem illi dies complerentur. Ita fiebat, ut tres e numero magistratuum non imperarent. Unusquisque autem magistratus uno die vocabatur præfectus. Cur vero uno tantum die imperabat? Quia clavis arcis ei credebatur, et omnis pecunia civitatis. Ne igitur regnum affectaret, unius diei magistratum esse voluerunt. Sciendum autem est, quinquagenos illos vocatos fuisse curiones: denos præsides, sive proceres: unum illum, præfectum.

Accedendum jam est ad propositæ nobis orationis argumentum. Moris erat, ut senatus quingentorum accepta e publico pecunia, novas triremes fabricaretur. Lege item jubebatur s e n a t u s, s i p o p u l i a p p r o b a t i o n e m i n f u n g e n d o m u n e r e s e n a t o r i o m e r u i s s e t c o r o n a d o n a r i. Is igitur senatus, de quo loquimur, quanquam accepta ex ærario pecunia, triremes non fecerat: tamen cum in ceteris omnibus bene se gessisse videretur, Androtio orator, ejus ordinis patronus, decretum fecit, ut senatus corona donaretur. Id decretum ut contra leges factum, Euctemo et Diodorus, inimici Androtionis, reprehenderunt. Status negotialis est, scripto constans, et considerationem habet futuri temporis, an hoc faciendum sit, an hoc dandum sit, nec ne. Et quoniam ad statum orationis intelligendum, probationum cognitio prodest: age in accusatorum argumenta primum inquiramus. Euctemo igitur et Diodorus quatuor legibus decretum reprehendunt, quarum prima est: d e c r e t u m s i n e a u c t o r i t a t e s e n a t u s a d p o p u l u m n e f e r u n t o. Cum enim populi multitudo magna esset, sæpeque deciperetur, non animadvertens, an in decreto fraus aliqua lateret, primum in senatum quingentorum mittebatur, qui indagabat, an aliqua noxa aut fraus in eo lateret, et sic ad populum ferebatur. Decuisset igitur eum, decretum senatui proponere in primis. Non autem proposuit: quia enim recens magistratum inierat senatus, veritus fuit, ne dissensio oriretur. Quisque enim antecessorem suum rem male gessisse ostendere cupit. Altera lex, s e n a t u s q u i t r i r e m e s f e c e r i t p r æ m i u m p o s t u l a t o. Tertia lex, q u i p u d i c i t i a m p r o s t i t u i t a r e p u b. g e r e n d a a b s t i n e t o. Androtio igitur homo flagitiosus, abstineat a republica. Quarta lex, q u i m u l c t a m n o n d u m s o l v i t, i n r e p u b l i c a n e v e r s e t u r. Quam tu, Androtio, cum nondum solveris, in republica versari non debes. Jam et rei defensiones explicemus. Androtio igitur primæ legi consuetudinem opponit: ait enim, obtinuisse consuetudinem, ut decreta sine auctoritate senatus ad populum ferantur. Secundæ legi aliam legem et ipse objicit, qua jubeatur senatus, s i b e n e f u n c t u s o f f i c i o v i d e a t u r p r o c o n c i o n e c o r o n a d o n a r i. Reliquas duas exceptione oppugnat, asserens, jam non esse de eis disceptandum. Quidam ita tractarunt hanc orationem, ut ad negotialem legum contrarietatem referrent. Etiam hic, inquiunt, duæ leges inter se pugnant ex circumstantia: quarum altera violata est, propter alterius confirmationem. Respondemus, in negotiali constitutione, cum de contrariis legibus agitur, neutram violari, sed considerari utram violari oporteat. In hac autem causa aliter fieri, quum

una lex violata sit quæ vetet, senatum triremibus non factis petere præmium. Id vero proprium non est negotialis constitutionis ad leges contrarias comparatæ: sed legum contrariarum duntaxat. Sciendum autem est, cum duo sunt accusatores, quorum alter est natu major, ei honoris gratia primas in agendo partes tribui: sicut et hic Euctemo, ut senior, primo loco dixit; recitavit autem principium, et causæ divisionem, et partem etiam confirmationis. Sed Diodorus, homo indoctus, a Demosthene accepit hanc orationem: estque deuterologia, et ea continet quæ Euctemo prætermisit.

DEMOSTHENIS

CONTRA ANDROTIONEM

ORATIO.

I. Quemadmodum Euctemo, judices, ab Androtione vexatus injuriis, simul et reipublicæ consulendum, et semetipsum ulciscendum esse existimat, sic idem et ego facere conabor, si modo potero. Etsi autem Euctemoni multæ et graves contumeliæ contra omnes leges factæ sunt, eæ tamen iis negotiis, quæ mihi facessit Androtio, sunt leviores. Nam illum quidem et pecunia spoliare per insidias, et honore vestro per injuriam dejicere studuit: me autem mortalium nemo tecto recepisset, si vos istius imposturis fidem habuissetis. Criminatus enim me est ejus facinoris, quod nemo etiam æquo animo dicat, nisi istius similis, patrem meum esse a meipso interfectum: et in judicium adduxit, atque impietatis reum fecit, non me, sed patruum meum, in hanc sententiam: eum impie facere, qui mecum congrederetur, tali scelere constricto. Qui si tum forte damnatus esset, quis crudelius ab isto, quam ego, tractari potuisset? Quis enim vel amicus, vel hospes meam consuetudinem non refugisset? Quæ civitas uspiam habitare secum passa esset hominem, in opinione tam nefarii sceleris perpetrati? Nulla profecto. Ego autem, quemadmodum in ea causa non paucis sententiis, sed ita luculente sum a vobis absolutus, ut quintam iste partem suffragiorum non ferret: sic istum vestro præsidio, et nunc, et in omne deinceps tempus ulcisci conabor.

2. Ac de privatis negotiis, cum dicere longe plura possem, omittam: quibus autem de rebus et actis ejus in repub. nunc sententiam feretis, per quæ iste vobis non parum nocuit, quæque mihi prætermisisse visus est Euctemo, quæque audiri a vobis præstat, ea paucis ut explicem, operam dabo. Ego, si objecta crimina simplici aliqua ratione ab isto excusari posse apud vos viderem, de ea nullam fa-

cerem mentionem: nunc satis scio, nihil eum simplex aut æquum posse afferre, sed daturum operam, ut quibusdam præstigiis crimina eludat, et callidis atque improbis rationibus deceptos vos a causa abducat. Est enim, Athenienses, dicendi artifex, et omnem in eo studio ætatem consumpsit. Ne igitur decepti eo adducamini, ut et contra quam jurisjurandi religio postulat, pronuncietis, et istum, quem mulctari multis nominibus æquum est, absolvatis, attente audite orationem meam: ut de singulis istius effugiis, me audito, recte statuere possitis.

3. Una ratio ei est, quam artificiosam esse putat, de decreto sine senatus auctoritate promulgato. Lex, inquit, est, si senatus ita suum munus administrarit, ut præmio dignus esse videatur, præmium id a populo senatui esse dandum. Hoc rogavit, inquit, præfectus: populus suffragia tulit: visum est. Nihil, inquit, hic opus est senatusconsulto; ex lege enim illa fiebant. Ego vero contrarium esse verum sentio—et vos mihi assensuros arbitror—de his rebus senatusconsulta proferenda esse solis, quæ jubentur legibus: nam iis de rebus, de quibus leges nullæ exstant, prorsus nihil est decernendum. Dicet præterea, omnem, qui ullo tempore fuerit, senatum, ad hunc modum accepisse præmia, qui unquam a vobis acceperit, nec de ullo unquam factum esse senatusconsultum. Ego vero eum haud vera prædicare arbitror, ac potius compertum habeo; sed ut maxime hoc verum sit, si lex contrarium jubet, non utique quia prius sæpe peccatum est, propterea vetera peccata novis nunc cumulanda sunt, sed contra, nunc ceteris imponenda est necessitas ita faciendi talia, quemadmodum lex jubet, a te sumpto initio. Tu igitur ne dicas hoc sæpe esse factum: sed illud, decuisse ita fieri. Neque enim, si quid aliter aliquando quam leges jubent, factum est, idque tu imitatus es, propterea jure absolveris: sed potius condemnaberis. Ut enim, si quis illorum olim damnatus esset, tu ista non scripsisses: ita si tu nunc pœnas dederis, alius non scribet.

4. De lege autem, quæ manifeste vetet, ne senatus, triremibus non factis, præmium petat, operæ pretium est audire quid loco excusationis sit allaturus, et spectare hominis impudentiam ex iis quæ dicere instituet. Lex, inquit, non sinit senatum petere præmium, nisi fecerit triremes. Fateor. Nusquam autem vetat populum dare. Ego vero si dedissem postulanti, legi fraudem fecissem: si vero nullam in toto decreto de navibus feci mentionem, sed alia quædam recenseo, propter quæ senatum corona donem, quo pacto legem violavi? Neque vero difficile vobis est, illa justis rationibus refutare. Primum præsides senatus, et qui sententias comprobat, præfectum, rogasse, et dicendæ sententiæ jus fecisse, cuinam videretur senatus ita munere suo functus, ut ei honos haberi deberet, cui non. Atqui

de iis qui non petunt, nec accipere postulant, prorsus ne rogari quidem conveniebat. Præterea, cum quibusdam de rebus Midias accusaret senatum, et alios quosdam, subsilientes senatores precati sunt, ne sibi præmium eriperetur. Et hæc vobis judicibus ex me audire nihil est opus, cum ipsi coram videritis, quid apud populum actum fuerit. Quare si senatum petiisse negarit, sic occurrite: jam illud etiam ostendam, non permittere legem, ut populus præmium det senatui, triremibus non factis. Hac de causa, Athenienses, ad hunc modum lata lex est, ne senatui liceat triremibus non factis postulare munus, ut ne populo persuaderi, aut fucus fieri possit. Neque enim legislator in potestate oratorum rem esse oportere censuit, sed quod tribui et justum et populo utile esset, lege definitum esse oportere. Triremes non fecisti? Ne igitur postula præmium. Cum autem petere non sinat, nonne dari vehementer vetat?

5. Jam illud etiam excutiendum est, Athenienses, cur senatus, etiamsi ceteris in rebus omnibus præclare se gesserit, neque de eo queri quisquam possit, triremes autem non fecerit, præmium non liceat postulare? Invenietis enim hoc in populi esse præsidium institutum. Arbitror enim refragaturum esse neminem, quin quicquid vel bonum, vel diversum,—ne quid ominosum dicam—, reipublicæ contigerit, aut nunc etiam sit: triremium vel copia, vel inopia contigisse. Cujus generis multa referri possent et vetera et recentia. Quod vero est omnibus audientibus notissimum, eos qui propylæa illa et parthenonem exstruxerunt, et fana cetera omnia e spoliis barbarorum exornarunt, quæ omnes merito laudi nobis ducimus: hos, inquam, audivistis profecto, deserta urbe et Salamine conclusos, eo quod triremes haberent, et omnes suas opes, parta navali victoria, atque rempublicam conservasse, et in ceteros Græcos multa et magna beneficia contulisse, quorum memoriam nulla vetustas abolebit. Sed illa quidem antiqua et vetera: quod autem vidistis omnes, id dicam: scitis, vos nuper Eubœensibus intra triduum opem tulisse, et Thebanis icto fœdere abeundi fecisse potestatem. Nunquid autem id tanta celeritate confecissetis, nisi naves recentes habuissetis, quibus opem tulissetis? Ne potuissetis quidem. Multa commoda commemorari possent, quæ reipublicæ e recta triremium instructione contigerunt. Jam e neglecta quantæ calamitates? Ac cetera omittam: in Decelico autem bello—ex antiquitate enim unum exemplum, quod vobis omnibus quam mihi notius est, proferam—cum respublica multas et magnas clades accepisset, majores nostri deditionem non ante fecerunt, quam classem amisissent. Et quorsum attinet recensere vetera? Postremo enim Laconico bello, cum naves posse mittere non videremini, scitis ut animata fuerit civitas: scitis ut ervum venale fuerit. Ut autem

misistis, eam vos impetrasse pacem, quam voluistis. Jure igitur, Athenienses, cum in utramque partem triremes tantum momenti habeant, hunc terminum senatui statuistis, utrum is debeat accipere præmium, necne. Nam si res ceteras omnes recte administrasset, per quas autem res illas ab initio et paravimus, et nunc tuemur, eas non fecisset,—triremes inquam—, nihil illæ prodessent. Summa rerum enim populo in primis, et incolumitas sarta tecta præstanda est: iste autem usque adeo licere sibi existimat et dicere et scribere quicquid libitum fuerit; ut senatum, qui et ceteris in rebus ita se gessit, ut auditis, et triremes non fecit, præmio affici decreto jusserit. Atque hæc non pugnare cum lege, nec ipse dicet, nec vos credetis.

6. Sed audio eum hujusmodi quiddam apud vos dicturum, non stetisse per senatum quo minus triremes conficerentur: sed quæstorem navalium fabrorum fugam cepisse quatuor talentis cum dimidio ablatis, atque ita calamitatem fuisse in causa. Ego vero illud ipsum demiror, primum, si postulat ut propter adversum casum senatus corona ornetur; nam rebus prospere gestis hujusmodi honores putavi esse propositos: deinde illud etiam vobis dicam. Nego esse justum, utrumque dici, non contra legem donum esse datum, et non stetisse per senatum quo minus triremes curarentur. Nam si præmium senatui etiam non factis triremibus est dandum, quorsum illud dicere attinet, per quem steterit, quo minus factæ sint? Si non licet, qui magis sive per hunc, sive per alium steterit, senatum accipere coronam decuit? Præterea istiusmodi verba, ut mihi videtur, vobis optionem dant, utrum existimetis excusationes et verba vobis esse audienda hominum in vos injuriorum, an naves possidendas. Nam si vobis iste ita satisfaciet, perspicuum erit cuilibet senatui probabilem causam esse ad vos afferendam, non triremes faciendas; eo pacto et pecunia consumetur, et vos naves non habebitis: si vero, ut lex jubet, et vestrum jusjurandum postulat, acriter omnes omnino causas sustuleritis, et propter non factas triremes præmium negaveritis, omnes, Athenienses, factas triremes vobis tradent, ubi viderint cetera omnia fuisse apud vos lege infirmiora. Neminem autem mortalium alium in causa esse, quo minus triremes factæ sint, id quoque perspicue ostendam. Senatus enim, lege sublata, istum sibi patronum creavit.

7. Jam quod ad impudicitiam attinet, respondebit, nos esse injurios, et falsa in se maledicta jacere ait: nobis, si vera esse illa confideremus, ad sexviros fuisse veniendum, ut ibi de mille drachmis periclitaremur, si calumniari videremur: nunc nos fucum facere, qui crimina et inania maledicta conquiramus, et vos obtundamus, ad quos ea cognitio non pertineat. Ego vero censeo, illud primum cum animis vestris esse cogitandum, multo maximum esse discrimen

inter convicium atque crimen, et probationem. Crimen enim est, si quis nudis verbis usus orationi suæ nullis argumentis fidem facit: probatio, si quæ dicit, ea etiam vera esse ostendit. Necesse igitur est eos qui probant, argumentis niti, per quæ rei veritatem vobis declarent, aut conjecturas afferre, aut producere testes. Neque enim in quibusdam fieri causis potest, ut in rem præsentem ducamini; sed si quis ejus generis aliquid ostenderit, semper vos justam veritatis habere probationem jure creditis. Nos igitur non probabilibus verbis, aut argumentis, sed a quo maxime pœnæ expeti possunt, eo ostendimus, virumque adducimus, qui tabellam nobis exhibuit, qua istius anteacta vita continetur: qui suo periculo testimonium dicit. Itaque si hæc convicium et crimen esse dixerit, vos probationem esse putabitis, quæ vero iste facit, convicium et crimen: cum autem ad sexviros rem fuisse deferendam dicit, sic existimabitis, nos et id facturos, et nunc hac de lege convenienter loqui. Nam si te alterius criminis reum hoc nomine accusaremus, causa tibi esset cur ægre ferres: sed in hoc judicio de violatione legum agitur, leges autem istis moribus præditos nec legitima decernere patiuntur, nosque ostendimus istum non dixisse tantum contra leges, sed vixisse etiam aliter quam leges sinunt: eane de lege nihil dicetur, per quam hæc probantur?

8. Illud etiam cognoscendum vobis est, Solonem harum legum auctorem, et aliarum fere omnium, longe alium quam iste sit legislatorem, non uno modo scelerum pœnas iis qui volunt expetendas permisisse e facinorosis, sed multifariam. Norat is nimirum, non posse fieri, ut omnes cives ex æquo essent aut eloquentes, aut confidentes, aut moderati. Quod si ita sanxisset leges ut moderatis sumpsisse pœnas satis esset, multos impune fore improbos censuit: si vero ut confidentibus et eloquentibus, futurum ut homines imperiti et rudes non possent eodem quo illi modo pœnas sumere. Æquum autem esse censuit, ne cui, pro sua cujusque facultate, exigendæ pœnæ jus negaretur. Id autem fieri qui potuit? Si multas vias per leges muniret ad facinorosos invadendos. Veluti in furto: firmus es, et teipso fretus? Abduc in carcerem. Sed mille drachmis periclitaris. Infirmior es? Novemviris indica: illi facient. Id quoque formidas? Accusa. Non tibi fidis, et pauperior es quam qui mille drachmas solvas? Furti age apud arbitrum, et extra periculum eris. Neutrum horum placet? Accusa. Etiam hoc reformidas? Defer. Hæc omnia diversa sunt. Eodem modo et in causa violatæ religionis, licet abducere in carcerem, accusare publice, causam apud Eumolpidas agere, proponere apud regem. Eodem modo in ceteris fere universis. Si quis igitur se maleficum esse non diffiteatur, aut impium, aut cujuscunque criminis de quo accusetur sontem, sed propterea se absolvi postulet, quod, si quidem in carcerem abductus fuerit, diem apud arbitrum dici licuisset: sin apud arbitrum reus fuerit, in carcerem fuisset abducendus, ut accusator mille drachmis periclitaretur, ridicula res illa profecto fuerit. Nam qui aliquid non fecit, ei non de forma judicii est disputandum, sed insontem esse se, ostendendum. Eodem modo et tu, Androtio, ne propterea dare pœnas recusato, si prostituta pudicitia decretum facis, quod nobis et apud sexviros in te datur actio: sed aut non fecisse te ostende, aut pœnas da, qui moribus istis aliquid decreveris. Neque enim tibi fas est. Quod si te non iis omnibus, quæ legibus conceduntur, rationibus ulciscimur, gratiam habeto nobis de iis quas prætermittimus, non propterea te prorsus insontem haberi postulato.

9. Operæ pretium porro est, Athenienses, diligenter inquirere et spectare, quantæ curæ Soloni fuerit, hujus legis auctori, in omnibus quas sanxit legibus, Respub.; et quanto de hac, quam iis de rebus quæ legibus continentur, magis sollicitus fuerit. Quod cum ex aliis multis legibus prospicitur, tum vero ex hac, qua vetat, ne ii qui se prostituerunt in publico vel dicant vel decernant. Illud enim videbat, cum multis e populo dicere liceret, eos tamen non dicere. Quare id grave non ducebat. Alioqui multa potuisset, si punire voluisset istos, graviora constituere. Verum non hoc ei fuit propositum: sed hæc propter vos et rempublicam interdixit. Norat enim, norat flagitiosæ vitæ hominibus eam rempublicam esse adversissimam, in qua omnibus proferre probra eorum liceret. Ea vero quæ est? Popularis. Non igitur tutum putavit, si quando accidisset, ut iisdem temporibus multi exsisterent homines, cum eloquentes et confidentes, tum talibus probris et malis referti. Fieri enim posse, ut illorum impulsu populus multum delinqueret: atque adeo aut ipsi popularem abrogare omnino statum conarentur, —nam in oligarchiis, etsi aliqui multo flagitiosius Androtione vixerint, magistratibus maledicere non licet—, aut ad summam improbitatem impellerent populum, ut ipsorum esset quam simillimus. Prorsus igitur istud hominum genus a consiliis exclusit, ut ne populus ab eis deceptus delinqueret. Quibus bonus iste vir neglectis, sibi non tantum dicendum et decernendum esse censuit, cum non liceret, sed et contra leges ea esse facienda.

10. Jam quod ad eam legem attinet, qua, quod pater ejus fuit ærarius, et mulctam reipublicæ non solvit, isti nec habere conciones nec facere decreta licet, sic ei respondere poteritis, si dicet nomen suum a nobis fuisse deferendum. Tum nos id esse facturos, non mehercule nunc, cum ei aliorum ratio reddenda erit, et cum id ex lege conveniet; atque adeo nunc ostendimus, nec ea quæ aliis licent, permissu legis tibi licere decernere. Aut igitur patrem tuum non fuisse ærarium, id ostendito, aut e carcere non profugisse, sed

solvisse pecuniam. Quæ si ostendere non poteris, lege vetante fecisti decretum. Heredem enim te lex constituit paternæ ignominiæ: cum autem ignominiosus sis, nec verba facere, nec decernere tibi licet.

11. Ac de legibus quas in medium attulimus, si quid afferre fuci vosque seducere instituet, hæc vobis esse tenenda, quæ recensui arbitror: sunt autem ei et de ceteris orationes ad vos decipiendos belle comparatæ, de quibus vos prius audire præstat. Quarum una talis est, ne quingentos vestrorum civium præmio spolietis, aut ignominia afficiatis: illorum agi causam, non suam. Ego vero, si illos duntaxat spoliaturi, reipublicæ autem nihil commodaturi essetis, non vobis auctor essem, ut magnopere contenderetis: sed si eo facto cives amplius decies mille meliores facturi estis, quanto pulcrius est efficere, ut tam multi boni sint, quam injuste gratificari quingentis? Dicere autem possum, negotium hoc non esse totius senatus, sed quorundam, qui sunt auctores malorum, et Androtionis. Cui enim opprobrio est, si tacente ipso, et nihil scribente, ac fortassis ne curiam frequentante, senatus coronam non acceperit? Nemini sane: sed ejus qui decernit, et res administrat, et quævis senatui persuadet. Propter hos enim in obeundo munere senatorio se corona indignos præbuerunt. Sed tamen ut maxime totius senatus causa agatur, quanto vobis eum condemnare sit utilius quam non, spectate. Nam si absolveritis, in manu oratorum erit senatus: sin damnaveritis, in populi potestate. Nam si multitudo viderit hunc senatum propter improbitatem oratorum, corona esse privatum, non illorum libidini negotia committent, sed ipsi ea dicent, quæ sunt utilissima: quod si fiet, vosque a vetere illa factione et conspiratione oratorum recesseritis, videbitis, Athenienses, omnia fieri quæ oportet. Quare ut nullam ob aliam, hac certe de causa sunt condemnandi.

12. Jam aliud quod vos latere non oportet, audite. Prodibit fortassis et senatum defendet Philippus et Antigenes, et rescriptor, et quidam alii, qui illic una cum isto sua senatum auctoritate rexerunt, et horum malorum sunt auctores. Omnes igitur vos intelligere debetis, eis prætextum esse defensionis, adjuvare senatum: sed revera de se laboraturos, et de rationibus rerum gestarum, quæ eis reddendæ erunt. Sic enim se res habet: si reum absolveritis, omnes rem factam habebunt, nec eorum quisquam pœnas ullas dabit. Quis enim porro damnet illos, si vos senatum, cujus illi patroni fuerunt, corona donaveritis? Sin damnaveritis, primum e jurisjurandi religione pronunciabitis: deinde, in referendis rationibus istorum singulis prehensis, si quis vobis deliquisse videbitur, eum punietis, qui non, eum tum absolvetis. Ne igitur sic eos audite, ut qui senatus et populi causam agant, sed irascimini ut iis qui suæ impunitatis gratia vos decipiant.

13. Archiam præterea Cholargensem existimo—nam et is anno superiore senatorem egit—ut virum bonum, deprecaturum, et eis patrocinaturum. Ego vero ad hunc fere modum Archiam audiendum esse censeo: interrogetur, an quæ senatui crimini dantur, recte esse facta putet, an perperam. Si responderit, recte, non jam ut vir bonus erit audiendus: sin perperam, cur ad ea connivere voluerit, cum se bonum esse virum profiteatur, rursus interrogate. Quod si se adversatum esse, neminem autem auscultasse dicet, absurdum profecto erit, nunc illum ab eo defendi senatum, qui optimis ejus monitis non obtemperarit: sin tacuisse, an non injurius est, si a peccatis non deterruit, cum posset deterrere, nunc autem dicere non dubitat, eos corona donandos, qui tot mala perpetrarunt?

14. Arbitror autem Androtionem nec illud omissurum, hæc omnia sibi propter tributa accidere, quæ se vestro nomine a paucis exegisse dicet, qui magnum æs alienum impudenter retinuerint: et eos accusabit (quo quid est factu facilius?) qui tributa non pependerunt, et dicet, omnem impunitatem propositum iri iis qui tributa non pendant, si ipse condemnetur. Vos autem primum illud, Athenienses, cogitate, vos non de illa re sententiam laturos, sed de eo, an decretum legibus consentaneum fecerit. Deinde, nullo esse modo ferendum, ut quiritetur a nonnullis injuriam reipublicæ fieri, atque ipse majores injurias sibi condonari postulet. Longe enim haud dubie facinus est gravius decreto violare leges, quam non pendere tributum. Verum tametsi constaret, isto condemnato, neminem aut collaturum, aut exacturum esse tributum, ne sic quidem esse absolvendum hinc cognoscetis. Vobis e tributis Nausinico prætore imperatis, quæ circiter trecentorum talentum, aut paulo pluris fuerunt, quatuordecim talenta defuere; quorum iste septem redegit. Sed ego pono redegisse omnia. Ad eos igitur qui ultro numerant, non egetis Androtione: sed ad cessatores. Diligenter igitur vobis est nunc considerandum, tantine æstimetis reipublicæ statum et receptas leges, et jurisjurandi religionem. Nam si istum absolvetis, qui adeo manifeste legibus contraria decrevit, omnium opinione pecuniam illam legibus et jurijurando prætuleritis: quæ, nec si quis eam de suo largiretur, accipienda esset, nedum exigenda ab aliis. Proinde cum hæc dixerit, mementote jurisjurandi, et cogitate, accusationem nunc de exigendo tributo non esse institutam: sed de eo, utrum legum inviolata esse debeat auctoritas.

15. Ac de his quidem, quo pacto vos a lege abducendo decipere sit conaturus, et quid ad ejus cavillationes repudiandas in promptu vos habere oporteat, cum multo plura etiam referre possem, quod et hæc sufficere arbitror, cetera prætermittam: inquiram autem et in publicas istius boni (si diis placet) viri actiones: in quibus nullum non crudelitatis genus exercuit. Nam et impudentem, et audacem, et peculatorem, et superbum, et ad quidvis potius quam

ad rempublicam in imperio populari gerendam esse aptum, demonstrabo. Ac, quam sibi maxime laudi ducit, pecuniæ exactionem ejus videamus: nihil istius arrogantia moti, sed rem ipsam qualis fuerit, vere æstimantes. Is Euctemonem tributa vestra habere, seque id aut convicturum cum dixisset, aut de suo pecuniam numeraturum pollicitus esset, per decretum magistratu qui sorte dabatur abrogato, ea specie ad exactionem obrepsit. Et concione post habita, trium vobis rerum optionem dari dixit; aut enim solennia vasa pomparum esse conflanda, aut tributum denuo conferendum, aut ab iis qui deberent tributa exigenda; cum autem, ut par erat, vos malletis æs alienum redigi, pollicitationibus vos detinens, et propter rationem temporis magnam potentiam nactus, veteribus legibus in ea re sibi non esse utendum censuit, nec, si eas satis esse non putabat, novas ferendas, sed decreta pro concione referebat atrocia et contraria legibus, per quæ prævaricatus, et multum vobis furatus est, cum undecimviros sequi se juberet, eosque secum ad civium ædes adduceret. Ac Euctemonem, a quo se redacturum, aut ipsum de suo numeraturum pecuniam profitebatur, nullo modo ejus rei convincere potuit, sed a vobis exegit, tanquam non Euctemonis, sed vestri odio id negotium suscepisset. Neque quisquam dicere me putet, a debitoribus nihil fuisse exigendum, fuit enim exigendum: sed quomodo? ut lex jubet, aliorum causa: id enim populare est. Neque enim, Athenienses, tantilla pecunia eum ad modum redacta, tantum fructum cepistis, quantam jacturam fecistis, talibus institutis invectis in rempub. Nam si quæratis, qua gratia videatur optabilius in populari degere imperio, quam in paucorum dominatu; hoc potissimum esse in promptu reperietis: quod in libera repub. omnia sunt clementiora. Istum autem se quam in ulla usquam oligarchia gessisse insolentius, prætereo: sed in vestra urbe quando summa crudelitas viguit? Sub triginta tyrannis, omnes dicetis. Atqui tum, ut accepimus, nemini vita eripiebatur, qui se domi abdidisset: illud autem eis crimini dabamus, quod e foro cives in carcerem per injuriam abducerent. Iste autem sua protervitate usque adeo illos superavit, ut in populari repub. suam cuique domum carcerem constitueret, undecimviris ad ædes adducendis.

16. Quid vero putatis, Athenienses, si quis homo pauper, aut etiam dives, sed sumptibus exhaustus, quemque consentaneum omnino sit præsente pecunia destitui, sive per tectum ad vicinos transscendit, sive sub lecto se occultavit, ne deprehensus in carcerem traheretur, sive aliud dedecus subiit, quæ servilia sunt, non ingenuorum hominum, eaque adspiciente uxore fecit, quæ ei ut ingenuo desponsa fuit, et civi Atheniensi: ejus autem rei causa fuit Androtio, cujus ea vita, ea facta exstiterunt, ut ei nec suas privatas inimicitias persequi liceat, nedum aliquid agere nomine publico? Quod si quis cum roget, tributa corporane debeant, an prædia? Prædia respondebit, si verum fateri volet. De his enim tributa pendimus. Cur igitur omissa prædiorum et ædium publicatione et proscriptione, vinciebas, et contumeliis afficiebas homines cives, et ærumnosos inquilinos? Quos ignominiosius quam servos tuos tractasti. Quod si considerare vultis, inter servitutem et libertatem quid intersit, hoc potissimum reperietis: quod servis omnia scelera corpore sunt luenda, ingenuis autem, tametsi maxima in se facinora admiserint, corpus tamen tueri licet. His enim pleraque delicta pecuniaria mulcta luenda sunt. Iste vero contra, in corpora civium tanquam mancipiorum est grassatus, atque ita flagitiosum et violentum erga vos se præbuit, ut patrem suum publice vinctum propter æs alienum in carcere, eo ære neque soluto, neque causa dicta, putarit effugere oportere: si quis autem aliorum civium quod debebat numerare non posset, domo in carcerem trahendum esse. Deinde post hæc, tanquam quidvis agendi potestas esset, Sinopæ manus injecit, et Phanostratæ, mulierculis vulgato quidem illis corpore, quæ tributum tamen non deberent. Quod si quibus illæ maxime dignæ videantur cum quibus sic agatur, ipsa res tamen indigna fuit quæ fieret: ut eo insolentiæ, ob temporis conditionem, veniret quisquam, ut ædes invaderet, et suppellectilem diriperet hominum innocentium. Multos enim videas, qui quidvis pati mereantur et patiantur, verum non ita jubent leges, non ita instituta civitatis, quæ vobis custodienda sunt: locus datur misericordiæ, veniæ, omni officio apud ingenuos, quorum omnium, et natura et disciplina, expertem esse istum, quis miretur? Multis enim injuriis, multis contumeliis affectus fuit, dum cum hominibus viveret, a quibus non amabatur, sed qui mercedem numerare poterant. Quarum rerum iracundia tibi non in proximum quemque civium effundenda est, nec in ejusdem quæstus æmulas meretrices, sed in patrem, qui te ad istum modum educarit.

17. Hæc quin gravia sint et omnibus contraria legibus, iste negare non poterit, sed adeo est impudens, ut præjudicia hujus judicii apud populum perpetuo sibi præpararit, ac dicere fuerit ausus, se pro vobis, et propter vos, suscepisse inimicitias, et nunc in extremis esse periculis. Ego vero vobis ostendam, Athenienses, istum nihil quicquam mali esse passum, aut passurum esse, propter ea quæ pro vobis egit: sed propter importunitatem suam, et diis invisas sordes, hactenus quidem passum esse nihil, passurum autem esse, si fungi vos officio volueritis. Sic enim considerate: quid tandem iste vobis receperit, et quodnam vos mandastis ei munus? Ut pecuniam redigeret: præter hoc non ei quicquam mandastis. Agite vero, singulatim vobis exactionem in memoriam redigam. Exegit iste a Leptine Cœleo quatuor et XXX. drachmas, a Theoxeno Alopecense drachmas LXX. et paulo plus, et ab Euphemi filio Callistrate, ac

Telesti adolescentulo (nomen enim non occurrit), et fere a quibus exegit, ne singula persequar, haud scio an ultra minam ab ullo ex omnibus exegerit. Utrum igitur putatis horum quemque ægre tulisse, et hostem ei factum propter tributum illud: an alium eorum, quod vobis omnibus audientibus servum eum appellarit, et servis prognatum, quod eum sextantem bonorum pendere cum inquilinis oportere dixerit: alium, quod e scorto suscepisse liberos: alium, quod patrem ejus prostituisse pudicitiam: alium, quod matrem ejus quæstum fecisse dixit: alium recensere jussit, quid ex peculatu corraserit: in alios alia maledicta jecit, omnes denique ordine fandis infandisque probris et conviciis lacessivit? Nam ego sane scio omnes, in quos iste est debacchatus, tributum necessarium esse sumptum existimasse: sed ad eum modum contumeliam sibi factam ægre tulisse. Quin et illud scio, isti mandatum fuisse a vobis, ut pecuniam exigeret, non ut sua cuique mala objiceret et opprobraret. Quæ si vera fuerunt, tacenda tibi fuerant,—multa enim omnibus nobis aliter eveniunt, quam vellemus—, sin falso comminiscebare, nonne quovis supplicio dignus es?

18. Jam ex his quæ sequuntur, evidentius intelligetis, invisum istum esse omnibus, non propter exactionem, sed propter factam singulis contumeliam et debacchationem. Satyrus enim navalium curator, non septem talenta vobis exegit, sed quatuor et triginta, ab iisdem illis hominibus, unde armamenta suppeditavit navibus quæ ablegatæ sunt. Qua de causa nec ille sibi quemquam dicit esse inimicum, neque eorum a quibus exegit ille, quisquam ei bellum indixit. Nimirum is, quod mandatum fuerat, egit: tu vero tuæ petulantiæ et audaciæ licentia parta, homines sumptibus reipublicæ collatis exhaustos, et te meliores, et melioribus ortos natalibus, falsis et atrocibus probris incessere voluisti. Credent igitur judices te sui studio fecisse ista, et tuæ impudentiæ et improbitatis facinora in semetipsos transmovebunt? Immo æquius te oderint propterea, quam conservabunt. Qui enim aliquid agit pro repub. reipub. mores imitari debet; quod qui faciunt, eos tueri, Athenienses, istius autem similes qui sunt, odisse debetis. Illud enim scientibus fortasse vobis, sed tamen dicam; qualescunque amari a vobis et defendi constabit, iis similes esse vos putabunt.

19. Atque adeo eum æs alienum ne quidem redegisse pro vobis, id quoque statim ostendam. Si quis enim eum roget, utri ei nocentiores esse civitati videantur, agricolæne et parci, qui propter alendos liberos, et domesticos sumptus, et alia munera obita, tributa deseruerunt: an qui ultro collatam pecuniam cum ab aliis, tum a sociis furantur et perdunt; non eo nimirum, quamvis frontem perfricuerit, impudentiæ veniet, ut dicat, eos qui sua non conferunt, esse nocentiores iis, qui ærarium depeculantur. Qua igitur tandem

de causa, o sceleste, cum plures sint annis triginta, ex quo versaris in republica: cum interjecto tempore multi et duces rempublicam læserint, et oratores, qui apud hos causam dixerunt, et partim sua scelera morte luerint, alii arrepta fuga in exsilium abierint: neminem unquam accusasti, nec præ te indignationem tulisti propter factas reipublicæ injurias, in tanta confidentia tua et eloquentia: sed ibi demum te curatorem es professus, ubi multi lædendi fuerunt? Vultis, Athenienses, ejus rei a me causam vobis explicari? Quia et socii sunt injuriarum, quas vobis quidam faciunt, et de exactionibus suffurantur: et, ut insatiabilis est eorum cupiditas, bifariam republica fruuntur. Neque enim tutius est multorum et leviter delinquentium suscipere inimicitias, quam paucorum et graviter: neque vero popularius multitudinis animadvertere peccata, quam paucorum: sed hoc in causa est, quod ego dico. Ex facinorosis illis se unum esse novit, vos autem nihili fecit; eoque ad illum modum vos tractavit. Nam si mancipiorum urbem esse hanc, et non eorum qui aliorum imperio digni habentur, esse constaret, non toleranda fuisset istius, qua in foro utebatur insolentia: cum simul et inquilinos et Athenienses vinciret, abriperet in carcerem, vociferaretur in concionibus, pro suggesto, servos servis natos appellitaret se meliores, et ortos melioribus: percontando, an frustra carcer esset ædificatus. Equidem id haud negaverim: siquidem pater tuus inde, cum ipsis compedibus, in ipsa Bacchanalium pompa exsiliit. Alias autem ejus contumelias nemo unus percensuerit: tanta est earum multitudo. Pro quibus hodie universis pœnæ sumendæ sunt, et exemplum in eum edendum, quo fiant alii moderatiores.

20. At vero in his actis publicis est talis, in aliis autem quibusdam bene se gessit? Immo in ceteris omnibus talem se præbuit erga vos, ut in iis quæ audistis, minime odio sit dignus. Quid enim vultis dicam? Solennium vasorum reconcinnationem, et coronarum destructionem, aut phialarum factionem illam præclaram? Sed vel propter hæc, et si nulla alia rempublicam injuria affecisset, ter, non semel duntaxat jure occideretur. Nam et sacrilegii, et impietatis, et peculatus, et omnium gravissimorum scelerum reus est. Ac pleraque ejus verba, quibus fucum vobis faciebat, prætereo: cum vero dixisset folia defluere de coronis, et eas vetustate computruisse, quasi violaceæ essent, aut rosaceæ, non aureæ, vobis auctor eas conflandi fuit. Postea in tributis exigendis adesse ministrum publicum jussit, ut vir bonus, cum ea singuli qui pependerant inscripturi essent: in coronis autem quas concidebat, justitiam illam non adhibuit, sed ipse orator, aurifusor, quæstor, inscriptor exstitit. Atqui si in omnibus, quæ publico agebas nomine, haberi tibi fidem postulasses, furta tua minus essent deprehensa. Nunc in tributis, ut æquum est, non habendam tibi esse fidem cum sanxeris, sed servis

publicis: cum autem aliud quiddam et res sacras moveres, quarum pleræque ne ætate quidem nostra dedicatæ sunt, eandem cautionem non adhibueris, quam in tributis: nonne palam est, cur ita feceris? Equidem opinor.

21. Atque illud considerate, Athenienses, quam præclaras et admirabiles ad omnem posteritatem inscriptiones reipublicæ sustulerit, quam impias et intolerabiles reposuerit. Arbitror enim vidisse omnes vos, in coronarum modiolis subtus inscriptum fuisse, s o c i i p o p u l u m f o r t i t u d i n i s e r g o e t j u s t i t i æ: aut, s o c i i d o n o M i n e r v æ e x m a n u b i i s: aut oppidatim, illi populum, conservati a populo; veluti, E u b œ e n s e s l i b e r a t i c o r o n a d o n a r u n t p o p u l u m. Rursus alicubi fuit inscriptum, C o n o e x n a v a l i v i c t o r i a p a r t a d e L a c e d æ m o n i i s. Tales enim fuerunt coronarum inscriptiones. Quæ igitur et admirationis multum et honoris vobis ferebant, abolitæ sunt, coronis destructis: phialis autem, quas earum loco vobis iste fecit impudicus, A n d r o t i o n e c u r a t o r e f a c t æ s u n t, inscriptum est. Et cujus pollutum libidinibus corpus ingredi fana leges non sinunt, ejus nomen in fanis phialis inscriptum est: conferendum scilicet, non sane, veteribus illis inscriptionibus, et idem vobis, si diis placet, honoris ferens? Sic tria eos atrocissima commisisse perspicitur. Nam et Minervam coronis spoliarunt: et reipub. admirationem sustulerunt, quæ ex iis factis exsistebat, quorum coronæ illæ, dum adessent, monimenta fuerunt: et iis a quibus consecratæ fuerant, gloriam non parvam ademerunt opinionis ejus, qua grati animi memoriam testari voluerunt. Etsi autem tot et tanta facinora designarunt, eo simul et stuporis et ignaviæ sunt progressi, ut hæc tanquam re bene gesta celebrent; itaque iste se putat propter istos conservatum iri: alius assidet, neque se abdit propter facinora. Usque adeo porro non modo pecuniæ avidus, sed et stupidus est, ut ignoret illud, coronas virtutis signum esse, phialas autem et ejus generis alia, divitiarum: et quamlibet coronam, etsi parva fuerit, æque esse honorificam ut magnam, pocula autem et thuribula, si magna sit eorum multitudo, opulentiæ quandam excitare opinionem de possessoribus, sin parvis et paucis gloriere, tantum abesse ut honori sint, ut etiam ineptus esse videaris.

22. Iste autem gloriæ possessionibus abolitis, opulentiæ substituit parvas, et non dignas vobis. Ac nec illud quidem animadvertit, pecuniæ cumulandæ nunquam studuisse populum: gloriæ autem, quam ulli rei magis. Argumento est, quod, cum aliquando plurimum pecuniæ haberet, inter omnes Græcos, eam omnem honoris studio impendit: et pecunia de suo conferenda, nullum unquam periculum recusavit. Unde possessiones immortales est consecutus, tum rerum gestarum memoriam, tum donariorum propter illas con-

secratorum magnificentiam, propylæa illa, ædem Minervæ, porticus, navalia: non urceolos duos, neque aurea vascula tria quatuorve, libræ singula pondere; quæ, cum visum tibi fuerit, iterum conflanda esse decernes. Neque enim decimis a civibus exigendis, neque iis quæ hostes imprecarentur faciendis, et tributis geminis comminiscendis, ea dedicarunt; neque talibus utentes consiliariis qualis tu es, rempublicam gesserunt: sed hostibus vincendis, et, quod omnibus cordatis optabile est, concordia inter cives conciliandа, immortalem sui nominis gloriam reliquerunt, eos autem qui tuis studiis delectabantur, foro prohibuerunt. Vos autem, Athenienses, eo adducti estis socordiæ et negligentiæ, ut, talia exempla cum habeatis, non tamen imitemini: sed Androtio sit vobis solennium vasorum instaurator. Androtio, o dii immortales! Et hoc impium facinus ullo alio esse levius existimatis? Nam ego quidem ita censeo, eum qui fana ingressurus, et lavacra et sportas attacturus sit, et rerum divinarum curationi præfuturus, non certum modo dierum numerum castum esse oportere, sed per totam vitam a talibus studiis, qualis istius vita est, fuisse alienum.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS CONTRA ARISTOCRATEM.

Charidemum Oritam, peregrini militis ducem, Cersobleptis Thraciæ regis imperatorem, civitate donarant Athenienses, partim quod utilem reip. operam navasset, partim quod plura ab eo beneficia exspectarent. De hoc senatusconsultum fecit Aristocrates hujusmodi: si quis Charidemum occiderit, comprehendi eum jus fasque esto in omni ditione conjuncta cum Atheniensibus; quod si quis comprehensum asseruerit sive civitas sive homo privatus, is fœderum expers esto. Hujus senatusconsulti accusator Euthycles, Demosthenis usus oratione, ait primum senatusconsultum esse contra leges, quia cognitionem et judicia tollat, et vindictam ante crimen contineat scriptam: deinde non esse e re Atheniensium, tale Charidemo decernere præmium, per quod Chersonesus amittenda sit (quod quo pacto sit futurum, ipsa ostendet oratio): examinat etiam personæ qualitatem, affirmans, non meruisse præmia Charidemum, talia præsertim.

ALITER.

Eubœa insula est e regione Atticæ protensa per Bœotiam et Phocidem usque ad Aphetas, Thessaliæ locum. Scimus autem oppida Eubœæ esse multa, inter quæ et Oreus est, unde patrium nomen Orites. Ex eo oppido fuit Charidemus oriundus, peregrini exercitus pro defensione Atheniensium et sociorum ductor, gener Cotyis et imperator, Thracum regis, qui aliquando Chersonesum, cum esset Atheniensium, occuparat, ac moriens regni successorem Cersobleptem ea conditione reliquerat, ut id cum Berisade et Amadoco fratribus partiretur. Ducem porro Cersobleptes habebat adfinem Charidemum, Berisades Athenodorum quendam genere Atheniensem, ex Alopecensi municipio, Amadocus vero duos, Simonem et Bianorem. Singuli porro reges Atheniensibus gratificari cupiebant, ut eos ad opem sibi ferendam paratos haberent, auctoreque Charidemo Chersonesum communiter Atheniensibus dederunt. Qua re cognita, hi illum, ut bene de se meritum, aurea corona et civitate donarunt. Qui, ut amicis suis per Aristomachum quendam significavit, si vita sua, dempto insidiarum metu, per illos in tuto collocaretur, se Amphipolim Philippo ademptam illis velle restituere. Igitur Aristocrates quidam Atheniensis orator decretum hujusmodi scripsit: qui Charidemum interfecerint ad supplicium rapiuntor; interfectorem vero qui asseruerint sive publice sive privatim, Atheniensium fœdere excluduntor. Ceterum Euthycles quidam, Thriasius municeps, ei decreto intercessit, ut malo, ut iniquo, ut inutili, ut indigno homini scripto. Is auro dato acceptaque hac a Demosthene oratione, accusat Aristocratem. Sed quia videbat orator simplicem quidem causam valere legitimo, sed eo laborare, quod in decernendis præmiis plerunque non tam dignitatis accipientium quam utilitatis rationem ducere soleant, præsertim si clari duces sint, et reip. benefaciant, qualis sit Charidemus, Cersobleptæ et dux et sororius, ob restitutam Chersonesum, grati animi ergo delectus imperator Atheniensium, aliud argumentum excogitavit, quo intertexendo perturbat auditorem, cum dicit scriptum esse decretum in fraudem Chersonesi fundi reipublicæ. Itaque Demosthenes hujus mentionem interserit, ut suspicionem injiciat auditori, utrumque tam Cersobleptem quam Charidemum munus hoc impetrare studere, illius provinciæ denuo eripiendæ ergo, quorum cupiditati hoc decreto callide suffragatur Aristocrates, ut neuter regum metu reipublicæ manus afferat Charidemo. Atque hæc de argumento.

ALITER.

Duplex est oratio, quemadmodum et illa quæ est contra Timocratem. Habet enim, eamque duplicem, legum violatarum hypothesin de qua disceptatur, habet etiam aliam superinductam, sc. de rebus Chersonesitanis. Est autem præsens oratio, ut ita dicam per similitudinem contentio adversaria illi quæ inscribitur de corona. Ibi enim contendit Ctesipho dignum munere esse [Demosthenem], hic autem Euthycles Aristocratem accusavit, asserens ejus decretum legibus esse contrarium, et dignum munere non esse Charidemum. Manifestum autem statum esse negotialem, scripto constantem, utrum oporteret ratum esse decretum necne. Sunt autem orationis capita tria, justum, legitimum, et utile. Et justum quidem et legitimum proprie deducuntur ex ipsa rerum materia, utile autem ex ingenio oratoris. Et legitimo ad hunc modum accusat, sc. eum decem leges violasse, quarum septem sunt de cæde, et tres de republica. Justo autem, sæpe Charidemum injuria affecisse civitatem, nec ei jure tale dari munus. Ponit autem utile ex ingenio oratoris, hoc modo: sc. animadvertite quali modo capta, et quali tradita erat Chersonesus. Manifestum est autem, captam fuisse, Cotye regnante, datam vero, quando imperium ejus trifariam dividebatur. Nunc igitur, quando vos impertitis Charidemo hujusmodi munus, si voluerit Cersobleptes ceteris regibus bellum inferre, neminem habebit adversarium. Athenodorus enim, genere Atheniensis, Charidemum interficere nolit propter cives suos: rursus, Simo et Bianor, socii cum sint et civitate donati, neque ipsi peremptum Charidemum volent: si igitur Charidemo Cersobleptis exercitus ductante illi non se opposuerint, ceteris regibus desertis et trucidatis, solus rex constituetur Cersobleptes, et nihil ei obstabit quo minus Chersonesum occupet. Hoc autem caput non est proprie ex materia rerum ipsarum, sed est a reo, qui dicturus est, expedire vobis accipere Amphipolim, et multa alia ejus generis. Hoc autem caput proficisci ex lascivia oratoris, manifestum est ex oratione Æschinis contra Ctesiphontem. Nam cum simile et ibi quoque est argumentum, Æschines tamen propter ingenii paupertatem et defectum virium non valebat ponere locum ex utili profectum. Exordia autem orationis tria sunt: primum quidem ex ipsa re: Cum viderim magnas reipublicæ fieri injurias, actionem hanc institui. In quo, inimicitias quidem cum Charidemo celat, simultatem vero cum Aristocrate profitetur, unde nihil detrimenti accepturus erat. Nam cum aperta sit contentio adversus Aristocratem, tacita vero adversus Charidemum, ideo id quod occultum est, ut non suspectum dissimulat, deque manifesto disserit. Secundum vero ex persona dicentis sumitur: Quoniam ego, homo indoctus, me rem tantam ostensurum profiteor, convenit omnes vos mihi esse adjutores. Hoc autem ait propter metum, quod ipse privatus cum sit, causam agat adversus oratores et imperatorem. Nam ex longinquo omnem suspicionem a se removere nititur per opinionem simplicitatis. Tertium vero a persona Charidemi propter quem oratio. Traditur enim nobis præceptum, omnes objectiones quæ a dignitate deduci possunt esse refutandas, cum contra honoratam personam verba facimus. Hoc etiam fecit Aristides in sua oratione contra Periclem. Est autem in medio tertii exordii congeries quædam argumentosa: Quod si, Athenienses, summa hæc esset Aristocratis injuria, et quæ sequuntur. Nam cum in principio exordii exagitabat opinionem, quæ erat de Charidemo suscepta, timebat ne consequenter argumentum aliquod ejus mali animi expeteret auditor, id quod rejecit, nunc quidem præ se ferens velle ad res Chersonesitanas festinare, in sequentibus autem de ejus prava voluntate disserere professus. Cum autem miraturus erat auditor, quare ille qui accusaret decretum contra leges latum, Chersonesum in actione memoraret, in constitutione causæ præparat auditorem, ut existimet esse mentionem Chersonesi huic contentioni propriam, totam causam ejus gratia insimulans et suspectam reddens. Et est quasi præparatio loci de utili. Constitutio autem causæ ducitur aliquando ex sententia, aliquando

ex narratione. Cum autem futurum erat ut auditor Chersoneso nominata, statim postulaturus erat argumenta perfectiora, ibi fugiens, et fugam dissimulans, eis electionem dat, utrum vellent primum de legitimo audire, an de justo, an de utili. Sed cum ei legitimum fortius erat, et accusationi proximius, ideo necessarium existimavit eo loco primum uti. Jam igitur, vel quasi non contradicente auditore, vel expostulante ita dici juxta tenorem accusationis, ait De legitimo vultis primum? De hoc dicemus. Et cum videretur posse objici ex lege, hospitem esse Charidemum, et idcirco ei decretum esse peculiarem quendam honorem in rogatione (leges enim de cæde latas esse contra cives) ideo illi ad solutionem objectorum opus erat præparatione, qua auditori probaret et civem esse [Charidemum] et de cive habitam orationem.

DEMOSTHENIS

CONTRA ARISTOCRATEM

ORATIO.

1. NEMO vestrum, Athenienses, putet me vel ullo privato odio adductum venire ad Aristocratem accusandum, vel cum parvum aliquod et leve delictum videam, propter illud adeo paratum esse ad inimicitias suscipiendas: sed, si modo meum me judicium non fallit, in hoc omne meum studium incumbit, ut Chersonesum secure teneatis, neque phaleratis decepti verbis rursus ea spoliemini. Decet igitur omnes vos, si hæc recte cognoscere voletis, et e præscripto legum controversiam vere dijudicare, non tantum scripta in senatusconsulto verba considerare, sed etiam quid eventurum inde sit providere. Nam, si re statim audita callidæ machinationes animadverti potuissent, principio fortasse decepti non essetis: quia vero hoc non minimum artificium est quorundam, ita et dicere et scribere, ut vos latentes insidias minime perspiciatis aut caveatis, non adeo mirum videri debet, si etiam hoc decretum nos ita scriptum ostendemus, ut, cum Charidemi salutem tueri videatur, Chersonesum, quæ revera est justum et firmum reip. præsidium, nobis eripiat.

2. Jure autem, Athenienses, mihi operam hanc dabitis, ut me dicentem cum benevolentia audiatis. Quia enim ego, non unus ex illorum numero qui vobis obturbant, neque rursus horum qui in gerenda republica magnam apud vos habent auctoritatem, rem tantam esse actam ostensurum esse me profiteor, vos, si me quod in vobis est juveritis, attenteque audieritis, tum hanc ipsam rem in integrum restituetis, tum animos addetis ceteris, ut, siquid etiam nostrum aliquis se reipublicæ prodesse posse putarit, facere id non gravetur: putabit autem, si audientiam impetrare a vobis non esse difficile existimaverit. Nunc istius rei metu multis, minus fortasse disertis, sed melioribus certe viris, quam eloquentes isti sunt, ne cogitare quidem quicquam de republica in mentem venit. Ego sane—omnes adjuro deos—idque vobis dubium esse non debet, ipse quoque ab accusatione hac abhorruissem, nisi turpissimum judicassem, nunc quiescere et silere, dum quosdam homines rem civitati non conducibilem struere video, cum prius, quo tempore trierarchus in Hellespontum ieram, verba fecerim, et accusarim nonnullos a quibus lædi vos judicabam.

3. Etsi autem non ignoro esse quibus Charidemus de republica bene meritus esse videatur, ego tamen, si ea quæ volo et ab illo perpetrata esse scio, apud vos exponere potero, confido me ostensurum, illum adeo non esse bene meritum, ut nemo omnium hominum reipublicæ pejus velit, et longe aliam de eo conceptam quam conveniat opinionem. Quod si, Athenienses, summa hæc esset Aristocratis injuria, quod Charidemi, qui talis est, qualem eum ego esse vobis me ostensurum dico, tantam in decreto rationem habet, ut, siquid ei accidisset, peculiarem, eamque legibus contrariam ultionem sit largitus, id jam vobis exponere instituissem: ut intelligeretis longe abesse ut tali senatusconsulto ornari mereatur: nunc per ipsum senatusconsultum aliud gravius delictum committitur, quod vobis prius et cognoscendum est et præcavendum. Imprimis autem explicare necesse est atque ostendere, quidnam sit illud quod effecit ut Chersoneso secure potiremini; quo cognito, eam etiam quam dico injuriam perspicue cernetis.

4. Hoc autem, Athenienses, sic habet: Cotye defuncto, Berisades, Amadocus et Cersobleptes, tres pro uno Thraciæ reges facti sunt. Qua ex re id contigit, ut ipsi inter sese dissententies ad vos se conferrent vosque colerent. Hoc igitur, Athenienses, quidam dum repellere volunt, et reliquis regibus abrogatis summam totius imperii ad Cersoblepten devolvere, callide hoc senatusconsultum extorserunt, si verba spectentur, sejunctum a talis conatus opinione, reipsa maxime ad hoc accommodatum, ut ego docebo. Nam cum defuncto regum uno Berisade, neglecto jurejurando et fœdere quod vobiscum fecerat, Cersobleptes bellum et Berisadæ liberis et Amadoco intulisset, constabat, Berisadæ liberis Athenodorum opitulaturum, Amadoco Simonem et Bianorem; nam ille Berisadæ affinis, hi Amadoci fuerunt. Cogitantes igitur, quonam modo hi compesci, atque illis desertis Charidemus, qui regnum Cersobleptæ stabilire conatur, citra periculum subvertere posset omnia, id fieri posse repererunt primum decreto a vobis impetrato, siquis eum occidisset, ut liceret illi injicere manus: deinde, si Charidemus a vobis imperator designaretur. Neque enim contra imperatorem vestrum arma temere laturos esse Simonem et Bianorem a vobis civitate donatos,

et alioqui vestri studiosos; et natura civem vestrum Athenodorum ne in animum quidem id esse inducturum, neque id crimen subiturum, ut senatusconsulto adversatus videretur, quod sine ulla dubitatione eis impingeretur, siquid Charidemo accidisset. Hac ratione, alteris auxilio destitutis, istis tanta impunitate data, facile posse illos ejici, se imperium obtinere. Et hanc illorum fuisse mentem, hæc consilia illos concinnasse, ipsa facta clamitant. Nam simul et bellum movebant, et ad vos ab eis legatus veniebat Aristomachus Alopecensis: qui cum alia apud vos in concione dicebat, tum in honorifica prædicatione et prolixa Cersobleptæ et Charidemi eorum erga vos benevolentiam et studium celebrabat. Solum omnium hominum Charidemum vobis Amphipolim donare posse, utque eum imperatorem crearetis, hortabatur. Paratum autem eis jam ante hoc senatusconsultum, et ante dispositum erat: ut, si acquiesceretis in pollicitationibus et spe, quam ostentabat Aristomachus, statim populus decretum comprobaret, et nihil impediret. At quamnam callidiorem aut astutiorem rationem quisquam inire posset, ut reges ceteri pellerentur, unus qui eis placuisset omne occuparet imperium? Aut ut ii qui duobus reliquis opitulati alioqui essent, metu calumniæ quiescerent, quam consentaneum erat exspectare illos in se redundaturam per id senatusconsultum, si quid Charidemo accidisset? Utque illi, qui uni duntaxat imperium tradere studebat, qui omnia vestris rationibus contraria moliebatur, tantam licentiam darent impune et secure illa faciendi? Neque vero hinc solum constat, propter hæc quæ dico senatusconsultum istud esse factum, sed ex ipso senatusconsulto amplum quoddam testimonium suppetit. Cum enim scripserit, si quis Charidemum occiderit, nec adjecerit, quidnam agentem, utrum vobis utilia, an contra, subjunxit statim e ditione sociorum posse in vincula abripi. Neque vero hostium nostrorum æque atque illius, unquam ullus ad nostros veniet socios, sive occiderit, sive non occiderit. Non igitur in hostes eam pœnam constituit. At nostrorum amicorum, illius, si quid reipublicæ nostræ perniciosum conaretur, inimicorum, horum, inquam, aliquis senatusconsultum istud pertimescet, et cavebit ne vestras inimicitias suscipere cogatur. Est autem hic Athenodorus, Simo, Bianor, Thraciæ reges, et quicunque alius de vobis bene merendi studiosus, illum vobis adversa molientem compescuisset.

5. Quibus igitur de causis perscriptum sit senatusconsultum, ut id a populo comprobaretur decepto, et quapropter nos causam hanc susceperimus ad conatus illorum prohibendos, hæc sunt, Athenienses. Æquum autem fortasse est, me pollicitum tria ostensurum, unum, senatusconsultum hoc contra leges esse factum: alterum, id non esse e republica: tertium, indignum eum esse, cui ea quæ perscripta sunt tribuantur: horum omnium optionem dare vobis auditoris, quid primo, quid secundo, aut postremo loco audire præoptetis. Proinde videte quidnam velitis, ut id primum vobis dicam. De violatis legibus vultis primum? Hoc igitur dicemus. Oro autem et postulo a vobis ea, quæ, ut mihi persuadeo, æqua omnino sunt: nemo vestrum, Athenienses, propterea quod Charidemum ignorat, et de republica bene meritum putat, quadam animi pertinacia inductus, nostros de legibus sermones iniquioribus auribus accipiat: neque propter id vel seipsum defraudet, quo minus pro jurisjurandi religione sententiam ferat, vel me impediat in iis explicandis, quæ vos edocere decrevi: sed ita auscultet, ut consideret, quam æqua dicam. Ac ubi legum meminero, omissa cogitatione propter quem aut qualem senatusconsultum sit factum, id solum, neque aliud quicquam consideret, contrane an secundum leges sit factum. Quum vero res ab eo gestas excussero, atque recensuero, quo pacto sitis ab eo decepti, cogitet, utrum res factas, an ementitas dicam. Ubi porro disquisivero, utrum e republica sit, vel contra rempublicam, hæc decernere, omissis ceteris omnibus, rationes de his allatas inspiciat, utrum illæ recte sese habeant, an secus. Nam si me his animis audietis, tum ipsi optime, quæ deceant, intelligetis, singulis seorsim consideratis, et non simul omnia confertim obtuentes: tum ego quæ volo facillime potero dicere. Paucis autem absolventur omnia.

6. Cape igitur leges ipsas, et recita, ut per eas ostendam, quam isti legum nullam rationem habuerint.

E CAPITALIBUS LEGIBUS AREOPAGI.

LEX.

Senatus Areopagiticus de cæde et vulnere consulto facto, de incendio et venenis, quibus porrectis aliquis hominem occiderit, judicet.

Desine. Audistis tam legem, quam decretum, Athenienses. Quemadmodum autem mihi videamini rationes ipsas de violatis legibus facillime cognituri, hoc vobis dicam; si consideraveritis, cujus ordinis sit is, pro quo senatusconsultum factum est: an peregrinus, an inquilinus, an civis sit. Quem si dicemus inquilinum, mentiemur: rursus si hospitem, injuriam ei faciemus: populi enim beneficium, quo civitate est donatus, ratum illi manere debet. Relinquitur, sic ut de cive, esse de eo loquendum. Obsecro autem ut spectetis, quam simplici et justa ratione utar, qui in hunc ordinem eum collocem, in quo maximum honorem consequatur. Quæ vero vobis natura civibus negata sunt, nec illi opinor contra leges sunt concedenda. Quæ sunt igitur ea? quæ iste modo scripsit. Nam

lege quidem jubetur senatus, judicare de cæde et vulnere consulto facto, de incendio et venenis, quibus datis aliquis alium enecaverit. Atque is qui legem tulit, adjecta hac clausula, quibus enecaverit, causæ dictionem dedit, non prius tamen quid maleficum pati conveniat, declaravit: in quo, Athenienses, pietati totius urbis probe prospexit. Quomodo? Nemo nostrum omnium scire potest, quis sit qui cædem fecerit. Talia porro sine judicio credere, si quis aliquem criminatus fuerit, esse iniquum putavit; oportere igitur censuit, si factas ei qui læsus est injurias persecuturi simus, fidem fieri vobis, et vos edoctos ab accusatoribus, cognoscere, sontem eum esse. Tum demum enim, cum res percognita fuerit, jus et fas esse pœnas sumi, prius non. Præterea reputabat, omnia talia nomina, veluti si quis sacrilegium fecerit, si quis prodiderit, et ejus generis omnia, priusquam judicium exerceatur, criminum esse appellationes: postquam judicio sit convictus, tum demum fieri scelera. Non igitur censuit nomini criminis supplicium adscribendum, sed judicium. Propterea que si quis cædem fecerit, senatum cognoscere jussit, non dixit, quæ pœna luenda sit, quasi convictus esset. Ac legislator quidem sic: at senatusconsulti auctor quomodo? Si quis occiderit, inquit, Charidemum, nomen facinoris idem posuit, cum scripsit, si quis occiderit, quod legislator: in sequentibus vero non eadem, sed sublata clausula de judicio subeundo, statim licere in vincula abripi, scripsit, neglectaque per legem designata curia, reum criminatoribus indicta causa pro libidine tractandum permisit, etsi nondum utrum fecerit necne, constet. Licebit igitur eis illum comprehensum torquere, excarnificare, pecunia mulctare: atqui hæc omnia vetuit aperte et evidenter subscripta lex, taliaque nec in convictos et declaratos homicidas licere voluit.

7. Lege eis ipsam legem quæ sequitur.

LEX.

Homicidas liceat occidere in nostro territorio et in carcerem ducere, ut in Decemvirali tabula promulgatur: excruciare, aut pecuniam ab eis extorquere, non liceat, alioqui duplum dati damni luendum: actionem vero prætores danto cuivis eorum criminum quorum quique sunt judices, cognitio vero sit penes Heliæam.

Legem audivistis: contemplamini quæso quam præclare ac supra modum religiose constituerit legislator. Homicidas inquit: primum igitur homicidam eum dicit, qui judicum sententia jam sit damnatus. Nec enim hac appellatione quisquam continetur, priusquam convictus damnetur. Id ubi significat? Tum in priore lege, tum in hac. Nam in illa scripsit, si quis cædem fecerit, senatus judicet: in hac, homicidam nominans, quæ pati oporteat, dixit. Quo enim in loco res crimen adhuc erat, judicium nominavit: ubi vero damnatus huic appellationi jam obnoxius erat, pœnam scripsit. De damnatis igitur loquitur. Quid vero loquitur? licere occidere atque abducere. Nunquid ad sese, aut, ut alicui libitum fuerit? minime id quidem. Quomodo ergo? ut in Decemvirali tabula, inquit, promulgatum est. Illud vero quid est? Id quod vos omnes scitis. Sexviri eos qui propter cædem solum verterunt, jus habent morte mulctandi: annoque superiore vidistis omnes e concione quendam ab eis abductum. Ad hos igitur abducere jubet. Hoc vero quid ab illo differt, si quis ad se domum abduceret? Quia qui abducit, Athenienses, ad sexviros, legum potestati facinorosum subjicit: qui ad se ducit, suæ. Illo modo pœnas dare licet, ut lex sancit: hoc, ut illi qui cepit, lubet. Plurimum autem profecto interest, utrum irrogandæ mulctæ jus penes legem sit, an vero in potestate inimici. Excarnificare, inquit, ne liceat, neque pecuniam extorquere. Non excarnificare quid sit, omnibus vobis notum esse scio: non flagellare, non vincire, nihil denique facere ejus generis. Habet etiam alterum legis verbum nihil obscuritatis. Ac lex quidem, homicida et jam damnatus quomodo puniendus sit, et ubi, cæsi patria nominata, hoc modo cavit, et non alio modo quam hoc, neque alibi licere quam hic, aperte dixit: at senatusconsulti auctor, multum certe abest ut quicquam caverit, quum omnia his contraria dixerit. Scripsit enim, si quis occiderit Charidemum, abduci eum licere undecunque. Quid ais? Quum leges nec damnatos abducere sinant, nisi in nostro territorio, tu scribis, sine judicio abduci posse aliquem ex omni ditione sociorum? Quum nec in nostra leges ducere jubeant, tu permittis undecunque ducere? Præterea dum comprehendendi potestatem das, omnia quæ lex vetuit, dedisti, mulctare pecunia, excarnificare viventem, affligere, penes se detinere, atque interficere. Et qui evidentius dixisse contraria legibus quisquam convincetur, aut iniquiora scripsisse, quam ad hunc modum? Qui quum duo nomina proposita haberet, contra reos criminis, si quis occiderit, contra damnatos, si quis homicida fuerit, in appellatione, ejus qui criminis reus est, nomen usurpasti, supplicium vero, quod nec in convictos permittunt leges, id tu in eos de quibus nondum judicium factum est, statuisti, eo quod est horum medium repudiato. Interjectum enim est inter crimen ejusdemque probationem, judicium: id quod nusquam iste scripsit in senatusconsulto.

8. Recita sequentes leges.

LEX.

Si quis autem homicidam ceciderit aut cædis ei causa fuerit, is abstineat foro collimitio et ludis et sacris Amphictyonicis, perinde ac si Atheniensem occidisset, eodemque crimine teneatur: sed judicatio capitalium causarum judicibus reservetur.

Cognoscendum vobis est, Athenienses, quid hujus legis auctor sibi voluerit: videbitis enim eum verecunde omnia et legitime distinxisse. Si quis, inquit, occiderit homicidam, aut cædis ei causa fuerit, is abstineat foro collimitio, et ludis, et sacris Amphictyonicis, perinde ac si Atheniensem occidisset, eodemque crimine teneatur: sed judicatio capitalium causarum judicibus reservetur. Quid hic audio? Ille censuit, cædis reum factum et convictum, si semel effugerit atque evaserit, justum quidem esse, ex interfecti patria exterminari, occidi ubicunque esse nefas. Quid spectavit? Illud, quod si nos eos qui alio se recepissent, occideremus, alii perempturi essent eos, qui huc confugissent. Quod si fieret, fore, ut una reliqua calamitosis omnibus salus tolleretur. Ea quæ est? Ut eorum quos læserint, patria cedant, in aliorum ditionem, quibus nullam fecerint injuriam, habitatum tuto commigrent. Id igitur ne accideret, neve infinita calamitatum supplicia exsisterent, scripsit, s i q u i s h o m i c i d a m o c c i d e r i t, a b s t i n e a t f o r o c o l l i m i t i o. Quid ea vox sibi vult? Finibus regionis. Ibi enim, ut mihi videtur, antiquis temporibus conveniebant finitimi, et a vobis, et ab urbi vicinis: unde appellavit forum collimitium. Et rursus, s a c r i s A m p h i c t y o n i c i s. Quamobrem et ab his exclusit homicidam? ut quarumcunque rerum occisus particeps fuerat, iis cædis auctorem prohiberet. Primum patria, et omnibus quæ in ea sunt, solennitatibus et sacris, et collimitium forum pro termino designavit, quo prohibendum eum dicit. Deinde sacris Amphictyonicis. Nam et horum, modo Græcus esset occisus, particeps fuerat. E t l u d i s. Quamobrem? Quia communes sunt omnibus qui celebrantur in Græcia ludi. A quibus quia nemo excludebatur, illorum etiam particeps fuerat occisus ille. Etiam his igitur abstineat. Et his quidem homicidam prohibet; si vero extra hæc occiderit eum aliquis, aut alicubi alibi, idem in eum supplicium constituit, quod s i A t h e n i e n s e m o c c i d i s s e t. Nam exsuli nomen civitatis non impertiit, cujus expers est, sed facinoris, quo ille semetipsum obligavit. Propterea que, s i q u i s o c c i d e r i t, inquit, h o m i c i d a m. Deinde ubi adjecit, quibus rebus sit interdictum, ut supplicium ratione legitima infligatur, civitatis nomen posuit, his verbis, p e r i n d e a c s i A t h e n i e n s e m o c c i d i s s e t. Valde, valde dissimilis, Athenienses, est legislator auctori hujus senatusconsulti. An vero non crudele est, si quis hos, quibus lex concessit, modo interdictis locis et rebus abstineant, in exsilio secure vivere, omnium violentiæ

expositos esse jubet, et veniæ clementiam tollit, quam calamitosis præstari par est ab his, qui extra crimina sunt: cum, cui omnium illa, in tanta rerum futurarum obscuritate, reservetur, incertum sit? Nunc igitur etiam interfectorem Charidemi, revera, si modo id factum fuerit, si qui vicissim occiderint, nacti proscriptum, exsulantem, et aqua et igni interdictum, cum ipsi capitalibus judiciis obnoxii erunt, tum vero tu quoque. Etenim, si quis in causa fuerit, scriptum est: eris autem in causa, illa, quæ in senatusconsulto est, causa suppeditata. Proinde ubi acciderint illa, si vos omiserimus, pollutorum consuetudine utemur: sin persequemur ea quæ decrevimus, ipsi rescindere cogemur. Nunquid igitur parva aut levis causa est, propter quam vos decretum abrogare oportet?

9. Age, recita etiam sequentem legem.

LEX.

Si quis aliquem homicidam, qui excessit, cujus pecunia non ignominiosa est, ultra terminos agitarit, vexarit spoliaveritve, quocunque modo id fiat, eandem mulctam debet, quam si in ditione nostra eadem commisisset.

Alia hæc, Athenienses, lex est, humana et bona, quam istum æque neglexisse apparebit. S i q u i s, inquit, h o m i c i d a m a l i q u e m, q u i e x c e s s i t, c u j u s p e c u n i a n o n e s t i g n o m i n i o s a. De his loquitur, qui ob cædem fortuitam cesserunt. Unde id perspicitur? Quod qui excessit, inquit, non, qui exsulat: quod distinguit, cujus pecunia non est ignominiosa. Nam qui consulto cædem fecerunt, illorum opes omnes publicantur. De fortuitis igitur cædibus loquitur. Quid autem loquitur? S i u l t r a t e r m i n u m, inquit, a g i t a r i t, v e x a v e r i t s p o l i a v e r i t v e, q u o c u n q u e m o d o i d f i a t. Id vero quid est ultra terminum? Terminus est homicidis omnibus interfecti patria prohiberi. Ex ea igitur concedit et pellere et deprædari, ultra vero, neutrum horum concedit: sin quis aliquid secus fecerit, eadem pœna sanxit, qua, si manentem læsisset domi, quia scripsit, iisdem teneri, quibus si domi violasset. Si quis igitur Aristocratem roget—ne vero ineptam interrogationem esse putate—utrum satis sciat, fore, ut aliquis Charidemum interficiat, an vero ipse diem suum alio quopiam modo sit obiturus, haud opinor se scire dicet. Ponamus autem, fore qui eum interficiat. Rursum, nostine, volens an invitus id sit facturus? Hospes, an vero civis? Scire te, dicere nullo modo potes. Proinde sic scribere conveniebat, siquidem omnino scribere decreveras: si quis occiderit, invitus aut volens, jure aut injuria, hospes aut civis: ut quisquis, aut quocunque modo facinus commisisset, illi jura constituta legibus parata essent: et non declarato nomine culpæ, comprehendi liceat, adscribere. Nam quem tu terminum reliquisti scripto isto,

cum lex manifeste sic dicat, non ultra terminos exagitandum, tu vero undecunque abripiendi facultatem concedas? Ac lex non modo non exagitare sinit ultra terminum, sed nec arripere: e tuo autem decreto cuicunque libitum fuerit, is eum, qui cædem invitus fecerit, proscriptum nactus, per vim abducet in patria interfecti. An non igitur confundis jura humana omnia, et eam causam tollis, cum qua quæque facta, vel honesta, vel turpia sunt? Videtis enim in omnibus, non capitalibus tantum legibus, ita esse scriptum. Si quis, inquit, pulsarit quempiam, non lacessitus injuria nimirum: quod si se defenderit, non peccet. Si quis convicia dixerit, falso, adjecit: quod, si vere, licuerit. Si quis occiderit, consulto: quod si invitus, aliud jam sit. Si quis damnum alicui dederit, volens, per injuriam: ubique denique rem causa confirmari invenimus. Apud te vero aliter: in universum enim, si quis Charidemum occiderit, abripiatur, sive invitus, sive jure, sive se defendens, sive ob ea quæ legibus jubentur, sive quocunque modo.

10. Lege sequentem legem.

LEX.

Cædis actiones ne sunto usquam in eos qui exsules deferunt, si quis eo redeat quo non licet.

Lex hæc Draconis est, Athenienses, et reliquæ quas e capitalibus adscripsi. Consideranda sunt autem ea quæ dicit: in eos qui homicidas eo quo non licet redeuntes indicant, actiones cædis ne sunto. Hic duo jura significat, contra quæ utraque iste senatusconsultum fecit: nam ea et deferre homicidam permittit, et non sinit ab ullo privata auctoritate, si proscriptum nactus sit, abripi: idque tum demum, si quis redeat quo non licet, et illud ipsum permittit, non ubicunque voluerit aliquis. Quo vero non licet? Qua quis exsularit urbe. Ubi? Etiam hoc valde perspicue ostendit: si quis redierit, inquit. Hoc vero non alio referri potest, quam ad eam urbem, qua quis exsularit. Nam cujus civitatis jus aliquis prorsus non amisit, in eam utique restitui non potest. Lex igitur deferendi jus dedit, idque, si redeat quo non licet: iste autem, abripi liceat, inquit, inde etiam, ubi exsulare lex nulla prohibet.

11. Recita legem.

LEX.

Si quis occiderit in ludis invitus, aut in itinere prostraverit, aut in bello imprudens, aut deprehensum apud uxorem, aut apud matrem, aut apud sororem, aut apud filiam, aut apud concubinam, aut eam quam propter ingenuos liberos suscipiendos habeat, ob hæc qui cædem fecerit, ne exsulato.

Cum multæ leges sint, Athenienses, contra quas decretum istud factum est, nulli tamen magis adversatur, quam huic modo recitatæ. Quanquam enim lex ita palam ea concedit et dicit, ob quæ liceat occidere, iste illa neglexit omnia, et sine ulla adjectione occidendi modi supplicium adscripsit. Atqui considerate quam sancte et præclare singula distinxerit is, qui primum hæc percensuit. Si quis in ludis aliquem occiderit, hunc insontem esse definiit. Quamobrem? Non eventum consideravit, sed ejus qui fecerit, animum. Is vero qui fuit? Viventem superare, non occidere. Quod si ille infirmior fuit, quam qui ferre posset eum, quem victoria requirit laborem, ipsum ejus mali sibi causam exstitisse censuit: quapropter ejus necem ulcisci noluit. Rursus: si in bello, inquit, imprudens, et hunc esse purum. Recte. Si enim ego, hostem esse ratus, quempiam occidero, non dare pœnas, sed veniam impetrare debeo. Si apud uxorem, inquit, aut apud sororem, aut apud filiam, aut apud concubinam, aut eam quam ingenuæ sobolis procreandæ causa quis apud se habuerit, eum etiam, qui propter hæc aliquem occiderit, indemnem facit. Et omnium quidem justissime, Athenienses, hunc dimittit. Quamobrem? Quia, pro quibus cum hostibus dimicamus, ad eos ab omni contumelia et injuria vindicandos, pro iisdem etiam amicos, si quam contra leges injuriam aut contumeliam eis fecerint, occidere concessit. Cum enim non genus aliquod sit amicorum et hostium, sed e factis horum utrumque censeatur, eos qui hostilia faciunt, pro hoste ulcisci lex liberum fecit. Proinde periniquum fuerit, tot rebus exceptis, ob quas alios occidere liceat, solum illum omnium mortalium, ne ob hæc quidem occidi licere. Age vero, si tale quid evenerit, quale jam fortassis etiam alii cuipiam, ut Thracia relicta huc profectus, in urbe alicubi habitet, non jam ea potestate præditus, qua fretus multa designat interdicta legibus, et pro sua consuetudine cupiditatibus indulgens, eadem factitare instituat: quid aliud agendum erit, nisi ut Charidemum impune agere pro libidine quidvis patiamur? Nec enim per istius senatusconsultum, tutum erit illum occidere, aut eas de illo sumere pœnas, quas lex concedit. Atqui si quis ita putat et objicit, ubinam ista fierent? Quid me quoque dicere vetat, quisnam occiderit Charidemum? Verum non hoc considerandum est: sed quoniam decretum quod oppugnatur, ob rem nondum factam scriptum est, sed talem, quæ utrum aliquando futura sit, necne, haud quisquam novit, illa de futuris disputatio communis utrinque relinquatur: et nos, quæ rerum humanarum conditio est, spes nostras ad ea sic dirigamus, ut statuamus, casu aliquo, tam hæc quam illa fortasse usu evenire posse. Quod si decretum sustuleritis, atque aliquid illi forte acciderit, definitæ legibus ad necem ejus vindicandam pœnæ, et sancitæ

sunt: sin confirmabitis, passis injuriam, si quæ ille vivens violarit, præsidia legum eripientur. Itaque decretum hoc et omni modo legibus contrarium est, et conducibile ut abrogetur.

12. Lege sequentem legem.

LEX.

Quod si quem auferentem aut abducentem per vim et injuriam statim causa defensionis occiderit, impune occisum esse jubet.

Alia ea, propter quæ occidere licet: si quem auferentem aut abducentem per vim et injuriam statim causa defensionis occiderit, impune occisum esse jubet. Videte quæso quam bene. Quod enim, cum exposuisset, ob quæ occidere liceret, adscripsit, statim, sustulit mali aliquid consulendi tempus: et quia scripsit, causa defensionis, significat, se læso dare potestatem, non alii cuiquam. Lex igitur hæc, his de causis ulciscenti statim, occidendi licentiam dedit: iste vero nihil adjecit, sed in universum dixit, si quis occiderit, sive jure, sive ut leges permittunt. At hercule nos rem per calumnias exaggeramus. In quem enim rapiendo, aut abducendo grassabitur vi, injuste, Charidemus? In omnes homines. Nostis enim hoc, ab omnibus qui habent exercitum, eos quibus se putant esse fortiores, invadi solere et exagitari, ut pecuniam extorqueant. An non igitur, o Dii immortales, iniquum est, et legibus manifeste contrarium, neque solum scriptæ, sed et communi mortalium omnium legi, qui meas opes hostili more deprædatur, eum non licere mihi ulcisci? Siquidem ne hoc quidem modo licebit Charidemum occidere, sed si per injuriam vi auferat et abducat, et res alterius deprædetur, qui eum occiderit, proscribetur: lege, si propter hæc id fiat, impunitatem largiente?

13. Recita sequentem legem.

LEX.

Quicunque magistratus aut privatus auctor fuerit hujus instituti confundendi, idve mutaverit, is ignominia notetur, tum ipse, tum liberi, tum res ejus.

Audistis, Athenienses, legem plane dicentem, qui magistratus, aut privatus in causa fuerit, ut hoc institutum confundatur, idve mutaverit, ignominia notandum tum ipsum, tum liberos ejus, tum quæ illius sunt. Num igitur parum aut leviter cavisse videtur legislator, ut lex hæc rata esset, neve confunderetur, aut mutaretur? At Aristocrates, parum ea curata, mutat et confundit. Nam quid aliud est mutare, quam cum extra ordinaria judicia, et extra limites, quibus homicidam prohiberi oportet, supplicia concesserit aliquis, et

causæ dictione adempta, proscripserit? Quid porro aliud est confundere, quam si quis ordine sic omnibus iis, quæ legibus continentur, contraria scripserit?

14. Non solum igitur has leges, Athenienses, violavit, sed alias quoque plurimas, quas vitandi fastidii causa non adscripsimus: sed in summa sic dico, quæcunque leges ad rerum capitalium judicia pertinent, quæ vel citari, vel testem esse, vel reos jusjurandum dare, vel quidvis aliud præstare jubent, eas omnes violavit, contra eas omnes hoc decretum fecit. Nam ubi non citatio, non judicium, non testimonia consciorum, non calumniæ jusjurandum, sed a crimine statim pœna perscripta est, eaque interdicta legibus, quidnam aliud quispiam dicat? Atqui hæc omnia in quinque prætoriis fiunt, mandata legibus. At enim, dixerit aliquis, ista vero nullius pretii sunt, neque recte excogitata: nunquid vero quæ iste scripsit justa et præclara sunt? Imo contra potius. An decreto isto apud vos unquam quicquam sit factum injustius haud scio: his vero judiciis inter omnia quæ in terris sunt, nullum neque gravius, neque justius reperietur. Breviter autem ea dicam, quorum commemoratio nostræ civitati laudis aliquid et honoris pariat, et quibus auditis vos oblectemini: inde ducto exordio, unde vos rectissime rem intelligetis, regressus ad id quod Charidemo datum est præmium.

15. Nos, Athenienses, Charidemum civem fecimus, atque per id beneficium, eum in societatem recepimus, sacrorum, profanorum, institutorum, rerum denique omnium quibus ipsi fruimur. Sunt autem apud nos ejus generis complura, quæ nusquam alibi: unum vero maxime proprium, et inter cetera nobilissimum, Areopagi judicium, de quo vobis tot præclaræ narrationes, tum fabulosæ, tum nostris testimoniis confirmatæ suppetunt, quot de nullo alio concilio: e quibus unam atque alteram, veluti ad specimen exhibendum, audire fuerit operæ pretium. Primum igitur de antiquis, ut ea nobis tradita sunt, in hoc solo judicio dii jus de cæde dare et accipere voluerunt, et disceptatores esse inter sese, ut ferunt, dissentientes: nam Neptunus a Marte pœnas exegit interfecti Halirrhothii filii, et Furiis ac Oresti jus dixerunt duodecim dii. Ac vetera quidem hæc sunt: deinceps autem, solum hoc judicium non tyrannus, non paucorum dominatus, non populi auctoritas, capitalibus causis dijudicandis spoliare instituit, sed omnes se de his controversiis minus grave jus, quam ab his inventum esset, excogitaturos crediderunt. Quæ cum ita sint, hoc etiam accedit, quod hic nemo unquam vel reus damnatus, vel actor superatus, ostendere potuit, sententiam perperam fuisse latam. Hoc igitur præsidium civitatis, et legitimas ejus ultiones neglexit istius decreti scriptor, et Charidemo viventi licentiam dedit faciendi quicquid ejus libido tulerit: sin quid

ei accidisset, necessariis ejus calumniarum ansas suppeditavit. Sic autem considerate. Scitis hoc nimirum omnes, in Areopago, ubi lex de cæde agendi et potestatem et mandatum dat, primum jusjurandum dare, et exitium (si calumnietur) tum sibiipsi, tum genti, tum familiæ suæ imprecari cogitur is, qui aliquem talis alicujus facinoris criminatur. Deinde non vulgare aliquod jusjurandum dare cogitur, sed quale nemo in ulla re alia jurat, insistens consecratis carnibus apri, arietis, et tauri: hisque mactatis, tum a quibus oportet, tum iis diebus quibus convenit. Ut ea quæ et spatio temporis, et rerum quæ adhibentur solennitate, perfici jus fasque est, omnia præstentur. Quanquam autem se tali sacramento obligarit, nondum tamen habetur ei fides, sed si mendacii convictus fuerit, nihil aliud consequitur, nisi ut liberos suos et omnem familiam nefario et exitioso perjurii scelere contaminarit: sin jure accusasse videatur, et reum cædis perpetratæ convicerit, ne sic quidem damnatum in sua potestate habet. Sed infligendi supplicii jus et auctoritas penes leges est, et eos quibus executio sententiæ est mandata: interesse spectaculo supplicii, quod damnatum ex lege sequitur, accusatori licet; nec præter id aliud quicquam. Et hæc sunt quæ ad accusatorem pertineant; reus autem calumniæ jusjurandum dat eodem modo, et licet, ut oratione priore loco dicta, cedat e medio, salutique suæ consulat. Quod nec accusator, neque judices, neque aliorum hominum quisquam prohibere potest. Cur tandem, Athenienses, hæc sic administrantur? Quia qui hæc instituta primi sic ordinarunt, quicunque illi fuerint, sive heroes, sive dii, non insultarunt fortuitis casibus: sed humaniter, quoad ejus honeste fieri potuit, sublevarunt calamitates. Atqui hæc omnia tam præclare et sancte constituta, istius decreti scriptorem violasse constat, cum in eo nec una vel minima talium conditionum contineatur.

16. Ac primum contra unum hoc judicium, et contra leges tum scriptas, tum non scripta instituta, decretum hoc factum est. Deinde judicium aliud de cædibus fortuitis pronunciare solitum, illud ad Palladium inquam, et leges ibi receptas confundit. Nam ibi quoque usitatum est in primis calumniæ jusjurandum, mox oratio, postremo cognitio judicum; quorum in istius decreto nihil est. Sin quis damnatur, et commisisse facinus videtur, neque accusator, neque quisquam alius, in facinorosum jus habet, nisi lex. Quid igitur lex jubet fortuitæ cædis damnatum? Ad certum tempus certo quopiam intervallo abesse et exsulare, dum aliquem e perempti familia exorarit: tum vero redire concessit, certo quodam ritu, non fortuito, aut temere. Sed et rem divinam facere, et expiari, et alia quædam ordine ac diligenter sancita, præstare jussit lex. Recte quidem Athenienses, hæc omnia. Nam quod et rerum non voluntariarum minor pœna, quam de industria commissarum, sancitur, justum est:

et quod discedendi potestas datur, et quod exsulare jubetur, recte est provisum: et quod is qui ab exsilio redit, expiatur, et purgatur certis ritibus: et omnis auctoritas penes leges est, etiam hæc omnia præclare constituta sunt. Quæ iste universa tanta æquitate a primis legislatoribus descripta, decreto isto scribendo neglexit.

17. Hæc igitur duo tanta et talia judicia, atque instituta, jam inde ab omni memoria recepta, tam impudenter transiluit. Quin præter hæc tertium etiam, inter hæc omnium augustissimum, maximique terroris, si quis occidisse fateatur, id tamen secundum leges fecisse se dicat. Est autem hoc de quo dico, prætorium ad Delphinium. Nam mihi quidem videntur, Athenienses, hi qui primum his de rebus jura sanxere, præ omnibus aliis hoc spectasse, utrum nullam cædem esse licitam, an vero aliquam cædem facere fas esse, sit existimandum? Cum igitur, Orestem interfecta matre, idque haud negantem, deos judices nactum, cædis absolutum esse reperissent, statuisse cædem aliquam esse justam; nec enim deos injuste quicquam pronunciaturos. Proinde quia sic senserunt, jam scribere, et aperte definire instituerunt, quibus de causis occidere liceret. At iste prorsus nihil dempsit, sed in universum, si quis occiderit, inquit, Charidemum, sive id jure fiat, sive ut leges permittunt, proscribit. Enimvero tum actiones, tum orationes omnes, duas habent appendices, unam juris, alteram injuriæ, quas simul eadem actio nulla potest habere, nec ulla item oratio. Nam qui simul eadem et justa et injusta esse queant? Sed cum alterutra causa conjuncta quælibet explorantur. Quæ causa si iniqua appareat, ipsa res improba judicatur: sin justa, bona et honesta. Tu vero neutram apposuisti, cum scriberes, si quis hunc occiderit, sed crimine ipso sine ullo additamento nominato, postea statim subjecisti, proscriptum esse. Tertium igitur hoc judicium, et hujus instituta te violasse constat.

18. Jam ad hæc, quartum etiam, illud ad Prytaneum. Id vero cujusmodi est? Si lapis, aut lignum, aut ferrum, aut tale quippiam delapsum, percusserit, atque aliquis, a quo id conjectum sit, ignoret, ipse vero norit, et habeat telum quo cædes facta est: his rebus in hoc loco judicium dictatur. Quod si res inanimas, sensusque et rationis prorsus expertes, hoc crimine reas, nefas habetur non adducere in judicium, multo certe magis eum qui nihil fortasse deliquerit (ponam deliquisse), at hominem tamen, et, deum voluntate, communis nostræ naturæ participem, nefas et iniquum fuerit, indicta causa, et absque judicio, talis criminis gratia proscribere.

19. Cujusmodi porro aliud quintum judicium violarit, spectate, Phreattæum. In quo causam dicere lege jubetur, si quis ob cædem fortuitam in exsilium profectus, nondum reconciliatis cæsi propinquis, alterius voluntariæ cædis insimuletur. Neque vero, quia huc

ei venire non est integrum, eum neglexit is, qui hæc singula ordinavit, neque propterea quod prius etiam tale quid designarit, simile crimen in eo satis esse probatum censuit: sed eam rationem invenit, qua et pietati consuleret, et illum nec defensione nec judicio privaret. Quid igitur fecit? Judices illo adduxit, quo illi accedere fas erat, designato quodam regionis nostræ maritimo loco, qui ad Phreattam appellatur. Post, ille nave accedens, verba facit, terra non contacta: illi in terra auscultant et judicant. Quod si convincitur, pœnas luit cædi voluntariæ constitutas. Idque merito. Sin absolvitur, indemnis quidem ejus criminis abit, sed exsilium ob priorem cædem indictum sustinet. Qua igitur gratia tanto studio tractata sunt hæc omnia? Paris impietatis harum sanctionum auctor esse censuit, vel ad facinora connivere, vel insontem proscribere. Enimvero si tantum studium adhibetur, ut hi qui jam homicidæ judicati sunt, de criminibus post objectis se purgare, venire in judicium, et omnem æquitatem consequi possint: iniquissimum profecto fuerit, de nondum convicto, re nondum explorata, utrum fecerit, nec ne, item utrum invitus an volens fecerit, scribere, dedendum eum esse ante judicium ipsis accusatoribus.

20. Sexta porro ulciscendi ratio restat, præter has omnes, qua itidem præterita, decretum hoc scripsit iste. Si quis hæc ignoravit omnia, si tempora quibus hæc singula facienda fuissent, præteriere, si alia quapiam de causa tali modo suum jus persequi non vult, et homicidam tum in templis, tum per forum obambulantem videt, ducere illum licet in carcerem, non domum, nec quo cuique libitum est, id quod tu concessisti. Eoque conjectus, ante latam sententiam, nihil omnino patietur, convictus quidem morte mulctabitur, sed si accusator quintam suffragiorum partem non tulerit, mille drachmas ipse insuper solvet. At non hoc modo iste scripsit, sed et insontem criminandum, et indemnatum statim dedendum esse. Quod si quis hominum, aut tota etiam civitas tot legibus et institutis a me enumeratis ne destruantur, quæ et ostensa divinitus, et ab omni ævo a mortalibus usurpata fuerunt, opituletur, et eum qui per injuriam et contra legum interdicta violetur, eripiat, fœderibus exclusum esse scripsit, et huic præterea neque defensionis, neque judicii copiam fecit, sed et hunc statim sine judicio punit. Quod nam decretum isto crudelius aut iniquius excogitari queat?

21. Est ne adhuc nobis aliqua lex reliqua? Heus tu ostende. Recita hanc.

LEX.

Si quis violenta morte occubuerit, in ejus ultionem necessariis corpora pignerare liceat, donec aut cædis causam dixerint aut homicidas dediderint: capiendis autem corporum pignoribus ad tertium usque progrediantur, ultra nefas esto.

Cum leges, Athenienses, præclaræ multæ sint, haud scio an ulla huic vel præstantia, vel æquitate sit præferenda. Considerate, quæso, quanta æquitate et humanitate sit condita. Si quis, inquit, violenta morte occubuerit. Primum quia adscripsit, violenta, significare voluit, si per injuriam sit occisus. Cognatis pignora capere licere donec aut cædis causam dixerint aut homicidas dediderint. Considerate, quam bene. Prius causam dici velit, quod si nolint, post dedi imperavit, sin horum utrumque detrectent, pignora licere capi usque ad tres, non ultra. Contra totam igitur legem hanc decretum factum est. Primum enim, si quis occiderit, scribendo, non adscripsit, injuste, aut violenter, nihil omnino denique: deinde priusquam causam dici jusserit, statim scripsit licere abduci: præterea lex, si neque causam dixerint hi apud quos facta cædes est, neque sontes dediderint, contra hos pignorum captionem ad tres usque concedit: iste vero hos omni crimine liberavit, nulla prorsus eorum facta mentione. Sed jam exsulantem (quanquam natura et omnium mortalium communi suffragio comprobata lege constitutum sit, ut exsul admittatur) si qui susceperint, societate fœderum excludit, supplicem ni dediderint. Proinde tum quia non apposuit modum cædis, tum quia judicium non nominat, tum quia pœnas exigi non jubet, tum quia dat undique comprehendendi facultatem, tum quia eos qui receperint, non eos apud quos facta cædes fuerit, puniri jubet, rebus denique omnibus hanc quoque legem decreto suo violavit.

22. Age sequentem recita.

LEX.

Neque fas esto legem de uno viro ferre, nisi eadem ad omnes Athenienses pertineat.

Hæc lex modo recitata, judices, non jam et ipsa est rerum capitalium, nihilominus tamen, ut si qua alia, præclara. Nam ut reliqui juris civitatis, ita legum quoque omnibus æquam partem esse tribuendam censuit legislator; proptereaque scripsit, nefas esse ferre legem uno de viro, nisi eadem ad omnes quoque Athenienses pertinere queat. Quando igitur in confesso est, decreta secundum omnes leges scribi oportere, qui Charidemo tale quippiam privatim decernit, quod non vobis omnibus ex æquo tribui potest, is haud dubie legem hanc violat. Nec enim profecto quæ sanciri legibus est nefas, ea inscripsisse decretis concedetur.

23. Recita sequentem legem, qua istæ omnes continentur,

LEX.

Decretum nullum neque senatus neque populi auctoritati præferatur.

Depone. Brevi omnino et facili oratione mihi opus esse puto, ut ostendam, hanc quoque legem isto decreto esse violatam. Nam qui legibus omnibus, quarum tanta multitudo est, violatis, decreto inscripsit, et inclusit rem quampiam peculiarem, eum quid aliud facere statuendum est, quam postulare, ut decretum lege potius habeatur? Ostendam autem vobis unum atque alterum senatusconsultum, quibus viri de republica vere bene meriti sunt ornati, ut intelligatis, facile esse æqua scribere, si quis ob illud ipsum scribat, ut alicui honos habeatur, utque is in vestri juris societatem recipiatur, et non per speciem talium honorum aliquid improbi conari et malefacere studeat. Lege senatusconsulta hæc. Sed ne prolixitas auscultationis molesta vobis esset, e singulis senatusconsultis id est electum, in quo istum accuso. Lege.

E SENATUSCONSULTIS.

Videtis, Athenienses, eodem modo scripsisse omnes. Eadem, inquit, afficiatur pœna, qua, si Atheniensem occidisset; valere illi receptas leges vestras sinunt, easdemque magnifaciunt, cum honorificum esse existiment, earundem alicui jus impertiri. Aliter Aristocrates, qui has quocunque modo potest, contemnit. Sic certe, quasi hæ nullius pretii sint, peculiare aliquid scribere instituit: atque illud quoque munus, quo civitate Charidemum donastis, extenuat. Nam qui sic, quasi vos hoc ei tribuisse non contenti plura etiam debeatis, illud quoque adjecit, oportere providere vos, ut illi quicquid libet, impune liceat, nonne id molitur quod ego dico?

24. Neque vero ignoro, Athenienses, decretum hoc legibus non palam esse contrarium, haudquaquam ostensurum esse Aristocratem: sed illud, quod est omnium iniquissimum, quod in toto decreto, causæ dicendæ, in tali crimine, potestatem nusquam dedit, surripere conabitur. De quo ego multa mihi verba esse facienda non puto: cum ex ejus decreto evidenter possim ostendere, ne ipsum quidem existimare, ullam hujus criminis reo dari causæ dicendæ potestatem. Scripsit enim, s i q u i s o c c i d e r i t C h a r i d e m u m, e u m a b d u c i l i c e a t; q u e m s i q u i s e r i p u e r i t, s i v e c i v i s s i v e p r i v a t u s, f œ d e r i b u s e x c l u d a t u r: non si ereptum judicio non stiterit, sed omnino statim. Atqui si causæ dictionem daret, aut saltem non tolleret, tum pœnam in assertores statuisset, cum eum quem eripuissent judicio non stitissent.

25. Arbitror præterea illud quoque dicturum, et hac parte obnixe daturum operam, ut fucum vobis faciat, irritum esse decretum, quod senatusconsultum sit; legem autem jubere, senatusconsulta esse annua. Itaque tametsi nunc ipse absolvatur, decretum tamen hoc nihil incommodaturum reipublicæ. Ego vero vobis illud contra hoc opponendum esse statuo, decretum ab isto esse scriptum, non ut eo irrito, nihil vos incommodi sentiretis; licuisset enim ab initio nihil scribere, si spectasset quid esset e republica: sed, ut vobis deceptis, quidam ea quæ cum vestris utilitatibus pugnant, consequerentur. Qui autem accusarint, et rem distulerint, et effecerint, ne ratum esset decretum, hi nos sumus. Absurdum igitur fuerit, quarum rerum gratia nobis debetur, eas istis saluti esse. Deinde neque ita simplex istud est, ut aliquis existimet. Nam si nemo esset alius, istius exemplo, neglecta utilitate vestra, scripturus, minus fortasse grave foret: nunc quia tales non pauci sunt, vestri officii non est, decretum istud tolerare. Quis enim non securo animo denuo scribet, si hoc fuerit absolutum? Quis non approbabit? Quis vero accusabit? Non igitur spectari debet, an hoc sit temporibus irritum, sed illud intuendum est, vos, si vestro suffragio decretum nunc absolveritis, his qui denuo nocere vobis volent impunitatem daturos.

26. Neque illud etiam me latet, Athenienses, Aristocratem simplicem et veram defensionem nullam habere, sed talia quædam effugia quæsiturum, decreta hujus generis multa jam et multis esse facta. Id vero, Athenienses, nullo argumento est, istum consentanea decrevisse legibus: multæ res enim sunt, quibus fit ut vos decipiamini. Veluti, si quod e damnatis decretis apud vos non fuisset accusatum, ratum utique fuisset, quanquam contra leges factum. Nec minus si quod accusatum est, et tamen vel prævaricatis accusatoribus, vel eloquentia ad suam causam explicandam destitutis, est absolutum; etiam hoc legibus esse contrarium, nihil prohibet. Num igitur, qui de eo sententiam dixere, jusjurandum non servarunt? Imo. Quomodo? Id ego docebo. Se animo religiosissimo pronunciaturos jurarunt: animi autem opinio, ex his quæ audierint, exoritur. Eam in judicando cum sequuntur, pie faciunt. Quisquis enim, neque odio, neque benevolentia, neque alia injusta causa commotus, contra sui animi sententiam non pronunciat, religiose facit. Neque enim qui ab oratore deceptus, aliquid ignoravit, ignorantiæ pœnas dare debet: sed qui volens et sciens perperam pronunciat, is exsecrationi est obnoxius. Quapropter in singulis concionibus, præco diris devovet non deceptos, sed illos qui phaleratis verbis vel senatum, vel populum, vel Heliæam decipiunt. Non igitur ei concedatis ut dicat, hoc esse factum, sed juste esse factum: nec ab aliis ea judicibus esse confirmata, sed vos edoceri jubete, se ea de re quam nos æquiora dicere. Quod si facere non poterunt, absurdum esse statuo, aliorum deceptionem vestræ cognitioni ante-

ferri. Præterea mihi quidem perquam esse impudens illa videtur oratio, prius etiam aliis talia decreta esse facta. Nec enim, si quid unquam non secundum leges factum est, idque tu es imitatus, propterea te absolvi decet, sed contra, tanto damnari magis propterea. Sicut enim, si quis illorum damnatus fuisset, tu ista non scripsisses, ita si tu nunc damnaberis, alius non scribet.

27. Hoc decretum igitur se non manifeste contra omnes fecisse leges, nec ipsum posse negare Aristocratem arbitror: sed accidit, ut quendam violatarum legum reum viderim, qui cum legibus damnaretur, se conducibilia vobis scripsisse dicere institueret, et vehementer contenderet, stulta quidem prorsus, opinor, vel impudenti potius oratione. Tametsi enim ea quæ decrevisset in ceteris ab omni parte utilia essent, et a vobis tamen, qui vos ex præscripto legum pronunciaturos jurastis, ea confirmari postularet, quæ nec ipse juste scripta esse posset ostendere, pro inutilibus habenda fuerint, si modo jurisjurandi religio maximi omnibus facienda est. Habet fortasse tamen illa impudentia nonnihil excusationis. Isti autem nec ea causa relinquitur apud vos. Cum enim decretum ejus summopere legibus adversetur, perniciosius etiam est, quam iniquius. Atque idipsum quoque demonstrabo vobis. Ut autem id quod volo verbis paucissimis ostendam, notum vobis omnibus exemplum recensebo. Scitis e republica nostra esse, ut neque Thebani, neque Lacedæmonii sint potentes: sed ut illi Phocenses, hi alios quospiam adversarios habeant. Nam tali rerum statu, vos summam potentiam securi, et extra omne positi periculum tenere potestis. Hoc ipsum igitur consimili ratione civibus nostris, qui in Chersoneso consedere, prodesse putetis, ut ne quis Thracum magnas opes habeat. Nam illorum tumultus inter ipsos, mutuæque suspiciones et simultates, summa sunt omnium firmissimaque Chersonesi præsidia. Decretum vero istud, quo ut Cersobleptæ summi ducis securitati consulitur, sic ceterorum regum præfectis metus et terror, ne in crimen aliquod veniant, incutitur, hos infirmos, unum illum potentem facit. Ne vero miremini decreta vestra tantum habere ponderis et momenti, rem factam, et notam vobis omnibus, in memoriam redigam. Quum Miltocythes a Cotye defecisset, bellumque diu traheretur, et Ergophilo successor datus Autocles classe profecturus esset, factum quoddam apud vos hujusmodi decretum fuit, quo Miltocythes perterritus abiit, quod vos a se alienatos existimabat, Cotys autem et sacri montis, et thesauris est potitus. Atqui deinde, Athenienses, Autocles accusabatur, quasi Miltocythem perdidisset: jamque tempus accusandi auctorem decreti illius exierat: et nostra civitas rebus infectis et perditis desistere cogebatur. Omnino igitur scitote, nunc etiam, nisi decretum hoc solveritis, et reges ipsos, et eorum duces mirabiliter animis trepidaturos. Putabunt

enim, se prorsus despectis, ad Cersobleptem vos inclinare. Qui si ob eam opinionem a Cersoblepte per occasionem aliquam oppugnati, regnis cesserint, rursus ex ea re quid futurum sit, videte.

28. Agite vero, per deos immortales, si vos Cersobleptes læserit, —id quod, si sperarit duntaxat, facturum potius, quam, si potuerit, esse omissurum, est probabilius—, non ad illos ibimus, illorumque opibus hujus potentiam conabimur infirmare? Ad quæ si vobis illi sic responderint, vos Athenienses, nobis affectis injuria opem non modo non tulistis, sed in metum etiam, si nos defenderemus, ingentem conjecistis, decreto facto, qui illum et vestris et nostris utilitatibus adversantem occidisset, eum comprehendi licere. Non igitur vos decet auxilium a nobis petere, ad ea in integrum restituenda, quæ et in vos et nos male consulentes amisistis. Hæc inquam si responderint, quæso vos, an non eorum æquior futura est quam nostra oratio? Ego quidem opinor. Quin illud etiam dici non poterit, vos probabiliter circumventos esse, et deceptos. Nam si nihil aliud cogitare possetis, nec ipsi prudentia valeretis ad hujusmodi res intelligendas, exemplum Olynthiorum videre licuisset, qui quibus accepti modis a Philippo, quam illi gratiam retulerunt. Is Potidæam eis non tum restituit, cum tueri diutius non posset, quemadmodum vobis Cersobleptes Chersonesum: sed bellum vobiscum gerens, magnis sumptibus factis, vi expugnatam, cum ipse, si vellet, retinere potuisset, tradidit, ac ne conatus quidem est facere quicquam aliud. Illi tamen, quoad eum tantum esse videbant, ut magnitudini ejus fides haberi posset, et socii ejus erant, et propter eum nos oppugnabant: sed cum videant eum ita crevisse, ut ejus potentia sibi metuenda sit, tantum absunt a decernendo, si quis eorum aliquem, per quos ejus imperium auctum et firmatum est, occiderit, eum e sociorum ditione abduci licere, ut nostram, quos sciunt præ omnibus aliis, cum amicos ejus, tum ipsum Philippum, summa cum voluptate occisuros, amicitiam expetiverint: societatem item nostram, ut ferunt, expetituri. Quod si Olynthii futura prospicere norunt, vos, qui Athenienses estis, non idem facietis? An non turpissimum fuerit, vos, qui consilii capiendi de rebus gerendis scientia præstare videamini, quid expediat minus prudenter quam Olynthios animadvertisse?

29. Audio porro istum idem allaturum esse, quod ab Aristomacho semel pro concione dictum est, nunquam Cersobleptem, Chersoneso vobis eripienda, vestras inimicitias suscepturum: nec enim si ceperit atque obtineat, illi commodaturam. Cujus pacatæ, reditus et vectigalia triginta talenta non excedant: sin bello infestetur, nullus omnino sit fructus. Quum ex emporiis, quæ belli tempore clauderentur, amplius ducentorum talentum reditus perciperit. Quare si parvi lucelli spe adductus, hostis esse malit, cum plura possit, amicitia nostra munitus, obtinere, mirari sese dictitabunt. Mihi

vero non deessent complura dicenda, in quæ si quis intueatur, magis illum formidandum putet, quam hac cogitatione concedendum, ut ejus opes augeantur. Id solum tamen, quod in promptu maxime mihi est, dicam. Nostis utique Philippum, Athenienses, Macedonem istum, cui nimirum multo magis expediebat totius Macedoniæ reditus secure percipere, quam cum periculis Amphipolitanos: magis porro e re ejus fuisset, amicitiam vestram, quam a patre, per manus traditam acceperat, tueri, quam Thessalorum, a quibus pater ejus regno pulsus fuerat, ambire societatem. Nam præter hoc, illud etiam videre est: vos nunquam, Athenienses, ullum amicum deseruistis, Thessali neminem unquam constanter defenderunt. Quæ quum ita sint, parva emolumenta, et incertos amicos, et pericula videtis eum vitæ securitati prætulisse. Quæ causa tandem est? Neque enim hujus facti ratio ita est in promptu. Dicam, Athenienses. Cum hominibus bonæ sint duæ res, altera princeps maximaque omnium felicitas, altera, ut hac minor, sic inter ceteras summa, consilii capiendi prudentia, non simul contingit utriusque possessio mortalibus; neque quisquam felix terminum aut finem ullum habet infinitæ augendarum opum cupiditatis. Proinde multi majorum emolumentorum desiderio fortunas suas amiserunt. Et quid necesse est de Philippo dicere, aut alio quopiam? Cum ipse Cotys Cersobleptæ pater, si qua ei exorta esset seditio aut dissensio, missis ad nos legatis, se facturum omnia fuerit pollicitus; et tum senserit, quam suis rationibus esset incommodum, nostræ civitati facere bellum. Thracia vero subacta, urbes occuparit, ebrius injurias fecerit, debacchatus sit, in primis in semetipsum, deinde in nos etiam, nostram ditionem invaserit, ita res erat inexplicabilis: nam si qui ad explendas injustas cupiditates ea suscipiunt, quæ non oportet, hi non difficillima quæque cogitare solent, sed prosperi successus emolumenta. Ego vero vobis ea deliberanda censeo, quibus Cersobleptæ, si in ea sententia manserit, qua eum esse decet, nulla fiat per vos injuria: sin temere vos lacessere conetur, ut non sit major, quam ut eum ulcisci queatis. Legam autem vobis epistolam, quam Cotys, post Miltocythæ defectionem huc misit, et qua, toto imperio potitus, Timomacho missa, vestras urbes evertit.

EPISTOLA.

Hoc exemplum, Athenienses, cum videritis, et illud sciatis, Philippum, dum Amphipolim obsidebat, ideo se eam oppugnare dixisse, ut vobis traderet, postquam ceperat, etiam Potidæam vobis eripuisse, hanc (si me quidem audietis) Cersobleptæ fidem habebitis, quam Iphicrates Ephialtæ F. olim a Lacedæmoniis stipulatus est. Quem aiunt, fraudem in re quapiam nectentibus Lacedæmoniis, ostendentibus tamen se quamvis illi fidem daturos, dixisse, non alia fide data se posse acquiescere, quam si probarent, se, etiamsi vellent, nocere non posse, sibi enim non esse dubium, quin vellent, quoad igitur possent, fidem eis haberi non posse. Hanc fidem igitur, si meis uti consiliis placet, adversus Thracem istum custodietis, nec experiri voletis, quo animo, tota Thracia potitus, erga vos futurus sit.

30. Jam nec sanorum hominum esse talia decreta scribere, et aliquibus talia dare præmia, id quoque de multis rebus facile intelligitur. Scitis enim omnes æque mecum, Athenienses, vos Cotyn quondam illum fecisse civem: haud dubie bene velle vobis illo tempore atque amicum esse existimantes. Quin et aureas ei coronas decrevistis; non utique facturi, si hostem putaretis. Verumtamen, cum sceleratus et diis inimicus fieret, et vos magnis injuriis afficeret, interfectores ejus, Pythonem et Heraclidem Æneos, ut bene meritos, in civitatem adscriptos, aureis coronis ornastis. Si tunc igitur, quando familiaris vobis Cotys esse videbatur, aliquis scripsisset, si quis Cotyn occiderit, fœderibus exemptus esto, utrum Pythonem cum fratre noxæ dedissetis, an contra decretum illud civitate donatos, ut bene meritos, ornassetis? Quid vero de Alexandro Thessalo? Is cum Pelopidam captum in vinculis haberet, et Thebanorum hostis esset acerrimus, vobis vero ita familiaris, ut et ducem a vobis peteret, et vos illum juvaretis, omnia denique esset Alexander: obsecro vos, si quis scripsisset, si quis occiderit Alexandrum, eum abduci liceat, num tutum fuisset conari postea injurias ejus et contumelias ulcisci? Quorsum vero attinet cetera hujus generis recensere? Vel Philippus, qui vester inimicus infensissimus habetur, si tum, cum vestrorum civium quosdam, Argæum restituentes, deprehensos, non ipsos modo dimisit, sed et omnia, quæ perdiderant eis reddidit, et missis ad vos literis, se paratum esse ostendit vobiscum facere societatem, et paternam amicitiam renovare; si tum hæc ei tribui postulasset aliquis ex his, qui ab eo dimissi fuerant, et scripsisset, si quis occiderit Philippum, eum comprehendi liceat, non ne jocularium in contumeliam incidissemus? Nunquid videtis et intelligitis, Athenienses, ex his singulis, si tale quippiam decrevissetis quantæ id vestræ dementiæ tribueretur? Non enim sanæ mentis hominum esse puto, sive, cum aliquem amicum esse putarint, sic ei fidere, ut, etiamsi cœperit esse injurius, facultate ultionis ipsi sese spolient, sive, si quem pro inimico habeant, sic odisse, ut, si depositis odiis in gratiam redire velit, prohibeant quo minus hæc facere liceat; sed tantisper mea quidem sententia, tum odiis, tum amicitiis est progrediendum, ut harum occasionum neutra prætereatur.

31. Illud porro etiam ego perspicere nequeo, cur non omnes homines eadem sibi tribui postulaturi sint, quicunque parvulum quippiam in vos contulisse videbuntur, si hæc Charidemo concesseritis:

veluti, si vultis, Simo, Bianor, Athenodorus, infiniti alii. Quod si omnibus eadem decernemus, eo tandem profecto deveniemus, ut mercenariorum militum munus obeuntes singulorum salutem, satellitum instar, tueamur: sin his tribuemus, illis non item, fraudati jure vobiscum expostulabunt. Agite vero, si et Menestratus Eretriensis eadem decerni sibi petet, aut Phaÿlus Phocensis, aut alius quispiam princeps,—jungimus autem, adducti sæpe temporibus, cum multis amicitias—, utrum decernemus omnibus, an non? Decernemus nimirum. Atqui, Athenienses, qua specie probabili id faciemus, qui principatum sustinere nos ad asserendam Græcorum libertatem profitemur, si eos, qui privatam potentiam cum oppressione multitudinis obtinent, custodierimus? Equidem non video. Nam si quid tale cuipiam largiendum est, id quod ego nego, conferri debet primum in eum, qui nos nulla unquam affecit injuria: deinde in eum, qui, ne quidem si velit, possit lædere: postremo, de quo constet omnibus, eum hæc accipere pro defensione suæ salutis, non ad impunitatem alienæ salutis oppugnandæ.

32. Charidemum autem nec nihil in vos deliquisse, nec donum istud accipere, ut ne quid mali patiatur, prætereo: sed nec fidem ei habendam esse in posterum, ex me audite, atque considerate, num rectam investigandæ rei viam insistere videar. Ego sic existimo, Athenienses, qui vestrorum institutorum et legum desiderio, jus civitatis adipisci studuerunt, eos simul et voti compotes fieri, et apud vos habitare, et rerum desideratarum frui communitate: qui vero neutrum horum vel desiderant, vel admirantur, sed solum emolumentum spectant, quo propter vestri honoris opinionem fruuntur, eos arbitror, vel satis scio potius, sicubi majoris emolumenti spem prospexerint, vobis prorsus neglectis, illam adoraturos. Veluti—quo et vos intelligatis, qua gratia hæc ego dixerim—Pytho ille, cum primum occiso Cotye, non quovis abire sibi tutum esse putaret, ad nos profectus, jus civitatis petiit, et vos primos omnium fecit: postquam vero censet, Philippi opes magis e rę sua esse, nulla vestrum habita ratione, cum illo facit. Non enim est, non est, Athenienses, apud istos, quorum omnia studia, cogitationes omnes ad avaritiam referuntur, quicquam vel firmi, vel sancti: sed oportet, ut quisquis cordatus est, talem hominem cautione diligenti superet, non accepto demum damno, datisque credulitatis pœnis, conqueratur. Quod si demus, Athenienses, id quod minime verum est, ipsum Charidemum, functum erga vos esse officio, et fungi, et facturum idem in posterum, neque alio animo unquam futurum, nihilo magis decuerit ei talia decerni. Nam siquidem prærogativa hæc ob aliud quippiam, quam ad stabiliendum Cersobleptæ regnum tribueretur, æquiore id animo ferri posset: nunc mores ejus, in cujus usum præmii commoditate abutetur, quo magis magisque cogito, eo minus invenio tales, quibus vel ab illo, vel a vobis sit fides adhibenda. Considerate, quæso, quanta æquitate singula examinem, quantasque causas habeam timoris mei.

33. Ego reperio Cotyn Iphicratis fuisse socerum, eodem modo quo est Cersobleptes Charidemi, atque etiam majores longe res et illustriore gratia excipiendas pro Cotye gessisse Iphicratem video, quam pro Cersoblepte Charidemum. Sic autem rem expendamus. Scitis hoc utique, Athenienses, quanquam Iphicrates et æream statuam, et victum in Prytaneo et præmia, et honores alios quibus beatus ille fuit, obtinuisset, tamen ad tuendum Cotyos imperium, bello navali cum vestris decernere ducibus non dubitasse, illiusque salutem pluris fecisse, quam honores a vobis tributos. Quod ni major vestra fuisset in iracundia cohibenda moderatio, quam illius temeritas, nihil obstitisset, quo minus omnium mortalium fieret infelicissimus. Tamen Cotys tum ab illo conservatus, et ejus amicitiam reipsa expertus, postquam extra omne periculum se positum arbitrabatur, non modo referre illi gratiam non studuit, nec illius causa in vos ulla humanitate usus est, ut veniam genero impetraret, sed contra magis ab eo postulavit, ut ad oppida vestra reliqua oppugnanda adjutor esset. Quod cum ille recusasset, barbaricis copiis acceptis, et collecto ab illo exercitu, et Charidemo isto mercenario imperatore conducto, vestra oppida invasit, et Iphicratem in eas redegit angustias, ut discedens ab illo, Antissam primum, mox Dryn habitatum se conferret: existimans, nec decere se ad vos redire, quibus Thracem anteposuisset et barbarum, nec apud illum tuto posse manere, quem suæ salutis ita cerneret esse negligentem. Si igitur, Athenienses, etiam Cersobleptes, ista securitate quæ Charidemo nunc comparatur, auctus, et ipsum neglexerit, et contra vos machinatus aliquid molitusque fuerit, num satis id vobis erit, decepto Charidemo, Thracis contra vosmetipsos constabilisse potentiam? Equidem non opinor. Etenim illud æquum esse puto, si sentit et prospicit talia Charidemus, et tamen talibus potiri decretis studet, ejus insidiis ut resistatur: sin haud animadvertit, quo quis eum benevolentiorem esse putat, eo magis et suæ et illius securitati ut prospiciat. Nam veræ amicitiæ munus est, his quibus bene cupias, non in iis gratificari rebus, quæ et in tuum et illorum cedere detrimentum possint, in his quidem, quæ utrisque commodare queant, adjutandi sunt, quæ autem ipse melius illo provideas, ea rite administres, neque præsentis obsequii dulcedinem totius reliqui temporis utilitati anteponas. Neque illud etiam cogitanti mihi probabile videtur, Cersobleptem, cum et barbarus sit, et perfidus, curaturum tamen ne tantis afficiat injuriis Charidemum. Nam rursus cum inquiro, quantis bonis Iphicratem Cotys spoliaturus, nihil ea re motus fuerit penitus, istum utique crediderim susque deque laturum esse,

quicquid perierit Charidemo. Nam Cotys Iphicratem, honoribus, victu publico, statuis, patria, quæ nomen ejus illustrarat, rebus prope dixerim omnibus, sine quibus acerbam esse vitam Iphicrati par erat, se spoliare prospiciens, tamen ejus rationem non habuit: istum vero quid tandem môveret scilicet, ne qua re spoliaret Charidemum? Nulla prorsus. Habet enim apud vos non liberos, non imagines, non cognatos, non aliud quicquam denique. Enimvero si neque natura fidus est Cersobleptes, et propter ea quæ prius acta sunt, jure suspectus, neque quicquam in rebus inest, propter quod et præter ingenium et contra voluntatem suam Charidemi rationem haberet, quæ causa est, cur simpliciter, adeoque præter omnem rationem ad libidinem suam explendam, illum adjutemus: præsertim cum tota res in detrimentum nostrum cessura sit? Equidem nullam video.

34. Præterquam igitur, quod decretum hoc non est ex usu reipublicæ, existimationi quoque nostræ civitatis tale quicquam decrevisse adversatur; idque cognoscendum vobis est. Si enim, Athenienses, in urbe habitanti, et legibus obnoxio scriptum esset decretum, etsi tum etiam iniquum, minus turpe tamen haberetur: nunc Charidemo scriptum est, qui nulla in urbe habitat, et regi, homini Thraci, ducit exercitum, cujus regno fretus, multis injuriam facit. Scitis enim hoc profecto, omnes istos qui peregrinis præsunt exercitibus, Græcas urbes occupare, et imperium in eas sibi vendicare, et, si verum dicere fas est, communes hostes omnium, qui cum libertate in patria vivere student, omnes regiones pervagari. Num igitur honestum vobis, aut decorum erit, Athenienses, ei, qui explendæ suæ avaritiæ causa quibusvis, in quos inciderit, insidiabitur, talem custodiam decrevisse: iis vero, qui suam libertatem asserturi sunt, vestra societate interdixisse? Ego certe quidem hoc neque honestum, nec e dignitate vestra esse censeo. Quam enim turpe fuerit accusare Lacedæmonios, quod in fœdera retulerunt, licere Persarum regi, Græcos Asiam incolentes, arbitratu suo tractare: si nos ipsi Cersobleptæ eos dedamus, qui Europam incolunt, atque adeo eos omnes, quibus se Charidemus superiorem fore confidet? Neque enim alia decreti vis est, cum illius duci præscriptum non sit, quid agendum, quid non agendum, et omnibus, si quis se defenderit, tantus metus impendeat.

35. Libet, Athenienses, etiam rem gestam vobis recitare, quo magis perspiciatis, quantopere decretum hoc sit abrogandum. Vos aliquando certis de causis civem fecistis Ariobarzanem, et propter illum, Philiscum, ut nunc in Cersobleptæ gratiam, Charidemum. Quum vero ille eodem præditus animo, quo iste, Ariobarzanis utens exercitu, Græcas urbes occuparet, atque in eas ingressus multa et crudelia facinora ederet, ingenuis pueris violandis et matronis stuprandis, nihil eorum denique non faceret, quæ homo nullis legibus, nullis ullius reipublicæ honestis institutis et disciplina educatus, principatum nactus, designare queat; Lampsaci tandem duo quidam homines exstiterunt—alteri Thersagoras nomen fuit, Execestus alteri—qui, idem quod laudati illi vestri tyrannicidæ statuentes, Philiscum occiderunt: haud injuria, quod patriæ libertatem asserendam esse existimarent. Quod si quis Philisci studiosus, tum cum Perinthiis militibus stipendia solveret, totam Hellespontum teneret, omnium præsidum esset amplissimus, scripsisset, quemadmodum iste nunc, si quis occiderit Philiscum, abduci eum e ditione sociorum liceat: per deos immortales, videte in quantam ignominiam civitatem conjecisset. Profecti enim Thersagoras et Execestus Lesbum, illic habitarunt. Quod si quis e Philisci liberis aut amicis, manum eis injecisset, dediti vestro senatusconsulto fuissent. Quantum igitur dedecus, Athenienses, publice susceptum esset, cum eos qui apud vos tale facinus ediderunt, et æreis statuis et summis honoribus ornaveritis: si illos qui alio quopiam in loco idem quod hi, de patria sua senserunt, deditione damnassetis? Ac illius quidem tempore, feliciter sane non accidit ut decepti flagitium aliquod admitteretis: in hoc vero, si mihi parebitis, ne id usu veniat prospicietis. Cum enim excepto nemine, in universum scriptum sit, si quis occiderit Charidemum, fieri queat ut casu etiam tale quippiam eveniret.

36. Nunc deinceps in facta Charidemi breviter inquiram, et summam eorum impudentiam, a quibus laudatur, ostendam. Unum autem vobis illud polliceor, neque vero quisquam pollicitationem meam ægre ferat, me non illud modo ostensurum, indignum eum esse custodia ab isto decreta, sed gravissimum etiam supplicium meruisse, si modo malevoli vobis, et impostores, et continenter adversantes, jure puniuntur. Fortassis autem vestrum quibusdam, considerantibus, primum civem eum esse factum, deinde rursus, aureis coronis, tanquam de republica bene meritum, decoratum, mirari subit, vos tantis in rebus tam facile esse deceptos. Ne vero dubitetis, quin decepti sitis. Cur autem id vobis accidere consentaneum sit, exponam. Vos, Athenienses, cum multa recte intelligatis, iisdem parum constanter, quum usus postulat, insistitis. Cujusmodi est quod dico? Si quis vos roget, quodnam genus hominum ex omnibus mortalibus in civitate improbissimum putetis, nec agricolas, nec mercatores, nec metallicos, aut quicquam tale responderitis: sed si quis eos, qui mercede conducti concionantur, et decreta faciunt, nominet, ei vos omnes assensuros satis scio. Hactenus igitur recte sentitis, de cetero non item. Nam quos omnium improbissimos ipsi putatis, his creditis, quando judicandum est, qualis unusquisque sit existimandus: hi vero, prout eis bonum et commodum est, non ut æquitas et rei veritas postulat, unumquemque vel probum vel improbum

esse dicunt. Id quod et de Charidemo perpetuo fecerunt oratores. Quemadmodum et ipsi fatebimini, si ex me facta illius audiveritis.

37. Quæ igitur miles adhuc, dum funditoris initio et velitis munere fungeretur, contra nostram rempublicam bello fecit, non inter injurias numero: nec illud etiam, quod myoparonem piraticum nactus, vestros socios deprædatus fuit. Sed omitto hæc. Quamobrem? Quia necessitatis vis et inopia, cogitationes, quid ex officio sit, quid contra officium, tollit universas. Quare iniqui censoris fuerit, hæc omnia accuratius ad calculos revocare. Sed cum jam auspicatus præesse mercenariis, et quosdam milites sub se habens, vos læsit, hæc ex me audite. Iste primum omnium conductus ab Iphicrate, cum plus quam triennium sub eo stipendia fecisset, postquam imperio Iphicrati abrogato, Timotheum cum imperio adversus Amphipolim et Chersonesum ablegastis, primum Amphipolitanos obsides, quos ei ad custodiendum Iphicrates acceptos ab Harpalo tradiderat, quique ex vestro senatusconsulto ad vos mittendi erant, Amphipolitis restituit; quæ res obstitit, ne Amphipolis caperetur. Deinde, cum Timotheus eum denuo cum ejus exercitu conducere vellet, ei suam operam locare noluit, sed cum vestris navibus ad Cotym profectus est, quem vobis omnium hominum inimicissimum esse certissimo sciebat. Postea cum Timotheo visum esset bellum Amphipolitanum prius conficere, quam Chersonesum aggredi, neque ibi lædere vos posset, denuo suam operam Olynthiis locat, inimicis vestris, et his qui tum Amphipolim obtinebant; quo dum navigat, Cardiacum navibus egressus, ut contra vos arma ferret, a vestris triremibus captus est. Sed quia temporis illius ratio postulabat, et militibus ad Amphipolitanum bellum egebatis, cum plectendus esset, tum quod vobis obsides non tradidisset, tum quod ad Cotym hostem vestrum cum vestris navibus transfugisset, fide data et accepta, vobiscum militavit. Pro quibus igitur rebus æquum erat eum vobis confiteri gratiam, quia crucem merito peperceratis, pro his ipsis nostra civitas, velut affecta beneficiis, coronas ei et jus civitatis, et ea quæ scitis omnes largita est. Ac ut appareat hæc a me vere dici, et decretum de obsidibus, et Iphicratis literæ, itemque Timothei, et deinde hoc testimonium legetur. Videbitis enim, me non nugas agere, aut falsa crimina comminisci, sed vera esse ea quæ commemoro. Recita literas.

LITERÆ. DECRETUM. TESTIMONIUM.

38. Eum igitur eo primum suam operam et fidem addixisse atque obstrinxisse, ubi se vobiscum belligeraturum sperabat, cum alibi passim variæ conditiones ei præsto essent, deinde postquam ibi vos lædere non potuit, rursus huc se contulisse, ubi adversari posset reipublicæ, et quo minus Amphipoli potiremini, unum omnium maxime obstitisse, et ex literis, et decreto, et testimonio audivistis. Ac principia quidem facinorum Charidemi talia sunt. Jam alia contemplamini. Parvo spatio temporis interjecto, belloque Cotyco jam gliscente, mittit literas ad vos, imo non ad vos, sed ad Cephisodotum potius; usque adeo a sese urbem ne decipi quidem posse putabat, suarum machinationum conscius. In iis literis se reipublicæ nostræ Chersonesum velle restituere pollicebatur, cum diversum in animo haberet. Est autem vobis cognoscendum, quæ illius epistolæ mittendæ occasiones fuerint, idque paucis, et considerandum ingenium hominis, ut sciatis quomodo is ab initio vobiscum egerit. Cum enim dimissus esset a Timotheo, tum Amphipoli discedens, in Asiam transgressus, ob Artabazum ab Autophradate comprehensum, et exercitum et semetipsum generis Artabazi locat. Fideque data et accepta, neglecto et violato jurejurando, quum provinciales, qui ab amico nihil metuebant, nullas excubias agerent, tres eorum urbes, Scepsin, Cebrena, et Ilium occupat. His urbibus potitus, imprudens in eam necessitatem incidit, quam non modo is qui se imperatorem profitetur, sed nec e populo quisquam ignorare atque admittere debuisset. Quum enim nullum maritimum locum teneret, aut alium unde commeatum supportare militibus posset, nec in ipsis oppidis frumentum haberet, intra mœnia substitit, neque direptis urbibus abiit, postquam omnino scelerate agere decreverat. Ut vero Artabazus dimissus ab Autophradate, collectis copiis aderat, is e superiore Phrygia et Lydia et Paphlagonia, conjunctis secum regionibus abunde commeatum habebat, Charidemo vero nihil præter obsidionem supererat. Cum autem animadverteret in quantis esset malis, et cogitatione suscepta intelligeret, se in hostium manus venturum, si nulla re alia, fame saltem subactum; prospexit, sive admonitus ab alio, sive consilio a semetipso petito, eam spem salutis solam restare sibi, quæ omnes conservare soleret. Ea vero quæ est? Nostra, Athenienses, sive dicenda est humanitas, sive quod nomen aliud meretur. Quod ubi statuerat, vobis mittit epistolam, quam audire operæ pretium fuerit, ut ostentata spe Chersonesi recuperandæ, et quia de Cephisodoti, qui Cotyis et Iphicratis putabatur inimicus, consilio agere videbatur, triremibus a vobis suppeditatis, citra periculum ex Asia aufugeret.

39. Interea quid fit, unde res ipsa palam deprehensa est? Memno et Mentor, homines adolescentuli, inexspectatam nacti felicitatem, affinitatem Artabazi, cupidi statim exercendi imperii, et potiundi honoribus, non gerendi belli et dimicandi, Artabazo instant, ut ultione Charidemi omissa, belloque composito, per inducias eum dimitteret; docentes, etiamsi ipse nollet, vos eum transportaturos, nec ipsum id posse prohibere. Ut autem Charidemus præter omnem

rationem et insperato sic incolumis evadit, suo marte propter inducias in Chersonesum trajectus, tantum abfuit ut Cotym, quem suum impetum non toleraturum scripserat, invaderet, aut ad Chersonesum recuperandam vobis adjumento esset, ut denuo sua opera Cotyi mercede locata, reliquas vestras urbes Crithotam et Eleuntem obsideret. Eum porro hæc, dum adhuc in Asia erat, et epistolam ad vos mittebat, cum contrarium facere decrevisset, per fraudem ad vos decipiendos jactasse, ex ejus ex Asia trajectu cognoscetis. Nam Abydo, urbe perpetuo vobis inimica, et unde erant hi qui Sestum occuparant, Sestum transiit, quam Cotys tenebat. Ne vero putetis vel Abydenos eum fuisse recepturos, vel Sestios, missa ad vos illa epistola, nisi conscii fuissent, tum eum egisse fraude, et illius imposturam ipsi adjuvissent, id studentes, ut transmittendi exercitus securitatem vos ei suppeditaretis, ubi vero transisset,—id quod accidit, facta illi per Artabazum discedendi potestate—, ut ipsi fruerentur commoditatibus. Hæc ita se habere, ex epistolis intelligitur, tum ea quam ille misit, tum iis quas principes Chersonesitani. Recita.

EPISTOLÆ.

Cogitate unde transierit Abydo Sestum. Nunquid putatis Abydenos aut Sestios eum fuisse recepturos, nisi fraudis adjutores fuissent, cum ad vos epistolam mitteret? Recita eis epistolam ipsam. Vos vero, Athenienses, spectate, quam immensa de sese ad vos ipse scripserit, se collaudans, et alia fecisse dictitans, alia facturum promittens. Recita.

EPISTOLA.

Præclara certe, — nonne? — Athenienses, ea quæ scripsit, si vera essent, magnam gratiam merebantur? Tunc vero, cum nulla spes fœderis esset, ad vos decipiendos illa scripsit: postquam vero factum fuit fœdus, recita quæ fecerit.

TESTIMONIUM FACTORUM.

Cum igitur Charidemus se vobis amissa oppida restituere velle sit pollicitus, princeps Crithotes asserit, eo trajecto, gravioribus se periculis fortunarum omnium conflictatos esse, quam prius. Lege, atque ex alia epistola rem ostende.

EPISTOLA.

Videtis rem ab omni parte confirmari, eum, transmisso Hellesponto, non contra Cotym, sed contra vos cum illo esse profectum. Age, lege mihi hanc solam epistolam, reliquis omissis. Jam enim perspicitis nimirum, quomodo vobis fucum fecerit. Recita.

EPISTOLA.

Satis. Cogitate, cum scripsisset se vobis Chersonesum redditurum, locata vestris inimicis opera, eripere cetera conatum esse: item Alexandri legatos a se repudiatos, cum eum constet cum ejus prædonibus conspirasse, atque eadem factitasse. Bene vult vobis scilicet, cum quibus ita simpliciter egit, nec ullum mendacium scripsit, neque vobis fucum fecit.

40. Nondum autem hinc constat, quanquam ita palam constat, nihil esse fide dignum, quicquid se studio reipublicæ nostræ factitare dicit et simulat, sed ex insecutis factis id erit evidentius. Nam Cotym, bono consilio, hostis enim vester et sceleratus homo fuerat, Pytho occidit, Cersobleptes autem qui nunc regnat, adolescentulus erat, et omnes Cotyos liberi, summa rerum autem, tum quia præsens erat, tum quia secum habebat exercitum, penes Charidemum erat: venit Cephisodotus imperator, ad quem ille miserat epistolam illam, et triremes, cum vita ejus in dubio esset, Artabazo adhuc infesto, eum liberaturæ. Quid igitur, Athenienses, ex officio faciendum fuisset homini fraudis experti atque amico, imperatore præsente, non eo quem invidere sibi dixisset quicquam, sed illo cujus in vestra urbe amicitiam prætulerat omnibus, et ad quem literas miserat, Cotye defuncto, omni auctoritate in se collata? Non statim reddenda vobis regio? Non vestro communi consilio rex Thraciæ designandus? Non tanta occasione oblata sua in vos probanda benevolentia? Omnino, si quid ego modo video. Num vero tale quicquam fecit? Plurimum certe abest. Sed toto reliquo septimestri tempore vobis in mora fuit gerendo bello, nec dissimulatis inimicitiis, nec ullum humanum verbum prolocutus. Nam initio cum nos decem solum navibus ad Perinthum appulissemus, quoniam ipse prope adesse ferebatur, ut nos cum eo conjungeremus, hisce de rebus cum eo collocuturi, cum observasset nostros milites apparando prandio intentos, conatus est naves nostras intercipere; multosque ex eis occidit, et quia equites nonnullos et velites habebat, ad mare compulit universos.

41. Deinde nobis nullum Thraciæ locum aut oppidum petentibus, —nec enim hoc medius fidius dixerit quisquam, vim enim vi repulisset, et læsisset, ne læderetur—, non ita est, nec enim usquam in Thraciam venimus, sed in Alopeconnesum cogitabamus, quæ et ad Chersonesum pertinet, et nostra fuit, et promontorium versus Imbrum eminens, longissime a Thracia remotum, quæ prædonibus et piratis referta erat. Huc igitur cum venissemus, et latrones obside-

remus, profectus per omnem vestram Chersonesum, et impetum in nos faciebat, et prædonibus ac piratis opitulabatur. Neque prius nos oppugnare destitit, quam ducem vestrum adduxisset, et coegisset non ea facere quæ maxime vobis expedirent, neque ab eo persuaderi sibi passus est, ut quæ professus et pollicitus erat, ex ulla parte præstaret. Proinde id cum Cephisodoto fœdus fecit, quod vos ita graviter et iniquis tulistis animis, ut duci imperium abrogaretis, mulcta quinque talentorum insuper adjecta, et per tria tantum suffragia steterit, quo minus capitis damnaretur. Enimvero, Athenienses, quam abhorret ab omni ratione, alium ob facta eadem, tanquam maleficum, tam acerbe puniri: alium, ut benemeritum, etiamnum honoribus affici? Hæc quæ de casibus imperatoris dicta sunt, vere a me dici, ipsi vos testes estis; nam vos et judicabatis, et repudiabatis, et indignabamini, quare ignorare hæc non potestis: de rebus autem ad Perinthum et Alopeconnesum gestis trierarchi testimonium dicent.

TRIERARCHI TESTES.

42. Postea, cum Cephisodoto abrogatum esset imperium, vobisque fœdus cum eo factum minime probandum videretur, Miltocythem, perpetuum vestrum amicum, a Smicythione proditum nactus, quia Thracum instituto nefas habetur alium occidi ab alio, sciens eum incolumem evasurum, si ad Cersobleptem duceretur, bonus iste Charidemus, Cardianis, vestris hostibus, tradit: qui, eo et filio ejus comprehensis, inque pelagus navigio subvectis, et filium in conspectu ejus occiderunt, et ipsum post filii cædem submerserunt. Eam crudelitatem Thracibus omnibus ægre ferentibus, et Berisade et Amadoco conspirantibus, Athenodorus, hac occasione animadversa initaque cum illis societate, bellum gerere potuit. Perterrito autem Cersoblepte, fœdus scribit Athenodorus, quo Cersobleptem jurare cogit et vobis et regibus, ut Thraciæ imperium inter tres divisum commune esset, et ut simul omnes Chersonesum vobis restituerent. Ut vero in comitiis vos ei bello Chabriam præfecistis, et Athenodoro usu venit, ut pecuniis a vobis non suppeditatis, omni gerendi belli facultate destitutus, exercitum dimitteret, Chabrias item una sola nave hinc solveret, quid de integro facit Charidemus? Fœdus, quod Athenodoro jurarat, negat, et ut idem neget, etiam Cersobleptæ persuadet; et aliud cum Chabria conscribit, multo quam illud Cephisodoti iniquius. In quo ille, ut nullo munitus exercitu, acquiescere cogebatur.

43. His vos publice auditis, et multis verbis ultro citroque factis, et fœdere pro concione recitato, neque Chabriæ auctoritatem, neque patronorum ejus quemquam reveriti, etiam id fœdus denuo improbastis, et senatusconsulto, quod Glaucone referente factum est, decem legatos e civibus vestris delectos decrevistis, qui, si in eo fœdere, quod cum Athenodoro fecerat, maneret Cersobleptes, jusjurandum ab eo rursus exigerent, sin minus, a duobus regibus fidem acciperent, et quo pacto ille bello petendus esset, deliberarent. Profectis porro jam legatis, cum jam isti tergiversarentur, et nihil vobis præstare vellent quod simplex aut justum esset, sic evenit, ut res eo usque procrastinarentur, dum in Eubœam auxilia mitteremus, et Chares imperator, adducens secum peregrinos milites, adveniret, atque a vobis dictator creatus, in Chersonesum navigaret. Sic denuo fœdus cum Charete facit, quicum se Athenodorus et duo reges conjunxerant, quod est omnium optimum, et æquissimum: sic ipsis factis sese coarguit, se contra nostram urbem occasiones captare, neque simplex aut æquum quicquam cogitare. Quem igitur temporibus adductum, paulatim vobis amicum fieri cernitis, et pro eo ac vos posse putat, benevolentiam in vos gerere, hujusne potentiam augendam esse existimatis, atque adeo per vos amplificandam? Non recte existimatis. Ut igitur sciatis hæc a me vere dici, proferetur epistola, post primum fœdus huc missa, deinde et Berisadæ epistola. Nam eo pacto rem optime intelligetis.

EPISTOLA.

Recita etiam Berisadæ epistolam.

EPISTOLA.

44. Societas igitur duorum regum, abolito jam fraudulento fœdere cum Cephisodoto facto, constituta est Miltocythe jam sublato, et Charidemo reipsa testato, se nostræ civitatis esse inimicum. Qui enim, quem sciebat omnium vobis esse conjunctissimum, hunc in potestatem suam redactum, infensissimis vestris hostibus Cardianis tradere non dubitavit, nonne satis evidens exhibuit hostilis animi argumentum? Quod igitur, imminentis a Thracibus et Athenodoro belli metu, fœdus fecit, et postea Cersobleptes, recita.

FŒDUS.

Is porro qui hæc scripsit et pepigit, et jusjurandum, quod vos audistis, dedit, postquam dimissas Athenodori copias vidit, et una solum triremi Chabriam venientem, neque Iphiadæ filium vobis tradidit, neque quicquam eorum quæ jurarat, fecit, sed et reliqua perscripta in fœdere negat, et tale fœdus scribit, cujus exemplum audietis. Recita.

FŒDUS.

Videtis eum et vectigalia et decimas postulasse sibi pendi, et rursus ita fecisse verba, quasi sua esset regio, volens suos decumanos jus et arbitrium vectigalium habere, et obsidem Iphiadæ filium, quem a Sestiis acceptum, Athenodoro se traditurum jurarat, se jam ne daturum quidem ait. Cape senatusconsultum, quod vos postea fecistis. Lege.

SENATUSCONSULTUM.

Deinde cum in Thraciam legati nostri venissent, Cersobleptes ad nos ita scribit, neque quicquam æqui promittit, reliqui hæc. Recita.

EPISTOLA.

Recita etiam regum literas, et considerate an nihil de vobis conqueri videantur.

LITERÆ.

45. Nunquid videtis et intelligitis, Athenienses, hominis improbitatem et perfidiam, ut sursum deorsum Cephisodotum primum injuriis agitarit, ut rursus Athenodori metu destiterit, ut denuo Chabriam læserit, ut iterum cum Charete pacem fecerit; sursum deorsum miscens omnia, nihil simpliciter, nihil jure agens. Ut deinde, quandiu vestræ copiæ in Hellesponto aderant, vobis assentari et fucum facere nunquam destiterit: ut cum primum Hellespontum exercitu vacuum vidit, statim duos reges oppugnare cœperit, et de imperio dejicere sit conatus, et totum regnum occupare, ipso eventu edoctus, non licere sibi prius ullum facti vobiscum fœderis caput violare, quam hos exterminasset. Quod ut quam facillime conficeret, tale decretum a vobis impetrarit, quo, id quod factum esset nisi nostra intercessio et accusatio obstitisset, comprobato, manifesta facta esset injuria duobus regibus, et illorum duces, Bianor, Simo, Athenodorus calumniam ex eo senatusconsulto impendentem formidantes, quievissent, et ipse illa potentia fretus, et totius regni potitus, potens vobis inimicus exstitisset. Habet autem omni tempore tanquam arcem et asylum suis occasionibus paratam Cardianorum urbem, quam in omnibus fœderibus sibi exemptam voluit, ac denique palam a vobis eripuit. At nisi vobis male cogitarent, si citra omnem fucum et ex animo vestram amicitiam colere decrevissent, quorsum attinebat, eos sibi stationem reservare, ad vos oppugnandos opportunam? Nostis enim hoc vos, qui illic fuistis,

certo, ceteri ab his edocti, cum ita sit in nos animata Cardianorum civitas, ut est, Cersobleptæ, Thraciis negotiis confectis, singulis diebus licere Chersonesum tuto invadere. Nam qui Chalcidis in Eubœa situs est ad Bœotiam, idem in Chersoneso Cardianæ civitatis situs est ad Thraciam comparatæ. Quæ quo loco posita sit, quisquis vestrum novit, idem ignorare non potest, ad quam occasionem illam retineat, et cur tantopere contenderit, ne vobis traderetur. Neque vero ipsi debetis hostium promovere commoda, quo vos facilius oppugnent, sed quantum fieri potest, prohibere, ac providere, ne illis contra vos detur opportunitas; nam se nulli occasioni defuturum, declaravit. Cum enim Philippus Maroneam venisset, Apollonide misso, fidem ei et Pammeni dedit. Quod ni Amadocus, qui regionem præsidiis tenebat, interdixisset Philippo, ne accederet, nihil obstitisset, quo minus vos nunc cum Cardianis et Cersoblepte bello conflictaremini. Hæc a me non fingi, e Charetis epistola cognoscetis.

EPISTOLA.

46. In hæc igitur intuentes, diffidere debetis, neque spe vana inflati, eum loco amici colere. Nam si necessitate coactus aliquando se vobis amicum esse simulat, ea re gratiam haberi non est æquum Cersobleptæ, neque si Charidemus privatim paucula ducibus et oratoribus vestris largiendo, talia conficit, propterea laudibus est ornandus: sed pro eo potius, quod quotiescunque potestas ei data fuit agendi quicquid ipse vellet, ubivis vobis nocere conatus est, multo magis irasci vos ei decet. Cum enim alii omnes, quibus aliquid unquam a republica nostra tributum est, pro datis beneficiis honorati sint, unus iste solus e ceteris universis, ob injurias est ornatus, quas nobis facere conatus, ad exitum perducere non potuit. Quanquam autem ita merito, magni muneris instar esse concessa scelerum debebat impunitas, quorum jure pœnas dedisset. Tamen hoc oratoribus non est satis, nisi habeatur civis, bene meritus, nisi coronæ et præmia decernantur propter corruptelas munerum, quæ ipsi privatim ab eo accipiunt, cum reliqui assideatis circumscripti, admirabundi, ignari veritatis. Postremo, nunc vos induxissent isto senatusconsulto, ut satellitum apud eum vice fungeremini, nisi nos actione hac intercessissemus: et respublica nostra mercenarii et ministri apud illum munus obiret, custodiret Charidemum. Præclare scilicet,—quidni vero, pro divum atque hominum fidem?—is qui olim ipse mercenarius vestrorum hostium stipator fuit, vestro senatusconsulto custodiatur.

47. Jam illud me fortasse quispiam interrogabit, cur ego, qui hæc ita comperta habeam, et plerasque injurias quasi per vestigia sim assectatus, me non opposuerim, non cum civitate donaretis, ob-

stiterim, non cum laudaretur, non denique priusquam hoc decretum fieret, verbum ullum fecerim. Ego vero, Athenienses, fatebor apud vos omnem veritatem. Nam et honoribus indignum esse sciebam, et cum hæc illi ornamenta tribuerentur, aderam, et non sum refragatus. Fateor. Quamobrem? Quod, Athenienses, primum imbecilliorem fore putabam multis apud vos confidenter mentientibus, me unum vera dicentem: deinde nihil eorum quæ ille per fraudem consequebatur, Jovem deosque omnes testor, unquam in mentem mihi venit illi invidere, neque vos insignem aliquam cladem accepturos videbam, si quem de vobis male meritum, impune dimissum provocaretis, ut vel deinceps vobis bene facere vellet; nam in donato jure civitatis, et coronis decretis, horum utrumque inerat: sed postquam eum etiam tale quippiam machinari video, quo fiat, si modo eos qui sua gratia vos decepturi sint, hic instruxerit, ut eorum amicorum, quos peregre habetis, qui de vobis bene mereri student, qui illius conatus contra vos hostiles prohibituri essent (cujusmodi sunt Athenodorus, Simo, Bianor, Archebius Byzantius, duo illi Thraciæ reges) ut, inquam, horum nullus ei vel adversari, vel impedimento esse audeat, tum demum venio accusatum. Cum illa impedire, quibus acceptis reipublicæ parum nociturus esset, vel privatim ab eo læsi, vel calumniatoris esse: his autem adversari, per quæ magnum nostræ civitati malum struatur, boni et viri et civis esse officium existimem. Hæc sunt, propter quæ tum nihil dixi, nunc dico.

48. Restat eis talis adhuc oratio, qua se vobis fucum facturos putant: Cersobleptem et Charidemum adversatos esse fortasse reipublicæ tum, cum hostes essent; nunc vero, cum sint amici, et in civitatem nostram officiosi, veteres offensas esse oblivione delendas. Nec enim, cum Lacedæmonios tueremur, nos injuriarum, quibus belli temporibus ab eis affecti essemus, fuisse recordatos, nec, cum Thebanos, et postremo nunc cum Eubœenses defenderemus. Ego vero censeo, si eo tempore, quo Cersobleptæ et Charidemo auxilia decreta essent, nos obsisteremus, tum demum hanc orationem locum habituram: sed cum tale nihil agatur, aut scriptum sit, atque eo tendant omnia, ut Cersobleptæ duces potentiores fiant, vestris muniti custodiis, quam oporteat, graviter peccare istos arbitror. Nec enim æquum est, cum tali oratione utantur, qualis eos deceat qui saluti suæ consultum velint, interim id moliri, ut impune in alios grassari eis liceat. Præterea, si Charidemus hostis adhuc nocuisset, postquam vero amicus videri vult, mutatus esset, audiri fortassis hæc potuissent: sed quia se res non ita habet, nam ex quo se vobis amicum esse simulat, ex eo vos sæpissime decepit, si non propter illa est odio prosequendus, propter hæc tamen nulla ei fides est habenda. Jam quod ad injuriarum oblivionem attinet, sic respondeo. Qui nocendi causa talia examinat, implacabilis est; qui vero, ut ne quid ipse mali patiatur, præcavere studet, viri prudentis officio fungitur.

49. Fortassis autem talem quandam suspicionem proferent, nos virum illum, nostram amicitiam vehementer expetentem, et de republica bene merendi studiosum, affecturos tristitia, decreto abrogato, et effecturos, ut male de nobis suspicetur. Audite, quæso, Athenienses, quid ea de re ego sentiam. Si vere et citra fucum nobis amicus esset, imo si summa in nos beneficia collaturus esset, ne sic quidem istam orationem audiendam putarem; non enim existimo ullum cujusquam tantum esse posse beneficium propter quem sit jurisjurandi violanda religio, et aliter quam justum videatur, pronunciandum: cum vero constet, eum et impostorem esse, et simulatorem, nihilque sinceri agitare, alterutrum e condemnatione decreti commodum percipietis. Nam aut imposturam facere desinet, ubi se tandem cognosci viderit: aut, si vestram necessitudinem ex animo et citra fraudem desiderat, verum aliquod in vos beneficium conferet, ubi viderit, se simulatione sua nihil profecturum. Quamobrem, si non ob aliud quicquam, vel propter hoc tollendum fuerit.

50. Operæ pretium porro erit, Athenienses, illud quoque considerare, quam rationem in dandis honoribus et præmiis nostri majores sint secuti, sive illa in cives, sive in hospites, revera bene meritos conferrentur. Qua re si videritis illos fuisse rectius usos, imitari eos par fuerit: sin vos, arbitratu vestro agetis. Primum igitur Themistoclem, qui navali ad Salaminem prælio vicerat, et Miltiadem Marathoniæ pugnæ ducem, et reliquos, qui longe majora quam isti nostri duces gesserant, non æreis statuis decorabant, neque immodice deamabant. Non igitur de se bene meritis gratiam habebant? Ac magnam quidem, Athenienses, et referebant tum se tum illis dignam. Qui cum ipsi omnes præstantes viri essent, illos sibi delegerunt imperatores, prælatos ceteris. Est autem moderatis hominibus, et rem recta via reputantibus longe major honos, præstantium virorum præstantissimum esse judicatum, quam ærea statua esse possit. Neque vero ullius facinoris gloria se privabant; neque quisquam erat qui navale prælium ad Salaminem Themistoclis esse diceret, sed Atheniensium, neque Marathoniam pugnam Miltiadis, sed civitatis. Nunc vulgo ita dicunt, Timotheus Corcyram cepit, Iphicrates moram concidit, Chabrias navali ad Naxum prælio vicit. Nam dum tam immensos honores ob horum singula decernitis, videmini quasi concedere de gloria gestarum rerum.

51. Civilia igitur præmia illi tam et pulcre et utiliter largiebantur, et vos non recte; sed hospitalia quomodo? Illi Menoni Pharsalio, duodecim argenti talenta in bellum ad Eionem, quæ Amphipoli vicina est, largito, et trecentis suis equitibus Penestis opitulato, non decreverunt, si quis eum occidisset, abduci illum licere; sed

civitate donarunt, quod eum honorem esse abunde magnum existimarent. Rursus Perdiccæ, Barbarici belli temporibus in Macedonia regnanti, qui Barbaros Platæis recedentes ceciderat, effeceratque ut regis Persarum clades integra esset, non decreverunt abduci licere eum, si quis Perdiccam, qui in vestram gratiam inimicitias regis Persarum susceperat, occidisset; sed tantum civitate donarunt. Nam illis temporibus consensu mortalium omnium tantus honos putabatur Atheniensis civitatis jus adipisci, ut pro eo consequendo, tanta in nos beneficia conferre vellent: nunc idem ita contemnitur, ut hoc honore ornati multi pluribus vos malis affecerint, quam aperti hostes.

52. Neque vero hoc solum munus nostræ urbis abjectum et vile factum est, sed et cetera omnia, propter exsecrabilium et nefariorum oratorum, qui talia temere scribunt, improbitatem; quorum avaritia et sordes in tam immensum excreverunt, ut honores et præmia vestratia, tanquam ii qui minutas res et supra modum viles auctionantur, sic vendant, de pretio detrahentes, et multis ob eadem illa lucella scriptitantes quicquid omnino optaverint. Primum enim, ut a postremis ordiamur, Ariobarzanem illum, non ipsum tantum et ejus filios numero tres omnibus dignati sunt quæcunque voluerunt, sed et duos Abydenos, infestissimos Atheniensium hostes, homines improbissimos, ei adjunxerunt, Philiscum et Agavum. Rursus, cum Timotheus officio functus erga vos, et rem bene gessisse videretur, præterquam quod ei summa omnia dederant, adjecerunt auctarii vice duos, Phrasicridem et Polysthenem, homines (neque enim ingenui sunt) perditos, et talibus facinoribus opertos, a quorum commemoratione homo cordatus abhorreat. Nunc postremo, postquam Cersobleptem his dignati sunt, quæ ipsis videbantur, et ea res summis studiis agebatur, duos ei adjungunt, alterum, qui tanta mala fecit, quanta audivistis, alterum, quem prorsus nemo hominum novit, quisnam sit, Eudercen nomine. Itaque dum ita fit, quæ magna olim habebantur, nunc parvi æstimantur, et res in dies vagatur longius, neque jam hæc sufficiunt. Quod nisi hæc singula cavebitis, satis apparet fore, ut illorum pretium et gratia omnis exolescat.

53. Quod vero ad tantam turpitudinem res prolapsæ sunt, nemo magis in culpa est quam vos ipsi, Athenienses, si veritas libere dicenda est; nam delinquentes punire destitistis, et supplicia etiam civitate emigrarunt. Atqui considerate quo pacto nostri majores eos ulti sint, a quibus injuria afficiebantur: num eodem modo quo vos. Illi Themistoclem, animis elatiorem quam in libera civitate ferri posset, Medicæ proditionis damnatum, urbe ejecerunt. Cimo, quod patriam reipublicæ formam in se transmoveret, tribus tantum calculis pœnam capitis effugit, quinquaginta talentis mulctatus est. Hoc modo tractabant viros de se tam præclare meritos. Haud injuria. Nec enim eis vendebant suam libertatem, et magnitudine animorum partam gloriam, sed et dum boni erant, eos honorabant: et improbis eorum conatibus obsistebant: vos autem, Athenienses, gravissimorum scelerum reos et convictos palam, si unum atque alterum facetum dictum protulerint, et a tribulibus aliquot delecti advocati deprecentur, absolvitis, sin damnatis aliquem, æstimatio litis est XXV. drachmarum. Atqui tum ærarium copiosum erat, et magnus reipublicæ splendor: privatim nemo supra vulgus eminebat. Id quod hinc clarissime cernitur; nam Miltiadis et Themistoclis, aliorumque illius ætatis illustrium virorum ædes, si quispiam vestrum vidit, cujusmodi sint, reliquis nihilo esse splendidiores videt: sed ædificia publica et substructiones tantæ et tales, ut ad eorum excellentiam posteritas nihil addere posse videatur, ut propylæa hæc, navalia, porticus, Piræeus, et reliqua quibus urbem adornatam spectatis. Nunc privatæ singulorum rempublicam gerentium tantæ opes sunt, ut alii ædes multis publicis ædificiis magnificentiores habeant, agros alii plures coemerint, quam vos habetis omnes qui in judicio assidetis. Quæ vos autem publice struitis, et tectorio inducitis, turpe dictu est quam sint tenuia, et sordida.

54. Nunquid dicere potestis, vos communiter quæsitam et partam relicturos esse, sicut illi fecerunt, Chersonesum, Amphipolim, gloriam rerum gestarum? Quam cum istius generis cives omni modo absumant, non tamen obscurare possunt, Athenienses. Merito. Nam Aristidis, qui suo arbitratu ordinandi vectigalia potestatem habuit, opes ne una quidem drachma sunt auctæ, quin et ejus mortui funus publicis sumtibus est elatum: vobis autem, sicubi opus erat, in ærario pecunia maxima erat inter omnes Græcos, ut quamdiu vos foris militaturos decrevissetis, tamdiu sumptus haberetis. Nunc, qui rempublicam administrant, ex inopia pervenerunt ad opes, et longi temporis commeatu sunt instructi: vos publice nec unius diei habetis alimoniam, sed accidit, ut simul aliquid faciendum sit, simul unde id suppetat, vos nihil habeatis. Tum enim magistratuum dominus erat populus, nunc vero est minister. In causa autem sunt isti, qui talia scribunt, et vos assuefaciunt, ut vosmetipsos aspernemini, unum atque alterum hominem admiremini; sic fit, ut isti vestræ gloriæ, vestræque felicitatis hereditatem cernant: vos re nulla fruamini, sed testes sitis alienorum bonorum, nullius alterius rei participes, nisi fraudum, quibus circumscribimini. At quantos gemitus, quanta suspiria ederent illi viri, qui pro gloria et libertate mortem oppetiverunt, et plurima honestissimorum facinorum monimenta reliquerunt, si scirent, nunc urbem ad ministri habitum et conditionem redactam, an Charidemus custodiendus sit, deliberare? Charidemus, hei mihi! sed non hoc est grave, non hoc, nos ma-

joribus nostris, qui virtute omnibus præstiterunt, imprudentius consulere, sed illud, neminem nobis esse imprudentiorem.

55. An vero pudendum non est, cum Æginetæ qui in insula tam parva habitant, qui nihil habent quod eis animos facere jure posset, Lampidem, quo in tota Græcia non est navicularius opulentior, qui et urbem et mercatum eis instruxit, nondum in hunc usque diem civem fecerint, sed vix immunitatem tributi, quod inquilini pendunt, concesserint? Cum Megarenses exsecrandi, tam studiose suam dignitatem exaggerent, ut cum missis legatis juberent Lacedæmonii, ut Hermonem gubernatorem, qui cum Lysandro triremes ducentas ceperat, postquam nos ad Ægospotamos adversam fortunam experti sumus, civem facerent, responderint: Si prius vidissent ipsos eum Spartiatam fecisse, tum et se illum Megarensem facturos? Cum Oritæ quartam Eubœæ partem incolentes, istum ipsum Charidemum, cujus mater civis illic est, pater vero, non dicam quis, aut unde,—nec enim necesse habeo inquirere in eum accuratius quam res cogit—, mediam tamen ei partem generis conferat, medietate in hunc usque diem nondum illum dignati sint, sed illic in tribu nothorum censeatur, quemadmodum olim hic in Cynosarges nothi conveniebant? Vos vero, Athenienses, qui totius illi jus civitatis impertiistis, et alios honores habuistis, etiam hoc ei adjicietis? Quamobrem tandem? Quas naves vobis cepit, propter quas ei, ab his qui illas amiserunt, insidiæ struuntur? Quam urbem a se captam vobis tradidit? In quæ discrimina capitis propter vos se conjecit? Quorum inimicitias communes vobiscum suscepit? Nemo est qui possit dicere.

56. Sed ubi de legibus, quas adduximus, pauca disseruero, quorum vos recordatos, cautiores fore puto, si isti vos seducere atque in fraudem illicere studuerint, descendam. Prima lex aperte jubet, si quis aliquem occiderit, senatum judicare: iste, si quis occiderit, statim scripsit abducere licere. Hoc custodite, et memineritis, nihil posse judicio fieri contrarium magis, quam sine judicio proscriptionem. Non sinit postea secunda lex, etiam damnatum cædis excarnificari, aut mulctari pecunia: at iste, dum eum abduci permittit, hæc omnia concessit; nam in eorum qui aliquem comprehenderint manu futurum est, de eo statuere quicquid libitum fuerit. Abducere jubet lex ad sexviros, idque, si quis homicidam in interfecti patria deprehenderit: iste ipsi accusatori dat abducendi potestatem in suas ædes, etiamsi in aliena terra deprehenderit. Sunt injuriæ quædam propter quas aliquem occidendi licentiam lex dedit: iste non adjecit, etiamsi propter illas aliquis occiderit, sed eum proscribit, quem leges indemnem et insontem dimittunt. Si cui tale quid usu venit, jus primum postulare lex jubet: iste contra, nullum judicium nec ipse designavit, neque a quibus pœnas exigit, petiit, sed statim scripsit, eum abducere licere, quem si quis asseruerit, e

vestigio fœderibus excludit. Pignora capere illic ubi homicida fuerit, nisi jus dare velint, jubet lex usque ad tres licere: iste, si quis reum asserat a violenta abductione, nolens ut ante judicium dedatur, statim eum fœderibus excludit. Non sinit lex aliquam legem, nisi eadem pariter ad omnes pertineat, promulgare: iste, ob unum virum, peculiare decretum scribit. Non sinit lex decretum lege plus valere: iste, cum tot sint leges, decretum ratum facit, leges tollit.

57. Hæc cavete, atque in hoc consessu nolite oblivisci, et quicquid isti effugiorum quæritarint, contemnite et repudiate; jubete potius, ut ostendat, ubi judicii mentionem fecerit, aut ubi scripserit, si quis cædis convictus fuerit, ut de eo pœnæ sumantur. Nam si aut alicubi alibi damnatum et convictum, puniendum esse scripsit, aut ipse judicandum esse scripsit, utrum reus cædem fecerit nec ne, item, jurene an injuria occiderit, nihil deliquit: si vero criminis duntaxat mentione facta, si quis occiderit, inquiens, præterito hoc, si cædis convictus fuerit, item illo, si occidisse videbitur, nec minus illo, pœnas det homicidii, item, idem de eo supplicium sumatur ac si Atheniensem occidisset, si denique omnino jure omni præterito et neglecto, abduci licere scripsit, ne decipiamini, sed haud dubie teneatis, nullo unquam decreto leges usque adeo fuisse violatas.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS CONTRA TIMOCRATEM.

DIODORUS etiam hic accusator, criminatur legem valde humanam; quapropter a causa et consilio scriptoris eam convellere conatur. Est autem lex Timocratis hujusmodi: *si quis Atheniensium ob debitum publicum vinculis damnatus est, aut deinceps damnabitur, ei sive ipsi, sive alteri ejus nomine, datis vadibus a populo comprobatis, se ad certum tempus mulctam bona fide soluturum promittenti, liceat vinculis liberari: sin ad dictam diem debitum solutum non fuerit, et is qui per sponsores liberatus fuerat in vincula conjiciatur, et bona vadium publicentur.* Hanc legem criminatur accusator, non ex usu reipublicæ, sed pro Androtione, et Glauceta, et Melanopo esse scriptam. Hi enim legati in Cariam missi, cum in triremi navigantes in Naucratitas quosdam, homines mercatores, incidissent, pecunias eis eripuerunt. Naucratitæ Athenas profecti, populo supplicant: populus decernit, eam pecuniam hostilem esse, nec reddi mercatoribus oportere. His ita factis, Archebius et Lysithides, trierarchi et domini ejus navis qua Androtio cum collegis vectus fuerat, de pecunia postulantur. Quam cum illos non habere constaret, sed legati se habere faterentur, et aut omnis pecunia numeranda, aut legibus teneri necesse esset, quæ in ærarios latæ sunt, propterea, inquit, Timocrates legem hanc ad illos sublevandos tulit. Respondet Timocrates, Androtionem et collegas solvisse pecuniam, atque inde constare, non in illorum gratiam legem hanc esse rogatam. Sed Diodorus etiam aliud in lege accusat. Nam et latam esse contra leges, et antiquis adversari legibus ait, et perniciosam esse reipublicæ ostendit.

ALITER.

QUO tempore bellum erat inter Athenienses et regem Persarum, decretum factum est, ut hostium naves prædæ essent, et æstimationes furtorum publicæ fierent. Cum autem Mausolus Cariæ satrapes ultiores insulas vexaret, et ii qui lædebantur, quiritarentur, et Atheniensium opem implorarent, visum est interim dum bellum parabatur, per legatos Carem esse incusandum. Itaque mittunt Androtionem, Melanopum, et Glaucetam ad principem Mausolum, Artemisiæ maritum et fratrem, conquesturos de insularum injuriis, quod is in regis Persarum gratiam Græcis malefaceret. Hi, cum in navem Naucratiticam, Ægyptiis mercibus oneratam, incidissent,—vehebant autem legatos Archebius et Lysithides trierarchi—, navem interceptam in Piræeum appellunt. Ægyptii etsi verba faciunt apud populum, et supplicant, nihilominus tamen decernitur, res illas esse publicas, quod Ægyptii hostes essent. Jubente autem lege, ut qui publica pecunia per integrum annum usus esset, eandem duplam restitueret, legati isti, quod novem talenta, et triginta minas, divenditis ex nave illa mercibus, redactas, retinuissent, obnoxii ærario duplo persolvendo fiunt. Quum autem respublica pecuniæ inopia laboraret, Aristopho, unus e magistratibus, decretum facit, ut inquisitores deligantur eorum qui ærario debeant, et latere studeant, atque illos deferant. Indicat Euctemo, qui dudum cum Androtione litigarat, nunc cum Timocrate, habere Archebium et Lysithidem ex Ægyptia nave oneraria, talenta novem, et minas triginta. Scripsit autem sic, eo quod aperto marte cum Androtione confligere verebatur, et trierarchorum facta mentione, nihilominus eidem insidiabatur. Re disceptata inter legatos et trierarchos, legati victi pecuniam solvere jubentur. Sed quia lege sancitum erat, qui secundo anno deberet, ut in vinculis haberetur, donec sol-

visset, etiam legati in vincula conjiciendi erant. Eo tempore, cum alter annus inciperet, quo etiam vinciri legatos oportebat, Timocrates talem legem scripsit: *si quis ob debitum publicum vinculis sit damnatus sive ex lege, sive ex senatusconsulto, aut in posterum damnetur, licere ei tribus vadibus datis, approbatis a populo, se bona fide satisfacturum reipublicæ promittenti, exire vinculis: si vero non satisfecerit vel ipse, vel vades, eum qui per sponsores liberatus fuerat in vinculis habendum, vadium vero bona publicanda.* Hanc legem Diodorus et Euctemo, ut legibus contrariam, ut injustam, ut perniciosam detulerunt. Cum autem Androtio, Glauceta, et Melanopus animadverterent accusationem hanc sua causa esse factam, novem talenta et triginta minas numerant, fortasse non numeraturi, nisi accusatores legi intercessissent. Sed numerant tamen. Diodorus et Euctemo accusare pergunt, perinde ac si lex propter legatos scripta sit. Etsi enim interjecto tempore numerarint, id factum esse tamen accusatione jam instituta. Quare consilium legislatoris esse culpandum. Nec minus interim legem examinat orator, ut quæ etiam alio modo sit improbanda. Nam et contra quam leges præscribant, esse latam, et aliis legibus adversari, et per ea quæ jubeat, nocere, et injuriam facere reipublicæ. Quamobrem et orationis argumenta, et fundamenta bina sunt, alterum, in gratiam legatorum esse scriptam, alterum, adversari legibus, et perniciosam et injustam esse legem. Proinde, ut crimen propter legatos latæ legis effugiat Timocrates, illud tamen non effugiet, legem esse improbam. Poterat enim accusare legislatorem Diodorus improbæ legis scriptæ, et legibus contrariæ, idque satis ei firmamenti fuisset. Nunc etiam legatorum calumniam causa legislatoris adsumpsit. Argumentum igitur causæ, propter quam legem tulerit, est in conjectura positum. Quæritur enim, utrum propter legatos lata sit, necne: illud vero quo leges examinantur, deliberativum est. Nam in universum omnis accusatio scripti deliberativum efficit statum. Scripti autem dico, non ejus in quo quippiam aliud quæritur, ut in conjectura, neque ejus quod refertur ad casum et facultatem, ut fit in absolutione. Illic enim de rebus factis est judicium, in deliberativo, de futuris. Ac scriptum tum in lege, tum senatusconsultis contineri debet. Sunt igitur hujus orationis capita quatuor. Unum legitimum, idque bifariam dividitur, in personam et rem, hoc est, in ipsam legem, quomodo contraria sit legibus. Alterum, justum. Tertium, utile, esse noxiam. Quartum, possibile, eam jubere, quæ fieri nequeant. Controversia igitur quæ venit in judicium, in his argumentis consistit. Nam tractationem illam contra legatos, in constitutione et digressione posuit, criminationis causa nimirum. Quia enim lex humanissima videtur, quod vinculis cives liberet, propterea opposuit cum alia plura, tum vero duo hæc, alterum, argumentum de legatis, ut ea suspicione ingesta persuadeat auditori, adversarium corruptum largitionibus oratorum et magistratuum, rempublicam depeculantium, sordibus et rapacitati consultum voluisse: alterum perniciosum, quo ostendit ea lege civitatem omnis æris alieni solutione spoliari. Præterea impossibile, etiam si vellemus, inquit, fieri tamen haud posset; tolluntur enim regulæ civitatis. Non autem ignorare debemus, legale caput perfectissime tractatum, justum, et utile, et possibile, inter sese implexa esse, atque inter ea principem tenere locum utile, quod et justo et injusto, et impossibili confirmetur. Nam quicquid injustum, idem etiam noxium est. Eandem rationem etiam ad locum ab impossibili detorquere studet. Quicquid enim impossibile sit, idem etiam inutile esse dicit. Et quoniam Timocrates legis humanitatem subinde inculcat, ea vero ad justum merito refertur, propterea Demosthenes inutili passim utitur, ostendens, eam legem detrimentosam et perniciosam esse reipublicæ.

DEMOSTHENIS

CONTRA TIMOCRATEM

ORATIO.

1. Causam hujus judicii, Athenienses, nec ipsum Timocratem arbitror in quenquam alium transferre, quam in semetipsum. Dum enim rempublicam fraudare pecunia non parva studet, contra omnes leges rogavit legem, nec idoneam, nec justam, judices. Quæ quantum aliis incommodatura, et reipublicæ statum labefactura sit, si perferatur, fortassis, ubi ex me singula audieritis, cognoscetis: unum vero, quod habeo maximum et expeditissimum, dicere apud vos non dubitabo; vestram sententiam, quam jurati de omnibus fertis, tolli, omnique auctoritate spoliari, lege istius, non ut communitati civium quicquam commodet,—nam id qui fieri queat? cum judiciis, quæ rempublicam continent, litium æstimationes, quæ quantæ singulis injuriis debeantur, legibus definitum est, eripiat—, sed ut nonnulli, qui jam longo tempore vestris opibus abusi sunt, et multa vestra diripuerunt, nec per manifestum ablata peculatum restituant. Tanto autem commodius est privatim quosdam colere, quam vestrum jus tueri, ut iste ab illis nummos acceperit, et non prius hanc pro eis legem tulerit: ego vestra causa de mille drachmis in periculum veniam. Tantum abest, ut a vobis aliquid accipiam.

2. Quanquam autem fere omnes qui publicum aliquod negotium administrare instituunt, dicere solent, summo vestro studio et animadversione digna esse ea, de quibus ipsi verba faciant: ego tamen, si quis alius unquam hoc exordio convenienter usus est, id etiam mihi nunc dictu decorum esse puto. Siquidem ad felicitatem reipublicæ, et populi libertatem in ulla re alia plus esse virium et momenti, quam in legum auctoritate, id ego neminem dicturum puto. At vero nunc de hac ipsa re deliberandum est, utrum ceteræ leges a vobis approbatæ, quibus injuriæ civitati factæ coercentur, abrogandæ sint, et ista perferenda, an contra potius ista tollenda, ceteræ autem retinendæ?

3. Res igitur qua de vobis nunc judicandum est, si quis paucissimis complecti velit, hæc est. Ne quis vero vestrum miretur, quamobrem ego, reliquo ætatis tempore, ut mihi quidem persuadeo, moderate transacto, nunc in judiciis et accusationibus publicis ver-

ser, apud vos pauca præfari volo, quæ a re aliena non erunt. Ego, Athenienses, suscepi inimicitias hominis improbi et odiosi, et diis invisi, cui tandem tota quoque civitas inimica facta est, Androtionem dico. Tantoque sum gravioribus ab eo injuriis affectus quam Euctemo, quod hic pecuniæ nonnullam jacturam fecit: ego vero, si conatus illius adversus me improbi successum habuissent, non modo fortunis omnibus, sed vita etiam ipsa essem spoliatus, imo nec id quod commune est omnibus, excedere vita mihi facile fuisset. Nam ea crimina, quæ vir prudens etiam invitus nominet, contra me commentus, ut qui patrem occidissem, dica impietatis impacta, me reum fecit. In quo judicio, quod quintam suffragiorum partem non tulisset, mille drachmis est damnatus, ego vero, sicuti justum fuit, in primis ope deorum immortalium, deinde vestro etiam, judices, auxilio, incolumis evasi. Eum igitur, a quo talibus essem insidiis appetitus, hostem mihi irreconciliabilem arbitrabar. Cum vero viderem ab eo communiter totam civitatem esse læsam, tum exigendis tributis, tum sacris vasis conficiendis, magnamque pecuniam partim Minervæ, partim heroum, partim civitatis, habere, quam non redderet, una cum Euctemone sum eum aggressus, occasionem mihi datam esse ratus, et reipublicæ defendendæ, et factas mihi injurias vindicandi. Vellem autem et me voti fieri compotem, et istum ea luere quæ meruisset.

4. Cum vero res non jam controversa, sed primum a senatu damnata, deinde a populo unus totus dies in his consumptus esset, prætereaque duo judicia, viri mille et unus numero, sententias dixissent, neque reo jam ullum pateret effugium, quo minus vestram pecuniam vos haberetis, Timocrates hæc quæ intercesserunt omnia usque adeo neglexit, ut legem eam ferat, qua et sacra pecunia deos, et ærarium publica spoliet, ac decreta tum senatus, tum populi, tum judiciorum evertat, impunitatem denique rempublicam depeculari cupientibus proponat. Quæ cum ita sint omnia, hoc unum præsidium reliquum esse videmus, ut legem accusatam, et vestris sententiis subjectam refutare conemur.

5. Ab initio igitur rem gestam vobis breviter exponam, ut injurias quæ in ista lege insunt, facilius discatis, et assequamini. Decretum fecit apud vos Aristopho eligendos esse inquisitores. Si quis vero sciat aliquem qui aliquid pecuniæ habeat, sive sacræ, sive publicæ, ut illum apud vos deferat. Post hæc retulit Euctemo habere Archebium et Lysithidem, trierarchia functos, pecuniam Naucratiticam, æstimatione novem talentum et triginta minarum. Accessit ad senatum, senatusconsultum scriptum est. Deinde convocata concione, accusator est datus. Euctemo conscenso suggestu, cum alia multa dixit, tum apud vos recensuit, a triremi, qua Melanopus, Glaucetes, et Androtio, legati ad Mausolum, vecti sint, ca-

ptam esse navem illam: homines, quorum pecunia fuerit, supplicasse: decrevisse vos, eam hostilem habendam. Tum vos admonuit earum legum, quæ vobis lectæ fuerunt, quarum decreto, rebus ad eum modum administratis, pecunia illa publicanda esset. Videbatur æqua dicere vobis omnibus. Confestim surgit Androtio, Glaucetes, et Melanopus,—considerate an vera dicam—, clamitant, indignantur, conviciantur, absolvunt trierarchos, ipsi se habere fatentur, quæri pecuniam apud se postulant. His auditis, ubi tandem isti tumultuari destiterunt, sententiam dixit Euctemo quam fieri potest æquissimam, ut a trierarchis vos exigeretis, et ut eis liceret omnem rem eam in illos qui pecuniam haberent transferre, sin dissensionis aliquid oriretur, ut sententia judicum intercederet, atque ut is qui victus esset, deberet ærario. Accusant decretum ad vos perlatum, ut in pauca rem conferam, visum est secundum leges esse factum, et absolutum. Jam fieri quid oportebat? Reipublicæ pecunia restituenda erat, et peculator puniendus; lege vero nulla prorsus ad hoc quidem negotium erat opus. Hactenus nulla facta vobis est a Timocrate injuria: post hæc vero in se unum recepit et transtulit omnia ea, quæ jam commemorata sunt, ut nihil quo vos læderet, omisisse videatur. Quod enim illorum artificiis et aucupiis se conducendum locavit, ministrumque præbuit, se ipse reum fecit illarum injuriarum, ut ego vobis manifeste ostendam. Sed ante omnia necesse est, vos admonere temporum, et ejus articuli quo legem tulit: nam vobis eum insolenter etiam insultasse, et illusisse constabit. Fuit Maius mensis, quo illi ab Euctemone judicio superati sunt. Conducto autem isto, cum ne cogitarent quidem de satisfaciendo vobis, nugigerulos quosdam in forum dimiserunt, qui rumorem spargerent, paratos eos esse simplam pecuniam numerare, duplam non posse. Hæ vero insidiæ erant cum ludibrio, et machina quædam, ut interim hæc lex, advertente nemine, perferretur. Idque ita esse, res ipsa testatur. Pecuniæ enim illis temporibus nec obolum vobis numerarunt, et una lege plures jam receptas fecerunt irritas, eaque legum omnium, quæ unquam apud vos latæ sunt, turpissima et iniquissima.

6. Volo sane, pauca de usitatis legibus præfatus, quibus tales actiones dantur, statim de lege quam accuso, dicere. His enim prius auditis, reliqua facilius percipietis. Habetis, Athenienses, receptis et approbatis vestris legibus, accurate et evidenter descripta omnia, quæ facienda sunt in legibus posthac constituendis. Ac primum omnium, tempus inscriptum est, quo legem ferri oporteat: deinde, ne sic quidem unicuique quidlibet permisit legislator, sed jubet auctorem legis eam ante statuas heroum scriptam proponere, ut a quibusvis considerari possit: deinde vult eandem legem ad omnes pertinere: postea, contrarias abrogari: denique alia, quæ

ad institutum nostrum fortasse nihil attinent: quod si quis horum unum violarit, cuivis dat accusandi potestatem. Timocrates igitur, si non omnibus his teneretur, neque contra hæc omnia legem rogasset, unum quippiam in eo accusari potuisset: nunc necesse est, singulis distinctis, ea seorsim explicari. Primum igitur id dicam, in quo primum deliquit, eum contra omnes leges tulisse legem, deinceps ordine cetera, prout vobis audire unumquodque visum fuerit. Cape leges istas, et recita; constabit enim eum horum nihil fecisse. Attendite, judices, dum leges recitantur.

JUSSIO LEGUM.

Primo senatus conventu die undecimo, postquam vota in populo peracta fuerint a præcone sciscantur leges, primum de senatoriis rebus, deinde de communibus, deinde de his quæ novemviris latæ sunt, mox de reliquis magistratibus: prima sit autem dijudicatio, cui satis esse videantur leges senatoriæ, cui non videantur; deinde rerum communium eodem modo. Sed legum comprobatio fiat secundum leges receptas. Quod si quæ receptæ leges improbatæ fuerint, senatores, in quorum administratione rogatio facta fuerit, de improbatis legibus postremam trium concionum indicant: præsides vero, qui in ea concione præsederint, necessario respondeant, primum post sacra de legumlatoribus, quibus conditionibus sedere debeant, et de argento, unde legumlatoribus sit solvendum. Legumlatores autem ex iis deligantur qui Heliasticum jusjurandum dederunt. Sin senatores ad hoc præscriptum concionem non habuerint, aut præsides non ad hoc præscriptum responderint, multabitur senatorum unusquisque mille drachmis Minervæ sacris, præsidum autem unusquisque quadraginta drachmas debeat Minervæ sacras; liceat etiam eos apud sexviros ea actione postulari, quæ in ærarium agitur, qui magistratum gesserit. Sexviri autem delatos introducunto in judicium ex lege, aut in Areopagum ne ascendunto, ut qui legum emendationem abrogent. Antequam vero concio sit indicta quicunque Atheniensium legem ferre voluerit, ante statuas heroum scriptas eas leges, quas fert, proponito; ut pro multitudine propositarum legum, statuat populus de tempore legumlatoribus concedendo.

Is vero qui novam legem fert, in album relatam proponat ante statuas heroum quotidie, donec concio indicatur. Deligantur autem e municipiis legibus patrocinaturi, quæ apud legumlatores abrogantur, quinque viri ex omnibus Atheniensibus, XI. mensis Junii.

7. Hæ leges omnes longo jam tempore sunt receptæ, et sæpe sui specimen præbuerunt, se prodesse vobis, neque hactenus quisquam exstitit, qui bonas eas esse negaret. Merito. Nihil enim crudele, nihil violentum aut libertati contrarium imperant, sed contra potius humaniter omnia et populariter fieri jubent. Ac primum, judicium penes vos esse voluerunt, num roganda sit etiam nova lex, an satis esse veteres sit putandum: deinde, si decreveritis esse rogandam, non statim eam ferri jubent, sed in tertiam concionem distulerunt: nec in ea ferri concesserunt, sed considerari jusserunt quibus conditionibus legumlatores constituere velitis: interjecto autem tempore, mandarunt legem rogare volentibus, ut leges proponant ante statuas heroum, ut quilibet iis consideratis, si quid in-

utile vobis perspexerit, indicet, ac per otium refutet. Horum quæ tam multa sunt, nihil fecit Timocrates. Nec enim legem proposuit, neque copiam fecit, si quis eam lectam vellet, refutandi, neque ullum tempus definitum legibus observavit: sed cum concio, qua leges dijudicastis, XI. Junii celebraretur, postridie statim XII. legem tulit, eamque Saturnalibus, propterea que senatu dimisso, per eos obtinuit, qui vobis insidiantur, ut senatusconsulto legumlatores constituerentur per speciem Panathenæorum.

8. Volo autem vobis ipsum senatusconsultum recitare, quod ratum habitum est, ut intelligatis, ea omnia per conspirationem ab istis esse facta, nihilque fortuito accidisse. Cape senatusconsultum hoc et lege eis tu.

SENATUSCONSULTUM.

Præsidente tribu Pandionia, undecimo senatus die, Timocrates dixit, Ut et sacris operari liceat, et sumptuum copia sit, et, si quid ad Panathenæa defuerit, ut suppeditetur, ut senatores Pandioniæ tribus in crastinum legumlatores creent: legumlatores autem sint unus et mille numero, e juratis: leges autem una ferat etiam senatus.

Nunquid animadvertistis inter legendum senatusconsultum, quam callide auctor ejus, per speciem sumptuum et urgentis festi, sublato legitimo tempore, ipse scripserit, perendie leges ferendas esse? Non medius fidius, non inquam, ut aliquid in festo pulcherrime administretur,—neque enim reliquum aut præteritum erat quicquam,—sed ut nemine hominum præsentiente, aut refragante, ferretur et sanciretur istis ea lex, qua de nunc agitur. Id quod hinc perspicitur. Sedentibus legumlatoribus, de his quæ de sumptibus et Panathenæis scripta sunt, neque meliorem legem, neque deteriorem quisquam tulit: quibus autem de rebus neque decretum jubebat, et leges vetant, Timocrates otiose leges tulit, plus auctoritatis habere ratus senatusconsulto quam legibus præfinitum tempus, et, cum vobis omnibus festum celebrantibus, lege sancitum sit, ne eo tempore vel privatim, vel publice alii aliis injurias faciant, neve quicquam decernatur, nisi ad festum pertineat, ipse nihil veritus est, ne non unum aliquem e populo, sed totam civitatem lædere videretur. An vero ferendum est, eum qui leges omnes, quas paulo ante audivistis, sciret esse ratas, qui sciret item, easdem non sinere ullum decretum aliud, tametsi legitimum fuerit, plus habere auctoritatis, scribere et ferre vobis legem ex decreto, quod ipsum etiam sciebat contra leges esse factum? An non indignum est, cum ipsa civitas unicuique nostrum securitatem præstiterit, ne quid insuave aut acerbum pateretur, hoc tempore festo instituto, ipsam a Timocrate securitatem eandem non impetrasse, sed maximis in ipso

festo injuriis esse affectam? Quod enim majus scelus admittere privatus homo possit, quam leges quæ civitatem continent, violando?

9. Eum igitur nihil eorum, quæ oportuerat et leges jubent, fecisse, ea quæ supra dicta sunt intuentes cognoscere potestis. Neque vero hac modo re peccare eum, quod neglecto legibus præfinito tempore, ereptaque vobis prorsus omni de his deliberandi facultate, dum festum ageretur, legem tulit, sed ob illud etiam, quod eam omnibus receptis legibus contrariam rogavit, statim evidenter cognoscetis. Age, lege mihi primum hanc legem, quæ aperte vetat, ne qua contraria lex sanciatur: sin quis rogarit, accusari jubet. Lege.

LEX.

Receptarum vero legum nullam abrogare liceat, nisi apud legumlatores. Tum vero cuivis Atheniensi liceat abrogare, si quid aliud in ejus locum quod sustulit tulerit. Præsides autem de his legibus suffragia ferunto, ac primum de vetere, aptane videatur Atheniensi populo an vero secus, post de ea quæ rogatur: utram vero legumlatores comprobarint, ea rata habetor. Contrariam vero ferre legem receptarum legum ulli nemini liceat. Quod si quis, abrogata lege aliqua vetere, aliam substituerit Atheniensi populo non opportunam, aut e receptis legibus alicui contrariam, eum accusari liceat ex lege quæ in eos lata est, qui legem non idoneam tulerint.

Audivistis legem. Cum autem nostra civitas multis bonis legibus sit munita, ea est hujus legis præstantia, ut nulli postponenda videatur. Considerate, quæso, quam juste, quamque populariter lata sit. Non sinit receptis legibus rogare contrariam, nisi vetus fuerit abrogata. Quamobrem? Primum, ut vobis juste religioseque pronunciare liceat. Nam si quæ duæ contrariæ leges exstiterint, atque aliqui adversarii apud vos contenderint, sive publicis, sive privatis de rebus, et uterque victoriam sibi vindicet, lege non eadem prolata, pro utroque ferre sententiam non utique licet—qui enim id fieret?—neque pro alterutro lata sententia, jurisjurandi religio servatur; sententiam enim alterutri legi, quæ quidem perinde rata sit atque altera, necesse est repugnare. Hæc igitur legislator edixit, tum quia religioni vestræ cavere, tum etiam quia vos legum custodiæ præesse voluit. Sciebat enim hoc, alias earum custodias in scripta relatas, multis licere modis eludere. Patronis quos deligitis, posset aliquis persuadere ut tacerent: proponi jubet igitur, ut præsciant omnes; nam fieri fortasse queat, ut eos qui refragati fuissent, lateret aliquid, si legem, non prius cognitam habuissent, alii minus attente fortasse legerent. Sic vero, quilibet eam accusare potest, id quod et ego nunc feci. Quod si quis eum qui hic se opponeret, amoveret, verba data essent civitati. Quæ igitur sola custodia est et justa et firma legum? Vos populus. Nec enim vobis, quo minus statuatis et probetis meliora, id quisquam extorquere queat, neque si quem

amoverit et corruperit, persuadere, ut deteriorem legem anteferatis meliori. Propter hæc omnia, omnes injuriarum vias obstruit, repagula objicit, et aditu eos, qui vobis insidiantur, prohibet. Hæc omnia Timocrates ita præclare justeque constituta sustulit, delevit, quantum in ipso fuit, et legem rogavit, omnibus (ut paucis dicam) legibus contrariam, neque eam collatam cum aliis ex adverso legit, nullam abrogavit, non optionem dedit, non quicquam fecit, quod fuisset ex officio faciendum.

10. Eum igitur accusatione teneri, lege rogata contraria ceteris, omnes vos perspexisse arbitror: ut autem sciatis, quibus legibus violatis et repudiatis, qualem legem obstruserit iste, legetur vobis primum istius lex, deinde reliquæ, quibus hæc est contraria. Recita.

LEX.

Pandionia tribu præsidente, duodecimo senatus die, Timocrates retulit, Si quis ærarius, sive ex lege sive ex decreto, vinculis est damnatus, aut in posterum damnabitur, ei liceat vadibus sive per se, sive per alios, constitutis, quos populus approbarit, promittenti, se bona fide argentum quo mulctatus est soluturum, carcerem egredi: præsidibus vero, si quis vades dare voluerit, necesse sit ratos habere. Is vero qui vades constituerit, si reddiderit civitati argentum, a vinculis immunis esto, eo nomine quod vades dedit: sin argentum haud numerarit vel ipse, vel vades, nono senatus conventu, is qui per vades liberatus fuerat vinciatur, vadium vero bona publicentur. De redemptoribus vero vectigalium, et sponsoribus et coactoribus, iis item qui mercede conducunt prædia, eorumque sponsoribus, liceat civitati pensiones exigere secundum receptas leges. Quod si quis nono senatu mulctatus fuerit, sequentis anni nono senatus aut decimo consessu solvat.

Legem audivistis: hoc vero ex ea mihi primum memineritis, quod ait, si quis ærariorum vinculis est damnatus, aut in posterum damnabitur, deinde, quod exceptis publicanis, et redemptoribus, eorumque sponsoribus, sua lege uti jubet. Omnino enim est omnibus contraria legibus. Idque ipsis legibus auditis, maxime cognoscetis.

11. Recita.

LEGES.

Diocles jubet, Leges ante Euclidem latas libera republica, et quæcunque sub Euclide latæ sunt, et in tabulas relatæ, ratas esse: quæ vero post Euclidem latæ sunt, et deinceps ferentur singulæ, eas esse ratas, ab eo die quo quæque latæ sunt, nisi si cui adscriptum est tempus quo debeat geri magistratus. Adscribat autem, nunc receptis, scriba senatus, intra triginta dies: in posterum autem quicunque scribæ fungitur officio, statim adscribat legem esse ratam ab eo die quo lata fuerit.

Cum receptæ leges, Athenienses, bonæ sint, hæc modo recitata lex veluti distinxit eas et confirmavit. Jubet enim unamquanque ab eo die quo lata fuerit esse ratam, nisi si cui adscriptum fuerit tempus quo prætore rata esse debeat. Quamobrem? Quia multis legibus

adscriptum fuerat; lex hæc rata esto tum demum ubi huic prætori alius successerit. Is vero qui post eas legem hanc tulit jam recitatam, non æquum censuit, easdem leges quæ jubentur posterius quam latæ sunt, ratæ esse, referri ad eum diem a quo latæ essent, neque prius habendas esse ratas quam cujusque auctor postulasset. Huic legi considerate quam contraria sit ea, quam iste tulit. Nam illa jubet legem, sive a præfinito tempore, sive ab eo die quo lata fuerit, ratam esse: iste vero scripsit, et si quis damnatus fuerit, de præteritis loquens. Neque id ipsum definiit, adscripto prætore a quo, sed fecit, non modo ab isto die quo legem tulit, ratam, sed etiam ab eo tempore, antequam nostrum quisquam nasceretur. Nam omne præteritum tempus, quod infinitum est, una comprehendit. Atqui te oportuit, Timocrates, aut istam non sancire, aut illam abolere, et non, ut tuæ libidini satisfieret, conturbare omnia.

12. Lege aliam legem.

LEX.

Neque de ignominiosis, pristinam eis dignitatem restituendam esse, neque de his qui divis debent, aut ærario Atheniensium, de remittenda mulcta, aut militia, nisi prius decreverint Athenienses, sex millibus non pauciores licere id, quibus occulte decernentibus ita fuerit visum. Tum vero demum referre liceat, quatenus senatui populoque visum fuerit.

Alia hæc lex est, quæ de ignominiosis, et ærariis referre vetat, aut respondere de ære alieno condonando, aut militia, nisi potestas data fuerit, eaque non pauciorum quam sex millium decreto: iste vero palam scripsit, etiamsi quis ærarius ad vincula sit damnatus, remitti ei licere, si modo vades dederit, cum nihil de his adjectum sit, neque potestas dicendi data. Cum autem lex nec impunitatem adepto licentiam det, suo arbitrio quidvis decernendi, sed ea duntaxat, quæ senatui populoque probata fuerint, isti ne hæc quidem injuria satis fuit, impunitate non data, dicere et legem ferre hisce de rebus, sed insuper etiam, nulla horum apud senatum, nulla apud populum facta mentione, occulte, dimisso senatu, aliis propter festum ferias celebrantibus, clandestine legem obtrusit. Atqui oportebat te, Timocrates, quum legem, quam modo recitavi, scires, si rite agere velles, primum referre ad senatum, deinde rogare populum, et sic, si omnibus Atheniensibus videretur, scribere et legem ferre de istis, idque tempore legitimo exspectato, ut rebus ad hunc modum administratis, etiamsi quis ostendere conaretur, eam legem non esse e republica, saltem non insidiose egisse videreris, sed opinionis errore deceptus impegisse. Nunc, quoniam et clanculum, et subito, et contra leges, istam legem in ceteras intrusisti potius quam tulisti, omnem tibi postulandæ veniæ causam ademisti. Nam iis qui

peccant inviti, venia concedi debet, non iis qui de industria et ex insidiis delinquunt; id quod te nunc facere constat.

13. Sed enim de his mox dicam, jam vero sequentem recita legem.

LEX.

Si quis supplicarit in senatu, aut apud populum, iis de rebus propter quas vel judicium, vel senatus, vel populus aliquem damnavit, si ipse ærarius priusquam solverit supplicarit, actio in eum detur, perinde ac si quis ærarius in Heliæam se ingerat. Sin quis alius pro ærario intercesserit priusquam is solverit, bona ejus omnia publicentur. Sin præsidum aliquis dederit alicui suffragiorum jus, sive ipsi ærario, sive alicui pro eo deprecanti, priusquam solverit, ignominiosus esto.

Difficile fuerit, Athenienses, de omnibus legibus, quibus iste contraria decrevit, disserere: si tamen de ulla dicere operæ pretium est, de hac, quæ modo est recitata, fuerit in primis. Nam qui legem hanc, Athenienses, tulit, norat humanitatem et clementiam vestram, et propter hanc videbat in multis vos rebus ultro jam aliquando magna damna fecisse. Ne igitur ullam causam relinqueret, qua respublica læderetur, eos qui convicti legibus, sententia, judicioque, injuriarum damnati essent, vestra facilitate frui noluit, arrepta occasione deprecandi, et vobis in malis supplicandi; sed omnino interdixit, ne vel ipse, vel quisquam alius, pro talibus vel verba faceret, vel intercederet, ac jussit omnes, justa quæ sunt, silentio exsequi. Si quis igitur vos roget, utris potius obsequi malletis, quacunque in re, supplicantibus, an imperantibus, scio vos, supplicantibus responsuros. Hoc enim bonitatis est, illud ignaviæ. At leges omnes imperant, quid faciendum sit: qui vero sordidati olivam prætendunt, supplicant. Quod si supplicare non licet, legem cum imperio conjunctam inculcare licebit? Equidem non opinor. Etenim turpe fuerit, quæ nec gratificandi studio condonanda censetis, in his, invitis vobis, ea sinere confici, quæ quidam volunt.

14. Recita legem, quæ hanc ordine sequitur.

LEX.

Quibus de rebus judicium prius factum, aut rationes relatæ, aut suffragia lata sunt, sive in judicio, sive privatim sive publice, aut qua de re publicum decretum intercessit, de his ne actio dator in judicio, neque novemvirorum quisquam decernito, neque accusare sinunto ea, quæ leges interdicunt.

Timocrates vero, tamquam testimonium suarum injuriarum scriberet, statim initio suæ legis his contraria tulit. Nam illa non concedit, quibus de rebus semel in judicio sit lata sententia, de his denuo referre, aut respondere: iste vero etiamsi quis lege aut decreto damnatus fuerit, ei populum respondere jubet, ut et judicio decreta

tollantur, et ærarius vades det. Ac lex quidem vetat, ne vel novemvirorum quisquam, præter hæc quicquam decernat: iste vero scripsit, præsidibus esse necesse, si quis vades dederit, eum producere. Atque adscripsit, quandocunque quis voluerit.

15. Aliam legem recita.

LEX.

Judicia et arbitria, quæcunque legitima ratione facta sunt libera republica, rata habentor.

Negat hoc Timocrates, non utique, inquit, iis quidem qui vinculis sunt damnati. Recita.

LEX.

Quæcunque sub triginta tyrannis acta sunt, aut judicia facta, sive privatim sive publice, irrita sunto.

Desine. Dicite mihi, quidnam omnes vos immanissimum diceretis, aut quid maxime detestaremini? Nonne id, ne talis rerum status ingrueret, qualis sub triginta tyrannis fuit? Equidem sic opinor. Hæc igitur lex, id, ut mihi videtur, verita, vetuit acta illorum temporum rata haberi. Iste autem, quæ libera civitate gesta sunt, ea ejusdem iniquitatis condemnat, cujus vos triginta tyrannos; æque certe irrita facit. At quid dicemus, Athenienses, si legem istam confirmabimus? Utrum judicia, quæ dum civitas a populo regitur, juratis judicibus complentur, eadem grassari violentia, quæ sub triginta tyrannis fuit usitata? Est vero id ferendum? An rite sancita et decreta esse? Quamobrem igitur legem, qua illa abrogentur, nos ferre dicemus? Nisi hoc aliquis dicat, ex insania. Aliud enim dici non potest.

16. Recita aliam legem.

LEX.

Neque cuiquam in unius viri gratiam legem ferre liceat. Nisi eadem ad omnes Athenienses pertinere possit, decreto facto a non paucioribus quam sex millibus, quibus id visum fuerit, clam decernentibus.

Non admittit legem, nisi eadem ad omnes cives pertineat: in quo recte et populariter loquitur. Ut enim reliquarum rerum civitatis æquam partem omnibus tribui vult, sic etiam legum. Propter quos vero iste legem hanc obtruserit, vos non minus quam ego intelligitis; et, ut hoc omittam, ipse confessus est, se non propter omnes legem eandem tulisse, cum adscripserit, lege hac utendum esse, publicanis, et mancipibus, et talium rerum sponsoribus exceptis. Quod si qui sunt quos segregas, non jam eandem legem tulisti om-

nibus. Atqui nec illud dicere queas, inter eos qui vinculis damnentur, plurima vel maxima esse delicta publicanorum, proinde illos ab hac lege solos excludi. Multo enim profecto magis injurii sunt, qui publicum aliquod munus perfide administrant, aut parentes male tractant, aut pollutis manibus forum ingrediuntur; quibus omnibus receptæ leges vincula minantur, tua impunitatem largitur. Hic iterum prodis, in quorum gratiam eam tuleris. Nam quia illi non ob vectigalium redemptionem, sed ex peculatu, vel rapina potius pecuniæ, debent, ob id, opinor, publicani tibi curæ non fuerunt.

17. Possunt præterea multæ bonæ leges ostendi, quibus omnibus ista adversatur. Sed ego, si de omnibus disputare velim, fortasse temporis angustiis excludar, quo minus indicem, legem eam prorsus non esse e republica: videri autem vobis æque iniqua debet, si uni duntaxat receptarum legum adversetur. Faciendum igitur videtur, ut omissis aliis, ubi ea de lege quam iste ipse prius tulit, disseruero, tandem ad illam accusationis partem accedam, qua ostendam, legem istam, si confirmetur, magnas clades reipublicæ allaturam. Legem igitur aliorum legibus contrariam obtrusisse, etsi iniquum est, alium tamen accusatorem postulat: sed legi ab isto ipso prius latæ ferre contrariam, id vero jam ipsum accusatorem sui facit. Quod ut fieri sciatis, legetur vobis ipsa lex, quam iste tulit: ego vero tacebo. Recita.

LEX.

Timocrates retulit, Quicunque Atheniensium ex delatione apud senatum, aut nunc in carcere sunt, aut post eo conjicientur, quorum damnatio a scriba senatus sexviris, ex delatoria lege, tradita non fuerit, placere sexviris, undecimviros intra trigesimum diem in judicium introducere, ex quo acceperint, nisi publice aliquid impedierit: sin minus, cum primum id fieri potuerit. Eos vero accusato quicunque Atheniensium voluerit, quibus id licet. Quod si convictus fuerit, Heliæa litem illi æstimet, quidnam vel luere, vel solvere, debere videatur. Sin mulcta pecuniaria ei dicta fuerit, in vinculis teneatur, quoad id solverit quanti condemnatus est.

Auditis, judices? Recita eis hoc denuo.

LEX.

Sin mulcta pecuniaria ei dicta fuerit, in vinculis teneatur, quoad solverit.

Desine. Possetne quisquam duo magis contraria decernere, quam damnatos tenendos in vinculis, donec mulctam solverint, et eosdem datis vadibus, non esse vinciendos? Sic igitur Timocrates accusat Timocratem, non Diodorus, neque quisquam alius nostrum in tanta multitudine. A quibus autem sordibus et corruptelis vobis alienus videbitur, aut quid lucri causa non subiturus, qui ipse legem suæ contrariam ferre non dubitarit, cum leges, etiam aliorum legibus ferre contrarias interdicant? Nam mihi quidem, quæ ejus impu-

dentia est, quidvis suscepturus esse cupide videtur. Quemadmodum igitur alios facinorosos, qui scelera fatentur, sine judicio puniri leges jubent, sic etiam iste, quandoquidem eum leges malitiose rogare et abrogare constat, non facta dicendi potestate, nec ejus excusationibus auditis, condemnandus erit. Nam altera priore lege fassus est, se ista contraria ferenda, peccare.

18. Ac eum et contra has leges, et contra supradictas, ac prope dixerim universas, quibus in hac republica utimur, istam tulisse legem, vobis omnibus perspicuum esse puto. Miror autem, quidnam ad hæc dicturus sit. Neque enim suam legem reliquis contrariam non esse, ostendere poterit, nec persuadere, se hominem rerum imperitum, errore et inscitia peccasse; jam olim enim omnes eum viderunt mercede et scribere, et ferre leges. Neque illud etiam habet, ut injuste factum fateatur, sed veniam tamen impetrare studeat. Nec enim invitus, nec pro calamitosis, nec pro cognatis et necessariis suis, cum hanc legem tulisse constat, sed volens in eorum commodum tulit, qui magnis injuriis vos affecerunt, nullaque sibi necessitudine conjunctis, nisi forte illos se cognatorum habere loco dicet, a quibus mercedem accipiat.

19. Nunc legem ejus nec vobis commodam esse, neque conducibilem, ostendere conabor. Arbitror igitur, confitendum esse omnibus, probam legem, et multitudini profuturam, primum simpliciter, et omnibus æque aperte scriptam esse oportere, ne eam alius aliter interpretetur: deinde, fieri posse oportere ea quæ jubeat. Nam ut bene constituta sit, aliquid tamen quod fieri nequeat, proponat, id voti potius, quam legis fuerit officium. Præterea oportere nemini delinquenti quicquam dare licentiæ. Nam si quis id esse populare putat, ut lenes sint leges, is id quoque in eis consideret, quibus eas esse tales oporteat. Quod si recte considerabit, inveniet, eam lenitatem ad reos, non ad damnatos pertinere. Nam de illis incertum est, an sit alicui calumnia facta per injuriam: his autem nulla ratio restat, quo minus se improbos esse fateantur. At horum quæ ego nunc recensui, nihil omnino legem istam complecti, palam est, sed ex ordine contraria omnia. Idque multis argumentis doceri queat, in primis vero sic, si lex ipsa, quam iste tulit, percenseatur. Non enim alia ejus pars probanda est, alia improbanda, sed tota a prima syllaba usque ad extremam, vos oppugnat. Cape scripturam hanc, et usque ad primam partem recita legem. Nam facillime sic tum ego docebo, tum vos mea dicta assequemini.

LEX.

Pandionia tribu præsidente primo senatus conventu duodecima die præsidum, censuit Aristocles Myrrhinusius, Timocrates sententiam dixit: tametsi aliquis ærarius sive legibus, sive senatusconsulto, damnatus est vinculis, aut in posterum damnabitur, ei pro se, aut alii pro eo, sponsores constituere liceat.

Desine. Mox enim singulatim omnia leges. Hoc omnium fere, judices, quæ lege continentur, est indignissimum. Arbitror enim cæterorum hominum neminem alium ea esse audacia, ut, dum legem ferret ad usum civium, judicia prius receptis legibus rata habita, labefactare conaretur. At hoc Timocrates impudenter, neque dissimulanter fecit, cum aperte scripserit, tametsi aliquis ærarius sive legibus, sive senatusconsulto, vinculis addictus est, sive in posterum addicetur. Ac de futuris quidem, si quid vobis utile suasisset, haud peccasset: sed quibus de rebus judicium statuit, ac controversiam definiit, an non importunissime agit, qui legem promulget, qua lege res illæ rescindantur? Id quod perinde est, ac si quis istius hac lege non abrogata, scriberet aliam, in hanc sententiam: Tametsi ærarii aliqui vinculis addicti, vades dederint istius lege, non tamen eis sponsio prosit, neque quenquam in posterum liberari sponsione fas esto. Sed neque hæc quisquam sanæ mentis, opinor, faceret, et tu, illis judiciis abrogatis, jus violasti. Decuisset enim eum, si rem justam esse censuisset, ferre legem de rebus in posterum futuris, et non in unum velut acervum conjectis futuris cum præteritis, et incertis cum perspicuis delictis, demum sententiam eandem scribere de omnibus. Quid vero iniquius quam idem jus tribuisse iis, qui convicti sunt prius læsæ reipublicæ, et iis, de quibus haud constat, an commissuri sint aliquid judicio persequendum?

20. Inde etiam perspicitur, quam perverse egerit, lege de præteritis ferenda, si consideretur, quid tandem sit quo a paucorum dominatu respublica distinguatur, item quidnam sit, cur hi qui legibus parere volunt, modesti et boni cives perhibeantur, qui oligarchiis, effœminati et servi. Reipsa comperietur, expeditissimum hoc esse responsum, quod in oligarchiis unusquisque tum acta rescindendi, tum de futuris pro sua libidine statuendi habeat auctoritatem: leges autem de futuris enuncient, quid faciendum sit, ita latæ, ut populo simul etiam persuasum sit profuturas esse eas his qui eis uti velint. Timocrates vero cum in libera civitate leges ferret, oligarchiæ iniquitatem in suam legem transtulit, deque præteritis rebus plus sibi juris arrogavit, quam judices habuerint qui condemnarunt; neque in hoc solo insolenter sese gessit, sed scripsit etiam, si quis in posterum quoque vinculis addicatur, licere ei datis vadibus promittenti, se bona fide reipublicæ satisfacturum, carcere liberari. Enimvero si vinciri grave putabat, decuisset eum ferre legem, ne quis damnaretur vinculis, qui vades dedisset, non tum demum liberationem per vades proponere, ubi vos jam vinculis damnassetis, et condemnati odium suscepissetis. Nunc, quasi ostentaret, tametsi vobis visum fuerit aliquem vinciri, eum se dimissurum, hoc modo legem tulit. Num igitur talis lex e republica esse videtur,

quæ plus auctoritatis sibi vendicat, quam judicium, et juratorum sententias evertere injuratos jubet? Ego quidem non opinor. At istius lex horum utrumque complectitur. Proinde si vobis singulis respublica et libertas curæ est, si suam unusquisque sententiam, quam juratus dixerit, ratam esse oportere putat, abroganda hujusmodi lex, non perferenda nunc fuerit.

21. Neque vero satis habuit judiciis auctoritatem æstimandarum litium eripuisse, sed quæ jura ipse in lege descripsit, et ærariis imposuit, ne hæc ipsa quidem simpliciter aut citra fraudem scripsisse deprehenditur: sed ut is, qui vos quam egregie decipere et circumscribere studeat. Considerate quo modo scripserit: Timocrates retulit, inquit, tametsi aliquis ærarius vel lege, vel senatusconsulto, sit vinculis damnatus, aut in posterum damnetur, ei liceat ipsi, aut alteri pro ipso, vades, a populo comprobatos, constituere, ac promittere se bona fide soluturum. Cogitate quomodo a judicio et a damnatione sontem suffuratus, ad populum transilierit, atque extorserit, quo minus undecimviris tradatur. Quis magistratus ærarium tradet? Quis ex undecimviris recipiet, cum lex ista jubeat, apud populum constituere sponsores, et fieri nequeat, ut uno eodemque die et concio et judicium habeatur, et nusquam iste jubeat custodiri reum, donec sponsores constituerit? At quanam de causa perspicue gravatus est adscribere, magistratus condemnatum interim custodiunto, dum vades constituerit? An vero justum non est? Satis scio, vos omnes confessuros. Nam alicui legi adversatur? Non, quin potius cum legibus consentit. Quid tandem fuit? Nihil aliud invenietis, nisi quod hoc spectavit, non ut mulctæ a vobis inflictæ solverentur, sed ut a vobis damnati pœnas non darent.

22. Deinde quomodo scripsit? postea constituendos esse sponsores, bona fide soluturum æs alienum quod debuerit. Hic iterum sacræ pecuniæ decuplum, publicæ quæ legibus dupla solvi jubetur, dimidiam partem sustulit. Id quomodo facit? Pro æstimatione posuit argentum, pro eo quod accedit, quantum debuit. Quid vero interest? Siquidem scripsisset, constituendos sponsores, se bona fide litis æstimationem, quanti ea esset, cum accessionibus velle solvere, una comprehendisset leges, quibus alia debita decupla, alia dupla fiunt; hinc igitur necesse fuisset debitoribus, tum id quod esset scriptum solvere, tum legibus etiam adjectas mulctas numerare. Nunc cum talem vadium constitutionem decernat, qua promittat ærarius, se argentum quod debuerit bona fide soluturum, ex accusatione et scriptis, quibus unusquisque in judicium pertractus est, solutionem fieri jubet, in quibus omnibus id argentum, quod quisque debuit, simplum est perscriptum.

23. Deinde tanta re, mutatione verborum, sublata, adscripsit

necesse esse ut præsides comprobent, si quis vades dare velit, contra omnes leges existimans conservandum esse sontem, et apud vos damnatum. Nam quum ei vadium constitutionem quolibet tempore liberam fecerit, facultatem dedit, ne quid unquam solvat, neque tamen vinciatur. Quis enim non inveniet viles homines? Qui, ubi vos eos improbaveritis, discedant, nam si quis eum, ut qui vades non dederit, in vincula postulabit, se et dare, et daturum dicet, et istius legem proferet, quæ, cum ipse velit, constituere vades jubeat, interim custodiri, et si vos vades improbetis, in vinculis esse, non jubeat. Sic ista lex revera quoddam præsentissimum remedium est hominibus injuriarum studiosis. Ei vero qui vades constituit, si reddiderit civitati argentum propter quod vades dedit, abire, inquit, liceat vinculis. Rursus hic a malitia sua non discessit, de qua paulo ante dixi, nec sui oblitus est, neque scripsit æstimationem litis cum accessione, sed ubi, inquit, reddiderit argentum quod debuerat, vinculis liberetur. Sin argentum non numerarit vel ipse, vel vades, nono senatus conventu, is qui sponsione liberatus est in vincula conjiciatur, vadium bona publicentur. In hoc extremo capite, ipse sese injuriarum manifeste damnat. Non enim in universum, quasi id turpe aut nefas existimarit, ullum civem vinciri vetuit: sed eam occasionem, qua sontem coram comprehendere licebat, suffuratus, nomen supplicii sumendi vobis affectis injuria reliquit, rem ipsam sustulit, et his qui vestram pecuniam vi detinent, impunitate proposita, tantum non adscripsit, licere illi diem dicere judicibus, qui vinculis addixerint.

24. Cum autem multa intolerabilia sint, quæ legi inseruit, id quod maximam indignationem meretur, jam vobis dicam. Nam quæ per totam legem dicit, ad eum pertinent omnia qui vades constituerit: ei vero qui non constituerit, neque meliores, neque deteriores, qui denique nullam vestri rationem habuerit, nullam neque pœnam, neque ultionem adscripsit, sed tantam dedit impunitatem, quanta maxima dari potest. Nam et tempus vades constituenti definivit, nonum senatus conventum. Idque inde potest intelligi. Adscripsit, publicanda esse bona vadium, si quis non solverit. Ejus vero qui vades non dedit, nulli utique vades esse possunt. Ac præsidibus a vobis sorte delectis ad judicandum, necessitatem imposuit, si quis dederit recipiendi. Rempublicam lædentibus nullam adscripsit necessitatem, sed tanquam bene meritis optionem dedit, utrum dare pœnas debeant, necne. Quænam igitur lex ista minus utilis, aut improbior excogitari queat, quæ primum, de his qui antehac in judicium adducti fuerant, contraria vestris sententiis imperat: deinde, quum iis qui in judicium adducendi sunt, litem æstimare jubeat juratos judices, æstimationes facit irritas: præterea ærariis aditum ad magistratus relinquit, ea

quæ solvenda fuissent, non solventibus: eo denique vos redigit, ut frustra jurare, æstimare, judicare, irasci, omnia facere, vos ostendat? Equidem existimo Critiam, qui fuit unus e triginta tyrannis, si quam ferre legem vellet, non aliam fuisse laturum.

25. Jam totam confundi rempublicam, et omnia negotia destrui lege ista, et multa ornamenta nostræ civitatis aboleri, id quoque facile vos puto cognituros. Neque enim ignoratis, nostram urbem expeditionibus sæpe servari, tum navalibus, tum pedestribus: et vos multa memorabilia gessisse jam aliis conservandis, aliis puniendis, aliis reconciliandis. Hæc vero quo pacto administranda sunt? Per senatusconsulta et leges: ut alii tributa pendere, alii triremes instruere, alii navigare, alii singula quæ opus sunt, præstare jubeantur. Quæ uti fiant, et in judiciis frequentes adestis, et ad vincula damnatis ordinis perturbatores. Considerate vero præstantis istius viri legem, quantopere impediat hæc, et corrumpat. Scriptum est in ejus lege: tametsi ærarius aliquis vinculis sit damnatus, aut etiam in posterum damnetur, ei licere constitutis vadibus, promittenti, se bona fide nono senatus conventu argentum soluturum, exire vinculis. Unde igitur commeatus suppetet? Quo modo mittetur exercitus? Quo pacto pecuniam exigemus, si unusquisque debitor vades ex istius lege dederit, officium fecerit nemo? Nunquid dicemus Græcis, Timocratis lex est apud nos, proinde novum senatus conventum exspectatote, tum demum egrediemur? Hoc enim reliquum est. Quod si nostra civitas erit defendenda, num putatis hostes improborum civium tergiversationes et elusiones improbas exspectaturos? Si leges, quæ ipsam urbem impediunt, tuleritis, et rationi utilitatis repugnantes, nunquid officio ulla ex parte fungemini? Atqui præclare nobiscum agi putandum, si, cum omnia fuerint in officio, nec ulla talis lex interturbet, hostes superemus, si nec celeritate destituamur, nec belli occasiones deseramus unquam, sed pleno gradu consequamur. Quod si eam te legem tulisse constat, qua tales res abolentur, quæ nostræ civitatis splendorem et majestatem ubique auxerunt, annon quovis supplicio jure afficereris?

26. Insuper, Athenienses, vectigalia tollit, tum sacra tum publica. Quod quomodo fiat, ego dicam. Est vobis rata lex, et præclara, ut si qua alia, qui tam sacram quam publicam pecuniam tenent, eam ut in curia numerent: sin minus, ut senatus exigat iis legibus quæ in publicanos latæ sunt. Per eam autem legem communia administrantur. Nam quæ in conciones, in sacrificia, in senatum, in equites, aliasque res insumuntur, hujus legis omnia beneficio comparantur, et suppeditant. Cum enim vectigalium reditus sumptibus urbis haud sufficiant, adjectiones quas vocamus, hujus legis metu numerantur. Qui poterit igitur fieri, quin totius civitatis status labefa-

ctetur, cum et vectigalium reditus non sufficient sumptibus. Multaque non explebunt, et ne hos ipsos quidem, nisi sub anni exitum, exigere licebit, et eos qui adjectiones non solverint, neque senatus, neque judicum auctoritas vinciet, quin ipsi sponsores constituent usque ad nonum senatus conventum? At octo prioribus quid agemus? Age dic Timocrates, non conveniemus, et consultabimus, si quid erit opus? Si non fecerimus, num libertatem reipublicæ retinebimus? Non judicia de criminibus, tum publicis tum privatis, pronunciabunt? Qui porro portus, quod confugium patebit his, quibus injuriæ fient? Non conveniet senatus, neque sancita legibus administrabit? Et quid erit reliquum nobis aliud, nisi ut servitute opprimamur? At hercule hæc omnia faciemus gratis? Quid vero iniquius, quum tu mercede conductus legem istam tuleris, quam senatum, quam populum, quam judicia sua mercede fraudari? Nam tuæ legi, Timocrates, adscribendum fuit, id quod in publicanis et sponsoribus fecisti, exigenda esse debita receptis legibus, quod si contra quospiam alia quapiam lege aut decreto sancitum est, licere ab eis ea quæ debent exigi eodem modo, quo a publicanis, ab iis etiam legibus receptis, ea esse exigenda: nunc leges de publicanis undequaque fugitas, et quia decreto Euctemonis statutum est, ut ab ærariis debita iis legibus reposcantur, propter hoc id caput non adscripsit. Ea machinatione, supplicium in eos constitutum, qui pecuniam publicam detinent, sustulit, et quia aliud non adscripsit, tollit universa, populum, equites, senatum, sacra, profana. Pro quibus conatibus, si vos, Athenienses, sapietis, punitus, meritoque supplicio affectus, exemplo aliis erit, ne leges hujusmodi rogent.

27. Neque vero judiciis tantum irrogandæ mulctæ potestatem eripit, sed rempublicam depeculantibus licentiam dat: expeditiones pro reipublicæ salute suscipiendas corrumpit: vectigalia destruit: maleficis et parricidis, militiæque desertoribus patrocinantem legem tulit; cum supplicia veteribus, et nunc ratis legibus indicta tollat. Jubent leges quas Solo tulit, nulla re similis isti legumlator, Si quis de peculatu convictus, capitis tamen damnatus non fuerit, eum vinculis addici: si quis convictus malæ parentum tractationis, in forum sese ingesserit, in carcerem conjici: si quis militiæ desertor, idem sibi juris arroget quod hi cives habent quorum salvum caput est, eum quoque vinciri, Timocrates his omnibus impunitatem proposuit, constitutione vadium carcerem demolitus. Proinde mea quidem sententia—tametsi enim dictum fortasse videbitur insolentius, tamen eloquar, et non dissimulabo—vel ob hoc capite mulctandus fuerit, ut apud inferos impiis legem istam ferat, nos viventes sanctis et justis his in posterum uti patiatur. Recita istas leges.

LEGES DE FURTO, MALA TRACTATIONE PARENTUM, DESERTA MILITIA.

Quicquid aliquis amiserit, si id receperit, fur dupli damnetur: sin minus, decupli una cum adjutoribus. Unoque pede stringatur compede quinque dies totidemque noctes, si Heliæa id censuerit: censere vero liceat unicuique, dum de litis æstimatione agitur.

Quod si quis abductus fuerit, vel malæ tractationis parentum, vel desertæ militiæ, convictus, vel contra legum interdictum eo fuerit ingressus, quo ei nefas est, undecimviri eum vinciunto, in Heliæam introducunto: accuset autem ex his quibus id licet quicunque voluerit. Damnatus si sit, æstimet Heliæa, quid eum luere oporteat, aut solvere: quod si pecuniaria mulcta ei dicta fuerit, in vinculis teneatur dum solverit.

Similis igitur Soloni, Athenienses, legislator est Timocrates? Ille probiores facit, tum eos qui sunt improbi, tum qui futuri sunt: iste etiam iis qui jam se male gesserunt, viam ostendit elabendi, ne pœnas dent, et iis qui nunc sunt improbi, spem impunitatis proponit, et iis qui futuri sunt. Ita omnes omnium temporum sceleratos fovet, atque id agit, ut sint incolumes, et ab omnibus incommodis vindicentur. Enimvero quas tu pœnas satis graves dares, aut quæ ferres, ut ea ferres quæ meruisti, qui (omitto cetera) etiam præsidia senectutis tollis, leges inquam, quibus coguntur liberi et parentes vivos alere, et defunctis justa persolvere? An vero te quisquam sceleratior inter mortales omnes existimari queat, qui, o nefarium caput, pluris facere non dubites fures, facinorosos et desertores, quam patriam, et propter istos leges ferre perniciosas?

28. Ostendam autem præstitisse me jam ea quæ orationis initio facturum esse sum pollicitus. Professus enim sum, me ostensurum, istum per omnia teneri accusatione, primum quod contra leges legem tulerit: deinde quod reliquis legibus contraria scripserit: tertio, quod ea quibus respublica læderetur. Audivistis autem legem, quid eum facere jubeat qui novam legem roget: rursus vos docui, horum nihil prorsus istum præstitisse. Quin illas etiam leges audivistis, quibus ab isto rogata lex adversatur. et hanc, priusquam illas abrogasset, eum tulisse scitis. Non etiam esse e republica, audivistis: jam primum enim ea de re verba facere destiti. Proinde palam, nullis rebus exceptis, injurius est, neque quicquam est in quo vestri rationem habuisse, aut verecundari videatur. Ac, mea quidem opinione, si quid præterea fuisset interdictum legibus, id quoque facturus fuit. Undecunque igitur apparet, eum hæc insidiose scripsisse, et re deliberata, non opinionis errore deliquisse: inde vero potissimum, quod tota lex usque ad extremam syllabam talis est. Nec enim vel invitus quicquam recte statuit. Aut quod vobis profuturum esset. An non igitur odio prosequendus est, et

puniendus is, qui læsi populi nullam rationem habuit, sed leges pro iis tulit, qui et olim fecerunt, et posthac facturi sunt injurias?

29. Demiror autem, judices, ejus impudentiam, qui cum Androtionis in magistratu collega esset, eadem hac clementia non sit usus erga vestratem populum, qui jam ita exhaustus erat exactionibus, ut plura pendere non posset: postquam vero Androtionem oportuit ea restituere, quibus jam olim rempublicam depeculatus fuerat, et sacra, et profana pecunia surrepta, tum vero demum tulisse legem, ut mulcta dupli publicæ, decupli sacræ pecuniæ vos defraudaret. Qui cum vestram multitudinem sic tractarit, mox haud dubie dicet, se legem istam populi gratia tulisse. Mihi quidem quovis supplicio dignus videtur, quicunque oportere putat, sive quis ædilis, sive præfectus urbis, sive judex legibus creatus, peculatus in referendis rationibus sit convictus, homo pauper et rudis, et multarum rerum imperitus, sortitoque magistratu functus, eum decupli damnari, cum nemo ullam legem ferat quæ talibus opituletur: si qui vero legati delecti a populo, homines copiosi, magnam pecuniam surripuerunt, aliam sacram, aliam publicam, eamque longo tempore tenuerunt, his demum expediri remedia summo artificio concinnata, ut ne quid subeant, quod est vel legibus, vel decretis constitutum. Atqui Solo, cui nec ipse Timocrates se ferendarum legum scientia conferendum esse censeat, nusquam id egit, ut ejus generis homines impune et secure grassari possent, sed in hoc potius intentus fuit, ut aut non delinquerent, aut delictorum pœnas darent, legemque tulit. Recita legem.

LEX.

Si quis interdiu supra quinquaginta drachmas furatus fuerit, abduci liceat ad undecimviros: si quis vero noctu quippiam surripuerit, eum et occidere, et inter persequendum vulnerare, et ad undecimviros, si cui lubet, abducere fas esto. Convicto autem eorum facinorum propter quæ in vincula licet abripi, non liceat, datis vadibus, satisfacere pro furtis: sed mors pœna esto. Ac si quis e Lyceo, aut ex Academia, aut Cynosarge, vestem, aut lagunculam, aut quicquam aliud minimi pretii, aut aliquod vasculum e gymnasiis, aut portubus, surripuerit, supra decem drachmas, etiam his morte pœnas esse luendas constituit. Si quis vero privato judicio furti convictus fuerit, ei licere duplum solvere æstimatæ litis: penes vero judices esse furem præter argentum, ad quinque dierum totidemque noctium vincula damnare, ut omnes eum vinctum esse videant.

Etiam has leges paulo prius audivistis. Censuit enim flagitiosum hominem, non tantum rapinis restitutis, esse liberatum,—quia magnum furum proventum eo quidem pacto fore censuit, si celato furto fruerentur, deprehenso tantundem duntaxat solverent, quantum sustulissent—, sed cum duplum oportere solvere, tum in vinculis habitum, supra mulctam hanc, quod vitæ reliquum fuerit, exigere

cum infamia. Non ita Timocrates, sed et hoc effecit, ut simpla solvantur, quæ dupla solvi conveniebat, neque ad hæc ulla pœna adjiciatur. Neque satis habuit iniquissimum facere decretum pro iis qui peccaturi essent, nisi etiam ob delicta jam mulctatos pœnis exemisset. Atqui ego putabam legislatoris id esse officium, futuris de rebus quæ fieri oporteat, et qualia singula esse, et quibus pœnis injurias singulas coerceri deceat, his demum de rebus constituere, —hoc enim est leges ferre, quæ pari æquitate omnes cives comprehendant—; sed de præteritis scribere, id vero non est ferre leges, sed fovere nocentes. Considerate vero in hæc intuentes, quam æqua dicam. Nam si Euctemo violatarum legum damnatus esset, non tulisset legem istam Timocrates, neque hac lege fuisset opus reipublicæ, sed satis ipsi habuissent peculatu suo frui, quicquid de aliis fieret: nunc cum sit absolutus, vestram sententiam et judicii suffragium, reliquasque leges sine auctoritate esse oportere censet, suam et suæ legis auctoritatem esse oportere magnam. Atqui, Timocrates, eæ leges quas firmas et ratas habemus, omnem suam auctoritatem in hosce conferunt, illisque potestatem dant, ut re audita, quale facinus judicarint, tali erga sontem etiam ira commoveantur, si magnam magna: sin parvum, parva. Nam cum in eo res est, ut statui debeat, quid sit vel luendum, vel solvendum, æstimatio mulctæ penes hos est.

30. Tu vero pœnas corporum sustulisti, vinculis remissis. Quibus vero id? Furibus, sacrilegis, parricidis, homicidis, emansoribus, ordinum desertoribus. Hos enim omnes ista lege tueris. Enimvero quisquis leges ferens in libera civitate, neque sacrorum, neque populi rationem habet, sed eorum hominum quos modo dixi, an non ultimum supplicium probe commeruit? Nec enim hoc dicet scilicet, quin et oporteat, et leges jubeant, hujus generis homines gravissimis pœnis coerceri: aut eos quibus ista lex patrocinetur, non esse et fures, et sacrilegos, qui sacra tum decimas Minervæ, tum reliquorum deorum quinquagesimas diripuerunt, eaque non reddunt, sed ipsi detinent, et publica quæ ad vos pertinebant, suffurati sunt. Tanto autem gravius est eorum sacrilegium, quam aliorum, ut quod factum oportuit, eam pecuniam prorsus in arcem non retulerint. Quare (Jovem Olympium testor) judices, non fortuito Androtioni petulantiam istam et insolentiam esse obortam existimo, sed ira deæ inflictam, ut, quemadmodum hi, qui donaria victoriæ causa consecrata conciderunt, ipsi suis manibus perierunt, sic et isti collusionibus suis, et judiciis, quorum ipsi moderatores sunt, perirent, et aut duplum pecuniæ solverent secundum leges, aut in nervum irent.

31. Exponam autem vobis, quid interim dum hæc dico, in mentem mihi venerit de lege ab isto lata: absurdum certe quiddam

atque mirificissimum. Nam iste, judices, vectigalium redemptoribus pœnas, secundum priores leges, si pecuniam non solverent, scripsit esse infligendas, quibus et vincula, et dupli solutio continentur, in eos homines constituta, qui ob contractum in emptione damnum, non volentes fraudaturi erant rempublicam: eos vero qui et ærarium depeculantur, et deam sacrilegiis compilant, vinculis liberavit. Quod si istos minus tibi videri dices injurios, necesse erit, ut insanire te fateare: sin majora, qualia sunt istorum facinora, et tamen istis parcis, illos urges, qui negabis te totum negotium istis vendidisse?

32. Operæ pretium porro est, ut et hoc dicam, quantum vos magnitudine animorum oratores superetis. Vos etenim acerba supplicia in plebem constituta, ut sive quis bina stipendia mereat, sive relatus in ærarios, concioni aut consessui judicum intersit, sive quippiam aliud agat legibus interdictum, non prohibetis—idque cum sciatis coactum inopia facturum, si quis facturus sit tale quippiam—, neque tales leges fertis, ut eis delinquere liceat, imo contra potius, ut ne liceat: isti vero in eo sunt, ut flagitiosissimi homines, gravissimisque constricti sceleribus impune abeant, ac postea vos privatim insectantur suis orationibus, dum sese pro bonis et præstantibus viris venditant, improborum et ingratorum servulorum imitantes ingenia. Nam et illi, judices, consecuti libertatem, non ob manumissionem gratiam dominis habent, sed eos omnium infensissime oderunt, ut servitutis suæ conscios: sic etiam isti oratores, non contenti se ex administratione reipublicæ paupertate emersos, et factos esse divites, insultant etiam multitudini, quia unusquisque e populo conscius est, quibus isti studiis in paupertate et adolescentia ætatem exegerint.

33. At vero turpe fuisset scilicet, Androtionem esse vinctum, aut Glaucetem, aut Melanopum? Non medius fidius, judices: sed rempublicam injuriis et contumeliis affectam, cum suo, tum deæ nomine non sumere pœnas, id vero multo est turpius. Nam Androtioni quidem nonne patrium est, esse in vinculis? Scitis ipsi, patrem ejus multa quinquennia in carcere versatum, effugisse tandem, non esse dimissum. Nunquid ob primæ ætatis studia? Verum ob ista non minus eam vinciri decet, quam propter peculatum. Nunquid ideo quod in forum erumpebat sibi interdictum, et ex eo moderatæ vitæ homines ipse in carcerem abripiebat? At facinus fortasse fuisset, si Melanopus, nunc in vincula conjiciendus esset? Ac de patre quidem ejus mali nihil dicam: quamvis ejus furta satis materiæ suppeditarent. Sed is per me talis esto sane, qualis a Timocrate prædicari queat. Si vero probi patris filius improbus ipse et fur exstitit, et proditionis damnatus, tria talenta pependit, et eum collegæ judices peculatus reum peregerunt, et decuplum ipse solvit, et legationem Ægyptiacam mala fide obiit, et suos fratres injuriis affecit, nonne tanto magis eum vinciri oportuit, boni patris sobolem tam degenerem? Ego quidem arbitror, si revera vir bonus esset Laches, et bonus civis, ultro daturum fuisse operam, ut filius, qui quidem sit talis, et tanto dedecore patrem afficiat, in vincula conjiceretur. Et hunc sane missum faciamus, Glaucetemque spectemus. Non vero hic is est, qui hinc Deceleam transfugit, atque inde incursione facta, vos omni latrocinii genere est deprædatus? Atqui hæc quæ dico, nostis omnes. Quicquid autem a vestris uxoribus et liberis eripuit, quicquid aliunde nactus fuit, horum omnium illic præfecto Laconico decimas bona fide annumeravit: deam tamen nostram, decreto ei a vobis legationis honore, decimis hostilibus defraudavit: quæsturam arcis adeptus, nostræ civitatis præmia et monimenta fortitudinis quæ de barbaris ceperat, ex arce surripuit, sellam illam dico argenteis pedibus, et acinacem Mardonii, qui Daricos trecentos valet. Et hæc ita sunt pervulgata, ut nemo hominum ignoret. In aliis autem rebus nonne est omnium hominum violentissimus? Parcendum igitur illorum cuiquam est, ut propter istos vel deæ decimæ negligantur, vel duplex solutio publicæ pecuniæ, an iste potius talium sedulus defensor puniendus? Ecquid vero prohibet, quo minus omnes improbi sint, ubi tam lucrosa fuerit improbitas? Nihil, mea quidem opinione. Ne igitur ipsi doceatis, sed puniatis, neque sinite, ut indignentur, se ob rapinas opum vestrarum in vincula conjici, sed legibus eos subjicite. Neque enim qui peregrinitatis damnantur, ægre ferunt se in hoc esse domicilio, dum falsi testimonii causa agatur: sed manent, neque putant, vadibus datis esse obambulandum. Visum enim est civitati, fidem eis non esse habendam, neque committendum, ut per speciem vadium constitutionis impune elaberentur: sed ut ibi manerent, ubi ex aliis quoque civibus multi. Nam et ob pecunias multi jam vincti sunt, et propter judicia, et tamen id non recusarunt.

34. Insuave quidem fortassis est nominatim meminisse de aliquibus: sed idem necessarium tamen, illos cum istis comparare. Eos autem qui ante prætorem Euclidem fuerunt, omitto, et illos omnino veteres. Qui quanquam suis quique temporibus, præclarissime sese gessisse anteacta ætate viderentur, tamen ob admissa deinde facinora vehementem populi iracundiam sunt experti. Non enim eos civitas ad tempus duntaxat oportere justos esse putabat, post vero peculatores: sed in administranda republica justitiæ perpetuo observantes. Nam alioquin ejus generis homo non natura probus exstitisse, sed insidiose id egisse videbatur, ut fidem sibi præstrueret, quo postea majore lucro iniquus esset. Sed post Euclidem prætorem, judices, primum Thrasybulum Colyttensem omnes meministis bis in vincula conjectum, et utrumque id judicium apud populum esse factum. Quanquam is et unus e Piræeo et Phyle, ac

vindex libertatis exstitisset. Deinde Philepsium Lamprensem. Mox Argyrium Colyttensem, virum humanum et popularem, et commodorum plebis studiosissimum. Is tamen censuit, eandem esse debere in se quoque legum severitatem, quæ in tenuissimos homines et inopes valeret. Atque in domicilio plebis multos annos mansit, dum eam pecuniam, quam civitatis habere putabatur, dissolvisset. Neque vero Callistratus, homo potens in republica, et consobrinus ejus, leges ad illum sublevandum tulit. Et Myronides Archini filius, illius qui Phylem occupavit, et post deorum immortalium opem, unus maxime omnium auctor populi in integrum restituendi fuit, et alia multa præclara gessit in republica, et exercitum ductavit: sed tamen hi omnes in legibus acquieverunt. Quæstores item, sub quibus ærarium conflagravit, cum Palladis, tum reliquorum deorum, in hoc domicilio fuerunt, donec judicium de eis esset factum. Et qui rem frumentariam mala fide administrasse putabantur, aliique multi, judices, qui fuere omnes viri Androtione meliores. Cum igitur his veteres leges ratas esse oportuerit, et hi usitatis legibus pœnas dare sint coacti: Androtionis, Glaucetæ et Melanopi gratia, nova lex est sancienda, propter eos, inquam, qui damnati sunt et veteribus legibus judicati, quos habere constat pecuniam tum sacram, tum publicam? Nonne publice ridebitur nostra civitas, si legem tulerit, quæ sacrilegos tueatur? Ego quidem opinor. Ne sinatis igitur vos ipsos affici contumeliis, neque rempublicam: sed recordati, vos Eudemum Cydathenæum, quod legem perniciosam rogare videretur, non olim, sed Evandro prætore interfecisse, et Philippum Philippi navicularii filium, propemodum occidisse, sed quia ipse magna pecunia litem sibi contra æstimarat, et paulo plura suffragia tulerat, ignominia notasse tamen, eandem iracundiam etiam contra istum nunc concipite, illud super hæc omnia cogitantes, quidnam vobis accidisset, si iste unus homo legationem vobis obiisset. Nihil enim esse puto, quo abstinuisset. Videtis nimirum ejus ingenium. Nam lex quam rogare fuit ausus, mores ejus ostendit.

35. Narrabo autem vobis, judices, quo pacto Locris leges ferre soleant. Nihil enim vobis nocuerit exemplum aliquod audivisse, tale præsertim, quo laudata respublica utitur. Nam illi usque adeo censent veteribus legibus utendum, et instituta patria ornanda esse, non ad cujusvis libidinem et injuriarum impunitatem leges ferendas, ut si quis legem novam rogare velit, collo in laqueum inserto id facere cogatur: quæ lex si honesta et utilis videtur, auctor ejus vivit et abit, sin minus, periit, constricto laqueo. Proinde novas rogare leges non audent: sed veteribus religiose utuntur. Ac longissimo tempore, judices, una lex apud eos nova perlata esse fertur. Nam cum ibi receptum esset, si quis excussisset alteri oculum, ut et ipsi oculus excuteretur, nec id supplicium ulla redimi pecunia

posset, quidam comminatus fertur inimicus inimico, unum oculum habenti, se illi eum unum oculum excussurum. Eas minas luscus ille ægre ferens, cum sibi in cæcitate vitam morte acerbiorem fore putaret, fertur ausus esse ferre legem, si quis oculum lusco excusserit, illi contra utrumque eripiendum: ut pari calamitate utrique conflictentur. Et hanc solam legem sanxisse feruntur Locrenses amplius quam ducentis annis. At vestri oratores, judices, primum singulis fere mensibus, leges sibi ipsis conducibiles ferunt. Deinde ipsi homines plebeios in carcerem ducunt, quando cum potestate sunt, idem jus in se valere non patiuntur. Denique Solonis leges olim approbatas, quas majores nostri sciverunt, ipsi abrogant: suis, quæ lædendæ reipublicæ sunt, vos uti oportere censent. Nisi igitur istos punieritis, primo quoque tempore multitudo belluis istis servire cogetur. Neque vero vos præterit, judices, si acriter animadvertatis, minus eos improbos futuros: sin minus, multos fore petulantes, qui dum vestri studium et reipublicæ simulant, vos ludificentur.

36. Ut autem de ea lege aliquid dicam, quam eum exempli vice allaturum audio, ac dicturum, se illam imitatum et secutum, qua contineatur: Non vinciam ullum Atheniensem, qui vades dederit tres, ejusdem census, nisi quis ad urbem prodendam, aut popularem statum abrogandum conspiraverit, aut emptor vectigalium, aut sponsor, aut coactor, pecuniam non numerarit: audite me de hac etiam. Non enim dicam, ipsum Androtionem in carcerem cives duxisse, et vinxisse, hac lege non abrogata: sed illud edocebo vos, quamobrem hæc lex lata sit. Est enim constituta, non in eorum gratiam, de quibus judicium factum est, qui causam in prætorio dixerunt, sed propter eos, qui nondum in judicium venerunt, ne aut propter vincula suam causam incommodius agant, aut prorsus imparati circumveniantur: iste vero, quæ his, qui causam non dixerunt, patrocinantur, quasi ad omnes pertinerent, apud vos dicturus est. Sic autem ego rem explicabo, ut me vera loqui, evidenter intelligatis. Nec enim si ita esset, judices, vobis liceret pronunciare, quid sit luendum, aut solvendum: nam luendi verbo etiam vincula continentur. Non igitur, inquam, licuisset vinculorum meminisse, neque quos alicui liceat deferre aut abducere, in legibus adscriptum fuisset, d e l a t u m v e r o a u t a b d u c t u m v i n c i u n t o u n d e c i m v i r i i n c a t a s t a, si non licuisset alios, nisi qui ad prodendam urbem, aut ad popularem statum abrogandum conspirassent, aut vectigalium redemptores, qui pecuniam non numerassent, vincire. Nunc hæc certissima vobis argumenta sint, licere vincire. Quia alioqui mulctæ prorsus irritæ forent. Deinde scriptum illud, Athenienses, ipsum per sese non est lex, neque vinciam ullum Atheniensium: sed in jurejurando senatorio continetur, ut ne oratores in senatu civem aliquem per conspirationem in vincula conjiciant.

Solo igitur, ut senatui vinciendi potestatem adimeret, hanc appendicem adjecit, ad senatorium, non ad vestrum jusjurandum pertinentem. Nam summam judiciorum voluit esse auctoritatem, et quicquid ea decrevissent, id damnato esse perpetiendum. Et ob hoc ipsum vobis Heliastarum jusjurandum recitabitur. Lege tu.

JUSJURANDUM HELIASTARUM.

Pronunciabo secundum leges, et decreta populi Atheniensis, et senatus quingentorum, tyrannidem vero, aut paucorum dominatum, mea sententia non comprobabo: neque si quis populi Atheniensis libertatem oppresserit, aut quicquam contra hæc dixerit, aut decreverit, concedam: neque novas tabulas privatim, neque agrorum Atheniensium divisionem, nec ædium, neque exsules revocabo, neque capitis damnatos, neque eos qui manent expellam contra leges receptas, et decreta populi Atheniensis, et senatus, neque egomet ipse, neque alium sinam: neque magistratum creabo, ut is imperet antequam de alio gesto magistratu rationes retulerit, sive sit novemvir, sive pontifex, sive quicunque cum novemviris eodem die creantur, sive præco, sive legatus, sive assessor, neque bis eundem magistratum eundem virum, neque binos magistratus eundem gerere sinam eodem anno: nec accipiam munera propter Heliæam, vel ipse ego, vel quisquam alius mihi, vel alii me conscio, non fraude non machinatione ulla: et natus sum annos non pauciores, triginta: et audiam tum accusatorem tum reum æquo animo ambos, et sententiam de eo feram quod est in controversia positum. Adjuro Jovem, Neptunum. Cererem. Et ipse mihi exitium imprecor et familiæ meæ, si quid horum neglexero et violaro: sin bona fide præstitero, præclara mihi et bona multa eveniant.

Hic vero non inest, judices, neque vinciam ullum Atheniensium. Nam judicia sunt, quæ omnes causas judicent, et his potestas datur, et vincula, et quamvis aliam mulctam infligendi. Licere igitur vobis damnare vinculis, per hæc ostendo: res autem judicatas rescindere, et iniquum et nefas esse, et status popularis eversionem, inter omnes constare opinor. Nostra enim urbs, judices, legibus et decretis regitur. Si quis autem ea quæ suffragio judicata sunt nova lege abrogarit, qui finis reperietur? Lex ea dicenda potius erit, an legum interitus? An non gravissimum supplicium talis legislator meretur? Extremum mea quidem opinione, non modo quod hanc legem tulit, sed quia viam ostendit aliis et tollendi judicia, et exsules revocandi, et atrocissima quæque conficiendi. Quid enim prohibet, judices, si nunc iste triumphans discesserit, tali lege perlata, quo minus alius exoriatur, qui summum aliquod reipublicæ præsidium nova lege demoliatur? Equidem opinor nihil. Siquidem audio prius etiam sic popularem statum fuisse oppressum, cum primum violatarum legum accusationes sublatæ essent, et perempta judiciorum auctoritas. Fortassis autem aliquis objecerit, me dissimili horum et illorum temporum statu, de oppressione libertatis loqui. Atqui, judices, etiam talium rerum semina spargere in republica nemo debet, et si nunquam exoritura sint: sed quisquis tale quicquam vel dicere, vel agere instituerit, puniendus est.

37. Quam callide autem vobis nocere decreverit, operæ pretium est audire. Nam cum videret omni tempore et proceres et plebeios omnes sentire, leges causas esse publicæ felicitatis, secum meditatus est, qua ratione illas, animadvertente nemine, destrueret; in quo facinore si deprehenderetur, ne tamen inique aut impudenter admisisse quicquam videretur. Id igitur facturus quod fecit, rationem invenit eam, ut lege leges everteret, ut ejus injuriæ beneficii pernicies salutis nomen adipiscerentur. Nam et quæ rempublicam conservant, sunt leges: et quam iste tulit, cum his nulla ex parte consentientem, lex. Nominis igitur humanitatem, quam vos maxime amplectimini, perspexit: idemque quod in experiundo contrariam vim esset habitura, despexit. Age vero, per deos, estne vel præses aliquis, vel senator qui tale quid unquam approbarit, qualia in ista lege continentur? Ego neminem esse puto. Id igitur quomodo est suffuratus? Suis sceleribus legis nomen imposuit. Nec enim stolide, aut temere, sed sobrii et præmeditati accedunt ad vos lædendos, atque hoc ipsum agunt non isti solum, sed et multi magistratuum, qui mox huc progressi isti patrocinabuntur, non medius fidius ut Timocrati gratificentur: cur enim? Sed quia unusquisque legem hanc e re sua esse putabit. Quemadmodum igitur isti mutuas ad vos decipiendos tradunt operas, sic et vos ad vestri defensionem conspirare debetis. Proinde cuidam interroganti, quamobrem talia scribere voluisset, et periculosam hujus judicii aleam sibi videri, commemoranti respondit, delirare eum, qui illa diceret: se enim Androtionem defensorem habiturum, atque per otium tales orationes invenisse de rebus omnibus, ut satis sciret, actionem hanc sibi minime fraudi futuram. Itaque mirabar impudentiam tum istius, tum illius: istius, si advocarit eum, illius, si vocatus accesserit, et defendet. Nam ex eo palam apparebit, legem istam in ejus commodum esse latam, non propter civium communitatem.

38. Præstiterit tamen vos de illius actis in republica quædam audisse, et ex illis ea quorum socius iste fuit: propter quæ iste non minore quam ille odio dignus est. Dicam autem nihilo plura quam vos audivistis, nisi forte vestrum aliqui judiciis Euctemoni dictatis non interfuerunt. Ac primum, id quod ei maximos animos facit, ejus pecuniæ exactionem excutiamus, qua vos omnes cum isto bono viro divexavit. Nam accusato Euctemone, quasi is vestra tributa detineret, atque pollicitus, se id vel ostensurum, vel de suo depensurum, decreto magistratum qui sorte obvenerat abrogavit, per eamque speciem ad exactionem obrepsit, istumque designavit, corporis infirmitatem causatus: ut, inquit, in administratione me adjutet. Habitis deinde his de rebus concionibus, trium rerum vobis optionem dari dixit, aut enim sacra vasa conflanda esse, aut denuo tributa pendenda, aut æs alienum exigendum; cum autem

vobis placuisset, sicuti par erat, æs alienum potius exigi, spe vos subducens, et auctoritate fretus, quam per illa tempora nactus erat, receptis legibus utendum sibi esse non censuit, aut, si quid in his desideraretur, alias rogandas, sed apud vos decreta fecit acerba, et legibus contraria, per quæ suo quæstui consulebat, isto sordium conciliatore utens, et multa vobis furabatur. Hoc adjutore undecimviros et quæstores urbanos, et ministros comitari se decreto jubebat, deinde iis satellitibus vestras ædes invadebat. Et tu, Timocrates, solus e collegis, quorum numero decem erant, eum assectabare. Neque vero me quisquam putet dicere, non exigendum fuisse æs alienum. Fuit enim exigendum. Sed quomodo? Ut lex jubet, aliorum causa. Nam hoc populare est. Neque enim tantum, Athenienses, quinque talenta per istos extorta vobis profuerunt, quantum tales consuetudines in urbem introductæ nocuerunt. Nam si spectare velitis, quamobrem aliquis in democratia vivere malit quam in oligarchia, hoc statim ante omnia in promptu erit, quod in Democratia omnia sunt humaniora. Istos autem multo petulantiora et crudeliora designasse, quam in ulla uspiam oligarchia fieri soleant, præteribo: sed quando unquam in urbe nostra maxima inhumanitas grassata est? Nec sub triginta tyrannis, omnes vos dicturos compertum habeo. Tum enim nemo fuit, cui non conservare vitam licuerit, si se domi abdidisset. Sed ob hoc triginta tyrannos accusamus, quod homines in foro, per injuriam comprehensos, violenter abducebant. Isti autem tanto illorum improbitatem intervallo superarunt, ut in democratia rempublicam gerentes, adductis undecimviris, suas cuique ædes in carcerem converterent. Quid igitur animi habuisse censetis, judices, hominem pauperem, atque adeo divitem etiam, sumptibus exhaustum, imo etiam aliqua fortasse probabili de causa præsenti pecunia carentem, cum non modo in forum progredi non liceret, sed nec domi se tuto manere posse cerneret, earumque rerum auctor esset Androtio, quem sua facinora et anteactæ vitæ ratio, nec sibi factas injurias ulcisci judicio, nedum nomine civitatis tributa colligere patiebantur? Atqui si quis eum interrogaret, aut te, Timocrates, laudatorem istorum et administrum, corpora ne tributa debeant, an possessiones, possessiones diceti, si modo fateri vera volueritis. Nam de his tributa pendimus.

39. Cur igitur, mortalium omnium improbissimi, omissa prædiorum et ædium publicatione, et talium rerum proscriptione, vinciebatis, et contumeliis afficiebatis homines cives, et miseros inquilinos, quibus vos libidinosius insultastis, quam vestris mancipiis? Atqui si apud vos ipsi consideretis, judices, quanti referat ingenuum esse, an servum, illud maximum discrimen reperietis; quod servi quicquid commiserunt, corpore luere coguntur, ingenui autem hoc

ultimum puniri debet. Isti vero contra, pœnas corporibus civium, quasi mancipia essent, inflixerunt, ac tam inique, tam impotenter vobiscum egit Androtio, ut patrem suum æris alieni causa in carcere publice vinctum, oportere censuerit, eo nec dissoluto, nec judicio liberatum, aufugere: reliquorum civium, si quis sua debita numerare non posset, eum ex ædibus suis in carcerem a se ductum vinciri. Et Timocrates a nemine prorsus nostri ordinis plebeio homine, cum duplum extorqueret, vades accipere voluit, non modo non ad nonum senatus conventum, sed ne ad unum quidem diem, sed aut dupla pecunia annumeranda erat, aut vinciri statim oportebat, atque undecimviris iste judicio non convictum eo tempore tradebat: nunc vero, ut quos damnaveritis, hi liberi obambulent, legem ferre non dubitavit, eamque cum suo periculo. Sed tamen et hæc et illa se vestri fecisse studio dictitabunt. Vos igitur concedetis in vestram gratiam ea esse facta, et audacia atque improba istorum facinora æquis animis feretis? Atqui odio vestro potius quam vita digni sunt id genus homines. Nam qui aliquid publico nomine administrat, et vestram clementiam experiri studet, eum hujus civitatis moribus præditum esse decet. Ii vero qui sunt? Imbecillium misereri, firmorum et potentium petulantiam coercere; non crudeliter grassari in plebem miseram, semper adulari et colere potentiores. Id quod tu facis Timocrates. Ob quæ merita hi merito, ne audita quidem excusatione tua, morte potius te mulctarent, quam in gratiam Androtionis dimitterent.

40. Jam eos nec in exigendo ære alieno vestrum spectasse commodum, id quoque vobis statim declarabo. Si quis enim vos roget, utrum nocentiores reipublicæ putent agricolas et parcos, qui propter educandam sobolem domesticosque sumptus, et alia munera publica, tributa non præstiterunt, an vero qui pecuniam eorum qui conferre voluerunt, et a sociis nostris acceptam, furantur et perdunt; non tanta futura est, quamvis frontem perfricuerint, eorum audacia, ut dicant magis esse injurios qui sua retineant, quam eos qui rempublicam depeculentur. Qui fit igitur, Timocrates, et Androtio, cum amplius triginta sint anni, ex quo vestrum alter quidem in republica gerenda versatur, et hoc spatio temporis multi duces urbem læserint, multi item oratores, qui apud hos causam dixerunt, quorum alii ob scelera interfecti sunt, alii voluntario exsilio, stimulante scelerum conscientia, sese imminenti exitio eripuerunt, ut neminem talem alteruter vestrum accusarit, aut saltem dolere se de injuriis civitati factis ostenderit? Hic quidem vos nostri gessisse curam apparet, cum multi exagitandi fuerunt. Horum factorum causam requiritis, Athenienses? Dicam vobis. Ex injuriis, quibus vos quidam afficiunt, fructum ipsi una capiunt, et de tributis suffurantur, et ob avaritiam inexplebilem bifariam fruuntur republica. Neque enim ex-

peditius est multorum et minutis in rebus, quam paucorum et in magnis delinquentium suscipere inimicitias: neque popularius scilicet, multitudinis, quam paucorum quorundam peccata cernere. Sed in causa hoc est, quod ego dico. Vos igitur his animadversis, animoque infixis, quicunque peccarit, eum ubi deprehensus fuerit, punietis, neque quantum temporis intercesserit, considerabitis, sed utrum talia fecerint. Nam si nunc æquis feretis animis ea, quæ tum ægre ferebatis, per iracundiam illos, non ob factas vobis injurias, mulctasse vos putabunt. Nam iratorum est, eum a quo molestiis affecti sint, subito impetu ulcisci: læsorum, quandocunque sontem nacti fuerint, tum in eum vindicare. Non igitur decet, ut nunc deliniti, tum dato jurejurando neglecto, vobis ipsis præter jus et æquum gratificati esse videamini: odio prosequendi sunt, neque audienda vox est eorum qui rempublicam hoc modo gesserunt.

41. At hercule, in his solis functionibus tales sese præbuerunt, alia vero sunt, quæ recte administrarint? Imo in aliis rebus tales in vos exstiterunt, ut ob hæc quæ audivistis, minimo sint odio digni. Quid enim a me dici vultis? Sacra vasa quo modo refecerint? Et ut coronas destruxerint? Aut elegantem illam phialarum confectionem? Nam vel ob hæc, si nulla re alia rempublicam læsissent, ter, non semel mihi commeruisse mortem videntur. Nam et sacrilegii, et impietatis, et peculatus, et omnium atrocissimorum scelerum rei sunt. Multa igitur ex his orationibus, quibus vos decepit Androtio, prætermittam. Sed folia coronarum fluxa esse et vetustate putrefacta dixit, quasi vero violacea illa essent, aut rosacea, non aurea, vobisque persausit, ut eas conflaretis. Eo munere sibi credito, istum omnium scelerum socium sibi allegit. Ac postea in exigendis tributis, oportere ministrum publicum adesse censuit, ad abstinentiam suam ostentandam, cum unusquisque illorum qui tributa pependerant, sibi ipse rescriptor futurus esset: in coronis autem quas concidebat, idem jus non adhibuit, sed ipse orator, aurifex, quæstor, rescriptor exstitit. Enimvero si postulasses, ut tibi de omnibus publicis functionibus fides haberetur, tua furacitas non perinde fuisset deprehensa: nunc in exigendis tributis, id quod æquum fuit, definiisti, non habendam esse tibi fidem a civitate, sed ministris publicis, quum autem aliud quippiam agis, cum res sacras commoves, quarum pleræque nec ætate nostra consecratæ sunt, eandemque cautionem, quam in tributis exigendis adhibuisti, non adscribis, nonne jam constat, quamobrem id feceris? Ego quidem opinor. Atqui, Athenienses, considerate, quam præclaris, et ad omnem posteritatem honorificis inscriptionibus sublatis, quam impias et inhumanas reposuerit. Arbitror enim scire vos omnes, sub coronarum modiolis scriptum fuisse, socii populum Atheniensem fortitudinis ergo coronarunt et justitiæ: aut, socii

præmium hoc Minervæ consecrarunt: aut oppidatim, hi vel illi populum coronarunt, servati a populo, veluti, Eubœenses servati et in libertatem asserti coronarunt populum. Alibi alicubi adscriptum fuit, Cono de navali prælio Laconico. Chabrias de navali prælio Naxio. Nam tales fuerunt coronarum inscriptiones. Ea igitur quæ nobis honori dudum fuerunt, et admirationem pepererunt, destructis coronis sunt abolita: phialis autem, quas iste ganeo vobis illorum loco procuravit, inscriptum est, Androtione curante factæ sunt. Et cujus corpus stupris inquinatum, ingredi templum leges vetant, ejus nomen in sacris templorum vasis est inscriptum. Quidni vero simile istud esset veteribus inscriptionibus et æque honorificum reipublicæ? Tria igitur hinc constat eos maxime nefaria perpetrasse. Nam et deam coronis spoliarunt: et urbis illam facinorum celebritatem et admirationem, quarum coronæ monimenta fuerant, aboleverunt: et his qui coronas dedicarant, non parvam gloriam sustulerunt, quo minus acceptorum beneficiorum memores ac grati esse videantur.

42. Quamvis igitur talia et tanta mala fecerint, tamen ita insignis eorum stupor est et impudentia, ut et iste propter illum se impune speret abiturum, et ille assideat, nec intueri lucem vereatur, his rebus gestis. Est autem non ita modo impudens in pecunia rapienda, sed etiam ita stultus, ut ignoret illud, coronas esse virtutis signum, phialas vero, et pocula, et ejus generis alia, divitiarum; et coronam quamvis, tametsi pusilla sit, æque honorificam esse, ut magnam: sed pocula, aut acerras, aliaque generis ejusdem vasa, si permulta fuerint, opinionem quandam opulentiæ possessoribus conciliare, sin ob minuta superbieris, tantum abesse, ut propterea quicquam existimationi tuæ accedat, ut etiam ineptus esse videaris. Iste igitur gloriæ possessiones sustulit, opulentiæ reposuit, minutas, et vobis indignas. Ac ne illud quidem animadvertit, populum nunquam de pecunia cumulanda vehementer laborasse: de acquirenda vero gloria sic, ut de nulla re alia. Id quod ex eo cernitur, quod cum aliquando maximam inter omnes Græcos pecuniam haberet, eam omnem honoris augendi studio insumpsit: ac gloriæ causa tributa conferre de suo voluit, neque ullum periculum unquam detrectavit. Unde possessiones immortales sibi comparavit, partim rerum gestarum memoriam, partim donariorum, quæ propter illas dedicata sunt, præstantiam, propylæa hæc, ædem Minervæ, navalia, porticus: non urceolos duos, aut aureos caliculos quatuor aut tres, libræ pondere singulos, quos cum tibi visum fuerit, denuo conflandos esse decernes. Nec enim decimas a civibus exigendo, neque ea quæ hostes eis imprecati essent factitando, aut dupla tributa extorquendo, hæc consecrarunt, neque tui similibus consiliariis utendo rempublicam gesserunt: sed hostibus superandis, et iis rebus ge-

rendis, quibus nec optari meliora possint, atque inter cives concordia conciliata, immortalem sui memoriam reliquerunt, eos vero qui ita vixerant, ut tu hactenus studio tibi habuisti, foro prohibuerunt. Vos autem, Athenienses, in eam adducti estis et facilitatem et ignaviam, ut exempla talia cum habeatis, ea tamen non imitemini, sed Androtio vobis sacrorum vasorum sit refector: Androtio, o dii immortales. Et hanc ulla impietate alia minorem ducitis? Ego enim arbitror, qui sacras ædes ingrediatur, qui malluvia et canistros attingat, qui curæ divinarum rerum præsit: eum non modo ad certum aliquot dierum tempus castum esse debere, sed per omne spatium ætatis ab istiusmodi studiis fuisse purum oportere, in quibus ætatem iste consumpsit.

43. Ac de his quidem per otium: cum vero de his quæ pro defensione Timocratis iste allaturus est, plura etiam dicenda haberem præter hæc, desinam. Quem, tametsi inutilem vobis hanc esse legem, et contra omnes leges inculcatam, et ab omni parte iniquam, negare non posse compertum habeo: dicere tamen audio pecuniam illam solvisse Androtionem, Glaucetem, et Melanopum; proinde omnium iniquissime secum actum iri, si nihilominus ipse damnetur, cum illi fecerint quicquid æquum est, pro quibus eum tulisse legem hanc criminemur. Mihi vero nullo modo concedendum ei videtur hoc effugium. Nam si fateris te pro istis tulisse legem, quos officio functos esse dicis, eo nomine te damnari aperte oportet, quod receptæ leges, secundum quas hi se pronunciaturos jurarunt, omnino interdicunt, ne qua lex, nisi quæ ex æquo ad omnes cives pertineat feratur: sin te bonum publicum spectasse rogatione tua dices, noli solutionis istorum meminisse,—quæ ab ista lege prorsus aliena est—, sed legem ipsam e republica esse, recteque esse latam, id doceto. Nam hoc illud est, cujus gratia et tu te tulisse dicas, et ego qui contrarium de ea sentiam, accusarim, et de quo his sententia sit ferenda. Quanquam autem id quoque ostendere possem, quidvis eos fecisse potius, quam æs alienum, ita ut leges jubent, dissolvisse. Quia tamen vos ea de re judicaturi non estis, quorsum attinet me vobis eo commemorando nunc obturbare?

44. Arbitror præterea fore, ut nec his sermonibus abstineat, cum ipse scripserit, ne quis Atheniensis vinciatur, inique secum actum iri, si mali quippiam ipse ferat; et, ut leges quam lenissimæ sint et moderatissimæ, e re tenuissimorum esse in primis. Operæ pretium fuerit igitur, vos omnes, ut ne fuco isto verborum decipiamini, prius aliquid audivisse. Nam si dixerit, ut nequis Atheniensium vinciatur: ne vos prætereat, eum mentiri. Neque enim hoc rogavit, sed illud, ut exigendæ mulctæ auctoritas vobis adimeretur, utque suffragium, cum jurejurando, disceptatione et judicio latum, irritum efficeret. Neque ea verba e lege seligat, quæ sunt humanissima auditu, sed

totam legem ordine ostendat, et quæ eam consecutura sunt, considerari patiatur. Rem enim ita se habere, ut ego dico, non ut iste, reperietis. Quod igitur ad legum lenitatem et moderationem, quæ plebi sit conducibilis, attinet, hæc cogitanda sunt. Duo habentur, Athenienses, genera rerum, propter quas in singulis urbibus legum adminicula requiruntur. Alterum, quo de consuetudine vitæ, de contractibus, de privatis negotiis, atque adeo de consociatione et communitate inter nos ipsos quid sit agendum constituimus: alterum, quo pacto unusquisque nostrum paratus et affectus esse debeat erga rempublicam, si eam administrare instituerit, seque curam suscepisse civitatis profiteatur. Illas igitur privatorum contractuum leges, e re plebis est, esse lenes et humanas: contra, quæ in magistratus latæ sunt, eas esse acres et severas vobis expedit. Sic enim reipublicæ gubernatores vos minime injuriis afficient. Proinde cum istam causam adducet, sic ei occurrite: leges eum humanas reddere, non has quæ vobis defendendæ sint, sed illas, quæ terrorem magistratibus incutiant.

45. Multa dicenda restarent, si quis ostendere vellet omnia, quæ iste imposturæ fucique faciendi causa, in medium allaturus est. Sed maxima ego parte omissa, summam eorum quæ tenenda vobis sunt, recensebo. Considerate in verbis ejus omnibus, quæcunque dixerit, nunquid afferre tale queat, quo doceat, fas esse, ut legislator de præteritis eadem et jam antea absolutis fieri jubeat, atque de instantibus et futuris. Nam cum omnia in lege perscripta, turpia sint et iniqua, hoc omnium iniquissimum, et legibus inimicissimum inseruit. Quod si neque iste, neque quisquam alius ostendere poterit, sciendum erit, minimeque dubitandum, vos decipi: atque cum animis vestris cogitandum, quamobrem isti tandem ad hunc modum ferre legem in mentem venerit. Non gratis nimirum, Timocrates, legem istam tulisti, non sane gratis, neque parva utique mercede conductus. Neque enim ullam causam aliam ostendere queas, quæ te ad legem istam rogandam impulerit, nisi tuam diis invisam et flagitiosam avariciam. Neque enim familiaris, neque cognatus, neque necessarius istorum quisquam tibi fuit: neque illud dicere queas, te calamitosorum hominum vicem misertum, propterea illorum suscepisse defensionem. Neque enim quod isti tribus damnati judiciis, vix tandem coacti debitam reipublicæ pecuniam solverunt, id indigna pati visum tibi est—nam id quidem est indigna facere, ac tale, quod iracundiam potius moveat, quam ad misericordiam adhortetur—, neque vero tanta est tua præter ceteros humanitas et clementia, ut te unum omnium, calamitosorum potissimum miserescat. Non enim ejusdem est ingenii, misericordia moveri Androtionis, Glaucetæ, et Melanopi, si furto ablata restituere cogantur: cum vero horum aliorumque civium tanta esset multitudo, quorum ædes ex-

pugnabas tu, adductis undecimviris, et tribunis ærariis, atque lictoribus, neminis unquam esse misertum, sed et januas convellisse, et cubilia surripuisse, et, si quis ministram haberet, cum qua consuesset, eam pignerasse. Quæ tu annum perpetuum factitare cum Androtione haud destitisti. Multo enim profecto graviora vos, judices, ferebatis, et tu multo æquius misertus esses horum, exsecrande, qui propter vos oratores deglubuntur perpetuis exactionibus. Neque id satis est, nisi etiam duplum ab eis exigatur, idque per te, et per Androtionem; qui nihil unquam in ærarium de vestris opibus intulistis. Tanta vero est istius hominis arrogantia, ut se horum facinorum pœnas non esse daturum putet, solus quidem, cum ejus collegæ sint decem, cum Androtione communiter inscribere rationem non dubitavit. Gratis enim vestra (si diis placet) nullo suo fructu Timocrates odia quærit, et leges infert omnibus contrarias, postremo etiam suæ priori legi adversantes; quam equidem nec vos latere puto.

46. Quod vero mihi maxima videtur iracundia dignum, id dicam, et non dissimulabo; quod, Athenienses, cum propter nummos ista suscipiat, cumque sibi omnino imperarit mercenarias locare operas, non in ea, quibus auditis, veniam ei det aliquis, impendit. Cujusmodi ea sunt? Pater istius, judices, ærarius est—neque id exprobrandi causa dico, sed necessitate coactus—, quem bonus iste vir negligit. Quod si is ad quem illius ignominiæ reditura est hereditas, si quid patri acciderit, tamen solvendam esse mulctam non censet, sed illius temporis quod pater vixerit, usuram esse lucrifaciendam, qua tandem abstinere corruptela posse videatur? Patris quidem nec te miserescit, nec inique cum eo agi putas, si, te accipiente et collocupletato, e tributis quæ exegisti, e decretis quæ scribis, e legibus quas rogas, ipse jure civitatis spolietur parvæ pecuniæ causa, et tamen aliorum quorundam vicem dolere te ais. At sororis medius fidius præclare curam gessit? Imo si nihil aliud deliquisset, vel ob id solum dignus esset exitio. Eam enim vendidit, non elocavit. Vestrorum enim hostium uni, Corcyræo cuidam, urbis imperium nunc cum aliis obtinenti, qui apud istum divertit, quoties apud vos legatione fungitur, eamque accipere voluit—quo pacto autem prætermittam—, nummis acceptis tradidit. Proinde puella Corcyræ nunc est. Qui igitur sororem peregre abducendam elocasse sese dicit, reipsa vendidit, qui sui parentis senectutem ita fovet, qui assentatur aliis, qui mercede et leges et decreta facit, et rempublicam administrat, eum vos nacti non perimetis? Apparebit certe, Athenienses, judiciis et negotiis vos delectari, non velle hominibus improbis liberari.

47. Neque vero mihi dubium est, quin interrogati, puniendos esse omnes improbos fateamini: sed istum tali lege in plebis perniciem inculcata, gravissimum supplicium mereri, ego docere conabor. Furum enim et grassatorum et aliorum facinorosorum, primum ei nimirum duntaxat quisque nocet, in quem forte inciderit, neque illorum quisquam omnes vel furto, vel rapina spoliare possit: deinde suam duntaxat existimationem et vitam dedecore commaculat. Si quis vero legem rogat, qua perlata, quibusvis lædendi vos omnis licentia et impunitas proponitur, is universæ reipublicæ vim et injuriam facit. Flagitiosa enim lex, urbis ejus in quam recipitur, est publica ignominia et dedecus, nocetque omnibus his qui ea utuntur. Eum igitur qui et nocere vestris commodis, et vos infamia complere conatur, eum, inquam, vos nacti non punietis? Quid vero dicetis? Intelligetur autem rectissime, quantas res, ista lege scribenda, quibus insidiis sit complexus, easque recepto statui civitatis quam contrarias, si hoc consideretur, omnes qui libertatem populi sunt oppressuri, cum novas res moliuntur, hoc facere. Primum omnium veteres leges aliqua lege destruunt, ut ne legibus pœnas dare suorum scelerum sit necesse. Nonne igitur triplici, non una morte, si fieri posset, mulctandus esset? qui cum sit unus, et vos utique non sit oppressurus, sed contra ipse potius apud vos (modo, ut æquum est, officium facere velitis) periturus, tamen id facinus imitatus est, et lege sua eos solvere voluit, quos judicia vinxerunt; cum impudenter scripserit, si quis vinculis sit damnatus, aut in posterum damnandus, ut is dimittatur. Atqui si clamorem subito circa prætorium sublatum audiretis, atque aliquis diceret, reclusum esse carcerem, vinctosque aufugere, nemo ita neque juvenis, neque senex, neque socors est, qui non pro viribus opitularetur. Sin quis progressus diceret, istum esse qui eos dimisisset, statim abreptus indicta causa haud dubie occideretur. Nunc, Athenienses, habetis istum, qui hoc non clanculum fecit, sed per fucum vobis et imposturam legem aperte obtrusit, quæ non modo aperit, sed etiam evertit carcerem, et judicia etiam est complexa. Quis enim vel horum, vel illius erit usus, si damnati vinculis, solventur, et si quem deinceps damnaveritis, nihil ea re proficietis?

48. Illud igitur vobis etiam est considerandum, multos Græcorum sæpe decrevisse, vestris utendum esse legibus: id quod vobis laudi haud injuria ducitis. Nam verum illud mihi videtur, quod quendam apud vos dixisse ferunt: omnes cordatos in ea esse sententia, ut leges nihil aliud esse putent, quam mores civitatis. Danda igitur est opera, ut eæ quam optimæ esse videantur, et pœnas dent quicunque illas labefactant, et pervertunt. Quod si negligetis, tum laus hæc vestra minuetur, tum urbi existimatio non bona conciliabitur. Cum vero Solonem et Draconem jure laudetis, quanquam neutrius publicum aliquod beneficium aliud exstet, nisi quod conducibiles et præclaras leges tulerunt, æquum profecto est, vos iis qui leges ferunt illorum legibus contrarias, irasci, et pœnas irrogare. Scio

autem, Timocratem legem istam tulisse, non minimam partem suapte causa; multa enim in gerenda republica se carcere digna admittere, ipse censuit.

49. Illud etiam vobis recitabo, quod Solonem aliquando dixisse ferunt apud judices, in eo accusando qui legem perniciosam rogarat, in hanc sententiam; receptum esse in universum apud omnes civitates, qui monetam adulterarit, ut morte mulctetur. Deinde interrogasse judices, num eis ea lex justa et laudabilis videretur. Qui cum videri sibi respondissent, subjecisse, putare sese, argenti monetam privatorum contractuum causa repertam inter cives: leges autem monetam esse reipublicæ. Judices igitur oportere, multo magis si quis eam quæ civitatis moneta sit corrumpat, odisse et punire, quam si quis eam quæ sit hominum privatorum. Atque ut intelligerent, haud dubie majus esse delictum corrumpere leges, quam adulterare monetam, addidisse: multas civitates quæ haud dissimulanter argento, quod sit ære et plumbo contemperatum, utantur, tamen esse incolumes, nec ullum ex ea re capere detrimentum: at si qui perinde legibus adulterinis usi receptas corrumpi siverint, eorum nullos unquam non internecione periisse. Huic igitur crimini etiam Timocrates nunc est obnoxius, et eam jure a vobis æstimationem nunc auferet, quam commeruit.

50. Ac vero irascendum est omnibus, qui leges turpes et improbas ferunt, tum vero his imprimis, qui eas leges corrumpunt, a quibus vel magnitudo urbis, vel humilitas pendet. Hæ vero quæ sunt? Tum quæ injurios puniunt, tum quæ bonis et justis honorem habent. Nam si omnes de republica bene mereri studeant, honoribus et præmiis quæ propterea dantur incitati, et omnes maleficiis ac injuriis abstineant, detrimenta et supplicia sceleribus constituta metuentes, quid prohibebit rempublicam nostram esse amplissimam et florentissimam? Nonne tot triremes, quot nulla alia Græca civitas possidet? Non legiones? Non equites? Non reditus? Non loca? Non portus? Hæc vero omnia quæ res tuetur et continet? Leges. Nam cum civitas legum præsidiis administratur, hæc utilia sunt reipublicæ: sin contra fiat in republica, si bonis viris nulla virtutis præmia sperare liceat, si facinorosorum tanta sit impunitas, quantam eis lege sua Timocrates proposuit, quanta quæso vos perturbatio secutura est? Satis enim scitis harum quas modo recensui copiarum, ne si duplicentur quidem, ullam fore utilitatem. Quum autem iste lege sua vobis nocere conetur, qua fit, ut hi quibus in animo est malefacere, impuniti maneant: propter hæc omnia quæ diximus, irascendum ei est, et supplicium infligendum, ut ejus exemplo alii sint ad injuriam tardiores: nam talibus leni animo parcere, aut etsi damnetis, exiguam tamen eis mulctam irrogare, non aliud est, quam consuefacere atque instituere quam plurimos, ne vos injuriis afficere vereantur.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS CONTRA ARISTOGITONEM.

Pythangelus et Scapho, conspicati Hieroclem ferentem sacras vestes, quibus etiam aurea scriptura inerat, eorum qui dedicarant, nomina significans, ad senatum abducunt, ut sacrilegum. Qui cum eum postridie in concionem duxisset, ille se a sacricula missum eas accepisse dicit vestes, ut ferret ad sacram venationem. Tum Aristogito decretum facit, primum sine senatus auctoritate, deinde atrocissimum, quo jubet, si fateatur se vestes extulisse, eum interfici statim, sin neget, judicium de eo fieri: ejus decreti ea vis erat, si fateretur verum, ut mox occideretur, sin iret inficias, ut paulo post idem pateretur. Id decretum ut contra leges factum cum accusasset Phanostratus Hieroclis rei pater, socio Demosthene, condemnat ut contra leges factum: judices litem æstimant Aristogitoni quinque talentis. Hoc primum æs alienum contrahit Aristogito. Deinde cum Hegemonem accusasset, et causam in judicium deduxisset, quinta suffragiorum parte non accepta, mille drachmis est mulctatus. Cum autem mulctam intra præfinitum tempus non solvisset, ex lege duplicatæ sunt mulctæ, et decem talenta facta, et bis mille drachmæ. Pro hac pecunia suum quoddam prædium reipublicæ transcribit, idque prædium Eunomus emit, frater ejus, spatio reddendi æris alieni postulato, ut decem annis universum dissolveret, quotannis convenienti parte numerata. Ac duas quidem pensiones præstitit, talenta duo, et drachmas quadringentas. Reliqua debentur talenta octo, mille drachmæ et sexcentæ. Cum igitur Aristogito dicendi habere sibi potestatem videretur, et non jam ærarius esse, debitore pro se constituto reipublicæ, et accusabat multos, et concionabatur, legibus eum qui ærario deberet, antequam solvisset, ignominia notantibus. Quapropter eum Lycurgus reum fecit, ut qui conciones haberet, cum id ei facere non liceret. Quia vero nondum ex arce deletus erat Aristogito, sed mulcta etiamnum inscripta, et tamen emptor prædii debitor constitutus fuerat, oritur quæstio, utrum emptor prædii duntaxat debeat, an vero is etiam, qui primus æs alienum conflarit, eo usque dum solutum id fuerit? Atque hæc de duplici debito controversia est. Aiunt autem accusatores, eum et tertiam debere mulctam ærario. Id quod Aristogito non concedit, seque per injuriam inscriptum esse asserit, propterea que diem Aristoni dixisse inscriptori. Demosthenes autem et Lycurgus, justane an injusta fuerit inscriptio, in medio relinquunt, sed aiunt, si Aristogito Aristonem vicerit, tum Aristogitone expuncto, illum ex lege inscriptum iri: priusquam autem de re judicium fiat, non decere eum in publico verba facere, qui jure fortasse sit inscriptus, et falso accuset Aristonem. Et hæ sunt hujus causæ quæstiones; de quibus conflixit Lycurgus, cum priores in dicendo partes obtineret. Demosthenes autem breviter eas omnino attigit, ut ante occupatas: totaque ejus oratio vitæ Aristogitonis accusationem continet.

Dionysius Halicarnasseus non recipit has orationes pro Demosthenicis, conjectura ex genere dicendi capta. Alii dicunt de industria oratorem tali forma esse usum, æmulatione Lycurgi gloria florentis apud Athenienses: alii, cum ratione ætatis primas in dicendo partes obtinuisset Lycurgus, et omnibus ipse argumentis fuisset abusus, Demosthenem deinde necesse habuisse causam agere artificiosius, et periodis includere: alii priorem ut Demosthenicam admittunt, posteriorem nequaquam, quod nihil habeat hoc oratore dignum.

DEMOSTHENIS

CONTRA ARISTOGITONEM

ORATIO PRIOR.

1. Jamdudum, Athenienses, dum sederem, et accusantem audirem, ut vos, Lycurgum, cetera præclare eum dicere putavi, unum sum miratus, cum vehementer contendentem viderem, an illud ignoraret, causæ hujus æquitatem, neque propter a se habitam, neque propter a me habendam orationem, fore firmam: sed ejus pendere vires ex cujusque vestrum vel odio, vel approbatione improbitatis. Ac ego sane existimo accusationem, verborumque copiam, propter consuetudinem, et vestram auscultationem esse adhibendam, sed hujus negotii judicium, pro suo quemque ingenio, domo pridem secum attulisse; et nunc, si plures sitis, qui ametis improbos, et tueamini, periisse nobis omnia verba quæ fecimus, sin oderitis, pœnas istum, si deus voluerit, daturum esse.

2. Cum autem multa verba facta sint, eaque recte omnia, non tamen dicere dubitabo, quid mihi videatur. Ego causam hanc nulla re prorsus convenire puto cum ceteris. Quod ita esse, sic intelligetis. Ad omnia judicia veniunt, judices, rem ex accusatore et reo cognituri, de qua erit pronunciandum: adversarii, ostensurus uterque se præsidia legum habere firma. Causæ autem hujus quæ ratio est? Vos controversiæ disceptatores adestis, cum magis quam nos accusatores sciatis, et ærarium esse istum, et scriptum in arce, nec ei licere in publico dicere (itaque vestrum quisque accusatoris vicem obtinet, et causam tenet, neque necesse habet eam cognoscere) reus autem præsidii prorsus nihil habet ad incolumitatem, non justam causæ defensionen, non vitam humaniter actam, non aliud boni quicquam, sed quæ etiam insonti terrorem incuterent, per ea se fore incolumem arbitratur. Spem enim salutis suæ in insigni improbitate collocat. Quæ cum ita sint, recte dici queat, opinor, reum esse nunc Aristogitonem, judicium autem fieri de vobis, et existimationem agi vestram. Nam si iracundiam in adeo magnis et manifestis sceleribus declarabitis, et severitatem vestram, ut judices esse vos et legum custodes, ut estis, ingressos putabunt: quod si quid aliud his plus valuerit, quod etsi nemo se fecisse fatebitur, in suffragiis tamen apparebit, vereor, ne quovis eos tempore qui studeant esse improbi in republica, tanquam lanistæ quibusdam exercere velle

videamini. Omnes enim improbi per se infirmi sunt: quem vero vos fovetis, fit potens. Quod ut ei, cui hæc licentia contigit, quæstum et potentiam auget, ita vobis est ejus licentiæ auctoribus, opprobrio.

3. Priusquam autem, Athenienses, de privatis istius factis dicam, vos diligenter expendere velim, et paucis, in quantum dedecus et ignominiam civitatem publice conjecerint omnes istiusmodi belluæ, quarum medius, et postremus, et primus iste est. Qui, quæ alia designent, prætereo; sed in conciones ascendunt, in quibus vos sententiæ dictionem, non improbitatis ostentationem oratoribus proponitis, audacia, vociferatione, falsis criminationibus, calumnia, impudentia, omnibus denique ejus generis rebus instructi. Quæ deliberantibus omnium sunt inimicissimæ, atque etiam omnium turpissimæ, ut arbitror. His probris omnem publicam honestatem superant, leges, præsides, promulgationem, disciplinam. Quæ si vos approbatis, si vestro consilio fiunt, pergere, non prohiberi debent: sin ea corrigenda vel nunc esse ducitis, et quæ jam dicta sunt, multo ante et longo jam tempore turpiter ab istis et male divexata, restituenda in integrum, omnia hujus generis ingenia hodie sunt negligenda, et vere pronunciandum est, et æquitatis amica Legum sanctio maximi facienda, quæ omnes et urbes, et regiones tuetur, et inexorabilis ac veneranda Justitia, quam is qui sacrosancta initia nobis monstravit Orpheus, solio Jovis assidentem, omnia facta hominum ait intueri. Eam unusquisque in se defigere putet oculos, itaque pronunciet, ut caveat, et provideat, ne eam pudefaciat, a qua cognomen habetis singuli, qui sorte judices quoque tempore delecti estis, ad omnium in republica degentium honestatem, et jus, et utilitatem tuendam, et hodierno die tanquam depositum jurejurando adstricti, accepistis a legibus, republica et patria. Quod ni ita eritis animati, sed pro solita facilitate ingressi sedebitis, vereor ne res in diversum vertat, et nos, dum Aristogitonem accusamus, vos accusare videamur. Quo enim evidentius ostensam a nobis istius improbitatem vos minus curaveritis, eo majus dedecus suscipietis.

4. Atque hæc hactenus. Omnino autem, Athenienses, familiariter agam vobiscum, et vera dicam. Ego in concionibus cum viderem constitui me a vobis, et deligi ad istius accusationem, ægre tuli, ab eaque, ita me dii deæque omnes ament, abhorrui. Neque enim ignorabam, eum qui tale munus apud vos obiisset, non sine malo abiturum, quod si tantum non esset, ut statim sentiretur, at si sæpe fecisset, nec desisteret, celeriter iri cognitum. Necesse tamen esse duxi, vestris parere voluntatibus. Ac delationis quidem causas, et jura legum, ipsum, id quod fecit, Lycurgum evicturum putabam, eumque testes improbitatis istius citare videbam: quæ autem et cogitare eos, qui super republica et legibus deliberant, conveniat, et circumspicere deceat, ea dicere institui, ad eaque explicanda nunc ag-

grediar. Per deos autem oro vos, date, Athenienses, et concedite mihi, ita ut natura mea fert, utque proposui, de his rebus disserendi facultatem. Etenim haud aliter possim.

5. Universa vita mortalium, Athenienses, sive magnam urbem incolant, sive parvam, natura et legibus regitur. Ac natura quidem confusa et inæqualis est, et a peculiari cujusque pendet ingenio, leges autem communes et ordinatæ sunt, et eædem universis. Quod si prava natura fuerit, sæpe mala consilia molitur (quare tales facile in delicta ruere liquet) leges autem æqua, honesta, utilia spectant, et ad illa referuntur; quæ inventa si fuerint, commune jam inde mandatum omnibus proponitur, par et æquabile. Atque ea lex est, cui parere omnes debent, cum propter multa, tum hac de causa maxime, quod omnis lex inventum est et donum deorum immortalium, decretum hominum sapientum, regula delictorum quæ de industria et fortuito committuntur, civitatis commune pactum, cui vivere convenienter, omnes, qui sunt in urbe, debent. Aristogitonem autem nunç omni jure accusationis esse convictum, neque ullam ei restare probabilem excusationem, facile ostendi potest. Cum enim res duæ sint, Athenienses, propter quas omnes feruntur leges, tum, ut ne quisquam injusti aliquid agat, tum ut iis qui jus violarunt punitis, alii meliores reddantur, utroque nomine supplicium de isto sumendum esse apparebit. Nam et propter leges violatas ab initio mulctatus est, et quia mulctam inflictam negligit, eo nunc apud vos pœnæ de eo expetuntur. Itaque nulla causa reliqua est, propter quam absolvi ab ullo possit. Neque enim illud negari potest, hoc hominum genus esse reipublicæ perniciosum. Nam ut taceam, omnes intercidere mulctas reipublicæ, si cavillationes istius approbabitis, ut omittam, si qui forte ærarii dimittendi sint, humanissimos, et optimos, et minime ob atrocia delicta mulctatos, esse dimittendos, non hominem improbissimum, et flagitiis coopertum, et justissime mulctatum, et ob gravissima scelera,—quid enim fieri possit calumnia et violatione legum, propter quarum utramque iste mulctatus est, atrocius?—ut non dicam, tametsi aliis omnibus condonetis, vim tamen facienti non dandam esse veniam,—ea enim contumelia est—: et quæ sunt ejus generis alia, omnia prætercam. Illud tamen, omnem etiam reipublicæ et legum ornatum conturbari et everti, quantum in isto est, id ego me vobis evidenter ostensurum arbitror. Dicam autem neque novum, neque admirabile, neque peculiare quicquam, sed ea quæ nostis omnes æque mecum.

6. Si quis enim vestrum indagare velit, quæ causa sit, quidve efficiat, ut senatus conveniat, ut populus in concionem ascendat, ut judicia frequententur, ut veteres magistratus novis cedant, ut omnia per quæ urbs regitur, et conservatur, fiant, leges in causa esse, et quæ legibus præstatur, obedientiam, inveniet. Quæ si abrogentur, et pro sua cuique libidine vivendi licentia detur, non respublica duntaxat intereat, sed nihil etiam inter nostram et belluarum vitam intersit. Quid enim istum ipsum facturum putatis abrogatis legibus, qui vigentibus illis est talis? Cum autem in confesso sit, leges proxime et secundum deos, conservatrices esse reipublicæ, decet omnes vos, perinde ac si ad collectam complendam sederetis, obtemperantem illis, ut qui salutis stipem ferat integram patriæ, honorare et laudare, contumacem punire. Collecta enim civilis et communis, ea sunt omnia, quæ ex constitutione legum quisque facimus. Quam qui negligit, Athenienses, multa præclara, splendida, magnifica vobis eripit, et quantum in se est, pessundat. Quorum unum atque alterum, quæ notissima vobis sunt, exempli gratia proferam. Quod senatus quingentorum, propter infirmos istos cancellos, secreto deliberandi potestatem habet, et vulgi interventu non perturbatur: quod senatus Areopagiticus, cum in porticu regia sedenti funiculus obtenditur, tranquillo otio et solitudine fruitur, et omnes e medio excedunt: quod magistratus omnes, quos ii gerunt e vobis quibus illi sortito obtigerunt, simulac minister eos e g r e d i f o r a s jusserit, legum sunt compotes, per quas intromissi fuerant, et non importunissimi per vim se ingerunt: alia sexcenta. Omnia denique præclara et augusta, per quæ urbs et ornatur et conservatur, legibus accepta sunt referenda. Modestia erga parentes, erga natu majores adolescentiæ verecundia, ordo, disciplina, legum adjumento, flagitia superant, impudentiam, audaciam, contemptum. Nam temeraria res est improbitas, et audax, et violenta: contra, bonitas tranquilla, et timida, et tarda, et damni patiens. Leges igitur tuendæ sunt, et a vobis, qui quoque tempore judicia exercetis, confirmandæ (harum enim præsidio boni sunt improbis superiores) sin minus, dissipata, aperta, confusa sunt omnia, in perditissimorum et improbissimorum civium potestate est respublica.

7. Agite vero, deum immortalem, si omnes, qui in urbe degunt, Aristogitonis sumant audaciam atque impudentiam, et ita ut iste secum cogitent, licere et dicere et facere aliquamdiu quicquid libeat in populari imperio, atque ii qui sic animum induxerint, existimationem suam negligant, et nemo in ullo facinore deprehensos statim occidat; si igitur ista quisque cogitet, et sorte non delectus cum delecto, et non designatus cum designato, eadem esse dignitate et potestate studeat, si denique non senex, non juvenis officio fungatur, sed omni ordine repudiato e vita, suam quisque libidinem pro lege, pro magistratu, pro summa rerum omnium habeat, ita si faciamus, nunquid urbs incoli porro poterit? Nunquid ulla porro futura est legum auctoritas? Quantum autem violentiæ et insolentiæ, et iniquitatis, et conviciorum quotidie fore putatis, loco ejus quæ nunc est, tranquillitatis et disciplinæ? Et quorsum dicere attinet,

legibus et observantia legum ornari omnia, cum vos ipsi, modo omnibus Atheniensibus sortientibus, et quod satis scio, cupientibus omnibus hujus judicii ordinem adipisci, soli nobis jus dicatis? Cur? Quia sors vobis obtigit, quia sortito selecti estis, quia leges ita jubent. Qui igitur ipsi ex legibus estis in hunc ordinem asciti, nacti eum, qui contra leges vi dicere aut agere aliquid instituit, dimittetis? Neque vestrum quisquam iram et indignationem suam declarabit contra nefarii et impudentis hominis violentam legum abrogationem? Tune, impurissime omnium mortalium, qui usquam sunt, cum effrænati tui oris audacia non cancellis, non foribus, quæ clam aperiri fortasse queant, sed tot et tantis mulctis, iisque in fano Minervæ assignatis, coerceatur, ultra hæc penetras vi, et in ea te ingeris, a quibus te leges arcent, exclusus omnibus civitatis institutis, cognitione trium judiciorum, accusatione sexvirorum, accusatione exactorum, actione injustæ inscriptionis, quam ipse persequeris, et tantum non ferrea catena ligatus per hæc omnia penetras, hæc convellis, et confingendis causis, et falsis criminibus componendis, te rempublicam eversurum putas?

8. Atqui magnum et perspicuum vobis dicam exemplum, cur ad ista nullo modo sit connivendum. Si quis subito huc irrumpens dicat, e natu minimis, aut ditissimis, aut muneribus perfunctis, aut tali aliqua parte segregata, oratores esse eligendos, eum dubio procul interfecturi sitis, ut rempublicam evertentem, idque jure faceretis. At quidvis horum levius est, quam si quis earum, ex quibus iste est, partium, dicat, vi se ingerentibus dicendi faciendam esse potestatem, aut e carcere elapsis, aut iis quorum patres occidit populus, aut qui sortiti magistratum improbati sunt, aut qui reipublicæ debent, aut in universum ignominiosis, aut iis qui improbissimi et sunt, et habentur. Hæc enim in isto reperiuntur omnia, et iis insunt qui ejus referunt ingenium. Nam ego quidem, Athenienses, existimo, eum ob hæc etiam quæ nunc facit, jure occisum iri: multo autem magis, aut nihilo certe minus, ob ea quæ se facturum esse ostendit, si licentiam a vobis acceperit, et occasionem, quod dii prohibeant. Atque adeo mirandum fuerit, quemquam ignorare vestrum, istum ad nullum honestum, aut utile, aut republica dignum adhiberi posse munus,—dii enim omnes, et Jupiter Opt. Max. prohibeant, ne respublica ea virorum laboret inopia, ut ab Aristogitone honesti aliquid sit administrandum—, quibus autem in rebus aliquis belluæ istius usus esse possit, eæ ne usuveniant, est exoptandum. Quæ si forte eveniant, major est reipublicæ felicitas, eos qui scelus aliquod cogitant, facinorum carere ministro, quam istum absolutum, paratum invenire. Quod enim facinus tam atrox, tam perniciosum est, Athenienses, quod fugiat homo consceleratus, et patrio in populum odio refertus? Quis alius rempublicam (quod absit) expeditius evertat, si consequatur auctoritatem et potentiam? Nonne videtis ejus ingenium et actiones, non ratione, non ulla verecundia, sed una desperatione gubernari? Imo omnes ejus actiones non esse aliud, quam desperationem? Quæ cum ei maximo ipsi malo sit in quo est, tum acerba et gravis est omnibus, et reipublicæ intolerabilis. Omnis enim homo profligatus et semetipsum projicit, et quæ consilio retineri potest, incolumitatem: sed admirabiliter et præter rationem, si forte evaserit, conservatur. Quis igitur homo cordatus semetipsum aut commoda reipublicæ isti commiserit? Quis non quantum possit, ea præditum fugiat, et tollat e medio, ne quando invitus in eum incidat? De salute reipublicæ deliberantibus, Athenienses, non quærendus is est, cujus desperationis socii sint ipsi, sed is potius, cujus mentem et ingenii bonitatem, et magnam providentiam imitentur. Nam hæc ad felicitatem perducunt mortales omnes: illa eo, quo istum abire decet. Idque æstimate non e meis verbis, sed in omnes hominum mores intuentes. Omnibus urbibus aræ sunt et fana deorum omnium, atque inter eos etiam providæ Minervæ, ut magnæ et præstantis deæ, et juxta Apollinem Delphicum pulcherrima et maxima ædes statim ubi templum ingressus fueris, qui cum et deus et vates sit, utraque ratione novit quid maxime expediat: non Desperationis, et Impudentiæ. Quin et Justitiæ, et Æquitatis, et Verecundiæ mortalibus omnibus aræ sunt, aliæ pulcherrimæ, et sanctissimæ in animo cujusque et ingenio, aliæ eæque communes omnibus ad cultum propositæ: sed non Impudentiæ, aut Calumniæ, non Perjurii, non Animi ingrati, quæ omnia isti insunt.

9. Etsi autem scio istum rectam et veram defensionis viam declinaturum, et extrinsecus undique circuiturum convicianteṃ et calumniantem, et pollicitantem se accusaturum, in jus adducturum, traditurum magistratui, et ejus generis alia, tamen, si vos prudenter audietis, ea omnia nihil illi profutura sunt. Quid enim istorum non sæpe in omnibus quale esset, deprehensum est? Ac præteribo cetera, tu, Aristogito, me septies majestatis egisti reum, mercenarius eorum, qui tum Philippi negotium agebant, orator, et me rationes referentem bis accusasti. Ac ego quidem, qui homo sum, Adrasteam adoro, et habeo diis immortalibus et universis vobis magnam gratiam, Athenienses, qui me conservastis: tu autem nihil unquam dixisti veri, sed mendacii semper es convictus. Quod si hi sopita legum auctoritate, hodie te absolverint, nunc me reum perages? Quo crimine? Sic enim considerate. Biennium jam iste vi concionatur, quod ei facere non licet, sed concionatur tamen. Deinde interea miserum Phocidem, et fabrum illum ærarium Piræensem, et coriarium, et si quos alios apud vos accusavit, peccare in rempublicam vidit: me autem non vidit, oratorem, in quem hostili fuit

odio, nec Lycurgum, nec alios, de quibus plurima statim dicet. Atqui propter utrumque dignus est exitio: tum quod ostendere cum posset, factam esse vobis aliquam per nos injuriam, omissis nobis, homines rerum imperitos invasit, tum si nihil potest, quod hæc ad eludendos et decipiendos vos comminiscetur. Quod si forte quis homo est in vrbe tali ingenio, qui omni modo requirat eum qui accuset et calumnieter alios, quo jure, quaque injuria nihil pensi habens, neminem minus utilem isto inveniet. Cur? Quia accusatorem aliorum, et omnium exagitatorem, ipsum omni crimine vacare oportet: ne propter ejus improbitatem illi elabantur. Nemo autem hujus urbis incola, nec pluribus, nec majoribus, quam iste, peccatis est refertus. Quid igitur iste est? Canis, medius fidius, ut quidam aiunt, populi. Cujusmodi? Qui eos, quos ut lupos insimulat, non mordeat, quas vero se tueri profitetur oves, ipse devoret. Quem enim iste oratorum tanta clade effecit, quanta homines plebeios, quos passim exagitat? Quem, posteaquam nunc ab integro concionatur, oratorem accusavit? Neminem, sed homines plebeios multos, in quos decretum cum scriberet, condemnatus est. Atqui dicunt, canes qui de ovibus gustent, esse jugulandos. Itaque primo quoque tempore e medio tollendus est. Nulla enim ejus, Athenienses, iis in rebus quas jactat, est utilitas, sed iste rem perspexit nefariam, et impudentem. Nam cum in concionibus convicia dicat, et petulanter omnes lacessat, quibus in rebus ea ratione vos universos deceperit, earum rerum, cum descendit, singulatim ab unoquoque vestrum pœnas sumit, calumniando, postulando, nummos exigendo, non, ita me dii ament, ab oratoribus (hi enim cum eo conflictari possunt) sed a plebeiis et rerum imperitis: id quod icti qui sunt, noverunt. At hercule hæc ita esse fatebimini, sed cum utile sit, publicum esse accusatorem, neglectis his omnibus conservandum esse dicetis? Sed quæ reipsa estis experti, Athenienses, ea nunquam ex verbis æstimate. Iste in publicum non prodiit quinquennio, quo concionibus ei fuit interdictum. Quis igitur eum illo tempore desideravit? Quam reipublicæ partem neglectam vidit propter ejus absentiam? Quid vero, ex quo nunc concionatur, factum est melius? Mihi quidem contra videtur. Quo tempore non prodiit, refocillatam e malis esse rempublicam, quæ omnibus iste inferebat: ex quo rursus concionatur, obsideri, orationes seditiosas et turbulentas in omnibus concionibus semper habente isto.

10. Nunc audaciorem ingrediar orationem, et cum iis agam, qui eum propter ista diligunt. Qui quales putandi sint, ipsi considerate: ego vero non dicam aliud, nisi eos non sapere, qui se cum eo conjungant. Ac vestrum qui in hoc consessu nunc adestis, judices, talem arbitror esse neminem — etenim et justum est, Athenienses, et honestum, et utile, me sic et loqui et sentire de vobis —, e reliquis autem civibus, ut maledictum ad quam paucissimos pertineat, discipulum, aut si vultis, doctorem ejus, Philocratem Eleusinium illum, solum talem esse statuo. Non quin plures sint,—utinam enim nemo alius Aristogitone delectaretur—, sed quia in eo, quod, ut vobis contumeliosum, dicere vereor, neque alios a me cives accusari publice decet. Deinde idem efficiet etiam in unum directa oratio. Ac quali eum esse præditum ingenio necesse sit, qui Aristogitone gaudeat, subtilius inquirere omittam, ne multis uti maledictis mihi sit necesse: illud autem dico, si improbus est Aristogito, sine controversia, et acerbus, et calumniator, et talis qualem se esse pollicetur, largior, concedo tibi, Philocrates, talis cum sis, tui similem ut defendas; nam si reliqui cives omnes, et ita sunt affecti, ut oportet, et leges observant, nihil istud reipublicæ incommodaturum arbitror: sin caupo est improbitatis, et mango sordidissimus, et propola, et ea quæ unquam egit, tantum non statera et ponderibus adhibitis vendidit, quid istum, o inepte, acuis? Neque enim mehercule coco ullus usus est cultri hebetis, neque ei qui per se vult negotia facessi, et mala dari omnibus, calumniator venditurus omnia, quicquam prodest. Talem autem esse istum scienti tibi dicam. Meministi ut Hegemonem læsæ majestatis reum fecerit. Ut ab accusando Demade accepta pecunia destiterit. Ut Agathonem olearium missum fecerit. Cum enim dudum clamitaret et vociferaretur, proh divum atque hominum fidem, et pro concione cœlum terræ misceret, quæstiones habendas clamitaret, accepta quacunque mercede, quanquam præsens, cum is absolveretur, obmutuit. In accusando Democle perduellionis reo, accusationem quo rejecit? Alia infinita sunt, quorum mihi meminisse omnium laboriosum est: te autem etiam exempla illarum actionum habere scio, qui illi propter prædæ societatem subservias.

11. Quis igitur est, qui talem tuetur? bonus, an malus? Malus. Quamobrem? Nam et sui similium est proditor, et bonorum hostis natura et genere: nisi quis calumniatoris et hominis improbi semen et radicem, ut agricola, relinquenda esse censet reipub. Quod non est honestum, Athenienses, atque, ita me dii ament, nefas etiam esse existimo. Neque enim majores vobis has curias ædificasse puto, ut istud hominum genus in eis tanquam viviradices propagaretis, sed contra, ut coerceretis, et puniretis, neque quisquam æmularetur aut appeteret improbitatem. Omnino autem id est improbitatis ingenium, ut sine magnis reprimi difficultatibus haud possit. Cum enim Aristogito in manifestis injuriis accusetur, et non olim perierit, quid faciendum est, aut dicendum? Qui eo venit improbitatis, ut jam accusatus, clamitare, calumniari, minitari non desisteret. Quibus enim vos res maximas credebatis ducibus, quia nummos ei postulanti non dabant, eis nec fimeta committenda esse dictitabat

quibus verbis non illos lædebat, non,—licitum enim eis erat, paucis nummis datis, ea non audire,—sed vestra suffragia contemnebat, et suam improbitatem ostentabat. Magistratus porro qui sorte creantur, lacerabat, poscebat, pecuniam exigebat, quo malorum genere non vexabat? Postremo autem omnes in tumultum et seditionem conjicere studuit, falsis literis propositis: denique in omnium perniciem natus est, et talem se esse tota vita declarat. Ita enim rem perpendite. Athenienses omnino vicies mille sunt: horum unusquisque uno saltem negotio quopiam occupatus, in foro obambulat, sive id sane publicum sit, sive privatum. Iste autem nihil quicquam ostendere possit rei moderatæ aut honestæ, in qua versetur et vitam agat: non publico aliquo bono animum occupatum habet: non arti, non agriculturæ, non ulli quæstui studet: cum nemine ullis humanitatis aut familiaritatis officiis est conjunctus: sed per forum incedit viperæ instar, aut scorpionis, erecto aculeo, huc atque illuc saltitans, circumspectans cui calamitatem, aut maledictum, aut malum aliquod offerat, quo in timorem conjecto, nummos extorqueat: nec ingreditur in ullam publicam tonstrinam, aut myropolium, aut alias officinas: sed insociabilis, vagabundus, a congressibus abhorrens, non gratia, non amicitia, non ulla præditus est moderati hominis cogitatione, sed iis comitibus quos pictores lemuribus adjungunt apud inferos, diris, maledicentia, invidia, seditione, contentione stipatus incedit. Quem igitur nec infernales deos placatos habiturum verisimile est, sed ad impios relegatum iri propter vitæ improbitatem, eum vos delinquentem nacti, non modo non punietis, sed majoribus etiam donis ornatum absolvetis, tanquam bene meritum? Cui enim vos unquam concessistis, si reipublicæ debuit, ut mulcta non soluta pari jure viveret cum ceteris? Nemini. Quare nec isti nunc concedite, sed punite, et exemplum in eum edite.

12. Operæ pretium autem est, Athenienses, et cetera audire. Nam cum atrocia sint quæ modo Lycurgum referentem audivistis, atque adeo ad eorum atrocitatem nihil adjungi possit, cetera paria illis, et ab eodem profecta esse ingenio reperientur. Præterquam enim quod patrem in carcere desertum, Eretria digressus, ut ex Phædro audivistis, mortuum impius iste et nefarius non sepeliit, neque iis qui sepelierant sumptus funeris restituit, sed et diem dixit: præterquam quod manus a matre non abstinuit, ut modo e testibus audivistis, et sororem suam, non quidem germanam, sed ex illa quocunque modo susceptam,—omitto enim hoc—, sed sororem tamen, peregre abducendam vendidit, ut asserit ejus judicii crimen, quo eum bonus ille frater, ejus causa facinoris accusavit, qui nunc ei patrocinabitur: ad hæc quæ talia sunt, aliud nefarium, o dii immortales, facinus audietis. Cum enim perfosso carcere esset elapsus, ad mulierem quandam confugit, nomine Zobiam, cum qua nimirum olim consueverat. Ea primis eum diebus, quibus ab undecimviris quærebatur et proclamabatur, occultavit. Postea datis octo drachmis in viaticum, et tunica, et pallio, Megara misit. Eam mulierem tam bene de se meritam, ut prospero fortunæ statu utebatur, et dignitatem apud vos obtinebat, aliquid de eo conquerentem, et ejus beneficii memoriam refricantem, et gratiam sibi referri postulantem, primum alapa data, et minis additis ab ædibus ablegavit: ut autem muliercula non desistebat, sed progressa, ut ejus sexus est ingenium, apud familiares de eo querebatur, ipse eam suis manibus prehensam ad forum inquilinorum abduxit. Ac nisi tributum inquilinorum solvisset, vendita esset per eum, cui salutem ipsa contulisset. Hæc vere a me dici ut constet, accerse mihi eum qui mercedem sepulti patris ejus non recepit, et ejus litis arbitrum, quam ei propter sororem venundatam intendit iste. Profer et accusationem, sed ante omnia voca Zobiæ patronum, quæ eum suscepit, et venditores, ad quos eam adduxit. Vos autem modo ægre ferebatis, si eos qui ei collectam ad salutem conferrent, accusaret. Nefaria, nefaria bellua est, Athenienses, et immanis. Recita testimonia.

TESTIMONIA.

13. Quod igitur satis magnum in eum, qui tot et tanta scelera perpetravit, supplicium statuetur? Quæ digna pœna ab eo exigetur? Mors quidem parva mihi videtur. Quod si unum adhuc ex privatis ejus scelerate factis recensuero, cetera omittam. Priusquam e carcere egrederetur, eo conjecto quodam homine Tanagræo, qui ad satisdationem tabulas habebat, cum eo congressus, et nescio quid colloquens, surripit tabulas. Cum autem homo quereretur, et graviter ferens diceret, neminem alium surripuisse, eo dementiæ pervenit iste, ut eum verberare aggrederetur. Is vero ut recens atque integer, superat illum jam rancidum, et diu maceratum. Cum autem eo ventum esset, præmordet nasum hominis; ac tum quidem ea calamitate pressus ille, ab investigandis et quærendis tabulis destitit, post inveniunt eas in arcula quadam, cujus iste clavem habebat. Deinde qui in carcere erant, hujusmodi decretum faciunt: non ignem, non lucernam, non potum, non cibum ullum cum eo esse communicandum, nec accipiendum ob eo, ei nec dandum quicquam. Hæc ut a me vere dici constet, ipsum mihi hominem voca, cujus nasum nefarius iste præmorsum devoravit.

TESTIMONIUM.

Egregiorum scilicet operum vobis orator iste artifex exstitit. Operæ pretium vero est, ex tali ore aliquam orationem audire, aut consilium. Recita etiam præclarum illud decretum de eo factum.

DECRETUM.

14. Et non pudeat, Athenienses, cum homines propter improbitatem et fœdissima facinora conjecti in carcerem, tanto istum se improbiorem esse duxerint, ut aqua et igni interdixerint, si vos expulsum eum legibus ex republica in vestrum numerum recipietis? Quod ejus facinus, quam vitæ rationem laudabitis? Aut quid potius omnium non ægre feretis? Nonne impius est? Nonne crudelis? Nonne impurus? Nonne calumniator? Et tamen talis cum sit, et talia designet, in omnibus semper concionibus clamitat, ego solus adhuc vobis bene cupio: omnes isti conspirarunt: proditi estis: sola mea benevolentia est reliqua. Inquiram autem in vehementem istam ejus et ingentem benevolentiam, unde ea sit, et unde revera ortum duxerit, ut si est talis, ea utamini et freti sitis: sin minus, uti caveatis. Nunquid inde, quod patrem ejus capitis damnastis, et matrem ejus convictam desertæ clientelæ vendidistis, propter hæc eum vobis bene velle existimatis? At hoc, ita me Jupiter diique omnes ament, absurdum est. Nam si illis bene cupit, et legem naturæ tuetur, quæ una et hominibus et feris ex æquo est sancita, ut parentes diligant, male vult iis, qui illos peremerunt. Apparet igitur eodem esse animo et in leges, et in rempublicam illorum: sin nullam horum rationem ducit, perquam scire velim, quis eum, quem benevolentiam in parentes abjecisse videret, ea esse præditum, qua se populum nunc prosequi jactat, crederet. Equidem adduci non possum, et diis invisum non modo hominibus, eum esse puto, a quo parentes negligantur. At hercule quod ejus delationes damnastis, quod bis in carcerem conjecistis, et ipsum, et fratrem, propterea vobis bene cupit? Sed et hoc absurdum est. An quod magistratum qui ei sorte obvenerat, abrogastis? An quod violatarum legum condemnastis? An quod quinque talentis mulctastis? An quod digitis eum monstratis, cum monstrare vultis omnium mortalium improbissimum? An quod salvis legibus, et republica incolumi, hac ignominia liberari nullo modo potest? Cur tandem vobis iste bene cupit? Quod se impudentem esse fatetur? At impudens ex qua re alia nomen est sortitus, nisi quod, quæ neque sunt, neque facta sunt, ea dicere audet, propter impudentiam, id quod iste facit?

15. Jam quæ in accusatione mihi prætermittere visus est Lycurgus, ea vobis præstat exponere. Arbitror enim oportere vos, tanquam si de privato aliquo debito vestro ageretur, sic in istum inquirere, et in causæ hujus æquitatem. Si quis igitur pecuniam debere aliquem criminaretur, is vero negaret, si proferrentur tabulæ, secundum quas mutuatus esset, et affixi essent libelli, eum qui negaret, utique impudentem putaretis: sin hæc sublata essent, eum qui postularet. Sic natura comparatum est. Sunt igitur eorum quæ Aristogito reipub. debet, tabulæ, leges, quibus inscribuntur omnes qui debent, libelli, tabella juxta deam sita. Quod si hæc sublata sunt, et expunctum est debitum, nos nugas agimus, ac potius mentimur: sin restant, et restabunt donec solverit, et manent, iste nihil veri dicit, sed delinquit, et injurius est, qui jura communia exstinguere conetur. Neque enim id nunc agitur in hoc judicio et disceptatione, tantumne ne debeat, quanti mulctatus est, sed an debeat. Alioqui perinique ageretur cum iis, qui ob solam accusationem sunt inscripti, si ipsi, propterea quod parum atque adeo nihil deliquerunt, ære alieno erunt obstricti: alius, magnis delictis admissis, si unam atque alteram pensionem solverit, pristinam dignitatem recuperabit. Tria sunt autem debita quæ inscripta sunt, et propter quæ est accusatus. Ac duo quidem in commentarios relata sunt, unum non est relatum, quod iste falsæ inscriptionis Aristonem Alopecensem accusat. Næ, inquit, injuste enim me inscripsit. Pœna igitur tibi, ut par, sumenda est. Sed et luenda primum, et ea rata habenda necessario, quæ perpessus es. Alioqui cujus rei pœnam sumes? Si tibi enim agere licet omnia quæ ceteris, quæ facta tibi est injuria?

16. Agite, per deos, illud etiam considerate, si Aristonem falsæ inscriptionis reum peregerit, quid fiet? Expungetur ipse medius fidius, et ille ejus loco inscribetur. Sic enim leges jubent. Recte. Utrum igitur ab eo die iste erit ærarius qui expunctus fuerit, ille dignitatem retinebit, qui hujus loco inscribetur? Ex istius certe postulatis nunc ista eveniunt. Si enim, eo quod inscriptus est, non debet, ubi expunctus fuerit, debebit profecto. Sed hæc non ita sunt, non ita sunt. Verum ubi deletus fuerit, tum non debebit: nunc igitur debet. Quod si ille fuerit absolutus, a quo recipiet ea respublica, quæ nunc iste facit, cum ea facere ei non liceat? Unde, quos iste capitis arcessit, quos in vincula conjicit, passim in judicio circumiens, illi vitam recipient, hi id consequentur, ne crudeliter tractati sint? Quem enim nec in æqualis juris et quotidiani societatem leges admittunt, is in mala extrema conjicit alios; quod fit non recte, nec civiliter, neque utiliter. Quæ ubi video, miror sursum deorsum verti omnia. Quid enim fore putatis, si terra sursum, astra deorsum conversa fuerint? Hoc fieri neque potest, neque debet. Tum vero ita fit, cum iis, quibus non licet legibus, vestra voluntate licet: cum improbitati honos habetur, virtus abjicitur: cum jus et utilitas vincitur ab invidia: tunc sursum deorsum versa esse omnia est existimandum.

17. Jam reorum quosdam vidi, qui cum ipsis rebus vincerentur, et se peccasse inficias ire non possent, tamen quia alii ad vitæ moderationem et temperantiam, alii ad res majorum gestas et obita munera, alii ad ejus generis alia confugiebant, per ea flexisse judices

ad misericordiam et humanitatem: isti autem ad locorum illorum nullum accessum esse video, sed omnia præcipitia, salebrosa, barathra. Quid enim omnino dicet? Eorum aliquid quæ pater suus fecit scilicet? Sed vos illum in hoc judicio capite condemnastis, ut improbum nimirum, et dignum qui occideretur. At hercule, si, quod ad patrem attinet, in salebris hæret, ad suam vitam confugiet, ut temperantem et moderatam? Quam? Eam quam non vixit? In ea enim quam vos vidistis omnes, non est talis. At, heus tu, ad obita munera se recipiet? Quando illa, aut ubi? Paterna? At nulla sunt. Sua? Delationes, abductiones, accusationes, non munera reperietis. At hercule, ut hæc nulla sint, cognati multi, iique boni viri, pro eo deprecabuntur? Sed neque sunt, neque fuerunt unquam. Qui enim ei cognati sint, qui ne ingenuus quidem est? Uno excepto fratre isto, qui ei nunc adest, et præclaram illam litem ei intendit. De quo dicere cetera quorsum attinet? Frater ejus est germanus, et uterinus, et præter mala reliqua, etiam gemellus. Is—cetera quidem taceo: sed propter quæ vos nefariam Theoridem, Lemniam illam, illam veneficam, tum ipsam, tum universum ejus genus occidistis, iis venenis et incantamentis ab ejus ancilla acceptis, quæ tum eam detulit, ex qua fascinator iste liberos suscepit, imposturam et fucum facit, et comitiali morbo laborantes se curaturum profitetur, cum ipse omni laboret improbitate.—Is igitur pro eo veneficus intercedet? Homo pestilens? Quem qui viderit, abominetur potius, quam alloquatur? Qui ipse eum capitis arcessit, cum talem litem intenderet?

18. Quid igitur restat, Athenienses? Ea nimirum præsidia, quæ reis parata sunt a reliquorum nostrum natura, quæque nemo eorum qui periclitantur secum affert, sed unusquisque vestrum domo secum effert, misericordiam, veniam, humanitatem. Sed hæc neque jus, neque fas isti nefario impertiri. Cur? Quia quam sibi quemque legem suopte ingenio sanxisse contra alios constat, eandam eum et ab aliis ferre est æquum. Quam igitur legem vobis, aut quam voluntatem habere videtur Aristogito in omnes? Utrum ut eos florere videat, et beate glorioseque vivere? Unde autem victitabit? Nam aliorum eum mala nutriunt. Proinde volet judiciis, certaminibus, atrocibus criminibus omnes conflictari. Hi ejus fundi sunt, hi reditus. Quis vero homo perditissimus, Athenienses, ter exsecrabilis, communis hostis, omnium inimicus, cui nec terra fruges ferat, nec defuncto sepulturam præbeat, jure appellabitur? Nonne talis? Equidem opinor. Quam autem veniam, aut quam misericordiam, ii quos calumniis exagitavit, ab eo impetrarunt? Quos iste omnes capitis damnavit in his judiciis, idque priusquam prima suffragia ferrentur. Et in quos fascinator iste adeo crudelis et acerbus fuit, eos vos, Athenienses, qui tum sortito judices eratis, ut æquum fuit, conservastis, quod ab isto calumniis exagitarentur, et absolvistis, et quintam isti suffragiorum partem non dedistis: istius autem acerbitas, et sanguinaria mens, et crudelitas præsto erat et in acie versabatur. Non puerulis, non matribus reorum, quarum pleræque senes mulieres erant, adstantes cum videret, iste movebatur. Tibine ignoscendum? Unde? Aut a quo? Aut tuorum liberum misereri decet? Minime vero gentium. Tu misericordiam, quæ erga hos haberi solet, prodidisti, Aristogito, imo penitus sustulisti. Ne igitur ad eos, quos tu ipse ruderibus implevisti, et muricibus circumdedisti portus, appellito. Neque enim justum est.

19. Quod si maledicta audietis, quæ in foro obambulans in vos ingerit, magis etiam eum oderitis, et merito. Ait enim multos debere ærario, eosque omnes sui esse similes. Ego vero multos esse calamitosos homines, etsi duo duntaxat sunt, fateor,—omnino enim plures sunt quam oportebat, et neminem alium decebat obæratum esse—, non tamen, ita me dii bene ament, eos istius esse similes arbitror,—neque multis est opus—, imo contrarium omnino est verum. Idque ita intelligetis. Neque me, Athenienses, ita loqui vobiscum, ut qui debeatis ærario, putabitis. Neque enim ita est—absit hoc—neque ego ita esse existimo. Sed si forte quis est alicui vestrum sive amicus, sive familiaris inter illos, quanto ejus nomine istum odio prosequi debeat, vobis ostendam. Primum eo quod homines æquos qui spondent pro aliis, qui humanitatis officia præstant, atque ita privatum æs alienum contrahunt, quique in rempublicam nihil deliquerunt, sed fortuna parum prospera sunt usi, in eundem secum ordinem ducit, eodemque convicio involvit, non recte neque convenienter. Neque enim idem est, Aristogito, neque multis verbis est opus. Tu quia tres cives, decreto facto, indicta causa occidi jussisti, condemnatus es violatarum legum: quod crimen cum morte luendum fuisset, lis pecunia tibi est æstimata. Alius aliquis, cum pro amico spopondcrit, damnum inexspectatum ferre non potest: non idem est, non.

20. Deinde, communem humanitatem, quam vos natura habetis alii in alios, istum tollere et perdere, quantum in ipso est, hinc perspicietis. Vos, Athenienses, natura insita, quod dixi, alii in alios humanitate utentes, quemadmodum cognati in iisdem ædibus habitant, sic in urbe publice habitatis. Quomodo igitur illi? Ubi pater est, et filii adulti, fortassis et horum liberi, ibi necesse est multas et nulla re similes exsistere voluntates. Neque enim eadem est adolescentiæ vel oratio, vel actio, quæ senectutis. Sed tamen et adolescentes quicquid agunt, si moderati sunt, id ita faciunt, maxime ut prorsus clam habere studeant, sin minus, præ se ferunt tamen celandi studium: et natu majores vicissim, si forte viderint aut sumptum, aut potationem, aut oblectationes immoderatas, ea ita

vident, ut non vidisse videantur. Ita fit, ut omnia fiant quæ ingenia ferunt, et recte fiant. Ad eundem igitur hunc modum et vos, Athenienses, in urbe habitatis, cognatorum instar, atque humaniter: alii sic adspicientes calamitosorum mala, ut, quod proverbio dicitur, videntes non videatis, et audientes non audiatis, illi ita ea agant quæ faciunt, ut eos appareat cavere et verecundari. Hinc communis illa et omnium bonorum causa reipublicæ manet et constat concordia. Hæc Aristogito adeo præclare fixa natura, et institutis vestris, convellit, eruit, evertit: et quæ omnes alii calamitosi absque strepitu faciunt, ea is tantum non nolis suspensis peragit. Non senator, non præco, non præses, non præsidens tribus eum coercere potest. Si quis igitur vestrum ejus petulantia offensus, eum talia et talia dicat agere, cum debeat ærario, quid vero, nonne et ille, inquit, ærario debet? Et hostem quisque suum nominat. Quare improbitas istius causa est maledictorum, quæ propter istum iis fiunt, qui sunt ejus dissimiles.

21. Reliquum igitur est, Athenienses, iis qui isto liberari cupiunt, ut freti legum exemplo perspicuo et illustri maxime, capitis eum condemnent, aut tanta pecunia mulctent, quantam solvere non poterit. Aliter enim quieti per eum esse non poteritis, id certo scitote. Etenim, Athenienses, reliquorum hominum videatis optimos et modestissimos naturæ instinctu, omni ultro fungi officio: alios his deteriores non adeo tamen, ut nimium vocentur improbi, metu vestri turpiumque et verborum et probrorum dolore, cavere ne delinquant: improbissimos autem, et quos deploratos nominent, calamitatibus etsuppliciis erudiri dicunt. At Aristogito mortales omnes usque adeo improbitate superat, ut nec acceptis malis sit factus emendatior, sed in iisdem sceleribus et injuriis denuo deprehensus. Tanto igitur nunc ei gravius quam olim est irascendum, quod tum decreta duntaxat contraria legibus facienda esse putabat: nunc vero hæc facit, criminatur, in concione orationes habet ad populum, calumniatur, ducit in carcerem, maledicit, capitis arcessit, læsæ majestatis reos agit, in homines honoratos invehitur, cum ipse ærario debeat. Quo nihil est indignius. Ac admonere quidem istum insaniæ fuerit. Qui enim tumultibus, quibus universus populus sibi molestos monere solet, nunquam cessit, neque commotus est, is unius scilicet hominis oratione movebitur? Insanabile, Athenienses, illius est ingenium. Oportet igitur, ut medici cancrum, aut ulcus erodens, aut aliud prorsus immedicabile malum, aut urunt, aut resecant penitus, ita vos omnes hanc belluam exterminare, ejicere e civitate, tollere e medio, nec eo usque exspectare debetis, dum accipiatis malum, quod absit, ut sit reipublicæ perniciosum, sed mature præcavendum est. Sic enim considerate, neminem fortasse vestrum unquam serpens momordit, aut araneus, et absit ut unquam mordeat: sed

tamen eas animantes, ut videritis, statim occidetis. Ad eundem igitur modum, Athenienses, etiam cum calumniatorem, et acerbum, et natura serpentina præditum hominem videritis, ne dum vestrum singulos mordeat exspectate, sed primus quisque, qui in eum inciderit, ulciscatur.

22. Ac Lycurgus Minervam obtestatus est, et matrem deum, in quo recte fecit: sed ego majores vestros, et virtutem illorum invoco, quorum memoriam nulla ævi longinquitas obliteravit. Nec injuria. Non enim ita rempub. gerebant, ut improbissimis et calumniatoribus se adjutores præberent, neque intra pomœria urbis mutua se invidia conficiebant, sed ut tum oratores, tum homines plebeios modestos et bonos honorabant, ita improbos et audaces oderant, et puniebant. Unde omnes veluti pugiles honestorum operum exstiterunt.

23. Unum etiam ubi dixero, desinam. Exibitis statim e curia; spectabit vos corona et hospitum et civium, et cum viritim singulos prætereuntes intuebuntur, ex vultu conjicient, quinam absolverint. Quid igitur dicetis, Athenienses, si legibus neglectis exiveritis? Quo vultu, aut quibus oculis illorum quemque vicissim aspicietis? Quo pacto tabularium ingrediemini, si quid voletis? Neque enim profecto vestrum quisquam ingredietur, quasi leges ratæ sint, nisi nunc confirmata illarum auctoritate communiter omnes exiveritis. Quo pacto calendis arcem ingressus quisque precabitur deos, ut et reipublicæ et sibi sint propitii, si iste ibi fuerit inscriptus, et pater ejus egregius? Si vos contra jusjurandum, et sitam ibi scripturam pronunciaveritis? Aut quid dicetis, Athenienses? Quid dicetis, si quis vos rogitet, cognitis iis qui absolverunt? Quid respondebitis? Placere istum vobis? Et quis id dicere non verebitur? Quis est qui istius hereditatem improbitatis, cum exsecratione et infamia conjunctæ, adire velit, ac non potius ipse illum condemnare malit? Exsecramini igitur eos qui absolverint, et unusquisque eo veluti pignore sanciat, ex illo se numero non futurum. Et quorsum attinet istud facere, cum bene precari liceat, et omnibus omnia fausta et felicia optare, et vos ipsi vobis ipsis, et ceteri Athenienses universi vobis? Addam, et hospites, et liberi, et uxores. Invasit enim, invasit omnes istius nefaria curiositas, et omnes cupiunt istius improbitate liberari, et mulctatum eum videre.

DEMOSTHENIS

CONTRA ARISTOGITONEM

ORATIO SECUNDA.

1. Aristogitonem istum debere ærario, et capite diminutum, et legibus esse interdictum ne tales homines quicquam pro concione dicant, evidenter ostensum est, judices: sunt autem a vobis repellendi et coercendi, cum omnes legum violatores, tum vero in primis ii, qui magistratu funguntur, et in republica versantur. Per hos enim et maximas respublica clades accipit, si mali sint, et vicissim juvatur plurimum, si sint boni viri, et legum studiosi. Quod si rempublicam capessentibus semel permiseritis violare leges, et recepta jura despicere, necesse erit universos, qui in civitate degunt, improbitatis eorum pœnas sustinere. Ut enim delictorum, quæ in navibus committuntur inter navigandum, si quis nautarum deliquerit, parvum est damnum, sin gubernator deceptus fuerit, aut aberrarit, communi calamitate vectores omnes involvit: sic et plebeiorum peccata non in populi, sed in ipsorum damnum cedunt, sed magistratuum, et rempublicam gubernantium peccata ad vos universos pertinent. Quapropter et Solo plebeiis tarda, magistratibus et populi gubernatoribus velocia supplicia constituit: quod existimabat, de illis quovis tempore sumi posse pœnas, hos moram ultionis non admittere. Oppressa enim libertate, qui pœnas repetat fore neminem.

2. Atque hæc instituta nemo ita est vel impudens, vel vestri contemptor, qui refellere audeat, præter Aristogitonem, et ejus audaciam et improbitatem. Omnes enim magistratus, et claros in republica viros inveniemus, si quid semel a vobis pronunciatum in eos fuerit, ratum habuisse. Nam et si quibus abrogatur magistratus, ii statim deponunt munus, et coronas amittunt: et si qui e sexviris in Areopagum non admittuntur, omissa violentia, æquis animis vestra in cognitione acquiescunt. Et hæc merito faciunt. Quemadmodum enim, cum in magistratu sunt, a plebeiis obedientiam sibi deberi censent, eodem modo et ipsi deposito magistratu, legibus, reipublicæ moderatricibus, jure obsequuntur. Præterea qui rempublicam administrarunt omnes, si e memoria vetustatis facto initio

repetere volueritis, uno modo omnes cessisse vestris institutis apparebit. Nam et Aristidem aiunt, a majoribus relegatum, eo usque in Ægina esse versatum, donec eum populus revocasset, et Miltiadem atque Periclem condemnatos, hunc triginta, illum quinquaginta talentis solutis, ita demum conciones habuisse. Quid igitur fieri posset iniquius, quam si is, qui ut boni fecit nihil, ita innumera scelera designavit, tam expedite, præter et utilitatem et justitiam, licentiam a vobis violandarum legum esset consecutus: quum iis qui multa et magna in vos beneficia contulerunt, ea potestas data non fuerit, ut eis aliquid contra leges apud vos receptas agere concederetur?

3. Et quid de antiquis dicere attinet? Nostræ ætatis homines considerate, an aliquis unquam ita exstiterit impudens. Neminem reperietis, si accurate quæsiveritis. Huc illud accedit, si quis decretum aut legem apud sexviros accusat, cum lex aut decretum irritum est, tum legislator decretive auctor nihil impudenter agere conatur, nihil violenter: sed quicquid vos decreveritis, ratum habet, etsi vel eloquentiæ facultate, vel rerum gerendarum dexteritate inter vos excellat. An vero absurdum non est, cum ea quæ vos omnes in conventu publico ex legibus decrevistis, sint irrita, Aristogitonis voluntati in violando jure plusquam ipsis legibus tribui auctoritatis? Rursus, si quis actionem persecutus, quintam suffragiorum partem non tulerit, cui rei legibus ea pœna definita est, ne is de cetero accuset, ne in carcerem abducat, ne deferat. Eodem modo contra hæc nemo agendum esse putat eorum qui ad hunc modum mulctati sunt: apud solum autem Aristogitonem ex omnibus, nullum neque judicium, neque lex plus habet auctoritatis libidine ipsius. Quæ omnia sic observasse, neque vos, neque majores vestros unquam pœnituit. Est enim hoc status popularis munimentum, hostes vel consulendo vel pugnando superare: legibus, sive volentes, sive coactos succumbere.

4. Atque hæc in hunc geri modum oportere, iste ipse etiam manifeste est confessus. Cum enim Hyperides decretum fecisset, postquam Græci cladem ad Chæroneam acceperant, et nostræ civitati de ipso patriæ solo maximum periculum impendebat, ut ignominiosis erepta dignitas restitueretur, quo consentientes universi pro libertate strenue dimicarent, si quod tantum discrimen reipublicæ immineret: id decretum ut contra leges factum accusavit, et in judicio causam egit. Quid vero fieri possit iniquius, quam cum Aristogito ad patriæ defensionem nemini passus sit restitui dignitatem: eum ad suam iniquitatem confirmandam id sibi muneris a vobis omnibus tribui postulare? Atqui decretum illud multo fuit æquius eo, quod tu tibi nunc a judicibus decerni flagitas. Illud enim commune fuit, et æquum civibus omnibus: istud iniquum, quod

soli tibi ex omnibus civibus licentiam tribuat. Illud ad prohibendam eam pacem, qua pace unus dominatu urbis potiretur: istud eo spectat, ut supra judicum decreta et instituta, perpetua serie a majoribus tradita, tibi soli potestas detur delinquendi et agendi quicquid libitum fuerit. Equidem eum rogare cupio, utrum legitima et justa ratione decretum illud accusarit, an contra per injuriam, et legibus violatis. Si enim inutiliter et in populi fraudem, propterea jure occideretis: sin utiliter et e re multitudinis, cur nunc postulas, ut hi decreto tuo contraria decernant? Sed neque illa justa, neque hæc legitima sunt, aut utilia vobis.

5. Ego vero vos video, judices, ita et in vosmetipsos esse animatos. Multos enim jam plebeiorum hominum delatos atque accusatos condemnastis. Nonne vero iniquum est, contra vosmetipsos ita legum esse observantes, in eos vero qui curiose supervacanei aliquid agunt, et publice omnibus negotium facessunt, et supra alios sese efferunt, ita esse lenes et dissolutos? Neque enim ulli vestrum ita sentiunt, sic quidem ut ego dico, fieri oportere, sed propter Aristogitonis bonitatem, et fructum quem ex eo capiatis, connivendum, etsi paululum deflexerit a legibus. Nam eum esse improbum, et injusto præditum ingenio, satis vobis, ut equidem arbitror, iis quæ ante dicta sunt, Lycurgus ostendit: jam nec esse utilem, ex ejus actis in republica perspicitur. Quem enim adductum in judicium, quorum criminum arguit, eorum convicit accusando? Quem vobis reditum comparavit? Quod decretum fecit, quod vos secutos esse non pœnituerit? Nam præter cetera, etiam ita væcors est, et barbaro ingenio, ut si quibus vos iratiores esse viderit, et ultra quam par est concitatos, tum vestris voluntatibus, ex iracundia æstimandis, occasionibus adversetur. Decet autem eum qui vobis consultum velit, non subitis affectibus, quibus iracundia permoti sunt animi vestri, indulgere, sed rationi et negotiis, et temporibus obsequi. Nam illa subito intercidere solent: hæc permanere, et diuturniora esse. Quorum iste nihil cogitans, occulta reipublicæ vitia profert, ut cogatur eadem negotia et rata habere, et irrita facere.

6. At ideo fortassis quod in omnes perpetuo studet convicia dicere, et quiritatur, et orationes interrumpit, nunc eum conservari convenit? Sed, ita me Minerva amet, quæ nunc pro concione fiunt, dedecori sunt reipublicæ: et propter istorum pro suggesto temeritatem et desperationem, ignominiosum habetur jam a bonis viris e vestro numero, versari in republica. Quod si nunc alicui vestrum ista voluptati sunt, non deerit copia eorum qui talia factitent. Nam etiam nunc iis refertum est suggestum. Neque enim difficile est reprehendere consilia, sed suadere aliquid, et persuadere vobis, ut ea quæ oportet decernatis, id vero difficile est. Ad hæc nisi prius etiam

iisdem verbis vos decepisset, cum primum reus esset factus. Ne sic quidem æquum esset contra receptas leges aliquid ei concedi; neque enim si quibusdam violare leges permittitur, postulandum est, ut ex præscripto legum alii se gerant: sed tamen illo tempore minus absurdum fuisset, ei fidem habere, et gratificari, et tali aliqua in re connivere. Quia vero tunc eo absoluto propter spem emendationis, paulo post eundem istum et dicentem et agentem ea quæ non essent e republica, denuo punivistis, quæ vobis idonea, si nunc decipiemini, relinquetur excusatio? Cum enim testimonia rerum adsint, quid verbis est opus? Quæ autem ipsi apud animos vestros nondum satis comperta habetis, de iis fortasse ex verbis judicium est faciendum.

7. Demiror eos, qui sentiunt, privatas opes, iis quos superiori tempore bonos viros fuisse cognoverunt, esse credendas: reipublicæ communes, iis quorum improbitas nec ab ipsis negatur, et palam deprehensa est, committendas. Canem quidem ovili degenerem et ignavum custodiendo nemo præfecerit: reipublicæ autem gubernatoribus plerique dicunt, quoslibet esse præficiendos custodes, qui cum delinquentes se deferre simulent, ipsi vel in primis custodiendi essent. Quæ, si sapietis, cogitantes, eos qui se ista ratione vestri amatores esse profitentur, valere jubebitis: ipsique omni modo cavebitis, ne cui licentiam detis legum violandarum, eorum præsertim, qui rempublicam capessunt, populumque se et dicendo et decernendo defendere profitentur. Nihil enim fieri queat absurdius, quam cum majores vestri pro defensione legum oppetere mortem non dubitarint, vos, nec punire violatores earum instituere: cum Soloni auctori legum æream in foro statuam decreveritis, ipsas leges adeo manifeste negligere, propter quas ei tam eximium honorem habuistis. An vero est rationi consentaneum, cum in ferendis legibus, improbis irascamini in manifesto crimine deprehensos, indemnes dimittere? Cum legislator, homo unicus, propter vos omnium odia susceperit improborum, vos nec propter vosmetipsos, in communi concilio declarare vestrum odium improborum, sed unius hominis succumbere improbitati? Cum capite sanxeritis, ne quis legem commentitiam adducat, connivere, ut veræ leges in commentitiarum numero habeantur?

8. Sic autem acutissime perspicietis, receptis parere legibus quantum bonum sit, et in despectu et neglectu earum quantum insit mali, si legum commoditates seorsim, et quæ ex violatione legum mala oriantur, ob oculos posita intueamini. Reperietis enim violationem legum, insania, et intemperantia, et avaritia esse refertam, leges prudentiæ, modestiæ, et justitiæ fungi officiis. Idque minime est dubium. Eas enim urbes maxime florere videmus, in quibus legumlatores optimi exstiterunt. Nam ut quæ in corporibus oriuntur

infirmitates, medicorum inventis curantur: sic animorum immanitas legumlatorum prudentia exterminatur. Denique nihil honestum, nihil expetendum esse inveniemus, quod a lege sit alienum. Nam universum etiam mundum, et numina, et quæ vocantur anni tempora, lege et ordine—si iis quæ cernuntur adhibenda fides est—gubernari apparet. Excitatis igitur animis vestris, Athenienses, opem ferte legibus, condemnate eos qui religionem deorum immortalium violare instituunt. Quæ si facietis, et officio fungemini, et rectissime pronunciabitis.

DEMOSTHENIS

ORATIONUM TUTELARIUM

INTERPRETATIO LATINA.

ARGUMENTUM ORATIONIS IN APHOBUM DE TUTELA.

Demosthenes Pæaniensis, Demosthenis oratoris pater, decedens duobus liberis superstitibus, Demosthene et filia, tutores instituit tum liberis, tum pecuniæ, tres: duos cognatos, Aphobum et Demophontem; et unum a puero amicum, Therippidem. Ac Therippidæ legat usum fructum septuaginta minarum, tantisper dum Demosthenes togam virilem sumeret. Demophonti filiam despondet, ac duo talenta dotis ei nomine legat. Aphobum minis octoginta datis, suam uxorem, liberum matrem, Cleobulam, Gylonis filiam ducere; atque ædibus etiam, et omni earum instrumento ac supellectile, usque ad virilem Demosthenis ætatem, uti jubet. Hi legatas quidem sibi pecunias statim accipiunt: sed neque Aphobus defuncti uxorem, nec Demophon filiam ducit. Cum autem rem quatuordecim talentum tractassent, ut orator ostendit, et triginta talenta pro emolumentis solvere ac reddere deberent, pauca omnino Demostheni jam adulto tradiderunt. Quapropter adversus Aphobum tutelæ nomine actionem decem talentum instituit, quod is pro tertia gestæ tutelæ parte, pecuniæ trientem deberet: quæ omnia orator tum e sorte, tum ex emolumentis Aphobum debere colligit, et quasdam ejus objectiones refutat.

Hæc oratio secundo loco est habita: et quorundam quæ prius etiam dicta sunt, repetitionem continet.

DEMOSTHENIS

IN APHOBUM

ORATIO PRIMA.

1. Si voluisset Aphobus, Judices, ea facere quæ justa sunt aut de nostris controversiis familiares sumere arbitros, carere his in foro litigandi molestiis potuissemus. Fuisset enim satis stare decretis illorum, ut nulla nobis esset cum eo contentio. Quum vero eorum quibus res nostræ percognitæ sunt sententiam et cognitionem omnino detrectarit, et ad vos qui de nostris negotiis comperti nihil habetis accesserit, necesse est facere periculum an vestra ope jus nostrum ab eo consequi possimus. Equidem scio, Judices, quam difficile sit in certamen descendere ac dimicare de fortunis omnibus, cum viris et dicendi peritis et omnibus copiis instructis, mihi homini propter ætatem rerum prorsus imperito. Quanquam autem longe sum istis inferior, spem tamen optimam habeo me et a vobis quæ æqua sunt impetraturum, et oratione mea tantum assecuturum, ut rem omnem uti gesta est plane intelligatis, nec ullam partem negotii de quo ferenda erunt suffragia ignoretis. Proinde rogo vos, Judices, ut me benigne audiatis, et, si affectus injuriis videbor, in meo jure

consequendo adjuvetis. Dicam autem quam potero brevissime. Atque inde narrationem auspicabor, unde vos negotium facillime perspicietis.

2. Demosthenes pater meus, Judices, rem familiarem talentum circiter quatuordecim, me septennem, sororem quinquennem reliquit; matremque nostram, quæ minas quinquaginta nomine dotis in ejus ædes intulerat. Moriturus, inito de nobis consilio, hæc omnia Aphobi et Demophontis F. Demonis, suorum, hujus ex fratre, illius ex sorore, nepotum, fidei commisit: tertium his adjunxit Therippidem Pæaniensem, non quidem cognatione aliqua, sed amicitia jam inde a puero sibi conjunctum. Huic, ne cupiditate pecuniæ illectus meum aliquid pejus administraret, usumfructum septuaginta minarum ex patrimonio meo tantisper concessit, dum ego ad virilem ætatem pervenissem: Demophonti sororem meam et duo talenta statim habenda dedit: isti ipsi matrem cum dote octoginta minarum et ædes, una cum usu instrumenti et suppellectilis, ratus, eos etiam tanto me diligentius curaturos, quanto eos mihi accedente hac necessitudine conjunctiores reddidisset. Isti autem portionibus his de patrimonio ad se receptis, et reliquis opibus in decenni cura et tutela nostri tractatis, nos cæteris omnibus fraudarunt, ædes duntaxat et mancipia quatuordecim et argenti minas triginta, quæ universa collecta in unum septuaginta minas ad summum conficiunt, nobis tradiderunt.

3. Caput igitur injuriarum, quam fieri brevissime potuit expositum, hoc est, Judices: pecuniæ autem tantum fuisse relictum, ipsi mihi locupletes testes fuerunt. Nam in classem pro me, de vicenis quinis minis, drachmas quigenas contulerunt, tantundem quantum Timotheus Cononis filius et pecuniosissimi quique cives conferebant. Sigillatim autem etiam vobis explicandum est, quæ fructuosa fuerint, quæ non fuerint, et quanti quæque fuerint. His enim cognitis liquido intelligetis, nullos unquam tutores, quam nostra bona istos, vel impudentius vel manifestius diripuisse rem pupillorum. Ac primum, eos pro me hoc tributum in classem æstimatione sua contulisse, testes producam: deinde, me a patre non pauperem aut qui rem septuaginta minarum haberem, sed tantam, ut exactione indicta, nec ipsi occultare publice propter magnitudinem potuerint, relictum esse ostendam. Cape hoc testimonium ac recita.

TESTIMONIUM.

Quanta summa fuerit, hinc etiam apparet. Quindecim nempe talentum; quum census nomine tria talenta conferre voluerint.

4. Sed hoc, audita re familiari, certius cognoscetis. Pater meus, Judices, duas officinas reliquit, opificii utramque non parvi: gladiorum fabros triginta et duo vel tres, quorum pars quinis aut etiam senis, reliqui non minoris certe quam ternis singuli minis æstimari poterant, ab his reditum annuum accipiebat xxx. minas immunes; lectorum fabros viginti numero, ob quadraginta minas oppigneratos, qui xii. minas immunes ei afferebant; argenti ad unum talentum drachmæ fœnore mutuo dati, cujus usura quotannis septem minas superabat. Et hæc sunt quæ, ipsorum etiam confessione, fructuosa reliquerit: quorum sors quatuor talenta et quinquies mille drachmas, reditus quinquagenas minas singulis annis explet. Præter hæc ebur et ferrum, unde fabricabant, et ligneam materiam ad lectos, pretii circiter octoginta minarum: gallam præterea et æs septuaginta minis empta. Præterea domum trium millium drachmarum: supellectilia porro, calices, aurea vasa, vestes, mundum matris, universa pretii decies mille drachmarum: argenti domi repositi octoginta minas. Et hæc domi reliquit omnia. Jam Xutho septuaginta minas pecuniæ navalis elocarat: quadringentas et bis mille drachmas ad Pasionis, ad Pyladæ mensam sexcentas dederat; Demomeli Demonis filio mille sexcentas: ducenæ porro et trecenæ drachmæ aliis atque aliis datæ mutuo simul talentum fere conficiunt. Hæ pecuniæ octo talentum et triginta minarum summam excedunt. Sed universa hæc ad quatuordecim facere talenta ratione inita reperietis. Tantum igitur mihi patrimonium relictum fuit, judices: quantum vero furto sit inde sublatum, et quantum vel seorsim singuli ceperint, vel communiter omnes defraudarint, dati nobis ad hanc causam agendam temporis angustiis excludor quo minus nunc enumerem, sed necesse est ut singula separatim distribuam. Proinde quæ mea Demophon et Therippides habeant, tunc dicendi locus dabitur, cum eos in judicium adducemus: quæ vero istum illi habere contendunt, et ego accepisse scio, de his jam apud vos verba faciam. Ac primum ostendam, eum dotem, octoginta minas, habere: et sic deinceps reliqua probabo quam brevissime potero.

5. Iste statim post patris obitum ex testamento ejus in ædibus habitare cœpit, et quod auri mater habebat et relicta pocula accepit, quæ ad quinquaginta minas valuerunt. Deinde pretium mancipiorum quæ vendebantur et a Therippide et Demophonte accepit, donec dos octoginta minarum compleretur: quæ cum haberet, Corcyram navigaturus triremi præfectus, in tabulas retulit Therippidæ datas, ea se habere ac dotem exegisse confessus est. Harum rerum testes sunt primum Demophon et Therippides, contutores ejus: deinde, psum esse confessum ea se habere, tum Demochares Leuconensis, amitæ meæ maritus, tum alii complures testificati sunt. Nam cum hic alimenta matri non præberet, quamuis dotem haberet, neque domum foris locare vellet, sed ut suo et cæterorum tutorum arbitrio permitteretur postularet, hisce de rebus verba fecit Demochares. Qui-

bus ipse auditis, neque se habere inficias ibat, neque graviter ferebat quasi nom accepisset, sed confitebatur, ac nescio quid se cum matre habere controversiæ de aureis ornamentis dicebat. Qua expedita, se et de alimentis et cæteris de rebus eam rationem initurum pollicebatur, ut mihi cumulate satisfieret. Atqui, si constat, eum apud Democharem hæc esse confessum et apud reliquos qui tum aderant, et a Demophonte atque Therippide pretia mancipiorum causa complendæ dotis accepisse, et dotem se habere in collegarum tabulas retulisse, et quum primum pater obiit in ædibus habitasse, nonne ab omni parte res in confesso est palamque deprehenditur eum dotem octoginta minas accepisse, et id nunc factum nimis impudenter pernegare? Ut autem me vera dicere appareat, cape testimonia et lege.

TESTIMONIA.

Dotem igitur ad hunc modum acceptam tenuit: quum vero matrem meam non duxerit, lege jubetur debere dotem cum usura novem obolorum, ego vero drachmæ tantum pono. Sors igitur et duodecim annorum usuræ, computatione inita, tria omnino talenta conficiunt. Et hæc sic eum probo accepisse et se habere coram tot testibus esse confessum.

6. Jam alias habet triginta minas, accepto officinæ reditu; quo me omnium impudentissime fraudare est aggressus. Mihi vero pater tricenas minas reditum de omnibus reliquit. Quum autem tutores mancipiorum partem dimidiam vendiderint, ipsa utique exigit ratio ut minæ mihi quindenæ numerentur. At Therippides, qui septennium curam servitiorum habuit, undenas quotannis minas acceptas retulit, me singulis annis in ratione referenda quaternis minis defraudato: iste vero, in cujus cura duos primos annos fuere, ne teruncium quidem exhibuit. Nunc enim cessasse ait officinam: nunc se harum rerum curam ipsum non suscepisse, sed procuratorem libertum nostrum Milyam administrasse omnia, et ab eo lucrum esse reposcendum. Quod si nunc quoque tales causas afferet, mendacii facile convincetur. Nam si cessasse officinam dixerit, ipse rationes retulit de sumptibus non qui facti sint in alimoniam mancipiorum, sed in eorum opera, ebur ad artificium et gladiorum capulos et ad alia conficienda, tanquam opus fecerint opifices. Deinde in rationibus perscribit se tribus Therippidæ mancipiis, quæ in officina mea fuerint, mercedem numerasse. Atqui, si nihil operis factum est, neque illi mercedem numerari, neque mihi sumptus eos expensos ferri, decuit. Sin opus esse factum ait, sed vendi nihil potuisse, par utique est ut opera se mihi reddidisse probet et, quibus præsentibus id fecerit, testes exhibeat. Si vero neutrum horum fecit, qui fieri potest ut duorum annorum ex officina reditus, triginta minas, non habeat, quum esse factum omnino constet? Quod si horum utrumque negabit, et Milyam hæc omnia dispensasse asseret, est vero illi habenda fides, affirmanti se amplius quingentis drachmis expendisse, illum si quid lucri sit factum id habere? Mihi quidem contrarium probabile videtur, etiamsi Milyas illa procurasset, hunc quidem impensas facturum, istum vero fuisse quæstum exacturum, si qua modo conjectura capienda est e cæteris ejus factis et impudentia. Cape hæc testimonia, et recita.

TESTIMONIA.

Has igitur triginta minas ex officina, earumque usuram octo jam annos, habet, quæ, si duntaxat in singulas drachmas computetur, aliæ tamen triginta minæ invenientur. Et hæc seorsim solus accepit, quæ conjuncta cum dote et sorte quatuor omnino talenta conficiunt: nunc ea vobis sigillatim exponam, quæ communiter cum reliquis tutoribus diripuit et quorum quædam prorsus ne relicta quidem fuisse contendit.

7. Ac primum quod ad lectorum fabros attinet, quos reliquit pater, isti occultare student, ob quadraginta minas pignori oppositos, qui numero viginti sunt, vobis planum faciam me his per summam impudentiam et manifeste fraudari ab eis. Nam hos domi esse nostræ relictos omnes confitentur, et duodenas patri minas quotannis accessisse haud negant: ipsi vero me annis jam undecim nihil ex eis fructus habuisse dicunt, vel minimi, sumptuum vero summam, qui in eos facti sint, iste propemodum mille drachmas computat; eo impudentiæ venit. Ipsos autem homines, quos tanti constitisse dicunt, nusquam mihi tradiderunt, sed commentum omnium audacissimum afferunt, eum qui meo patri servitia pignori dederit mortalium nequissimum exstitisse, et cum sæpe solvisse fidem, tum ære alieno fuisse oppressum, neque paucos ex ejus creditoribus testes citarunt contra eum: sed quis ille sit qui mancipia acceperit, aut quomodo ex ædibus abierint, aut ab aliquo abducta sint, et a quo victi judicio ea amiserint, dicere nequeunt. Enimvero, si quam probabilem causam haberent, non contra illius improbitatem testes citarent, quæ nihil ad nos attinet: sed his potius niterentur, qui servos abalienassent eosque producerent, eorumque neminem prætermitterent. Nunc per summam iniquitatem, quamvis mancipia esse relicta, eaque se recepisse confiteantur, et usum fructum illorum hominum per decennium perceperint, funditus totam officinam ex oculis tollunt. Hæc ut a me vere dici constet, cape testimonia ac recita.

TESTIMONIA.

Mœriadem autem non fuisse inopem, neque a patre hunc contractum de mancipiis stulte esse factum, evidenti signo cognoscetis. Nam Aphobus officina, ut ex testibus audivistis, ad sese translata, quum officii esset, si quis alius in eam quicquam conferre vellet, ut ipse tutorio nomine prohiberet, pro his mancipiis Mœriadæ quingenas drachmas ipse fœneravit, quas ab eo se, ut rectum æquumque fuerit, fatetur recepisse. Num quid igitur iniquius fieri potest, quam nos nec lucri ex eis habuisse quicquam, et ipsa pignora nobis, qui priores fœneravimus, periisse: isti vero, qui pecuniam in nostra pignora contulit idque tanto tempore post fecit, tam usuram quam sortem e nostris esse restitutam, nec ullam ibi inopiam obstitisse. Ut autem vera me dicere appareat, cape testimonium ac recita.

TESTIMONIUM.

Jam considerate, quantum argenti a lectorum fabris suffurentur. Quadraginta minas ipsam sortem, quæstum per operas decennio factum duo talenta: nam duodecim minarum reditum ex eis quotannis habuerunt. Num parvum quiddam atque ex re obscura, unde furtum facere sit expeditum? ac non potius ita palam tria ferme talenta surripuerunt? Quæ quia communiter sunt direpta, trientem ab isto mihi restitui par est.

8. Jam de ebore ferroque relicto, Judices, idem fere machinati sunt: nam hæc quoque non proferunt. Qui autem fieri potest, ut is qui tot et lectorum et gladiorum fabros possedit, non etiam ferrum et ebur reliquerit? Omnino certe est necesse et hæc affuisse. Nam sine materia quid operis facere potuissent? Eum igitur qui amplius quinquaginta mancipia possedit et duobus opificiis præfuit, quorum altera officina ultra binas minas singulis mensibus in ebur, gladiorum fabrica non minus quam tantundem una cum ferro insumpsit, horum nihil reliquisse dicunt: eo venerunt impudentiæ. Sed eos non credibilia dicere, vel ex his ipsis facile perspicitur: tantam autem eum copiam reliquisse, ut non modo ejus opificibus abunde ad opus faciendum suppeteret, sed etiam ad quibusvis vendendum, hinc apparet, quod et ipse vivens vendidit, et, patre jam defuncto, Demophon et iste ex ædibus iis qui vellent vendiderunt. Quam multa igitur fuisse relicta consentaneum est, quum ea constet non modo tantis officinis suffecisse, sed et a tutoribus seorsim esse divendita? Num paucula, an vero longe plura quam quæ in accusatione perscripta sunt? Cape hæc testimonia, et his recita.

TESTIMONIA.

Hoc igitur ebur pluris est quam talenti, quod nec ipsum nec lucrum inde factum mihi ostendunt, sed et hoc totum penitus supprimunt.

9. Ad hæc, Judices, ex rationibus, quas referunt, de illis quæ ipsi se accepisse confitentur, vobis ostendam, eos tres plus quam octo talenta quæ mea sunt habere, sed Aphobum seorsim tria talenta et mille drachmas accepisse, etiamsi ponam plura sine his esse insumpta quam sunt, et ea quæ ex his reddiderunt detraham; ut sciatis non mediocris esse impudentiæ facta illorum. Nam de meo se accepisse fatentur, iste quidem octo et centum minas, præter ea quæ ego eum habere nunc ostendam, Therippides duo talenta, Demophon septem et octoginta minas. Hæc sunt quinque talenta et minæ quindecim. Hoc igitur, quod non simul universum acceptum est, minæ fere sunt septuaginta septem, reditus de mancipiis, quod vero isti statim acceperunt, parum abest a quatuor talentis: quibus si usura decennii singulis saltem drachmis computata addita fuerit, invenietis octo fieri talenta cum sorte et mille drachmas. Alimonia porro a septuaginta septem minis est computanda, quæ ex officinis redeunt. Nam Therippides septenas minas quotannis in eas dabat, et nos accepisse hoc fatemur. Proinde, cum isti nobis septuaginta minas in officinam ad illos alendos insumpserint, id quod superest septingentas drachmas eis appono et isti plus posui. Id vero quod mihi sumpta virili toga tradiderunt et quantum reipublicæ tributi nomine pependerunt, id est ab octo talentis et ab eo quod est appositum auferendum. Reddiderunt igitur iste et Therippides minas unam et triginta, tributi nomine minas se expendisse duodeviginti ratiocinantur: ego vero etiam hic aucto numero faciam triginta minas, ut in hoc nihil habeant quod contradicant. Itaque si ab octo talentis talentum auferatur, septem sunt reliqua, eaque ex his quæ accepisse ipsi se confitentur, quæque istos habere necesse est. Hoc igitur, etiamsi reliquis omnibus fraudarent se habere negantes, reddere conveniebat, siquidem haud inficias eunt illa de meo se accepisse. Nunc vero quid faciunt? Usuram pecuniæ nullam proferunt, sortemque omnem una cum septuaginta septem minis expensam mihi ferunt: quin Demophon nos insuper debere inscripsit. Nonne ista est magna et insignis impudentia? an quicquam ad immensas sordes et rapacitatem istam addi queat? Quid tandem grave ac indignum videbitur, si ista tam immensa et immania gravia et indigna non videbuntur? Iste igitur pro sese minas centum et octo se accepisse confitetur, quas et ipsas habet, et decennii usuram, quæ tria maxime talenta et mille drachmas conficiunt. Hæc me vere dicere, et, in tutelæ rationibus unumquemque tantum emolu-

menti se accepisse confitentem, universum expensum mihi ferre uti constet, accipe testimonia et recita.

TESTIMONIA.

10. Arbitror igitur, Judices, quod ad hæc attinet, vos satis intellexisse, tum quam multa furentur, tum quibus malis artibus eorum unusquisque utatur: atque hæc cognovissetis accuratius, si mihi testamentum a patre relictum isti reddere voluissent. Nam in illo perscripta fuerunt, ut mea mater affirmat, omnia quæ pater reliquit, et unde legata istis accipienda, et quanti domus esset elocanda. Nunc me tabulas reposcente, relictas esse fatentur illi quidem, sed eas non proferunt. Faciunt autem hoc, tum quia quantæ opes sint relictæ, quas ipsi diripuerunt, palam facere nolunt, tum ne habere legata videantur, quod alioquin ipsa re facile convincerentur. Cape testimonia quomodo responderint, ac recita.

TESTIMONIA.

Hic testamentum esse factum ait, et duo talenta Demophonti et octoginta minas isti esse datas testatur: sed septuaginta minas, quas Therippides acceperit, ut et summam relictæ hæreditatis, et quo pacto domus elocanda sit, adscriptum esse negat. Nec enim ei expedit hæc etiam confiteri. Cape et istius testimonium.

TESTIMONIA.

Hic ipsum quidem testamentum esse factum asserit, ut argentum de ære et galla redactum Therippidæ redderetur, quod is negat, et duo talenta Demophonti: de his vero quæ sibi data sint scriptum quidem esse ait, se vero consensisse negat, ut ne accepisse videatur. Quantum autem opum relictum fuerit iste omnino non declarat, ac ne domus quidem elocationem: nam ne ei quidem expedit hæc quoque confiteri.

11. Nihilominus tamen amplitudo hæreditatis est evidens, quanquam isti rem familiarem dissimulant, ex testamento, quo tantam sibi pecuniam legatam esse invicem confirmant. Qui enim de quatuor talentis et ter mille drachmis, tria talenta et bis mille drachmas dotem alteris dedit, alteri septuaginta minarum usumfructum, nemini profecto obscurum est, eum non de parvis opibus, sed de iis quas mihi reliquit duplo majoribus, illa detraxisse. Nec enim utique me filium pauperem voluit relinquere, istos vero, qui ante divites fuerunt, magis etiam collocupletare voluit: sed propter opum mihi relictarum affluentiam, tum Therippidæ tantum argenti, tum Demophonti duo talenta, quanquam is meam sororem nondum ducturus esset, fruenda dedit, quo alterutrum consequeretur, ut vel donationibus deliniti meliore fide tutelam gererent, vel, si tantis affecti beneficiis ad hunc modum nos violassent, a vobis sine ulla venia punirentur. At iste qui et ipse ad dotem ancillas etiam accepit et in ædibus habitat, postquam harum ei rerum ratio reddenda est, suum se negotium agere ait, et adeo sordide avarus est, ut etiam præceptores meos mercede fraudare non dubitarit, et quædam tributa, quæ ipse non numeravit, mihi tamen expensa ferat. Cape et hæc testimonia et recita his.

TESTIMONIA.

Quonam igitur pacto manifestius demonstrari queat eum diripuisse omnia nec a parvis abstinuisse, quam re hoc modo tot testibus et argumentis demonstrata? quum et ipse dotem se accepisse confiteatur et habere literis tutoribus datis sit testatus? et officinæ usumfructum ceperit, nullos tamen reditus proferat? et e cæteris alia vendiderit pretio non reddito, alia ad se recepta dissimularit? et porro in rationibus, quas ipse retulerit, tantum sit furatus? præterea que testamentum deleverit, mancipia vendiderit, cæteraque ad eum modum administrarit, quem ad modum nec inimicissimi administrarent? Ego certe haud scio, an hæc evidentius a nemine demonstrari ullo modo queant.

12. At vero apud arbitrum dicere ausus est, se de his pecuniis multum æris alieni dissolvisse pro me Demophonti et Therippidæ contutoribus suis, et illos de meo accepisse multa, quum probare neutrum queat. Neque enim me a patre alieno ære obstrictum esse relictum, in literis ostendit, neque illos, quibus se dissolvisse ait, testes exhibuit, neque etiam numerum pecuniæ tantum, quantum eum accepisse constat, in tutores conferre potest, sed magna pecunia minorem. Interrogatus autem per arbitrum cum de his singulis, tum utrum rem suam familiarem ex usufructu auxisset, an vero ipsa prædia et sortem absumpsisset? item, utrum ipse ad hunc modum curatus a tutoribus his verbis sibi satisfieri pateretur, an vero sortem una cum usuris efflagitaturus esset? Ad hæc nihil respondit, sed spondebat se ostensurum patrimonium meum esse decem talentum: quibus si quid abesset, id sese expleturum. Me porro jubente hæc ut arbitro ostenderet, non ostendit, neque se contutoribus tradidisse demonstravit—neque enim arbiter eum damnasset—, sed tale testimonium protulit, de quo dicere aliquid instituet. Proinde si nunc quoque me patrimonium habere dixerit, interrogate eum, a quo? et de singulis exhibere testes jubete: sin id me habere dixerit hoc modo ut computet ea quæ ab utroque tutore debentur, et

duplo eum dicere pauciora constabit, et ea me habere nihilo magis probabit. Ego enim quemadmodum istum tam habere multa probavi, sic illorum etiam utrumque non pauciora his habere ostendam. Quare non hoc ei dicendum est, sed vel se, vel contutores mea mihi restituisse. Sin hoc non ostenderit, debetne ista sponsio apud vos habere locum, quum me nihilo plus habere mea probet?

13. Multis autem apud arbitrum dubitationibus cum æstuaret de hisce omnibus, et in singulis, sicut nunc apud vos, convinceretur, mentiri confidentissime ausus est, quatuor talenta mihi patrem defossa reliquisse eaque matris arbitratui permisisse. Id vero dixit, ut, si eadem se etiam nunc dicturum exspectarem, ea calumnia refutanda moram facerem, quum postulet necessitas ut de aliis eum rebus accusem apud vos, sin tanquam non dicenda præterirem, nunc ea ipse commemoraret: ut ego dives esse creditus, minus vos ad misericordiam commoverem. Atque is qui hoc sibi affirmandum esse duxerat, nullum testimonium proferebat, sed nudis suis fidem haberi postulabat. Quod, si quis eum interroget, quem in usum tantam meam pecuniam expenderit? Æs alienum pro me se dissolvisse ait, atque ibi me facere pauperem conatur: rursus ubi libitum est, divitem, si diis placet, ut cui pater tantum pecuniæ domi reliquerit. At vero non posse fieri ut iste vere hæc dicat, immo non fieri potuisse ut quicquam istorum fieret, multis argumentis facile intelligitur.

14. Nam si pater meus istis diffisus fuisset, perspicuum est eum nec reliqua eis fuisse commissurum, nec si sic ista reliquisset id illis indicaturum; esset enim ingentis insaniæ occulta indicare illis quibus nec manifesta crediturus esset: sin illis fidem habebat, haud utique maximam divitiarum partem illis in manus tradidisset, hæc vero illorum potestati non commisisset. Neque matri meæ hæc custodienda dedisset, atque eam ipsam uni e tutoribus matrimonio copulasset: nec enim consentaneum est, pecuniam per meam matrem velle conservatam, atque unum ex his cui fidem non haberet tum ipsius tum pecuniæ dominum constituere. Deinde, si quid horum verum fuisset, num putatis eum illam a patre datam non accepturum, qui, dote octoginta minis jam acceptis, tanquam eam ducturus, Philonidæ Melitensis filiam duxit? quod si talenta quatuor intra domesticos parietes fuissent, quæ, ut ipse asserit, hæc in potestate haberet, an non eum fuisse accursurum creditis, ut illis una cum ipsa potiretur? Qui enim manifestas quoque opes, quas vestrum etiam plerique relictas esse conscii fuerunt, cum contutoribus adeo flagitiose diripuit iis, quæ conscientiam ac testimonium vestrum fugerent, cum arripere liceret abstinuisset? Quis vero credat? Non ita est, Judices, non ita est. Sed, quicquid pecuniæ reliquit pater, id istis dedit universum: iste vero commentum hoc idcirco finxit, ut

minus a vobis misericordiæ consequar. Multa equidem haberem alia de quibus istum accusarem: sed ubi unum quiddam summatim de omnibus dixero, omnes ejus defensiones evertam. Licuisset isti molestiis et negotiis his carere omnibus, si domum ita uti hæ leges jubent elocasset. Cape leges ac recita.

LEGES.

Harum legum auctoritate Antidoro de tribus talentis et ter mille drachmis intra sexennium ex elocatione sex talenta et plus eo sunt tradita, et hæc quidam vestrum viderunt. Nam Theogenes Probalisius, qui domum ejus conduxerat, in foro pecuniam hanc annumeravit. Mihi autem de quatuordecim talentis annis undecim, si et temporis et elocationis illius ratio habeatur, triplo plus emolumenti nomine debuisset accedere. Hoc vero cur non fecerit, ipsum interrogate. Nam si dicet præstitisse domum non elocari, ostendat non duplicatum aut triplicatum esse meum patrimonium, sed ipsam duntaxat sortem integram mihi esse restitutam: sin de talentis quatuordecim mihi nec septuaginta minas reddiderunt, et ipse me insuper sibi debere in tabulas retulit, est ne accipienda ulla istorum excusatio? Minime gentium.

15. Itaque quum mihi tantum patrimonium relictum fuerit, quantum principio audivistis, et quum ejus tertia pars quinquaginta minas reditum ferat, quamvis liceret istis, quorum cupiditas infinita est atque insatiabilis, si elocare domum noluissent, ex istis reditibus, nulla re mota aut mutata, tum nos alere, tum publica obire munera, et quæ ex eis accederent, ea saltem ad cumulum adjicere, opes autem reliquas, quæ his duplo sunt majores, ita distribuere ne essent ignavæ sed quæstuosæ, ut et ipsi, siquidem cupiditate pecuniæ urgebantur, mediocria inde accepissent, mihique cum sorte ex reditibus rem familiarem auxissent. Horum nihil fecerunt, sed optimis mancipiis inter se divenditis, reliquis e medio sublatis, meos etiam veteres reditus destruxerunt, sibimetipsis non mediocres de meo compararunt. Jam cum cætera etiam omnia turpiter adeo ceperint, communiter ambigunt plus dimidia pecuniæ parte mihi ne relictum quidem esse, sed tanquam quinque talentum duntaxat sint opes, sic rationes de iis retulerunt, reditus ex eis nullos ostendentes, neque sortem manifeste demonstrantes; sed ipsa prædia tam impudenter absumpta esse dictitantes. Neque hujus eos audaciæ pudet.

16. Enimvero, quid mihi accidisset, si sub eorum tutela fuissem diutius? Id ne dicere quidem poterunt. Nam quum decem annis præteritis, ab aliis tam pauca receperim, isti etiam debere sim inscriptus, an non indignari debeo? Omnino clarum est, me, si anni-

culus relictus, sub istorum tutela sexennium adhuc fuissem, nec ista exigua ab eis fuisse recepturum. Nam si superiora recte consumpta sunt, nihil ex his quæ recepi sextum in annum suffecisset, sed me vel aluissent de suo, vel fame perire passi essent. An vero graviter ferendum non est, aliorum familias vel unius vel binum talentum relictas, elocatione, duplicatas esse et triplicatas, ut jam munera publica sint obeunda: meam vero, triremes instruere et magna tributa pendere solitam, jam propter istorum impudentiam nec minima posse sustinere?

17. Quod tandem scelus dici potest, quod intentatum isti reliquerunt? Qui se testamentum clam abolituros sperarint, et suam rem familiarem usufructu nostræ stabilierint, et sua de meo patrimonia collocupletarint: meæ autem familiæ, tanquam summis a nobis affecti injuriis, sortem totam sustulerint? Vos quidem, si quem in vos delinquentem condemnatis, ne ei quidem omnes opes adimitis: sed, vel uxoris vel liberum miserti, partem aliquam illis relinquitis. Isti vero tanto sunt vobis crudeliores, ut etiam donis a nobis acceptis, quo tutelam bona fide gererent, tantis nos contumeliis affecerint, nec erubuerint nec timuerint quicquam, nec miserti sint sororis meæ, si, duobus ei talentis a meo patre legatis, nullam se dignam conditionem consequeretur, sed tanquam inimicissimi aliqui, non amici et cognati relicti essent, nullius necessitudinis habuerint rationem. Sed ego miserrimus omnium utrumque dubito, tum quemadmodum hanc elocem, tum cætera unde administrem: et porro publice urgeor ut tributum conferam; idque jure. Pater enim opes eam ad rem satis mihi magnas reliquit: pecuniam autem relictam isti omnem acceperunt. Et nunc, dum mea recuperare studeo, in summum discrimen adducor. Nam si iste absolutus fuerit, quod absit, centum minas mulctæ nomine debebo. Sin istum damnaveritis, lite æstimata, non de sua, sed de mea pecunia litis æstimationem solvet: mea vero dignitas agitur in hoc judicio. Proinde non tantum patrimonio spoliabor, sed etiam honoribus, nisi vos mei nunc misertum fuerit.

18. Quare oro vos, Judices, et supplico et obtestor, ut legum et jurisjurandi memores, quo adacti jus dicitis, ad nostrum jus consequendum nos adjuvetis, neve plus istius quam nostras apud vos preces valere patiamini. Æquum autem est non sceleratorum hominum, sed contra omne jus humanitatis afflictorum vos misereri, nec eorum qui tam crudeliter aliena per fraudem detinent, sed nostri qui longo jam tempore nostro patrimonio caremus, præterea que ab istis affecti contumeliis nunc de dignitate ac fama dimicamus. Alta utique parens noster suspiria duceret, si intelligeret me suum filium in discrimen adductum ejus mulctæ solvendæ, quæ propter dotes et donationes a se istis datas exigeretur, et cum jam alii cives non

cognatorum modo, sed etiam amicorum inopum filias de suo elocarint; Aphobum nec, quam accepit dotem, velle restituere, idque anno decimo.

DEMOSTHENIS

IN APHOBUM

ORATIO SECUNDA.

1. Cum Aphobus apud vos et multa et magna mendacia dixerit, primum id refellere conabor, quod inter ejus dicta molestissime tuli. Dixit enim, avum meum fuisse ærarium, propterea que noluisse patrem suam domum mercede locari, ut ne in periculum deveniret. Ac prætextu quidem hoc utitur. Sed eum ærarium obiisse, nullo prorsus testimonio probavit: eaque de re dicere distulit, extremum judicii diem aucupatus; atque ipsum testimonium ad posteriorem orationem reservavit, fore sperans ut per eam rem calumniandi sibi daretur occasio. Quod si testimonium illud legerit, diligenter animadvertite: invenietis enim dictum esse a testibus, eum non esse, sed fuisse ærarium. Illud igitur, quo adversarius præcipue nititur, in primis refutare conabor; idque de quo inter nos omnis est controversia. Quod si tum licuisset, neque temporis angustiis per insidias ea re exclusi essemus, testibus planum fecissemus pecuniam solutam et reipubl. per eum ab omni parte satis esse factum: nunc magnis argumentis ostendemus, eum neque debuisse quicquam, nec ullum periculum fuisse nobis si patrimonio palam frueremur.

2. Primum Demochares, qui materteram meam, Gylonis filiam, in matrimonio habet, suas opes non occultat; sed et ædilitate fungitur et triremes ad bellum instruit et reliqua munia publica obit, neque harum rerum quicquam pertimescit. Deinde ipse pater tum reliquas opes, tum quatuor talenta cum tribus millibus drachmarum palam habuit, quæ isti et in testamento fuisse perscripta et se accepisse mutuis ipsi testimoniis sese convicerunt. Quin ipse etiam Aphobus cum reliquis tutoribus quantæ opes relictæ essent publice professus est, et me classis ducem constituit, cum non parvus census ageretur, sed tantus, ut, de quinis et vicinis minis, quingenæ drachmæ penderentur. At si quid istorum verum fuisset, horum nihil fecisset, sed hæc omnia cavisset. Jam vero constat et Democharem et parentem et istos ipsos omnia, sine ullius periculi metu, palam habuisse.

3. Faciunt autem omnium absurdissime, qui dicant, vetuisse patrem ne domus locaretur, et tabulas tamen, unde rei veritas certo cognosci posset, nusquam proferant; ac putent, sublato tanto testimonio, se tam facile fidem apud vos inventuros. Advocandi quidem mox post obitum patris testes fuissent complures, a quibus consignari testamentum juberent, ut, si quid forte controversiæ oriretur, ad illud scriptum recurri, et omnium rerum veritas plane inveniri posset. Nunc alia quædam consignanda censuerunt, in quibus multa de relictis opibus inscripta non fuerunt, nudo duntaxat commentaria: ipsum vero testamentum, in quod pater et ea commentaria retulerat, et reliquam pecuniam omnem, quæ fidei eorum mandabatur, et per quod non elocatæ domus omni crimine liberarentur, id demum neque consignarunt, neque protulerunt. Est vero eis credendum, quicquid de hisce dixerint. Ego vero quid istud sit, non intelligo. Non sinebat locare domum, neque palam proferre pecuniam pater. Utrumne mihi, an vero civitati? Imo constat vos reipub. illam protulisse, mihi vero penitus abscondisse, ac ne eam quidem declarasse, de cujus æstimatione tributa pependistis. Agite, ostendite istæ copiæ quæ fuerint, atque ubi et quo præsente mihi sint traditæ. Nam duo quidem talenta, et octoginta minas, de quatuor talentis, et tribus drachmarum millibus accepistis. Proinde neque istas mea causa reipub. contulistis, cum illis temporibus vestræ essent. Atqui ex ædibus et quatuordecim mancipiis ac triginta minis, quæ mihi tradidistis, non fieri potest ut tantum tributum sit numeratum, quantum vos in classem contulistis. Sed omnino necesse est uti relicta quæ sunt, his longe majora, ipsi omnia teneatis: et tamen cum a vobis ea direpta esse palam convincamini, talia comminisci audetis. Atque alias culpam alius in alium rejicitis: rursus accepisse vos vestris testimoniis alius alium coarguitis. Cum vos accepisse multa negetis, magnorum sumptuum rationes retulistis. Cum tutelam communiter gesseritis omnes, nunc peculiaria singuli effugia quæritis. Cum testamentum aboleveritis, e quo totius negotii veritas cognosci potuisset, nunquam vestræ orationes inter sese conveniunt. Proinde testimonia profer, atque ea ordine his lege omnia, ut eorum etiam quæ testimoniis probata fuerint memores, accuratius de toto negotio decernant.

TESTIMONIA.

Tantum isti mea causa tributi nomine conferendum censuerunt, quantum si meum patrimonium quindecim talentum fuisset, mihi vero ipsi tres ne septuaginta quidem minarum patrimonium restituerunt. Lege sequentia.

TESTIMONIA.

Dotem, quam eum contutores accepisse testantur, et alii apud quos habere se confessus est, eam nec ipsam nec alimoniam reddidit. Cape cætera et lege.

TESTIMONIA.

Officina biennium administrata, Therippidæ reddidit pretium locationis, mihi vero, cum acceperit duorum annorum reditum triginta minas, neque has neque usuram reddidit. Cape aliud et lege.

TESTIMONIUM.

In hæc mancipia quæ iste ad se recepit et reliqua quæ nobis una cum his oppignorata fuerunt, tantum expensum tulit, inde vero acceptum nihil omnino retulit: quin ipsos etiam homines subduxit, qui duodecim minas immunes quotannis afferebant. Dic aliud.

TESTIMONIUM.

Hoc ebur et ferrum cum vendiderit, ne relictum quidem esse dixit; sed et horum pretio me defraudat, talento circiter. Recita hæc.

TESTIMONIA.

Hæc tria talenta et mille drachmas præter cætera tenet, sortis quinque talenta, quæ iste accepit; una vero cum usuris, si quis ad drachmam tantum computet, amplius decem talenta habet. Dic reliqua.

TESTIMONIA.

Hæc isti perscripta esse in testamenti tabulis, seque accepisse, testimoniis in se mutuo dictis probant. At iste se accersitum a patre esse ait, et ingressum in ædes, non accessisse ad eum a quo vocatus esset, neque horum quicquam habuisse ratum: sed audivisse Demophontem recitantem tabulas, et Therippidem affirmantem, eum ita fieri mandasse, cum prius introierit ipse et patri se facturum receperit omnia, quæ consignata literis illis ille reliquisset.

4. Pater enim, Judices, ingravescente morbo cum animadverteret se non evasurum, convocatis tribus istis et fratre Demone accubare jusso, corpora nostra in manus illis dedit, depositum nominans; et sororem Demophonti et duo talenta dotis nomine statim legavit

eamque uxorem illi despondit, me vero apud omnes communiter una cum pecunia deposuit et mandavit ut et domum locarent et patrimonii conservandi adjutores essent, cum simul et Therippidæ octoginta illas minas legaret, et isti tum matrem meam desponderet octoginta minis additis, tum me in ejus genua imponeret. Quorum iste, omnium hominum sceleratissimus, nullius rationem reddit, quanquam his conditionibus meis opibus potitus; sed, postquam pecunia omni cum contutoribus me fraudavit, nunc misericordiam vestram implorabit, qui nec septuaginta minas æquantia tertius ipse restituit: deinde his ipsis etiam idem insidias tetendit. Cum enim has actiones contra eos instituissem, effecerunt ut de permutatione facultatum dies mihi diceretur, ut, si quidem permutassem, mihi non liceret jus meum ab eis persequi, quod lites etiam permutantis fierent: sin nihil horum fecissem, ut de re tenui munera publica sustinens penitus conficerer. Atque in ea re operam navavit illis Thrasylochus Anagyrasius. Ego vero, nulla habita earum rerum ratione, permutavi quidem, sed illud excepi, ut mihi judicium impetrare liceret. Quod cum negaretur, et tempus instaret, ne privarer actionibus, obii munus, oppigneratis ædibus et tota re mea familiari; nam actiones in istos apud vestram fidem deponere volebam.

5. An non igitur jam inde ab initio insignibus injuriis sum affectus? an non luculentis etiam damnis, dum jus meum postulo, ab eis afficior? Quis vero vestrum, non et isti jure invideret, et nostri misereretur, qui videat isti ad acceptum a suis parentibus patrimonium amplius decem talentum meas opes quæ tantæ fuerunt accessisse, nos vero non modo paternis bonis excidisse, sed his etiam quæ nunc tradita sunt istorum improbitate esse spoliatos? Quo vero nos recipiemus, si vos his de rebus aliter quam pro exspectatione nostra sententiam feretis? Ad eane quæ creditoribus oppigneravimus? Sed creditorum ea sunt. Ad cæteras reliquias? Eæ vero istius fient, si mulctam solvere cogemur. Nolite, Judices, nolite nos in tanta mala conjicere, neque matrem et me et sororem qui sumus indignis accepti modis negligite: quos pater non ea spe reliquit, sed alteram tanquam Demophonti dote duorum talentum data nupturam, alteram isti hominum omnium crudelissimo minis octoginta datis elocandam, me vero vobis successorem eorum munerum futurum quæ ipse hactenus obiisset. Subvenite igitur nobis, subvenite, tum justitiæ tum vestra ipsorum causa, tum propter nos patremque defunctum. Conservate me, miseremini mei: postquam isti cognati nostri miserti non sunt, ad vestram fidem confugimus. Obsecro, obtestor per liberos, per uxores, per quicquid vobis bonorum est. Sic illis fruamini, ne negligite me, neque facite ut mater, etiam reliqua spe sustentandæ vitæ frustrata, se quid indignum patiatur: quæ nunc fore putat ut me

apud vos jus meum adeptum excipiat, et sororem elocet. Si vero vos aliquid secus—quod absit—decreveritis, quid illi animi fore censetis, cum me viderit non paternis modo bonis spoliatum, sed et etiam capite diminutum? de sorore vero nec sperare ausit, eam ullam se dignam conditionem, ob secuturam inopiam, assecuturam? Non æquum est, judices, vel mihi jus a vobis negari, vel istum tantas opes per injuriam obtinere. Tametsi enim nondum mei periculum feceritis qualis sim erga vos futurus, sperandum tamen est me non fore patre deteriorem: istius vero animum sic perspexistis. Ut compertum vobis sit, eum, amplis opibus susceptis, adeo suum studium erga vos et liberalitatem nunquam declarasse, ut aliena etiam patrimonia ad se fraude attraxisse sit ostensum.

6. Hæc igitur considerantes cæteraque recordati, sicut justitia postulat, ita decernite. Est autem vobis fides abunde facta testibus, argumentis, conjecturis, istorum verbis qui mea se accepisse universa confitentur. Ea vero expensa mihi ferunt, cum nihil expenderint, sed ipsi omnia detineant. Hæc igitur consideranda vobis sunt, et aliqua nostri habenda ratio; intelligitis enim, me patrimonio per vos recuperato, ex officio, et grati animi ergo, reipublicæ munera libenter obiturum, quod meas mihi facultates juste restitueritis: iste autem, si ei quæ mea sunt possidenda tradideritis, nihil horum est facturus. Nec enim putare debetis, fore ut quicquam de iis opibus in rempublicam collatum velit, quas accepisse se ivit inficias: sed potius occultare studebit, ut jure absolutus esse videatur.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS APHOBUM DE FALSO TESTIMONIO.

Accusatus male administratæ tutelæ Aphobus, in quæstionem a Demosthene postulabat Milyam, quem sciret non deditum iri. Nam Demosthenes, quod diceret, non servum, sed liberum esse Milyam, a patre morituro manumissum, eum non debebat. Ad id probandum cum alia attulerat, tum etiam Stephani testimonium, qui apud judices affirmasset, coram arbitris confessum esse Aphobum de Milyæ libertate. Damnatus autem male gestæ tutelæ Aphobus falsi testimonii Stephanum accusat: quem Demosthenes hac oratione defendit, verum dixisse testimonium, atque etiam ostendit, Aphobo id testimonium nihil nocuisse, sed eum propter alios testes esse damnatum, contra quos cum nullam actionem instituerit, satis apparere sontem esse Aphobum.

DEMOSTHENIS
IN APHOBUM
FALSI TESTIMONII ORATIO.

1. Nisi prius adversus Aphobum in judicio contendissem, Judices, multoque majora et callidiora ejus mendacia facile a me refutata esse scirem propter injuriarum perspicuitatem, mirifice pertimescerem, ut etiam nunc ostendere possem, quibus rationibus vobis undique fucum facturus esset: nunc, diis bene juvantibus, si modo æquis et benignis animis nos audieritis, in spe optima sum vos non minus quam priores Judices istius impudentiam esse cognituros. Quæ si quid eloquentiæ aut calliditatis postularent, equidem subdubitassem adolescentiæ meæ consideratione deterritus: nunc simpliciter docenda et commemoranda sunt istius in nos commissa facinora. Quibus expositis vobis omnibus perspicuum fore opinor, uter nostrum sit improbus. Equidem non ignoro, eum actionem hanc instituisse, non quod se probaturum confideret ab ullo se falso esse testimonio læsum, sed quia putat se ob mulctæ magnitudinem qua damnatus est, et mihi conflaturum invidiam, et sibi ipsi misericordiam impetraturum: propterea que actam causam nunc defendet, de qua tunc nihil æqui dicere potuit. Ego vero, Judices, siquidem rem judicatam ab eo exegissem aut nullas æquas conditiones admittere voluissem, ne sic quidem deliquissem, ut qui ea postularem quæ vestris sententiis decreta essent, sed dici tamen potuisset, istum hominem cognatum inhumanius et acerbius fortunis esse eversum:

nunc contra fit. Nam iste cum contutoribus omni patrimonio me fraudavit et quamvis apud vos palam convictus tamen nihil æqui a se impetrari sinit, sed, distracta re familiari, ædibus Æsio, fundo Onetori, traditis, effecit ut cum illis litibus et molestiis conflictarer: ipse vero instrumento et supellectile ex ædibus ablata, mancipiis abductis, torculari comminuto, foribus revulsis, ac tantum non ipsa domo incensa, Megara profectus, inquilinum ibi agit. Quamobrem multo æquius est ut eum propter hæc facinora odio prosequamini, quam ut me ullius inhumanitatis condemnetis.

2. Ac de istius sordibus atque improbitate post apud vos mihi prolixius dicendum videtur, quanquam nunc quoque summam quandam audivistis: testimonia vero de quibus suffragia feretis vera esse, jam vos docere conabor. Peto autem, Judices, rem æquam et justam, ut pari benevolentia utrumque nostrum audiatis. Idque non minus vobis etiam proderit: nam quo certius rem cognoveritis, eo justius et sanctius pronunciabitis. Ostendam autem istum non modo confessum esse de Milyæ libertate, sed idem ipso facto declarasse: prætereaque certissimas quæstionum probationes recusasse neque voluisse ut veritas per eas ostenderetur, sed tergiversatum et falsis testibus productis eloquentia sua rei veritatem suffuratum, tantis et tam evidentibus argumentis, ut vobis omnibus perspicuum futurum sit, nostram orationem esse veram, istum nihil sani dixisse.

3. Inde autem auspicabor, unde et vobis assequi facillime et mihi causam omnem exponere celerrime licebit. Ego, Judices, Demoni, Demophonti, Therippidæ, et isti male administratæ tutelæ judicium dictavi, omni patrimonio spoliatus. Actione autem prima contra istum instituta, judicibus palam ostendi, quemadmodum vobis etiam ostendam, omnem rem nobis relictam istum cum illis surripuisse nobis, non productis ullis falsis testibus. Cujus rei hoc maximum argumentum est: quod dicta testium quam plurima quum de scripto recitata omnia sint, quorum alii meum aliquid isti datum, alii se præsentibus eum accepisse, alii se ab isto emisse eique tradidisse pretium affirmarent, nullum falsitatis arguit aut accusare ausus est, sed hoc solum arripuit, in quo nec unius drachmæ fieri mentionem possit ostendere. Atqui æstimationem pecuniæ, qua fraudatus sum, non ex hoc collegi et computavi tantam—nec enim argentum continet—, sed ex illis singula ratiocinatus sum, quibus iste nullum crimen impegit: quibus rebus etiam factum est, ut qui tum rem cognoverant non solum eum condemnarint, sed litem etiam tanti æstimarint quantum in actione perscriptum fuerat. Quamobrem igitur illa testimonia præteriit, hoc arripuit? Ego id quoque docebo. Videbat, quæcunque testimonia pecuniam eum habere arguebant, se eam habere tanto magis convictum iri, quanto prolixius singula verbis agitarentur: id quod actione contra testes instituta futurum erat. Quod

enim tunc exigua totius nostri temporis parte inter cætera accusaveramus, id tum toto tempore solum per se explicaturi eramus. Quod si responsum improbasset putabat, quemadmodum tum confessus esset, sic se denuo negaturum: hoc vero penes se fore. Propterea igitur hoc persequitur.

4. Quod esse verum testimonium evidenter vobis omnibus probabo, non conjecturis, neque ratiunculis hujus temporis causa confictis, sed eo quod vobis omnibus, ut ego arbitror, justum videbitur. Idque audite et judicate. Ego, Judices, cum non ignorarem de testimonio in tabella scripto mihi certamen esse, deque eo sententiam vos laturos scirem, nihil antevertendum esse duxi, nisi ut istum provocarem atque arguerem. Et quid facio? In quæstionem ei puerum dare literatum volui, qui affuerat, cum hæc iste confiteretur et testimonium scripserat, nihil a nobis mala fide perque fraudem agere jussus, neque aliud scribere, aliud omittere, eorum quæ iste his de rebus dixerat, sed simpliciter omnia quæ vera et ab isto dicta essent annotare. Qui vero melius potuit quam torquendo puero mendacia nostra refutare? Sed omnium optime sciebat, testimonium esse verum; et ideo quæstionem fugiebat. Neque vero unus atque alter hujus rei conscii fuerunt, neque sub ala ut dicitur provocatio facta est, sed in medio foro magnaque hominum frequentia. Ac voca mihi horum testes.

TESTES.

Est autem iste adeo callidus et usque adeo quid æquum sit intelligere se de industria dissimulat, ut quanquam falsi testimonii actionem instituit, de quo vos jurati pronunciabitis, tamen ejus testimonii veritatem, quod sua potissimum refert, explorare quæstione subterfugerit; falsoque dicat, se illum propter alia depoposcisse. Quid vero absurdius quam eum cum quiritetur inique secum esse actum, qui hominem liberum deposcens, ut ego vobis perspicue ostendam, non acceperit, testes non iniqua pati putare, cum eum quem servum esse constabat me de dictis testimoniis dedente, accipere ipse recusarit? Nec illud causari potest, quibusdam de rebus, quas ipse cupit, perspicuam et fide dignam esse quæstionem, de quibusdam vero obscuram et fallacem.

5. Præterea, Judices, frater istius Æsius primus hoc pro testimonio dixit, qui nunc adjutor ejus it inficias, sed tum una cum aliis asseruit, quod neque pejerare neque mox e vestigio a judicibus condemnari volebat. Quem, si falso testimonio niti placuisset, haud utique in testes retulissem, cum viderem eum Aphobo esse intima necessitudine conjunctissimum, nec ignorarem advocatum illi futurum, prætereaque meum esse adversarium: nec enim cum ulla

ratione consentit, inimicum suum et adversarii fratrem ad testimonium falsum dicendum inscribere. Cum autem harum rerum testes multi sint; non minora nobis etiam argumenta suppetunt. Ac primum nisi ea vere affirmasset, non nunc demum negaret: sed tum statim fecisset, cum in judicio testimonium legeretur, ubi magis inficiatio quam nunc ei profuisset. Deinde non conquiesset, sed actionem injuriarum contra me instituisset, quod se falso dicti in fratrem falsi testimonii reum fecissem: quo judicio et pecunia hominum et dignitas agitur. Jam si rem explorare et evincere studuisset, puerum qui testimonia scripserat a me postulasset, ut, eo non tradito, vanitatis et injustitiæ convincerer. Nunc tantum abfuit ut tale quicquam fecerit, ut nec tradente me, postquam iste inficias ivit, accipere voluerit: adeo non minus in his etiam quæstiones formidant. Hæc ut a me vere dici, atque eum dicto inter reliquos testes testimonio non negasse hæc in hoc prætorio adstantem, cum testimonium legeretur, et me dedente puerum torquendum istis, accipere noluisse, constet; singulatim etiam vobis testes producam. Accerse mihi eos.

TESTES.

6. Quod autem, Judices, omnium eorum quæ diximus evidentissimum signum esse puto quod declaretur hæc istum respondisse, id referam: cum hominem post confessionem eorum quæ a testibus dicta sunt a me postularet, atque ego illum in eo quoque fraudis vellem convincere, quid facio? provoco eum ad dicendum in Demonem testimonium, qui patruus ejus est et socius injuriarum; atque, his in scripta relatis, ea dicere jubeo contra quæ nunc actionem falsi testimonii instituit. Is vero primum impudenter negabat, sed jubente arbitro vel dicere vel ejurare, ægerrime testimonium dixit. Atqui, si homo ille servus fuit nec iste liberum esse prius confessus erat, quid ei accidit ut testimonium diceret potius, quam ejuraret quo negotio liberaretur? cum præsertim de his etiam vellem dedere puerum testimonii scriptorem, qui et suas literas agniturus erat et satis meminerat istum dixisse testimonium. Et hæc obtuli, non penuria testium qui affuerant—erant enim præsto—, sed eo ut nec mendacii eos criminaretur, et eorum fides quæstionibus comprobaretur. Qui vero decet propter istum damnari testes, qui soli omnium qui unquam in forum venerunt ipsum accusatorem earum rerum sibi exstitisse testem ostendunt? Ac ut me vera dicere constet, cape provocationem ac testimonium.

PROVOCATIO. TESTIMONIUM.

Tanta igitur jura iste aversatus, et tot signis calumniæ convictus, suis testibus habere fidem vos postulat, meos vero calumniatur et vera dixisse negat.

7. Disputabo autem, etiamsi veri similitudo spectetur, quidnam de eis sentiri conveniat. Inter vos omnes constare scio, eos qui falsum testimonium dicunt, aut ob inopiam largitionibus corruptos aut propter sodalitatem aut etiam odio adversariorum adductos, a tali facinore non abhorrere. At propter harum rerum nullam pro me dicere testimonium potuerunt, neque enim sodalitates illis mecum intercedunt—id enim qui fieret? cum nec in iisdem studiis versati, et eorum quidam non modo mei, sed ne inter se quidem æquales sint—, nec isti sunt inimici—nam et hoc constat: unus enim frater ejus est et advocatus, Phanus familiaris et tribulis, Philippus nec amicus nec inimicus: quare nec hoc crimen jure quisquam eis impegerit—, neque etiam paupertate adductos esse quisquam dixerit—cum tantas opes habeant omnes, ut et munera vobis alacriter obeant et pareant si quid imperatum eis fuerit—, præterea nec ignoti vobis nec in deteriorem partem cogniti sunt, sed moderati homines habentur. Atqui si nec inopes, nec istius inimici, nec amici mei sunt, qui convenit suspicari, falsum eos dixisse testimonium? Ego quidem non video.

8. Quæ quanquam iste sciebat, et omnium optime norat eos vera dixisse, tamen calumniatur, ac non modo se hæc dixisse negat, quæ ab eo dicta esse quo pacto magis ostendi queat? sed etiam hominem omnino esse servum affirmat. Volo autem pauca duntaxat dicere ad hoc quoque mendacium ejus refutandum. Ego, Judices, etiam propter hæc in quæstionem ei dedere ancillas volui, quæ patre moriente eum manumissum ac tum fuisse liberum meminerunt. Præterea mea mater fidem facere voluit, et ni ita esset me et sororem productos, quos unicos liberos habet, propter quos vidua vitam transegit, devovere, a patre morituro hominem hunc emissum esse manu, atque apud nos haberi pro libero: neque vero quisquam putet eam in nostra capita hæc unquam jurare voluisse, nisi se id liquido facturam intelligeret. Ut autem constet me vera dicere, nosque hæc facere fuisse paratos, voca harum rerum testes.

TESTES.

9. Cum igitur nos tot justas rationes afferre queamus et ad argumenta maxima probandi testimonii confugere voluerimus, iste his omnibus detrectatis, se factum judicium calumniando, et meum testem accusando, persuasurum vobis esse putat ut eum condemnetis, re profecto omnium et iniquissima et sceleratissima composita. Nam ipse falsos testes instituit his de rebus, communibus cum Onetore affine et Timocrate sumptibus: nos vero ejus rei ignari, cum putaremus de ipso testimonio fore judicium, testibus de tutelæ pecunia nunc instructi non sumus. Quanquam autem iste sic ut exposui veteratorie egit, tamen me ostensurum facile confido eum justissime condemnatum esse, non eo quod Milyam torqueri vetuerim, neque quod liberum eum esse sit confessus, idque hi testes affirmarint, sed quod et multarum rapinarum convictus est, nec domum, uti et leges jubent et pater meus in testamento perscripserat, elocavit, ut ego vobis clare ostendam: nam hæc, leges inquam, et magnitudinem direptæ ab istis pecuniæ palam videre erat omnibus, Milyam vero quis esset nemo norat. Et hæc ita se habere, ex accusatione intelligetis.

10. Ego, Judices, isti judicium tutelæ dictavi, non una summa composita, quemadmodum fecisset aliquis calumniandi studiosus, sed singula nominatim perscripsi, unde acceperit, et quantum, et a quo, nec usquam adscripsi Milyam ut ullius harum rerum conscium. Est autem accusationis hoc initium, de his accusat Demosthenes Aphobum: habet meam pecuniam Aphobus tutorio nomine, octoginta minas, dotem matris ex testamento patris acceptam. Hæc prima pecunia est qua me fraudatum queror. Testes vero quid dixerunt? Affirmant se fuisse apud Notharchum arbitrum, cum Aphobus a patre meo Demosthene manumissum esse Milyam confiteretur. Cogitate igitur cum animis vestris, num quis aut orator aut sophista aut præstigiator tam admirabilis et eloquens exstitisse videatur, ut hoc testimonio probaret, Aphobum habere dotem meæ matris. Et quid obsecro in mentem ei venit, ut diceret atque confiteretur, liberum esse Milyam? Eone magis ego dotem habeo? Nihilo certe magis propter hoc quidem, ut apparet.

11. Unde vero hoc ostensum est? Primum ejus contutor Therippides pro testimonio dixit, se illi dotem numerasse. Deinde avunculus Demon et alii qui affuerunt affirmarunt, istum esse professum se, ut qui dotem haberet, victum matri curaturum: neque hos accusavit, quos vera dixisse sciret. Præterea mater me et sororem producere, et in meum sororisque jurare capita voluit, istum e testamento patris dotem accepisse. Eas octoginta minas utrum habere eum dicemus, an non? Utrum propter hos testes est damnatus, an propter illos? Ego quidem propter veritatem opinor. Harum igitur usumfructum cum decennium perceperit ac ne judicio quidem da-

mnatus eas restituere voluerit, tamen inique secum esse actum seque propter hos testes condemnatum queritur: quanquam horum nullus eum habere hanc testificatus est.

12. Jam de pecunia mutuo data et lectorum fabris et ferro et relicto nobis ebore et dote sororis, quam iste per prævaricationem condonavit ut et ipse tantum de meo haberet quantum vellet, audite et considerate, quam jure sit damnatus, quamque non necesse fuerit propterea Milyam torqueri. Nam de his quæ prævaricatus es, lex est, quæ verbis apertis jubet te æque teneri, ac si ipse teneres: quid igitur legi rei est cum quæstionibus? Quod autem ad mutuatitiam pecuniam attinet, cum et socii Xuthi fueritis et pecuniam partiti sitis et tabulas sustuleritis et arbitratu vestro gesseritis omnia et scripta perdideritis, ut Demon contra vos testatus est, etiam his facere fucum studetis. De lectorum fabris autem si correpta pecunia et magno privatim lucro facto meis ad usuram datis, quibus tu alios etiam prohibere debebas, eos deinde sustulisti e medio: quid tibi facturi sunt testes? Neque enim hi testati sunt fateri te, usuras de meis accepisse et mancipia ad te recepisse, sed tu in rationibus scripsisti ista; eaque testes confirmarunt. De ebore porro et ferro, dico ego famulos omnes scire vendidisse istum, eique et tum et nunc quemcunque vellet ad quæstionem dare volui. Quod si me eum qui sciret dare noluisse, eos qui nescirent voluisse dicet tradere, multo magis hos illi accipiendos fuisse apparebit: nam si ii, quos ut conscios ego tradebam, eum horum nihil habere dixissent, omni jam utique crimine liberatus esset. Verum non ita est: sed clare convictus fuisset se et vendidisse et pretium recepisse, eaque de causa præteritis iis quos constabat esse servos, liberum torquere vi studebat, quem nec tradere fas erat, non rei comperiendæ studiosus, sed id quærens ut eo non accepto prætextus sibi aliquis relinqueretur. De his igitur omnibus, ac primum de dote, deinde de iis quæ mala fide administravit, post de cæteris, ut certi sitis, et leges vobis et testimonia recitabuntur.

LEGES. TESTIMONIA.

13. Neque vero ex his solum cognoscetis, nullam ei factam injuriam, eo quod hominem in quæstionem non dederim, sed ipsa etiam re considerata. Ponamus sane Milyam in rota torqueri; et quid ab eo dici optarit potissimum spectemus. Nonne hoc, se non esse conscium an ullam habuerit iste pecuniam? Esto dicat. Proptereane nullam habet? Multum certe abest: eos enim ego testes adduxi qui rem et sciunt et interfuerunt. Argumentum autem et probatio est, non si quis istum aliquid habere nesciat—tales enim esse multi queant—, sed si quis sciat. Cum vero tot

testes in te dixerint testimonium, quodnam testimonium accusaris? Ostende: ostendere non potes. An non igitur ipse te mendacii arguis, dûm injuria te affectum et iniquo circumventum esse judicio clamitas, quod hominem non acceperis, qui eos qui testati sunt habere te et accepisse ea, de quibus tanquam non relictis Milyam postulabas, falsi testimonii reos non feceris? quos longe honestius fuisset, si læsus esses, persequi. Sed læsus a nemine calumniatorem agis.

14. Ac multis modis tua perspicitur improbitas, in primis autem si de testamento aliquid referatur. Cum enim, Judices, pater omnia quæ reliquit testamento inscripserit, et domum elocari jusserit, id non reddidit, ne ego multitudinem facultatum statim deprehenderem: ea vero possidere se fatetur, quæ ita manifesta sunt ut nullo modo negari possint. Hæc autem fuere, quæ perscripta in tabulis esse diceret, Demophonti accipienda duo talenta statim, sororem ducendam ubi adolevisset, idque decennio post futurum erat: isti octoginta minas et matrem meam et ædes inhabitandas: Therippidæ septuaginta minarum usumfructum percipiendum, dum ego vir factus essem. Cætera vero, quæ mihi præter hæc relicta sunt, et domus elocationem, e tabulis delevit: quod sibi ea ostendi apud vos expedire non putaret. Cum igitur ipse fateretur, patrem nostrum morientem tantum argenti horum cuique legasse, judices ex his confessionibus conjecturam ceperunt de magnitudine pecuniæ. Qui enim de suis facultatibus quatuor talenta et ter mille drachmas doti ac dono dedisset, eum apparebat, non de parvis opibus, quas mihi reliquisset, sed de duplo majoribus et amplius, decidisse. Nec enim probabile videbatur eum voluisse me filium ad egestatem redigi, et istos, jam antea divites, locupletiores etiam effici studuisse: sed, propter eorum quæ mihi relinquebantur copiam, et Therippidæ septuaginta minas, et Demophonti duo talenta quanquam sororem meam nondum ducturo fruenda dedisse. Eam igitur pecuniam nusquam cum mihi reddidisse apparebat, nec etiam paulo minorem: sed aliam esse insumptam, aliam non acceptam, aliam ignotam sibi, aliam habere alium, aliam domi repositam, dicebat, aliam quidvis potius, quam ubi reddidisset, dicere poterat.

15. De pecunia autem domi relicta palam vobis ostendam eum mentiri: hanc enim rationem attulit, postquam pecuniam esse magnam indicarat, neque tamen ostendere poterat se reddidisse, ut quod perspicuum est nos ea repetere non deceret quæ domi reposita haberemus. Quod si pater diffisus fuisset istis, non utique cætera illis commisisset, neque illa sic relicta eis narrasset: unde igitur scirent? Sin fidem habuisset, haud utique maximam opum partem in manus eis tradidisset, reliquas eorum potestate exemisset,

neque cum eas matri meæ servandas dedisset, ipsam hanc uni tutorum uxorem despondisset: nulla enim afferri ratio potest, cur pecuniam per illam tueri studuisset, eorum autem unius quibus diffideret potestati tum ipsam tum pecuniam deditam voluisset. Præterea si quid istorum verum esset, non putatis eum accepturum fuisse matrem a patre datam? Qui cum dotem ejus, octoginta minas, ut eam ducturus, teneret, Philonidæ Melitensis filiam duxerit, avaritiæ sordibus impulsus, ut, ad eas quas a nobis habebat, octoginta minas, totidem ab illo acciperet: quod si quatuor talenta domi fuissent eaque, ut iste ait, illa habuisset, nonne eum accursurum etiam putatis, ut illis una cum ipsa potiretur? Nonne cum manifestas opes, quas et vestrum complures sciebant esse relictas, una cum cæteris tutoribus adeo flagitiose diripuerit; nec ab iis quarum vos testes non essetis, potestate nanciscendi data, fuisse temperaturum? Quis vero credat? Non ita est, Judices, non ita est, sed pecunia quam reliquit pater, illa die defossa est, qua in istorum manus pervenit: iste autem cum dicere nequeat ubi quicquam reddiderit, ut ego dives videar neque ullam a vobis misericordiam impetrem, his verbis utitur.

16. Quanquam autem multa habeo quæ in isto accusem; non tamen spatium datur, cum testis agatur dignitas, injurias mihi factas commemorandi. Sed provocationem vobis legam: qua audita, testificationis veritatem cognoscetis, et eum asserere nunc a se Milyam posci propter omnia, cum eum initio propter triginta minas duntaxat poposcerit, atque illud etiam, eum hoc testimonio nihil lædi. Ego, ut istum omnibus modis convincerem, et dolos ejus et calliditates vobis aperirem, percontabar eum, quantus esset pecuniæ numerus, propter quam Milyam ut conscium postularet, is vero per mendacium propter omnia inquit. De hoc igitur, inquam ego, tradam tibi eum qui exempla habet, quemadmodum tu me provocaris: etsi autem ante jurejurando ego affirmavi, te et de libertate hominis esse confessum, et in Demonem dixisse testimonium, tamen si in filiæ tuæ caput juraveris contraria horum esse vera, remitto tibi ea omnia propter quæ te quæstionem primum postulasse constabit si puer in tormenta detur, et tantum tibi de eorum æstimatione quorum damnatus es detraho, quantum id est ob quod Milyam postulasti, ut tibi testes fraudi ne sint. Hæc cum ei præsentibus multis denunciassem, facturum se negavit. Cum ipse igitur hoc jus sibi dicere recusarit, qui convenit ut vos jurati ab isto adducamini, ut testes condemnetis, et non eum potius omnium hominum impudentissimum existimetis? Ac me vera loqui uti constet, voca harum rerum testes.

TESTES.

Neque vero cum ego hæc prompte offerrem, testes aliter animati erant. Sed et hi, adductis liberis, confirmare quæ dixerant jurando in illorum capita voluerunt: at iste nec his neque illis neque mihi deferre jusjurandum voluit, sed summa rerum in callide confictis verbis et testibus non vera testari solitis collocata, spem concepit se vobis facile daturum esse verba. Cape igitur ac lege eis hoc quoque testimonium.

TESTIMONIUM.

17. Qua ratione quisquam apertius ostendat et nobis fieri calumniam, et istum tum vero testimonio tum justo judicio convictum, et damnatum, quam si hoc modo ostendat: eum noluisse puerum, testimonii scriptorem, subjicere quæstioni, ut cognosceret de ipsis testificationibus; Æsium fratrem ejus ea testificatum esse, quæ dicit esse falsa; istum ipsum eadem testificatum mihi quæ alios testes in Demonem suum avunculum et contutorem; noluisse eum ancillas de eo, an homo liber esset, torquere; matrem fidem his de rebus nostro periculo firmare voluisse; istum reliquorum servorum nullum admittere voluisse qui omnia melius scirent, quam Milyas; nulli testium, qui eum habere pecuniam asseruerant, falsi testimonii diem dixisse; nec testamentum reddidisse, nec domum elocasse, cum leges jubeant; cum ego et testes firmare fidem vellemus, jusjurandum ante daremus, ea conditione, ut remissa ei esset pecunia, propter quam Milyam postulasset, ipsum id sibi non esse faciendum censuisse? Ego mediusfidius hoc ostendere non possum accuratius, quam ad hunc modum. Quanquam autem et ita manifeste in testes mentitur, et e rebus ipsis nihil damni facit, et justo est judicio damnatus, tamen impudenter tergiversatur.

18. Quod nisi, prius et ab amicis et ab arbitris injuriarum condemnatus, his verbis uteretur, minus esset mirandum: nunc, postquam mihi persuasit ut Archeneo et Dracontidæ et Phano quem nunc falsi testimonii reum fecit rem permitterem, eos quidem missos fecit, ubi ex eis audierat, si cum jurejurando arbitrentur, se eum tutelæ damnaturos, et ad sortito datum arbitrum abiit, cumque nullum crimen diluere posset, etiam illius est sententia damnatus. Judices autem, quos appellaret, causa cognita, non aliter quam et ejus amici et arbiter statuerunt, et mulctam decem talentis æstimarunt. Non mehercule quod liberum esse Milyam dixisset—hoc enim nihil ad causam attinebat—, sed quod re quindecim talen-

tum mihi relicta, nec domum elocarat, et re familiari decennium cum collegis tractata, pro me dum puer essem apud collegium trierarchorum se quinque minas collaturum professus, quantum Timotheus Cononis filius, et locupletissimi quique cives conferebant, atque ipse tanta pecunia tam diu administrata, pro qua ipse tantum tributum esse pendendum censuerat, mihi pro sua portione nec viginti minis æstimanda reddiderat, unaque cum tutoribus sorte ipsa et usura fraudarat. Subducta igitur Judices totius pecuniæ usura, non ea quanti domus locari solent, sed quæ minima est, repererunt me ab eis amplius triginta talentis fraudari; propterea-que istum decem talentis condemnarunt.

ARGUMENTUM ORATIONIS IN ONETOREM UNDE VI.

Aphobus, Demosthene actionem tutelæ contra eum instituente, duxit Onetoris sororem sibi a priore marito Timocrate, qui pupillam dotatam ducturus erat, desponsam. Post Onetor, jam reo facto Aphobo tutelæ nomine, ut orator demonstrat, sororem commentus fecisse divortium ad se abduxit. Damnatoque jam Aphobo, in bona ejus et fundos invadentem oratorem dejicit; sororis esse fundos, ob dotem pignori oppositos, ait. Eam ob rem Demosthenes unde vi cum eo agit, tanquam de prædiis Aphobi dudum, nunc vero suis factis dejectus, cum non dotem, sed mulierem duntaxat, Aphobus acceperit: quod Onetor, cum Aphobum ejusque rem familiarem in periculo esse videret, dotem ei numerare noluisset. Nunc igitur commentitium, inquit, est divortium, fundus autem in meam fraudem, propter ea quæ non accepit Aphobus, pignori oppositus esse dicitur. Nomen ἐξούλης Atticum est. ἐξίλλειν enim vocabant extrudere atque expellere vi.

DEMOSTHENIS

IN ONETOREM UNDE VI

ORATIO PRIOR.

1. Etsi, Judices, non parum laboravi, ut neque ea quæ cum Aphobo mihi fuit contentio incideret, neque hæc quæ nunc est adversus Onetorem affinem ejus, propositis utrique multis æquis conditionibus, nihil æqui tamen impetrare potui, sed istum illo multo asperiorem reperi et pœna longe digniorem. Nam cum putarem, illum debere inter amicos mecum transigere controversiam neque apud vos experiri, eum adducere non potui: istum autem cum juberem ipsum sibi fieri judicem, ut ne apud vos periclitaretur, ita sum contemptus, ut non modo responsum mihi dare dedignaretur, sed etiam e fundo, quem possedit Aphobus cum a me judicio damnaretur, contumeliose omnino ejecit. Postquam igitur meis me spoliat, et tum affine fretus tum opibus suis atque artificiis ad vos ingressus est, hoc nobis est reliquum uti vestro auxilio jus ab eo nostrum consequi studeamus. Equidem scio, Judices, contra verborum apparatus et testes non vera testificaturos esse mihi certamen: bonitate causæ me tanto superiorem eo fore confido, ut, etsi quis vestrum hactenus eum esse improbum non existimavit, tamen vel ex ejus in me factis cogorituri sitis, hactenus eum summam suam improbitatem et injustitiam celasse. Demonstrabo enim, eum dotem non modo non numerasse, ob quam nunc fundum illum pignori

oppositum esse dicit, sed ab initio fortunis meis insidiatum, prætereaque mulierem cujus nomine me e fundo ejecit non discessisse a marito, sed eum in fraudem meam Aphobi causam agere et hæc judicia subire, adeo magnis signis et evidentibus argumentis, ut vos omnes certo cognituri sitis, jure convenienterque eum hoc a me judicio accusari. Dabo autem operam ut inde capiam narrandi exordium, unde vos negotium facillime percipietis.

2. Fortunas meas, Judices, a tutoribus male administrari, neque istum neque multos alios Atheniensium latuit, sed statim palam fuit injuriam mihi fieri: adeo multæ tractationes et disputationes cum apud prætorem tum apud cæteros judices fiebant de rebus meis. Nam et de magnitudine relicti mihi patrimonii constabat, et tutores non elocare domum, ut ipsi pecunia fruerentur, non obscurum erat. Quare quicunque illa norant non dubitabant, quin cum ita fieret cum primum virilem togam sumpsissem, pœnas essem de eis sumpturus: inter quos et Timocrates et Onetor in ea sententia perpetuo fuerunt. Quod ita esse maximo illud argumento est, quod iste sororem Aphobo dare voluit, cum non modo suopte sed et meo non parvo patrimonio potitum videret, dotem autem numerare pertimuit, tanquam tutorum opes pupillis veluti oppigneratas esse judicaret: ac sororem quidem dedit, sed dotem usura quinque obolorum se ei debiturum pepigit Timocrates, is in cujus matrimonio mulier prius fuerat. Postquam autem me accusante tutelæ judicio condemnatus fuit Aphobus nec quæ justa erant ulla ex parte præstare voluit, dirimere controversiam Onetor inter nos non instituit: sed cum dotem non numerasset, eamque in sua potestate haberet, sic tamen, quasi divortium fecisset soror, atque ipse datam dotem recuperare non posset, sibi prædium illud oppigneratum esse dictitans, ex eo me exigere non dubitavit. Usque adeo et me et vos et receptas leges contempsit.

3. At quæ facta sint, propter quæ reus est et de quibus sententiam laturi estis Judices, hæc sunt: exhibebo autem testes, primum ipsum Timocratem, pepigisse eum se debiturum dotem et usuram dotis numerasse Aphobo ex pactis et conventis, deinde ipsum Aphobum confecisse tabulas de usura a Timocrate accipienda. Cape testimonia.

TESTIMONIA.

Jam primum omnium constat, non numeratam esse dotem, nec eam in sua potestate habuisse Aphobum.

4. Ipsa autem res declarat satis, propter ea quæ dixi, eos debere maluisse dotem, quam immiscere in rem familiarem Aphobi sic periclitaturam. Nam nec inopiam prætexere possunt quo minus statim dederint: cum et Timocrati res sit amplius decem talentorum, et Onetori plus quam triginta, quare non propter hoc non statim numerarunt. Neque vero etiam possessiones eis erant, pecunia præsens non erat, neque mulier vidua vivebat, ut ista accelerarent dotem non simul numerantes: nam et argenti non parum hi aliis ad usuram dant, et mulierem matremfamilias adhuc nec dum a Timocrate dimissam elocarunt, quare ne is quidem prætextus eorum jure ab ullo admittetur. Jam illud etiam, Judices, omnes confiteamini, in tali contractu quemvis malle cuivis alteri debere potius, quam affini dotem prorsus non reddere. Nisi enim aliquis dissolverit fit debitor de quo incertum est, utrum bona fide redditurus sit nec ne: sin una cum muliere dotem numerarit omnem, necessarius et affinis. Nam ubi ea quæ decuit omnia præstitit omni suspicione liberatur, proinde, cum ita se res habeat, et istos nihil omnino eorum quæ dixi debere coegerit ac ipsi ne voluerint quidem, alia causa, cur non reddiderint, dici nulla potest: sed hanc esse causam necesse est, propter quam reddere dotem non ausi fuerunt.

5. Ego igitur extra controversiam hæc ita probo. Reddidisse autem ne postea quidem, ipsa rerum gestarum serie me facile ostensurum confido: ut vobis perspicuum fiat, etsi non his de causis dotem retinuissent, sed argentum dissolvere celeriter voluissent, nunquam fuisse reddituros, neque a se amissuros. Tanta in eo negotio mora sunt impediti. Biennium enim intercessit interim, dum et mulier materfamilias fuit, et isti eam discessisse dixerunt: nam cum Polyzelo prætore mense Maio nupsisset, divortium scriptum est prætore Timocrate mense Decembri. Ego vero statim post nuptias sumpta virili toga, accusavi et rationes poposci: et, omnibus fortunis fraudatis, judicium adeptus sum eodem prætore. Tempus autem hoc debitum quidem admittit ex pacto, sed solutio credi non potest: nam qui principio propterea debere voluit et dare usuram, ut ne dos una cum reliquis bonis periclitaretur, is quo pacto reddidit illi jam accusato, qui, si prius credidisset, tum recipere studuisset? Cui hoc persuadebitur, Judices? Nupsisse autem mulierem eo quo dixi tempore, et interea temporis intercessisse controversiam inter nos, meque postea judicium esse adeptum, et istos divortium ad prætorem retulisse, uti constet, singulatim hæc testimonia recita.

TESTIMONIA.

Huic igitur in prætura successit Cephisodorus, Chion. Sub hos accusavi sumpta virili toga: judicium vero adeptus sum sub Timocrate. Cape hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

Lege etiam hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

Constat igitur e dictis testium, eos dotem non dedisse, sed ad conservandas Aphobi opes hæc agere audere. Qui enim tanto tempore se et debuisse et reddidisse et non recepisse et uxorem discessisse et prædium sibi oppigneratum esse asserunt, an non perspicue declarant, rem sua auctoritate gestam eo consilio, ut iis quæ mihi vos adjudicassetis me fraudarent?

6. Jam illud etiam ex ipsius istius et Timocratis et Aphobi responsis, non potuisse dotem reddi, vos edocere conabor. Ego, Judices, quæsivi ex eorum singulis coram multis testibus: ex Onetore et Timocrate, quinam essent testes in quorum præsentia dotem reddidissent; ex ipso Aphobo, qui affuissent cum accepisset. Ibi omnes uno ore mihi responderunt, nullum affuisse testem, sed tantum ab eis quoque tempore auferre solitum Aphobum quantum exegisset. Cui vero vestrum hoc fit verisimile, cum dos talentum esset, absque testibus Onetorem et Timocratem Aphobo tantum argenti reddidisse? cui non modo ad istum modum, si quid forte solvisset, sed multis etiam testibus præsentibus nemo temere fidem habuisset, ut, si qua controversia incidisset, facile per vos recuperaret. Neque enim quisquam in tali contractu, nedum adversus istum tali ingenio, nullos testes adhiberet, sed ne tum quidem si cum alio res esset: imo his de causis et nuptias celebramus et maxime necessarios invitamus, quod non levis res agitur, sed vita sororum et filiarum alienæ fidei committitur, quæ ut in tuto collocentur summa cura providemus. Consentaneum igitur est et istum, coram quibus se debere confessus est et usuram daturum promisit, iisdem etiam præsentibus satisfacturum Aphobo fuisse, si revera dotem ei reddidisset: nam re ad hunc modum gesta omni molestia liberatus esset, sin solus soli reddidisset, eos qui pactis et conventis interfuerant, testes contra se tanquam debitorem reliquisset. Nunc igitur necessariis suis, viris quam ipsi sunt melioribus, persuadere non potuerunt, ut dotem esse redditam pro testimonio dicerent, sin alios testes adducerent genere non conjunctos, vos eis esse credituros non putabant. Sin universam simul dotem se reddidisse dicerent, si servos qui pertulissent in quæstionem postulatos, solutione non facta, dedere nollent, palam fore imposturam: sin ipsi se solos soli illi dedisse dicerent, fucum tegi posse sperabant. Quare ad hunc mentiri modum necessario voluerunt. Talibus technis et calliditatibus se homines simplices perhiberi postulant, eaque opinione facile vos a se posse decipi sperant, cum nec minimis in contractibus esse negligentes, sed quanta maxima fieri potest uti diligentia soleant. Cape testimonia, coram quibus responderint, et recita his.

TESTIMONIA.

7. Agite vero, Judices, mulierem vobis etiam ostendam, simulare divortium, cum revera sit Aphobi materfamilias. Existimo enim, ubi hoc certo cognoveritis, vos istis et in cæteris minus credituros, et mihi affecto injuria ad jus meum obtinendum fore adjutores. Partim autem testes adducam, partim magna signa et argumenta satis firma ostendam.

8. Ego, Judices, postquam in album prætoris relatum fuerat mulierem fecisse divortium et Onetor dixerat sibi prædium illud ob dotem oppigneratum esse, cum viderem Aphobum nihilominus tenere et colere agrum et consuetudinem matrimonii habere cum muliere, satis sciebam, verba esse illa ad rem eludendam excogitata. Quæ ut vobis omnibus evidenter ostenderem, professus sum me convicturum esse eum coram testibus, si ea ita se habere negaret, et servum ad quæstiones obtuli qui plane sciebat omnia, quem quod pecunia ad diem soluta non erat ex Aphobi familia ceperam. Quæ cum ego postulassem, iste quæstiones de sororis cum Aphobo consuetudine detrectabat: illum vero colere agrum, quia manifesta res erat, negare non poterat, sed fatebatur.

9. Neque vero ex his solum cognitu facillimum erat, eum et in matrimonio habere mulierem et prædium possedisse adhuc priusquam judicium factum esset, sed ex iis etiam, quæ judicum sententiis damnatus fecit. Tanquam enim non ob dotem oppignerasset, sed tanquam ex judicato mea futura essent, iis efferri quæ poterant abreptis, abiit, ut frugibus, ut instrumento omni rustico, exceptis doliolis: quod vero auferri non potuit, terram, necessario reliquit, ut isti nunc de ipso fundo controversiam facere liceat. At qui convenit istum dicere, prædium sibi oppigneratum, cum eum qui oppignerasse dicitur idem colere videamus, atque asserere divortium sororem fecisse, cum ea ipsa de re quæstiones palam fugitarit: atque eum qui uxorem, ut iste asserit, dimisit, et fruges et rusticum omne instrumentum extulisse, cum iste ejus quæ a marito discessisse, cujus nomine prædium oppigneratum esse dicitur, patronus et defensor, nihil horum omnium iniquo animo tulerit sed acquieverit. Nonne hæc evidentissima sunt? non hæc manifesta collusio? Quis neget, nisi qui non diligenter omnia reputarit. Ac eum confessum esse coluisse Aphobum prædium illud priusquam in jus a me voca-

retur, de divortio autem sororis quæstionem habere noluisse, villam post judicium nudatam esse instrumento, vasis exceptis, uti constet, cape testimonia et lege.

TESTIMONIA.

10. Etsi autem ego tot argumentis nitor, Onetor tamen vel in primis ipse ostendit simulari divortium. Quem enim par erat, numerata dote, ut ipse ait, moleste ferre, se pro argento controversum prædium recipere, is, non ut adversarius aut ut affectus injuria, sed ut conjunctissimus omnium, in judicio contra me ab illo stetit. Ac me illo adjutore fraudare patrimonio instituit, quantum in ipso quidem fuit, a quo nulla ei unquam orta fuerat injuria: Aphobum autem, quem alienum a se judicare debebat, si quid eorum quæ nunc dicunt verum esset, meis opibus adjectis collocupletare studuit, neque hic solum id fecit, sed lata jam sententia, conscenso prætorio supplex orabat et obtestabatur judices cum fletu et ploratu, talento litem ut æstimarent, atque ipse sponsorem ejus se offerebat. Quæ tametsi multis modis constant, nam et qui tum in prætorio jus dicebant, et qui aliunde aderant, complures ea norunt; nihilominus tamen vobis etiam testes adducam. Cape hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

11. Ad hæc, Judices, magno indicio facile cognoscitur, mulierem revera fuisse matremfamilias ac ne hodie quidem fecisse divortium. Nam hæc ipsa mulier, antequam ad Aphobum veniret, nec unum diem vidua vixit, sed tradente Timocrate ad illum se contulit: nunc vero triennio toto alii nupsit nemini scilicet. At eam tum, ne viri consuetudine careret, a marito ad maritum se contulisse; nunc, si revera discesserit, tam longum tempus viduam vivere voluisse, quis credat? cum et alii nubere liceret, et frater tantas opes possideret, et ipsa ea esset ætate. A fide veritatis, Judices, hæc abhorrent, fabulæque sunt hæc. Et mulier aperte materfamilias est, neque rem obscure fert. Atque adeo Pasiphontis vobis exhibebo testimonium, qui cum eam ægrotantem curaret assidentem ei vidit Aphobum, hoc prætore, hoc jam isti judicio dictato. Cape Pasiphontis testimonium.

TESTIMONIUM.

12. Ego igitur, Judices, quod et post judicium istum statim recepisse ad se pecuniam ex ædibus Aphobi et tum illius tum mea omnia in sua potestate habere, et mulierem manere apud Aphobum, sciebam, tres ancillas ab eo postulavi, quæ et matremfamilias esse mulierem et pecuniam penes istos esse norant, ut non verba modo, sed quæstiones etiam de re haberentur. Quæ cum ei sic denunciasse, et qui aderant omnes æquum postulare me pronunciarent, ad hanc confugere probationem noluit: sed, perinde ac si talibus in negotiis aliæ probationes essent quæstionibus et testibus evidentiores, neque testibus adductis de numerata dote, neque in quæstionem datis ancillis de sororis matrimonio consciis, me, qui hæc ab eo postulabam, superbe omnino et contumeliose a colloquio suo repulit. Quid isto fieri posset homine iniquius? quis magis de industria se ignarum esse æqui bonique simularet? Cape provocationem et recita.

PROVOCATIO.

Vos autem et privatim et publice quæstionibus summam fidem habetis: et, cum servi et ingenui adsunt, in explicanda controversia, non utimini testimoniis ingenuorum, sed ita rerum gestarum veritatem exquiritis, ut servos torqueatis. Nec injuria, Judices. Nam aliquoties testium aliquos falsa testificari compertum est: nulli vero servi subjecti quæstionibus unquam in tormentis mendacii comperti sunt. Iste vero, tot jura aspernatus adeoque perspicuis et magnis probationibus prætermissis, Aphobum testem adducendo et Timocratem, hunc de data, illum de accepta dote, sibi fidem haberi a vobis postulabit, rem cum istis absque testibus transactam fingens. Tantæ vos vecordiæ damnat.

13. Eos igitur neque vera, neque verisimilia dicturos, tum e prima eorum confessione de dote non reddita, tum ex affirmatione de eadem sine testibus reddita, tum ex ipso tempore quod in discrimen jam adducta re familiari solutionem fieri non sivit, tum e cæteris rebus omnibus, satis a me ostensum esse existimo.

ARGUMENTUM ADVERSUS ONETOREM UNDE VI SECUNDÆ ORATIONIS.

Prætermissa quædam superiore oratione hac adjicit, ut ipse significat, atque etiam quasdam rationes adversarias diluit. De his autem orationibus ante diximus affirmare multos, eas ab Isæo esse compositas, quod hujus oratoris esse propter ætatem credere nequeant: alios, ut hoc non sit, ab Isæo saltem esse correctas; quod illius orationibus similes videantur. Neque vero mirum est, eum imitatum esse magistrum; et cum nondum perfectionem esset adeptus, ad illius interea dicendi genus se contulisse.

DEMOSTHENIS

IN ONETOREM

ORATIO SECUNDA.

1. Quod in priore oratione argumentum præterii, unde non minus quam ex ullo eorum quæ dixi constet, non datam esse dotem ab istis Aphobo, eo primum exposito, mox etiam mendacia istius dicta apud vos refutare aggrediar.

2. Iste, Judices, primum postquam de bonis Aphobi controversiam movere instituit, non talentum se doti, ut nunc, sed octoginta minas dedisse dixit, easque ita distribuit, ut ædes duobus millibus drachmarum, prædium talento, sibi oppigneratum esse diceret, ei non hoc solum, sed illas etiam conservaturus. Jam autem me judicio cum illo conflictante, cum videret ut vos in nimis impudenter injurios animati essetis, consilio inito, inique mecum agi visum iri existimavit, si tanta pecunia spoliatus ab Aphobo, mea detinente, nihil recipere possem, atque a se manifeste prohiberer. Quid igitur facit? Pignoris indices ab æbibus aufert, et talentum duntaxat dotem esse dicit, quanti prædium æstimatum sit. Atqui perspicuum est, si ædibus indices rite apposuit et vere, itidem et in prædio esse factum: sin statim mala et injusta cogitans illos falso apposuit, consentaneum est neque hos esse veros. Neque hæc e meis quæ attuli verbis æstimanda modo sunt, sed etiam e factis istius, cum ea facere a nemine mortalium cogeretur: nam ipse libellos dejecit, reque ipsa declaravit, se mentiri. Atque hæc a me vere dici ut constet, et eum nunc prædium talento esse oppigneratum asserere, et cum prius ædibus, ut duobus drachmarum millibus oppigneratis, indices apposuisset, nunc rursus eosdem facto

judicio sustulisse, testes rei gnaros vobis adducam. Cape testimonium.

TESTIMONIUM.

Constat igitur, eum viginti minis ædes oppigneratas indicasse, prædium talento, et quasi octoginta minas dedisset controversiam fuisse facturum. Quod igitur mendaciorum ejus manifestius indicium requiritis, quam quod eum nunc aliud quam initio dixisse constat? Mihi quidem hoc nullum videtur inveniri posse evidentius.

3. Considerate igitur hominis impudentiam, qui apud vos dicere ausus fuit, se quanto id sit pluris quam talenti, eo me non fraudare, idque cum ipsius æstimatione non sit pluris. Quid enim tibi voluisti cum ante viginti minis ædes oppigneratas esse indicares, dum octoginta minas petebas, si prædium pretii majoris fuit, ac non in eo potius etiam illa duo millia drachmarum collocasti? An vero, cum tibi visum fuerit omnes Aphobi opes tueri, tunc prædium talenti duntaxat erit, et ædes duobus drachmarum millibus æstimatas adjunges, et dos octoginta minæ erunt, et utrisque potiri voles: contra ubi tibi istuc non expediet, ædes, quod ego eas habeo, talenti erunt, id vero quod de prædio superest, non minoris erit quam duorum talentum, ut ego damnum isti dare, non affici ab eo injuria, videar? Vides, ut te dedisse dotem simules, ac te dedisse nulla prorsus ratione appareat? Res enim veræ nullaque fraude concinnatæ, simpliciter, ut initio gestæ sunt, ita manent: tu vero contrarium fecisse convinceris ad nos in illius gratiam circumscribendos.

4. Jam ex his quale jusjurandum, si quis deferret, juraret, videre est operæ pretium. Qui enim octoginta minas dixit dotem esse, si quis tum ei largitus esset, ut dato jurejurando se vera loqui, eas auferret, quidnam facturus fuit? Nonne constat eum fuisse promissurum? Quid enim dicet, cur se tum juraturum fuisse neget, cum nunc tam iniqua postulet? Pejeraturum igitur fuisse, se ipse arguit; qui nunc non octoginta minas, sed talentum se dedisse dicat. Qui magis igitur eum, si conjecturis agendum est, in illis quam in his pejeraturum existimetis? Aut quid de eo jure sentiri potest, qui ipse se perjurii facile manifestum facit?

5. At fortasse non sic ab eo administrata sunt hæc, nec undique commenta ejus patent? imo et Aphobi talento litem æstimavit, et ipse id se nobis redditurum spopondit? Sed considerate, hoc esse testimonio, non modo mulierem esse Aphobi matremfamilias et istum ei bene cupere, sed dotem etiam non esse numeratam. Quis enim hominum ita stultus est, qui tanta pecunia data, post prædio controverso pro pignore accepto, præter ea damna quæ prius fecerit, pro injuriarum auctore, tanquam pro bene merito, se judica-

tum etiam soluturum spondeat? Nemo opinor. Nulla enim hoc ratio sinit, qui ipse sibi talentum recuperare nequeat, eum alteri cuipiam se satis esse facturum polliceri atque adeo spondere: quin et isti ipsi declarant, Onetorem dotem non dedisse, sed propter magnas opes quæ meæ sunt, Aphobo esse conjunctum, et pignus hoc cepisse, ut heredem eum meorum cum sua sorore efficeret.

6. Et nunc effugia quæritat et prætexit, se prius cepisse pignus, quam ille judicum sententia damnaretur. Non certe prius, si quidem tu nunc vera dicis: constat enim, te cum injuriæ illum damnares, ea fecisse. Deinde ridiculum etiam est istud dicere, quasi vero vos ignoretis, omnes istiusmodi injuriarum studiosos meditari, quid dicturi sunt, neminem autem unquam damnatum esse qui vel taceret, vel se deliquisse confiteretur: sed unusquisque nimirum, cum nihil veri dicere deprehenditur, tum denique cognoscitur quo sit ingenio. Id quod isti accidere apparet. Age vero, qui æquum est, si pluris est minoris, sin minoris est pluris, æstimari? aut, qui æquum est, sorore tua ne hodie quidem alii nupta, nec ab Aphobo deserta, neque dote per istum numerata, qui in hisce rebus nec quæstiones, nec ullum aliud jus accipit, ut affirmes te indicibus appositis declarasse, tuum esse prædium? Ego vero æquum esse minime arbitror. Res enim ipsa et veritas spectanda, non de industria quæsita effugia et commentitiæ causæ, qualibus vos utimini.

7. Deinde quod gravissimum est, si maxime dedissetis dotem, quam non dedistis, quis earum rerum auctor esset? Nonne vos, quoniam mea dedissetis? Nonne totos decem annos ante mea ille acceperat, propter quæ damnatus fuit, quam affinitatem tecum contraheret? An te omnia recuperare decebat, me qui et judicio viceram et pupillus circumventus eram et vera dote spoliatus, quem solum omnium sine mulctæ periculo accusare decuerat, ad talia perpetienda cogi, ne teruncio quidem accepto, qui paratus essem omnia facere, si vos officio fungi ex ulla parte voluissetis?

DEMOSTHENIS OPERUM

LATINÆ INTERPRETATIONIS

TOMI PRIMI

FINIS.

VOLUME 16

DEMOSTHENIS

ET

ÆSCHINIS

INTERPRETATIO LATINA

LONDINI

PROSTANT APUD J. F. DOVE

A. S. MDCCCXXVIII.

TABULA

EORUM QUÆ CONTINENTUR

IN

TOMO DECIMO SEXTO.

DEMOSTHENES LATINE.

TOM. III.

DEMOSTHENIS EXCEPTIONES.

ARGUMENTUM EXCEPTIONIS ADVERSUS ZENOTHEMIDEM.

Mutuatus a Demone quodam, Demosthenis cognato, mercator quidam nomine Protus, pecuniam, ea frumentum emit Syracusis; quod Athenas vexit in navi cujus dominus fuit Hegestratus. Hegestratus autem et Zenothemis, adversus quem hæc exceptio scribitur, genere Massilienses, Syracusis tale facinus moliti sunt, ut Orator asserit. Mutuati sunt pecuniam; quam navi non imposuerunt, sed clam Massiliam miserunt, eo consilio ut creditores defraudarent. Cum enim in contractu scriptum esset, si quid navi accidisset, non repetendam esse ab his pecuniam, de submergenda navi deliberarunt. Noctu igitur in navigatione descendit Hegestratus et navigii fundamentum perforat: deprehensus et dum vectores fugit in mare delapsus, statim perit. Zenothemis socius, ut orator ait, Hegestrati, vix Athenas perducta nave incolumi, controversiam de frumento movet, affirmans frumentum Hegestrati esse, illum vero a se pecuniam esse mutuatum. Cum vero uterque cum eo contenderet et Protus et Demon, utrique mercatoriam diem dixit. Cumque Protum absentem damnasset volentem, ut ait Demosthenes, et cum adversario colludentem, etiam Demonem secundo loco in judicium adducit. Is vero exceptione utens ei actionem convenire negat, lege nitens quæ mercatoribus actionem det de contractibus qui vel Athenas aliunde vel Athenis alio referantur. Zenothemidi vero secum quicquam esse commercii negat. Ac de exceptione quidem agitur: oratio vero ita instituta est, tanquam controversia recta in forum deducta sit; explicatur enim in ea, Zenothemidis non esse frumentum, sed Proti, cui Demon pecuniam crediderit. Non enim videri vult solo verbo legis niti, tanquam æquitati causæ diffidens: sed ostendit, se etiam rectum judicium non pertimescere, sed ex supervacaneo exceptione quam lex largiatur uti.

DEMOSTHENIS
EXCEPTIO
ADVERSUS ZENOTHEMIDEM.

1. Posteaquam, Judices, exceptione sum usus de non danda adversario actione, leges primum explicabo, secundum quas exceptionem opposui. Leges jubent, Judices, actiones dari naviculariis et mercatoribus in iis contractibus qui vel Athenas aliunde vel Athenis alio referantur, de quibus exstent tabulæ: quod si quis præter hæc litem intendat, non dandam ei esse actionem. Zenothemidi autem nihil fuisse mecum negotii, nullas literas, ipse etiam in accusatione confitetur: sed se naviculario Hegestrato mutuasse. Nos, post ejus in pelago interitum, pro vectura non solvisse dicit; hæc accusatio est. Vos autem ex eadem oratione tum actionem ei non esse dandam cognoscetis, tum universas istius hominis insidias et improbitatem cognoscetis. Vos igitur, Judices, oratos

omnes volo, si quod unquam negotium attente audivistis, ut et hanc causam attente audiatis: cognoscetis enim hominis audaciam et improbitatem haud vulgarem, si modo ego facinora illius vobis, uti spero, exponere potuero.

2. Zenothemis, minister Hegestrati navicularii, quem et ipse in accusatione scripsit, in pelago periisse,—sed quomodo perierit, non adscripsit, ego vero dicam—, tale scelus cum illo excogitavit. Pecuniam et iste et ille Syracusis mutuati sunt. Ac ille quidem ad eos qui isti mutuum dabant, si quis rogabat, dicebat, isti multum in navi esse frumenti: iste, ad eos qui illi, merces atque onus navis illius esse proprium. Cum autem alter navicularius, alter vector esset: non mirum fuit esse credita quæ alter de altero affirmabat. Pecuniam autem acceptam domum Massiliam miserunt neque quicquam in navim intulerunt. Sed quia tabulæ, id quod omnes solent, continebant, si navis mansisset incolumis pecuniam esse reddendam, in fraudem creditorum, navem submergere statuerunt. Hegestratus igitur, cum a terra bidui aut tridui iter navem abduxisset, noctu in carinam descendit, et fundum navis perforat: iste vero ut totius rei ignarus, supra cum cæteris vectoribus versabatur. Orto strepitu, qui in navi erant sensere, in carina mali quippiam geri, atque opitulaturi descendunt. Deprehensus Hegestratus, ut se pœnas daturum putat, fugit, fugatusque se in mare jacit: et lembum propter noctem non adeptus, suffocatur. Ille igitur sic, uti merebatur, malus male periit, suis ipse insidiis, quas in alios instruxerat, captus atque oppressus. Iste vero socius et adjutor, primum statim in navigio in ipso facinore, tanquam ignarus, sed et ipse etiam perterritus, rectori proræ et nautis suadebat ut in lembum descenderent, navi quam celerrime relicta, quasi nulla esset speranda salus, et navis statim submergenda, ut, quod cogitarant, id conficeretur, navique perdita æs alienum fraudarent. Quo consilio frustratus, et nostrate quodam vectore adversato, et nautis magnas mercedes, si navem conservassent, pollicito, perducta in Cephaleniam nave, deorum ope immortalium in primis, deinde virtute nautarum, rursus cum Massiliensibus Hegestrati civibus agebat ne navigium Athenas perveheretur, dicens et se et merces esse illinc, et tam navicularium, quam creditores esse Massilienses. Quod ubi et ipsum non successit, et Cephaleniorum, magistratus pronunciaverunt navem Athenas, unde solvisset, perducendam: quem nemo omnium huc venire ausurum putaret, post tales insidias taliaque facinora, Athenienses, is tam insigni est impudentia et audacia, ut non modo venerit, sed et nostro frumento sibi vendicato nos insuper in jus vocarit. Quæ causa est igitur, aut qua re fretus et venit et in jus vocavit, ego vobis dicam, Judices, invitus, Jovem optimum maximum testor et omnes deos, sed coactus.

3. Sunt officinæ hominum in Piræeo improborum qui conspirarunt, quos neque vos ignorabitis si videatis. Horum unum, postquam iste id agebat ne huc perveheretur navis, inito consilio legatum deligimus, non omnino quidem ignotum illum, sed talem esse ignari: in quo, prope dixerim, æque magnam cladem accepimus atque in eo cum primum in hominum improborum commereium incidimus. Is missus a nobis est, Aristophon nomine, qui et Miccalionis negotia instruxit. Ea igitur eum omnia audivimus prævaricatum et isti pollicitatum esse. Denique is dux et auctor est omnium. Quæ iste avide amplexus est. Postquam enim navis interitu frustratus creditoribus pecuniam reddere non potest,—qui enim posset, quam nunquam imposuit?—nostra sibi vendicat, et Hegestrato se pro eo frumento fœnerasse dicit, quod is qui a nobis enavigavit emit. Creditores autem statim initio decepti, cum videant sibi pro pecunia improbum debitorem esse reliquum, et sua se ab istis recuperaturos ne sperandum quidem esse animadvertant, sed deceptis vobis de nostris fortunis ea recepturos non desperent, quem in nos ista mentiri sciunt, ab eo stare sui commodi causa coguntur.

4. Res igitur de qua suffragia feretis, in summa ita gesta est: volo autem testibus eorum quæ dico ad vos adductis in primis, mox et reliqua dicere. Recita ergo mihi testimonia.

TESTIMONIA.

Ut igitur pervenit huc navigium, cum Cephalenii, quanquam isto adversante, pronunciassent, ut eo unde solvisset reduceretur, navem qui in eam mutuarant hic statim tenebant: frumentum autem qui emerat; is nimirum qui pecuniam nobis debebat. Post hæc venit iste et legatum a nobis missum Aristophontem adducens, de frumento litem movit, quod se mutuo dedisse Hegestrato diceret. Quid ais homo? inquit Protus—nam id nomen erat frumentatori, qui nobis pecuniam debebat—, tun' Hegestrato pecuniam mutuasti, cum quo decepisti cæteros ut mutuam sumeretis? qui quidem tibi sæpe dicebat, perituram iis pecuniam qui credidissent? tu igitur qui illa audires, ipse ei credidisses? Affirmabat homo impudens. Proinde ut maxime vera dicas, subjicit eorum quidam qui aderant, tuus te socius et civis Hegestratus, ut apparet, circumvenit, proptereaque seipsum damnavit capitis, et periit. Quin signum etiam vobis dicam, inquit adstantium quidam, unde intelligatis, istum ad omnia illi fuisse adjutorem. Antequam navem perforare cœpissent, mulctam statuunt coram vectoribus iste et Hegestratus scriptis tabulis. Quod, si bona fide dederas, quamobrem ante maleficium caveri tibi volebas? Sin diffidebas, cur non

in terra jus tuum, ut cæteri, persequebare? Quid multa dicam? Nihil his verbis proficiebamus: sed frumentum iste sibi vendicabat. Educebat eum Protus, et Proti socius Phertatus: iste vero educi se nolebat, seque ab ullo eductum iri palam negabat, nisi ego eduxisse. Post hæc Protus eum et nos ad magistratum Syracusanum provocabamus. Iis conditionibus, si Protum emisse frumentum, et vectigalia illi esse inscripta, et pretium illum numerasse constaret, ut iste improbitatis suæ pœnas daret: sin minus, ut et controversum frumentum reciperet, et talentum insuper acciperet, nosque ei frumento cederemus. Hæc offerente et pollicente illo, nihil proficiebamus: sed ea dabatur optio, ut aut istum educeremus, aut nostras merces conservatas præsentes amitteremus. Nam Protus testificabatur se educere, firmare fidem, redire velle in Siciliam. Quod cum ipse vellet, si nos isti frumentum concederemus, id sibi curæ non fore. Atque hæc a me vere dici neque eum nisi a me educi velle asseruisse, nec quæ ei offerretur de reditu in Siciliam conditionem accepisse, et in navigio tabulas confecisse, ut constet, recita testimonia.

TESTIMONIA.

5. Quum igitur nec educi vellet a Proto, neque ad jus adipiscendum redire in Siciliam, et omnium Hegestrati scelerum fuisse præscius videretur, reliquum erat nobis qui hic contractum feceramus, et frumentum ab eo qui legitime illic emerat receperamus, istum educere. Quid enim aliud faceremus? Neque enim hoc quisquam e nostra societate putabat, vos ei frumentum adjudicaturos, quod ipse relinquendum suaserat nautis, ut periret navi demersa. Quod vel maximum signum est, id nihil ad eum attinere. Quis enim suum frumentum deserendum suaderet iis qui id conservatum vellent? Quis non navigasset accepta conditione in Siciliam, ubi res liquido probari posset? Atqui nec ita de vobis existimare poteram, fore ut pronunciaretis, isti de his rebus dandam esse actionem, quæ, ne huc perveherentur, ipse multis modis studuisset prohibere. Primum suadendo nautis, ut eas relinquerent: deinde, in Cephalenia laborando ne navis huc veheretur. Quid enim fieri turpius aut iniquius queat, quam, cum Cephalenii pronunciarint, ut Atheniensium merces incolumes essent, navim huc pervehendam, vos qui sitis Athenienses ea quæ civium sunt iis qui submergere conati sunt tradere? et quæ iste ne huc perveherentur avertere omnino studuit, de iis dare isti actionem? Absit, o Jupiter et dii. Recita mihi quid exceperim.

EXCEPTIO.

Recita etiam legem.

LEX.

6. Me igitur secundum leges exceptionem de non danda actione adversario opposuisse, satis opinor est ostensum: artem autem audietis sapientis illius instructoris horum omnium Aristophontis. Ut enim in causa nihil sibi prorsus esse præsidii reliquum videbant, internunciis ad Protum missis, homini persuadent ut prævaricetur sibique causam tradat: quod quidem statim etiam ab initio egerunt, ut nos nunc cognovimus, sed persuadere non potuerunt. Protus enim, dum frumentum huc advectum putabat lucro sibi fore, id retinebat, et præoptabat potius tum ipse lucrari tum id præstare nobis quod æquum esset, quam conspiratione cum istis inita aut eos in lucri portionem admittere, aut facere nobis injuriam: ut vero, cum huc pervenisset et hoc negotio occuparetur, laxata annona est, statim mutavit consilium. Atque etiam—dicetur enim apud vos, Athenienses, veritas—nos creditores eum urgebamus infestis atque iniquis animis, quæ et jactura frumenti in nos redundaret, et eum nobis istum calumniatorem pecuniæ loco attulisse querebamur. His de causis, cum etiam natura nimirum homo esset non bonus, ad istos se confert, neque cavet quo minus deserto vadimonio condemnetur, tum ab isto vocatus in judicium, cum nondum conspirassent. Nam si Protum iste omisisset, statim animadversum esset eum nobis facere calumniam: damnari se autem coram ille non passus esset, ut aut pactis et conventis illi starent, aut deserti vadimonii actionem in eos retorqueret. Sed quorsum hæc? Nam ea si fecit quæ iste in accusatione scribit, non damnandus modo, sed interficiendus etiam jure fuit Protus mea quidem opinione. Nam si in malis et tempestate tantum vini hauserat, ut insano similis videretur, quod supplicium non merebatur? aut si tabulas surripuerat, clamve aperuerat?

7. Sed vos hæc inter vos quo pacto se habeant transigetis: meæ autem causæ nihil inde admisce. Sive te verbis sive factis læsit Protus, datur tibi actio nimirum: nemo nostrum prohibuit, aut nunc etiam recusat. Si vero illum calumniatus es, parum id curamus, at medius fidius e medio excessit homo: propter vos nimirum, ut et testificationes nostras desereret, et nunc vos quicquid erit libitum, in eum dicatis. Nisi enim propter vos ab eo desertum esset vadimonium, simul eum et citasses et apud Polemarchum sponsione obligasses. Quod si vades tibi dedisset, aut manere cogeretur, aut tu a quibus tibi satisfieret haberes: si non dedisset, in domicilium plebis iret. Nunc communicato negotio, et ipse, quicquid te obstrepente nobis decessit, se redditurum esse nobis non putat: et tu illum accusando nostris te mercibus potiturum.

Cujus rei argumentum illud evidens est. Ego eum citabo: tu nec sponsione obligasti, neque nunc citabis.

8. Præterea spes etiam alia eis est vestri circumveniendi et fallendi. Criminabuntur Demosthenem, eoque me fretum dicent eduxisse istum, existimant enim, quia et orator ille sit et celebris, probabile se crimen afferre. Mihi vero, Athenienses, genere sane conjunctus est Demosthenes: atque per omnes vobis adjuro deos, me vera dicturum. Sed cum ad eum accessissem, et ut mihi adesset opemque ferret, si quid posset, postularem: Ego, Demon, inquit, faciam ut tu jusseris. Nec enim aliud me decuerit. Sed tamen et tui et mei est habenda ratio. Mihi usuvenit ex quo de republica conciones habere cœpi, ut ad nullam unquam privatam causam accesserim: sed in ipsa etiam administratione reipublicæ talia declinarim.

ARGUMENTUM EXCEPTIONIS ADVERSUS APATURIUM.

Is qui judicium detrectat, cum privatim commercia cum Apaturio quædam haberet, ea sustulit et transegit: nunc vero propter Parmenontem accusatur et de pecunia appellatur. Nam Parmeno civis fuerat mercatoris Apaturii Byzantius, sed a judicibus actus in exsilium. Ac principio amicitia usus Apaturii, orto dissidio, postea in judicium venit, Apaturio et verberum et dati damni die dicta: qui Parmenontem vicissim accusavit. Apaturius igitur Aristocli arbitro rem permissam esse dicit, qui Parmenontem damnarit. Quamobrem eum qui exceptione judicium deprecatur nunc invadit, quod pro Parmenonte spoponderit. Hic vero nihil eorum fatetur; sed negotium tribus primum arbitris esse commissum ait, non uni Aristocli. Deinde sponsorem Parmenontis in pactis Archippum esse scriptum, atque illa pacta calliditate Apaturii esse abolita, qui Aristocli persuaserit ea asservanti ne afferret in medium, sed diceret puerum tabulas dormientem amisisse: alia præterea pacta non esse scripta, neque rem ad arbitrum delatam, cum primum arbitrium tabularum amissione sublatum fuerit, nec de altero inter eos postea convenerit. Aristoclem autem contra omnia jura, qui jam non esset arbiter, adversus Parmenontem tulisse sententiam, idque cum ob magnam cladem peregre ille abesset et ne arbitraretur vetuisset. His igitur firmamentis reus nititur et exceptione judicium repellit, seque iis quæ cum Apaturio fuerint negotiis liberatum, postea nihil cum eo commercii habuisse contendit: in talibus autem rebus non dari legibus actionem.

DEMOSTHENIS

EXCEPTIO

ADVERSUS APATURIUM.

1. Mercatoribus, Athenienses, et naviculariis jubet lex actionem dari apud sexviros, si qua injuria in mercatu afficiantur, sive hinc alio navigantes sive aliunde huc, et sontibus vincula mulctam statuit, tantisper dum judicatum solvant, ut ne quis temere ullum mercatorem circumveniat: qui vero contractuum qui facti non sunt rei fiant, iis exceptionis confugium largitur lex, ne eis calumnia intendatur, iis autem mercatoribus et navicularii qui revera læduntur jure experiendi dat potestatem. Ac multi jam actione mercatoria postulati, exceptione ex lege hac opposita ingressi ad vos, accusatores et iniquæ accusationis et factæ per speciem mercaturæ calumniæ convicerunt. Ac vos eum qui his artibus instructus insidias fecit mihique negotium facessit, progressu orationis, cognoscetis: quum autem Apaturius falso me accuset, et, quicquid cum eo rei mihi fuit, omne sit transactum et sublatum, neque aliud mihi cum

eo commercium intercedat vel nauticum vel terrestre, exceptionem opposui non licere ei agere his legibus.

LEGES.

2. Ac Apaturium contra has leges diem mihi dixisse et falso me accusasse, id ego vobis multifariam ostendam. Ego, Judices, qui longo jam tempore ex mercatura quæstum facio, aliquousque ipse mari me committebam: nondum autem septimus annus abiit cum, navigatione omissa, mediocres opes quas habeo nautis credendo rem facere conor. Quod vero et varia accessi loca et frequens in mercatu versor, cum plurimis eorum qui navigant notus sum; tum Byzantiis valde etiam familiariter utor, ut in ea urbe diutius commoratus. Cum autem ita se res meæ, ut dico, haberent, huc profectus est abhinc triennium iste cum cive suo Parmenonte, Byzantio genere, sed exsule: mecumque in mercatu congressi mentionem pecuniæ fecerunt. Debebat enim iste pro nave sua quadraginta minas, et a creditoribus per injuriam ita urgebatur, ut et navem ejus pignerarentur, quod ad diem non solvisset. Æstuanti autem ei et pecuniam non habenti se minas decem pollicetur daturum Parmeno; iste vero me orat ut sibi triginta minas suppeditem, conquerens se a creditoribus qui navem appeterent in mercatu traductum, ut, se eo loci redacto ne pecuniam reddere posset, ipsi nave potirentur. Ac mihi quidem præsens pecunia non erat, sed, cum ab Heraclide mensario quo utebar impetrassem ut ei mutuaret, ipse pro eo spopondi. Triginta porro minis jam numeratis, alienatus erat ab isto Parmeno. Sed quia minas ei decem promiserat, harumque tres dederat, ob hanc quam modo dixi pecuniam reliquum etiam dare cogebatur. Ac ipse hac de causa facere tabulas nolebat: me vero ita eas conficere jubebat, ut sibi optime caveretur. Ego acceptis septem a Parmenonte minis, et isto, tres illas quas ab illo acceperat antea, coram confesso, emo navem ab eo et mancipia, donec decem minas redderet quas per me acceperat, et triginta quarum me sponsorem mensario constituerat. Ac ut me vera dicere constet, audite testimonia.

TESTIMONIA.

3. Ad hunc modum creditores absolvit Apaturius: non multo post mensa eversa, et Heraclide initio latitante, iste per insidias Athenis ablegare mancipia et portu navem educere instituit. Unde prima cum eo mihi controversia exstitit. Animadversa enim re Parmeno et mancipia quæ abducebantur arripit, et navem eum commovere portu prohibet, et mihi accersito rem narrat. Qua ego audita, te istum qui talia moliretur hominem summe nefarium esse duxi; et viam quæsivi, qua et ego mensaria sponsione liberarer, et hospes ea quæ per me isti mutuarat non amitteret. Constitutis ergo navis custodibus, mensæ sponsoribus negotium exposui, pignusque tradidi, ac decem minas hospitem habere in nave dixi. His factis, mancipia sponsione obstrinxi, ut, si quid deesset, per ea compleretur. Ita ego, deprehensis istius injuriis, mihi et hospiti consului: at iste perinde ac si acciperet, non faceret, injuriam, me incusabat, rogitans an non mihi satis esset sponsione ad mensarium exsolvi, nisi et pro pecunia Parmenontis navem et mancipia sponsione obstringerem, et propter hominem exsulem suas susciperem inimicitias? Ego vero eum qui mihi credidisset eo minus me deserturum asserebam, quod et exsuli et calamitoso fieret per eum injuria. Postquam autem nihil prætermisi et omnes istius inimicitias et odia provocavi, vix redegi argentum, nave quadraginta minis vendita; quanti erat oppignerata. Redditis igitur triginta minis ad mensam et decem minis Parmenonti coram multis testibus, et tabulas sustulimus secundum quas credita erat pecunia, et mutua commercia renunciavimus, et invicem missos fecimus, ita uti neque isti mecum, neque mihi cum isto negotii quicquam esset. Ac ut vera me dicere intelligatis, audite testimonia.

TESTIMONIA.

4. Jam posthæc nihil mihi cum isto rei vel magnæ vel parvæ fuit: Parmeno autem istum accusabat tum verberum, quibus ab eo, dum mancipia quæ ablegabantur corriperet, affectus esset, tum impeditæ ab eo quam in Siciliam instituisset navigationis. Instante autem judicio, defert Parmeno jusjurandum isti de quibusdam criminibus: id iste accipit, pactus insuper etiam pecuniam, nisi jusjurandum illud dedisset. Ac ut me vera dicere constet, cape mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

Accepto igitur jurejurando, haud ignarus multos sibi si pejerasset fore conscios, ad jurandum præsto non fuit: sed tanquam judicio soluturus jusjurandum, Parmenonti diem dicit. Instante autem eis judicio, adducti ab iis qui aderant, ad compromissum veniunt: et pactione conscripta, unum arbitrum Phocritum, civem suum communiter deligunt, cui unum uterque attribuit, iste Aristoclem Œensem, Parmeno me. Itaque inter se paciscuntur, quæ nos tres de communi sententia constituissemus, ea se rata habituros: sin minus, quæ duo decrevissent, ea necessario fore servanda. Hac

pactione facta, sponsores harum rerum inter se dederunt, iste illi Aristoclem, Parmeno isti Archippum Myrrhinusium. Ac pactionem primum apud Phocritum; deinde, cum Phocritus eam alii cuidam tradi jussisset, apud Aristoclem deponunt. Ac ut vera me dicere constet, audite testimonia.

TESTIMONIA.

5. Depositam igitur fuisse pactionem apud Aristoclem, negotiumque Phocrito et Aristocli et mihi fuisse commissum, homines rei gnari apud vos testati sunt: rogo autem vos, Judices, ut quæ post acciderunt ex me audiatis. Inde enim, mihi calumniam fieri ab Apaturio, perspicue cognoscetis. Ubi animadvertit me et Phocritum consentire, et se a nobis damnatum iri vidit, abolendi compromissi cupidus, perdere tabulas cum eo per quem asservabantur instituit: et contendere cœpit, arbitrum sibi esse Aristoclem, Phocritum autem et me non aliud habere auctoritatis, nisi negotii una transigendi. Verba hæc ægre ferens Parmeno, postulabat ut Aristocles tabulas proferret, non procul esse quærendum argumentum dictitans, si qua fraus in tabulis commissa esset; quas servus suus scripsisset. Assensus Aristocles se prolaturum pactionem, in conspectum nec hodie protulit: sed ad dictam diem in æde Vulcani nobiscum congressus, prætexebat puerum, dum se is exspectaret, amisisse tabulas dormientem. Auctor autem et adjutor istius commenti est, ille e Piræeo, medicus Euryxias Aristocli familiaris; qui idem, quod inimicus mihi est, in hoc discrimen me adduxit. Ac, prætendisse Aristoclem amissionem tabularum, e testimoniis audietis.

TESTIMONIA.

Jam igitur abolitum erat compromissum, pactione abolita et arbitris repudiatis: aliam autem scribere pactionem cum instituerent, de ea dissenserunt, quod iste ad Aristoclem, Parmeno ad tres illos, quibus initio commissa esset, rem deferri volebat. Cæterum pactione alia non scripta, primaque abolita, eo impudentiæ processit is qui tabulas aboleverat, ut ipse unus se pro arbitrio pronunciaturum affirmaret. Parmeno autem testibus advocatis, interdixit Aristocli ne contra pactionem sine coarbitris contra se ferret sententiam. Ac, quibus præsentibus vetuerit, audite testimonium.

TESTIMONIUM.

6. Post hæc Parmenontem acerba clades oppressit, Judices: cum enim ut patria pulsus Ophrynii habitaret, illo terræmotu qui

accidit in Chersoneso, collapsis ædibus, et uxor ejus et liberi perierunt. Qua ipse calamitate audita, nave conscensa hinc abiit: Aristocles autem, cum Parmeno testibus adhibitis vetuisset ne contra se absque coarbitris pronunciaret, homine propter calamitatem hinc profecto, absentem condemnavit. Ac ego quidem et Phocritus in eadem pactione scripti, quoniam iste contenderat non esse sibi nos arbitros, abstinuimus arbitrio: ille autem, cum non modo non concessum, sed interdictum etiam ei esset, nihilominus sententiam tulit. Id quod neque vestrum, neque reliquorum Atheniensium facere quisquam auderet. Quæ igitur in abolitione tabularum et in sententia arbitrii Apaturius et arbiter ille designarunt, is cui facta est injuria, si quando redierit incolumis, ulciscetur: postquam autem eo processit impudentiæ Apaturius, ut et me in jus vocet, ac criminetur me, quanti damnaretur Parmeno, soluturum recepisse, et me sponsorem in tabulis inscriptum esse aiat, ita uti decet tale refutare crimen, primum vobis adducam testes, non me pro Parmenonte spopondisse, sed Archippum Myrrhinusium, post etiam argumentis me defendam, Judices.

7. Jam primum omnium ipsum mihi tempus ementitum esse crimen testatur. Compromissum enim ab isto et Parmenonte anno abhinc tertio factum est, et cognitio Aristoclis: sortitiones autem judiciorum mercatoribus semestres sunt a Sextili usque ad Martium, ut jus suum statim adepti navigent. Quod si ego revera sponsor fui Parmenontis, cur primum non statim, facta cognitione, sponsum exigebat? Nec enim scilicet hoc dicere potest, se propter amicitiam nostram molestum esse mihi noluisse: ego enim mille drachmas Parmenontis odiose ab eo exegeram, et cum navem protraheret, clam se subducturus et debito mensario fraudaturus, a me prohibitus fuerat. Proinde, si ego pro Parmenonte fidem meam obstrinxissem, non tertio anno demum, sed tum statim me de sponsione appellasset. At abundabat opibus credo, ut ei etiam post me convenire liceret, tum vero navigando erat occupatus? Imo propter inopiam et bonis suis cesserat, et navem vendiderat. Ac ut maxime impedimenti aliquid ei objectum sit quo minus tum statim in jus me vocaret, quamobrem anno superiore hic versatus, nedum in jus vocare, sed nec appellare me ausus fuit? Atqui conveniebat, si et Parmeno judicio victus ei debebat, et ego spoponderam, eum ad me testibus adhibitis accedere sponsumque postulare, si non abhinc tertio, superiore saltem anno: ac, si præstitissem, auferre, sin minus, judicio experiri. In talibus enim causis omnes postulare prius, quam in foro contendere, consueverunt. Nemo autem est qui testaturus sit se affuisse, cum iste vel superiore anno vel tertio abhinc aut diem mihi dixerit, aut ullum apud me verbum fecerit,

his de rebus de quibus nunc litigat. Fuisse autem eum hic anno præterito, cum judicia exercerentur, recitato testimonio cognoscetis.

TESTIMONIUM.

Age legem etiam, quæ sponsiones annuas esse jubet, mihi recita. Neque vero ea lege ita nitor, ut, si spoponderim, pœnas dare me non oporteat, sed eam ipsam legem non spopondisse me testimonio mihi esse affirmo: nam ex sponsu egisset mecum tempore hac lege præfinito.

LEX.

8. Sit igitur hoc etiam vobis argumento mentiri Apaturium. Nam si ei pro Parmenonte spopondissem, non utique istius inimicitias propter illum suscepissem, dum providebam, ne amitteret ea quæ per me isti mutuarat: ipse vero mihi propter illum apud istum sponsione obligato non cavissem. Quid enim spei habere poteram istum mihi parsurum, quem ipse coegeram illi satisfacere? a quo mensariam sponsionem odiose exegeram? Quid ab eo mihi exspectandum abitrarer?

9. Quin illud etiam considerare, Athenienses, est operæ pretium, si spopondissem, me nunquam fuisse iturum inficias. Multo enim confitenti mihi et ad pactionem eunti, ex qua factum fuit compromissum, firmior esset defensio. Tribus enim arbitris rem fuisse permissam, testatum vobis est: cum vero a tribus lata sententia non sit, quid neganda sponsione mihi voluissem? Cognitione enim secundum pactionem non facta, nec ego jam sponsione tenebar. Quare nequaquam, Judices, prætermissa vera defensione si spopondissem, ad inficiandum venissem. Jam illud etiam testatum vobis est, pactione ab istis abolita, aliam istum et Parmenontem conscribere voluisse, quasi irrita essent ea quæ prius inter eos convenerant. Atqui, cum de futura cognitione aliam pactionem conscribere voluerint priore perdita, quo pacto, alia pactione non scripta, vel arbitrium fieri vel sponsio potuit? De hoc ipso enim orta controversia, tabulas alias non fecerunt, isto unum, illo tres arbitros postulante. Postquam autem prima pactio, qua me sponsorem esse factum ait, periit, alia vero scripta non est, quo jure mecum agere potest, contra quem nequit proferre pactionem? At interdixisse Parmenontem Aristocli ne contra se absque coarbitris pronunciaret, testatum vobis est. Quod si constat eundem hominem et pactionem abolesse, ex qua arbitrium fieri conveniebat, et sine arbitris cæteris sententiam se tulisse ipse fatetur, qui convenit, ut illi fide habita me perdatis?

10. Illud enim considerate, Athenienses, si non me nunc, sed Parmenontem accusaret Apaturius, minas viginti postulans, Aristoclis cognitione fretus: Parmeno autem sese præsens defenderet apud vos testesque adduceret, tum, non soli se Aristocli sed cum duobus aliis rem commisisse, tum, interdixisse ne se absente pronunciaret, tum, uxore sibi et liberis terræmotu oppressis, seque ad tantam calamitatem domum profecto, eum qui pactionem abolesset contra absentem tanquam deserto vadimonio sententiam tulisse—estne vestrum quisquam, qui Parmenonte in hanc sententiam se defendente, tanta iniquitate factum arbitrium ratum esse oportere decerneret? Non modo certe controversis omnibus, sed tametsi exstaret pactio, si constaret delatum esse ad unum Aristoclem arbitrium, si non vetuisset Parmeno contra se pronunciare, tametsi evenisset, ut ante arbitri sententiam talis homini calamitas objiceretur, quis ita inhumanus est adversarius aut arbiter, qui non usque ad ejus reditum distulisset? Quod si Parmeno, ratione reddita, ab omni parte æquiora dicere videretur quam iste, quo jure me damnabitis, cui cum isto homine rei prorsus nihil est?

11. Me igitur exceptionem recte opposuisse, Apaturium autem falso me accusasse contraque leges judicium esse adeptum, id vobis, Judices, multis argumentis probatum esse confido. Et quod præcipuum est, quicquam sibi mecum esse commercii, Apaturius nec dicere instituet. Sin per mendacium dicet, me in pactione Parmenontia sponsorem esse inscriptum, pactionem ab eo requirite, et hic ei occurite, omnes homines, cum tabulas inter se conficiunt, propterea obsignatas apud eos deponere quibus fidem habeant, ut, si qua dissensio exstiterit inter ipsos, ad tabulas reversi, controversiarum explicationem inde petant. Si quis autem tabulis abolitis eludere veritatem verbis studuerit, quid illi fidei est habendum?

12. At fortasse id—quod est omnino factu facillimum injuriarum et calumniarum studiosis—testimonium aliquis ei in me dicet? Eum autem ego testem si de falso testimonio postularo, unde probabit se testari verum? E pactione? Id igitur ne differat, sed mox proferat qui habet. Sin eam tum perisse dicet, unde ego mendacio circumventus argumenta petam? Nam si apud me depositæ essent tabulæ, Apaturio criminari licuisset, me propter sponsionem pactionem abolevisse: sin apud Aristoclem, quamobrem, si absque suo consensu pactio periit, me accusat, cum ei qui accepit illam et non exhibet diem non dicat? Cur eum contra me testem producit qui tabulas abolevit, cui eum irasci conveniebat, nisi communicatis operis fallaciam istam commenti essent? Ego causæ meæ æquitatem defendi, ut potui: vos igitur secundum leges quæ æqua sunt decernite.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS PHORMIONIS EXCEPTIONEM.

Phormio mercator, Bosporum navigaturus, minas a Chrysippo viginti mutuatur. Quo cum venisset, res ita comparatas offendit ut, quas vehebat merces, non essent vendibiles. Quare naviculario Lampide Athenas redituro, cumque imponere navi ea quæ Chrysippæa pecunia comparasset jubente—sic enim tabulæ continebant—, neque sarcinam ullam, nec argentum imposuit. Sed ad Lampidem dixit præstare in præsentia se ea non posse, sed paulo post alia navi cum pecunia auiturum. Lampidis ergo navis in altum provecta perit: isque cum paucis lembo evadit, Athenasque reversus, Chrysippo felicitatem Phormionis prædicat, qui et Bospori remansisset, et nihil navi imposuisset. Post Phormio Athenas pervectus, cum argentum ab eo reposceretur, primum, ut ait Chrysippus, et debere se fatetur et redditurum pollicetur: deinde quicquam debere negat, ut qui Lampidi dedisset. Quod tabulæ, si quid in mari acciderit navi, se liberent ære alieno. Diem illi Chrysippus dicit. Is exceptionem opponit; et Lampis apud arbitrum testatur, se pecuniam a Phormione Bospori recepisse, et una cum cæteris in naufragio perdidisse. Prius autem contrarium dixerat apud Chrysippum, Phormionem nihil in navem posuisse. Quorum cum Lampis coargueretur, se tum apud se fuisse negat, cum ad Chrysippum illa diceret. His arbiter auditis, nulla sententia lata, negotium in judicium remittit. Ac causa nomen illa quidem habet exceptionis: revera autem recto judicio agitur. Id quod etiam Orator satis innuit in principio, non omnino esse exceptionem cum dicit se fecisse omnia secundum pacta et conventa, reddidisse Lampidi pecuniam, id quod tabulæ jubeant, æs alienum tali eventu remittentes. Hæc enim ejus sunt qui recto judicio contendit et objecta crimina diluit, non illius qui totam controversiam tollit agendique potestatem negat. Exceptionem præterea, inquit, largitur lex de his qui prorsus Athenis non fiunt neque Athenas referendi sunt contractibus. Idem autem in hac oratione observatum est, quod in oratione contra Neæram, quod non ab una persona est habita: sed illic utriusque discrimen apparet, hic eædem confusæ sunt. Mihi vero secundus hinc ordiri videtur. C u m i g i t u r e n o b i s, A t h e n i e n s e s, s æ p e a u d i v i s s e t T h e o d o t u s, a t q u e e x i s t i m a r e t L a m p i d e m f a l s u m e s s e t e s t e m. Apparet autem, socios esse eos qui cum Phormione litigant.

DEMOSTHENIS

ADVERSUS PHORMIONEM

DE MUTUO DATA PECUNIA ORATIO.

1. Rem æquam precabimur a vobis, Judices, ut nos cum benevolentia audiatis alternis dicentes, eam ob causam, quod et literarum omnino rudes sumus, et, cum longo jam tempore mercatum vestrum frequentemus et cum multis contrahamus, nunquam in vestrum judicium venimus, vel ipsi accusantes, vel ab aliis accu-

sati. Ac ne nunc quidem, Athenienses, credite nobis, si putaremus fracta navi perisse pecuniam, quam Phormioni mutuavimus, unquam ei diem dixissemus: non ita nos impudentes sumus, aut jacturæ insolentes. Cum vero multi nostram ignaviam reprehenderent, et mercatores in primis cum Phormione illic versati, qui eum sciebant non una cum cæteris pecuniam amisisse in navi, non committendum esse putabamus ut ab isto injuriam fieri nobis pateremur.

2. Ac de exceptione quidem, non multis est opus, nam adversarii non omnino negant contractum in vestro mercatu esse factum: sed nihil secum rei nobis jam esse dicunt, quod nihil extra ea quæ tabulis contineantur fecerint. Leges autem, e quarum præscripto vos Judices sedetis, non ita loquuntur. Sed de contractibus Athenis omnino non factis nec in Atheniensium mercatum referendis præscribere permiserunt: si quis autem factum esse fateatur, seque fecisse quæ convenerint omnia contendat, recta intentionis depulsione se defendere jubent reum, non criminari accusatorem. Ego vero spero me ipsa re ostensurum dandam esse nobis actionem. Considerate, Athenienses, quid isti ipsi fateantur, quid negent: sic enim rem optime intelligetis. Fatentur se et mutuatos pecuniam, et fecisse pactum de mutuo: sed reddidisse aurum Lampidi, famulo Dionis, Bospori aiunt. Nos vero non id ostendemus, non reddidisse eum: sed, ne licuisse quidem reddere. Necesse autem est vobis pauca quæ ab initio acta sunt narrari.

3. Ego, Athenienses, Phormioni mutuavi minas viginti, ultro citroque in Pontum, alio accepto pignore, et syngrapham apud Cittum argentarium deposui. Cum autem syngrapha imponi navi onera pretii quater mille drachmarum jubeat, facinus audet omnium iniquissimum. Statim enim in Piræeo mutuatur insuper clam nobis, a Theodoro Phœnice drachmas quater mille quingentas, a Lampide naviculario mille drachmas. Cumque eum oporteret commercari Athenis onera minis centum quindecim, si præstare creditoribus pacta in syngraphis voluisset, non mercatus est amplius, quam quinquies mille quingentis drachmis cum commeatu; minasque debet septuaginta quinque. Hoc initium fuit, Athenienses, injuriarum: neque enim vel pignus præstitit, vel pecuniam in navem contulit, cum syngrapha cogat in eam conferri. Cape syngrapham.

SYNGRAPHA.

Cape et portitorum descriptionem, et testimonia.

DESCRIPTIO. TESTIMONIUM.

4. Profectus Bosporum, quum literas a me haberet, quas ei de-

deram filio meo reddendas illic hybernanti, atque etiam socium quendam per literas certiorem reddidissem tum de argento quod mutuaram tum de pignore, ac mandassem, cum primum essent merces expositæ, eas ut excuteret et exploraret—literas a me acceptas non reddidit, ne quicquam eorum illi quæ ipse ageret rescirent: cum autem calamitoso Bospori statu propter bellum a Parisade cum Scytha gestum, onera quæ vehebat distrahi minime possent, maximo animi æstu conflictabatur, ignarus quo se verteret. Nam creditores qui eo usque duntaxat mutuarant urgebant: adeo ut naviculario jubente emptas mea pecunia merces ex syngrapha imponere, is qui nunc se aurum reddidisse dicit, nummos conferre in navim posse negaret. Distrahi enim minime posse viles merces. Atque eum solvere jubebat: se vero, postquam merces distraxisset, alia nave abiturum dicebat. Recita hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

5. Post hæc, Athenienses, isto Bospori relicto, Lampis provectus in altum, naufragium fecit non procul a mercatu. Completa enim jam navi, ut audimus, ultra quam oportebat, etiam mille coria in tabulatum accepit. Unde contigit, ut navis interiret: ac ipse quidem cum reliquis Dionis servis lembo evasit, corpora autem præter cætera supra trecenta perdidit. Cum autem, audito navis interitu, magnus esset Bospori luctus, felicitatem Phormionis prædicabant omnes, qui nec ipse conscendisset, nec navi quicquam imposuisset. Idque cum ab aliis tum ab isto dictitabatur. Recita mihi hæc testimonia.

TESTIMONIA.

Ipse igitur Lampis, cui se reddidisse aurum dicit—hoc quæso diligenter attendite—, me eum aggresso, cum primum e naufragio Athenas redisset, et hac de re interrogante, dicebat, istum neque pecuniam ex syngrapha in navem imposuisse, neque se aurum ab isto tum Bospori accepisse. Age lege mihi eorum qui affuerunt testimonium.

TESTIMONIUM.

6. Postquam autem, Athenienses, Phormio alia nave redierat incolumis, accedo ad eum mutuum repetens: atque is ab initio nunquam, Athenienses, istam orationem attulit, qua nunc utitur, sed semper se redditurum promisit. Verum ubi cum his qui nunc ei adsunt et patrocinantur rem communicarat, alius jam erat et non idem. Ut autem sensi me ab eo deludi, ad Lampidem accedo,

Phormionem nihil æqui agere, nec mutuum reddere conquerens, simulque rogo, sciretne ubi esset, ut hominem vocarem in jus. Is vero sequi me jubet, et ad tabernas unguentarias eum deprehendimus. Ego viatoribus adductis diem ei dico. Ibi Lampis, Athenienses, cum adesset me arcessente, nusquam dicere ausus est, se ab isto recepisse aurum, neque quod factum oportuit, C h r y s i p p e i n s a n i s, inquit, q u i i s t u m i n j u s v o c e s ? M i h i e n i m a u r u m r e d d i d i t. Neque vero Lampis tantum nihil est locutus, sed nec iste ipse quicquam dicere voluit, adstante Lampide, cui nunc se reddidisse aurum dicit. Atqui par erat eum dicere, Athenienses, q u i d m e a r c e s s i s, b o n e v i r ? r e d d i d i a u r u m i s t i q u i a d s t a t, et simul confitentem id Lampidem exhibere: nunc neuter eorum quicquam dixit eo temporis articulo. Et me vera dicere uti constet, cape testimonium viatorum.

TESTIMONIUM.

Cape et accusationem, quam in eum anno superiore institui: quæ vel in primis argumento est, nunquam dixisse Phormionem se aurum Lampidi reddidisse.

ACCUSATIO.

Hanc accusationem ego institui, Athenienses, nulla alia re fretus, quam nuncio Lampidis, qui neque merces eum imposuisse, nec aurum numerasse diceret: nec enim putare debetis me ita attonitum esse et prorsus insanum, ut talem, Athenienses, accusationem scriberem, fatente Lampide se aurum recepisse, a quo essem coarguendus. Illud etiam, Athenienses, considerate: istos ipsos anno superiore, cum exceptionem opponerent, in ea exceptione scribere non fuisse ausos, se aurum Lampidi reddidisse. Recita mihi eam exceptionem.

EXCEPTIO.

Auditis, Athenienses, nusquam in exceptione scriptum, Phormionem aurum Lampidi reddidisse: præsertim, cum id ego apertis verbis in accusatione quam modo audistis scripsissem, eum nec merces in navem imposuisse, nec reddidisse aurum. Quis igitur vobis alius testis exspectandus est, cum tantum testimonium ab istis ipsis habeatis?

7. Cum vero causa jam a judicibus cognoscenda esset, precabantur nos ut ad arbitrum aliquem veniremus. Nos igitur rem per-

misimus Theodoto municipi ex pacto. Tum vero Lampis tutum sibi jam esse ratus testari apud arbitrum quicquid libuisset, partitus meum aurum cum Phormione, prioribus suis verbis dixit contraria. Nam alia res est, Athenienses, in vestros vultus intuentem testari falsum, quam apud arbitrum: apud vos enim et indignatio vehemens et pœna proposita est mentientibus, apud arbitrum autem secure et impudenter pro testimonio mentiuntur quicquid collibitum fuerit. Me vero iniquo animo ferente, Athenienses, et invehente in Lampidis audaciam, et apud arbitrum idem proferente, quod et nunc apud vos profero, testimonium, eorum qui ab initio nobiscum ad eum accesserant, cum se nec aurum ab isto recepisse, neque pecuniam eum in navem imposuisse diceret, ibi Lampis violenter convictus falsi testimonii et improbitatis, se dixisse quidem hæc ad istum fatebatur, sed apud se non fuisse cum diceret. Lege mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

Theodotus igitur, Athenienses, sæpe nobis auditis, et falsum testari Lampidem arbitratus, de re nihil pronunciavit, sed nos ad vos in judicium remisit. Nam et condemnare noluit, propterea quod Phormioni familiaris est, ut nos postea cognovimus; et absolvere veritus est, ne ipse pejeraret.

8. Agite vero, Judices, ex ipsa re apud vos considerate, unde iste aurum reddere potuisset. Cum enim hinc navigaret, nec pecuniam in navem imposuerat et pignus non habebat, sed ad meam pecuniam plus erat mutuatus: Bosporum autem eo tempore venit, quo vendi merces non potuerunt, vixque illis satisfecit qui tantum eousque ei mutuarant. Et hic quidem mutuatus ei fuit bis mille drachmas ultro citroque, ut Athenis bis mille sexcentas drachmas reciperet: Phormio autem dicit se Lampidi centum et viginti stateres Cyzicenos Bospori reddidisse—hoc animadvertite—quos mutuatus sit terrestribus usuris. Eas autem fuisse terrestres usuras, ut sexta pars sortis esset numeranda; et Cyzicenum valuisse illic viginti et octo drachmas Atticas. Cognoscendum igitur vobis est, quantum se pecuniæ reddidisse dicat. Nam centum viginti stateres faciunt ter mille trecentas et sexaginta drachmas, usura autem illa terrestris, de qua diximus, triginta minarum et trium et sexaginta drachmarum quingentæ drachmæ et sexaginta: tota autem summa fit tanta et tanta. Vivitne is homo, Judices, aut unquam nascetur, qui pro bis mille sexcentis drachmis pecuniæ mutuæ triginta minas et trecentas drachmas, et usuram quingentas drachmas et sexaginta vellet solvere, quas Phormio se Lampidi reddidisse ait, ter mille nongentas viginti? Cum ei liceret ultro citroque creditum Athenis reddere argentum, Bospori redderet, tredecim minis amplius?

9. Itane iis qui illo usque mutuarant vix sortem reddidisti, qui et navigarant tecum et assidue te urgebant: huic vero absenti non modo sortem et usuras reddebas, sed etiam mulctam syngraphæ inscriptam dependebas, nulla cogente necessitate? Illos non verebaris, quibus syngraphæ in Bosporo mutui exactionem dabant: hunc curasse te dicis, quem ab ipso lare, ut aiunt, statim fallebas, non impositis mercibus in navem quod syngrapha jubebat Athenis soluturus? Cum nunc in mercatu, ubi contractus factus est, non dubites fraudare creditorem: Bospori plura te præstitisse dicis quam jus postularit, ubi pœnas daturus non eras?

10. Cum reliqui omnes qui ultro mutuantur e mercatibus solventes, multos advocent, testificantes pecuniam periculo creditoris vehi: tu ejus unius testimonio niteris qui est tibi socius injuriarum, nec puero nostro adhibito qui Bospori agebat, neque socio, neque literis redditis quas ad eos dedimus, quibus continebatur, ut quicquid ageres, observarent? Quid autem, Athenienses, non faceret is, qui acceptas literas non ita ut rectum et æquum est reddidit? Qui ejus malitiam ex istis factis non cognoscere non potestis? Atqui, o dii immortales! decebat utique tantum auri reddentem, et plus quam creditum fuerat, celebre id in mercatu reddere et omnes homines advocare, in primis autem puerum hujus et socium. Omnes enim profecto nostis, mutuari solere istos coram paucis: cum reddunt, multos adhibere testes, ut boni viri esse in præstandis pactis et conventis videantur. Tibi vero qui et mutuum et utrasque usuras redderes, argento ultro tantum usus, et alias tredecim minas adjiceres, non multi fuere testes adhibendi? Quo facto, nemo navigantium majore in admiratione fuisset. Tu autem nedum multos fecisti testes, sed, tanquam injuriam faceres, sic omnes homines latere studuisti. Quod si mihi, qui mutuo dederam, reddidisses, nihil opus fuisset testibus, sublata enim syngrapha te omni contractu liberassem: nunc haud mihi sed alteri pro me reddidisti, nec Athenis, sed Bospori, cum et syngrapha mihi abs te data Athenis sita esset, et is, cui aurum reddebas, et mortalis et tantum pelagus trajecturus esset, testem adhibuisti neminem, vel servum vel ingenuum.

11. At enim syngrapha, inquit, me naviculario jubebat aurum reddere. Sed eadem te nec testes advocare, nec literas reddere prohibebat. Cum hi duas syngraphas tecum fecerint de contractu, ut qui tibi maxime diffiderent: tu solus soli te naviculario aurum dedisse dicis, quamvis scires Athenis contra te repositam esse syn-

grapham cum hoc factam. Dicit, syngrapham jubere nave perducta incolumi se debere pecuniam, etiam in navem imponere te merces jubet: quod ni feceris, quinquies mille drachmas solvere. Tu vero illam syngraphæ partem non amplecteris, sed ea statim violata et rebus ab initio non impositis, unum syngraphæ verbum cavillaris, idque cum eam ipse sustuleris. Qui cum Bospori te non merces imposuisse, sed aurum naviculario dedisse dicas, quid porro de navi disputas? Neque enim fuisti periculi particeps, cum nihil imposueris.

12. Ac primum, Athenienses, causam hanc arripuit, quasi merces in navem imposuisset: quia vero id mendacium multifariam posse coargui prævidebat, tum inscriptione portitorum Bospori, tum ab iis qui eodem tempore in mercatu fuerant, mutata sententia cum Lampide conspirat eique se aurum reddidisse dicit, eo veluti viatico fretus quod ita fieri syngrapha juberet, fore autem non putans ut nobis argumenta suppeterent ad ea, quæ soli ipsi inter se egissent, coarguenda. Ac Lampis, quæ dixit priusquam ab isto corrumperetur, alienata mente se dixisse; postquam autem meumaurum partitus est, tum apud se fuisse ait, et satis meminisse omnia.

13. Quod si me unum, Judices, Lampis contempsisset, non mirarer: nunc hoc multo atrociora designavit in omnes. Facto enim a Parisade Bospori præconio, si quis vellet Athenas in Atticum mercatum vehere frumentum, ut immunis frumentum eveheret, Lampis tum Bospori agens, exportatione frumenti et immunitate urbis nomine accepta, navem magnam frumento oneratam Acanthum portavit, ibique vendidit, nostra pecunia cum isto communicata. Et hæc fecit, Judices, cum Athenis habitet, et hic uxorem et liberos habeat, et leges extremum illi supplicium minitentur, qui Athenis habitans alio quopiam frumentum vexerit, quam in Atticum mercatum. Idque eo tempore, quo qui in urbe habitatis farinas in Odeo demensas accipiebatis: qui in Piræeo, quamvis singulos panes obolo distributos, et in longa porticu farinas binis modiis demensas acciperent, tamen conculcabantur. Quæ me vere dicere uti constet, cape et testimonium et legem.

TESTIMONIUM. LEX.

14. Phormio igitur, isto utens socio et teste, nos pecunia fraudandos censet, qui perpetuo frumentum in vestrum mercatum veximus, et, cum tres jam difficultates urbem presserint, quibus vos eos qui populi commodis consulerent probaretis, in nulla harum vobis defuimus. Nam cum Alexander Thebas invaderet, vobis

talentum largiti sumus: cum vero annona coarctata esset et ad sedecim drachmas pervenisset, invectis amplius decies mille tritici medimnis, dimensi vobis sumus usitato pretio singulos medimnos quinque drachmis, et hæc omnes nostis cum in Pompeo vobis dimensi simus. Jam anno superiore ad coemendum populo frumentum talentum vobis contulimus, ego et frater meus. Lege mihi harum rerum testimonia.

TESTIMONIA.

Quod si vel his conjecturis utendum est, non consentaneum fuerit nos tantum pecuniæ largiri ut vos bene de nobis existimaretis, Phormionem autem calumniari voluisse ut ne boni viri quidem de cætero haberemur. Jure igitur nos juvabitis, Judices. Ostendimus enim vobis, nec ab initio onera imposuisse istum in navem omnis pecuniæ quam Athenis mutuatus fuerit, et de mercibus Bospori venditis vix eos qui eo usque duntaxat mutuarant absolvisse; prætereaque nec abundasse nummis nec ita esse væcordem, ut pro bis mille et sexcentis drachmis triginta minas et novem reddat; ad hæc quod se reddidisse aurum Lampidi dicit, nec puero meo, nec socio tum agente Bospori, adhibito: Lampis ipse priusquam ab isto corrumperetur, se nihil accepisse, palam pro testimonio dixit. At, si Phormio sic singula demonstrasset, haud video qua se ratione melius tueri potuisset.

15. Jam actionem dandam esse nobis, lex ipsa testatur, quæ jubet actiones dare mercatorias contractuum qui Athenis facti et in Atheniensem mercatum referendi sint, nec eorum qui fiunt Athenis solum, sed eorum etiam qui propterea ut navigetur Athenas. Cape leges.

LEX.

Ac Athenis contractum esse cum Phormione factum nec ipsi eunt inficias, sed præscriptionem afferunt non convenire nobis actionem. In quod vero judicium veniamus, Athenienses, nisi in vestrum, ubi contractus factus est? Iniquum enim fuerit, si causa navigationis Athenas suscipiendæ injuria mihi fieret, licere mihi apud vos experiri cum Phormione: postquam vero contractus in vestro mercatu factus est, negare istos, se in vestro judicio causam dicturos esse. Qui, cum Theodotum arbitrum sumpsimus, fassi sunt convenire adversus se actionem: nunc contrarium dicunt eorum, quæ ipsi prius concesserunt, quasi oporteret se apud Theodotum municipem causam dicere sine præscriptione, postquam vero in Atheni-

ensium forum ingredimur, nulla jam nobis actio conveniet. Ego vero cum animo meo reputo, quidnam in exceptionem inscripturus fuerit, si Theodotus de causa pronunciasset, cum nunc, postquam decrevit Theodotus in judicium nobis esse veniendum, convenire nobis actionem apud vos neget, ad quos ille nobis esse abeundum pronunciavit. Iniquissime certe mecum ageretur, cum leges contractuum qui Athenis fiunt actiones dari apud sexviros jubeant; si vos actionem negaretis, qui juraveritis vos secundum leges judicaturos. Ac mutuo datæ a nobis pecuniæ et pactio et iste ipse testis est: redditæ autem nemo testis est præter Lampidem injuriæ socium. Ac iste quidem ad illum solum redditionem refert: ego vero et ad Lampidem ipsum et ad eos qui audierunt eum negantem se recepisse aurum. Isti licet meos testes accusare, si eos vera loqui negat: ego vero quid cum illius testibus agam non habeo, qui se scire dicunt testatum esse Lampidem se recepisse aurum. Nam si testimonium Lampidis hic proferretur, ipsi fortassis æquum esse dicerent ut in eum agerem; nunc neque id testimonium habeo, et iste se indemnem esse putat, nullo firmo pignore relicto eorum quæ vos decernere postulat.

16. Quid vero fieri queat absurdius quam vos, cum ipse Phormio se mutuatum esse fateatur, sed reddidisse dicat, id quod iste ipse confitetur facere irritum, id vero quod in controversia est ratum esse decernere? Cum Lampis, quo iste fretus est, testimonium dicat, qui ab initio se recepisse aurum negavit: vos si decernetis id eum recepisse, non futuri estis testes negotii? Iis quæ vere dixit, non utemini pro argumento: quæ vero commentus est deinceps, postquam corruptus fuit, ea credibiliora esse existimabitis? Atqui multo justius est, Athenienses, ex his quæ ab initio dicta sunt conjecturam capere potius quam ex iis quæ postea concinnata fuerunt: nam ea non edoctus, sed veritatis studio dicebat, hæc posteriora per mendacium et ad suam utilitatem. Recordamini quæso, Athenienses, nec ipsum Lampidem negasse, quin dixerit, se aurum non recepisse: sed confessum esse quidem se id dixisse, commentum autem tum dixisse cum non apud se esset. Absurdum profecto erit, si ejus testimonium, quatenus fraudatoribus commodo est, ut verum audietur, quatenus vero a fraudatis facit fidem apud vos nullam inveniet. Nequaquam, Judices.

17. Nam vos iidem estis, qui eum, qui e mercatu magnam pecuniam ultra eam quam ab aliis acceperat mutuatus pignora creditoribus non exhibuerat, capite condemnaveritis, delatum apud populum, eumque civem vestrum et patris imperatorii filium. Putabatis enim ab eo genere hominum non solum eos qui in illos incidissent, sed mercatum quoque vestrum lædi. Merito. Quæstus enim et

copiæ mercatorum non ab iis qui mutuo accipiunt, sed ab iis qui mutuo dant proficiscuntur: neque enim vel navis, vel navicularius, vel vector provehi potest, absque mutuo dantium ministerio. Leges igitur eis multa et præclara adjumenta præsto esse voluerunt; quæ vestrum est tueri et improborum petulantiam coercere, ut mercatus quam maximo vobis sit emolumento. Quod ita fiet, si defendetis creditores, eosque a talibus belluis lædi non patiemini. Ego dixi, quæ potui: sed etiam alium quendam ex amicis vocabo, si jusseritis.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS LACRITI EXCEPTIONEM.

Androcles pecuniam mutuavit Artemoni, Phaselitæ genere, mercatori; quo mortuo priusquam argentum redderet, idem ab ejus fratre Lacrito rhetore reposcit, duabus rationibus nitens: quod et præsente Lacrito et spondente pecuniam Artemoni mutuarit, et, hæres sit Artemonis Lacritus. Is vero se cedere hæreditate dicit, et actionem præscriptione repellit, quod sibi cum Androcle nihil rei sit, nec ulla syngrapha: omnino etiam se spopondisse negat; quod si promisisset, non ea se esse improbitate ut solutionem detrectaret. Non recte autem quidam orationem hanc adulterinam esse putarunt, obscuris decepti argumentis. Nam dictionis genus remissum non indecorum est causis privatis, Jovem autem regem pro subjectæ personæ consuetudine ab eo esse juratum perspicuum est; præscriptionem porro infirmius refutavit propter causæ imbecillitatem.

DEMOSTHENIS

ADVERSUS LACRITI EXCEPTIONEM

ORATIO.

1. Nihil novi agunt, Judices, Phaselitæ, sed pro more suo. Nam ad mutuo sumendas in mercatu pecunias, sunt omnium exercitatissimi, postquam vero eas acceperunt et syngrapham confecerunt nauticam, statim obliviscuntur et syngrapharum et legum, et reddenda esse quæ acceperint non meminerunt: sin reddiderint, de suo se aliquid largitos esse putant, et cum reddendum esset aliquid pro eo cavillationes excogitant et præscriptiones et prætextus, homines omnium mortalium et improbissimi et injustissimi. Cujus rei signum illud est: cum multi et Græci et Barbari vestrum ad mercatum veniant, plures semper sunt Phaselitarum lites quam cæterorum omnium. Hi igitur tales sunt: ego vero, Judices, pecuniam mutuavi Artemoni istius fratri secundum leges mercatorias in Pontum et rursus Athenas; quo defuncto priusquam mihi pecuniam redderet, Lacrito diem dixi iisdem legibus, quibus contraxeram, cum et illius frater sit et bona Artemonis omnia teneat, tum quæ is hic reliquit tum quæ Phaselide habuit, et hæreditatem ceperit bonorum illius omnium; neque vero iste legem ullam proferre potest, quæ permittat habere fraternas opes, et iis suo arbitratu administratis non solvere æs alienum, et negare nunc, se esse hæredem, sed profiteri se cedere hæreditate. Ac Lacriti talis

est improbitas: ego vero vos oro, Judices, ut me hac de re dicentem æquis animis audiatis; quod si et nobis creditoribus, et vobis nihilominus ab eo fieri injuriam ostendero, juvatote nos ut æquum est.

2. Ego, Judices, minime noram istos homines: sed Thrasymedes Diophanti filius, Sphettii illius, et Melanopus frater ejus, familiares mihi sunt, summaque necessitudine conjuncti. Hi me cum Lacrito convenerunt, undecunque ab isto cogniti—neque enim scio—, precatique sunt ut pecuniam in Pontum istius fratri Artemoni et Apollodoro mutuarem, quo negotiarentur,—cum omnino ignarus esset, Judices, etiam Thrasymedes improbitatis istorum, sed bonos esse viros et non alios quam quales se esse et simulabant et dictitabant, atque facturos esse omnia, quæ pollicebatur et recipiebat Lacritus, existimaret: sed plurimum certe fallebatur, neque quicquam norat cum qualibus belluis potius quam hominibus conflictaretur—, ego igitur auctore Thrasymede et fratre ejus, Lacrito recipiente fratres suos facturos quæ æqua essent omnia, mutuavi cum hospite quodam nostro Carystio triginta minas argenti. Quare syngrapham, Judices, a vobis audiri primum velim, qua pecuniam mutuavimus, et testes qui mutuationi interfuerunt: deinde et cætera demonstrabimus, quam perfidiose isti in mutua pecunia egerint. Recita syngrapham: deinde testimonia.

SYNGRAPHA.

Mutuarunt Androcles Sphettius et Naucrates Carystius Artemoni et Apollodoro Phaselitis argenti ter mille drachmas Athenis Mendem usque aut Scionen, et inde Bosporum. Quod si voluerint in sinistra ora usque ad Borysthenem et rursus Athenas, ducenis vicenis quinis millenas. Sin post Arcturum solverint e Ponto Templum Argonautarum petituri, trecentis eas ter mille drachmas, vini amphoris Mendæis pignori oppositis ter mille, quod evehetur Menda aut Scione in navi viginti-remorum, quæ est Hyblesii navicularii. Oppignerant autem in vinum, non debentes propterea cuiquam quicquam argenti, neque ad id mutuabuntur; et evehent merces vini pretio coemptas rursus Athenas in eadem navi omnes. Perductis autem Athenas mercibus, reddent debitores creditoribus argentum quantum debetur ex syngrapha, intra vigesimum, ex quo Athenas venerint, diem integrum, excepta jactura si quam vectores de communi decreto fecerint, et si quid hostibus pependerint, quod ad cætera attinet omnia integrum esto: et exhibebunt pignus creditoribus liberum et immune, donec sortem cum usuris reddiderint ex syngrapha. Nisi autem ad dictum diem solverint, pignora creditoribus oppignerare, et vendere tanti liceat quanti sunt: quod si quid argenti creditoribus ex syngrapha reddendi defuerit, exigere liceat creditoribus ab Apollodoro et Artemone, et omnia eorum bona tam terrestria quam nautica ubique gentium ubi ea fuerint pignerari, perinde ac si judicio victi judicatum non solvissent, tam alteri utri creditorum quam utrique. Sin nulla jactura facta fuerit, sed, navi decem dies in Hellesponto morata, merces in terram depositæ fuerint, ubi Atheniensibus repræsaliarum jus non esset, ac postea Athenas reversi fuerint, [Sin non onerarint, decemque dies post Caniculam in Hellesponto manserint atque exonerarint, ubi Atheniensibus pignora capere non licet: etiam inde reversi Athenas, *Wolf.*] usuras reddant anno superiore tabulis inscriptas. Sin quid navi gra-

vius acciderit, in qua vehentur merces, pignora salva sint: quæ superfuerint communia sunto creditoribus: et in his rebus nihil plus valeat hac syngrapha.

TESTES.

Phormio Piræensis, Cephisodotus Bœotius, Heliodorus Pitthensis.

Recita etiam testimonia.

TESTIMONIA.

Archenomides F. Archedamantis Anagyrasius testatur tabulas apud se deposuisse Androclem Sphettium, Naucratem Carystium, Artemonem Apollodorum Phaselitas, et syngrapham adhuc sitam esse apud se.

Recita eorum etiam qui interfuerunt testimonium.

TESTIMONIUM.

Theodotus municeps, Charinus Epicharas Leuconensis, Phormio F. Cephisophontis Piræensis, Cephisodorus Bœotius, testantur se affuisse, cum mutuaret Androcles Apollodoro et Artemoni argenti ter mille drachmas, scireque se eos tabulas apud Archenomidem Anagyrasium deposuisse.

3. Ex hac syngrapha, Judices, mutuavi pecuniam Artemoni istius fratri, jubente isto et recipiente omnia quæ æqua essent mihi præstanda esse ex syngrapha qua mutuaram, isto ipso scriptore et obsignatore cum scripta esset. Nam fratres ejus juniores adhuc erant, admodum adolescentuli: iste vero Lacritus Phaselita, magna res, Isocratis discipulus, is erat qui administraret omnia. Et me sibi fidem habere jubebat: se enim mihi præstiturum æqua omnia et Athenas commoraturum, et fratrem suum Artemonem navigaturum accepta illa pecunia. At tum quidem, Judices, cum a nobis pecuniam auferre studeret, et fratrem esse se profitebatur Artemonis et socium et verba mirum in modum diserta fundebat: cum primum autem argentum nactus est, id quidem et partiti sunt et in quos libuit usus distribuerunt, sed ex nautica syngrapha, qua pecuniam acceperant, neque parvum neque magnum quicquam præstiterunt, ut res ipsa indicavit. Lacritus vero eorum omnium interpres fuit. Singulatim autem ostendam nihil eorum quæ syngraphæ inscripta sunt rite eos præstitisse.

4. Primum enim scriptum est, mutuari eum a nobis ad vini cados ter mille triginta minas, quasi pignus haberent aliarum triginta minarum, ut justum vini pretium ad argenti talentum redigeretur, cum impensis quæ ad vini curationem requirebantur: eæ vero ter mille amphoræ vehendæ erant in Pontum navigio viginti-remorum, quæ Hyblesii navicularii esset. Hæc, Judices, in syngrapha quam vos audivistis scripta sunt: at isti pro ter mille amphoris nec quingentas in navem imposuerunt, et, cum vinum decuisset emptum quantum convenerat, ipsi pecunia suo arbitratu sunt usi, terque

mille amphoras neque voluerunt neque cogitarunt imponere in navem ex syngrapha. Et ut me vera dicere constet, cape testimonium eorum qui eadem navi cum eis vecti sunt.

TESTIMONIUM.

Erasicles testatur se gubernasse navem quæ Hyblesii esset, et scire Apollodorum vehere vini Mendæi amphoras quadringentas quinquaginta et non plures, alias vero sarcinas nullas vexisse in eo navigio Apollodorum in Pontum. Hippias F. Athenippi Halicarnasseus testatur se una vectum in Hyblesii nave, perlustrasse navem, et cognosse Apollodorum Phaselitam vehere in navigio Menda in Pontum vini Mendæi amphoras quadringentas quinquaginta, onus præterea nullum. Præter hos testatus est eadem se audisse ex aliis Archades F. Mnesonidæ Acharnensis, Sostratus F. Philippi Histiæus, Philtiades Ctesii F. Xypeteensis, Dionysius F. Democratidæ Chollides.

De vini igitur numero, quantum eos imponere in navem oportuit, hæc egerunt, statim ab eo ipso quod primum scriptum fuit auspicati negligere et non præstare ea quæ scripta sunt.

5. Post hæc, in syngrapha continetur, oppignerare eos hæc libera, cum nemini quicquam debeant, et ad ea mutui accepturos a nemine quicquam. Hæc apertis verbis, Judices, scripta sunt. At isti quid fecerunt? Neglecta syngraphæ scriptura, mutuantur a quodam adolescente, per fraudem, quasi nemini quicquam deberent; et, cum nobis injuriam fecerunt, clam ad nostra mutuati, tum illum adolescentem creditorem deceperunt, ad merces non liberas mutuati. Talia sunt istorum facinora; sed doli omnes sunt Lacriti. Ut autem vera me dicere, et istum insuper contra syngrapham mutuatum esse constet, testimonium vobis recitabitur ejus qui postea mutuavit. Recita testimonium.

TESTIMONIUM.

Aratus Halicarnasseus testatur se mutuasse Apollodoro undecim argenti minas ad merces, quas in Hyblesii nave in Pontum veheret, quasque ibi pro his coemisset; neque scisse se fuisse illum mutuatum ab Androcle argentum. Alioqui se non mutuaturum fuisse Apollodoro argentum.

Fraudes igitur istorum hominum hujusmodi sunt.

6. Scriptum autem est post hæc, Judices, in syngrapha: postquam in Ponto quæ vehant vendiderint, ut alias merces emant navemque onerent eaque onera Athenas pervehant; et, ubi Athenas pervenerint, ut intra vigesimum diem lectum nobis argentum reddant, antequam autem reddiderint, in nostra potestate esse merces omnes easque immunes ab his præstandas nobis, donec nostrum receperimus. Hæc ita accurate in syngrapha scripta sunt: isti autem, Judices, hic vel in primis insolentiam suam et impudentiam ostenderunt, nec perscripta in syngrapha vel mini-

mum curarunt, sed syngrapham inanes esse nugas atque ineptias putaverunt. Nam nec in Ponto emerunt quicquam, neque in navem contulerunt, Athenas vehendum. Et nos creditores, revertentibus eis e Ponto, non habebamus quod prehenderemus, aut teneremus, tantisper dum nostram pecuniam recepissemus. Nihil enim prorsum in portum isti nostrum invexerunt. Sed nobis inusitatum quippiam accidit, Judices: qui enim in vestra hac urbe nihil peccavimus, nullo ab eis convicti judicio sumus, nostra pecunia ab istis Phaselitis spoliati sumus, quasi vero jus esset Phaselitis repræsaliarum adversus Athenienses. Cum enim, quæ acceperunt, reddere nolint, quod aliud erit hisce rebus nomen tribuendum, quam vi eos eripere aliena? Nam ego quidem audivi nunquam quicquam sceleratius eo scelere, quod in nos isti commiserunt, idque confitentes se pecuniam accepisse a nobis. Quibus enim de contractibus ambigitur, Judices, hi judicium postulant: quos vero utrique contrahentium confitentur et de quibus syngraphæ nauticæ exstant, hos consummatos esse omnes, et perscripta in tabulis præstari oportere censent. Jam eos ex syngrapha nihil omnino præstitisse, sed inde ab initio statim auspicatos struxisse fraudes et nihil æqui bonique cogitasse, tum a testibus tum ipsi a sese convincuntur adeo manifeste.

7. Quod vero gravissimum est inter Lacriti facinora, id vos audire decet: is enim rebus omnibus præfuit. Postquam huc venerant, ad mercatum vestrum non appellunt, sed in Furum portum se conjiciunt, qui est extra vestri mercatus limites. Estque perinde navem in Furum portu subducere, ac si quis ad Æginam aut ad Megara appelleret: nam ex eo portu proficisci licet, quo lubitum, et quandocunque commodum fuerit. Ac navigium ibi in statione erat dies amplius quinque et viginti: isti vero in nostro Digmate obambulabant, nosque congressi alloquebamur et jubebamus eos curare, ut pecuniam primo quoque tempore reciperemus. Assentiebantur isti et se in eo esse dicebant: nos eos accedebamus, et cum alia speculabamur, tum an aliquid e navi alicunde exponerent, et quinquagesimas solverent. Posteaquam autem isti dies complures affuerant, neque nos quicquam inveniebamus, vel expositum, vel quinquagesimam solutam eorum nomine, ibi demum solutionem acrius urgebamus. Cum vero nos eis instaremus, Lacritus frater Artemonis respondet, se non posse reddere, periisse merces omnes; dicebatque Lacritus se de his justam habere excusationem. Ea verba nos, Judices, graviter ferebamus: sed indignatione nostra nihil proficiebamus, istis omnino eam contemnentibus. Nihilominus tamen percontabamur eos, quo pacto merces periissent. Ibi Lacritus respondebat fractam esse navem dum Panticapæo Theudosiam peteret: fracta autem navi, perisse fratribus suis merces,

quas in navi habuissent; habuisse autem in ea et salsamenta et vinum Coum et alia quædam. Quæ omnia se dicebant illic coempta vecturos fuisse Athenas, nisi in navi periissent. Ac quæ dixerit hæc fuerunt.

8. Operæ pretium autem est audire hominum istorum petulantiam et mendacia. Nam cum nave quæ naufragium fecit nihil erat eis commercii, sed erat alius qui Athenis mutuarat ad naulum Ponticum et ad navigium: Antipater nomen erat creditori, Cittieus genere, et villum illud Coum octoginta vasa vini fugientis, et salsamenta homini cuidam agricolæ in navi vehebantur Panticapæo Theudosiam in usum operarum rusticarum. Quid igitur istas causas afferunt, quæ minime huc pertinent? Cape testimonium, primum Apollonidæ, ut constet Antipatrum mutuasse ad navem, naufragium vero nihil omnino ad istas pertinere: deinde Erasiclis et Hippiæ, octoginta duntaxat amphoras vectas esse in navi.

TESTIMONIUM.

Apollonides Halicarnasseus testatur se scire Antipatrum, Cittieum genere, pecuniam mutuasse in Pontum ad navem quæ esset Hyblesii, et ad naulum Ponticum: se vero communiter possedisse navem cum Hyblesio, servosque suos una fuisse in navi; et, cum periret navis, affuisse famulos suos, sibique renunciasse, navem perisse vacuam Panticapæo Theudosiam euntem.

Erasicles testatur se navigasse cum Hyblesio, gubernante navem in Pontum; et, cum navis Theudosiam Panticapæo veheretur, scire se navem isse vacuam, et ipsius Apollodori, nunc hoc judicio rei, non fuisse vinum in navi, sed transvectas esse Theudosiano cuidam civi Coas serias circiter octoginta. Hippias Athenippi F. Halicarnasseus testatur se navigasse cum Hyblesio inspectorem navis, quæ cum Panticapæo Theudosiam veheretur, imposuisse Apollodorum in eam lanarum vas unum atque alterum, et salsamentorum vasa undecim aut duodecim, et caprinarum pellium fasciculos duos aut tres, prætereaque nihil. Præter hos testati sunt ex aliis audisse se eadem Euphiletus Damotimi F. Aphidnæus, Hippeus Timoxeni F. Thymætades, Sostratus Philippi F. Histiæus, Archenomides Stratonis F. Thriasius, Philtiades Ctesiclis F. Xypetæon.

Istorum igitur hominum tanta est impudentia: vos autem, Judices, ipsi cogitate cum animis vestris, num quos unquam sciatis aut audieritis e Ponto vinum Athenas negotiandi causa importasse, præsertim Coum. Nam contra potius in Pontum invehitur e locis nobis finitimis, e Peparetho, et Co, et Thasium, et Mendæum, et ex aliis quibusdam oppidis omnis generis: e Ponto autem alia quædam sunt, quæ huc importentur.

9. Cum vero nos eos detineremus et inquireremus, nunquid pecuniæ Ponticæ evasisset, respondit Lacritus iste, centum stateres Cyzicenos evasisse, et id aurum fratrem suum mutuasse in Ponto naviculario cuidam Phaselitæ civi et familiari suo, neque potuisse recuperare, sed fere id quoque periisse. Hæc sunt quæ Lacritus

dixit. Syngrapha autem non ita loquitur, Judices, sed illic coemptas merces Athenas pervehere jubet; nec mutuare istos cui velint nostram pecuniam sine nostra auctoritate, sed nobis Athenas sistere sine omni controversia, donec nos tantum pecuniæ receperimus quantum mutuavimus. Age recita mihi syngrapham denuo.

SYNGRAPHA.

Mutuarunt Androcles Sphettius et Naucrates Carystius Artemoni et Apollodoro Phaselitis argenti ter mille drachmas Athenis Menden usque aut Scionen, et inde Bosporum. Quod si voluerint in sinistra ora usque ad Borysthenem et rursus Athenas, ducenis vicenis quinis usuræ millenas. Sin post Arcturum solverint e Ponto Templum Argonautarum petituri, trecentis eas ter mille drachmas, vini amphoris Mendæis pignori oppositis ter mille, quod evehetur Menda aut Scione in navi viginti-remorum, quæ est Hyblesii navicularii. Oppignerant autem id vinum, non debentes propterea cuiquam quicquam argenti, neque ad id mutuabuntur; et evehent merces vini pretio coemptas rursus Athenas in eadem navi omnes. Perductis autem Athenas mercibus, reddent debitores creditoribus argentum quantum debetur ex syngrapha, intra vicesimum, ex quo Athenas venerint, diem, integrum, excepta jactura si quam vectores de communi decreto fecerint, et si quid hostibus pependerint, quod ad cætera attinet omnia integrum esto; et exhibebunt pignus creditoribus liberum et immune, donec sortem cum usuris reddiderint ex syngrapha. Nisi autem ad dictum diem solverint, pignora creditoribus et oppignerare, et vendere tanti liceat quanti sunt; quod si quid argenti creditoribus ex syngrapha reddendi defuerit, exigere liceat creditoribus ab Apollodoro et Artemone, et omnia eorum bona tam terrestria quam nautica ubique gentium ubi ea fuerint pignorari, perinde ac si judicio victi judicatum non solvissent, tam alteri utri creditorum quam utrique. Sin non onerarint decemque dies post caniculam in Hellesponto manserint, atque exonerarint ubi Atheniensibus pignora capere non licet, etiam inde reversi Athenas, usuras reddant anno superiore tabulis inscriptas. Sin quid navi gravius acciderit, in qua vehentur merces, pignora salva sint: quæ superfuerint, communia sunto creditoribus: et in his rebus nihil plus valeat hac syngrapha.

TESTES.

Phormio Piræensis, Cephisodotus Bœotius, Heliodorus Pitthensis.

10. Utrumne, Judices, istos syngrapha mutuare nostra jubet, homini præsertim, quem nos neque novimus neque vidimus unquam, an coemptas merces Athenas vehere, et nobis in conspectum offerre, et exhibere sine controversia? Enimvero syngrapha nihil his quæ ea continentur plus valere sinit, nec proferri vel legem, vel decretum, vel quicquam aliud in syngraphæ præjudicium: at isti ab initio statim syngrapham hanc nihil curarunt, sed nostra pecunia sic usi sunt quasi fuisset ipsorum propria, adeo isti sunt malefici sophistæ et homines injurii. Ego vero, Jovem optimum maximum testor omnesque deos, nemini unquam invidi aut male dixi, Judices, si sophista esse vellet ac nummos Isocrati pendere: insaniam enim, si quid horum curem. Sed tamen, ita me Jupiter amet,

non decere censeo ut homines superbi, et sapientiæ opinione tumidi, alienum appetant, aut eripiant, eloquentia freti: hæc enim sunt improbi sophistæ et male mulctandi. Lacritus autem judicium hoc subiit, Judices, non jure fretus, cum satis sciat quemadmodum in hoc mutuo se gesserint, sed se pro eloquentia sua in mala causa facile orationem inventurum, et eo vos quo ipse voluerit traducturum opinatur. Hæc enim pollicetur et se eloquentem esse jactitat, et argentum postulat et discipulos colligit, his ipsis artibus eos erudituram se pollicens. Ac primum fratres suos hoc doctrinæ genere instituit, quam vos sentitis improbam esse et injustam, Judices, ut in vestro mercatu pecuniam nauticam mutuentur, eaque defraudent, nec reddant. Qui possint esse homines improbiores, vel magistro tali, vel talibus discipulis?

11. Quoniam igitur disertus est, et eloquentia fretus ac mille drachmis, quas magistro dedit, jubete eum docere vos, aut eos pecuniam non accepisse a nobis, aut acceptam reddidisse, aut nauticas syngraphas ratas esse non oportere, aut in alium usum convertendas esse pecunias quam in eum ad quem ex syngrapha acceperunt. Horum quodcunque voluerit persuadeat vobis, tum egomet quoque assentiar sapientissimum esse eum, si vobis fidem fecerit de contractibus mercatoriis judicantibus: sed satis scio non posse fieri, ut quicquam horum vel probet vel persuadeat.

12. Sed his omissis, agite per deos, Judices, si contrarium accidisset, et non istius frater defunctus pecuniam mihi debuisset, sed ego fratri ejus talentum, aut octoginta minas, aut plus minusve: num putatis Lacritum eadem verba fuisse allaturum, quibus nunc abusus est, aut se hæredem esse negaturum cedentem fratris bonis, et non acerbissime a me exacturum, sicut exegit ab aliis, si quis illi defuncto debuit, vel Phaselide, vel alibi uspiam? Quod si nostrum aliquis, ab isto accusatus, exceptionem opponere esset ausus, de non danda ei actione, satis scio, fuisse eum indignaturum et conquesturum apud vos, dictitantem inique secum agi, et violari leges, si quis ei non dandam actionem in contractu mercatorio pronunciasset. Tibi igitur, Lacrite, justum istud esse videtur, mihi vero quamobrem non erit? An non universis nobis eædem leges scriptæ sunt, et idem jus de mercatoriis actionibus? Quemquamne ita væcordem esse et omnes mortales vincere improbitate, ut persuadere vobis instituat ut decernatis, non dandam esse actionem in causa hac mercatoria, cum vos nunc mercatorias causas disceptetis?

13. Sed quid jubes, o Lacrite? Non satis esse censes nos fraudari pecunia, quam mutuavimus vobis, sed a vobis in vincula conjici, mulcta insuper irrogata, ni solverimus? Quid iniquius, quid indignius, quid vobis turpius fieri queat, Judices, quam eos, qui in

vestro mercatu pecuniam nauticam mutuarint eaque defraudentur a debitoribus et fraudatoribus, in carcerem duci? Hæccine sunt, Lacrite, quæ istis persuadebis? Sed ubi jus adipiscendum est, Judices, de mercatoriis contractibus? Apud quem magistratum? aut quo tempore? Apud undecim viros? At hi grassatores et fures et alios facinorosos capitis reos introducunt. An apud prætorem? At prætori orbarum et pupillorum et parentum cura mandata est. An, ita me amet Jupiter, apud regem sacrificulum? At neque gymnasiarchi sumus, neque reum quenquam facimus impietatis. An belli dux nos introducet? Siquidem agatur de patrocinio vel deserto vel non recepto. Proinde restant nobis duces? At triremium præfectos hi curant, et introducunt in judicium: mercatoriam vero causam nullam introduxerint. Ego vero mercator sum, et tu frater es et hæres unius mercatoris, ejus qui mercatorias a nobis pecunias accepit. In quo igitur causa hæc judicio disceptanda est? Doce, Lacrite, modo æqui aliquid dicas, et quod sit legibus consentaneum. Sed nullius hominis tantum est ingenium, qui hisce de rebus æqui aliquid possit dicere.

14. Neque vero his solum, Judices, ego injuriis a Lacrito afficior, sed præter fraudationem pecuniæ, etiam in extrema pericula venissem quantum in isto quidem fuit, nisi mihi syngrapha succurrisset, testataque esset, me in Pontum dedisse pecuniam et rursus Athenas. Nostis enim profecto, Judices, legem quam ea severa sit, si quis Atheniensium alio quopiam quam Athenas frumentum vexerit, aut pecuniam mutuarit in alium mercatum quam Atheniensium, quæ pœnæ de his constitutæ sint, quam magnæ et graves. Atque adeo ipsam potius legem eis recita, quo rem certius cognoscant.

LEX.

Argentum autem non liceat ulli Atheniensium aut inquilinorum Athenis degentium, quorum hi sunt auctores, in navem, quæ frumentum Athenas vectura non sit---

et cætera quæ de singulis earum rerum scripta sunt.

Sin aliquis mutuarit eo nomine, et indicari et describi licere argentum apud curatores, quemadmodum de nave et frumento dictum est, pari ratione. Et actio ei ne detur de argento, quod alio quopiam elocarit quam Athenas; neque magistratus ullus de eo referat.

Ac lex quidem, Judices, tam severa est: at isti omnium hominum impurissimi, cum in syngrapha aperte scriptum sit, pecuniam Athenas reportandam, permiserunt pecuniam a nobis Athenis mutuo sumptam in Chium vehi. Nam cum Phaselita navicularius in Ponto a Chio quodam homine pecuniam mutuaretur, Chius autem se daturum negaret, nisi omnia sibi quæ navicularius veheret oppi-

gnerarentur, prioresque creditores in id consentirent, consenserunt ut nostra Chio oppignerarentur isque universis potiretur, itaque solverunt e Ponto cum Phaselita naviculario et cum Chio creditore; et in Furum portum appellunt, in nostro autem mercatu non appulerunt; et nunc, Judices, Athenis mutuo datæ pecuniæ in Pontum et rursum e Ponto Athenas, in Chium ab istis devectæ sunt. Quod igitur orationis initio posui, vobis etiam non minor quam nobis creditoribus fit injuria. Considerate modo, Judices, an non violemini? Cum quis legibus vestris studet esse superior, et syngraphas nauticas irritas facit et abrogat, a nobis accepta pecunia in Chium transmissa, nonne talis homo vos etiam violat? Ac mihi quidem cum istis res est, eis enim pecuniam dedi: ipsi vero cum Phaselita illo naviculario agant cive suo, cui se credidisse pecuniam dicunt absque nostra auctoritate contra syngrapham; nos enim nihil omnino scimus quid ipsi egerint cum cive suo, ipsi quidem id sciunt.

15. Hæc esse æqua putamus, vosque oramus, Judices, ut opitulemini nobis injuriam passis, et puniatis malarum artium et deceptionum qualibus isti utuntur studiosos. Quæ si feceritis, et vobis ipsis utilia decernetis, et improbis hominibus omnes cavillationes eripietis, quibus nunc aliqui contractus nauticos eludunt.

ARGUMENTUM EXCEPTIONIS PRO PHORMIONE.

Pasio mensarius moriens, relictis duobus filiis ex Archippa susceptis, Apollodoro et Pasicle, Phormionem servum suum, qui prius tamen donatus libertate fuerat, tutorem filii natu minoris Pasiclis reliquit: eique matrem eorum, concubinam suam, dicta dote uxorem dedit. Apollodorus igitur cum fratre patrimonium dividit, mensa excepta, et officina scutorum: has enim cum Phormio a Pasione ad certum quoddam tempus conduxisset. Interim locationis semissem uterque accipiebat: demum et has dividunt; ac officina quidem scutorum Apollodoro, Pasicli autem mensa datur. Sed post matre etiam defuncta, partitus et hujus rem, Phormionem, ut qui multa quæ sua essent teneret, accusat Apollodorus. Cum igitur arbitrium sibi sumpsissent, ut Phormio ait, Apollodori cognati, Nicias et Dinias, et Andromenes, persuaserunt Apollodoro ut, acceptis quinque drachmarum millibus, cum Phormione transigeret. Apollodorus autem post rursus Phormioni diem dixit ἀφορμῆς,—ἀφορμὴν autem Attici dicunt, quod nos ἐνθήκην, hoc est, pecuniam seu sortem mensæ—: Phormio vero præscribit, et legem adducit quæ jubet, quibus de rebus aliquis re transacta semel aliquem missum fecerit, non licere denuo judicium adipisci. Et tamen rectum etiam judicium attingit Orator, ostendendo mensam non habuisse pecuniam peculiarem Pasionis: quod eo fecit, ut præscriptio plus valeret, cum rectam Apollodori actionem infirmam esse demonstraret.

DEMOSTHENIS

EXCEPTIO

PRO PHORMIONE.

1. Imperitiam dicendi, et virium imbecillitatem Phormionis, ipsi omnes videtis, Athenienses: necesse autem habemus nos ejus familiares, quorum conscii sumus, quæque hoc narrante sæpe audivimus, ea referre et exponere vobis, ut re cognita et recte intellecta e nobis, quæ æqua et religiosa fuerint, decernatis. Exceptionem autem opposuimus, non actionis eludendæ moræve interponendæ gratia, sed ut hic, ubi ostenderit se nihil omnino deliquisse, molestia tandem per vos constanter liberetur. Nam quæ apud alios homines firma et rata sunt, extra vestram sententiam, ea Phormio præstitit omnia, et, quanquam multa beneficia in Apollodorum contulit, omnia, quæ relicta isti et commissa sibi fuerant, solvit riteque tradidit, et omnibus deinceps criminibus liberatus fuit, tamen, ut videtis, postquam hunc jam ferre non potest Apollodorus, actione contra eum viginti talentorum instituta, calumniatur. Dabo autem operam ut ab initio omnia quæ huic cum Pasione et Apollodoro

negotia fuerunt, quam potero paucissimis exponam: per quæ, satis scio, et istius calumnia palam fiet, et accusatori non convenire actionem, mox illis auditis cognoscetis. Ac primum vobis pactio recitabitur, qua Pasio huic mensam locavit et officinam scutorum. Cape pactionem, et provocationem, et testimonia hæc.

PACTIO. PROVOCATIO. TESTIMONIA.

Pactio igitur, qua Pasio huic mensam et officinam scutorum, jam suum agenti negotium locavit, hæc est, Athenienses.

2. Audiendum vero vobis et cognoscendum est, quo pacto undecim talenta Pasio ad mensam debuerit. Neque enim compulsus inopia debuit, sed ex lucri cupiditate. Facultates enim Pasionis terrestres omnino viginti talentum fuerunt, et præter eas argenti sui mutuo dati amplius quinquaginta talenta. In his igitur quinquaginta talentis de mensæ depositis undecim talenta quæstuosa erant. Hic eo mensæ quæstu conducto, cum deposita acciperet et videret, se nondum in civitatem a vobis adscitum, non posse exigere ea, quæ Pasio ad fundos et ædes mutuarat, ipsum Pasionem habere debitorem maluit ejus pecuniæ, quam alios debitores quibus pecuniam credebat: et sic propter hæc inscriptum est in locationem undecim debere talenta Pasionem; id quod etiam e testibus audivistis. Quemadmodum igitur locatio facta sit, eum ipsum qui ad mensam sedet testari audivistis: post hæc quum Pasio in morbum incidisset, considerate quale testamentum fecerit. Cape testamenti exemplum, et provocationem hanc, et testimonia hæc eorum penes quos tabulæ sitæ sunt.

EXEMPLUM TESTAMENTI. PROVOCATIO. TESTIMONIA.

3. Cum igitur Pasio obiisset hoc testamento facto, Phormio uxorem ejus ex testamento ducit, filium tuetur et curat. Sed isto rapiente ac de communibus pecuniis multum esse consumendum putante, cum animis suis reputantes tutores, si ex testamento iis omnibus, quæ iste de communibus pecuniis insumpsisset demptis, reliqua ex æquo dividunda essent, nihil reliqui futurum, bona quo puero consuleretur dividere statuerunt. Ac cæteras quidem facultates, iis exceptis quæ hic conduxerat, partiuntur; eorumque redituum semissem isti reddiderunt. Jam ad hoc usque tempus qui agere potest locationis? Non enim nunc, sed tum statim queri et graviter ferre debuit. Neque illud etiam dicere potest, posteriora locationis pretia se non accepisse: nequaquam enim, postquam ad eum modum cum togam virilem sumpsisset Pasicles hic locatione cederet, vos eum omni crimine liberassetis, sed tum e vestigio exe-

gissetis, si quid præterea vobis debuisset. Atque ut hæc vere a me dici constet, et istum cum fratre puero etiamnum divisisse hæreditatem, eosque hunc et locatione et omnibus aliis criminibus liberasse, cape hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

4. Statim igitur, Athenienses, ut huic locationem remiserant, dividunt mensam et scutorum officinam; atque, optione data, officinam mensæ præfert Apollodorus. Quæ si quam privatam pecuniam et sortem habuisset, cur illam quam hanc maluisset? Neque enim proventus erat amplior, sed minor, nam officina talentum, mensa centum minas pendebat; neque fuisset illius possessio jucundior, si mensa pecuniam privatam habuisset, sed non habuit. Quapropter iste prudenter officinam prætulit: nam ea possessio est extra periculum, quæstus autem mensarius reditus habet periculosos de pecuniis alienis. Multa dici et ostendi signa possunt, per quæ appareat, ab isto per calumniam accusari Phormionem. Sed hoc ego maxime omnium argumento esse puto, hunc nullam pecuniam eo nomine accepisse, quod in locatione scriptum est, debere etiam Pasionem ad mensam, non dedisse huic pecuniam. Deinde quod istum nihil in herciscunda familia questum esse constat. Postremo, quod eum eadem hæc aliis locantem, tantidem locasse liquet, pecunia de suo nulla conducenti suppeditata: quod si ab hoc pecunia ei a patre data fraudaretur, ipsum nunc conveniebat aliunde uspiam comparatam dedisse. Hæc ut a me vere dici appareat, et postea Xenoni, Euphræo, Euphroni et Callistrato locasse, et ne his quidem de suo quicquam suppeditasse, sed deposita, et quæstum inde redeuntem eos conduxisse, et istum officinam elegisse, uti constet, cape mihi horum testimonium.

TESTIMONIUM.

E testibus igitur audivistis, Athenienses, eos et his locasse neque de suo quicquam suppeditasse, eosque manu misisse quasi magnis affecti ab eis essent beneficiis, neque in jus vocasse vel illos tum vel hunc.

5. Ac dum mater vixit, quæ omnia satis norat, nihil unquam de Phormione questus est Apollodorus: ut autem illa obierat, trium millium drachmarum actione instituta, supra illas bis mille quas ipsa istius liberis dederat, et tuniculam quandam et ancillam, calumniabatur. Ac ne ibi quidem eorum quicquam, de quibus nunc accusat, dixisse comperietur: sed re et uxoris suæ patri et affini suo et Lysino et Andromeni permissa, cum illi persuasissent Phormioni ut dono daret isti tria millia cum accessione et ami-

cum habere istum quam propterea inimicus esse mallet, acceptis in universum quinquies mille drachmis, cum hunc omni crimine liberaverit, secundum in Minervæ ædem ingressus, rursum, ut videtis, litem movet, omnibus querelis concinnatis et criminibus ab omni superiore tempore coacervatis, iis etiam—quod est omnium maximum—, quæ illi nunquam objecerat. Ut igitur hæc a me vere dici constet, cape cognitionem in arce factam, et testimonium eorum qui affuerunt, cum Apollodorus, pecuniam accipiens, Phormionem omnibus criminibus liberaret.

COGNITIO. TESTIMONIUM.

Auditis cognitionem, Judices, a Dinia factam, cujus iste filiam habet, et a Nicia cui soror uxoris ejus nupta est. His igitur acceptis transactisque rebus omnibus, tanquam aut hi omnes mortui essent aut verum in lucem proferri non posset, actione tot talentum instituta, in judicium venire audet.

6. Ac quæ Phormioni cum Apollodoro negotia intercesserunt quæque facta sunt ab initio audivistis omnia, Athenienses: arbitror autem Apollodorum quod æqui dicere nihil possit de actione sua, allaturum esse ea, quæ et apud arbitrum dixit, matri ab hoc persuasum ut tabulas aboleret, quibus perditis non habere se quo pacto eam rem oporteat liquido coargui. De his igitur et hoc crimine videte quæso, quantis argumentis convinci mendacii queat. Primum, Athenienses, quisnam patrimonium divideret, non acceptis tabulis unde quantum relictum esset cognosceret? Nemo sane omnium: at duodeviginti anni sunt cum divisisti, neque ostendere poteris unquam esse te conquestum de tabulis. Deinde, quis non, cum Pasicles vir factus gestæ tutelæ rationes reposceret, si per se criminari matrem de abolitis tabulis non esset ausus, ei id indicasset, ut per eum res palam fieret? Denique, quibus e tabulis judicia dictabas? Iste enim, multis civium in jus vocatis, magnam pecuniam exegit, scribens in actionibus, damnum mihi dedit ille non reddendo argento, quod debere eum pater mihi reliquit in tabulis: at, si abolitæ fuerunt tabulæ, quibus e tabulis judicia dictabas? Sed hæc a me vere dici, tum e facta divisione, tum e testimoniis audivistis: actionum autem illarum vobis testimonia recitabuntur. Cape testimonia.

TESTIMONIA.

In his igitur actionibus recepisse se paternas tabulas testatur:

neque enim se calumniatorem egisse profecto, aut ea postulasse in judicio, quæ non deberentur, fateatur.

7. Quanquam autem magna et multa judicia sunt e quibus appareat Phormionem omni vacare culpa, illud tamen omnium esse maximum, arbitror, Athenienses, quod Pasicles Apollodori frater eum neque in jus vocavit, neque quicquam aliud ex iis, quæ iste objicit, queritur. Quis autem credat, eum non fecisse injuriam illi, qui puer a patre esset relictus, et cujus facultates in sua manu haberet tutor institutus: tibi autem qui vir relictus es, quatuor et viginti natus annos, et, si qua tibi facta fuisset injuria, facile ulturo statim, fecisse? Non vera sunt hæc. Ut igitur hæc vere dici, ac nihil queri Pasiclem constet, cape illius testimonium.

TESTIMONIUM.

8. Quæ igitur in neganda actione vobis consideranda sunt, hæc de iis quæ diximus in memoriam revocate. Nos, Athenienses, putatis rationibus transactaque locatione mensæ et officinæ, atque interposito arbitrio et re denuo transacta, nec permittentibus legibus, earum rerum quas semel transegeris, judicium adipisci, calumniante isto et contra leges litem intendente, præscripsimus non dandam ei esse actionem. Ut igitur sciatis, qua de re sententiam laturi sitis, et lex hæc vobis legetur, et eorum deinde testimonia qui affuerunt, cum locationis et cæterorum criminum omnium Phormionem Apollodorus absolveret. Cape testimonia hæc, et legem.

TESTIMONIA. LEX.

Auditis edicere legem, Athenienses, tum cætera, quorum actio non detur, tum eorum quæ quis remiserit aut transegerit? Merito: nam si justum est, quibus de rebus semel judicium factum fuerit, eas non licere denuo revocare in jus, multo justius est de his quæ decisa sunt non dare actionem. Quod qui apud vos succubuit dicere fortasse queat, vos fuisse deceptos: qui vero se ipse palam condemnavit, qui missum fecit, qui transegit, quidnam de semetipso queri aut quam causam afferre possit, cur jure denuo experiatur? Nullam nimirum. Quamobrem legis hujus auctor, qua definitur quarum rerum experiri non liceat, prima hæc scripsit, quæ quis remisit aut transegit. Quæ utraque ab isto facta sunt, nam et remisit et transegit. Me autem vera dicere, testimoniis probatum est, Athenienses.

9. Cape et legem de præfinito tempore.

LEX.

Lex quidem, Athenienses, ita perspicue finivit tempus: Apollodorus autem, annis elapsis amplius viginti, pluris a vobis æstimari vult calumniam suam quam leges, secundum quas jurati pronunciatis. Decet autem vos, Athenienses, cum omnibus parere legibus, tum huic in primis, quam Solon mea quidem opinione haud aliam ob causam tulit, nisi ut ne vos deciperemini. Nam et si cui facta esset injuria satis esse putavit quinquennium ad exigendum, et mentientes ipso tempore evidentissime posse redargui: simul etiam, postquam non posse fieri videt ut et contrahentes et testes perpetuo vivant, in eorum locum hanc legem suffecit, ut his quæ dicta fuerunt testis esset æquitatis.

10. Miror equidem, Judices, quænam ea sint quæ ad hæc respondere instituet Apollodorus: non enim id putat, scilicet vos, qui eum nullis fraudatum pecuniis videatis, ægre laturos, quod matrem ejus Phormio duxerit uxorem. Neque enim hoc ignorat, neque vel eum præterit vel plerosque vestrum, Socratem mensarium illum, a dominis libertate donatum, ut istius patrem, dedisse Satyro uxorem suam, qui servitutem aliquando apud ipsum servisset. Alium Sosiclem qui argentariam factitarit dedisse uxorem suam Timodemo, qui etiam nunc in vivis est, et ejus aliquando servus fuit. Neque vero id homines huic quæstui dediti hic duntaxat faciunt, Athenienses, sed et in Ægina dedit Strymodorus Hermæo servo suo uxorem, eaque defuncta, rursus ei dedit filiam suam. Multi hujus generis commemorari possent. Merito. Vobis enim, Athenienses, qui natura cives estis, nullas pecuniarum copias præferre generi honestum est: qui autem civitate vel a vobis vel ab aliis quibusdam fortunæ beneficio sunt donati, et, propter quæstum argentarium, et ampliores possessiones, idem jus consecuti, ii hæc custodire debent. Quare Pasio pater tuus neque primus neque solus, neque vel in semetipsum contumeliosus vel in vos filios sed non aliter suis rebus posse consuli prospiciens, nisi hunc necessario vobis conjunctum redderet, suam ei uxorem, matrem vestram, despondit. Quod si utilitatem spectes, eum recte sibi prospexisse deprehendes: sin habita aut existimationis aut natalium ratione Phormionis affinitatem aversaris, vide ne ridiculum sit ea te dicere. Si quis enim te roget quemnam patrem tuum fuisse existimes? Bonum virum, sat scio, respondebis. Utrum igitur et moribus et rebus omnibus Pasioni similiorem putas, tene an hunc? Ego quidem, satis scio, hunc. Qui igitur patri tuo similior est, eum, si matrem tuam duxit, aversaris?

11. Atqui, et dante et mandante patre tuo acta esse hæc, non

modo e testamento cernitur, Athenienses, sed et tu ipse fuisti testis. Cum enim maternas facultates in partes dividi velles, et Phormio ex uxore liberos suscepisset, tum fatebaris eam a patre legitime traditam et ratum esse matrimonium. Nam si eam hic per injuriam raptam habuisset, datam a nemine, liberi hæredes non fuissent: ad eos autem qui hæredes non essent portio nulla rei familiaris pertineret. Et hæc vere a me dici liquet, cum sit ostensum, ab eo quarta parte accepta omni crimine Phormionem esse liberatum.

12. Quia vero, Athenienses, nullam prorsus probabilem defensionem habebat, impudentissimas afferre causas apud arbitrum audebat, quas vos audivisse in primis operæ pretium fuerit. Unam, omnino non factum esse testamentum, sed id totum adhuc nihil aliud esse quam figmentum et commentum: alteram, ea se gratia superiori tempore concessisse omnia neque in jus vocasse, quod Phormio magnum pendere vectigal voluerit idque se pensurum pollicitus fuerit, quod postquam non facit, nunc demum jus meum, inquit, persequor.

13. Sed eum hæc utraque, si dicet, falso dicturum, et suis ipsius factis contraria, hinc æstimate. Si testamentum negabit, qua ratione prærogativa ætatis ædes ex testamento acceptas teneat, id eum rogatote. Nec enim illud dicet, ea testamenti esse rata, quibus auctore patre melior sua sit conditio; cætera irrita. Cum vero hujus se pollicitationibus deceptum esse dicet, memineritis, nos vobis produxisse testes eos, qui, quum huic jamdiu nihil cum isto rei esset amplius, ab istis et mensam et officinam conduxerunt. Atqui tum, cum eas illis locavit, ista e vestigio dicta esse oportuit; propter quæ, re tum transacta, nunc ei litem movet. Ac ut me hæc vere dicere constet, et eum prærogativa ætatis ædes ex testamento accepisse, et hunc adeo non duxisse accusandum, ut etiam laudarit, cape testimonium.

TESTIMONIUM.

14. Ut autem sciatis, Athenienses, quanta pecunia et ex locationibus et ex ære alieno redacta, inopiam suam et totius patrimonii jacturam lamentetur, auscultate paucis. Iste æris alieni simul talenta viginti redegit ex tabulis quas pater ejus reliquit, quorum dimidio plus habet, multis enim partibus fratrem fraudat: e locationibus autem, octo annorum quibus Phormio mensam habuit, octogenas minas, semissem totius locationis, et hæc sunt decem talenta et quadraginta minæ, decennium vero post quo Xenoni, Euphræo, Euphroni et Callistrato locavit, quotannis talentum: jam præter hæc e domibus initio distributi patrimonii, quod ipse curabat, reditus amplius tricenas minas. Quod si in summam redegeritis omnia, quæ et e divisione et redacto ære alieno et ex locationibus accepit, eum amplius quadraginta talenta accepisse constabit, exceptis iis quæ hic ei donavit, et maternis opibus, et illis quatuor talentis cum dimidio et sexcentis drachmis, quæ accepta de mensa non reddit.

15. At hæc respub., inquiet, accepit, et inique mecum actum est qui multa in rempub. contulerim? Imo, quæ reipub. præstitisti, ea de communi pecunia tu et frater impendistis: quæ vero deinde, tantum abest ut duorum talentum, ut ne viginti quidem minarum, reditum æquent. Ne igitur remp. criminare, nec, quæ tu de patrimonio flagitiose et male perdidisti, impensa esse dicito reipub. Ut autem sciatis, Athenienses, et multitudinem pecuniarum quas accepit, et munera quæ obiit, singulatim vobis hic libellus legetur, et provocatio hæc, et hæc testimonia.

LIBELLUS. PROVOCATIO. TESTIMONIA.

Tantam igitur pecuniam cum acceperit et nomina multorum talentum adhuc habeat, quorum alia a volentibus exigit, alia judicio extorquet, quæ extra mensæ locationem et cæteras opes a Pasione relictas ei debebantur, quæque nunc ad istos redierunt, cumque tantillos sumptus fecerit quantulos vos audivistis, ne minima quidem redituum parte, nedum sorte ipsa, in publica munera impensa, tamen gloriabitur et instructiones triremium et ædilitates jactabit: ego vero, ea falso dicturum, ostendi. Quæ si vera essent omnia, honestius tamen et justius opinor fuerit istum vobis de suo largiri, quam, vos hujus opes isti tradere, ut ipsi parvis emolumentis ex omnibus perceptis, hunc extrema inopia conflictantem, istum insolenter se gerentem et in ea quæ solet profundentem videatis.

16. Jam de opibus, possidere hunc eas a patre tuo acceptas, et, de eo quod te rogaturum dicebas, unde rem haberet Phormio, tibi soli minime omnium mortalium ea causa adducenda est. Neque enim Pasio pater tuus eas vel labore partas, vel a parente relictas, possedit: sed cum suis dominis, Antistheni et Archestrato, argentariam factitantibus, industriam et probitatem suam probasset, fides ei est habita. Est autem in mercatu et inter homines pecuniarium quæstum facientes, eundem industrium videri et probum esse, ingens miraculum. Neque igitur illi has virtutes domini tradiderunt, sed ipse bonus natura fuit, neque huic tuus pater: nam, siquidem id penes ipsum fuisset, te potius quam hunc probum reddidisset. Si vero hoc nescis, fidem occasionem esse rei faciendæ omnium maximam, nescis omnia. Sed his omissis, in multis et tuo patri et tibi, vestris denique rebus, utilis Phormio fuit: sed tuam insatiabilem cupiditatem quis aut explere aut tuis satisfacere moribus possit?

17. Atque adeo miror qui fiat ut non tecum reputes, esse Archestrato qui tuum olim patrem possedit filium hic Antimachum, alia fortuna quam ejus dignitas postulabat, qui tibi non diem dicit, neque indignum esse clamitat, te multitia ferre, et aliam redemisse, aliam dedisse meretricem, eaque te facere cum uxorem habeas, et tres pueros pedissequos circumducere, itaque luxuriose vivere, ut etiam obvii quique sentiant: se vero ipsum magna egestate premi, qua ne Phormionem quidem premi videt. Quod, si ea de causa tibi hujus rem familiarem vendicas, quod ea tui patris olim fuerit, istud illum magis quam te decuerit: nam tuus pater illius fuit. Proinde et tu et hic illius eritis ista quidem ratione. Tu vero in eam incidis amentiam, ut ea dicendi necessitatem ipse nobis imponas, quæ qui dicerent pro hostibus habendi erant; nec teipsum duntaxat contumelia afficis sed et parentes defunctos, et civitati insultas; et, quæ horum humanitate patri tuo liberaliter tributa sunt et postea Phormioni, ea, cum ornanda et solicite custodienda essènt, ut et his qui dederunt et vobis qui accepistis quam honestissima viderentur, in medium profers, exagitas, tantum non ostentas et exprobras, qualem te hominem fecerint Atheniensem. Ita in eam insaniam venis—quid enim dicam aliud?—ut non sentias, nos nunc, dum postulamus, ut ne fraudi Phormioni sit, postquam manumissus est, si quando patris tui fuit, tuam causam agere: te vero, dum eum nunquam æquari tecum pateris, temetipsum oppugnare! Quicquid enim juris in hunc tibi statueris, illud ipsum contra te præsto iis erit qui patrem tuum initio possederunt. Quod ut constet illum etiam fuisse quorundam, ac deinde manumissum eodem modo quo hic a vobis, cape hæc testimonia, ut appareat Pasionem fuisse Archestrati.

TESTIMONIA.

18. Itane eum qui ab initio vestram negotiationem conservavit et multis in rebus istius patri se utilem præbuit, et tot in istum ipsum beneficia contulit quot vos audivistis, eum inquam, tanta mulcta damnatum, per injuriam esse putat exterminandum! Neque enim quicquam aliud facere possis. Nam si bona hæc acute intueberis, invenies quorum sint, nisi hi, quod absit, decepti fuerint. Vides Archilochum Charidemi F.? Olim habuit agrum: eundem nunc multi habent, possederat enim eum multo obstrictus ære alieno. Sosinomum item, Timodemum, et cæteros mensarios? Qui, cum satis faciendum esset creditoribus, bonis omnibus cesserunt. Tu vero nihil omnino considerandum putas, ut pater tuus, vir te multo et melior et prudentior, rebus omnibus consultum putarit: qui, pro deum atque hominum fidem, tanto te præstantiorem hunc esse judicavit et utiliorem tum tibi tum sibi tum negotiis vestris, ut,

quamvis tu vir esses, hunc non te semissis tutorem fecerit, uxoremque ei desponderit, et viventem eum honorarit. Jure, Athenienses. Nam reliqui mensarii, nihil de locatione pendentes, sed ipsi in rem suam quærentes, omnes perierunt: hic vero, de locatione pendens bina talenta et quadragenas minas, mensam vobis conservavit. Quorum ille beneficiorum memor et gratus fuit; tu nullam rationem habes, sed contra testamentum et exsecrationes in eodem a patre inscriptas, exagitas, insectaris, calumniaris. O vir optime, si te tamen ita nominari fas est, non desines neque intelliges, bonitatem magna pecunia esse potiorem? Tibi, vera si dicis, tot acceptæ pecuniæ perierunt omnes, ut ais: at si modestus fuisses, nunquam eas consumpsisses.

19. Ego vero, re ab omni parte considerata, medius fidius, nihil video, cur judices a te persuaderi sibi sinant ut hunc condemnent. Quid enim? An quod recentibus adhuc injuriis accusas? At annis et temporibus præteritis criminaris. An, quod interjecto tempore in otio te continuisti? Sed quis ignorat quam inquietus et turbulentus perpetuo fueris, non privatis modo crimina intendendo his haud minora, sed et publice quosdam calumniando et in judicium adducendo? Nonne Timomachum accusabas? Nonne Callippum, eum qui nunc est in Sicilia? Non rursus Menonem? non Autoclem? non Timotheum? non alios multos? Enimvero, quæ ratio fuit ut tu qui Apollodorus esses, publica delicta, quorum quota portio ad te attinebat, ulcisci prius velles, quam privatas injurias, de quibus nunc quereris, persequi, præsertim, si tibi credendum sit, tantas. Quid igitur illos accusabas, hunc omittebas? Nulla nimirum tibi fiebat injuria, sed nunc calumniatorem agis. Equidem arbitror, Athenienses, omnium maxime ad rem facere, ut harum rerum testes adducantur. Eum enim qui perpetuo calumniatur, quid nunc facere existimandum est? Atque illud etiam ego sane, Athenienses, existimo, quæ indicia sunt morum Phormionis et justitiæ ejus et humanitatis, ea etiam e re esse ut vobis exponantur. Nam qui esset in omnes iniquus, fortassis, ut isti etiam injuriam faceret, fieri potuisset: qui vero nemini ullam injuriam fecit, in multos ultro beneficia contulit, is qua tandem probabili ratione impulsus istum solum ex omnibus violaret? His igitur testimoniis auditis, utriusque ingenium cognoscetis.

TESTIMONIA.

Nosti etiam illa in Apollodorum de improbitate?

TESTIMONIA.

An vero iste huic similis sit considerate. Recita.

TESTIMONIA.

Lege etiam quæ publice hic in civitatem contulerit.

TESTIMONIA.

20. Phormio igitur, Athenienses, tot et tantis in rempub. multosque vestrum collatis beneficiis, nemine vel publice vel privatim læso, nec injurius in Apollodorum, precatur supplicatque et postulat se conservari, et nos ejus familiares eadem precamur a vobis: illud vero vobis audiendum est. Lectum est, Athenienses, hunc tantam pecuniam suppeditasse vobis, quantam nec ipse, nec quisquam alius possidet. Fides tamen Phormioni apud notos est et tantæ et multo majoris pecuniæ, per quam et ipse sibi prodest et vobis. Quæ ne projeceritis, neque ab impuro isto homine everti patiamini, neque fœdo exemplo sancite, licere petulantibus hominibus et calumniatoribus opes eorum qui rem faciunt et moderate vitam instituunt a vobis impetrare. Longe enim præstat vobisque utilius est eas penes hunc esse. Videtis enim ipsi et auditis e testibus, qualem se erga supplices præbeat; quorum nihil augendæ pecuniæ studio fecit, sed humanitate et animi facilitate.

21. Non decet igitur, Athenienses, talem virum isti prædæ esse, ac tum demum vos ejus misereri cum ea misericordia nihil ei proderit, nunc miseremini dum ejus salus in vestra manu est: neque enim ego ullum tempus esse video, quo quis ei commodius opituletur. Verba autem multa, quibus Apollodorus utetur, nugas esse et calumnias putatote; jubete potius eum vobis demonstrare, aut, non ita mandasse patrem ejus, aut, esse aliam quampiam locationem præter eam quam nos ostendimus, aut, se non transegisse subducta ratione omnia illa crimina quæ cognovit et socer et affinis ejus isto ipso concedente, aut, licere legibus res ita et actas revocare in judicium, tale igitur aliquid ostendat: quæ cum non suppetent, si crimina et maledicta ingeret et tergiversabitur, ne ei parueritis, neque vos clamor ejus et impudentia decipiat, sed cavete eaque memineritis quæ e nobis audivistis. Quæ si feceritis, cum officio religiosorum judicum fungemini, tum hunc jure conservabitis, dignum incolumitate, Jovem optimum maximum testor et deos universos. Cape legem, et testimonia hæc, eisque recita.

LEX. TESTIMONIA.

Nescio plura dicere quorsum attineat: puto enim vos nihil ignorare eorum quæ diximus. Exime aquam.

ARGUMENTUM EXCEPTIONIS ADVERSUS PANTÆNETUM.

Cum Pantænetus a Telemarcho quodam officinam in Maronea metallicam—est autem is Atticæ locus—et cum officina triginta servos emeret, mutuatur a Mnesicle talentum, a Phileto et Plistore quinque et quadraginta minas: atque emptor inscribitur Mnesicles, emptionemque ipse habet. Post cum argentum reposceretur Pantænetus secundos sumit creditores, tum eum qui hanc exceptionem nunc apponit Nicobulum tum Evergum quendam, hisque oppignerat et officinam et mancipia; tabulasque non oppignerationis sed venditionis conficit, fitque venditor et confirmator secundis creditoribus prior creditor Mnesicles qui emptionem habebat. Locant igitur Pantæneto mancipia et officinam Evergus ac Nicobulus, nimirum ut domini ejus facti: tanti autem locant quantum usuræ credita pecunia pariebat. Cum enim centum quinque minas mutuassent, debebat usura in minam esse drachma: convenerat igitur inter eos ut centum et quinque drachmas acciperent, et fuit hæc reipsa usura, verbo locatio. His actis, Nicobulus peregre abit; per cujus absentiam hæc fiunt Athenis. Evergus, creditæ pecuniæ socius, Pantænetum pactis et conventis non stare conquerens, aggreditur officinam et occupat; atque etiam observato argento quod e fodinis Pantæneto afferebatur, quodque is in publicum collaturus erat, famulo id ferenti vi eripit. Quamobrem etiam duplicem in publicum, ut asserebat, pecuniæ numerum contulit Pantænetus, impeditus ab Evergo quo minus ad præfinitam diem solveret: et actione in Evergum dati damni instituta vincit. Ut vero et Nicobulus peregre domum redit, multique Pantæneti creditores, prius ignorati, exsistunt, multis verbis factis, convenere tandem, ut Nicobulus et Evergus, receptis centum et quinque minis, officina et mancipiis cederent; eaque alteri creditores emerent. Rursus autem nolentibus creditoribus emere possessiones, nisi venditores atque auctores Nicobulus et Evergus ipsi fierent, paret Nicobulus, ipso etiam, ut ait, Pantæneto petente, sed non prius id pollicitus est, quam a Pantæneto esset omni periculo liberatus. Pantænetus periculo eum liberat, possessiones venduntur: sed nihilominus eandem huic, quam et Evergo, litem movet, actione metallica inscripta, ut qui et ex iis unus esset qui metalla exercerent et in metallis esset læsus. Atque etiam Nicobulum et de ereptione pecuniæ quam servus tulisset, et de officinæ mancipiorumque venditione contra pacta et conventa facta, atque adeo de aliis quibusdam, accusat. Nicobulus autem præscriptione utitur, lege illa nitens quæ vetat, amplius earum rerum agere quæ actæ et transactæ sint, altera, quæ verbis apertis et perspicuis definit quibus de rebus dandæ sint metallicæ actiones, quum autem tale nihil Pantæneto acciderit, absurde ait eum agere actione metallica: quin et tertiam adducit legem, quæ distinguit quæ causæ quibus in judiciis disceptandæ sint et a quibus magistratibus dandæ actiones, Pantænetum autem eam legem violasse, variis criminibus in unam veluti massam conflatis deque omnibus in metallico judicio accusantem. Ac lege de transactione initio est usus, duabus reliquis in fine, ab exceptione et auspicatus et desinens in eandem. In medio autem rectam defensionem collocavit, cujus id est maximum et firmissimum, Nicobulum tum peregre abfuisse, cum Pantæneto illa acciderint, propter quæ et tunc Evergum, et nunc Nicobulum, in jus vocarit.

DEMOSTHENIS

EXCEPTIO

ADVERSUS PANTÆNETUM.

1. Quia dederunt leges excipiendi potestatem, Judices, iis de rebus quæ actæ transactæque sunt, et hæc utraque inter me et Pantænetum intercesserunt, præscripsi, ut modo audivistis, non dandam esse ei actionem, non abstinendum hoc jure mihi ratus, neque committendum ut cum præter cætera omnia convicero istum et omni me periculo liberasse et mecum transegisse, dicere posset me non vera loqui, neve hoc argumento uteretur, si quid tale actum esset, fuisse me sibi præscripturum: sed in hoc judicio eademque causa vobis utrumque ostendendum, et isti a me nullam esse factam injuriam, et ab eo mihi contra leges facessi negotium. Quod si quid eorum accidisset Pantæneto quæ nunc queritur, illis statim temporibus in jus me vocasset, quibus inter nos contraxeramus, cum et menstrua sint judicia hæc, et utrique domi fuerimus, et omnes homines recentibus injuriis magis quam mora interposita indignari soleant: sed postquam nulla affectus injuria—ut et vos, satis scio, audita re assensuri estis—successu Evergini judicii elatus, calumniatur, reliquum est, Judices, ut, apud vos ostensa innocentia mea et iis quæ dicam testibus comprobatis, tueri me studeam. Petam autem a vobis omnibus rem æquam et modicam, ut meam exceptionem benigne audiatis, totumque negotium diligenter attendatis: nam cum multa in urbe judicia facta sint, nullam unquam actionem vel impudentius vel iniquius ab ullo esse institutam sentietis, ut arbitror, ea qua nunc iste instituta in conspectum vestrum prodire non dubitavit. Dabo autem operam, ut rem vobis omnem ab initio, quam fieri paucissimis poterit, explicem.

2. Mutuavimus quinque et centum minas, Judices, Pantæneto ego et Evergus ad officinam in fodinis Maroneis et ad triginta mancipia: ejus pecuniæ quadraginta quinque minæ meæ fuerunt, talentum Evergi. Acciderat autem ut iste deberet Mnesicli Colyttensi talentum, Phileæ Eleusinio et Plistori quadraginta quinque minas. Venditor officinæ et mancipiorum nobis fit Mnesicles—is enim ea isti emerat a Telemarcho priore domino—, ea vero conducit iste a nobis usura illius argenti, quinque et centum drachmis in singulos menses. Conficimus tabulas, quibus et locatio, et certum quoddam tempus intra quod a nobis officinam ei redimere liceret,

continebatur. His actis Februario mense prætore Theophilo, ego statim in Pontum profectus sum, iste et Evergus hic fuerunt. Qui quid inter se egerint me absente, dicere non possum: neque enim eadem dicunt, neque semper eadem iste quidem. Alias enim asserit se ab illo contra pacta esse locatione vi eversum, alias eum in causa fuisse ut in publicum ipse inscriberetur, alias quippiam aliud quod libuit: ille autem simpliciter se, nec usuris redditis, nec alia re ulla quæ pactis contineretur ab isto præstita, convenisse eum et ab eo volente suum recepisse, post hæc autem digressum istum redisse adducentem quosdam qui controversiam moverent, se illos non persecutum esse, neque istum prohibuisse quo minus teneret quæ conduxerat, modo fidem servaret. Ex his igitur ego tales orationes audio. Sed illud scio, sive iste vera dicit, et injuria affectus est ut ait ab Evergo, pœnas eum sumpsisse, quantas voluit—vicit enim vobis judicantibus—, neque profecto æquum esse ut et ab auctore injuriæ pœnas sumat et a me qui peregre abfuerim: sive Evergus, hunc quidem circumscriptum esse per calumniam, me vero ne sic quidem ejusdem criminis jure accusari. Ut igitur hæc primum a me vere dici constet, horum testes ad vos producam.

TESTES.

Fuisse igitur et venditorem nobis possessionum eum, qui ipse ab initio emerat, et ex pacto istum conduxisse nostram officinam et mancipia, et me iis quæ iste postea cum Evergo egit neque interfuisse neque fuisse domi omnino, et illum in jus vocatum et me nullius unquam criminis ab isto reum esse factum, e testibus auditis, Judices.

3. Reversus igitur amissis fere quæ mecum avexeram omnibus, quum et audirem istum deseruisse officinam, et Evergum habere et tenere quæ emeramus viderem, mirum in modum dolui, ut qui eo me redactum cernerem ut quo me verterem nescirem: aut enim socium esse me oportebat Evergo quæstus et curationum, aut debitorem istius loco Evergum habere, et cum eo denuo conscribere locationem, et contrahere. Quorum mihi neutrum erat in animo: hæc autem quæ dixi moleste ferens, conspicatus Mnesiclem qui earum rerum venditor nobis fuerat, cum eo expostulabam, quod talem mihi hominem conciliasset, et cur quidam controversiam moverent, quidnam id rei esset, interrogabam. Quibus ille auditis deridebat eos qui hoc facerent: quos tamen congredi velle nobiscum, idque ut fieret se curaturum dicebat, et moniturum istum ut mihi præstaret æqua omnia, et persuadendi spem habere. Ut congressi sumus, quid multis est opus?

Venerunt ii qui se isti mutuasse dicerent ad officinam et mancipia, quæ a Mnesicle nos emeramus; neque isti quicquam simplex aut æquum afferebant, sed ubique mendacii convincebantur; Mnesicle porro venditionem nobis confirmante, conditionem nobis ferunt, quam nos repudiaturos putabant, ut aut pecunia omni a se recepta discederemus, aut ipsis dissolveremus ea quæ postularent, causantes nos habere quæ longe majoris pretii essent quam quantum nos dedissemus. Quibus ego auditis, statim, sine deliberatione, promisi me recepturum, et Evergo persuasi ut consentiret. Quum autem pecunia nobis numeranda esset, et res eo processisset, negarunt de cætero se daturos qui tunc illa promiserant, nisi nos eis possessionum venditores fieremus; in quo, Athenienses, sapiebant: cum viderent quibus nos isti calumniis vexarent. Ut igitur et hæc vera esse constet, etiam hæc testimonia capito.

TESTIMONIA.

4. Cum autem res in eo consisteret, et pecuniam ii quos iste adduxerat non numerarent, et nos quæ emissemus non injuria tenere videremur, supplicabat, obtestabatur, obsecrabat ut venditores fieremus. Petente vero isto et multum me obtestato, et nihil non faciente, id quoque concessi. Sed quia eum malitiosum esse videbam, Athenienses, et ab initio Mnesiclem apud nos accusasse, rursus, cum summus esset Evergi amicus suscepisse cum eodem inimicitias, et primum cum ego redissem gratulari mihi adventum et gaudere conspectu meo, ubi vero promissa præstanda erant infensum mihi factum, omnibus denique tantisper esse amicum dum aliquid occuparit et quæ rogat impetrata tulerit, post inimicum fieri et adversarium, volebam, cum omisso contractu priore pro isto venditor fierem, sic cum eo convenire, ut omni periculo transacta re liberarer. His concessis, iste me omnino missum fecit: ego vero venditor, ut precabatur, factus sum possessionum, quemadmodum eas ipse a Mnesicle emeram. Receptis igitur meis et nulla isti facta injuria, ita me dii bene ament, etiam si quid accidisset, nunquam fore putavi ut me in jus vocaret. Res igitur de qua sententiam feretis, et propter quam calumnia vexatus dandam esse ei actionem negavi, hæc est, Judices: adductis autem testibus iis qui affuerunt, cum iste me absolveret ac liberaret, jam nunc non dandam esse actionem legibus, ostendam. Lege mihi hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

Lege mihi et emptorum testimonium, ut sciatis, isto jubente me ea vendidisse iis, quibus iste jusserat.

TESTIMONIUM.

Neque vero hi solum testes nobis sunt, nos missos esse factos et nunc calumnia peti, sed ipse etiam Pantænetus. Cum enim Evergum accusaret me omisso, tum ipse testabatur nullam sibi de me querelam esse reliquam: nec enim profecto in pari crimine, si utrumque ex æquo accusasset, alterum omisisset, alterum in jus vocasset. Leges autem de rebus ita actis iterum adipisci judicium non sinere, arbitror equidem vos, tametsi ego nihil dixero, intelligere: sed tu nihilominus hanc quoque legem recita.

LEX.

Auditis, Athenienses, legem aperte dicere, quibus de rebus aliquem missum feceris et transegeris, non amplius dari actionem: ea vero utraque isti nobiscum intercessisse, e testibus audivistis.

5. Est autem, cum nullis de rebus quæ legibus interdictæ sunt, in jus veniendum, tum de his minime omnium. Nam quæ respublica egit, ea dici possint, aut injuste aut non convenienter esse acta; de judicum item sententiis dici potest, eos deceptos ita pronunciasse, sic cæteris de rebus quæ sancitæ sunt legibus, singulatim aliqua ratio probabilis afferri queat: quæ vero ipse sua voluntate transegit, de iis dicere nihil potest, neque culpare semetipsum quamobrem injuste fecerit. Jam qui de alia re quapiam litigant, in jure ab aliis præfinito non acquiescunt, qui vero de iis quæ transegerit denuo accusat, suo: quamobrem isti hominum generi maxime irascendum est. Me igitur ab eo missum esse factum cum venditor mancipiorum factus sum, ostendi: legibus autem his de rebus non dari actiones, ex lege modo recitata audivistis.

6. Ne quis vero cogitet, Athenienses, me quod ipsam tueri causam nequeam huc confugere, singulatim etiam ejus omnes criminationes ementitas esse ostendam. Recita ipsum crimen, cujus me reum facit.

ACCUSATIO.

Damnum dedit Nicobulus insidiatus mihi et facultatibus meis, quod Antigenem servum suum eripere servo meo jussit argentum, quod is ferebat ærario numerandum de fodinis, quas ego emi nonaginta minis; et in causa fuit ut mihi duplum inscriberetur in tabulas publicas.

Desine. Ista omnia, quorum me nunc accusavit, prius Evergo objecit reumque peregit. Testatum autem est orationis initio apud vos, me peregre abfuisse cum inter istos controversiæ orirentur: sed idem tamen etiam e crimine perspicuum est. Nusquam enim me quic-

quam istorum fecisse scripsit: sed me sibi et suis facultatibus insidiatum, mandasse id servo meo subscripsit, in quo mentitur. Qui enim ego mandare potui, qui, cum hinc solverem, quidnam hic futurum esset utique ignorabam? Deinde quantæ stultitiæ est, cum me suæ dignitati et saluti insidiatum dicat, eundem scribere, servo mandasse ea, quibus nec civis civem afficere queat? Quid illud igitur est? Apparet eum, cum nulla ratione posset propter peregrinationem istorum in me quicquam transferre, et me calumniari vellet, meo jussu esse factum inscripsisse: neque enim, ni hoc fecisset, ullam causam habuisset. Lege quod sequitur.

ACCUSATIO.

Et, postquam ego sum factus ærarius, collocato Antigene servo suo in mea officina, ea quæ est ad Thrasyllum, mea illi tradit, me vetante.

Desine. Rursus in his omnibus ab ipsa re mendacii convincitur. Scripsit enim me collocasse, se autem vetuisse: quæ fieri per absentem nequeunt. Neque enim ego collocabam, qui essem in Ponto, neque interdixit iste non præsenti. Qui enim potuisset? Quæ res igitur eum coegit hæc scribere? Evergus, opinor, cum ea committeret quorum pœnas dedit, homo mihi notus et familiaris, servum aliquem domo mea accersitum, apud se, custodiendi gratia collocavit. Si igitur verum scripsisset, ridiculum fuisset: quæ enim mea culpa est, si Evergus constituit? Id fugiens, talia scribere coactus est, ut mecum agere judicio posset. Lege cætera.

ACCUSATIO.

Et persuasit meis famulis ut in Cenchreone sederent supplices in fraudem meam.

Desine. Hoc jam omnino impudens est. Non enim ex eo duntaxat quod eos in quæstionem postulatos dare noluit, sed undique perspicuum est esse mendacium. Qua enim de causa eos pelliciebam? Ut scilicet eos emerem? At optione mihi data vel habendi vel emendi vel recipiendi meum, recipere meum malui, et hæc per testes probata sunt. Sed recita tamen provocationem.

PROVOCATIO.

Hac igitur provocatione non accepta, sed repudiata, considerate, quale statim post hæc crimen impingat. Lege quod sequitur.

ACCUSATIO.

Et consumpsit argenti massas, quas mei servi conficiebant, et argentum habet ex illis massis confectum.

Desine. Rursus ista fieri a me qui potuerunt non præsente, et de quibus Evergum condemnasti? Recita ipsam accusationem ordine.

ACCUSATIO.

Et vendita officina mea et servis contra pacta mecum facta.

Desine. Hoc cætera omnia longe superat. Primum contra pacta, inquit, mecum facta: ea vero quæ sunt? Locavimus usuris solitis isti nostra nos, et aliud nihil: venditor enim nobis Mnesicles factus erat, isto præsente et jubente. Deinde nos aliis vendidimus iis conditionibus, quibus nos emeramus, non modo jubente adhuc isto, sed etiam supplicante: nemo enim istum venditorem admittere voluit. Quorsum igitur hic locationis pacta? Quid hoc, homo futilissime, inscripsisti? Atque ut constet nos, et te jubente, et, quibus conditionibus emeramus ipsi, iisdem revendidisse, recita testimonium.

TESTIMONIUM.

Atque adeo tu quoque testis es: nam quæ nos centum et quinque minis emimus, ea tu postea tribus talentis et bis mille sexcentis drachmis vendidisti. At quis omnium, nisi venditores habuisset, unam tibi drachmam dedisset. Quæ ut vere a me dici constet, voca mihi testes.

TESTES.

Recepto igitur, quanti æstimarat, suarum rerum pretio, meque tum ipse precatus ut venditor fierem cum argentum contulissem, nunc a me duo talenta etiam postulat. Sed cætera crimina sunt multo graviora. Recita reliquam accusationis partem.

ACCUSATIO.

Hic complura et atrocia simul mihi objicit: ut verbera, ut contumeliam, ut violentiam, ut injurias in orbas. Quorum singula peculiarem actionem habent, eamque nec apud magistratum eundem, nec iisdem sancitam pœnis. Nam verberatio et violentia, apud Quadragintaviros; contumelia, apud Sexviros; quæ vero in orbas committuntur, apud Prætorem disceptanda sunt. Legibus autem licet ea quoque crimina, quorum qui actionem det nemo est, exceptione summovere. Recita eis hanc legem.

LEX.

Istud igitur, cum præter reliquam præscriptionem opposita exce-

ptione sustulerim, et sexviri actionem non dent eorum criminum quorum me accusat Pantænetus, abolitum est, nec in exceptione inest. Id vero quomodo, vos considerate: mea enim, dum legem hanc proferre possum, non quicquam interest. Neque enim notionem æqui et boni atque intelligentiam in vestris animis infixam revellere poterit.

7. Cape et metallicam legem: nam vel ex ea me ostensurum opinor non dandam esse ei actionem, et gratiam mihi haberi potius quam fieri calumniam oportere. Recita.

LEX.

Hæc lex perspicue definit, quibus in rebus metallicæ actiones dandæ sint. Proinde lex, si quis aliquem expulerit quæstu et opus facere prohibuerit, eum facit obnoxium: ego vero istum adeo non expuli, ut quibus ab alio privabatur, ea restituerim eaque tradiderim, et venditor ejus rogatu sim factus. Næ, inquit: sed si quis aliter etiam in metallis ullum damnum dederit, earum quoque rerum dantur actiones. Recte sane Pantænete: sed ea quæ sunt? Si quis succenderit, si arma intulerit, si intra limites secuerit alienos, hæc sunt cætera, quorum utique nihil a me in vos est commissum: nisi forte reposcentes ea, quæ liberaliter in te contulerant, cum armis venire putas. Quod si ita putas, in omnes qui sua tibi commodant actiones tibi erunt metallicæ: sed iniquum id est. Age vero, quisquis fodinam a republica emerit, num publicis civitatis legibus, quibus et dandum judicium est et accipiendum omnibus, præteritis, actione metallica reos faciet adversarios? Quid vero, si quis ab aliquo mutuetur? Quid, si male audiat? si vapulet? si furti criminetur? si primarium tributum non recipiat? si denique aliud quippiam? Non equidem opinor; sed metallicas actiones esse inter fodinarum socios, et hos qui in vicinorum fines irruperint, in summa inter eos qui metalla tractant, et eorum aliquid quod lege continetur faciunt: in eum autem qui Pantæneto pecuniam mutuarit, eandemque maligne ægreque receperit, ejus rei adeo non actionem esse metallicam, ut multum absit respondendum est. Me igitur nullam omnino isti fecisse injuriam, neque dari legibus actionem, hæc si quis considerarit facile intelliget.

8. Cum vero criminationum suarum ne unam quidem justam causam afferre possit, sed et falsa in accusationem inscripserit, et de rebus transactis accuset, superiori mense, Athenienses, cum in judicium venturus essem, facta jam sortitione judiciorum, egressus adductisque secum iis qui una cum ipso officinam constituerant, rem facit periniquam. Legit mihi prolixam provocationem, servum, quem harum rerum conscium diceret, in quæstionem postulans: quod si ea vera essent, ut sibi mulctam quam petiisset solverem, sin falsa, ut quæsitor Mnesicles æstimaret quanti esset servus. Atque acceptis a me vadibus, et provocatione obsignata—non quod justum esset: ubi enim justum est in servi corpore et vita, aut duobus mulctari talentis, aut nullam statui pœnam calumniatori? sed quod ego magna eum æquitate superare volebam, eo concessi—, post hæc etiam me denuo judicio provocat, cum primum sponsam pecuniam sustulisset: adeo statim apparebat, eum nec in eo jure quod ipse definierat acquiescere. Postquam autem ad quæsitorem venimus, cum provocatio aperienda esset et monstrandum quid contineret, atque ex ea agenda quæ convenerant—quia enim tumultus tum erat et judicium vocandum, ita fiebat, Hanc tibi conditionem fero, Accipio: Cedo annulum, Cape: Quis vero sponsor? Hic, nullum neque exemplum, neque quicquam tale feci—cum igitur, inquam, hæc ita ut dico agenda essent, venit et aliam provocationem affert, a se torquendum esse hominem asserens; eumque prehensum trahit, nec ullum petulantiæ genus prætermittit. Ego igitur cogitavi, Judices, quanta esset prærogativa non nimis se abjicere in vita. Ego enim ea me pati putabam, et contemni eo quod simpliciter et ut natura mea fert viverem, et magnas pœnas dare si ea tolerarem. Ut igitur ea quæ justa putabam, me coactum esse vicissim postulare et puerum tradidisse, et vera hæc dicere constet, recita provocationem.

PROVOCATIO.

Detrectatis igitur his, detrectatis item iis quas ipse primum tulerat conditionibus, equidem quidnam apud vos dicturus sit, demiror. Ut autem illud etiam sciatis a quo sibi factam injuriam conqueratur, spectate. Hic est qui Pantænetum ejecit, hic est ille potentior amicis Pantæneti et legibus: neque enim ego domi fui, nec ipse id objicit.

9. Volo autem vobis, et per quæ prioribus judicibus deceptis Evergum vicerit, dicere, ut sciatis, eum etiam nunc nihil impudentiæ nihil mendacii prætermissurum; et præter hæc, etiam eandem esse eorum defensionem, quorum me nunc accusat, reperiatis, id quod argumentum evidentissimum est illum tunc fuisse calumnia oppressum. Criminatus fuit præter cætera omnia, eum in agro ad puellas orbas et matrem ipsius esse ingressum, et leges de orbis attulit in judicium. Atque ad prætorem, cui talium rerum curam leges mandant, et apud quem sontes periclitantur quid aut luendum aut solvendum sit, actionem autem persecuto cum nulla mulcta auxilium fertur, nondum vel hodie accessit, et neque me

neque Evergum ut injurios detulit: sed in judicio talia cum proposuisset, duobus talentis mulctavit. Erat nimirum præscienti crimen, cujus accusaretur, veritate et æquitate ostensa legibus facile absolvi: sed in actione metallica, et in iis rebus de quibus ne accusaretur nihil metuebat, difficile erat calumniam e vestigio propulsare. Iracundia autem judicum ab isto deceptorum, qua de re suffragia illis ferenda erant, ejus illum condemnavit. Qui igitur illos decepit judices, eumne dubitaturum vos decipere putatis? aut causa fretum ingressum esse, ac non eloquentia et suæ factionis testibus, impuro et exsecrando Procle magno illo, et Stratocle omnium hominum et disertissimo et improbissimo, et impudentia sua qui nihil cunctetur aut erubescat plorare ac lamentari? Atqui tantum abest ut sis aliqua misericordia dignus, ut propter fraudes et facinora sis omnium hominum odiosissimus: qui minas centum et quinque cum deberes, easque reddere non posses, eos qui te juverunt et in causa fuerunt ut fidem servares iis qui tecum ab initio contraxerant, præterquam quod in ipso contractu violas, etiam ignominia notare studes. Cæteros quidem debitores videmus fortunis cedere: ei vero qui pecuniam tibi credidit, hoc accidit, et qui talentum mutuavit, duobus per calumniam est mulctatus. Ego vero, qui quadraginta quinque minas mutuavi, in hoc judicio duorum talentum periculo causam dico: et, ad quæ nunquam plus centum minis mutuari potuisti, quæ tribus talentis universa vendidisti et bis mille drachmis, in iis quatuor talentum scilicet injuria es affectus a quodam, eoque, si diis placet, servo meo. Quis vero suis rebus civis servo cederet? quisve diceret earum rerum, quarum ipse damnavit Evergum, etiam famulum meum rationem reddere oportere? Sed his omissis, iste ipse talibus criminibus eum liberavit omnibus. Neque enim id nunc dicendum erat, neque in provocatione scribendum in qua quæstionem habere studebat: sed, illi dictato judicio, me dominum persequi conveniebat. Nunc et mihi litem intendit, et illum accusat; quæ legibus interdicta sunt. Quis enim unquam actione contra dominum instituta, servum, tanquam sui juris hominem, reum egerit?

10. Quod si quis eum interrogarit, quæ tibi causa est contra Nicobulum? Oderunt, inquit, Athenienses, fœneratores: Nicobulus autem invidiosus est, et celeriter ambulat, et magnum sonat, et baculum gerit; ea vero, inquit, a me sunt omnia. Hæc dicere non erubescit, neque eos qui audiunt intelligere putat, calumniatoris esse istam cogitationem, non ejus cui facta sit injuria. Ego vero injurium qui mutuet puto esse neminem: et tamen quosdam merito vobis invisos esse, qui artem ex ea re fecerunt, apud quos nec veniæ nec ulli rei locus est, qui animos in hoc unum intentos habent, ut plus accipiant quam dederunt. Cum enim sæpe mutuum acceperim, non ipse solum isti mutuum dederim, ne ipse quidem istos ignoro aut amo: nec tamen, ita me dii ament, defraudo aut calumnior. Qui vero quæstum facit, ut ego navigando et pericula subeundo, parvaque pecunia parta eam mutuat, cum ut aliis gratificetur tum ne per incuriam nummos dilapidet, eum cur in illorum numero quisquam reponat? Nisi illud forte dicas, qui tibi mutuarit, eum odio publico esse dignum. Recita mihi testimonia, qualis in eos sim qui mecum contrahunt opemque meam implorant.

TESTIMONIA.

Talis, Pantænete, sum ego ille celeriter ambulans, et talis tu qui pedetentim incedis.

11. Sed de meo tamen incessu loquendique consuetudine omnem apud vos libere veritatem dicam, Athenienses: haud me sane præterit, neque ignoro, me naturam habuisse parum propitiam in his rebus, neque eas expedire mihi. Nam si ea mihi odium pariunt, quibus agendis nullum fructum capio, nonne infelix in ea quidem parte sum? Sed quid agam, si illi mutuaro? proptereane mulcta etiam solvenda erit? Nequaquam vero. Malitiam enim in me et improbitatem esse ne iste quidem ipse ostendet, neque e tanto vestrum numero quisquam est ullius facinoris mihi conscius: in aliis autem rebus unusquisque nostrum talis est, ut fortunæ et naturæ visum fuit. Ac repugnare ingenio factu profecto haud facile est, alioqui enim inter nos nihil interesset: alium vero quem videris censere et reprehendere, proclive est. Sed quid tibi propter hæc rei mecum est, Pantænete? Nihil. Multa acerba es perpessus. Proinde sumpsisti pœnas, non de me quidem; neque enim ulla tibi a me orta est injuria. Alioqui nunquam me præterisses, neque missum me fecisses, cum Evergum accusare instituisses, neque petisses ut ego venditor esse dignarer qui atrocia et magna in te commisissem. Deinde quo ego pacto, cum nec adessem, et peregre abessem, ulla injuria te affeci?

12. Quod si quis ei largiatur summis eum affectum injuriis, et nunc de iis verissima dicturum esse omnia, illud tamen opinor omnes fateamini, usu venisse jam quibusdam ut multas acciperent injurias pecuniariis damnis graviores. Nam et fortuitæ cædes fiunt, et ea violantur quæ minime conveniebat, et complura ejus generis alia committuntur. Sed tamen horum omnium terminus et satisfactio statuta est læsis hæc, ut re transacta et composita quiescant; idque jus tantum in omnibus valet, ut, si quis fortuitæ cædis reum peregerit et palam ostenderit aliquem non esse purum, post tamen

placatus ei fuerit missumque fecerit, ejusdem ejiciendi potestatem non habeat. Nam, si ipse sauciatus ante obitum vulneris auctorem missum fecerit, nulli cæterorum cognatorum cædis agere permissum est: sed, quos ejici et exsulare, et si convincantur, occidi leges jubent, eos semel dimissos omnibus periculis verbum hoc liberat. De vita igitur summisque rebus cum agitur tantum valet rataque manet transactio, in re pecuniaria minoribusque causis non valebit? Nequaquam. Neque enim, si ego meum a vobis jus non consequar, id erit gravissimum; illud grave erit, si res justa, servata ab omni ævo, nostra ætate abrogabitur.

ARGUMENTUM EXCEPTIONIS ADVERSUS NAUSIMACHUM ET XENOPITHEM.

NAUSIMACHUS et Xenopithes sub tutela fuerunt Aristæchmi. Atque inscripti in album virorum tutelæ cum eo egerunt. Deinde transegerunt tribus talentis acceptis, eumque periculo liberarunt. Ac is quidem obiit quatuor liberis relictis; quos multo post Nausimachus et Xenopithes dati damni accusant, et pecuniam de tutela reposcunt. Hi vero actioni dandum esse locum negant, adducta lege, quæ de rebus actis et transactis denuo venire in judicium vetat.

DEMOSTHENIS

EXCEPTIO

ADVERSUS NAUSIMACHUM ET XENOPITHEM.

1. QUIA leges potestatem præscribendi dederunt, Athenienses, iis de rebus, quæ cum actæ transactæque sint in judicium revocantur, et utraque hæc patri meo cum Nausimacho et Xenopithe, a quibus in jus vocati sumus, intercesserunt, præscriptionem opposuimus, ut modo audistis, de non danda eis actione. Rogabo autem et æqua et modica vos omnes, primum ut me dicentem benigne audiatis, deinde, si injuria mihi fieri videbitur, si criminis nihil ad me attinentis esse reus, uti me sicut æquum est adjuvetis. Quam vos judicii æstimationem audistis, triginta minæ sunt: pecuniæ autem, cujus accusamur, talenta quatuor. Cum enim duo sint, quaterna nobis judicia dictarunt ejusdem pecuniæ universa, ter mille drachmarum singula dati damni; et nunc, cum triginta minarum inscriptio sit, de tanta pecunia in periculum venimus. Calumniam igitur istorum, quantisque insidiis nos invaserint, ex ipsis rebus cognoscetis: in primis autem testimonia vobis recitabuntur, ut constet, eos missum fecisse patrem nostrum, quod ad tutelæ actionem attinebat. Nam hoc nomine nos præscripsimus et actionem admittendam esse negavimus. Recita mihi hæc testimonia.

TESTIMONIA.

Eos igitur, Judices, egisse tutelæ, et ab actione destitisse, pactamque pecuniam abstulisse, auditis e testimoniis: non dare autem leges de rebus ita actis denuo actionem, equidem arbitror vos scire omnes, etiamsi ego nihil ea de re dixero; volo tamen vobis ipsam quoque legem recitare. Recita legem.

LEX.

Auditis, Judices, legem perspicue dicentem singula quorum actio non detur, inter quæ illud etiam est, æquè ratum ac cætera, quibus de rebus aliquem missum feceris et transegeris, non licere litigare? Cum igitur sic et coram multis testibus transactio facta sit, et aperte nos lex absolvat, eo impudentiæ progressi isti sunt et audaciæ, ut quatuordecim annis post quam patrem meum missum fecerunt, duobus et viginti post litem motam, cum noster parens eodem quo cum istis transegerat anno sit mortuus, et tutores qui post illius obitum nostra bona in sua potestate habuerunt, et mater ipsorum item obierit quæ hæc omnia norat, et arbitri et testes plerique omnes, nostram imperitiam et necessariam rerum actarum ignorationem sibi magno futuram commodo existimantes, judicia nobis hæc dictarint, et orationem neque justam neque æquam afferre audeant.

2. Dicunt se non vendidisse patrimonium ea pecunia quam acceperint, neque cessisse bonis, sed, quæcunque sibi relicta fuerint debita vasaque et pecunia denique, ea sua fieri: ego vero me audisse memini, Xenopithem et Nausicratem suas opes omnes in ære alieno reliquisse et possedisse manifestas perquam exiguas, redacto autem ære alieno et vasis quibusdam venditis, mancipiis etiam, prædia et ædes mercati sunt tutores, quæ isti receperunt. Quod si nulla fuisset prius illis de rebus controversia, neque malæ administrationis in judicio disceptatum esset, alia ratio foret: postquam vero isti totam tutelam accusarunt dieque dicta pecuniam exegerunt, ea omnia tum transacta sunt. Neque enim isti scilicet de nomine tutelæ tum agebant, sed de pecunia, neque illi nomen hoc emebant pecunia, quam numerabant, sed crimina redimebant. Ac nulla quidem istis ejus æris alieni, quod ante transactionem redegerat pater aut ejus denique pecuniæ quam e tutela acceperat, dari licere contra nos actionem re transacta, ex ipsis legibus et transactione satis vos omnes cognovisse arbitror. Jam non posse fieri ut ea pecunia deinceps recepta sit—hoc enim isti fingunt, decipiendi gratia—, id ostendam.

3. Patrem enim ne criminari quidem ausint eam accepisse, nam tribus quatuorve mensibus post quam cum istis transegerat obiit: neque vero Demaretum relictum nobis tutorem accipere potuisse—nam et hunc in accusatione posuerunt—, id quoque ostendam. Ac maximi quidem nobis hi ipsi testes sunt. Nusquam enim eos viventi Demareto movisse litem apparebit: sed tamen, si quis ipsam etiam rem spectet et consideret, videbit illum eam non modo non accepisse, sed nec accipere potuisse. Nam cum ipsum debitum

Bospori esset; quo Demaretus nunquam venit: quo pacto exegit? At Hercule misit, inquiet aliquis, qui exigeret. Id vero ita considerate. Debuit Hermonax stateres centum, a Nausicrate acceptos. Istorum tutor et curator Aristæchmus fuit sedecim annos. Neque vero, quam istis adultis pecuniam coram ipse solvit Hermonax, eam reddidit, dum pueri essent: neque enim bis eandem numeravit. Est vero quisquam mortalium ita ineptus, ut, quæ ne redderet ipsos dominos tamdiu elusit, ea illi qui dominus non esset, missis literis, ultro numeraret? Equidem non arbitror. Ut autem me vera dicere, et patrem statim post transactionem obiisse, et Demaretum nunquam ab istis de ea pecunia in jus vocatum esse, neque denique quoquam navigasse neque illuc profectum esse, constet, cape hæc testimonia.

TESTIMONIA.

Proinde neque patrem post transactionem pecuniam redegisse, neque sponte quenquam fuisse daturum si misisset illuc Demaretus, nec si ipse navigasset aut illuc pervenisset, vobis et temporibus et testibus est declaratum.

4. Atque adeo in universum ostendam eos totam rem ementiri. Isti in eam, qua nos modo reos agunt, accusationem inscripserunt, debere nos pecuniam, quam pater receperit, cum id æs alienum in tutelæ rationibus, ut quod deberetur adhuc, tradidisset. Ipsam accusationem cape et recita.

ACCUSATIO.

Auditis in accusatione scriptum esse cum mihi Aristæchmus id æs alienum in tutelæ rationibus tradidisset? At cum patrem tutelæ reum facerent, his contraria scripserunt: apparet enim eos ei et hoc ut nondum relatis rationibus objectasse. Recita ipsam actionem, quam tum patri intenderunt.

ACCUSATIO.

Qua igitur ratione, tradidisse eum, nunc queri potestis, Xenopithe et Nausimache? Tum enim, ut qui non tradidisset, in jus vocabatis et pecuniam postulabatis: nunc quasi tradiderit accusatis. Quod si utramque in partem vobis calumniari licebit, et nunc propter pecuniam non traditam vexabitis, nunc propter traditam accusabitis, nihil prohibebit quo minus et tertium quippiam posthac excogitetis de quo iterum actionem instituatis: sed leges ista vetant, et semel iisdem de rebus cum eodem agi jubent.

5. Ut autem intelligatis, Athenienses, eis non modo nunc injuriam non fieri, sed et illos ipsos nobis contra omnes leges facessere negotium, eam quoque legem vobis recitabo, quæ aperte dicit, si quinquennium præterierit, nec in judicium venerint, cum pupillis agere non licere earum rerum quæ ad tutelam attineant. Etiam hæc lex vobis recitabitur.

LEX.

Auditis, Athenienses, legem palam dicere, nisi intra quinquennium egerint, post non licere agere? Atqui egimus, inquient. Sed iidem et transegistis: proinde vobis rursus actio danda non est. Alioquin iniquum fuerit, cum lex pupillis primarum etiam injuriarum extra quinquennium actionem non det in tutores qui non absoluti sunt, vos contra nos illorum filios, iis de rebus quas ipsi transegistis, vigesimo nunc anno jus persequi.

6. Audio autem eos rerum ipsarum et legum jura declinaturos: dicturos autem, magnam sibi pecuniam relictam, eaque se fraudatos esse, et argumento usuros, magnitudine actionis quam ab initio instituerint, et orbitatem deploraturos, et illam tutelæ rationem narraturos, eaque esse præsidia, quibus nitantur, quibusque vos a se posse decipi sperent. Ego vero ex judicii tum dictati magnitudine majus nobis argumentum suppeditari puto, patrem tum calumnia petitum esse, quam istis multis eos fraudatos esse. Nam qui octoginta sibi deberi talenta ostendere possit, tribus acceptis nemo cum reo transegerit: tantæ autem pecuniæ accusatus tutelæ nomine, nemo est, quin tribus talentis datis, periculum redimeret propter eas prærogativas quas tum isti natura habebant. Nam et pupilli, et adolescentes, et quales essent, ignoti erant: quæ omnes aiunt apud vos optimis quibusque causis plus valere.

7. Atque illud etiam me vobis ostensurum puto, vos eis de tutela dicentibus aliquid aures præbere non oportere. Si quis enim eis largiatur affectos eos esse injuriis quam fieri potest maximis deque his nunc omnia vere dicturos, illud vos opinor omnes fateamini, usu venisse jam quibusdam ut majoribus injuriis quam pecuniariæ rationes esse queant afficerentur. Nam et fortuitæ cædes fiunt, et ea violantur quæ non oportet; et multa ejus generis facinora committuntur: sed tamen horum omnium terminus et satisfactio læsis præfinita est hæc, si cum adversario transegerint, et hoc jus tantum in omnibus valet, ut, si quis aliquem fortuitæ cædis convicerit et perspicue demonstrarit esse pollutum, et postea tamen placatus eum missum fecerit, ejusdem ejiciendi potestatem postea non habeat. Cum igitur quando de vita summisque rebus agitur

tantum transactio valeat rataque sit, in ratione pecuniaria causisque minoribus non valebit? Valebit profecto. Neque enim hoc gravissimum est, si ego jus meum a vobis non consequar: sed, si justa res ab omni ævo recepta, nunc abrogabitur.

8. Non locarunt nostram domum, fortasse dicent: non enim voluit patruus vester Xenopithes, sed, cum rem eam detulisset Nicidas, judicibus persuasit ut sibi ejus gubernandæ facultatem darent. Et hoc sciunt omnes. Multa vobis illi diripuerunt: proinde eam pœnam de eis sumpsistis, quam persuaderi vobis sivistis, nec utique denuo vobis de me pœna sumenda est.

9. Ut ne vero ista putetis esse aliquid, et si hoc certe quidem iniquum est: qui enim esset æquum? ab iis qui cum auctoribus transegerunt rei ignaros accusari. Sed tamen, o Xenopithe et Nausimache, si magna vobis et admirabilia jura esse putatis, tribus talentis huc renumeratis pergitote: a quibus vero ne eos accusaretis tantam pecuniam exegistis, priusquam eandem reddideritis, tacere vos æquum est, et non accusare pariter et tenere. Nam ea esset summa iniquitas.

10. Fortassis autem et instructas a se triremes prædicabunt, et suas opes in vos erogatas. Ego vero illud omittam, mentituros esse eos, et cum pleraque sua bona perdiderint, paucorumque respublica partem ceperit, eos injustam et indebitam gratiam a vobis repetituros: nam et ipse postulo, Judices, ut omnibus nobis qui bene meremur de republica gratia quædam a vobis habeatur, quibus vero maxima? Illis nimirum, qui quicquid in ea re publice prodest, faciunt, id vero quod turpe esse omnes dicant et indecorum, non suscipiunt. Qui autem simul et publica munera obeunt et suam rem familiarem perdunt, opprobrium reipublicæ beneficii loco relinquunt; nemo enim ipse sese unquam accusavit, sed publice opes sibi ereptas esse dictitant: qui vero et quæ vos jubetis omnia strenue exsequuntur, et sua cæteris in rebus frugalitate rem domesticam tuentur, non eo nomine duntaxat illis præferendi sunt, quod sese utiles et præbuerunt et præbebunt, sed quod etiam sine contumelia vobis ea præstant. Nos autem tales in vos exstitisse constabit: istos vero missos faciam, ne sibi maledici querantur.

11. Neque mirabor, si et flere et se miserabiles facere conabuntur. Ego vero adversus ista vos omnes sic existimare velim, turpe esse, ac potius injustum, eos qui helluando et cum Aristocrate Diognetoque et ejus generis hominibus debacchando sua male perdiderunt, nunc ut aliena rapiant plorare et lamentari. Illa vobis deploranda erant, quæ factitabatis: nunc vero lacrymandum non est, sed vos non transegisse ostendendum, aut vobis rursus actionem esse earum rerum quas transegistis, aut adhuc esse justum sortiri judicium, cum lex quinquennium præfinierit.

Hæc enim sunt de quibus hi judicant. Si vero hæc ostendere non poterunt, sicut non poterunt, nos omnes vos precabimur, Judices, ne nos istis condonetis, neve quartum eis patrimonium detis, cum alia tria male administrarint, unum quod a tutoribus cum bona gratia acceperunt, alterum quod propter actionem extorserunt, tertium quod nuper eripuerunt Æsio judicio victo: sed nos, ut æquum est, nostra tenere patiamini. Quæ vobis etiam dum penes nos fuerint utiliora erunt quam si penes istos sint; et justius profecto est nos nostra tenere, quam istos.

Non video, plura dicere quorsum attineat: arbitror enim vos nihil eorum ignorare quæ diximus. Exime aquam.

DEMOSTHENIS
ORATIONUM PRIVATARUM
INTERPRETATIO LATINA.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS BŒOTUM DE NOMINE.

Mantias, unus ex iis qui Athenis in magistratu fuerunt, e legitima uxore filium suscepit eum qui nunc litigat. Consuetudinem autem habuerat cum quadam Plangone, amoris ductus illecebris, Attica muliere. Hujus duo filii adulti, Mantiam in jus vocant, suum esse patrem dictitantes: is vero negat. Deinde agnoscit eos filios, sua ipsius provocatione coactus et deceptus. Cum enim Plangonem jurare de filiis jussisset, an revera ex ipso essent nati, et pollicitus esset, si jurasset, se jusjurandum ratum habiturum: eo deceptus est, quod mulierem non juraturam putabat. Nam ea de causa magnum ei præmium promiserat. Atque, ut is ait qui causam hanc dicit, clam ei jurarat Plango se delatum jusjurandum recusaturam. At illa, quum is eam provocatione lacesseret, violata pactione jurat; sic ille filios agnoscere coactus, post moritur. Filius igitur legitimæ uxoris alterum adoptivorum de nomine in jus vocat, asserens eum Bœotum esse nominandum, sicut initio fuerit nominatus, et non Mantitheum: illud enim ei nomen a patre fuisse ab initio inditum. Prima fronte igitur homo curiosus esse et amans litium videatur, qui de nomine rixetur: sed in oratione tamen argumenta satis multa afferuntur, cur et publice et privatim incommoda sit nominis similitudo.

DEMOSTHENIS

ADVERSUS BŒOTUM

DE NOMINE ORATIO.

1. Nulla curiositate rixandive studio, testor deos, Judices, actionem hanc contra Bœotum institui, quamvis non ignorarem multos fore quibus ineptum videretur me propterea in jus aliquem vocare, quod eodem se nomine quo ego me appellandum censeret: sed quod necessarium fuisset ob ea quæ eventura erant, nisi id præcavissem, apud vos disceptare. Quod si iste se alterius cujusdam esse patris diceret, non mei, jure videri ineptus potuissem, qui curarem, quocunque isti se appellare nomine libuisset: nunc in jus vocato patre meo, adscitoque sibi calumniatorum sodalitio, Mnesicle quem forte nostis omnes, et Menecle illo qui Ninum ream peregit, et ejus generis aliis, eum accusavit, cum filium ejus esse se e Pamphili filia, et inique secum agi diceret, qui patria spoliaretur.

2. Pater autem—omnis dicetur veritas, Judices—simul veritus venire in judicium, ne quis, ut a versato in republica alibi uspiam

offensus, ibi in se incursaret; simul deceptus a matre istius, quæ jurarat, se delato sibi jurejurando ea de re non juraturam, iisque factis nullam inter ipsos amplius fore controversiam, et cum certam pecuniam ipsa apud sequestrem deponi jussisset, tunc ex compacto jusjurandum ei defert: quo illa accepto, non modo istum, sed una cum eo etiam alterum juravit e patre meo esse genitum. Quo facto, illi necesse fuit istos ad curiales introducere, neque ulla reliqua fuit excusatio. Introduxit, adoptavit, ut quæ intercesserunt resecem, in album inscripsit Apaturiis, istum apud curiales Bœotum, alterum autem Pamphilum: ego vero Mantitheus inscriptus eram. Cum vero sic accidisset ut pater antequam in municipium adscripti essent moreretur, iste ad municipes venit, et pro Bœoto se Mantitheum inscribit. Quod quantum incommodet primum mihi, deinde vobis etiam, ego docebo, ubi eorum quæ dico testes produxero.

TESTES.

Quem igitur ad modum nos pater inscripserit, e testibus audivistis: me autem, quod iste violandum jus sibi ducit, actionem hanc instituisse necessario, id jam ostendam. Ego enim non profecto homo sum adeo stupidus aut incogitans, ut, cum patrimonii, quod omne fiebat meum, postquam istos adoptarat pater, tertiam auferre partem concesserim, in eaque re acquiescam, de nomine litem intenderem: nisi mutatio nominis et mihi magnam ignominiam pareret ignaviæque probrum, et idem istum habere nomen propter multa ferri non posset.

3. Primum enim, si publica privatis anteferenda sunt, quo nobis respublica mandabit modo, si quid erit obeundum? Num ita decernent tribules, ut de aliis? Proinde Mantitheum Mantiæ filium Thoricium me decernent, si ædilem aut gymnasiarchum aut convivatorem aut aliud quippiam reliquorum munerum decreverint. Qua autem re discernetur, mene an te decreverint? Tu enim me dices, ego te. Jam vero nos prætor vocat, aut alius apud quem causa est agenda: non præsto sumus, non obimus mandata munera. Uter igitur legum pœnis tenebitur? Quo autem pacto imperatores inscribent, si in classem inscribent? aut, si triremi præfectum constituent? aut, si qua erit expeditio, qui cognoscetur, uter sit delectus? Quid, si quis alius magistratus mandarit munus publicum, ut prætor, rex sacrificulus, præfecti ludorum? Quæ nota erit, utri mandarint? Adscribent, nimirum, illum e Plangone natum, si te inscripserint: sin me, matris nomen adjicient? Ecquis unquam audivit, aut qua lege talis appendix adscribetur, aut aliquid aliud, quam pater et municipium? Quæ cum utrinque sint eadem, magna orietur perturbatio. Age vero: si judex citetur Mantitheus Mantiæ F. Thoricius, quid agemus? an ambulabimus uterque? Qui enim dignoscetur, tune an ego sim citatus?

4. Age vero, deum immortalem, si publice de quocunque magistratu fiet sortitio, ut, de senatu, sexviratu, reliquis, qui discernetur uter nostrum sit creatus? Nisi forte nota ut æneo vasi aut alteri cuipiam rei adjiciatur: ac ne ea quidem utrius sit vulgus agnoscet. Proinde ego me creatum contendam, tu vero te. Reliquum erit ut nos in judicium veniamus. Propter igitur singula hujus generis civitas judicium nobis convocabit, ac eo quidem quod par et æquum est, ut is cujus sors exierit magistratu fungatur, fraudabimur: alter autem alterum verbis insectabimur, et is imperabit qui fuerit oratione superior. Utrum vero magis nobis expediet hisce difficultatibus liberari, an mutuis odiis aut maledictis nos invicem prosequi? quæ omnino exsistere necesse est, cum inter nos contentio de magistratu aut simili re orietur. Quid vero si forte—nam omnia perquirenda sunt—alteruter nostrum alteri persuaserit, ut ipse creatus alteri magistratum tradat, atque ita sortiatur? Unum duabus sortiri tabellis, quid est aliud? Itane quod legibus extremo supplicio mulctatur, id impune licebit nobis? Omnino: at id non faciemus, novi et ego, quod ad me quidem attinet. Sed ne suspectos quidem aut reos fieri talis mulctæ aliquos bonum est, si cavere liceat. Esto.

5. Sed hæc publice nocent: mihi vero privatim quid incommodant? Spectate quantum, et considerate, an mihi causa esse videatur: nam hæc longe iis quæ audistis graviora sunt. Vidistis omnes istum Menecle, dum is viveret, et illius gregalibus uti familiariter, nunc vero aliis nihil illo melioribus, et talia studio habere, et eloquentem videri velle. Et est fortasse, ita me amet Jupiter, eloquens. Quod si progressu temporis eadem facere instituerit, ea vero sunt, accusationes, indicationes, delationes, abductiones; et in eorum aliquo—multi enim sunt humani casus, et exercitatissimos quosque sæpe, si nimis insolescere cœperint, vos coercere scitis—publice mulctatus fuerit, qui magis iste inscribetur quam ego? Scient omnes credo uter sit damnatus. Bene. Si vero, quod fortasse fiet, mora intercesserit et mulcta dissoluta non fuerit, qui magis istius liberi quam mei inscripti erunt, cum et nomen et pater et tribus eadem erunt omnia? Quid, si quis, actione unde vi contra eum instituta, mihi nihil secum esse rei dixerit, sed eam ratam habitam inscripserit, qui magis istum quam me inscripserit? Quid vero, si qua tributa non pependerit? Quid, si qua alia in nomen hoc actio instituatur, aut judicium, aut rumor sinister oriatur? Quis sciet e populo, uter ille sit, cum duo sint Manthithei patre eodem? Age vero, si desertæ militiæ accusetur, si cum mili-

tandum esset saltet? Etenim nunc, ubi alii Tamynas profecti sunt, iste Choas agens hic remansit: Bacchanalibus item remansit et saltavit, ut videbatis omnes qui aderatis. Regressis autem ex Eubœa militibus, ut ordinum desertor citatus est; egoque, qui meæ tribus ordines ducebam, sum coactus contra nomen meum patrium admittere actionem, et, si merces judicibus numerata esset, introduxissent me haud dubie: ea vero nisi consignatis jam arculis accidissent, etiam testes vobis produxissem. Esto. Quid si peregrinitatis accusetur? multorum autem odia suscipit, neque ignotum est, quo pacto eum pater adoptare sit coactus. Vos autem, cum pater eum non adoptaret, matrem ejus verum dicere putabatis: ubi vero ita natus ita turbulentus fuerit, rursum vobis aliquando videbitur ille dixisse verum. Quid vero, si se falsi testimonii convincendum putans, propter locatas suis gregalibus operas, vadimonium deseruerit? Numquid leve ducitis incommodum, Athenienses, totam exigere vitam in communione existimationis et factorum istius? An autem ea, quæ recensui vobis, frustra metuam, spectate. Iste jam aliquoties publice accusatus est, Athenienses, quibus rebus ego prorsus insons, una in crimen vocor; et de eo magistratu, quem vos mihi decreveratis, contendit; multaque molesta nobis propter nomen acciderunt, quorum, ut sciatis, singulorum testes vobis producam.

TESTES.

6. Videtis, Athenienses, quæ fiant, et hujus negotii molestiam spectatis. Quod si nulla ex hac re molestia oriretur, neque omnino fieri non posset ut idem nomen haberemus, num æquum esset, ut iste partem mearum facultatum per adoptionem teneret, ad quam patrem adegit, ego autem nomine spoliarer, quod mihi volens et a nemine coactus idem imposuit? Equidem non existimo. Ut autem sciatis, me a patre non modo apud curiales sic, ut a testibus dictum est, inscriptum esse, sed decima etiam facta nomen hoc mihi inditum, cape et hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

Auditis, Athenienses, nomen hoc mihi fuisse omni tempore, istum vero Bœotum a patre, postquam coactus est, esse inscriptum apud curiales? Libenter autem interrogarim eum coram vobis, nisi obiisset pater, quidnam egisses apud populares? Non permisisses illi ut te Bœotum inscriberet? At absurdum fuisset ea de re judicium adipisci, eamque rursus prohibere. Quod si permisisses, eodem te modo inscripsisset apud populares, quo apud curiales. Ferendum

igitur est, o dii immortales, ut eum suum esse patrem dicat, idemque irrita facere, quæ is vivens egit, non dubitet.

7. Apud arbitrum autem rem impudentissimam dicere fuit ausus, patrem pro se perinde ut pro me fecisse decimam, idque nomen ei indidisse, et testes quosdam produxit, quorum uti consuetudine patrem meum nemo unquam vidit. Ego vero neminem vestrum ignorare arbitror, neque decimam facturum esse quemquam de filio, quem non jure putet esse suum, neque si fecerit et dilexerit, ut filium diligi moris est, rursus fuisse ausurum inficias ire. Neque enim, tametsi matri istorum iratus fuisset, istos prosecutus esset odio, quos quidem suos esse putasset. Multo enim magis solent maritus et uxor ortas lites propter liberos componere, quam propter eas injurias, quibus alter alterum affecit, etiam communes odisse liberos.

8. Neque vero ex his solum perspici potest, mentiturum esse istum si hæc dixerit, sed, priusquam nostrum esse cognatum diceret, Hippothoontiam frequentabat tribum, ut in cœtum puerorum reciperetur. Quis vero vestrum putat matrem misisse istum in eam tribum, magnis sane ut ait affectam a patre injuriis, quæ quidem sciret eum fecisse decimam, et rursus ire inficias? Ego certe puto neminem. Nam Acamantiam æque tibi frequentare licuisset, visaque esset illa tribus consentanea nominis impositioni. Ut igitur hæc a me vere dici constet, eorum vobis testes producam sodales ejus et rei gnaros.

TESTES.

9. Quum igitur ita palam, propter matris suæ jusjurandum et ejus qui ei jusjurandum dederat simplicitatem, patrem nactus sit, non in Hippothoontia sed in Acamantia tribunatus, non contentus est hisce Bœotus, sed judicia duo aut tria pecuniaria mihi dictavit, præter ea quibus me prius calumniatus fuerat. Quamquam autem vos omnes scire arbitror, quam pecuniæ faciendæ studiosus pater meus fuerit: ego tamen id omittam. Sed, si mater istorum vere juravit, calumniatorem istum egisse in illis actionibus aperte ostendam. Nam si ita sumptuosus fuit, ut, legitimo matrimonio ducta matre mea, aliam uxorem haberet cujus vos estis, et binas familias aleret, qui potuit illis moribus pecuniam relinquere?

10. Non ignoro autem, Athenienses, Bœotum nihil posse justi afferre: sed ad ea venturum, quæ subinde inculcat, patrem, a me impulsum, hostili fuisse in se odio; seque postulare, ut natu majorem, paterni avi nomen. Ad quæ refutanda vos pauca audire præstat. Ego scio me istum, antequam cognatus mihi fieret, si ita ut alius quispiam ex adspectu judicandus est, vidisse natu minorem, idque multo; non tamen hoc nitor, ineptum enim fuerit. Sed

Bœotum roget aliquis, cum in Hippothoontiæ tribus cœtum se ingereret, et nondum se mei patris diceret esse filium, quodnam nomen teipsum vere habuisse affirmaris? Quod si Mantithei tibi nomen placebat, non propterea profecto placuit quod esses me natu grandior. Nam qui tum ne tribum quidem meam ad te attinere putabas, quo pacto avum tibi meum vindicare potuisti? Præterea vestrum, Athenienses, numerum annorum novit nemo, ego enim mihi, iste sibi plures esse dicet: sed rationem justitiæ nostis omnes. Ea vero quæ est? Ex quo tempore pater istos adoptavit, ab eo etiam filios existimari prius autem me apud municipes Mantitheum inscripsit, quam istum ad curiales introduceret. Quare non ætate tantum, sed jure etiam ego nomen hoc prærogativæ loco merito habuero. Esto.

11. Quod si quis te roget, dic mihi, Bœote, qui nunc in Acamantiam tribum translatus es, et municipium Thoricium, et factus Mantiæ filius, et portionem relictæ ab illo hæreditatis habes? Nihil aliud respondere queas, nisi hoc, et me dum viveret Mantias adoptavit. Quod argumentum, si quis te roget, aut testimonium ejus rei tibi est? Ad curiales me introduxit, dices. Quo igitur te nomine inscripsit, si quis roget? Bœoti respondebis: eo enim introductus es. Iniquum igitur est, te, qui civitate et relictis ab eo bonis propter istud nomen fruaris, eo repudiato aliud tibi adsciscere studere. Age, si pater vitæ restitutus, aut eo te quo adoptavit nomine contentum esse, aut alium tibi patrem quærere juberet, nonne æquum postulare videretur? Eadem igitur illa ego a te postulo, ut aut alterius esse patris te profitearis, aut id nomen retineas quod ille tibi dedit. At Hercule, contumelia quadam et insectatione id tibi factum est. Sed sæpe, cum pater istos adoptare nollet, dicebant isti, matris suæ cognatos nihilo esse deteriores patris mei cognatis; Bœotus autem nomen est avunculo istius: posteaquam igitur pater introducere istos cogebatur, cum ego ante Mantithei nomine introductus essem, sic istum Bœoti, fratrem ejus Pamphili nomine introducit. Tu vero ostende quemquam Atheniensium, qui duobus suis filiis idem nomen imposuerit, quod si ostenderis, ego concedam patrem istud tibi nomen per contemptum indidisse. Quanquam si talis eras, ut adoptari te cogeres, quo autem pacto ei placeres non cogitares, ignoro qualem oporteat esse germanum filium erga parentes: quod si germanus non eras, non modo jure contemptus esses, sed etiam periisses. Alioqui esset indignum, cum leges de parentibus latæ in filios a patre agnitos valeant, easdem in eos qui invitos ad se adoptandos cogunt non valere.

12. Sed, o molestissime Bœote, imprimis ab omnibus quæ factitas desistito: quod si omnino non vis, in eo saltem, obsecro te, obtemperato. Desine tibi ipsi facessere negotium, desine me calumniari. Contentus esto civitate, opibus, patre, inventis: nemo te hisce pellit; ego certe non. Sed si, ut profiteris, frater es, si et fratris fungere officiis, cognatus esse videberis: sin autem insidiaris, litigas, invides, maledicis, videberis in aliena incidisse, eisque sic uti ut quæ ad te nihil attineant. Nam ego quidem, ut maxime te pater cum suus esses non adoptaret, injuriam tibi non facio. Nec enim me exquirere decet, qui sint illius filii: sed illum ostendere decuit, qui mihi pro fratribus habendi essent. Quo igitur tempore te non adoptarat, neque ego te ad me attinere putabam: postquam autem adoptavit, et ego te agnosco. Quo signo? Patrimonii portionem habes post obitum patris, et in sacrorum et profanorum societatem venisti: istis nemo te expellit. Quid requiris?

13. Si vero inique secum agi dixerit, si fleverit et ejularit meque, accusarit, verbis ejus nolite credere—neque enim æquum est, cum nunc ea res non agatur—, sed illud existimate, posse nihilominus eum si Bœotus vocetur pœnas a me sumere. Quid igitur contendis? Ne feceris. Ne ita studiose nostras inimicitias expetieris: neque enim ego tuas expeto. Nam etiam nunc—ne te hoc prætereat—me tuam agere causam potius profiteor, quam meam, dum id ago ne idem uterque nomen habeamus. Ut enim nihil aliud, illud certe fieri necesse est ut qui audierit, quærat, utrum? si duo fuerint Mantithei Mantiæ filii. Proinde, cum te dicet, eum inquiet, quem adoptare coactus est. Quid igitur hæc expetis? Cape duo ista testimonia et recita, unde constabit, patrem mihi Mantithei, et isti Bœoti nomen imposuisse.

TESTIMONIA.

14. Hoc restare censeo, vobis ut ostendatur, Judices, vos non modo religioni vestræ consulturos, si ea quæ ego dico decreveritis; sed istum ipsum etiam suopte judicio Bœoti nomen, non Mantithei habere oportere. Nam cum ego judicium hoc dictassem Bœoto Mantiæ F. Thoricio, et statim respondit et calumniam juravit, se esse Bœotum profitens: denique, cum tergiversari diutius non liceret, se absentem damnari ab arbitro passus, quid obsecro facit? Diem vicissim mihi dicit judicium esse nullum, is qui se ante Bœotum nominarat. Atqui eum ab initio contra Bœotum pronunciari judicium pati, siquidem id nomen nihil ad ipsum attinebat, et non post diem vicissim dicere de nullo judicio, oportebat. Qui igitur ipse Bœotum jure esse se pronunciavit, quid a vobis juratis judicibus pronunciari postulabit? Ut autem hæc a me vere dici constet, cape resortitionem, et accusationem hanc.

RESORTITIO. ACCUSATIO.

15. Quod si iste legem ostendere poterit, quæ filiis suorum nominum potestatem dat, id quod iste nunc dicit, recte comprobabitis. Sin lex, quam omnes nostis æque mecum, in parentes auctoritatem confert non modo imponendi nominis, sed et rursus delendi, si voluerint, et abdicandi; egoque ostendi patrem, cui lege potestas ea dabatur, isti Bœoti, mihi vero Mantithei fecisse nomen, qui vos potestis alia, quam quæ ego dico, pronunciare? Præterea quarum rerum nullæ exstent leges, de iis vos ex æquo et bono suffragia laturos jurastis. Proinde, si nulla esset hac de re lata lex, etiam tum jure pro me sententiam ferretis. Quis enim vestrum est, qui duobus filiis idem nomen imposuerit? Quis vero, cui nondum liberi sunt, imponet? Nemo profecto. Quod igitur apud vos vestris liberis esse æquum statuitis, idem etiam de nobis pronunciare fuerit religiosum. Quare, ex æquo et bono, ex legibus, e jurejurando, ex istius ipsius confessione, ego quidem æqua a vobis oro, et justa peto: iste vero non solum non æqua, sed etiam inusitata.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS BŒOTUM DE DOTE MATERNA.

Etiam hæc et ab eodem et contra eundem dicta est oratio. Ac cætera quidem omnia sunt eadem, Plango, jusjurandum, filiorum coacta adoptio. Defuncto autem Mantia, filii ejus tres, Mantitheus e legitima uxore susceptus, et Bœotus ac Pamphilus Plangonis filii, hæreditatem diviserunt. Asserente autem Mantitheo dotem sibi maternam deberi, Bœotus ac Pamphilus et ipsi de dote contendunt, quasi Plango etiam in Mantiæ familiam centum minas contulisset. Convenit igitur inter eos ex æquo omnia partienda esse, præter ædes, ut utri parti mater attulisse dotem probaretur, ei de ædibus illa pecunia redderetur: et præter mancipia, ut Bœotus cum fratre, si quid domesticum requirerent, haberent quo coarguerent. Post hæc se mutuo accusant, Mantitheus illos de maternis facultatibus, illi hunc de aliis quibusdam rebus. Ac arbiter Mantitheum absolvit, Bœotum condemnat absentem. Quem eadem actione Mantitheus in judicium vocat, dotem maternam repetens.

DEMOSTHENIS
ADVERSUS BŒOTUM
DE DOTE MATERNA ORATIO.

1. Omnium molestissimum est, Judices, cum quis nomine frater eorum appellatur, quos ipsa re hostes habet, et multis magnisque affectus ab eis injuriis, in judicium venire cogitur, id quod mihi nunc usuvenit. Neque enim ea solum ab initio calamitas mihi accidit, ut Plango, istorum mater, patrem meum manifesto perjurio deceptum ad istos adoptandos adegerit, egoque propterea duabus patrimonii partibus sim fraudatus: sed præter hæc etiam paternis ædibus ab istis exactus, in quibus et natus sum et educatus, et in quas non pater eos, sed ego, defuncto illo, recepi; fraudor etiam dote materna, de qua nunc ago. Cum ego eis de omnibus quæ querebantur satisfecerim, præterquam si qua nunc propter judicium huc resortitione instituta per calumniam postulant, ut vobis declarabitur: ab istis autem cum undecim annis nihil æqui potuerim impetrare, nunc ad vos confugio, atque omnes vos oro, Judices, ut me benigne, sic ut potero dicentem, audiatis, et, si mecum inique actum putabitis, veniam detis mea recuperare cupienti, ad filiæ præsertim elocationem; accidit enim, ut propter patris preces decem et octo natus annos uxorem duxerim, propter eaque mihi filia sit jam nubilis. Proinde et me affectum injuria merito propter multa juvabitis: et istis irascemini, qui, proh divum fidem, cum liceret

eis præstitis iis quæ æqua sunt judicio supersedere, non verentur vobis in memoriam revocare, si quid aut pater noster non recte fecit, aut ipsi in eum deliquerunt, meque secum litigare cogunt. Ut autem certo sciatis, ejus rei causam me non esse, sed istos, rem omnem ab initio vobis, quam potero brevissime, explicabo.

2. Mater mea, Judices, filia fuit Polyarati Cholargensis, Menexeni, Bathylli et Periandri soror. Cum vero pater eam Cleomedonti Cleonis filio despondisset, et talentum dotem addidisset, primum ejus materfamilias fuit: natis autem ei tribus filiabus, et uno filio Cleone, maritoque postea defuncto, deserta familia et recepta dote, rursus eam elocantibus fratribus Menexeno et Bathyllo—nam Periander puer adhuc erat—et talentum addentibus, nupsit meo patri. Egoque natus eis sum, et alius frater me junior qui puer obiit. Ut autem constet me hæc vere dicere, primum testes producam.

TESTES.

Matrem igitur meam pater meus ita ductam uxorem domi suæ habuit, meque et erudiit et dilexit, quemadmodum et vos omnes vestros liberos diligitis: cum matre autem istorum Plangone consuetudinem habuit, quocunque modo—neque enim hoc explicare meum est—, neque tamen eo usque cupiditati succubuit, ut eam, vel mortua matre, in ædes ad se recipere dignatus fuerit, aut credere voluerit istos ex se esse natos. Reliquo igitur tempore isti ita vivebant ut qui patris mei non essent, ut et vestrum plerique norunt: posteaquam autem iste adoleverat, officinam calumniatorum sibi adscivit, quorum dux erat Mnesicles et Menecles ille qui Ninum ream peregit, illisque patronis patri meo diem dixit, ejus esse filium se asserens. Cum autem his de rebus sæpe conveniretur, et pater sibi nulla ratione persuasum iri diceret istos ex se esse natos, tandem Plango, Judices,—omnis enim apud vos dicetur veritas—, cum Menecle patrem meum ex insidiis aggressa, jurejurando, quod maximum et sanctissimum apud omnes habetur, decepit, pollicita se triginta minis acceptis, filios fratribus suis adoptandos daturam; quod si a patre ad arbitrum vocaretur ut juraret, filios ex ipso esse natos, se eam conditionem non accepturam: his enim ita factis, neque istos civitate privandos, neque patri porro molestos futuros, jurejurando a matre ipsorum non recepto. His concessis, quid vobis multa dicam? Ut enim ad arbitrum venit, neglectis pactis omnibus Plango, et conditionem accipit et in Delphinio jurat aliud jusjurandum priori contrarium, ut et vestrum plerique norunt: res enim celebrata est. Sic pater meus propter suam provocationem arbitrium ratum habere coactus, indignabatur et rem graviter fere-

bat, et quanquam in ædes ne sic quidem istos recipere dignabatur; ad curiales tamen introducere coactus, istum Bœotum inscripsit, alterum Pamphilum. Mihi vero statim persuasit annos circiter octodecim nato ut Euphemi filiam ducerem, quia liberos e me natos videre cupiebat. Ego vero, Judices, existimans oportere cum prius, tum vero illis eum judicio vexantibus et negotium facessentibus, me contra eum exhilarare, faciendis omnibus quæ grata fore putaram, obtemperavi. Cum vero ego eo modo matrimonium contraxissem, ille visa filiola mea non multis annis post ex valetudine moritur. Ego autem, Judices, nec viventi patri adversandum esse ratus sum; eoque mortuo, eos et in ædes recepi, et omnes facultates cum eis partitus sum, non ut cum fratribus—nam nec vestrum plerosque latet quo pacto isti nati sint—, sed quod existimabam, postquam pater deceptus esset, mihi vestris esse legibus obtemperandum. Sic in ædes a me recepti, ut patrimonium dividebamus, postulante me ut matris meæ dos mihi redderetur, et ipsi vicissim accusabant, asserentes et suæ matri tantundem dotis deberi: sumus autem de eorum sententia qui nobis aderant, cætera quidem omnia partiti, ædes autem et pueros patris ministros exemptos fecimus, ut ex ædibus, utris deberi dotem compertum esset, ii eam reciperent, de pueris autem communibus, si quid isti paternarum facultatum desiderarent, sciscitarentur, et quæstiones haberent, et alio quovis modo inquirerent. Quæ me vere dicere, ex his testimoniis intelligetis.

TESTIMONIA.

Post hæc et isti me in jus vocabant propter ea quæ petebant, et ego eosdem propter dotem. Ac primum, Solone Erchiense arbitro designato, ei potestatem fecimus mutuas lites nostras disceptandi: ut autem isti se non sistebant, sed judicium detrectabant, et multum temporis conterebatur, accidit ut Solon moreretur; ibi me isti rursus de integro in jus vocant, ego item istum, citato eo et Bœoti nomine in actionem inscripto; sic enim pater eum nominarat. Quibus igitur de rebus isti me accusabant, præsente isto et respondente, cum nihil eorum quæ accusabant probare posset, absolvit me arbiter. Tum iste conscius se mihi per injuriam intendere litem, neque ad judices appellavit, neque etiamnum iis de rebus ullum judicium mihi dictavit, sed de aliis quibusdam: refutaturum se illis criminibus id judicium existimans, quo ego tum eum de dote accusabam. Cum vero iste hic esset et ad arbitrium non veniret, absens ille quidem condemnatur. Cæterum, Judices, neque tum coram respondet, et se arbitri sententia per me damnatum esse negat; neque enim sibi Bœoto, sed Mantitheo esse nomen: itaque

de nomine contendens, reipsa me dote matris fraudat. Ego vero inops consilii et quo me verterem nesciens, sic rursus eodem judicio actione contra Mantitheum instituta ad vos nunc anno undecimo confugi. Quæ ut a me vere dici constet, legentur vobis harum rerum testimonia.

TESTIMONIA.

Matrem igitur meam, Judices, talento allato, a fratribus suis elocatam, ut leges jubent, patri meo nupsisse; et, a me istos in ædes receptos defuncto patre; et, me iis actionibus esse absolutum, quibus me accusarunt: hæc omnia e testibus audita et demonstrata sunt. Abi cape legem istam de dote.

LEX.

Cum igitur lex ita se habeat, arbitror istum sive Bœotum, sive Mantitheum, seu quo alio nomine se appellari gaudet, justam quidem defensionem et veram allaturum nullam, daturum autem esse operam, audacia sua et confidentia fretum, ut suas calamitates mihi imputet, id quod etiam privatim facere consuevit, aiens, Pamphili facultatibus publicatis, qui pater fuit Plangonis, reliquam pecuniam patrem meum accepisse e curia: et ita declarare studens suam matrem dotem attulisse amplius centum minas, meam sine dote nupsisse asserit. Ea vero commemorat, Judices, neque adducto ullo testimonio, neque ignarus se nugas agere: sed certo sciens, qui confiteretur se deliquisse apud vos absolutum esse neminem, mentientem autem et effugia quæritantem jam aliquem impune abiisse. Ne vero ab eo decipiamini, consultius mihi videtur pauca de ista re apud vos dicere.

3. Ubi enim dixerit, matrem meam non attulisse dotem, suam vero attulisse, animadvertetis eum palam mentiri. Primum enim Pamphilus, pater matris eorum, quinque talentis ærario obstrictus obiit: tantumque abfuit ut quicquam ejus liberis, descriptis illius opibus et publicatis, superfuerit, ut nec debitum ejus omne sit solutum, sed etiam nunc Pamphilus ut ærarius sit inscriptus. Qui potuit igitur fieri ut pater meus a Pamphili opibus aliquid acceperit, quæ mulctam solvere civitati non potuerunt? Deinde cogitate, Judices, si vel maxime superfuisset pecunia, quam isti dicunt, eam non meum patrem fuisse accepturum, sed Pamphili filios, Bœotum, Hedylum, et Euthydemum, qui cum propter aliena capienda quidvis egerint, ut et vos omnes nostis, sua utique patri meo non concessissent.

4. Ac matrem istorum non attulisse dotem, sed istos mentiri, satis vos cognovisse existimo: meam autem matrem attulisse, facile ostendam. Primum enim Polyarati filia fuit, qui et a vobis colebatur et magnas opes possidebat. Postea testatum vobis est, etiam sororem ejus tantundem attulisse dotis et Eryximacho affini Chabriæ nupsisse. Præterea constat, matrem meam nupsisse primum Cleomedonti, cujus patrem Cleonem ferunt apud majores vestros suo ductu et auspiciis multos Lacedæmonios Pyli vivos cepisse, summaque inter cives gloria floruisse: quare, nec ejus filium eam indotatam ducere conveniebat, neque Menexenum et Bathyllum consentaneum est, qui et ipsi magnas opes haberent et dotem Cleomedonte mortuo recepissent, ea sororem suam defraudasse, sed ipsos adjecisse aliquid et patri collocasse, ut et ipsi apud vos et cæteri necessarii testati sunt. Sed his omissis cogitate, quamobrem pater, si mea mater desponsa non fuisset neque dotem attulisset, istorum vero attulisset, istos suos negasset esse filios, me autem et agnovisset et instituisset? Ut scilicet et mihi gratificans et matri meæ, istos ignominia afficeret? At ea quidem obierat, me parvo puero relicto, istorum vero mater Plango, et ante et post eleganti forma mulier, cum eo rem habebat: quare multo credibilius erat eum propter viventem mulierem, quam adamabat, defunctæ filium contemnere, quam propter me et defunctam filios e vivente muliere susceptos, cujus consuetudine uteretur, non agnoscere. Atqui eo iste venit audaciæ, ut aiat patrem meum pro se decimam solenni convivio celebrasse: eaque de re Timocratis solum et Promachi testimonium exhibuit, qui nec ulla cognatione patrem meum attingunt, neque illi amici fuerunt; itaque manifeste falsa testati sunt, ut, quem vobis omnibus consciis iste in jus vocatum coegit ad se adoptandum, eum isti, tanquam qui duo soli viatores sint, testentur pro hoc decimam celebrasse. Quibus quis vestrum credat? Jam nec illud ei licet dicere, se parvulum quidem a patre agnitum, grandiorem autem factum, ab eodem, matri ipsorum irato, repudiatum. Multo enim magis certe solent uxor et maritus orta jurgia propter liberos deponere, quam propter iras inter se communes etiam liberos odisse.

5. Proinde, si hæc dicere instituerit, ne feratis ejus impudentiam: sin de causis dixerit quarum me absolvit arbiter, seque a me imparatum esse oppressum causabitur, primum memineritis, non parvum tempus fuisse, quo illum se parare oportuit, sed multos annos; deinde, eum fuisse actorem, quare multo probabilius erat, me ab eo imparatum oppressum, quam eum a me; ad hæc, coram vobis omnes qui apud arbitrum affuere testati sunt, istum præsentem, cum me arbiter absolveret, nec ad judicium appellasse, et in arbitrio acquievisse. Absurdum autem mihi videtur, cum alii, qui injuriam sibi fieri putant, etiam causas omnino minutas ad vos

revocent: istum actione talenti dotis adversus me instituta, tum, ut ipse ait, injuste damnatum, arbitri sententiam ratam habuisse.

6. At hercule homo quietus est, et non contentiosus. Vellem equidem, Judices, eum esse talem. Nunc vos ita estis æqui et humani, ut nec triginta tyrannorum filios agere in exsilium volueritis: iste autem, cum Menecle omnium istarum rerum architecto, insidiis mihi collocatis, et propter jurgium et convicium manibus consertis, capite suo insecto, ob vulnus in Areopagum me citavit, ut urbe exterminaret. Quod, ni Euthydicus medicus, ad quem isti primum venerant, rogantes ut caput incideret, ipse apud Areopagiticum senatum omnem veritatem dixisset, tale supplicium iste de me innocente sumpsisset, quale vos ne de iis quidem qui summis vos injuriis affecissent sumeretis. Ne autem eum calumniari videar, lege mihi testimonia.

TESTIMONIA.

7. Hoc igitur tantum et tam formidabile discrimen iste contra me non ut homo simplex, sed ut insidiator et maleficus, instruxit: deinde loco nominis, quod ei pater indiderat, Bœoti, ut et apud vos testatum est, eo defuncto, Mantitheum se apud municipes inscripsit, et cum ab eodem et patre et populo mecum appelletur, non solum hanc causam, quam nunc ago, fecit irritam, sed etiam, cum vos me ordinibus præfecissetis, ipse in judicium venit ut approbaretur, cumque eo judicio unde vi convictus esset, non se convictum esse dicit, sed me. Ut autem summatim dicam, facessendis mihi negotiis et malis mihi dandis, me coegit in jus eum vocare de nomine, non ut pecuniam ab eo acciperem, Judices, sed ut, si vos putaretis inique mecum agi et me magnis damnis affici, iste Bœotus vocaretur, eo nomine quod ei pater imposuit. Ut igitur constet, me et hæc vere dicere, cape harum etiam rerum testimonia.

TESTIMONIA.

8. Ad hæc, quod ego, cum militarem, et cum Aminia milites conducerem, tum aliunde pecuniam coegi, tum Mitylenis ab hospite vestro Apollonide et a reipub. nostræ amicis trecentos stateres Phocaicos acceptos, militibus expensos tuli, ut aliquid et vobis et illis utile gereretur, de illis pecuniis me in jus vocat, quasi paternum debitum exegerim a civitate Mitylenæorum, Cammæ tyranno Mitylenes obsequens, qui et vobis publice et mihi privatim est inimicus. Ut autem constet patrem nostrum, quod decreverunt ei munus Mitylenæi, statim ipsum accepisse, neque ullum æs alienum Mitylenis habuisse, vestrorum amicorum testimonium exhibebo.

TESTIMONIUM.

9. Quanquam autem possem, Judices, alia multa et gravia referre, quæ iste et in me et in vestrum quosdam commisit, tamen ea cogor ob dati mihi temporis brevitatem prætermittere. Existimo enim et per hæc satis esse ostensum, non ejusdem esse hominis et mihi exsilii struere periculum, et lites ordiri non necessarias, ad arbitrum autem venire imparatum. Proinde ubi de his dicere instituerit, vos, opinor, ejus orationem non probabitis: sin dicet, se petente, ut omnium rerum arbitrium Cononi Timothei filio permitteretur, me consentire noluisse, cogitate, in animo ei esse vos decipere. Ego enim, quarum rerum controversiæ nondum judicio finitæ erant, eas paratus eram et Cononi, et alii arbitro æquo, cui iste vellet, committere: quibus autem de rebus ter apud arbitrum conventum erat præsente isto et adversante, cum arbiter et me absolvisset, et iste sententiam ratam habuisset, ut et apud vos testatum est, non committendum esse duxi ut ea rescinderentur. Quis enim tandem transactionum exitus repertus esset, si et legitime pronunciata rescidissem, et alteri arbitro judicium earundem rerum detulissem? præsertim cum satis scirem, tametsi adversus alios æquum non esset arbitriis niti, cum isto tamen sic agi omnium esse æquissimum. Nam, si quis eum peregrinitatis accuset, asserens, patrem jurejurando interposito negasse istum suum esse filium, alione firmamento niti poterit, nisi eo, cum jurasset mater ipsorum, arbitri sententia damnatum, coactum esse patrem nostrum arbitrium ratum habere? Quid igitur fieri queat iniquius, quam istum ipsum arbitri sententia civem vestrum esse factum, et mecum divisisse patrimonium, et omnia quæ æqua sunt, esse consecutum, quibus autem ego causis isto præsente et accusante et judicata rata habente sum absolutus, eas irritæ ut fiant postulantem, æqua vobis videri dicere? quasi vero, cum isti expedierit, rata oporteat esse arbitria, ubi commodum non fuerit, ejus libidinem plus conveniat habere auctoritatis, quam ea quæ legibus vestris sunt decreta. Qui quidem ita est insidiosus, ut et illius arbitrii conditionem mihi tulerit, non ut mihi satisfieret, sed ut, quemadmodum prius undecim annos malis artibus me distulerat, sic etiam iis quorum me arbiter absolverat rescissis, de integro calumniaretur, et judicium hoc eluderet. Cujus rei argumentum evidentissimum est: quod neque conditionem accepit, quam ego ei legitime ferebam, et prius arbitrio per me ad Xenippum, quem iste arbitrum designabat, delato de controversia nomi-

nis, iste illum vetuit pronunciare. Hæc vere a me dici, e testimonio et provocatione scietis.

TESTIMONIUM. PROVOCATIO.

10. Hac conditione repudiata, cum mihi struat insidias et judicium quam diutissime eludere studeat, accusabit, ut audio, non me solum, sed etiam patrem, ab eo se in meam gratiam multis affectum esse injuriis, dictitans: vos autem, Judices, eo potissimum quod a vestris liberis male audire nolletis, nec istum patri maledicere patiamini. Neque enim ferendum fuerit, cum vos eis, qui in paucorum dominatu multos cives indicta causa peremerant, reconciliati pactis et conventis stetis, sicut bonos viros decet: istum, qui cum patre vivente rem transegit multisque rebus fuit per injuriam superior, nunc veteres offensas renovare pati, eique maledicere. Minime vero, Athenienses: sed imprimis vetate eum hæc facere, sin vobis vim faciet eique conviciabitur, cogitate, ipsum contra se dicere testimonium se ex eo non esse natum. Qui enim natura filii sunt, etiamsi cum patribus viventibus rixati fuerunt, at defunctos laudant: qui autem, cum pro filiis habeantur, ipso genere non sunt, ut facile in viventes invehuntur, sic nec defunctos proscindere maledictis erubescunt. Sed his omissis cogitate, quam absurdum sit, istum patri, ut in se injurio conviciari, qui propter illius injurias civis est vester factus. Ac ego quidem, propter istorum matrem duabus patrimonii partibus spoliatus, tamen vestri pudore nihil mali de ea dicere ausim: at iste, quem sibi patrem fieri coegit, eum in conspectu vestro vituperare non veretur, eoque venit inscitiæ, ut, cum leges interdicant nec aliorum patribus maledicere defunctis, eum iste, cujus se filium esse perhibet, insectetur, quem conveniebat, si quis ei alius obtrectaret, indignari.

11. Arbitror etiam fore, Judices, ut, cum aliis argumentis deficietur, mihi maledicere instituat et me perstringere conetur, commemorans, me et educatum, et institutum esse, et in paternis ædibus contraxisse matrimonium: sibi nihil horum contigisse. Vos autem cogitate, me a matre defuncta puerum relictum, ut mihi satis fuerit usura dotis tam ad victum quam ad institutionem: in matrem autem istorum Plangonem, secum istos alentem et ancillas complures, et ipsam sumptuose viventem, cum ad ea patrem meum amore captum præbitorem haberet et magnas impensas facere cogeret, non utique tantillum de illius opibus quantum in me sumptuum esse factum. Quare multo magis isti a me accusandi erant, quam ego ab istis. Nam præter cætera, viginti minas cum patre mutuatus a Blepæo mensario ad emptionem quandam fodinarum,

fodinas quidem post patris obitum partitus cum istis sum, mutuum autem ego reddere sum coactus: alias etiam mille drachmas in funus patris a Lysistrato Thoricio mutuatus, privatim solvi. Etiam hæc a me vere dici, ex hisce testimoniis cognoscetis.

TESTIMONIA.

12. Cum ego igitur adeo manifeste tanto deteriore conditione sim, iste nunc quiritando et indignando me patris dote fraudabit? Sed vos, o Judices, per deos oro, ne istius percellamini clamoribus: multiplex enim, multiplex et audax homo est, itaque maleficus, ut quæ testibus probare non potest, ea vos scire sit dicturus, Judices, quod omnes faciunt qui nihil sani dicunt. Vos igitur, si quid tale machinabitur, ne permittite ei, sed resistite: et, quod singuli non noveritis, nec vicinum quidem nosse putate, sed postulate ut evidenter ipse ostendat ea quæ dicturus est, neque dicendo vos ea scire, de quibus ipse nihil æqui dicere poterit, rerum veritatem defugiat. Nam et ego, Judices, cum vos omnes sciatis quemadmodum pater meus coactus istos adoptarit, nihilominus jure cum eis ago, et testes rationibus reddendis obnoxios produco. Neque vero par nobis est discrimen. Sed mihi quidem, si vos nunc ab istis decipiemini, posthac non licebit agere de dote: istis vero, si dicunt me arbitri sententia injuste esse absolutum, et tum licuit ad vos appellare, et nunc denuo licebit, si voluerint, jus eis a me suum apud vos adipisci. Ego, si me vos, quod absit, deseretis, non habebo unde filiæ dotem annumerem, cujus cum natura sim pater, si staturam ejus videatis, non filiam esse meam, sed sororem arbitremini: isti, si me juveritis, nihil de suo solvent, sed de mea domo meum mihi reddent, quam cum secreverimus communiter omnes ad dotis solutionem, isti habitare in ea soli pergunt. Neque enim mihi commodum est filiam habenti nubilem cum talibus habitare, qui non ipsi modo luxuriose vivunt, set et sui similes alios multos in ædes introducunt, neque etiam, ita me amet Jupiter, tutum esse mihi puto commune cum hominibus istiusmodi domicilium: nam qui adeo palam mihi per insidias periculum in Areopago crearunt, quo isti vobis aut veneficio aut alio ejusdem generis facinore abstinere velle videantur? Qui præter cætera—nam et hoc modo venit in memoriam—tam insigni esse cœperunt impudentia, ut et Critonis testimonium injecerint, eum tertiam ædium partem a me emisse: quod esse falsum facile intelligetis.

13. Primum enim non ita frugaliter vivit Crito, ut ab alio ædes emat, sed ita sumptuose et luxuriose, ut præter sua etiam aliena consumat: deinde non isti nunc testimonium dicit, sed mihi in judicio adversatur. Quis enim vestrum ignorat, testes esse eos,

ad quos negotium de quo lis est nihil attinet: adversarios autem, socios earum rerum, propter quas ab aliquo accusantur? Id quod Critoni accidit. Præterea cum vos, Judices, tot sitis, cum sit cæterorum Atheniensium tanta multitudo, alius quidem nemo se ei affuisse testatur: Timocrates solus, tanquam a machina, testatur decimam celebrasse isti patrem meum, æqualis ejus qui nunc in hoc judicio reus agitur, seque plane omnia scire profitetur, quæ istis expediunt scilicet; testatur item nunc se solum Critoni affuisse, cum ædes a me emeret. Quod quisnam vestrum credat? Præsertim cum ego non de eo nunc agam, utrum ædes Crito emerit, nec ne: sed de dote, quam a matre mea allatam me recipere jubent leges. Proinde quemadmodum vobis ego testimoniis multis et argumentis ostendi matrem meam talentum dotis attulisse, id vero me de patrimonio non recepisse, et ædes in eam rem a nobis exemptas esse: sic et istum vobis ostendere jubete, aut me vera non dicere, aut recipere dotem non oportere; de his enim vos nunc pronunciabitis. Si vero eorum, de quibus accusatur, nec testes fide dignos producere, neque ullum aliud afferre argumentum poterit, sed alia verba injiciet decipiendi causa, et clamabit, et indignabitur quæ a causa aliena sunt, per Jovem cæterosque deos vos oro ne patiamini: sed jus meum mihi tribuatis propter ea omnia quæ dicta sunt, cogitantes, multo esse justius ut matris meæ dotem mihi ad elocationem filiæ meæ addicatis, quam ut Plango et isti, præter cætera, etiam ædes, ad dotem exemptas, nobis eripiant contra omnem æquitatem.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS SPUDIAM PRO DOTE.

Polyeuctus vir Atheniensis, duarum filiarum pater, juniorem Leocrati primum dat, deinde Spudiæ: majorem ei qui cum Spudia litigat. At Polyeuctus quidem moritur, filiabus relicta hæreditate ex æquo. Majoris autem maritus ait quadraginta sibi minas doti esse dictas, non tamen totam statim esse numeratam, sed decem minis minus, viventemque fassum esse Polyeuctum se debere eas, et, moriturum, ædes reliquis bonis exemisse, easque ad debitum dissolvendum dedisse: Leocrates autem postulat, ut hæ sint communes, ut cætera omnia. Hæc potissima est controversia totius orationis. Criminatur etiam aliis de rebus Spudiam: ait enim eum pecuniam, quam et propter Polyeuctum et filiam natu majorem debeat, non protulisse in medium, quod factum oportuisset. Cum vero Spudias illud quoque dicat, se triginta minas doti accepisse, maxime quidem Polyeucto id facere licuisse dicit, si alteri filiarum majorem dotem dare voluerit, et non parem utrique. Deinde ostendit, etiam illud falso asserere Spudiam: qui triginta minas in argento acceperit, decem vero in veste et auro, quæ pluris etiam sint quam decem minarum.

DEMOSTHENIS

CONTRA SPUDIAM

PRO DOTE ORATIO.

1. Sorores habemus uxores ego et Spudias, Judices, Polyeucti filias; qui cum virilis sexus liberis orbus obierit, cogor cum isto de relictis bonis litigare. Quod nisi, Judices, omne studium et diligentiam adhibuissem ut res transigeretur, nec amicis rem permittere voluissem, ipse me accusarem, si maluissem litibus et molestiis conflictari, quam parvam jacturam ferre: nunc quo ego mitius et humanius cum isto agebam, eo magis ab eo cotemnebar. Neque ego profecto nunc ita ut iste erga hoc judicium affectus sum: qui quidem eam rem parvi facit, sæpe solitus in conspectum vestrum venire; ego vero idipsum metuo, ne propter imperitiam vobis rem explicare nequeam. Sed tamen, Judices, animadvertite.

2. Polyeuctus quidam Thriasius fuit, quem fortasse nec vestrum aliqui ignorant. Is Polyeuctus, cum non haberet mares liberos, adoptat Leocratem fratrem uxoris suæ. Cum vero duas suscepisset filias e sorore Leocratis, natu majorem mihi collocat, dictis quadra-

ginta minis doti; minorem, Leocrati. Quæ cum ita se haberent, orto inter Polyeuctum et Leocratem dissidio, de quo nescio quid dicam, ereptam ab eo filiam Spudiæ despondet. Eo facto cum indignaretur Leocrates, in jus vocato Polyeucto et Spudia, de rebus omnibus rationem reddere coguntur: tandem ita transigunt ut receptis iis Leocrates quæ de suo in familiam attulerat, nec male vellet Polyeucto, et omne inter eos dissidium esset abolitum. Qua igitur de causa vobis hæc narravi, Judices? Quod dote non recepta omni, sed mille drachmis deficientibus post Polyeucti obitum (ita enim convenerat) reddendis, quamdiu Leocrates Polyeucti hæres fuit, cum eo mihi res fuit: sed cum cessisset Leocrates, et Polyeuctus periculose decumberet, tunc, Judices, ædes ob decem minas pignori mihi opponuntur, e quibus me locationis pretium recipere vetat Spudias. Primum igitur vobis testes adducam qui affuerunt, cum desponderet mihi Polyeuctus filiam quadraginta minis promissis: deinde, mille drachmis minus recepisse me ostendam: præterea, Polyeuctum semper esse confessum se debere mihi et Leocratem prædem dedisse, et morientem tandem pepigisse se mihi libellos mille drachmarum indices propter dotem ad ædes collocaturum. Voca mihi testes.

TESTES.

3. Hoc igitur unum est, Judices, eorum de quibus Spudiam accuso: ac de eo quidnam majus aut firmius ad vos afferrem, quam legem, quæ plane dicit, quæ quis oppigneraverit, in ea non licere agere nec ipsi nec hæredibus? Nihilominus contra hoc jus venit Spudias disceptaturus. Alterum, Judices, est, duas minas testatus est Aristogenes postulasse Polyeuctum, quæ sibi deberentur a Spudia, cum usura—id vero servi pretium est, quem cum iste a Polyeucto emisset, pretium neque illi solvit, neque nunc in commune protulit—, octingentas porro et mille drachmas, de quibus nec ego scio quid æqui possit dicere: mutuatus enim fuit eam pecuniam a Polyeucti uxore, et tabulæ exstant quas illa moriens reliquit, testes autem sunt mulieris fratres, qui rebus omnibus interfuerunt et singulatim percontati sunt, ne quid alter alteri negotii facesseremus. An non igitur, Judices, iniquum et grave est, cum eorum ego omnium, quæ vel a Polyeucto vivente emeram vel ab uxore ejus habueram, et usuram solverim et pretium reddiderim, et nunc, quæ debui, omnia in commune proferam: istum nec leges curare vestras, neque Polyeucti testamentum, neque relictas tabulas, neque rerum conscios, sed contra hæc omnia venire litigatum? Cape igitur primum legem, quæ non sinit rerum oppigneratarum agere in possessores; deinde relictas tabulas et testimonium Aristogenis. Recita.

LEX. LITERÆ. TESTIMONIUM.

4. Docebo vos etiam, Judices, singulatim ea de quibus accuso. Phialam acceptam a Polyeucti uxore, quam cum aureis ornamentis oppignerarant, non protulere quamvis receptam, ut vobis Demophylus cui oppignerata illa fuerant testabitur: tabernaculum præterea quod habent, nam id quoque acceptum non proferunt: alia item quam multa ejus generis? postremo cum uxor mea patri minam argenti ad Nemesia contulerit et pro eo erogaverit, nec hujus impensæ partem sustinere vult: sed alia præcepta habet, aliorum partes recipit, ea vero quæ ita manifeste debet non reddit. Ut igitur neque hæc prætermittantur, cape mihi eorum omnium testimonia.

TESTIMONIA.

5. Fortassis autem, Judices, contra hæc nihil dicet Spudias—neque enim poterit quanquam est callidus—, sed Polyeuctum et ejus uxorem criminabitur, eosque dicet a me adductos hæc omnia fecisse in meam gratiam, atque adeo se multis aliis affectum damnis, mihi diem dixisse: nam hæc et apud arbitrum dicere instituit. Ego vero, Judices, primum non æquam esse censeo talem defensionem, neque convenire, si quis aperte convincitur, ut retortis criminibus accuset et calumnietur: nam illa quidem, si qua ei fit injuria, nimirum ulciscetur, horum vero dabit pœnas. Qui enim ego nunc istorum calumnias refutabo, iis omissis de quibus vos pronunciabitis? Deinde miror quamnam ob causam, siquidem vere et jure accusare me potuit, cum nos amici reconciliare vellent, et multa verba facta essent, in illorum decretis acquiescere non potuerit? At quinam et meas et illius accusationis falsas redarguissent facilius, quam hi qui rebus hisce omnibus interfuerant, qui æque nobiscum norant omnia, qui communes utrisque amici erant? Sed perspicuum est, cum ab eis manifeste coarguendus esset, ad eum modum transigere e re illius non fuisse. Neque enim putare debetis, Judices, eos qui hæc omnia sciunt, nunc suo mihi periculo dicere testimonium, tum vero juratos aliud fuisse de lite pronunciaturos.

6. Quod si tale nihil inter nos intercessisset, ne tum quidem difficile esset statuere, uter vera diceret. Nam de ædibus, si ait impulsu meo Polyeuctum mandasse ut libelli mille drachmarum indices apponerentur, at non etiam testibus persuasi nimirum, Spudia, ut in meam gratiam falsa testarentur, qui affuere cum mihi filiam

desponderet, qui sciunt me minus accepisse, qui eum confitentem se debere mihi audierunt jubentemque satisfieri, qui denique factioni testamenti interfuerunt. His enim omnibus hæc in meam gratiam facere non licuit, sed periculum falsi testimonii impenderet, si quid quod factum non esset testificarentur.

7. Omittamus igitur hoc nunc: ad illud autem quid respondebis? Nam hi certo abs te edocendi erunt: quod ni fecerit, vos id omnes ab eo postulatote. Quum enim Polyeuctus illa testamento mandaret, istius uxor aderat—quam patris ei nunciasse testamentum constat: si præsertim ipsi nihil æqui tribuebatur, si deteriore erat in omnibus conditione—, quin et iste ipse fuit accersitus, quo minus habent quod dicant, nos clanculum seque ignorantibus ea egisse. Nam cum vocaretur, se occupatum esse, uxorem suam interesse satis esse, dicebat. Quid adhuc reliquum est? Cum quidem Aristogenes ei hæc omnia accurate renunciasset, ne tum eum ullum verbum fecisse constat, sed cum post hæc Polyeuctus amplius quinque dies vixisset, neque conquestus est cum ingressus esset, neque quicquam contra dixit: nec item ejus uxor, quæ ab initio rebus omnibus interfuerat. Quare non jam Polyeuctus ista mihi condonabat, ut apparet, sed vosmetipsi. Horum igitur memores, Judices, ea, si quid fortasse de his calumniæ instituerit, aperte objicitote. Primum autem ut certo sciatis, rem ita se habere, testes audite. Recita.

TESTES.

Proinde, Judices, ædes mihi Polyeuctum mille drachmis jure oppignerasse, ut quæ mihi jam antea deberentur, iste ipse mihi confirmat, et ejus uxor, præter alios qui testimonium dixerunt, qui tum nec prohibuerint, nec Polyeucto adversati sint cum is tot dies postea vixisset, neque Aristogeni, cum primum audissent. Quod si ædes jure oppigneratæ sunt, vobis (modo legis memineritis) hac quidem in parte Spudiam absolvere non licebit.

8. Agite illud etiam de viginti minis, quas non profert, considerate: etenim hic rursus iste maximus erit mihi testis, non quidem certe oratione, cum nunc meus sit adversarius, Judices,—idque nullum est argumentum—, sed facto illustri. Quid igitur fecit, Judices? Hoc nunc animadvertite, ut, si forte de matre mulierum male loqui audebit, aut de tabulis, vos rei gnaros decipere verbis non possit. Eas enim tabulas reliquit Polyeucti uxor, ut paulo ante dixi: cum vero signa et ab istius et a mea uxore agnoscerentur, uterque præsens eas aperuimus et exempla accepimus, et rursus obsignatas apud Aristogenem deposuimus. Hoc igitur, hoc, Judices, per deos oro cognoscite! Inerant enim duæ minæ, servi pretium, neque Polyeuctus solum moriens eas ab isto postularat: inerant et mille octingentæ drachmæ. His autem lectis, si ea nihil ad se attinebant, neque scriptura vera erat, quamobrem non statim indignabatur et graviter ferebat? cur autem ea rursus et ipse consignavit quæ nihil sani continebant, neque vere scripta erant? Nam id quidem qui non toti scripturæ assentiretur faceret nemo. Enimvero, Judices, perabsurdum id erit profecto, si licebit istis ea quæ ipsi comprobarunt nunc negare, vobisque nullum id signum videbitur, quod omnes homines ad ea crimina quæ neque vera neque justa sunt, non obticescere, sed e vestigio litem movere, solemus: quod qui non fecerint, si postea in judicio adversantur, improbi calumniatores habentur. Quæ quum Spudias nihilominus quam ego intelligat, ac potius eo certius, quo sæpius huc ingreditur, contraria iis quæ egit omnibus loqui non erubescit. Vos quidem sæpe, una fraude animadversa, ea pro certissimo signo de tota accusatione estis usi: isti autem usuvenit, ut omnis ejus oratio ipsa sese coarguat. Cape testimonium, ut appareat et tum confessam esse tabularum signa istius uxorem, et nunc a Spudia obsignatas asservari.

TESTIMONIUM.

9. His ita palam demonstratis, equidem nihil esse pluribus opus existimo: nam cum et leges proferre possim, et testes eorum quæ dicta sunt omnium, et ipsius adversarii confessionem, quorsum multis verbis opus est? Sed tamen, si de dote indignabitur, et sibi de mille drachmis injuriam fieri dicet, mentietur: de his enim contendit, cum non minus, sed plus etiam acceperit, ut statim vobis declarabitur. Verum, si ista omnia revera accidissent, non ideo esset utique justum me promissam dotem non accipere, si modo aliquid est in legibus subsidii: neque etiam Polyeuctum, si filiarum alteri minus alteri plus dare voluit dotis, nunc prohiberi. Tibi enim ipsi, Spudia, licuit non ducere uxorem, mille drachmis, ut mihi, non annumeratis: sed tu nihilo minus habuisti, ut ego docebo. Primum autem cape testimonium de sponsalium conditionibus.

TESTIMONIUM.

10. Qui igitur nihilo minus ille habet dicet aliquis, si isti in quadraginta minis aurum et vestis æstimata, mihi vero decem minæ seorsim additæ fuerunt? Hoc ipsum ergo dicam. Spudias, Judices, a Leocrate mulierem cum auro et veste accepit, æstimatis Leocrati a Polyeucto pluris quam mille drachmis: quæ vero mihi misit præter dotem, quæque habeo solum, ea siquis cum his quæ isti sunt data conferat, consimilia deprehendet, demptis iis quæ ob

desponderet, qui sciunt me minus accepisse, qui eum confitentem se debere mihi audierunt jubentemque satisfieri, qui denique factioni testamenti interfuerunt. His enim omnibus hæc in meam gratiam facere non licuit, sed periculum falsi testimonii impenderet, si quid quod factum non esset testificarentur.

7. Omittamus igitur hoc nunc: ad illud autem quid respondebis? Nam hi certo abs te edocendi erunt: quod ni fecerit, vos id omnes ab eo postulatote. Quum enim Polyeuctus illa testamento mandaret, istius uxor aderat—quam patris ei nunciasse testamentum constat: si præsertim ipsi nihil æqui tribuebatur, si deteriore erat in omnibus conditione—, quin et iste ipse fuit accersitus, quo minus habent quod dicant, nos clanculum seque ignorantibus ea egisse. Nam cum vocaretur, se occupatum esse, uxorem suam interesse satis esse, dicebat. Quid adhuc reliquum est? Cum quidem Aristogenes ei hæc omnia accurate renunciasset, ne tum eum ullum verbum fecisse constat, sed cum post hæc Polyeuctus amplius quinque dies vixisset, neque conquestus est cum ingressus esset, neque quicquam contra dixit: nec item ejus uxor, quæ ab initio rebus omnibus interfuerat. Quare non jam Polyeuctus ista mihi condonabat, ut apparet, sed vosmetipsi. Horum igitur memores, Judices, ea, si quid fortasse de his calumniæ instituerit, aperte objicitote. Primum autem ut certo sciatis, rem ita se habere, testes audite. Recita.

TESTES.

Proinde, Judices, ædes mihi Polyeuctum mille drachmis jure oppignerasse, ut quæ mihi jam antea deberentur, iste ipse mihi confirmat, et ejus uxor, præter alios qui testimonium dixerunt, qui tum nec prohibuerint, nec Polyeucto adversati sint cum is tot dies postea vixisset, neque Aristogeni, cum primum audissent. Quod si ædes jure oppigneratæ sunt, vobis (modo legis memineritis) hac quidem in parte Spudiam absolvere non licebit.

8. Agite illud etiam de viginti minis, quas non profert, considerate: etenim hic rursus iste maximus erit mihi testis, non quidem certe oratione, cum nunc meus sit adversarius, Judices,—idque nullum est argumentum—, sed facto illustri. Quid igitur fecit, Judices? Hoc nunc animadvertite, ut, si forte de matre mulierum male loqui audebit, aut de tabulis, vos rei gnaros decipere verbis non possit. Eas enim tabulas reliquit Polyeucti uxor, ut paulo ante dixi: cum vero signa et ab istius et a mea uxore agnoscerentur, uterque præsens eas aperuimus et exempla accepimus, et rursus obsignatas apud Aristogenem deposuimus. Hoc igitur, hoc, Judices, per deos oro cognoscite! Inerant enim duæ minæ, servi pretium, neque Polyeuctus solum moriens eas ab isto postularat: inerant et mille octingentæ drachmæ. His autem lectis, si ea nihil ad se attinebant, neque scriptura vera erat, quamobrem non statim indignabatur et graviter ferebat? cur autem ea rursus et ipse consignavit quæ nihil sani continebant, neque vere scripta erant? Nam id quidem qui non toti scripturæ assentiretur faceret nemo. Enimvero, Judices, perabsurdum id erit profecto, si licebit istis ea quæ ipsi comprobarunt nunc negare, vobisque nullum id signum videbitur, quod omnes homines ad ea crimina quæ neque vera neque justa sunt, non obticescere, sed e vestigio litem movere, solemus: quod qui non fecerint, si postea in judicio adversantur, improbi calumniatores habentur. Quæ quum Spudias nihilominus quam ego intelligat, ac potius eo certius, quo sæpius huc ingreditur, contraria iis quæ egit omnibus loqui non erubescit. Vos quidem sæpe, una fraude animadversa, ea pro certissimo signo de tota accusatione estis usi: isti autem usuvenit, ut omnis ejus oratio ipsa sese coarguat. Cape testimonium, ut appareat et tum confessam esse tabularum signa istius uxorem, et nunc a Spudia obsignatas asservari.

TESTIMONIUM.

9. His ita palam demonstratis, equidem nihil esse pluribus opus existimo: nam cum et leges proferre possim, et testes eorum quæ dicta sunt omnium, et ipsius adversarii confessionem, quorsum multis verbis opus est? Sed tamen, si de dote indignabitur, et sibi de mille drachmis injuriam fieri dicet, mentietur: de his enim contendit, cum non minus, sed plus etiam acceperit, ut statim vobis declarabitur. Verum, si ista omnia revera accidissent, non ideo esset utique justum me promissam dotem non accipere, si modo aliquid est in legibus subsidii: neque etiam Polyeuctum, si filiarum alteri minus alteri plus dare voluit dotis, nunc prohiberi. Tibi enim ipsi, Spudia, licuit non ducere uxorem, mille drachmis, ut mihi, non annumeratis: sed tu nihilo minus habuisti, ut ego docebo. Primum autem cape testimonium de sponsalium conditionibus.

TESTIMONIUM.

10. Qui igitur nihilo minus ille habet dicet aliquis, si isti in quadraginta minis aurum et vestis æstimata, mihi vero decem minæ seorsim additæ fuerunt? Hoc ipsum ergo dicam. Spudias, Judices, a Leocrate mulierem cum auro et veste accepit, æstimatis Leocrati a Polyeucto pluris quam mille drachmis: quæ vero mihi misit præter dotem, quæque habeo solum, ea siquis cum his quæ isti sunt data conferat, consimilia deprehendet, demptis iis quæ ob

mille drachmas oppignerata sunt. Proinde jure in quadraginta minis æstimabat ea, quæ Leocrati numerarat, quæque datam mihi summam superabant. Ac mihi cape primum descriptionem hanc, et eis nunc recita, quidnam uterque nostrum habeat: deinde, arbitrorum testimonium, ut sciant, eum pecuniam etiam longe majorem habere, deque ea Leocratem actionem instituisse, et arbitros in hanc sententiam pronunciasse. Recita.

DESCRIPTIO. TESTIMONIUM.

An non iste palam habet quadraginta minas dotis jampridem: ego vero triginta minas, quemadmodum iste, mille vero drachmas postea non modo non accepi, sed et nunc de eis periclitor quasi injuste eas petam?

11. His itaque de causis, Judices, Spudias, re amicis permissa litem mecum transigere noluit, quod ei usuveniebat ut horum omnium convinceretur; cum enim illi his omnibus interfuissent et certo ea scirent, non ei permisissent quidvis dicere: apud vos autem se mentientem me vera dicente fore superiorem sperat. Ego vero quæ postulo, perspicue vobis demonstravi, ut ipse potui: rei gnaros autem iste fugit, quod putaret eis fucum fieri non posse. Quare, Judices, etiam vos ei potestatem mentiendi et calumniandi ne date, eorum quæ diximus memores. Nostis enim omnia ut gesta sunt; præterquam si quid ego præterii, ad exiguam aquam dicere coactus.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS PHÆNIPPUM DE PERMUTATIONE.

Hæc oratio non refertur a nonnullis ad Demosthenem: argumentum autem tale habet. Erat classis apud Athenienses trecentorum virorum, in quam ditissimi quique legi soliti onera graviora sustinebant: lex autem permittebat ei qui sumptus tolerare non posset ea classe excedere, si quem se locupletiorem vacantem ostendisset; quod si is qui designabatur se ditiorem esse fatebatur, in trecentos alterius loco referebatur, sin negabat, permutabant inter se facultates. Nunc igitur trecentorum unus, se exhaustum et pauperem esse conquerens, Phænippum invadit. Quare ad opum permutationem veniunt. Accusat autem Phænippum, ut qui nec descriptionem rei familiaris legitimo tempore dederit, sed multo post, et signa ab ædibus abstulerit ut quædam quæ intus fuerint distraheret, et se cuidam multum falso postulanti debere simulet.

DEMOSTHENIS

ADVERSUS PHÆNIPPUM

DE PERMUTATIONE ORATIO.

1. Dii benefaciant, Judices, primum vobis omnibus, deinde etiam Soloni qui legem tulit de permutationibus. Nisi enim is aperte nobis explicasset, quid primum eos qui permutassent facere oporteret, quid secundo loco, cæteraque deinceps ordine, haud scio, quo tandem progressa esset Phænippi audacia. Quum nunc, etsi lex ea nobis edicit omnia, tamen jura in ea perscripta negligat. Nam cum intra triduum ex quo jurarat declarationem rei suæ familiaris mihi ex lege dare debuisset, aut, si tum nollet, sexto saltem mensis Sextilis die, quem precibus a me impetrarat, et ad quem promiserat se daturum declarationem, neutrum horum fecit, sed, contemptis utrisque et vobis et lege, altero mense dedit, biduo aut triduo ante judicii ingressum; reliquo omni tempore delituit: quum item signa ædium, quæ ego apposueram, relinquenda essent, egressus in agrum aperuit, et hordeum et reliqua extulit, quasi potestatem ei dedisset lex faciendi quicquid libitum, non quod justum esset.

2. Ego vero, Judices, maxime optarim me florere opibus ut olim, et manere posse in trecentorum numero: quoniam autem partim communis calamitatis cum iis qui e fodinis quæstum faciunt fui particeps, partim magnis detrimentis affectus, jacturam feci rei fami-

liaris, et nunc denique me tria talenta reipubl. numerare oportet, talentum pro portione—fui enim et ipse, quod utinam esset aliter, fodinæ publicatæ particeps—ut in meum locum substituere coner eum, qui non nunc modo est me locupletior, sed prius etiam fuit, et nullum vobis unquam munus obiit, neque reipubl. quicquam hactenus contulit, necesse est. Vos igitur omnes oro, Judices, si ostendero Phænippum et definita legibus jura violasse et locupletiorem esse quam ego sum, ut et me juvetis, et istum meo loco in trecentorum classem referatis. Propter hoc enim leges quotannis permutationes concedunt, quod conservatio perpetua rei familiaris et incrementa paucis civibus permanere solent. Ab initio autem vobis omnia quæ in permutatione acciderunt commemorabo.

3. Mensis Quintilis, Judices, die secundo, duces trecentis permutationes proposuerunt. In iis ex lege Phænippum citavi: eo igitur citato et adhibitis quibusdam familiaribus et amicis, Cythera ivi in ejus fundum. Ac primum obii fundum ejus, qui stadiorum erat amplius quadraginta circumcirca, et ostendi et testatus sum coram Phænippo, nullos fundo libellos affixos esse: sin ipse id affirmaret, statim eum dicere jubebam et ostendere, ut ne postea fundus ære alieno obstrictus esse perhiberetur. Deinde obsignavi domicilia, et meas ædes eum ingredi jussi. Postea quæsivi, ubi excussum frumentum esset—erant enim ibi, Judices, divos divasque testor, duæ areæ, ferme jugeri amplitudine utraque—, is vero respondit, frumentum partim venditum, partim intus esse repositum. Tandem, ne longum faciam, constitui custodes intus quosdam, atque mediusfidius etiam edixi ut vetaret agasones materiam e fundo avehere—nam præter cæteras Phænippi opes, Judices, etiam hic amplius est ei reditus, sex asini per totum annum materiam ei vehunt; unde iste in singulos dies amplius ** drachmis percipit—, cum igitur eis interdixissem ne materiam attingerent, et Phænippo denunciassem, ut ex præscripto legis ad sacra præsto esset, in urbem redii.

4. Primum igitur eorum quæ dixi testimonia vobis exhibebo: deinde et de cæteris audietis omnem veritatem. Phænippum enim, Judices, a primo die statim nihil justi cogitasse reperietis. Obsignavi domicilia, permissu legis: iste aperuit. Ac signum quidem sustulisse fatebatur: fores autem se aperuisse negabat, quasi vero aliam ob causam, quam ad fores aperiendas, signa sustulisset. Deinde vetui ne materia eveheretur: iste quotidie evexit, eo die excepto, quo ego vetui. Nullo ære alieno fundus obstrictus erat: nunc iste multum æris alieni profert. In summa, facit quod libet, non quod leges jubent. Recita testimonia, primum de fodina, deinde et cætera.

TESTIMONIA.

5. Quibus igitur me Phænippus injuriis a primo statim die afficere cœperit, audistis, Judices, et e me et e testibus: quæ autem post facta sunt, ea non in me tantum sed etiam in leges sunt commissa, quæ nobis omnibus magno studio sunt tuendæ. Cum enim tertio Idus Sextilis jurasset, se recte et vere suas opes declaraturum, et lex declarationem dari tertio post jusjurandum die aperte jubeat, convenit me ante prætorium cum Polyeucto Crioense et Terentio rogans, primum ut transactionis causa secum congrederer; præstiturum enim mihi quæ æqua essent omnia: deinde ut declarationem rei familiaris differrem in dies non multos; neque enim ignotas sibi esse res meas. Ego vero qui et moderati et quieti esse civis non statim præcipitem ruere in judicium existimarem; concessi—quid enim multis est opus?—, ut is congressus de transactionibus XXIII. Sextilis fieret, declaratio autem XXV. His a me Phænippus impetratis neutro die præsto fuit: sed ad vos non una sed duabus legibus violatis ingreditur, una quæ jubet triduo, postquam juraverit, rem familiarem declarare, altera quæ ratas habet pactiones, testibus præsentibus factas. Atqui, Judices, quis vestrum ignorat, æque ratam esse diem tum legibus sancitam, tum ab adversariis concessam? Nam cum sæpe legibus trigesima dies præfinita sit, aliam inter nos pacti apud magistratus omnes obtinuimus, et actiones et judicia adversariis prorogant novemviri, si ipsi inter se convenerint. Quorum si quis mutuam pactionem irritam esse oportere censet, is vobis odio prosequendus est, ut impudentissimus calumniator. Phænippus autem, perinde ac si lex jubeat nihil præstare, quod receperis, ab eo die, quo promisit se et ad transactionem affuturum, et declarationem suam daturum, et meam accepturum, nusquam se stitit. Ego, postquam ab isto et me et leges contemni vidi, declarationem in prætorium attuli: iste vero, quod et paulo prius dixi, libellum mihi mane dedit, videri quidem solummodo volens se mihi dedisse declarationem, sed sic ut ego illis quæ inscripta essent uti minime possem. Non decet autem, Judices, iis plus æquo tribuere qui suam improbitatem legibus esse firmiorem censent,—alioqui efficietis ut multi jura perscripta legibus derideant—, illi quidem juvandi sunt, qui legum vocem vestram esse putant, et vestram hanc quæ pro tribunali editur affectis injuria, non sontibus, opitulaturam. Recita horum quæ modo dicta sunt testimonia, et leges.

TESTIMONIA. LEGES.

Proinde talia perpessus a Phænippo, Judices, hanc descriptionem ad imperatores retuli. Recita.

DESCRIPTIO.

6. Quo igitur alio pacto per deos et genios ostendendum est, Judices, teneri Phænippum his quæ lecta sunt, quam quo ego pacto nunc ostendo? Sed tamen vicissim questus est Phænippus me non recte indicare rem familiarem—adeo facile isti apud vos mentiuntur—, et accusat jusjurandum, quod ante declarationem dedi, quod exceptis iis quæ in fodinis haberem reliquas opes indicaturum esse me sum pollicitus, quasi vero ad legum præscriptum jurare, id vero sit accusatione dignum. Vos autem nostis, Judices,—vos enim tulistis—, legem, quæ prorsus ita loquitur, eos qui inter se permutent, cum dato jurejurando suas opes indicarint, etiam hoc jurare debere, declaro opes meas recte et juste, iis exceptis quæ in argentifodinis sunt, quas leges immunes fecerunt. Sed legem potius ipsam recita.

LEX.

7. Verum paululum quæso differ. Ego et prius obtuli Phænippo, et nunc, Judices, ei dono do, et cedo cum reliquis bonis, etiam argentifodinis, si mihi solum fundum liberum tradiderit, ut fuit, cum ego primum in eum veni testibus adhibitis, et, quantum ex ædibus frumenti et vini evexit, et cætera quæ sublatis signis a foribus abstulit, ea in eundem locum restituerit. Et quid dicere et clamare pergis? Multa ego prius ex argentifodinis, Phænippe, meopte corpore laborans et quæritans, collegi, fateor: nunc vero, paucis exceptis, omnia perdidi. Tu vero, e fundo tuo vendens hordeum octodecim drachmis et vinum duodecim drachmis, non ab re dives es, si frumenti medimnos feceris amplius mille, vini metretas amplius octingentas. Nunquid igitur eundem nos ordinem tenere decet, cum nunc alia in fortuna simus quam antea? Nequaquam, non enim justum fuerit. Succede et tu, esto ad parvum tempus in classe munera obeuntium, postquam cum metallicis male agitur, vos autem agricolæ ditiores estis, quam oportebat. Satis enim diu duobus patrimoniis frueris, altero naturalis patris Callippi, altero adoptivi Philostrati oratoris: neque his unquam quicquam præstitisti. Ac meus quidem pater utrique, et mihi et fratri, patrimonium reliquit quadraginta quinque minarum, unde vitam sustentare haud facile est: tui vero patres tantam habuere pecuniam, ut uterque tripodem dedicarit, in Bacchanalium ædilitate victor. Neque vero invideo: debent enim a divitibus juvari cives. Tu autem te ostende vel unum teruncium in rempublicam contulisse, qui duo munifica patrimonia suscepisti: sed non ostendes. Occultare enim et tergiversari et nihil non facere, ne

quid hisce in usum reipublicæ præstes, didicisti. Ego vero demonstrabo me, pauculis a patre acceptis, multa insumpsisse. Sed primum legem illam mihi legito, quæ non sinit quicquam quod in fodinis est declarare, et provocationem, deinde testimonia, ut constet Phænippum duas munificas familias hæreditate consecutum.

LEX. PROVOCATIO. TESTIMONIA.

8. Unica duntaxat Phænippi istius in vos, Judices, munificentia ostendi potest. Equos solerter et magno studio alit, ut adolescens et locuples et robustus. Quodnam ejus rei argumentum est? Vendito equo bellico ab equis descendit, et pro eo vehiculum sibi ista ætate comparavit, ut ne pedes ambulet,—usque adeo deliciis iste diffluit—: et hoc quidem mihi descripsit, sed hordei et vini et cæterorum quæ e fundo proveniunt ne decimam quidem partem. Operæ pretium nimirum est eum nunc missum facere, quoniam industriam suam et reipubl. studium tum corpore tum facultatibus declaravit? Multum certe abest. Bonorum enim judicum est, eos cives qui, cum rem habent, ultro largiuntur, qui in trecentorum classe sunt, si id eis opus fuerit, relaxare: ii vero qui se id perdere putant, quod in rempublicam contulerint, in eos qui primi tributum conferunt sunt referendi, neque permittendum ut fugiant. Recita primum testimonium, deinde declarationem ejus.

TESTIMONIUM. DECLARATIO.

Omitte ista, etsi enim multa domo extulit, Judices, Phænippus, resignatis ædificiis quæ consignata fuerant, ut vobis a testibus explicatum est, et relictis quæ ei visa sunt, secundo mense mihi dedit declarationem rei familiaris: sed tamen omitte ista. Recita ab eo loco deinceps, Super his hæc debeo.

DECLARATIO.

Desine. Ista Aristonoe, Judices, Philostrati filia est, istius mater. Ei se Phænippus dotem debere dicit, cujus eum leges dominum constituunt, in quo mentitur et non justa utitur indicatione. Cur enim ego, Phænippe, cum mater mea maneat in ædibus meis et vivat et dotem attulerit, dotem ejus in ære alieno non recenseo neque decipio Judices, sed mearum opum sino participem esse matrem, sive Phænippi, sive meas habeam facultates? Quia, bone vir, leges hæc jubent, tu autem contra leges ais omnia. Recita aliud.

DECLARATIO.

9. Auditis, Judices, Pamphilo inquit et Philoleo Rhamnusiis communiter talentum ex fundo debeo, et Aiacidæ Phlyensi quater mille drachmas, et Aristomeni Anagyrasio quatuordecim minas. Quamobrem igitur, Phænippe, cum ego testibus adductis te interrogarem, nunquid deberes propter fundum, et juberem ostendere libellos indices si qui forte adessent, et testes adhiberem, ne mihi postea fictitii creditores exsisterent, tum nullum æs alienum declarasti: postquam autem secundo mense mihi declarationem tradidisti, lege jubente id intra triduum fieri, nunc veniunt creditores, et æs alienum amplius trium talentorum? Quia, bone vir, nihil aliud struis, nisi ut quantum ego publice ærario debeo, tantundem et tu privatim debeas. Mentiri te autem, Phænippe, et cum perjurio ad hos venire, te manifeste convincam. Cape mihi, scriba, Aiacidæ et Theotelis testimonium, quibus iste se quater mille drachmas debere falso inscripsit, atque olim reddidit, non ultro, sed judicio damnatus. Recita.

TESTIMONIUM.

10. Eumne, Judices, qui ita palam in omnibus injuste fecit declarationem, qui neque legum ullam rationem habuit, quæ diffinierunt intra quæ tempora declaratio facienda sit, neque privatarum pactionum, quas æque firmas existimamus; præterea, qui signa conclavium aperuit, et frumentum domo exportavit et vinum; atque insuper materiam æstimatam post permutationem vendidit, quæ pluris quam triginta minarum fuit; et quod omnium maximum, æs alienum commentus est permutationis gratia: eum juste fecisse declarationem pronunciabitis? Minime vero, Judices. Quo enim vertere se debebit is cui in sententia vestra præsidii nihil erit, si homines divites et nunquam de vobis bene meriti, multum et frugum et vini percipientes, idque triplo pluris quam prius distrahentes, meliore fuerint apud vos conditione? Quod minime nunc fieri debet: sed quemadmodum publice juvistis omnes eos qui in fodinis laborant, sic et privatim me juvatote nunc. Etenim, si servus, non civis vester, essem, visa industria mea et studio erga vos, sublevassetis me sumptibus, et aliquem alium fugitivum comprehendissetis; eodem modo, ubi tria talenta solvero quæ debeo, et vires recuperaro, rursus sublevato calamitoso aliquo, ad me quoque venietis: nunc vero me missum ut faciatis, omnes vos oro, Judices, et, cum æqua dixerim, precor ut me juvetis, et ab istis exagitari ne patiamini.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS MACARTATUM DE HAGNIANA HÆREDITATE.

Hagnias et Eubulides consobrini fuerunt: horum alter, Hagnias, obiit sine liberis, Eubulides autem filiam reliquit Phylomacham, quæ agit in Hagnianam hæreditatem, ut genere proxima. Cum ea litigant Glaucus quidam et Glauco, non ratione propinquitatis, sed testamento freti. Quod cum in judicio adulterinum deprehensum esset, hæreditatem accipit Phylomache. Theopompus venit in judicium, assumptisque tum his ipsis qui causa ceciderant, tum præter hos Eupolemo, ad hæreditatis disceptationem arcessit Phylomacham. Permittebat enim lex unicuique in jus vocare victorem, et hæreditatis possessorem. Cum vero per fraudem concinnata esset actio, ut ait Sositheus, vincit Theopompus. Ac is quidem obit filio relicto Macartato. Phylomachæ autem nascitur filius, quem nominat Eubulidem. Et adoptandum dat patri suo Eubulidi, consobrino Hagniæ qui reliquerat hæreditatem; cumque adoptatum introducit ad curiales Hagniæ et Eubulidis. Quem curiales, ut qui jure introduceretur, receperunt. His actis, puer ad disceptationem hæreditatis vocat Macartatum Theopompi filium. Orationem habet Sositheus, naturalis pueri pater.

DEMOSTHENIS

CONTRA MACARTATUM

DE HAGNIANA HÆREDITATE ORATIO.

1. Quum prius etiam controversiæ nobis fuerint, Judices, cum istis iisdem de Hagniana hæreditate, neque ullum isti modum statuant iniquitati et violentiæ, dum quovis modo ea quæ ad se nihil attinent, obtineant, necesse fortassis est rem omnem ab initio repetere. Sic enim, Judices, et vos facilius omnia quæ dicentur intelligetis, et isti quales homines sunt, tales esse ostendentur; apparebit enim eos jam olim auspicatos minime adhuc a suis malis artibus recedere, ut qui existiment sibi quicquid in mentem inciderit perficiendum esse. Oramus igitur vos, Judices, ut nostram orationem cum benevolentia et attente ad finem usque audiatis: dabo autem et ego operam ut rem, quam fieri perspicue poterit, vos edoceam.

2. Pueri hujus mater, Judices, cum genere proxima esset Hagniæ ex Œo, in Hagniæ hæreditatem egit secundum leges vestras. Nec eorum qui tum de ea hæreditate contenderunt, se genere esse muliere propiorem, vel jurare quisquam ausus fuit—constabat enim inter omnes mulieris esse hæreditatem ratione propinquitatis—, sed Glaucus ille ex Œo, et Glauco frater ejus, et Theopompus Macartati pater, qui illis earum rerum omnium et auctor et adjutor fuit

et pleraque testimonia dixit, venerunt falso testamento concinnato. Quod quidem testamentum, cum ab eis oblatum esset, inventum est falsum: neque illi succubuerunt solum, sed et cum summa improbitatis opinione e judicio abierunt; Theopompus autem Macartati pater tum præsens, proclamante præcone, numquis agere in hæreditatem Hagniæ aut sacramento contendere vellet sive genere sive ex testamento, contendere sacramento non est ausus, sed ipse pronunciavit, ad se nulla ratione pertinere Hagniæ hæreditatem.

3. Quam cum mater pueri hujus, judicio victis adversariis omnibus, teneret, ita nefarii fuerunt isti, ut neque in legibus vestris neque in sententiis judicum acquiescendum sibi esse putarint, sed quo jure qua injuria mulieri rursus eripere hæreditatem quam ei vos adjudicaveratis instituerint: itaque conjuratione facta et fœdere inter se icto eoque apud Medeum Hagnusium deposito, Theopompus Macartati pater, et Glauco, et Glaucus prius victus, alio quodam familiarium quarto adhibito—Eupolemus ei nomen erat—, hi omnes communiter insidiati, citarunt mulierem ad prætorem ad disceptationem Hagnianæ hæreditatis, lege freti quæ juberet, eum qui adiisset hæreditatem et teneret citari, si quis in eandem agere vellet. Hos ubi prætor in judicium duxit, et causa agenda fuit, tum alia eis omnia præparata fuerunt ad judicium, tum aquæ, ad quam disceptandum erat, quadruplo plus nobis acceperunt: necesse enim, Judices, habebat prætor amphoram unicuique accusatorum infundere, et tres choas posteriori orationi. Proinde fiebat ut ego mulieris defensor, non modo de genere, et cæteris quæ dicenda erant, judicibus meo arbitratu narrare non possem, sed ne minimam quidem mendaciorum, quæ in nos congesserant, partem refutare: quintam enim aquæ partem habebam. Atque id artificium illud fuit, ut ipsi inter se colluderent ac mutuas traderent operas omniaque confiterentur, de nobis autem ea dicerent quæ nunquam facta sunt. Cum igitur ad eum modum insidia struxissent et conjunctis viribus nos oppugnarent, cadiscis quatuor ex lege positis, judices, quod equidem non miror, decepti inter sese dissenserunt, atque illis artificiis seducti id pronunciarunt, quod unicuique in buccam venerat: calculique paucis omnino plures, vel tribus vel quatuor, in Theopompi cadisco, quam in mulieris, sunt inventi.

4. Ac tum hæc acta fuerunt, Judices: posteaquam autem hoc puero nato tempus esse videbatur, ego non iratus ob ea quæ acciderant, sed humanum quiddam accidisse ratus illius temporis judicibus, introduxi ad curiales Hagniæ Eubulidem puerum hunc, ejus filia natum, ut ne ejus familia desolaretur. Is enim Eubulides, Judices, Hagniæ genere proximus, in primis quidem exoptabat a diis sibi nasci filium, quemadmodum ei et filia pueri hujus mater

nata erat. Cum autem eo voto frustratus mares liberos nullos omnino suscepisset, jam secundo loco cupiebat, e filia sibi adoptari filium in suam et Hagniæ familiam, et ad suos curiales introduci, quod existimabat, Judices, e reliquis hunc sibi esse conjunctissimum, et sic suam familiam rectissime conservari, et ab interitu vindicari. In quo ego ei obsecutus, ut qui Eubulidæ filiam haberem, judicio adeptus, tanquam genere proximus: introduxi puerum hunc ad Hagniæ et Eubulidis curiales; in quorum et Theopompus, dum vixit, Macartati pater, curia fuit iste ipse porro, Judices, et curiales Macartati, optime gnari generis, quum viderent istum quidem ipsum fugitare periculum, neque victimam ab ara abducere, quasi puer hic non legitime introduceretur, postulare autem ut ipsi pejerarent, calculis de ara Curialis Jovis, dum sacra arderent, desumptis, præsente Macartato, id quod justum erat, decreverunt, Judices, recte et convenienter puerum hunc Eubulidæ filium in Hagniæ familiam introduci. Quibus per curiales Macartati decretis, hic puer ut filius Eubulidis citavit Macartatum de Hagniæ hæreditate in judicium, et diem dixit apud prætorem, auctore adscripto fratre suo. Mihi enim, Judices, porro non licebat auctorem fieri, qui puerum in Eubulidæ familiam adoptassem. Atque ea citatio facta est a puero hoc ex eadem lege, qua freti et isti matrem hujus, quæ prius judicio vicerat et hæreditatem Hagniæ tenebat, accessierant. Recita mihi legem, qua actio in eum datur qui hæreditatem tenet.

LEX.

Sin de adita contendat hæreditate aut pupilla, citet eum qui hæreditatem tenet ad prætorem, quemadmodum fit in aliis causis: sacramento autem contendat petitor. Sin sine citatione petierit, imperfecta erit petitio hæreditatis. Sin is qui hæreditatem adiit superstes non fuerit, arcessat simili ratione eum, cui præfinitum tempus nondum est terminatum: disceptatio autem apud prætorem esto ea ratione, qua is egit, qui hæreditatem tenet.

5. Legem quidem audivistis: justam autem rem a vobis petam, Judices. Si ostendero Theopompo, patre Macartati, genere esse Hagniæ propiorem Eubulidem puerum hunc et Phylomacham, quæ est mater pueri, Eubulidæ filia; neque tantum esse genere proximos, sed in universum ne ullum quidem esse hominem in familia Hagniæ alium, quam matrem pueri hujus et ipsum hunc puerum: hæc si ostendero, quæso, Judices, ut nobis opem feratis. Ac primum quidem decreveram, Judices, in tabula descriptos omnes agnatos et gentiles Hagniæ, sic vobis ostendere singulos: sed quia eam non ex æquo spectare posse omnes judices, remotius præsertim sedentes, videbantur, necessarium fortassis est oratione docere vos, quæ res communis est omnibus. Conabimur autem et nos, quam facere brevissime poterimus, explicare genus Hagniæ.

6. Buselus fuit ex Œo, Judices; is quinque filios suscepit, Ha-

gniam, Eubulidem, Stratium, Habronem, et Cleocritum: hi omnes Buseli filii viri facti sunt, inter quos omnes Buselus facultates suas recte et juste, ut conveniebat, distribuit. Partiti facultates, uxorem quisque duxit ut leges vestræ jubent: et filii nati sunt eis omnibus et nepotes: factæque sunt ex unica Buseli quinque familiæ: et seorsim quisque habitavit, suam quisque domum habuit, et sobolem procreavit. De tribus igitur fratribus Buseli filiis eorumque posteris, Judices, quid ego vobis negotium facessam et mihi ipsi, de singulis memorando? Cum enim in eodem sint genere cum Theopompo et omnes æque Hagniam attingant, cujus est hæreditas, nullus eorum neque prius unquam neque nunc molestus nobis fuit aut litem movit, neque vel de hæreditate Hagniæ vel de muliere pupilla quam ego habeo in judicio nobiscum contendit, sed existimarunt nihil prorsus ad se attinere quicquid esset Hagniæ. Supervacaneum igitur mihi esse videtur quicquam de his dicere, nisi quatenus attingendum erit: de Theopompo autem Macartati patre, et ipso Macartato, de his est mihi necessario dicendum. Res autem, Judices, paucis expediri potest.

7. Ut paulo ante audivistis, Buselo quinque filios fuisse natos, horum unus fuit Stratius, a quo Macartatus oriundus est, et alter Hagnias, a quo puer hic originem ducit. Natus autem est filius Hagniæ Polemo, et filia Phylomache, soror Polemonis germana et uterina: Stratio Hagniæ fratre nati sunt Phanostrate et Charidemus Macartati avus. E vobis igitur quæro, Judices, uter conjunctior sit et propior Hagniæ, is Polemo filius, et filia Phylomache, an Charidemus Stratii filius, Hagniæ ex fratre nepos? Ego quidem certe opinor filium et filiam unicuique nostrum longe conjunctiorem esse, quam fratris sororisve filium; neque apud nos solum, sed etiam apud cæteros tum Græcos tum Barbaros hoc receptum est. Quod cum in confesso sit, facile jam cætera, Judices, intelligetis, et istos homines esse violentos et protervos, sentietis.

8. Polemonis enim Hagniæ filii filius fuit Hagnias, eodem cum avo suo Hagnia nomine. Et is quidem posterior Hagnias sine liberis decessit: Phylomachæ autem, sororis Polemonis, et Philagri —cui dedit eam frater Polemo, quippe patrueli suo: Philager enim filius fuit Eubulidæ fratris Hagniæ—, Philagri sane patruelis Polemonis, filius fuit Eubulides maternus avus hujus pueri. Et hi liberi fuerunt Polemoni, et, sorori Polemonis, Phylomachæ: e Charidemo autem natus est, Stratii filio, Theopompus pater Macartati. Denuo igitur quæro, Judices, uter conjunctior sit et propior Hagniæ, primo illi, Polemonis filius Hagnias, et Eubulides Phylomachæ filius et Philagri, an Theopompus Charidemi filius, Stratii nepos? Ego existimo, Judices, si quidem et filius multo conjunctior est et filia, rursus, e filio et e filia natum filium, hos esse conjunctiores, quam nepotis e fratre filium, et eum qui est ex alia familia. Ac Theopompo filius Macartatus: Eubulidæ autem Phylomachæ filio, qui respectu patris Philagri Hagniæ patruelis fuit, puer hic natus est, Hagniæ conjunctus ut filius patruelis fratris, quoniam Phylomache, mater Eubulidæ, et Polemo, pater Hagniæ, fratres fuerunt germani et uterini. Macartato autem, filio Theopompi, nihil genitum est, quod sit in familia hujus et Stratii.

9. Quæ cum ita sint, puero huic nomen est ex eorum numero quæ legibus jubentur, et quatenus lex propinquitatem extendi jubet: consobrini enim Hagniæ filius est, pater enim ejus Eubulides consobrinus fuit Hagniæ, cujus est hæreditas. At Theopompus, pater Macartati, nullum ei nomen lege sancitum imponere potuisset: ex alia enim fuit Stratiana familia. Neque vero convenit, Judices, ut quisquam mortalium, qui sit ex alia familia, Hagniæ hæreditatem habeat, dum aliquis superfuerit in Hagniana familia natus, aut vi quenquam inde ejiciat, id quod isti agunt, cum sint et genere remotiores et non in eadem familia: hoc enim illud est, Judices, quo Theopompus, Macartati pater, fucum judicibus fecit. Quinam igitur restant? Qui adhuc sint in Hagniæ familia, Phylomache uxor mea, Eubulidæ autem filia patruelis Hagniæ, et hic puer, introductus filius in familiam Eubulidæam et Hagnianam. Theopompus autem, Macartati pater, cum ex Hagniæ familia non esset, ingenti mendacio decepit Judices et de Phylomacha, Polemonis sorore, amita Hagniæ, quam negaret esse Polemonis, Hagniæ filii, germanam et uterinam sororem; et rursus, cum jactaret se esse Hagniæ gentilem, qui nunquam fuit. Hæc vero Theopompus secure omnia dicebat, nullo quidem teste adhibito, qui nobis in judicio rationem redderet: sed quod assensores habebat socios, qui mutuas tradebant operas, atque adeo communi consilio agebant omnia, ut eriperent a muliere hujus pueri matre hæreditatem, quam ei vos decreveratis.

10. Volo igitur, Judices, eorum quæ dixi apud vos testimonia proferre, ut constet, primum evicisse hæreditatem Hagniæ Eubulidæ filiam Phylomacham, genere proximam, post de cæteris omnibus. Lege testimonium.

TESTIMONIUM.

Testantur se affuisse apud arbitrum Nicophemo prætore, cum evicerit Phylomache, Eubulidæ filia, hæreditatem Hagniæ contra omnes qui ei controversiam faciebant.

Ac evicisse Phylomacham, Eubulidæ filiam, hæreditatem Hagniæ, audistis, Judices; evicit autem nullo improbo conatu aut conjuratione, sed cum nos, quam fieri justissime potest, ostendissemus, eam esse genere proximam Hagniæ, cujus est hæreditas, quippe quæ sit patruelis filia, et e familia Hagniæ. Si Macartatus igitur dixerit,

patrem suum Theopompum evicisse hæreditatem hanc, vos ei, Judices, respondete, mulierem candem evicisse hæreditatem prius etiam quam Theopompum Macartati patrem, et juste evicisse mulierem, ut quæ esset e familia Hagniæ, Eubulidæ filia patruelis Hagniæ: Theopompum autem non evicisse, sed decepisse, ut qui ex Hagniæ familia omnino non esset. Hæc vos ei, Judices, respondete, atque illud etiam, puerum hunc Eubulidem, Eubulidæ filium, Hagniæ, cujus est hæreditas, patrueli genitum, nec a Theopompo Macartati patre, neque ab ullo mortalium unquam esse victum: et nunc controversiam et judicium esse, de hæreditate Hagniæ, huic Eubulidæ filio et Macartato isti filio Theopompi, quorum uter æquiora dicere et legibus magis consentanca videbitur, ei nimirum vos Judices assentiemini. Lege reliqua testimonia: primum, Phylomacham, Hagniæ amitam, sororem fuisse germanam et uterinam Polemonis Hagniæ patris; deinde cætera omnia recitabuntur de genere.

TESTIMONIUM.

Testantur se populares esse Philagri Eubulidæ patris, et Polemonis Hagniæ patris, et scire Phylomacham, Eubulidæ matrem, habitam sororem esse Polemonis, patris Hagniæ, germanam et uterinam, neque ex ullo unquam audivisse, fuisse fratrem aliquem Polemoni Hagniæ filio.

ALIUD.

Testantur Œnantham, matrem avi sui Stratonidæ, Polemonis patris Hagniæ patruelem sororem fuisse, seque audisse e patre suo, Polemoni patri Hagniæ nullum unquam fuisse fratrem, sororem sed fuisse Phylomacham, germanam et uterinam, matrem Eubulidæ, patris Phylomaches quæ Sositheo nupsit.

ALIUD.

Testatur se cognatum esse et curialem et popularem Hagniæ et Eubulidæ, et audisse de patre suo et cæteris cognatis, nullum fuisse fratrem Polemoni Hagniæ patri, sed sororem germanam et uterinam Phylomacham, matrem Eubulidæ, patris Phylomachæ quæ Sositheo nupsit.

ALIUD.

Testatur avum suum esse Archilochum, ab eoque se adoptatum esse, cognato Polemonis patris Hagniæ, et audisse de Archilocho et cæteris cognatis, nullum unquam fuisse fratrem Polemoni patri Hagniæ, sed sororem fuisse germanam et uterinam Phylomacham, matrem Eubulidæ, patris Phylomaches Sosithei uxoris.

ALIUD.

Testatur patrem suæ uxoris Callistratum, fratrem patruelem fuisse Polemonis patris Hagniæ et Charidemi patris Theopompi, matrem vero suam sobrinam esse Polemonis, quæ sæpe ad se dixerit, Phylomacham, matrem Eubulidæ, sororem fuisse Polemonis patris Hagniæ germanam et uterinam, neque ullum unquam fuisse fratrem Polemoni Hagniæ patri.

11. Priore actione, Judices, cum conjurassent isti inter se, conjunctisque copiis multi unam mulierem oppugnarent, nos, Judices, neque testimonia scripsimus de rebus confessis, neque testes citavimus, sed putavimus hæc nobis in tuto esse collocata: isti autem et alia multa impudenter ad judicium comparant, neque quicquam aliud eo quidem tempore curabant, quam ut judices in præsentia fallerent, cum quidem hoc mendacio abuterentur, Polemoni Hagniæ patri omnino nullam fuisse sororem germanam et uterinam. Adeo erant impudentes et væcordes, ut tanta in re deciperent judices itaque manifeste, et in hoc magno studio summaque contentione incumbebant: nos autem vobis nunc tot testes adduximus de sorore Polemonis, Hagniæ amita. Isti vero testetur qui volet, aut, non fuisse fratres germanos et uterinos Polemonem et Phylomacham, aut, non fuisse Polemonem filium, Phylomacham autem filiam Hagniæ Buseli filii, aut, Polemonem non fuisse patrem Hagniæ, cujus est hæreditas, neque sororem Polemonis Phylomacham, ejusdem amitam, aut, Eubulidem non fuisse Phylomachæ filium, et Philagri patruelis Hagniæ, aut illud, Eubulidæ patruelis Hagniæ filiam non esse, quæ adhuc superstes est, Phylomacham, neque puerum hunc, legibus vestris adoptatum in Eubulidæ familiam, aut, Theopompum, Macartati patrem, ex familia fuisse Hagniæ. Horum quicquid libitum erit testetur aliquis: sed satis scio neminem ita audacem futurum, aut deploratæ fidei hominem. Ut autem perspicuum vobis sit, Judices, eos prius per calumniam fuisse superiores, neque quicquam æqui attulisse, lege testimonia quæ adhuc sunt reliqua.

Pater,	Polemon	Fratres	et Phylomache,	mater.
et filius,	Hagnias	Patrueles	et Eubulides,	filius.

TESTIMONIA.

Testatur se cognatum esse Polemoni Hagniæ patri, et audisse e patre suo fratres fuisse patrueles Polemonis, Philagrum Eubulidæ patrem, et Phanostratam Stratii filiam, et Callistratum patrem matris Sosithei, et Euctemonem eum qui regno functus est, et Charidemum patrem Theopompi et Stratoclis; et esse cum hujus filiis et Hagnia in eodem genere Eubulidem a patre suo Philagro, sin mater ejus Phylomacha spectatur, Eubulidem Hagniæ patruelem existimari ex amita ortum Hagniæ.

ALIUD.

Testantur se cognatos esse Polemoni patri Hagniæ, et Philagro patri Eubulidæ, et Euctemoni regno functo, et scire Euctemonem fratrem fuisse Philagri patris Eubulidæ eodem patre natum, et, cum Eubulidæ disceptatio esset de hæreditate Hagniæ instituta, adhuc superstitem fuisse Euctemonem fratrem patruelem Polemonis patris Hagniæ, neque contendisse Euctemonem cum Eubulide de hæreditate Hagniæ, neque tum alium quemquam ratione propinquitatis.

ALIUD.

Testantur patrem suum Stratonem cognatum fuisse Polemoni patri Hagniæ, et Charidemo patri Theopompi, et Philagro patri Eubulidæ, et audisse e patre suo, Philagrum duxisse uxorem primam Phylomacham sororem Polemonis patris Hagniæ eodem et patre et matre ortam, et natum esse Philagro e Phylomacha Eubulidem, defuncta autem Phylomacha, uxorem aliam duxisse Philagrum Telesippam, et natum esse Menestheum fratrem Eubulidæ patre quidem eodem, sed matre non eadem, et, cum Eubulides hæreditatem Hagniæ petiisset ratione generis, eandem neque Menestheum petiisse, neque Euctemonem fratrem Philagri, neque alium quemquam ratione generis contendisse tum cum Eubulide.

ALIUD.

Testatur patrem suum Archimachum cognatum fuisse Polemoni patri Hagniæ, et Charidemo patri Theopompi, et Philagro patri Eubulidæ, seque e patre suo audisse, Philagrum duxisse uxorem primam Phylomacham sororem Polemonis eodem patre et matre ortam, ac natum esse e Phylomacha Eubulidem, Phylomacha autem defuncta, aliam duxisse uxorem Philagrum Telesippam, et natum esse Philagro e Telesippa Menestheum fratrem Eubulidæ patre quidem eodem, sed matre non eadem, qui Eubulides cum hæreditatem Hagniæ ratione generis peteret, neque Menestheum tum fecisse Eubulidæ controversiam de hæreditate, nec Euctemonem fratrem Philagri, nec alium quemquam ratione generis.

ALIUD.

Testatur avum suum maternum Callistratum fratrem fuisse Euctemonis regno functi et Philagri Eubulidæ patris, eos autem patrueles fuisse Polemonis patris Hagniæ et Charidemi patris Theopompi, seque audisse e matre sua, fratrem non fuisse Polemoni patri Hagniæ, sororem fuisse natam eodem et patre et matre Phylomacham, et eam Phylomacham nupsisse Philagro, et ex eis esse natum Eubulidem patrem Phylomachæ Sosithei uxoris.

Hæc testimonia recitanda necessario fuere, Judices, ut ne idem nobis accideret, quod prius, cum imparati oppressi sumus: multo autem evidentius etiam contra se testimonium dicet Macartatus, patri suo Theopompo nihil omnino deberi ex Hagniæ hæreditate, cum sit remotior genere Theopompus atque adeo nec ex eadem familia prorsus.

12. Si quis enim sciscitetur, Judices, iste quis est qui cum puero hoc de Hagniæ hæreditate litigat? Satis vos scio responsuros, Macartatum. Quo patre genitus? Theopompo. Qua matre? Apolexide filia Prospaltii, sorore Macartati Prospaltii. Theopompus cujus fuit patris? Charidemi. Charidemus cujus? Stratii. Stratius cujus? Buseli. Hæc est, Judices, Stratii familia, unius Buseli filiorum: et posteri Stratii sunt hi quos audivistis: neque hic ullum usquam nomen est eorum qui sunt ex Hagniana familia, ac ne consimile quidem. Rursus igitur sciscitor puerum hunc, quisnam ipse sit qui cum Macartato de Hagniæ hæreditate contendat? Nihil prorsus aliud respondere queat puer, quam se esse Eubulidem.

Quo patre natus? Eubulide Hagniæ patrueli. Qua matre? Phylomacha, ex Hagniæ patrueli fratre nata. Eubulides cujus fuit patris? Philagri patrui Hagniæ. Cujus matris? Phylomachæ amitæ Hagniæ. Hagnias porro cujus fuit filius? Polemonis. Polemo cujus? Hagniæ. Hagnias cujus? Buseli. Hæc altera est familia Hagniæ, unius filiorum Buseli: et hic nequaquam inest idem nomen quod est in familia posterorum Stratii, ac ne consimile quidem; sed ipsi per se in Hagniæ familia progrediuntur, nomina a se invicem accipientes. Undelibet igitur et modis omnibus alterius esse familiæ convincuntur genereque remotiores, neque quicquam eis ex Hagniæ hæreditate deberi: quibus enim legislator propinquitatem det et hæreditatem, hæ vobis leges recitabuntur.

LEX.

Quisquis intestatus moritur, siquidem liberos muliebris sexus reliquerit, filii cum hisce: sin minus, hi bona possidento. Sin fratres fuerint germani et si liberi e fratribus legitimi, patris partem sortiuntor: sin fratres non fuerint aut fratrum liberi, ex eis, eadem ratione sortiuntor. Præferuntor autem mares et a maribus propagati, si ex iisdem fuerint, et si genere remotiores. Si vero non fuerint a patre usque ad sobrinorum liberos, ii qui sunt a matre viri pari ratione potestatem habento. Sin ex neutra parte intra hos fuerint, a patre proximus obtineto. Spurio autem, aut spuriæ, jus ne esto propinquitatis, neque item sacrorum, neque publicorum, ab Euclide prætore.

Aperte dicit lex, Judices, quibus adeunda sit hæreditas: non ita me Deus amet Theopompo, aut Macartato Theopompi filio, qui prorsus in Hagniæ familia non sunt. Sed cui? Posteris Hagniæ, qui sunt in familia Hagniæ illius. Hæc et lex loquitur, et jus ita habet.

13. Neque vero, Judices, cum hæc legislator cognatis dederit, alia multa omnino non mandavit, quæ cognatis necessario facienda sunt: sed plurima sunt, quæ lex facere jubet cognatos, neque ullum effugium relinquit quo minus ea facere sit necesse. Quin ipsam legem primum recita.

LEX.

Pupillarum aliquam, quæ in proletariorum ordine sunt, si habere noluerit genere proximus, dote data elocato, patricius, quingentis drachmis; eques, trecentis; semieques, centum quinquaginta præter ea quæ ipsa habet. Si vero plures fuerint in eadem familia, pro portione quisque pupillæ conferat. Quod si mulieres plures fuerint, ne necesse sit cognato plus una elocare: sed proximus aut elocato, aut ipse ducito. Quod nisi genere proximus eam vel elocarit, vel duxerit, prætor eum cogat aut elocare, aut ipsum ducere. Quod ni prætor coegerit, debeat mille drachmas, sacras Junoni. Citet autem eum qui detrectarit quivis ad prætorem.

Quid lex dicat, Judices, auditis. Cum autem de pupilla disceptandum esset Phylomacha hujus pueri matre, nata ex patrueli Hagniæ, ego veni legem metuens, et eam mihi vindicavi cum essem

genere proximus: Theopompus autem Macartati pater prorsus non accessit, neque controversiam movit, quod nihil ad ipsum attineret, idque cum esset eadem ætate. Quam absurdum autem esse putatis, Judices, cum Theopompus de pupilla, quæ fuit Haguiæ patrueli nata, cum nemine unquam litigarit, ut postulet Hagniæ sibi hæreditatem tribui contra omnes leges? Quid istis hominibus fieri queat impudentius aut sceleratius? Recita etiam cæteras leges.

LEX.

Homicida in foro postuletur ab iis qui sunt intra consobrinitatem et a consobrinis, non persequantur eundem et consobrinorum liberi, et generi, et soceri, et sobrini, et curiales. Sin cum eo redeundum in gratiam fuerit, si pater superstes erit, aut frater, aut filii, aut omnium, aut ejus qui prohibet, valebit auctoritas. Sin horum nemo erit, et cædem invitus fecerit, idque quinquaginta et unus Ephetæ pronunciarint invitum fecisse cædem, intromittantur curiales si volent decem: ab his autem quinquaginta et unus ex optimatibus deligantur, et qui prius cædem fecerunt hac sanctione teneantur. Qui vero in municipiis desiderantur, quos nemo sustulerit, eos indicet tribunus cognatis ut tollant et sepeliant et populus eo die lustretur, quo die singuli desiderati fuerint. Denuncietur autem de servis domino, de ingenuis iis qui in bonis sunt. Sin mortuo bona non erunt, mortui cognatis denuncietur. Quod si post tribuni denunciationem cognati non sustulerint, tribunus tollendum cadaver locet et sepeliendum et lustrandum eo die populum, quam minimo poterit. Sin non locarit, debeto mille drachmas ærario. Quicquid autem impenderit, duplum a debentibus exigito. Quod nisi fecerit, ipse debeto popularibus. Qui autem locationes lucorum Minervæ, et cæterorum Deorum, et Heroum, non reddiderint, infames et ipsi sunto et eorum hæredes, donec solverint.

Hæc omnia quæ leges jubent facere cognatos, nos jubent et facere cogunt, Judices: cum Macartato autem nihil loquuntur, neque cum Theopompo patre ejus. Neque enim in familia Hagniæ sunt in universum: quo pacto igitur istis quicquam mandarent?

14. Ac iste quidem, Judices, ad refutandas leges et testimonia quæ nos exhibuimus, justi nihil afferre potest: sed indignatur et inique secum agi dictitat, qui patre mortuo reus fiat. Illud autem, Judices, non considerat, patrem suum hominem fuisse mortalem, et cum aliis multis obiisse, et senioribus et junioribus. Etsi autem Theopompus obiit, leges non obierunt, neque jus obiit, neque judices pronunciandi auctoritate præditi. Agitur autem in hoc judicio et in hac disceptatione, non uter prior aut posterior obierit, sed utrum conveniat necne expelli ex domo Hagniana patrueles, et patruelium liberos Hagniæ, ab iis qui sunt e Stratii familia, et ei non ita conjuncti, ut Hagniæ hæreditatem adire possint, sed genere remotiores. De hoc igitur controversia est.

15. Sed et ex hac lege certius etiam cognoscetis, Judices, quantum Solon legislator studium habeat domesticorum; neque relicta duntaxat eis bona det, sed etiam difficilia quæque cognatis mandet. Recita legem.

LEX.

Defunctum intus proponunto suo arbitratu: cadaver autem postridie quam proposuerint, ante solis exortum, efferunto. Viri cum effertur funus antecedunto, mulieres pone sequuntor. Mulieri autem nefas esto in bona defuncti ingredi; itemque sequi cadaver, cum in monumenta ducitur, annis sexaginta minori, iis exceptis quæ intra sobrinas sunt: nec in bona defuncti ingrediatur, postquam elatum cadaver fuerit, mulier ulla, iis exceptis quæ intra sobrinas sunt.

Non sinit ingredi, quo in loco cadaver fuerit, ullam aliam mulierem nisi cognatas usque ad sobrinitatem, et ad sepulcrum usque comitari easdem sinit. Jam Phylomacha Polemonis soror, patris Hagniæ, non consobrina fuit Hagniæ, sed amita; soror enim fuit Polemonis patris Hagniæ: Eubulides autem filius ejus mulieris frater patruelis fuit Hagniæ, cujus est hæreditas: Eubulidæ porro filia fuit hujus pueri mater. Cognatas hasce jubet et adesse propositioni defuncti et ad sepulcrum comitari, non Macartati matrem, neque Theopompi uxorem. Neque enim cognatæ istæ sunt Hagniæ: sed fuerunt ex alia tribu Acamantia, et ex alio municipio Prospaltio, adeo uti prorsus non animadverterint defunctum esse Hagniam. Rem igitur isti supra modum impudentem moliuntur, si in ea opinione sunt oportuisse nos et mulieres nostras cadaveris Hagniæ, cum obiisset, hæredes esse, et persolvere omnia justa, ut cognatos et genere proximos: hæreditatem autem defuncti Hagniæ tenere Macartatum; qui est e familia Stratii, et ex Apolexide Prospaltii filia, Macartati sorore. Sed hoc neque justum, neque fas est, Judices. Lege mihi illa ex oraculo Apollinis Delphico, ut intelligatis, eum eadem dicere de cognatis quæ legibus Solonis continentur.

ORACULUM.

Quod felix faustumque sit, quærit populus Atheniensis de ostento quod in cælo apparuit, quidnam agendum sit Atheniensibus, aut cui deo sacrificandum aut vota nuncupanda, ut faustus sit ostenti eventus. Prodest Atheniensibus de ostento quod in cœlo apparuit, sacrificando litare Jovi summo, Minervæ summæ, Herculi, Apollini servatori; et mittere ad Amphictyonas de fortuna bona. Apollini Compitalitio, Latonæ, Dianæ, et compita suffire, et crateras statuere et saltare; et coronas gestare patrio ritu, diis deabusque Olympiis omnibus, dextris sinistrisque sublatis meminisse munificentiæ, patrio ritu heroi principi, a quo cognominati estis, sacra facere et munera offerre, et parentalia defunctis præstari statis diebus a cognatis secundum instituta.

Auditis, Judices, eadem loqui Solonem in legibus, quæ deum in oraculo, jubentem ut defunctis cognati statis diebus inferias dent. At nihil horum curæ fuit Theopompo, aut Macartato: sed illud duntaxat, ut ea tenerent quæ ad eos non pertinerent, et queruntur, sibi nunc moveri controversiam de hæreditate, quam longo tempore tenuerunt. Ego vero sic existimo convenire, Judices, ut is qui aliena injuste tenuit non queratur se ea diutius tenuisse: sed gra-

tiam habeat non nobis sed fortunæ, quod multæ et necessariæ dilationes interim inciderunt, ut nunc demum de eis nobiscum certent.

16. Isti autem tales homines sunt, Judices, ut nihil curent, neque familiam Hagniæ desolatam, neque cætera, in quibus leges violant. Qui quidem, proh divum hominumque fidem,—reliqua narrare quorsum attineret? multa enim dici queant—, unum maxime et nefarium et legibus contrarium facinus perpetrarunt, quo potissimum ostenderunt, sibi nihil aliud esse curæ nisi pecuniam. Nam cum primum Theopompus nobiscum de hæreditate Hagniæ disceptarat, eo modo, quem audistis, statim declaravit existimare se, aliena se occupare. Quod enim maximi erat pretii in prædiis Haguiæ, et maximæ admirationi erat vicinis et aliis hominibus, oleæ, eas effoderunt et exstirparunt amplius mille stirpes, quæ magnam olei copiam afferebant, eas isti exstirpatas vendiderunt et immensam argenti copiam receperunt, eaque fecerunt isti, cum actioni obnoxia esset hæreditas Hagniæ ex ea lege, qua isti freti matrem hujus accusarant. Ut autem me vera dicere appareat, et istos exstirpasse oleas constet ex iis prædiis quæ Hagnias reliquit, horum testes vobis producemus vicinos, et ex cæteris quos accersivimus, cum testificaremur. Recita testimonium.

TESTIMONIUM.

Testantur se securos accersitos a Sositheo ad Araphena in Hagniæ agros, cum Theopompus Hagniæ hæreditatem crevisset, et sibi ostendisse Sositheum oleas dum exstirparentur ex Hagniæ agro.

Quod si, Judices, solum in defunctum injurii fuissent, graviter peccassent, sed non adeo: nunc istæ injuriæ et contumeliæ ad totam rempub. pertinent. Idque ita esse lege audita cognoscetis. Recita legem.

LEX.

Si quis oleam Athenis effoderit, nisi ad templum Atheniensium publicum aut municipale requiratur, in suos usus usque ad binas oleas quotannis, nisi ad funus iisdem utendum sit, centenas de singulis oleis drachmas ærario debeto; atque ejus mulctæ decimæ Minervæ sunto. Debeto et homini privato, a quo reus peractus fuerit, centenas drachmas in singulas oleas. Actio autem harum rerum apud eos magistratus instituatur, quarum quique judices sunt. Et actor sportulas ponat suæ partis. Qui autem condemnatus fuerit, eum prætores inscribunto apud quos judicium fiet exactoribus de eo quod in ærarium redit, quæstoribus Minervæ de eo quod deæ consecratum est: quod ni inscripserint, ipsi debento.

Lex quidem hæc firma est: illud autem cogitate ipsi vobiscum, Judices, quidnam putetis nos perpessos esse superiore tempore ab istis istorumque petulantia, qui tantam vestram urbem contempserunt et leges vestras, et, quod aperte legibus interdictum est, adeo contumeliose prædia devastarunt quæ reliquit Hagnias. Lex autem vetat vel in proprio patrimonio ista fieri: multum scilicet isti curant, an legibus vestris obtemperent, aut Hagniæ familia desoletur.

17. Ego vero de meipso pauca dicam apud vos, Judices, atque ostendam, aliter quam istis curæ mihi fuisse Hagnianam familiam, ut ne interiret: nam et ipse sum Buselini generis. Habronis enim Buseli filii neptem e filia duxit Callistratus, Eubulidæ filius, Buseli nepos: et ex Habronis nepte et Callistrato nepote Habronis nata est mater nostra. Ego vero matrem hujus judicio evictam duxi; natique mihi filii sunt quatuor, una filia. His nomina imposui, Judices, hæc, natu maximo Sosiæ patris mei, ut æquum est; et natu maximo id nomen restitui. Proxime ab hoc nato nomen feci Eubulidæ, quod nomen fuit patri matris pueri hujus. Ei qui hunc sequitur Menesthei nomen imposui: nam et Menestheus cognatus uxori meæ fuit. Minimo nomen feci Callistrato, quod nomen patri matris meæ fuit. Præterea filiam etiam nulli alieno collocavi, sed fratris mei filio, ut si valuerint, et horum liberi ex eadem sint cum Hagnia familia. Ac ego quidem eam rationem inii, qua maxime familiæ oriundæ a Buselo conservarentur: in istos autem rursus inquiremus. Sed legem prius hanc recita.

LEX.

Prætor curam gerat pupillorum, et pupillarum, et familiarum quæ intereunt, et matronarum quæ manent in ædibus maritorum defunctorum se uterum ferre dicentes: horum curam gerat, neque sinat eis injuriam fieri, aut quicquam in eos iniquum committi: et potestatem habeat auctoritate magistratus infligendæ pœnæ. Sin graviore pœna dignus videbitur, accersitum accuset, et mulcta suo arbitrio inscripta, in Heliæam introducat. Quod si convictus fuerit, pronunciet Heliæa quid ei sit luendum aut solvendum.

Quo autem pacto magis ulli familiam alicujus exstirpare possint, quam si Hagniæ genere proximos expulerint ii, qui sunt ex alia Stratii familia?

18. Et rursus, si hæreditatem Hagniæ postulat, ut cognatus, nomen autem habet nedum ex Hagniæ familia, sed nec e Stratii sui progenitoris; atque adeo, cum tanta fuerit Buseli posteritas, ne illorum quidem ullius nomen habet. Nam unde est Macartati nomen? A materna familia: adoptatus enim iste est in familiam Macartati Prospaltii, avunculi sui, et illam etiam habet familiam. Atque ita injurius est, ut nato sibi filio, eum etiam in Hagniæ familiam introducere sit oblitus, idque cum Hagniæ hæreditatem teneat, et ejus se gentilem esse profiteatur. Sed eum filium Macartato avunculo adoptandum dedit in Prospaltium municipium, Hagnianam autem familiam quantum in se fuit exstingui passus est: qui idem dicit patrem suum Hagniæ fuisse agnatum. Cum autem

Solonis lex jubeat mares et a maribus procreatos potiores haberi: iste adeo expedite et leges et Hagniam contempsit, ut filium suum in maternam familiam adoptandum dederit. Qui fieri possint homines istis iniquiores, aut violentiores?

19. Neque vero hoc solum commiserunt, Judices, sed cum Buselidæ omnes commune monumentum habeant,—idque monumentum Buselidarum nominetur, amplum spatium circumseptum, ut antiqui solebant—, in eo monumento, cæteri omnes orti a Buselo siti sunt, Hagnias, Eubulides, Polemo, et reliqui omnes tanta multitudo, universi denique orti a Buselo id monumentum commune habent. Macartati autem pater ejusdemque avus eo monumento usi non sunt, sed ipsi privatim sibi monumentum fecerunt procul a Buselidarum monumento. Num videntur vobis, Judices, quicquam ad Hagniæ familiam attinere, nisi quatenus ea quæ nihil ad ipsos attinent erepta occuparunt? Sed utrum intereat Hagniæ familia, et Eubulidæ Hagniæ patruelis, eorum etiam nomine abolito, ejus rei cura nec minima illis unquam fuit.

20. Ego autem, Judices, opitulor equidem, quantum possum maxime, defunctis illis: sed non omnino facile est istius apparatibus adversari. Trado igitur, Judices, vobis hunc puerum ita curandum, ut vobis æquissimum videbitur. Hic adoptatus est in familiam Eubulidæ, et introductus ad curiales non meos, sed Eubulidæ, Hagniæ, et Macartati. Et, cum introduceretur, cæteri curiales clam suffragia ferebant: Macartatus autem aperto suffragio decernebat recte introduci filium Eubulidæ puerum hunc, cum victimam tangere nollet, aut ab ara abducere seque reddendæ rationi reddere obnoxium, sed et parte carnium a puero hoc accepta, ut et alii curiales, abiit. Existimate igitur, Judices, puerum hunc ante vos jacere supplicem pro defunctis Hagnia et Eubulide et cæteris ab Hagnia oriundis, atque illos ipsos vobis supplicare, Judices, ne sua familia exstinguatur ab immanibus istis belluis, quæ cum sint e Stratiana familia, ex Hagniana fuerunt nunquam: neque permittatis istis tenere aliena, sed ea restituere cogatis in Hagnianam familiam cognatis Hagniæ. Ego igitur et illis opitulor defunctis, et legibus hisce de rebus latis. Vos autem oro, Judices, obsecro, et obtestor, ne vel puero huic insultari patiamini ab istis, vel majores ejus magis etiam despici, qui nunc contempti erunt, si isti obtinuerint quæ volunt; sed leges tuemini, et defunctos curate, ne eorum familia exstinguatur: quæ, si feceritis, et quæ æqua sunt, et pro vestra fide, et vobis ipsis utilia decernetis.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS LEOCHAREM DE HÆREDITATE.

Archiada sine liberis defuncto, Leocrates hæreditatem cepit, quod et cognatus ejus esset, et se ab Archiada adoptatum esse diceret. Ac ad tempus eam ipse tenuit. Deinde filio suo Leostrato suo loco Archiadæ adoptato, familia cedit, et in suam redit, quasi ea res lege liceret. Idem fecit etiam Leostratus, et pro se in Archiadæ familia relicto filio nomine Leocrate, ipse in sui naturalis patris familiam rediit. Postremus igitur hic Leocrates Archiadæ adoptatus orbus decessit: cujus hæreditatem adiit Aristodemus, asserens se genere proximum esse Archiadæ, cujus ab initio illa fuerit, et propter illum Leocrati postremo adoptivorum. Leochares autem, defuncti frater, de hæreditate contendens, in primis ille quidem adoptione nititur, ut filius Leocratis adoptativus: sed tamen etiam se Archiadæ cognatum esse asserit. Is vero, qui Aristodemum defendit, generis propinquitatem Aristodemo dare hæreditatem, adoptionem autem commentitiam esse affirmat. Neque enim vivens, inquit, Leocrates sibi Leocharem adoptavit, ut leges præcipiunt, sed sub ejus obitum ut nos bonis fraudaremur contra leges facta est adoptio. Orationem habet Aristodemi filius.

DEMOSTHENIS

ADVERSUS LEOCHAREM

DE HÆREDITATE ORATIO.

1. Culpa Leocharis fit, Judices, ut et ipse in jus vocetur et ego adolescens apud vos verba faciam, quod eas hæreditates capere studet quæ nihil ad ipsum attinent, et propter eas falso apud prætorem testificatus est. Nobis enim necesse fuit, cum lex genere proximis propinquitatis jus tribuat, ut Archiadæ cognatis qui ab initio hæreditatem reliquit, cavere, ne vel ejus familia exstingueretur, vel hæreditas ad eos devolveretur, ad quos minime pertineret: iste autem cum nec genere sit defuncti filius, nec legibus adoptatus, ut ego ostendam, adeo temere falsum testificatus est, et nobis eripuit hæreditatem. Oro autem vos, Judices, ut et patri huic meo et mihi opem feratis, si quæ æqua sunt dixerimus, neque negligatis homines pauperes, et inopes, et iniqua factione potentum oppressos.

2. Nos enim veritate freti huc ingressi sumus, bene agi nobiscum putantes si quis nos frui legum præsidiis patiatur: isti autem factionibus et largitionibus niti non destiterunt. Neque vero mirum. De alieno enim sumptus haud gravate faciunt; proinde et suæ

causæ defensores et falsos testes multos compararunt: pater vero meus—dicetur enim—una cum paupertate, ut vos omnes nostis, et imperitia rerum manifestis testimoniis pugnat. Nam in Piræeo præconium factitat: id quod non modo paupertatis argumentum, sed et occupationis est quæ lites sectari prohibebat; qui enim talem quæstum facit, eum necesse est totos dies in foro esse. Quæ vos reputantes cogitabitis, nos, nisi justitia freti essemus, nunquam in conspectum vestrum fuisse prodituros. Sed quæ hujus generis sunt, progressu orationis, clarius audietis: de ipsa autem contestatione et causa, nunc videtur esse disserendum.

3. Quod si, Judices, ex ipsa contestatione Leochares petiturus defensionem atque ostensurus esset, se germanum esse Archiadæ filium, nihil opus esset multis verbis, neque necessarium nos a primordio inde nostrum genus percensere: sed quia se contestatio aliter habet, atque isti maximam orationis partem in eo consument, se adoptatos esse, et cum germani filii sint, ratione propinquitatis jure percepturos hæreditatem, necesse nobis est, Judices, propter has causas paulo altius genus nostrum vobis exponere. Hoc enim perspicue cognito, verbis eorum non decipiemini. Nam hæc controversia disceptatio est de hæreditate: in eam vero agimus nos ratione generis et propinquitatis, isti ratione adoptionis. Confitemur autem coram vobis ratas esse oportere adoptiones, quæ legibus rite factæ fuerint. Quare vos, horum fundamentorum memores, si ostenderint vobis leges ea permittere quæ ipsi contestati sunt, decernitote eis hæreditatem: sin legibus id quidem demonstrare non poterunt, sed æqua tamen et humana dicere videbuntur, etiam sic concedimus. Ut autem sciatis nos genere esse proximos, neque eo niti solum, sed et cæteris omnibus, primum vos de ipso genere docebimus, unde hæreditas est: existimo enim, si hanc causæ partem liquido cognoveritis, fore ut nec cæterorum quicquam vos prætereat.

4. Principio, Judices, nati sunt Euthymacho Otrynensi filii tres, Midylides, Archippus, Archiades, et filia cui nomen fuit Archidice. Hi patre defuncto, Archidicen Leostrato Eleusinio collocant. Ex ipsis vero tribus Archippus triremi præfectus Methymnæ diem obiit. Midylides non multo post tempore ducit Mnesimacham, Lysippi Crioensis filiam, eique filia nascitur nomine Clitomacha, quam ille voluit fratri suo qui cœlebs erat dare. Cum autem Archiades sibi non esse in animo uxorem ducere diceret, sed et patrimonium propterea indivisum esse passus, seorsim Salamine habitaret: sic tandem Midylides suam filiam Aristoteli Pallenensi despondet, avo meo, e quo nascuntur filii tres, Aristodemus pater hic meus, Habronichus patruus, et Midylides qui nunc obiit.

5. Ac generis quidem nostri propinquitas, in quo est hæreditas, sic fere habet, Judices. Archiadæ enim nos a viris sumus genere proximi, et, quoniam ejus hæreditatem hac lege postulamus neque genus ejus exstingui patimur, apud prætorem in hæreditatem egimus: isti autem, qui bona per injuriam detinent, nunc contestati sunt, in universum quidem adoptione nitentes, sed et cognatos esse se dictitantes. Sed de ea adoptione quo pacto se habeat, perspicue vos postea docebimus: de genere autem, non esse eos propinquiores nobis, id vobis cognoscendum est.

6. Unum igitur in confesso est, inter hæredes potiores esse mares et maribus progenitos; simpliciter enim a virili stirpe proximis, si liberi nulli sunt, lex hæreditates restituit: hi vero nos sumus. Sine liberis enim decessisse Archiadem constat, ei autem nos a virili, atque adeo etiam a muliebri stirpe iidem, nos proximi sumus. Midylides enim frater fuit Archiadæ: Midylidæ autem filia, mei patris mater. Proinde Archiades, cujus hæreditatem vendicamus nunc, mei patris matri patruus fuit, a viris ea cognatione orta, non a mulieribus. Leostratus autem iste et remotior est genere, et a muliebri stirpe Archiadæ conjunctus. Leocratis enim avia paterna soror fuit Archiadæ illius, et Midylidæ, a quibus nos oriundi hæreditatem postulamus. Primum igitur, Judices, genus nostrum ita se habere, uti dicimus, ut appareat testimonia vobis legentur: deinde lex ipsa quæ et familiis et a virili stirpe proximis hæreditates tribuit. Capita enim controversiæ, et ea de quibus jurati pronunciabitis, hæc fere sunt. Voca mihi testes huc, et legem recita.

TESTES. LEX.

Quæ igitur ad genus, et istorum et nostrum, attinent, sic habent, Judices. Proinde qui ipsis testimoniis ostenderunt, se esse genere propiores, hæreditatem percipere debent, neque contestati desperatio potior esse institutis vestris. Nam si adoptione nituntur, nos ea uti facta sit ostendemus. Cum autem filius adoptivus orbus utique obierit, et familia illius usque ad nostram actionem deserta fuerit, an non et genere proximos hæreditatem recuperare, et vos, non ad decipiendum optime instructis, sed affectis injuria civibus opem ferre par est? Nam si in nostra potestate esset, ostenso genere et ipsa contestatione, descendere, eorumque nihil quæ diximus plura verba requireret, vobis diutius molesti non essemus: postquam autem isti legibus non nituntur, sed eo quod superioribus temporibus rerum aliquid ante occuparunt et interceperunt, et in bona invaserunt, his argumentis utentes se adisse hæreditatem dicent, necessarium sane est etiam de his dicere, atque ostendendum istos omnium hominum esse violentissimos.

7. Nam ab initio, Judices, elocant sororem suam Midylides et

Archiades Leostrato Eleusinio: post, e filia illius elocatæ sororis illorum nascitur Leocrates pater Leostrati. Considerate, ut unus de multis in Archiadæ cognationem iste pertineat, de quo contestatus est. Quæ cum ita se haberent, Archiades matrimonium non contrahit, Midylides autem frater ejus, avus istius, uxorem ducit: et quia nondum patrimonium partiti erant, sed uterque habebat quantum satis esset, Midylides in urbe permanet, Archiades Salamine habitat. Non multo autem post, cum Midylides avus patris mei extra Atticam peregre forte abiisset, in morbum incidit Archiades et mortem obit, absente Midylide, homo cœlebs. Quod ejus rei signum est? Puer situlam ferens est Archiadæ sepulcro impositus. Eo tempore, cognationis a mulieribus ortæ prætextu, Leocrates Leostrati pater se adoptat filium Archiadæ, et sic in bona invadit, tanquam ab eo vivente adhuc adoptatus. Reversus Midylides et id factum indigne ferebat, et judicio Leocratem persequi statuerat. Sed suadentibus cognatis et precantibus ut in familia Leocratem adoptivum Archiadæ filium esse pateretur, concessit Midylides, non judicio victus, sed omnino ab istis circumventus; deinde sane etiam domesticis obsecutus. Ac Midylides his actis mortem obit: Leocrates autem Archiadæ bona tenet, et hæreditatem percipit multos annos, ut ejus adoptivus filius. Nos vero, quod ea Midylides concesserat, quievimus.

8. Non multo autem post—quæ deinceps dicentur diligenter attendite, Judices—Leocrates adoptatus Archiadæ, relicto in ea familia Leostrato filio legitimo, ipse redit in Eleusinios, unde erat oriundus: ac ne tum quidem nos quicquam earum rerum quæ ad hæreditatem attinent movimus, sed quæ acta erant rata habuimus. Rursus autem Leostratus ipse, qui adoptivus esset filius et relictus in Archiadæ familia, revertitur ad Eleusinios, ut et pater suus, relicto in ea familia germano filio, per tres personas primitiva adoptione contra leges confirmata. Qui enim cum legibus consentiat, cum ipse filius adoptivus, filiis adoptivis relictis, in suam familiam sit reversus? Idque ad hunc usque diem facere non destitit; eoque pacto se nos hæreditate fraudaturos putant, quæstum faciendo et liberorum instar victum ex Archiadæ bonis petendo, atque inde semper in paternam familiam redeundo, ac eam quidem sartam tectam conservando, illam autem consumendo.

9. Sed tamen, quamvis ista ita fierent, nos quod dixi toleravimus omnia, quo usque? Donec Leocrates in Archiadæ familia relictus filius orbus decessit. Quo sine liberis defuncto, pertimus ut nobis genere proximis Archiadæ relicta ejus bona tribuantur; et non defuncto, qui ipse fuit adoptivus, filius in fraudem nostram adoptetur. Quod si ipse vivens fecisset, quanquam id factum contra leges esset, non repugnassemus: sed quia neque natura fuit ei filius ullus, ne-

que ullum vivens ille adoptavit, lex autem hæreditates genere proximis tribuit, nonne utraque ratione æquum est nos bonis non fraudari? Nam et Archiadæ, cujus fuere bona ab initio, genere proximi sumus, et adoptivo Leocrati. Illius enim pater, ad Eleusinios reversus, necessitudinem illam ex lege ipse sibi præcidit: nos vero, in quorum erat familia, arctissimam cognationem retinuimus, cum essemus ejus sobrini. Proinde, si vis, ut Archiadæ cognati hæreditatem petimus, si vis, ut Leocratis. Qui cum sine liberis decesserit, nemo est ei quam nos genere propior: et quantum in te quidem fuit exstincta est, Leostrate, familia. Propter bona enim conjunctionem eorum virorum qui te adoptarant tuebaris. Quoad enim, eo defuncto, hæreditatem nemo petebat, nullum Archiadæ filium adoptabas, postquam autem nos ejus cognati in medium venimus, tum adoptas, ut bona retineas: cum nihil esse dicas Archiadæ, a quo sis adoptatus, contestaris contra nos, et genus nostrum quod in confesso est expellis. Quod si nihil est in ædibus, quid tibi decedit si nos nihil illud ex hæreditate percipimus? Sed enim ejus impudentia et avaritia talis est, Judices, ut existimet oportere se et in Eleusiniis paterna bona regressum obtinere, et eorum etiam quæ per adoptionem occupavit, cum non sit filiusfamilias, potiri: atque hæc omnia facile perficit, qui, cum de alieno contra nos homines pauperes et inopes largiatur facileque omnia conficiat, multo est superior. Quapropter vos etiam opitulari oportere arbitror hominibus nihil iniqui petentibus, sed eo contentis, si quis nos legum frui præsidiis patiatur. Quid enim agendum nobis est, Judices, adoptione per tres pervagata, et postremo in Archiadæ familia relicta, qui cum sine liberis decesserit, nonne tandem aliquando nostrum recuperabimus? Hoc igitur jure freti, ad prætorem eos citavimus. Leochares autem ita confidenter falsum contestatus, oportere nos existimat contra omnes leges fraudari hæreditate.

10. Primum igitur, ut constet, illa de adoptionibus et genere istorum vere nos dixisse, et puerum cum situla Archiadæ monumento esse impositum, hæc vobis testimonia recitabimus: dein et cætera perspicue vos edocebimus, ut istos falsæ contestationis convincamus. Cape testimonia, quæ dico.

TESTIMONIA.

Proinde rei ratio et simplex jus hæreditatis ita se habet, Judices; et eorum quæ inde ab initio acta sunt ipsa capita fere omnia audistis: quæ autem post actionem de hæreditate institutam fecerint, et quo pacto nos tractarint, dictu necessarium existimo. In hæreditatis enim judiciis tam inique cum nemine arbitror esse actum, quam nobiscum.

11. Defuncto enim Leocrate, et funere ei facto, nobis in possessionem euntibus propterea quod vir ille et cœlebs et orbus decessisset, eduxit nos Leostratus, sua esse asserens: ac quod nos defuncto justa persolvere prohibuit, cum ipse pater illius esset, excusationem fortassis habet, quanquam iniquum erat id facinus. Ei enim qui natura pater est curationem mandari funeris par est: deinde tamen etiam necessariis nobis, quorum ratione adoptionis cognatus erat defunctus. Postquam autem justa persoluta fuerunt, qua lege ostendet, se, deserta familia, nos genere proximos dejecisse bonis? Eo scilicet quod defuncti pater erat? Atqui reversus erat in paternam familiam, neque jam ejus patrimonii, in quo reliquerat filium, dominus. Quod ni ita est, quæ legum est utilitas? Facta igitur dejectione, ut plurima omittamus, actionem apud prætorem de hæreditate instituimus, cum neque natura, ut dixi, ullus esset defuncto filius, neque adoptio facta legibus. Post hæc Leostratus sacramento certat, asserens se illius Archiadæ esse filium, neque cogitans vel se redisse in Eleusinios, vel adoptivos non ipsos a semetipsis, sed ab adoptantibus constitui: verum illud, opinor, omnino in animum induxerat suum, oportere se quo jure quaque injuria appetere aliena. Ac primum in Otrynensium concionalem tabulam se inscribere, cum esset Eleusinius, conabatur, idque procurabat: deinde priusquam in Otrynenses relatus esset, particeps esse studebat communium rerum, tantumque designare facinus impellente avaritia instituebat. Quo nos animadverso, factum id testibus adhibitis prohibuimus: postulantes ut hæreditate prius apud vos disceptaretur, quam ad Archiadæ nomen quisquam adoptaretur. Prohibitus autem, et injuriarum et ad tabulam et in foro magistratuum convictus, coram multis, nihil vi agendum censuit, cum se vestris legibus calliditate et opibus fore superiorem speraret.

12. Ejus rei argumentum quodnam est? Convocatis paucis Otrynensibus et tribuno plebis persuadet, cum album apertum fuerit, ut inscribatur: ac postea venit in magnis Panathenæis sub distributionem ad theatralem pecuniam; cumque alii populares acciperent, petebat ut et sibi daretur, utque in album nomine Archiadæ inscriberetur. Cum vero nos testificaremur, et non ferendum id esse alii dicerent, abiit nec inscriptus nec theatrali accepta pecunia. Eum igitur qui contra decretum vestrum theatralem pecuniam postulat, priusquam in Otrynenses inscribatur, si alterius municipii sit, non putatis hæreditatem contra leges petiturum? Est vero credibile, qui tam iniquas prærogativas ad explendam avaritiam suam ante judicii cognitionem molitur, eum causa niti? Nam qui pecuniam theatralem inique postulavit, is de hæreditate nimirum eodem est animo. Quin prætorem etiam actione ex sponso decepit, et contra nos rescripsit Otrynensem esse se in Eleusinio municipio habitantem.

13. Cum autem nihil ei horum succederet, proximis hisce comitiis, subornatis quibusdam popularium, postulavit se inscribi ut adoptivum Archiadæ filium. Nobis autem adversantibus et postulantibus, ut post factam de hæreditate disceptationem suffragia ferrent, prius autem non: in eo paruerunt non propter semetipsos, sed propter leges. Non ferendum enim esse videbatur, ut qui ex sponso in hæreditatem ageret sese adoptaret, re nondum dijudicata.

14. Quod autem post hæc instruxit Leostratus, id est omnium gravissimum. Nam cum inscriptio ei negaretur, adoptat Archiadæ Leocharem filium contra omnes leges, ante factam populi approbationem. Qui cum nondum introductus esset ad curiales Archiadæ, sed duntaxat inscriptus, persuasit uni curialium, ut eum inscriberet in curialium album. Ac deinceps in contestatione apud prætorem eum describit, ut qui filius defuncti legitimus esset multos annos, qui heri et nudiustertius inscriptus fuerat. Ita fit ut uterque sibi hæreditatem vendicet. Nam et Leostratus sacramento de hæreditate contendit, ut legitimus Archiadæ filius, et Leochares contestatus est, se filium esse legitimum ejusdem patris: cum neuter viventi illi, sed uterque defuncto se adoptet. Nos vero, Judices, æquum putavimus, postquam vos hanc causam cognoscetis, tum demum e genere proximis defuncto filium adoptari, ne intereat ejus familia.

15. Primum igitur, Judices, ex Otrynensibus Leostratum in Eleusinios redisse, relicto Archiadæ filio legitimo, et, patrem ejus idipsum fecisse prius, et, illum qui relictus in familia fuerat orbum decessisse, et, eum qui nunc contestatus est prius in populares quam in curiales esse inscriptum, uti constet, iis de rebus vobis et curialium et municipum testimonia recitabuntur, de cæteris item et iis quæ nos ab istis facta memoravimus omnibus, vobis testimonia singulatim exhibebo. Proinde mihi testes accersito huc.

TESTES.

Rem igitur omnem audistis, Judices, et ea quæ ab initio in hac hæreditate facta sunt, et quæ post evenerunt, ut primum nos agere instituimus: reliquum autem est, ut et de contestatione ipsa dicamus, et de legibus quarum auctoritate hæreditatem postulamus; et ut, dum aqua suppetit et quoad sine vestra molestia fieri poterit, ostendamus ea quæ ab istis dicentur, neque justa esse neque vera. Ac primum contestationem vobis scriba recitabit, quæ attente audienda erit: de ea enim nunc pronunciabitur.

CONTESTATIO.

Contestatus igitur iste est, ita sane sicut audivistis, in Archiadæ hæreditatem agi non posse, cum ei sint naturales liberi firma auctoritate ex instituto. Quæramus igitur, sint ne ei liberi, an iste falsum contestatus sit. Archiades ille, cujus est hæreditas, adoptavit istius qui nunc contestatus est avum: is vero, legitimo filio relicto patre istius Leostrato, ad Eleusinios rediit: post hæc ipse Leostratus itidem, relicto filio, in paternam familiam rediit: ille vero ab eo postremus relictus omnium adoptatorum sine liberis decessit, proinde familia deserta rediit hæreditas rursus ad eos qui ab initio genere proximi fuerunt. Quo pacto igitur, quod istius contestatione affirmatur, filii aliqui Archiadæ reliqui esse possent, cum et adoptivi ejus se regressos esse fateantur, et is qui postremus in familia relictus est orbus decesserit? Proinde necesse est familiam esse desertam: quæ deserta cum sit, liberi superesse nequeunt. Iste igitur contestatus est eos qui non sunt esse; et in contestatione scripsit, cum sint liberi, qui unum se esse asserit.

16. At cum dicit naturales firma auctoritate ex instituto, imposturam facit contra legem. Nam illud est esse naturalem, si quis semine satus fuerit, et hoc testatur lex his verbis, quam desponderit pater aut frater aut avus, ex ea naturales ac legitimi liberi sunto: verbum porro rata auctoritate legislator de adoptionibus usurpavit, quod existimabat, si quis, orbus suorum bonorum dominus, filium adoptarit, ratum id esse. Iste vero natura nullum Archiadæ filium esse ait: sed contestatus est cum sint naturales, contestatione facta rei contraria. Qui cum se adoptivum esse profiteatur, ab ipso defuncto ut constat non est adoptatus: proinde, quo pacto tibi ista porro rata erunt ex instituto? Propterea, nimirum, quod inscriptus est Archiadæ filius; ab istis scilicet nuper vi facta, cum lis de hæreditate jam contestata esset. Non est profecto justum injuriam argumenti loco adducere.

17. Nam illud, Judices, ferri qui potest, eum qui nunc incunctanter dicat se adoptivum esse, in contestatione id scribere non fuisse ausum: sed scriptum in contestatione ita esse ut de filio naturali, ea quæ mox dicentur ut de adoptivo? Quod si defensionem attulerint contestationi contrariam, aliter fieri qui potest quin aut defensio falsa sit aut contestatio? Nec ab re adoptionem in contestatione non posuerunt. Adscribendum enim eis fuisset, a quo essent adoptati: ille autem eos non adoptavit, sed ipsi sese adoptantes nos hæreditate spoliant.

18. Jam ut pergamus ad alia, qui non absurdum simul et iniquum est, quum sacramento contenderit de hæreditate apud prætorem, quasi esset Archiadæ filius Otrynensis, Leostratus iste Eleusinius: aliud esse contestatum, ut ipsi cernitis, dicendo, et alterum istum esse Archiadæ filium? Utri vestrum, ut vera dicenti, fides est habenda? Idipsum enim argumentum non minmium est falsam fuisse contestationem, quod eadem de re non idem controversiam facit. Neque injuria. Nam cum Leostratus sacramento nobiscum de hæreditate contenderet, nondum contestatus fuerat; nunc inscriptus est ut municeps. Quare omnium hominum infelicissimi erimus, si contestationi post rem factæ fidem habituri estis.

19. Quin antiquiora seipso contestatus est: is enim qui in Archiadæ familia nondum fuit, cum actio hæc de hæreditate institueretur, qui horum aliquid scire potest? Deinde, si injuste de semetipso contestatus esset, rationem haberet ipsa res, injuste quidem scripsisset, sed nihilominus pro eo qui pro ætate loqueretur: nunc germanos liberos Archiadæ illius scripsit esse, patrem suum nimirum et se ratione primæ adoptionis, non recordatus sese reversos esse in nativam familiam. Proinde necesse est antiquiores eum res, neque suis temporibus factas, esse contestatum. Et vos ei qui hoc ausus est creditis ut vera dicenti?

20. At, Hercule, de re e suo patre audita contestatus est: atqui lex vetat ea quæ e vivente audita sint, pro testimonio dicere, quæ e defuncto ea sinit. Nam illud etiam cogitate, cur tandem Leostratus non sese, sed istum, inscripserit contestationi?—nam de rebus antiquioribus natu majorem contestari oportebat—quod si maxime dixerit: hunc filium Archiadæ adoptavi. Proinde te, gestorem et auctorem rerum, earundem etiam rationem reddere oportebat, et quæ egeras tuo egisse periculo, omnino certe necesse est. Sed et hoc fugisti, et contestationi istum rerum omnium ignarum inscripsisti. Proinde perspicuum vobis est, Judices, contestationem non esse veram, idque isti ipsi confiteatur. Quin et illud justum est, non pati Leostratum mox dicere, quæ non fuit ausus inserere contestationi.

21. Neque vero ullum esse actionis iniquius genus et propter quod magis irascendum sit iis qui illo utuntur quam contestationes, inde potissimum cognoscetur. Primum necessariæ non sunt, ut cæteræ, sed a consilio et voluntate contestantis oriuntur. Nam si controversia non aliter explicari posset, nisi contestareris, fortasse contestari necesse esset: sin etiam sine contestatione in omnibus conciliabulis agendæ causæ potestas datur, nonne temeritatis et summæ desperationis argumentum est contestatio? Neque enim eam legislator necessariam fecit adversariis: sed, si contestari voluerint, concessit, veluti periclitans ingenia et mores singulorum, quantopere nobis libeat temere aliquid agere? Præterea quantum in

contestantibus est, neque curiæ essent, neque judicia fierent. Id enim contestationum ingenium est ut eæ hæc omnia prohibeant, et singula excludant quo minus in judicium veniant, quantum quidem est in voluntate contestantis. Quapropter existimo illud hominum genus pro communibus hostibus omnium esse rerum habendum, neque eos unquam apud vos disceptare. Ultro enim quisque contestandi periculum, non coactus, subit.

22. Ac falsam esse contestationem, tum e scriptis tum e dictis orationibus certo fere cognovistis: jam illud etiam, Judices, legibus nobis hæreditatem tribui, paucis vos edocebo, non quin id ex iis quæ initio diximus intellexeritis, sed ut instructiores sitis ad istorum mendacia justis rationibus repudianda.

23. In universum igitur, Archiadæ sumus, cujus est hæreditas, genere virili proximi; et adoptio, quam ille fecit, irrita est, quoniam cæteri in paternam familiam reversi sunt, is vero qui relictus fuerat sine liberis decessit: quæ cum ita sint, postulamus hæreditatem, nulla bona Leostrato erepturi (nam isti sua habent); sed ea recuperaturi quæ ab Archiade relicta legibus ad nos redierunt. Lex enim, Judices, jubet potiores haberi mares et maribus prognatos; qui nos sumus. Neque vero liberi fuerunt: qui vero sunt, ii nos sumus.

24. Deinde profecto non est æquum ut adoptivus filius alios adoptivos introducat, sed ut eos relinquat qui in familia nascuntur; quæ res si defecerit, ut cognatis hæreditates restituantur: hæc enim leges jubent. Qui enim non quisque vestrum propinquitate et jure generis excludetur, si adoptivis ista licentia concedetur? Videtis enim, assentationibus plurimos delinitos et dissensionibus cognatorum sæpe alienatos, filios adoptare: quod si adoptato contra legem quemvis adoptare licuerit, nunquam familiis hæreditates restituentur. Quod ut præcaveret legislator, vetuit ne qui ipse adoptatus esset filium adoptaret. Qua ratione iste definiit? Cum inquit, naturali filio relicto in familia revertatur, aperte sane significat, non esse adoptandum. Fieri enim non potest ut naturalem quisquam filium relinquat, nisi quem ipse procrearit. Tu autem, Leostrate, postulas, defuncto illi in nostram familiam adoptato, adoptivum in hæreditatem introducere, quasi tuas possessiones, et non genere proximo tradendas, invaderes.

25. Nos vero, Judices, si defunctus aliquem adoptasset, quanquam lege non sinente, pateremur: aut, si testamentum reliquisset, id quoque ratum haberemus. Nam ab initio tales perpetuo fuimus, ut istis bona occupantibus non adversaremur, et pro sua libidine retrorsum abeuntibus: postquam autem nunc tandem et ab istis ipsis et a legibus res in lucem prolata et constituta est, et hæreditatem nobis tribuendam censemus Archiadæ, et penes nos esse filii

adoptationem, qui prius adoptati non sumus, non penes istos. Si quidem jure, opinor, legislator, ut et calamitates cognatorum et elocationes mulierum genere proximis mandavit, sic et hæreditates et bonorum perceptionem iisdem restituit. Quod vero est omnium maximum vobisque notissimum, Solonis lex, nec testamentum facere adoptivum nec legare ea quæ sunt in familia cum adoptatur, sinit. Jure omnino. Nam auctoritate legum adoptato in alienas opes, non sic, ut de privatis rebus, est statuendum: sed ex præscripto legum, singula ita ut perscripta sunt facienda, sicut lex ait. Qui non adoptati fuerant, ait, cum Solon magistratum iniret, eis testamenti faciendi suo arbitratu jus esto: adoptatis vero testamenti factio ne esto, sed aut viventes relicto naturali filio in familiam redeunto, vel defuncti hæreditatem primis cognatis adoptatoris restituunto.

ARGUMENTUM PRIMÆ ORATIONIS IN STEPHANUM TESTEM.

Cum Apollodorus Phormionem accusaret, de mensæ pecunia, isque actioni exceptionem opponeret, Stephanus cum aliis pro testimonio dixit, Phormionem conditionem tulisse Apollodoro, si negaret exemplum esse testamenti paterni quod haberet Phormio, se exhibiturum testamentum ipsius Pasionis aperiendum, quod haberet et exhiberet Amphias: Apollodorum autem aperire noluisse. Id vero fuisse exemplum testamenti Pasionis. Hoc testimonium dixit Stephanus cum suis: cum autem Apollodorus contra Phormionem diceret, eum id testamentum confinxisse, totamque rem esse commentitiam, judicio victus Apollodorus, Stephanum de eo testimonio, tanquam falso, accusat.

DEMOSTHENIS

IN STEPHANUM TESTEM

ORATIO PRIOR.

1. Falso testimonio circumventus, Judices, et a Phormione injuriis ac contumeliis affectus, adsum ope vestra pœnas sumpturus de iis qui earum rerum causa mihi fuerunt. Rogo autem vos omnes, oro et obtestor, primum ut me cum benevolentia audiatis; magnum enim calamitosis, qualis ego sum, solatium est queri posse injurias, et a vobis impetrare ut benigne audiantur. Deinde, si affectus injuria videbor, ut pro jure meo me juvetis. Ostendam autem vobis Stephanum et falsa esse testatum et id turpis lucelli cupiditate inductum fecisse, et ipsum a sese accusari: tanta est rei perspicuitas. Dabo autem operam ut vobis, quam potero paucissimis, narrem quicquid egi cum Phormione: quibus auditis, et illius improbitatem, et istorum mendacia cognoscetis.

2. Mihi, Judices, magna pecunia relicta fuit a patre, quam cum Phormio haberet, etiam uxorem matrem meam duxit, me absente, publice vestra causa triremi præfecto,—quo autem pacto, parum fortasse deceat filium de matre accurate dicere—, id ego reversus postquam animadverti, et rem ut gesta erat vidi, etsi multum indignabar et rem graviter ferebam, privato tamen eum accusare judicio non potui—judicium enim eo tempore indictum erat, vosque judicia propter bellum differebatis—, sed actionem contumeliæ pu-

blicam apud Sexviros ei intendo. Intercedente autem mora, cum et actio eluderetur, et judicia non exercerentur, mater ex illo liberos suscipit. Et postea—dicetur enim ad vos, Judices, omnis veritas—multa et blanda verba fiebant a matre et deprecationes pro Phormione: multa etiam et modesta et humilia ab illo ipso. Ut autem, Athenienses, quo hæc paucis absolvam, nihil eorum quæ tum receperat sibi faciendum putabat, meque pecuniis fraudare instituebat quas mensæ habebat sortem, in jus eum vocare coactus sum, cum primum potestas data fuit. Ille vero cum intelligeret, omnia palam fore ac demonstratum iri se omnium hominum in nos sceleratissimum exstitisse, id machinatur et instruit, ut Stephanus falso me testimonio opprimeret. Ac primum actioni, qua reus agebatur, Phormio exceptionem opponebat non convenire mihi actionem asserens: deinde testes, me secum transegisse, falsos producebat, et locationis cujusdam commentitiæ, et testamenti nunquam facti. Cum vero mihi priorem dicendi locum præripuisset, propterea quod præscriptio erat, neque recto judicio congrediebatur: eaque legisset, et cætera, ut sibi expedire putabat, mentitus esset, ita commovit judices, ut ne vocem quidem ullam nostram audire vellent. Damnatus igitur etiam ad mulctam solvendam, ac ne respondendi quidem facultate impetrata, quemadmodum haud scio an cum ullo mortalium unquam actum sit, abii graviter, o Judices, et iniquo animo ferens. Sed, re cum animo meo cogitata, inveni iis qui tum judicarunt omnino esse ignoscendum—ego enim haud scio an quid aliud pronunciare potuissem, si et rerum actarum omnium fuissem ignarus, et dicta testium audivissem—, sed eis succensendum esse, qui falsis testimoniis dicendis harum rerum causa fuerunt. Ac de aliis quidem testibus, cum eos accusaro, tum dicam: de his autem quæ Stephanus pro testimonio dixit jam edocere vos conabor. Sed cape ipsum testimonium, et lege mihi, ut eo ipso rem demonstrem. Recita: tu autem aquam inhibe.

TESTIMONIUM.

Stephanus Meneclis F. Acharnensis, Scytha Harmatei F. Cydathenæensis, testantur se affuisse apud arbitrum Tisiam Acharnensem, cum Phormio provocaret Apollodorum, omnino exemplum esse testamenti Pasionis tabulas, quas conjecit Phormio in echinum, et jussisse testamentum Pasionis aperiri, quod apud arbitrum exhibebat Amphion Cephisophontis affinis: Apollodorum autem id aperire noluisse: fuisse autem exemplum testamenti Pasionis.

3. Audivistis testimonium, Judices: puto autem vos, tametsi nondum quicquam aliud sentiatis, illud ipsum certe demirari, testimonii principium esse provocationem, finem autem testamentum. Verum ego oportere existimo, postquam, id quod testimonii veluti

caput est, mendacium esse demonstravero, tum demum de tabulis a me verba fieri. Pro testimonio igitur dixerunt, obtulisse Phormionem testamentum aperiendum, quod exhibuerit apud Tisiam arbitrum Amphion Cephisophontis affinis: me vero id aperire noluisse: et fuisse id testamentum de quo ipsi dixerint, exemplum illius. Deinde testamentum scriptum est. Ego vero de iis conditionibus a Phormione mihi latis, aut non latis, nondum dico quicquam, neque de veritate etiam aut falsitate testamenti: quod iis de rebus statim vos docebo.

4. Sed illud quod testati sunt, me tabulas aperire noluisse, sic considerate, quanam de causa quisquam recuset aperire tabulas? Ut ne scilicet testamentum in conspectum judicum veniret? Quod nisi isti cum provocatione testamentum conjunxissent, detrectatio mea aperiendi rationis aliquid habuisset: cum vero utrumque suo testimonio conjungant, et judices æque audivissent, quid mihi lucri afferebat detrectatio? Nihil utique. Imo contra potius, Athenienses, etsi minime provocassent illi, et sermone tantum fuissent usi, et obtulisset eis aliquis tabulas, ut testamentum, meum fuisset provocare, et eas aperire. Ut, si alia quædam quam quæ isti testarentur inscripta essent, testes e circumstantibus multos facerem, eoque argumento cætera quoque eos confinxisse ostenderem: sin ea inscripta fuissent, ab eo qui exhibuisset postulassem ut ipse testaretur, qui si voluisset obnoxium eum habuissem, sin detrectasset, rursus id satis argumenti mihi fuisset rem esse commentitiam: quin etiam eo modo accidisset ut mihi cum uno res esset, ut vero isti testantur, cum multis. Est ne vestrum aliquis, qui hæc maluisset? Equidem opinor esse neminem. Proinde nec de alio credere idem debetis. Etenim, Athenienses, quæ res per iracundiam fiunt, aut propter lucri alicujus perceptionem, aut animi impetu, aut æmulatione contentionis, eas res aliter geri ab aliis prout ingenia et mores cujusque ferunt, nihil prohibet: a quibus autem rebus hæc omnia remota sunt, et quum ratio utilitatis sedato animo ducitur, quis ita væcors est, ut omissis profuturis, ea deligeret quæ causæ victoriam læderent? Nam isti, quæ nec credibilia nec probabilia sunt, ea sunt testificati de nobis.

5. Neque vero ex eo solum quod me tabulas aperire noluisse testes dixerunt, eorum mendacium perspicitur, sed ex illo etiam quod testimonio suo provocationem cum testamento conjungunt. Arbitror enim scire omnes vos, quæ res afferri ad vos nequeunt, earum rerum inventas esse provocationes: veluti, quæstiones haberi coram vobis nefas est, ejus rei necesse est esse provocationem; item, si quid extra nostram regionem factum est uspiam, necesse est et ejus esse rei provocationem, ut eo vel navigetur vel eatur ubi facta est; aliarumque similium rerum. Sed ubi res ipsas per sese conspectui vestro offerre licet, quid fuerit simplicius quam eas proferre in medium? Athenis obiit pater meus: factum arbitrium est in varia porticu: testati isti sunt Amphionem exhibuisse tabulas apud arbitrum. Quod si verum fuit, oportuit ipsas tabulas in echinum esse conjectas, et eum qui eas exhiberet testari, ut, e veritate et inspectione signorum, et judices rem cognoscerent, et ego, si quis mihi faceret injuriam, ejus ulciscendi potestatem haberem. Nunc nemo unus totam causam suscepit, neque plane testimonium dixit, ut is faceret qui vera vellet dicere: sed quisque partem, ut cautus nimirum propereaque pœnas non daturus; alius se habere tabulas, quibus inscriptum sit, TESTAMENTUM PASIONIS; alius se missum ab eo id attulisse, verumne autem an falsum sit ignorare; alii prætextu provocationis usi testamentum fuisse dixerunt. Ut si maxime crederent Judices patris mei fuisse testamentum, egoque causæ actione exclusus essem et vindicta injuriarum, isti tamen falsum dixisse testimonium deprehenderentur: quanquam ipsi diversum sperarunt. Ut autem intelligatis hæc a me vere dici, cape mihi Cephisophontis testimonium.

TESTIMONIUM.

Cephisophon Cephalonis F. Aphidnæus testatur sibi relictas esse a patre tabulas, quibus inscriptum esset, PASIONIS TESTAMENTUM.

6. Atqui simplex fuisset, Judices, ut qui hæc dixit adderet, esse autem eas tabulas, quas ipse exhiberet, et tabulas in echinum conjiceret. Sed id quidem mendacium ira dignum putavit, et nos de se pœnas sumpturos arbitratus est: tabulas autem sibi relictas esse dicere, id vero leve esse ac nihili. Cæterum illud ipsum est quod significet atque arguat, eos omnem rem confinxisse. Nam si testamento inscriptum fuisset PASIONIS ET PHORMIONIS, aut ACTIO CUM PHORMIONE, aut simile aliquid, jure id ille asservasset: at si, ut affirmat, inscriptum fuit TESTAMENTUM PASIONIS, cur ego id non sustuli? Cum quidem scirem me in judicium esse venturum; cum item scirem, siquidem tale fuit, commoditatibus meis fore contrarium: cum hæres essem et illius, siquidem mei patris fuisset, et reliqui patrimonii æque? Quod igitur testamentum et Phormioni exhibitum, et Pasioni inscriptum, et a nobis porro neglectum est, ex eo patet et commentitium esse testamentum, et falsum Cephisophontis testimonium. Sed omitto Cephisophontem: neque enim nunc mihi cum eo res est, neque ille testatus est de iis quæ testamento continentur quicquam. Quin illud etiam spectate, Athenienses, quanto argumento sit testes istos dixisse falsum. Cum enim is, qui se testamentum habere ipsum affirmavit, dicere non ausus fuerit exemplum id, quod Phormio exhiberet, ejus esse scripti, quod ipse asservaret; nec isti dicere queant se vel ab initio inter-

fuisse, vel apertas apud arbitrum vidisse tabulas, sed et ipsi affirmarint me aperire noluisse, cum eas exemplum esse illius testificati sint—aliosne, an vero semetipsos, mendacii coarguerunt?

7. Ad hæc, Athenienses, si quis testimonium uti scriptum est examinet, intelliget id in universum eos esse machinatos, ut quo jure quaque injuria pater meus id fecisse testamentum videretur. Cape vero ipsum testimonium, et recita ibique desinito ubi te jussero, ut ex ipso rem demonstrem.

TESTIMONIUM.

Testantur se affuisse apud arbitrum Tisiam, cum provocaret Phormio Apollodorum, omnino affirmat exemplum esse testamenti Pasionis.

Desine. Cogitate, scriptum esse *testamenti Pasionis*. Atqui oportebat eos qui vera dicere vellent, si maxime facta esset provocatio, sicut facta non est, illo modo dicere. Recita testimonium ab initio rursus.

TESTIMONIUM.

Testantur se affuisse apud arbitrum Tisiam,

Testamur: quippe qui affuerimus. Recita.

cum Phormio provocaret Apollodorum,

et hoc, si *provocasset*, recte dicerent.

omnino affirmat exemplum fuisse testamenti Pasionis.

Desine ibi. Nemo profecto jam testatus id esset, nisi quis etiam patri meo affuisset testamentum facienti, sed statim dixisset, *quid vero nos scimus, quodnam sit Pasionis testamentum?* et sic scribendum censuisset, quemadmodum in principio provocationis, *omnino affirmo ego exemplum esse testamenti ejus, quod Phormio asserit Pasionem reliquisse*, non, *Pasionis*. Hoc enim fuit testari, esse testamentum, quod istis fuit propositum, illud sic affirmare Phormionem: plurimum autem interest et *esse aliquid*, et *illum dixisse*. Ut autem sciatis, quantas et quam multas ad res pertinuerit confictio testamenti, paucis auscultate.

8. Primum id eo pertinebat, Athenienses, ut non pœnas daret corruptæ ejus, quam nec me dicere decet et vos, tametsi ego non dixero, scitis: deinde, ut obtineret eam pecuniam, quæ patri meo apud matrem meam fuerat: postremo, vt reliquis nostris bonis omnibus potiretur. Atque hæc ita se habere, etiam ipso testamento audito cognoscetis. Apparebit enim non patris, pro filiis scribentis, simile testamento, sed servi corruptoris herilium facultatum, idque ut ne pœnas det prospicientis. Recita vero eis testamentum, quod isti ante citationem testati sunt: vos autem considerate quid dicam.

TESTAMENTUM.

Hæc Pasio Acharnensis testatus est. Do meam uxorem Archippam Phormioni et dotem Archippæ addo talentum illud e Peparetho, item talentum ex eodem loco, ædes centum minarum, ancillas, et aurum, et cætera quæ domi habet, ea universa Archippæ largior.

Audistis, Athenienses, dotis magnitudinem, *talentum e Peparetho, talentum eodem ex loco, ædes centum minarum, ancillas, et aurum, et cætera*, inquit, *quæcunque ei domi sunt ei largior*: quo scripto nobis etiam inquirendi eorum aliquid quæ relicta sunt facultatem eripit.

9. Age vero et locationem vobis ostendam, ex qua iste mensam a patre conduxerat: nam et ex ea, quanquam commentitia, videbitis, commentum esse totum testamentum. Ostendam autem eam locationem, quam iste exhibuit, non aliam, in qua est adscriptum patrem undecim debere talenta isti ad deposita. Sunt autem ea, opinor, hujusmodi. Domesticam pecuniam, ut matri testamento legatam, in suam potestatem redegit, ut modo audivistis: eam vero quæ in mensa erat, quam omnes norant quæque cælari non poterat, ostendendo patrem nostrum obæratum esse, ut, quæcunque habere convinceretur, ea se recepisse assereret. Vos autem eum, quod genere sermonis insolentiore utitur, barbarum fortassis et hominem simplicem putatis: est vero barbarus odio in eos quos colere debebat, sed maleficiis et corruptela negotiorum nemine est inferior. Cape locationem et lege, quam eodem modo per provocationem injecerunt.

LOCATIO MENSÆ.

His conditionibus locavit Pasio mensam Phormioni: ut pro locatione mensæ Phormio filiis Pasionis bina talenta et quadragenas minas quotannis solvat, præter quotidianas impensas, ne vero liceat seorsim argentariam facere Phormioni, nisi a liberis Pasionis id impetrarit; debet autem Pasio ad mensam undecim talenta ad deposita.

Quam igitur pactionem exhibuit, ex qua conduxerit mensam, hæc est, Judices. Auditis autem in ea legi, istum locationis nomine pendere debere, præter quotidianas impensas, bina talenta et quadragenas minas quotannis: non licere autem ei argentariam seorsum facere, nisi nobis id persuaserit: postremo vero adscriptum est, debet autem Pasio undecim talenta in deposita. Est vero quisquam, qui ligni et loci et tabellæ tantam sustineret locationem? Est vero quisquam, qui ei, per quem mensa tantum æris alieni contraxisset, reliqua crederet? Si enim tot pecuniæ defuerunt, isto procuratore defuerunt. Scitis enim omnes, etiam cum pater argentariam fa-

ceret, istum sedisse et præfuisse mensæ. Quare in pistrino eum molere potius decuit, quam reliquis potiri. Sed omitto hæc, et alia quæ de undecim talentis dicere possem, unde cognosceretur patrem ea non debuisse, sed istum surripuisse. Sed qua gratia legi, ut ostenderem testamentum esse falsum, id vobis redigam in memoriam.

10. Scriptum est ibidem, non licere Phormioni argentariam facere, nisi id a nobis impetrarit. Hoc igitur scriptum indicat testamentum penitus esse falsum. Quis enim mortalium, quæ iste faciendo argentariam quæsiturus erat, ea ut nobis filiis, non isti, tribuerentur, cavisset? Proptereaque non licere isti facere argentariam scripsisset, ne a nobis se removeret: quæ vero ipse parta intus reliquisset, ea ut iste caperet, confecisset? Cui quæstum invidisset, de quo aliquid impartiri nulla turpitudo fuisset, ei uxorem dedisset, quo relinquere nullum majus dedecus potuisset, postquam vestro beneficio fuit ornatus? Tamen tanquam servus domino daret, non contra dominus servo, dotem adjecit, quantam in urbe neminem dedisse constat? Enimvero cum isto præclare actum fuisset si nuptias dominæ fuisset nactus: patrem autem, ne accepta quidem tanta pecunia, quantam eum isti dedisse ferunt, probabile fuit hæc fuisse acturum. Sed tamen quæ signis, quæ temporibus, quæ rebus ipsis falsa deprehenduntur, ea Stephanus testificari non dubitavit: postea passim dictitat, testificatum esse Nicoclem se gessisse tutelam ex testamento, Pasiclem testificatum esse se sub tutela fuisse ex testamento. Ego vero iis ipsis argumentis ostendi puto neque illos, neque hos, vera testificatos esse. Qui enim se gessisse tutelam ex testamento testatur, eum scire perspicuum est, ex quali. Quid igitur vobis in mentem veniebat ut in provocatione testimonium diceretis de testamento? cur non illos potius dicere sinebatis? Nam si illi quæ in eo scripta fuerint scire se negabunt, qui vos ea scire potestis, quos ipsa negotia nusquam vel minima ex parte attigerunt? Cur igitur alii testes alia dixerunt? Quod prius etiam dixi, partiti sunt inter se scelera. Atque se tutelam gessisse ex testamento qui dixit nihil se grave dixisse opinatus est, neque is qui se sub tutela fuisse dicit ex testamento—auferens uterque suo testimonio ea quæ sunt ab isto scripta in testamento—, alius reliquisse sibi patrem tabulas testamentum inscriptas, alius ejus generis alia: sed de testamento dicere testimonium, in quo est tantæ pecuniæ furtum, uxoris corruptela, nuptiæ dominæ, res tanti flagitii tantique dedecoris, nemo voluit, nisi isti, qui provocationem sunt commenti, de quibus æquum est totius technæ et maleficii sumi pœnas. Ne autem, Athenienses, ex iis solum quæ ego accuso atque arguo, falsa dixisse testem Stephanum vobis constet, sed et ex illius factis qui eum subornavit, quæ ille fecerit volo vobis explicare: quod vero initio dixi orationis, ostendam, eos a semetipsis accusari.

11. Actioni meæ, in qua ista testimonia dicta sunt, exceptionem opposuit Phormio, de non danda mihi actione, quod ego secum controversiam transegissem. Id autem ego mendacium esse scio, et coarguam, cum in eos testes egero qui illa dixerunt: iste vero hoc dicere non potest. Quod si veram esse creditis transactionem, sic iste falsi testimonii vel maxime convincetur, et commentitii testamenti fuisse testis. Quis enim ita est amens ut coram testibus transigat quo rata sibi sit transactio: pactiones autem et testamenta et reliqua, de quibus transegit, obsignata contra se jacere sinat? Proinde contraria est omnibus dictis testium exceptio; contraria item, quam vobis modo recitavi locationem, testamento illi: nihil denique actum est quod vel probabile vel simplex vel ipsum sibi consentaneum sit; sed hoc pacto commentitia et conficta ea esse omnia reperiuntur.

12. Verum igitur esse testimonium, neque istum ipsum, neque alium ejus patronum ostendere posse existimo: sed talem quandam defensionem esse meditatum audio, se provocationis esse reum, non testimonii, et, ad duo sibi esse respondendum, non ad omnia capita accusationis, primum an conditionem eam Phormio mihi tulerit necne, deinde, utrum eam ego non acceperim. Ea enim si simpliciter pro testimonio affirmasse dicet: cætera illum in provocatione posuisse, quæ verane an falsa sint, sua nihil interesse.

13. Adversus igitur eam orationem et impudentiam, optimum est paucis vos præmoneri, ne decipiamini. Primum igitur, cum dicere instituerit, se non omnium esse reum, cogitate, lege propterea cautum esse ut testimonium tabulis inscriberetur, ne quicquam scriptis vel addi vel detrahi posset. Tum igitur ea deleri jubere debuit, quæ se nunc dixisse negat, non nunc, postquam insunt, impudenter mentiri. Deinde illud etiam perpendite, nunquid me arrepta tabella quidquam adscribere pateremini. Non utique. Proinde nec isti ut deleat quicquam e scriptis permittendum est: quis enim unquam falsi testimonii convincetur, si et testabitur quæ volet, et quorum libitum erit rationem reddet? Sed non ita hæc vel distincta lege sunt, vel audienda vobis: sed illud simplex et rectum est, quid scriptum est? quid testatus es? hæc esse vera ostende. Nam litem ita contestatus es, vera sum testatus, testatus ea quæ sunt in tabula scripta, non illud, vel illud, in tabula. Ut autem hæc ita se habere constet, cape ipsam litis contestationem. Recita.

CONTESTATIO LITIS.

Apollodorus Pasionis F. Acharnensis reum fecit Stephanum Meneclis F. Acharnensem falsi testimonii, mulcta talentum. Falsum in me testimonium dixit Stephanus, dicendis iis quæ in tabula scripta sunt—verum dixi testimonium, dicendis iis quæ in tabula scripta sunt.

Hæc ita ipse rescripsit, quæ vos meminisse debetis, neque plus habere fidei fraudulentis istius verbis quæ nunc affert, quam legibus et iis quæ ipse in litis contestatione posuit.

14. Audio porro eos, de iis etiam rebus ob quas ab initio actionem institui, dicturos et criminaturos, calumniam eam fuisse. Ego vero, quo pacto locationem concinnarit, ut sortem mensæ obtineret, dixi et recensui vobis: de cæteris vero non potero simul dicere et istorum convincere testimonium, neque enim aquæ mihi satis est. Atque adeo ne vos quidem eos illis de rebus agentes jure audituros, inde scietis, si cogitabitis vobiscum, neque nunc difficile esse de quibus non accusatus sit verba facere, neque, falsis testimoniis recitatis, absolvi: neutrum autem horum esse justum quisquam dixerit, sed id potius, quod ego nunc postulo. Idque audite et considerate. Ego peto, quæ mihi argumenta eripuerunt, quo minus ad probanda crimina dici possent, ea nunc uti ne quærant: sed quibus testimoniis eripuerunt, ea testimonia uti vera esse ostendant. Quod si, cum causam egero, testimonia ut coarguam petent, ea vero quum persequor, de criminibus ab initio propositis dicere me jubebunt, neque justa neque vobis utilia dicent. Jurastis enim vos iis de rebus pronunciaturos, non quas reus postulet, sed de eis quæ in actione contineantur: eam vero necesse est accusatoris oratione explicari, qua ego istum falsi testimonii reum feci. Ne igitur hoc omisso ea dicat, de quibus non fit judicium: neque vos permittite, si forte iste frontem perfricuerit.

15. Arbitror autem eum, omni justa defensione destitutum, etiam ad hoc venturum, absurde me facere, exceptione victum, qui testamenti testes persequar: quod illius temporis judices magis propter transactionis, quam propter testamenti testes, Phormionem absolverint. Ego vero, Athenienses, scire omnes vos existimo, solere vos rem gestam non minus spectare, quam propter eam factas exceptiones. De rebus igitur ipsis isti falso in me testimonio dicto, mea de actione verba infirma reddiderunt. Sed his omissis ineptum est, cum omnes pro testimonio mentiti sint, quis eorum maxime nocuerit, declarare: et non potius singulos se vera dixisse ostendere. Neque enim, si alium atrociora commisisse demonstrarit, eum absolvi decet: sed si ipse vera se dixisse declararit.

16. Propter quod igitur, Athenienses, Stephanus exitio in primis dignus est, id ex me audite. Iniquum est, opprimere quemquam falso testimonio; sed multo iniquius et gravius vindicandum, id si fiat in cognatos. Non enim scriptas tantummodo leges talis homo, sed ipsius etiam naturæ conjunctionem, evertit. Id quod istum fecisse ostendetur. Ejus enim mater, soceri mei soror est: proinde uxor mea ei est consobrina, et liberi ejus et mei sunt sobrini. Nunquid putatis istum, si quid propter inopiam contra officium facere cognatas suas videret, id quod multi jam fecerunt, dote data eas elocaturum, qui, ne eæ sua recuperarent, falsa testari voluit, et pluris fecit Phormionis divitias, quam cognationis necessitudinem? Sed ut hæc a me vere dici constet, cape Diniæ testimonium, et lege: cita Diniam.

TESTIMONIUM.

Dinias Theomneti F. Athmonensis testatur se filiam suam Apollodoro legitimam uxorem dedisse; neque unquam affuisse, aut animadvertisse, Apollodorum de omnibus controversiis cum Phormione transegisse.

Est ne similis isti Dinias, Judices, qui pro filia, et filiæ liberis, et me genero, propter cognationem nec vera in istum testari vult? Sed non ita Stephanus, qui non dubitavit in nos mentiri pro testimonio, neque ut neminem alium, at matrem suam erubuit, dum cognatos maternos in extremam conjiceret paupertatem.

17. Quod autem facinus indignissimum pertuli, et quod me in agenda causa vehementissime commovit, Judices, id vobis explicabo. Nam et istius improbitatem magis perspicietis, et ego deploratis apud vos plerisque injuriis quasi onere quodam levatus videbor. Testimonium, quod me habere putabam, et quo causa mea maxime nitebatur, in echino non reperiebam. Tum igitur eo malo attonitus non aliud habebam, quam ut putarem magistratum facta mihi injuria echinum movisse: nunc, ut postea comperi, apud ipsum arbitrum, Stephanum id sustulisse reperio, cum ego, ut testi cuidam jusjurandum deferrem, surrexissem. Et hæc a me vere dici ut constet, primum vobis testabuntur hi qui istis affuerunt quique viderunt: neque enim eos ejuraturos esse puto. Sin ea fuerint impudentia ut facturi sint, provocatio vobis legetur, per quam et eorum perjurium palam deprehendetis, et istum surripuisse testimonium æque cognoscetis. At quisquis, Athenienses, alienorum furem appellari se non recusavit, a quo vobis abhorrere facinore videbitur? Recita testimonium, deinde provocationem hanc.

TESTIMONIUM.

Testantur se amicos et familiares esse Phormionis; et affuisse apud arbitrum Tisiam, cum arbitrium in causa Apollodori contra Phormionem fieret; scireque se Stephanum surripuisse id testimonium, quod eum surripuisse queritur Apollodorus.

Aut testamini, aut ejurate.

EJURATIO.

Non obscurum fuit, Judices, eos hoc facturos cupideque ejuraturos. Ut igitur e vestigio perjurii convincantur, cape hoc testimonium, et provocationem lege.

TESTIMONIUM. PROVOCATIO.

Testantur se affuisse, cum Apollodorus Stephanum provocavit ut puerum pedissequam in quæstionem daret de tabulæ subtractione, et paratum fuisse Apollodorum ad conscribendas quæstionis conditiones: hæc autem postulante Apollodoro, noluisse Stephanum puerum tradere, sed respondisse Apollodoro, si quam sibi factam injuriam quereretur, experiri licere judicio.

Quis igitur in tali crimine, Judices, causa fretus, quæstionem non admisisset? Proinde fugiendo quæstionem furti hujus convincitur. Eum igitur falsi testimonii dicti moveri putatis infamia, qui non recusavit quo minus fur existimaretur? Rogatus ab aliquo falsum testimonium non dicet, qui jubente nemine ultro fuit improbus? Quanquam igitur, Athenienses, horum scelerum omnium jure pœnas daret, multo tamen justius propter cætera supplicio a vobis afficeretur.

18. Id vita ejus, quam vixit, inspecta considerate. Iste, cum Aristolochus mensarius secunda fortuna veheretur, pari gressu cum illo incedebat illi prorsus obnoxius, et hoc multi vestrum qui hic adestis norunt. Postquam autem ille periit, et fortunis eversus est, dissipatis ejus opibus non minima ex parte ab isto et istius generis hominibus, ejus filio, cui multum negotii facessebatur, nunquam affuit aut opem tulit, sed Apolexis, Solon, et quivis alii potius ei præsto sunt. Phormionem rursus adspexit, et ei ex Atheniensibus omnibus delecto factus est familiaris; pro eo legatus Byzantium profectus est, cum illi naves ejus detinerent; causam egit adversus Chalcedonios; me palam adeo falso testimonio circumvenit. Qui igitur felicium assentator est, atque eorundem mutata fortuna proditor; quum reliquorum civium multi boni viri sint, cum nemine vel ex æquo agit, talibus autem ultro se subjicit; qui, neque an cognatum aliquem injuria sit affecturus, neque an apud alios infamiam subiturus sit, illis factis, cogitat, neque, nisi ut avaritiam suam expleat, quicquam pensi habet—, nonne is odio prosequendus est, ut totius humanæ naturæ hostis? Ego quidem æquum id esse censeo. Ea igitur ita probrosa, Athenienses, eo ut munera publica detrectet et suas facultates occultet, facere instituit, quo clandestinos per mensam quæstus faciat, quo neque ædilitia neque navalia munera obeat, neque ullo in loco fungatur officio: idque eum perfecisse ex eo constat, quod cum tantas habeat opes, ut filiæ centum minas doti dederit, nullum vel minimum munus eum vos obire vidistis.

At quanto præcarius fuerit liberalitatem et studium in rempub. suum ostendere cum opus est, quam adulationibus et falsis testimoniis dicendis esse deditum? Sed nihil est quod iste lucri causa non cupide susciperet. Enimvero, Athenienses, in opulentia improbis multo gravius irascendum est, quam in paupertate. His enim rerum necessariarum penuria nonnihil apud æquos æstimatores veniæ parit: qui vero, ut iste, in re lauta ultro sunt improbi, nullam justam excusationem afferre possunt, sed sordibus et avaritia et petulantia et suis conspirationibus plus tribuendo quam legibus, eo adduci videntur. Vobis autem nihil horum prodest, illud vobis expedit, hominem inopem, affectum injuria, pœnas de divite posse sumere. Id quod tum fiet, si eos qui ex avaritia tam aperte sunt improbi punieritis.

19. Neque vero vultum istius, et incessum præter parietes, ad severitatem compositum, modestiæ quisquam esse argumenta, sed potius inhumanitatis putare debet. Quisquis enim, cui nullæ res adversæ acciderunt, cui necessaria non desunt, tamen hoc habitu vitam agit, eum ego perspexisse et meditatum esse secum illud existimo, ad eos qui simpliciter, ut natura fert, incedunt et hilares sunt, accedere aliquem audere, et rogare, et postulare aliquid, nihil veritum: a fictis autem et torvis vel primo congressu abhorrere. Ille igitur habitus nihil aliud est quam tegumentum morum, nam ingenii feritatem et acerbitatem declarat. Argumento illud est: num ulli, in tanta multitudine Atheniensium, quum res tibi sint longe quam pro merito tuo secundiores, unquam quicquam largitus es? num ulli quicquam contulisti? num ulli benefecisti? Neminem proferre poteris. At fœnerando, et aliorum clades ac necessitates in tuis fortunis numerando, patruum Niciam paternis ædibus ejecisti: socrui tuæ ea unde vivebat eripuisti: Archedemi filium, quantum in te fuit, extorrem egisti: nemo unquam tam acerbe vel judicatum non solventem tractavit, ut tu, eos qui usuram tibi debent. Quem igitur videtis omnibus in rebus ita ferum et impurum, eum vos in ipso facinore et injuria deprehensum non punietis? Indigna, Athenienses, et non æqua facietis.

20. Etiam Phormionis, qui istum subornavit, Athenienses, facinora odium et indignationem merentur, si præsertim ejus impudentiam et ingratum animum spectetis. Arbitror enim scire omnes vos, cum vænalis esset, si eum a coquo aut aliquo alio opifice emi contigisset, eum domini artem edoctum a bonis istis futurum fuisse quam remotissimum: postquam autem eum pater noster mensarius emit, et literis erudiit, et artem docuit, ejusque fidei magnam pecuniam credidit, felix factus est, fortunam, qua ad nos venit, occasionem nactus omnis ejus qua nunc fruitur felicitatis. Proinde indignum est, proh divum hominumque fidem, et plus quam indignum,

eos, qui e Barbaro Græcum, e mancipio nobilem fecerunt, qui tot felicitatibus ornarunt, ab eo negligi extrema inopia conflictantes, cum rem habeat et divitias: et ea esse impudentia, ut, quam fortunam a nobis accepit, de ea impertiri nobis non audeat. At non dubitavit ducere dominam, et eam habere in matrimonio, quæ eum recens mancipium tum cum emptus fuit initiarat: nec dotem sibi quinque talenta scribere, excepta, quam mater habuit, quaque ipse potitus est, magna pecunia. Quid enim eum putatis in testamentum inscripsisse, et cætera quæ habet, Archippæ lego? nostras autem filias, quæ domi propter egestatem cœlibes consenescent, negligit. Quod si iste pauper esset, nos vero locupletes, et mihi, ut multa homini possunt, aliquid accidisset, istius filii meas filias sibi dari postularent, servo nati heriles: avunculi enim eis sunt propterea quod matrem iste meam duxit. Postquam autem nos inopes sumus, non adjuvabit eas ut elocentur: sed recenset et computat, quantum ego pecuniæ habeam. Nam, quod omnium iniquissimum est, ejus qua nos fraudavit pecuniæ, nullam in hunc usque diem rationem reddere voluit, sed exceptiones opponit de non danda nobis actione: quæ autem e patrimonii partitione accepi, ea computat. Ac in cæteros quidem servos a dominis inquiri videatis: iste contra in dominum servus inquirit, ea re scilicet improbum et prodigum esse me ostensurus.

21. Ego vero, Athenienses, quod ad faciei habitum, et celeritatem incessus, et magnitudinem vocis attinet, non in iis me numero qui naturam propitiam habuerunt: quibus enim rebus sine mea utilitate quibusdam sum molestus, eæ mihi sæpenumero incommodant, sed quod ad eos sumptus omnes attinet qui ad meipsum pertinent, multo frugalius isto, et aliis ejusdem generis, vivere me constabit.

22. Quæ vero in rempubl. et in vos conferenda sunt, quam splendidissime possum, et ita ut vos conscii estis, administro. Neque enim hoc ignoro, vobis qui cives nati estis satis esse obire munera, ut leges jubent: nobis autem adscitis et velut adoptatis sic obeunda munera sunt, ut vobis referre gratiam videamur. Ne igitur ea exprobra, propter quæ laudem mereor: sed quemnam, Phormio, civium, ut tu, conduxi ad libidinem? Ostendito. Quem civitate, quæ tibi liberalitate populi contigit, et libertate civili spoliavi, ut tu eum, quem probro affecisti? Cujus uxorem ego corrupi, ut tu, præter alias multas, eam etiam, cui monumentum iste diis invisus, prope dominæ tumulum, exstruxit, amplius duobus talentis insumptis? neque animadvertit, ædificium illud tam magnificum, non sepulcri, sed injuriæ, qua illa propter istum maritum affecerat, fore monimentum. Tamen istis facinoribus, et talibus petulantiæ tuæ testimoniis ostentatis, alterius vitam exagitare audes? Interdiu tu modestus es, noctu autem ea designas, quæ capitalia sunt.

23. Improbus iste, improbus est, Athenienses, jam inde ex eo tempore quo ad templum Castoris et Pollucis væniit et injurius. Cujus rei signum illud est: quod, si justus fuisset, pauper esset, administrata domini pecunia; nunc, cum tam ingentem pecuniam in potestate habuerit, ut tantum inde clam sit suffuratus, quantum nunc possidet, ea non debere, sed accepta ex patrimonio habere se existimat. Age per deos immortales, si ut furem arripuissem, in ipso furto deprehensum, facultatibus quas habes, si fieri possit, tibi impositis, atque ita a te postulassem, si negares eas te surripuisse, uti eo referres unde accepisses, ad quemnam eas referres? Neque enim illas tuus tibi pater tradidit, nec reperisti, neque iis alibi usquam acceptis ad nos venisti; barbarus enim emptus es. Et tu, quem publice interfectum oportebat propter facinora, corpore conservato, et civitate nostra pecunia tibi comparata, et eo dignitatis evectus ut liberos qui dominorum tuorum fratres essent procreares, exceptionem opposuisti non convenire nobis actionem in eam pecuniam quam a te peteremus? Tu nobis conviciatus es? Tu in patrem nostrum inquisivisti, quis fuerit? Quæ quis est, Athenienses, qui æquo ferre animo potuisset? Ego enim, tametsi me vobis omnibus aliis submissiore animo esse oportet, isto tamen esse elatiore oportere censeo: et, si istum nemini cedere oporteret, mihi tamen eum cedere oporteret. Simus enim ita sane nos, ut tu nos oratione tua fingis, servitutem tute servisti.

24. Fortassis autem et hoc eorum aliquis dixerit, fratrem meum Pasiclem nihil de eo queri in his rebus. Ego vero, Athenienses, et de Pasicle,—a vobis deprecatus ne ægre feratis et petita venia, si eo processerim iracundiæ, ut, servorum meorum contumeliis irritatus, ea reticere nequeam, quæ hactenus etiam aliis dicentibus audire me dissimulavi—, dicam et tacenda loquar. Ego uterinum esse mihi fratrem Pasiclem existimo, germanus an sit haud scio. Atque adeo vereor ne Pasicles delictorum Phormionis in nos principium fuerit. Cum enim servo adsit despecto fratre, et eos colat ac suspiciat, a quibus eum coli conveniebat, quam ea res justam habet suspicionem? Aufer igitur e medio Pasiclem, et tuus sane filius potius quam dominus nominetur, meus autem adversarius: hoc enim mavult, quam frater esse.

25. Ego vero eum valere jubeo; et quos mihi pater tradidit adjutores et amicos, ad eos venio, ad vos Judices. Oro, supplico et obtestor, ne patiamini ut ego et filiæ propter inopiam meis servis et illius assentatoribus derisui simus. Meus vobis pater mille clypeos dedit, et sæpe vobis utilem operam navavit, et, quinque triremibus ultro donatis et suis sumptibus completis, navalia munera obiit. Et hæc non eo commemoro, quod vos nobis debere gratiam existimem; nos enim debemus vobis: sed ne per ignorantiam ve-

stram aliquid his indignum mihi accidat, quod ne vobis quidem honestum fuerit.

26. Cum autem multa mihi dicenda essent, de injuriis et contumeliis quibus sum oneratus, temporis excludi me angustiis video. Ut igitur maxime vos omnes existimem cognituros summas quibus nos affecti sumus injurias, dicam. Si secum unusquisque vestrum cogitet, quem domi famulum reliquerit, ac deinde fingat se ab eo talia perpessum esse, qualia nos ab isto—neque enim id spectandum est, Syrusne an Manes, aut quisnam sit eorum quilibet, iste autem Phormio sit: res est eadem, servi et isti sunt, servus et iste fuit, vos autem domini, dominus et ego fui—. Quas igitur pœnas unusquisque vestrum sumendas existimaret, eas et mihi nunc sumendas existimate: et eum qui me falso testimonio spoliavit, ad conservandas leges et jusjurandum quo adacti sedetis, ulciscimini; et exemplum in eo statuite cæteris, recordantes eorum omnium quæ e nobis audivistis, et caventes sicubi vos seducere instituerint, et singulatim eis occurrentes si se non omnia testatos esse dixerint. Cur igitur in tabella scriptum est? cur igitur tum non delebas? quæ igitur illa est apud prætores litis contestatio? Si alius se fuisse dixit sub tutela ex testamento, alius gessisse tutelam, alius habere testamentum: quale? in quo quid scriptum est? hæc quæritote. Nam quæ isti testati sunt, ea nemo e cæteris suo testimonio confirmavit. Sin lamentabuntur, eum qui malum accepit miserabiliorem iis qui pœnas daturi sunt putatote. Quæ si facietis, et me juvabitis, et nimiam istorum assentationem coercebitis, et ipsi ea quæ jurisjurandi religio postulat decernetis.

ARGUMENTUM ORATIONIS IN STEPHANUM TESTEM SECUNDÆ.

In hac oratione et quædam e superioribus firmius muniuntur, et alia nova inseruntur, ut, an et testamentum sit contra leges factum?

DEMOSTHENIS

IN STEPHANUM TESTEM

ORATIO SECUNDA.

1. Non defuturam esse Stephano defensionem de testimonio, ac fore ut verbis vos circumduceret, se non omnia in tabella perscripta dixisse asserendo, vosque decipiendo, et ipse fere suspicabar, Judices. Nam et vafer est, et qui Phormioni scriptas orationes et consilia suggerant multi sunt: simul etiam probabile est eos qui mentiri pro testimonio instituant, etiam mendaciorum defensionem statim meditari.

2. Quod autem in tam prolixa oratione nusquam vobis testes produxit, se usquam ipsum affuisse patri meo id testamentum facienti, ut scire posset exemplum ejus testamenti id esse, quod pater meus fecerit, aut apertas vidisse tabulas, quas pater pro testamento reliquerit, hæc quæso vos ut una mecum memoriæ mandetis. Verum quando testatus est, exemplum esse testamenti Pasionis ea quæ tabulis inscripta fuerint, cum ostendere non possit vel testamentum fecisse patrem nostrum, vel se interfuisse testamentum faciente patre et vidisse, nonne aperte convincitur falsi testimonii?

3. Quod si provocationem esse dicit, non testimonium, haud vera prædicat: quicquid enim in judicium afferunt in mutua provocatione adversarii, per testimonium afferunt. Neque enim vobis liquere posset, verane essent an falsa, quæ utrique dicerent, nisi quis etiam testes adhiberet: iis vero adhibitis, illis credentes ut qui reddendis rationibus obnoxii sint, tum ex his quæ a reis tum ex his quæ a testibus dicuntur, ea statuitis et decernitis quæ vobis justa esse videantur.

4. Argumentis autem ostendam et testimonium esse, non provocationem, et quemadmodum oportuisset testificari, si facta fuisset

provocatio, sicut facta non est. Testantur se affuisse apud arbitrum Tisiam, cum provocaret Phormio Apollodorum ut aperiret tabulas, quas exhibebat Amphias Cephisophontis affinis, Apollodorum autem eas aperire noluisse. Si sic testificati essent, vera esse testificati viderentur. Exemplum autem esse testamenti Pasionis ea quæ tabulis quas Phormio exhibuerit inscripta fuerint testari, cum nec affuerint ei testamentum facienti, neque sciant an testamentum fecerit, nonne vobis videtur manifestæ esse impudentiæ?

5. At si dicit se Phormione affirmante credere ea vera esse, ejusdem viri est et credere illi ea affirmanti, et parere dicere jubenti testimonium. Leges autem non ita loquuntur, sed quæ norit aliquis, et quibus gerendis interfuerit, ea testari jubent atque tabulis inscribere, ut nec adimere liceat quicquam, nec addere iis quæ scripta fuerint: rem vero e vivente auditam testari non sinunt, sed e defuncto: de rebus item quibus interesse non potueris et quæ peregre gestæ sunt, dictum aliena fide testimonium inscribendum est tabulis, et eadem actione et ipsum testimonium et aliena fide dictum testimonium in judicium adducendum est simul, ut, si in se receperit is qui dixit ipse testimonium, ille obnoxius sit falsi testimonii, sin in se non receperit, ii qui aliena fide testimonium dixerunt. Sed Stephanus, cum neque sciat an pater noster testamentum reliquerit, neque unquam adhibitus fuerit cum pater noster testamentum faceret, sed e Phormione audierit, rem auditam est testatus eamque falsam et contra legem. Quæ ut vera esse constet, ipsa vobis lex recitabitur.

LEX.

Rem auditam e mortuo testari liceat: testimonium item aliena fide dicere, de re extra Atticam gesta et cui interesse non potueris.

6. Ostendam autem vobis, eum etiam contra aliam legem esse testificatum, ut sciatis Phormionem, ut qui magnarum injuriarum defensionem non haberet, provocationis prætextu et specie esse usum, reipsa vero ipsum sibi dixisse testimonium, subornatis istis, per quos et judices decepti sunt, quasi illi vera testificarentur; et ego relicta a patre pecunia sum spoliatus, nec pœnas de factis mihi injuriis possum sumere. Ipsum enim sibi esse testem leges sinunt neminem, nec in publicis, nec in privatis causis, nec in rationibus referendis. Phormio vero ipse sibi testis fuit, cum isti dicant se ex illo audita testificatos esse hæc. Ut autem vos rem certo cognoscatis, ipsam mihi legem recita.

LEX.

Adversarii necessario alter alterius interrogatis respondeant, non testificentur.

7. Proinde considerate legem hanc, quæ falso testimonio obnoxios esse jubet, idque ob illud ipsum, quod testificentur contra legem.

LEX.

Teneatur etiam falsi testimonii is qui testificatus est ob hoc ipsum, quod contra legem testificatur: et is qui eum producit eodem modo.

8. Jam et e tabulis intelligi potest, in quibus scriptum est testimonium, eum hæc falso esse testificatum: nam et candidatæ sunt et domi concinnatæ. Convenit autem iis qui res factas testificantur, confecta testimonia domo afferre: eos vero qui de provocationibus testificantur, cum fortuito adstiterunt ceratis inscribere testimonium; ut, si quid adscribere vel delere voluerint, facile possint.

9. Proinde hæc omnia ostendunt eum falsa esse testificatum et contra legem: volo autem vobis et hoc ipsum ostendere, neque ullum fecisse testamentum patrem nostrum, neque leges id permittere. Si quis enim vos roget, quibus legibus nobis in civitate vivendum sit, receptis, satis scio, respondebitis. Leges autem vetant, legem ferre de uno viro, nisi eadem feratur de universis Atheniensibus. Hæc igitur lex iisdem vivere legibus nos jubet, non alios aliis: pater autem obiit Dyscineto prætore; Phormio Atheniensis factus est, Nicophemo prætore, decimo post anno, quam pater noster obiit. Qui igitur pater, ignorans eum fore Atheniensem, et uxorem ei suam dedisset, et nobis contumeliose insultasset, et beneficium a vobis acceptum contempsisset, et leges etiam despexisset? Utrum vero honestius ei fuisset, viventi hæc facere, si voluisset, an defuncto, testamentum relinquere cujus factionem non habebat? Sed ipsis legibus auditis, cognoscetis, eum condendi testamenti jus non habuisse.

LEX.

Quicunque non adsciti fuerant, ut neque renunciari eis, nec lege in eos agi liceret, cum Solon magistratum iniret, eis sua legare suo arbitratu liceat, nisi liberos germanos mares habuerint, nisi quis fuerit furore percitus, aut senectute, aut veneficio, aut morbo præpeditus, aut a muliere impulsus, [aut] earum rerum aliqua quæ legibus interdictæ sunt, aut necessitate, aut vinculis circumventus.

10. Legem audivistis, quæ testamenta condere non sinit, si liberi sint germani: isti vero cum dicant hæc testatum esse patrem, se interfuisse ostendere non possunt. Est et illud considerare operæ pretium, qui non adsciti fuerint, sed germani sint nati, illis largiri legem, si orbi sint, ut sua legent. At pater noster a populo adscitus fuit in civitatem. Quare ne ea quidem ratione licuit ei te-

stamentum condere, præsertim de muliere, cum id neque liceret legibus, et liberi essent. Considerate porro, quare nec si quis orbus est, condendi testamenti potestatem habeat: si, inquit, deliret, aut ægrotet, aut venenum biberit, aut mulieri obsecutus, aut senio, aut furore, aut aliqua necessitate sit circumventus, ei potestatem leges negant. Jam expendite, an sani hominis id testamentum videatur, quod isti patrem fecisse asserunt. Neque vero id ad aliud exemplum conferetis, quam ad locationem, an vobis consentaneum esse videatur, cui artis una nobiscum exercendæ potestatem negarit, ei uxorem suam uti dederit, et socium suorum liberum esse passus sit. Neque miremini, si eos, cætera callide commentos quæ in locatione sunt, hoc fefellit. Fortassis enim in aliud nihil intenti fuerunt, nisi ut pecunia nos fraudarent, et patrem ut obæratum inscriberent: deinde me non ita fore acutum putabant, ut in hæc accurate inquirerem.

11. Considerate porro a quibus leges desponderi mulieres jubeant, ut ex iis etiam commentitii testamenti falsum fuisse testem Stephanum intelligatis. Recita.

LEX.

Quam legitime desponderit uxorem, vel pater, vel frater germanus, vel avus paternus, ex ea liberi germani sunto. Quod si nemo horum fuerit, si orba est, is cujus est auctoritas eam habeat: si non fuerit, in ejus cui se permiserit potestate esto.

Hæc lex quibus auctoritatem tribuat, audivistis: horum vero neminem matri auctorem fuisse, ipsi mihi adversarii testimonium dixerunt. Nam si fuissent, exhibuissent. An vero falsos testes ab eis creditis subornatos et testamenta non facta: fratrem autem, aut avum, aut patrem, si licuisset, non fuisse producturos causa pecuniarum? Cum autem horum neminem superstitem fuisse constet, tum necesse est matrem nostram fuisse pupillam.

12. Pupillam autem in cujus esse potestate leges jubeant, considerate. Recita legem.

LEX.

Quod si quis e pupilla fuerit natus, ubi annum ætatis decimum sextum compleverit, pecunias teneat, et victum matri demetiatur.

Proinde lex jubet matrem in filiorum puberum esse potestate; eosque victum ei demetiri. Me autem constat et militasse et triremem instruxisse vobis, cum iste matrem meam in matrimonio habere. Verum ut appareat, me triremi præfectum affuisse; patrem jam olim, cum nuptias iste celebraret, obiisse; me ancillas ab eo postulasse ad quæstionem; iis ipsis de rebus, an eæ veræ essent, et eum provocasse, cape mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

Testantur se affuisse, cum provocaret Apollodorus Phormionem ad quæstionem de ancillis habendam, si negaret Phormio se prius etiam matrem ejus corrupisse, quam Phormio asserat se eam desponsam a Pasione duxisse. Hac autem ab Apollodoro provocatione facta, noluit Phormio ancillas dare in quæstionem.

Jam legem his de rebus latam legito, quæ sic habet: disceptationem fieri oportere de puellis pupillis omnibus, tam civibus quam peregrinis: ac de civibus actionem dare oportere prætorem et curare, de inquilinis autem belliducem: ac sine disceptatione non licere vel hæreditatem habere, vel pupillam.

LEX.

Sortitio autem fiat de hæreditatibus et pupillis, singulis mensibus, excepto Maio, ea vero de qua disceptatio facta non est hæreditas ne teneatur.

Proinde ipsum, si rite agere voluisset, agere in pupillam decuit, sive ex testamento id ei conveniebat, sive ratione propinquitatis; si tanquam pro cive, apud prætorem, si ut pro peregrina, apud belliducem: ac tum, si quid æqui dicere potuisset, consentientibus vobis qui sortito pro tribunali sedebatis, auctoritate legum et judicum obtinere, et non ipsum sibi privatas leges statuentem agere quicquid libuisset.

13. Considerate hanc quoque legem, quæ jubet testamentum, quod pater superstitibus germanis liberis fecerit, si filii ante pubertatem decesserint, ratum esse.

LEX.

Quicquid pater ingenuis filiis superstitibus testamento jusserit, si obierint filii priusquam biennium puberes fuerint, testamentum patris ratum esto.

Proinde dum illi vivunt, irritum est testamentum, quod patrem isti reliquisse dicunt: et contra omnes leges Stephanus falso testatus est, id exemplum esse testamenti Pasionis. Unde enim tu nosti? et ubi affuisti patri testamentum facienti? Te quidem corruptorem testamentorum esse apparet, qui et falsa cupide testeris, et vera testimonia suffureris, et judicibus imponas, et per conspirationem litigantibus adstipuleris. Leges autem et harum rerum dant publicas actiones. Recita mihi legem.

LEX.

Si quis conspiraverit, aut adjutor fuerit corrumpendæ Heliææ, aut alterius alicujus judicii Athenis, aut senatum, ad corruptelam pecunia sive data sive accepta, aut cœtum congregarit ad popularis status eversionem, aut advocationis causa in judiciis vel privatis vel publicis pecuniam acceperit, earum rerum actio detur apud Sexviros.

14. Perquam igitur e vobis quærere velim de hisce omnibus, nunquid civitatis legibus, an vero iis quas ipse Phormio sibi tulit, jurati jus dicatis? Ego quidem has vobis exhibeo et ostendo eas ab utroque esse violatas: et Phormionem ab initio nobis fecisse injuriam, et pecunia fraudasse, quam nobis pater reliquit, et isti locavit cum mensa et officina; Stephanum autem falsa esse testatum, et contra legem.

15. Illud præterea, Judices, considerare est operæ pretium, neminem unquam testamenti exemplum fecisse: in syngraphis quidem id fieri solet, ne per ignorationem in eas peccent, testamentorum alia ratio est. Eam enim ob rem ea testatores relinquunt, ut nemo norit quidnam constituerint. Quo pacto igitur vos scitis, exemplum esse testamenti Pasionis, ea quæ in tabulis scripta fuerunt?

16. Oro autem vos omnes, Judices, et obtestor, ut et me juvetis, et eos qui ita cupide falsa testificantur puniatis, tum vestra ipsorum, tum mea, tum justitiæ, tum legum causa.

ARGUMENTUM ORATIONIS IN EVERGUM ET MNESIBULUM TESTES.

Atheniensibus classem ad bellum propere instruentibus, armamenta triremium præfectis deerant. Itaque decretum scribitur, ut instrumenta navalia quamprimum ab iis qui deberent reipublicæ exigerentur: ii vero quidam eorum erant qui triremibus præfuerant. Alius igitur ab aliis ea vasa repetere jussus est: is vero qui nunc habet orationem, a Theophemo et Demochare. Qui cum insolentius se gererent, eos in jus vocatos, reos peregit. Demochares quidem reddit, sed Theophemus adhuc effugia quæritat. Facto autem a senatu decreto, ut quo quisque modo posset, debita exigeret, ædes Theophemi is qui nunc litigat invadit. Ortoque jurgio, et inter se verberant, et in jus mutuo vocant, uterque asserens alterum intulisse manus: quæ actio *αἰκία*, hoc est, verberatio, dicebatur. Prior igitur ingressus Theophemus testes produxit, Evergum et Mnesibulum, alterum fratrem suum, alterum affinem. Ii vero testificati sunt, Theophemum voluisse mulierem, quæ pugnæ interfuerat, dare in quæstionem, ut in tormentis confiteretur, uter prior manus intulisset: quod cum offerret Theophemus ancillamque traditurus esset, illum admittere noluisse. Tandem judices, fide testibus habita, pro Theophemo pronunciarunt: is autem qui victus est testes falsi testimonii accusat.

DEMOSTHENIS

IN EVERGUM ET MNESIBULUM TESTES

ORATIO.

1. Præclaræ mihi esse leges videntur, Judices, quæ post judicia falsi testimonii actionem largiuntur, ut, si quis, testibus mendacibus productis aut provocationibus non factis aut testimoniis contra legem dictis, judices deceperit, nihil ea re proficiat: is autem cui facta est injuria, testimoniis reprehensis quum apud vos ostenderit testes de re dixisse falsum, tum ab eis pœnas expetat, tum illius a quo producti sunt malas artes ulciscatur. Propettereaque minorem accusatori, si succubuerit, mulctam statuerunt, ne pœnæ magnitudine deterreatur læsus a persequendis testibus: reo autem magnas pœnas constituerunt, si convictus fuerit et vobis pro testimonio mentitus esse videatur. Idque merito, Judices: vos enim, testes intuiti, et eorum testimoniis freti, pronunciatis. Ne igitur et vos decipiamini, et qui ad vos ingrediuntur injuriis afficiantur, propterea eos obnoxios reddidit legislator. Oro autem et ego ut vos me cum benevolentia audiatis rem omnem ab initio explicantem, ut inde in-

telligatis, quam multis et ego sim affectus injuriis, et ut judices decepti fuerint, et ut isti falsa testificati sint.

2. Etsi autem maxime vellem non facessi mihi negotium: attamen si cui quieto esse non licet, illud jucundum est, cum iis litigare qui vobis ignoti non sunt. Nunc longior a me sumetur oratio moribus eorum ostendendis, quam testimonii falsitate revincenda. Nam id quidem esse falsum, ipsi mihi ostendere videntur, neque ego necesse habeo testes alios, quam illos ipsos, producere. Nam qua eis ratione liceret liberari negotiis nec in vestro judicio periclitari, et reipsa testimonii veritatem confirmare, mulierem tradere noluerunt, quam in quæstionem dare voluisse Theophemum apud arbitrum Pythodorum Cedensem testificati sunt, et quam ego me recepturum sum professus, ut testes qui tum affuere vobis in judicio testificati sunt, et nunc etiam testificabuntur: quos Theophemus ipse, ut vera testificatos, neque accusavit, neque falsi testimonii reos egit.

3. Atque adeo ipsi fere in testimonio confitentur, voluisse me admittere mulierem, Theophemum autem differre jussisse, idque me detractasse. Quam vero et ego admittere volui, et Theophemus obtulit—ut isti aiunt—, cujus tamen corpus nemo adesse vidit, neque tunc apud arbitrum, neque in judicio post, neque alibi usquam traditum, eam testificati isti sunt, tradere voluisse Theophemum et obtulisse: Judices autem opinati sunt, verum esse id testimonium; me vero recusare quo minus e muliere perquireretur de verberatione, uter nostrum prior per injuriam alteri manus attulisset. Hoc enim sibi vult verberationis verbum. Nunquid ergo aliter fieri potest quin falsa isti testificati sint, qui ne nunc quidem audent corpus mulieris tradere—id quod obtulisse Theophemum dixerunt, eique testificati sunt—, et testimonii veritatem ipso facto confirmare, et testes molestia periculoque liberare, tradito ancillæ corpore, ut exquiratur a muliere de verberatione, quo ego judicio Theophemum persequor, quoniam eam tum non exhibuit, et argumentum ex iis, quibus tum Theophemus dicendis decepit Judices, sumatur?

4. Aiebat enim in causa verberationis, testes qui affuerant et testabantur ea quæ facta fuerant in tabula ex lege, falsos esse et a me subornatos: mulierem vero quæ affuisset vera dicturam, non tabella testificando, sed firmissimo testimonio, tormentis, uter prior per injuriam manus alteri intulisset. Quibus vero tum verbis abutendo et testes producendo, Judices decepit, ea nunc falsa esse deprehenduntur. Corpus enim mulieris tradere non audet, sed mavult fratrem et affinem falsi testimonii judicio conflictari, mavult eosdem, vobis commentitiis verbis et deprecationibus si possint deceptis, absolvi, quam muliere tradita, ita ut æquum est, omni periculo liberari: nam ego quidem sæpe illum provocavi muliere postulata, quam et tum et post judicium admittere volui, cum mulctam eis solverem, in eo item judicio quo Theophemum verberationis accusabam, et in inquisitione falsi testimonii; verum isti, his omnibus repudiatis, quam mulierem mihi esse traditam affirmarunt, eam re ipsa mihi nunquam tradiderunt. Satis enim videbant fore palam, si ea torqueretur, se non a me affectos esse, sed me affecisse injuriis. Quæ ut a me vere dici constet, testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

Mihi igitur sæpe provocanti et postulanti mulierem deditam esse a nemine, e testibus audivistis: nunc etiam signa proferam, e quibus cognoscetis, istos falsa esse testificatos.

5. Nam si vera essent ea, quæ Theophemum isti obtulisse dicunt, et corpus mulieris tradidisse, non duos modo testes fecisset, affinem et fratrem, qui vera testarentur, sed et alios multos. Arbitrium enim in Heliæa factum est, nam qui Œneiæ et Erechtheiæ tribui arbitrantur ibi sedent: in talibus autem provocationibus, cum aliquis hominem adductum tradit, multi circumsistunt auscultantes quid dicatur. Quare testes eis non defuissent, si testimonium ex ulla parte verum esset.

6. In eodem porro, Judices, testimonio dixerunt, me differre noluisse: Theophemum autem id jussisse, ut mihi mulierem traderet. Ego vero id non esse verum vos docebo. Si enim ego id a Theophemo postulassem, quod isti ei testificati sunt, petens ut mulierem mihi traderet, jure ad eum mihi modum respondisset, differre jubens arbitrium usque in alterum conventum, ut adduceret mulierem mihique traderet: nunc testatus es, Theopheme, te tradere voluisse mulierem, me vero eam recipere noluisse. Qui fit igitur ut tu ancillæ dominus, qui eam conditionem mihi laturus eras quam isti tibi testificati sunt, cum ad mulierem confugeres, et me de jure provocaturus, nullum alium testem haberes, quo probares te a me esse verberatum per injuriam tibi manus afferente, muliere adducta ad arbitrum non veneris; et corpus mulieris præsentis tradideris, qui quidem dominus ejus esses? Obtulisse quidem te dicis, mulierem vero nemo vidit, eaque re Judices decepisti, falsos testes producendo qui dicerent, te eam tradere voluisse. Posteaquam autem tibi mulier tum non præsto fuit, sed prius echini obsignati fuerunt, estne quo illam vel in forum, vel judicium, usquam perduxeris? Si enim ea tum non affuit: post utique tradenda fuit, et testes faciendi, te voluisse rem e muliere certo cognosci, quemadmodum provocaras, cum et provocationem injeceris, et testimonium quo

continebatur, te tradere mulierem voluisse. Jam causam acturus, usquamne mulierem introduxisti in prætorium? Atqui oportebat eum, si vera essent, quæ eum obtulisse dicunt, in sortitione judiciorum, adducta muliere, adhibitoque præcone, jubere me si quæstionem habere de ea vellem, et Judices ingredientes testes facere, se eam velle tradere: nunc fuco verbis facto, falsis testimoniis productis, ne nunc quidem audet tradere mulierem, sæpenumero a me provocatus et postulatus, ut vobis testes qui interfuere dixerunt. Recita mihi denuo testimonia.

TESTIMONIA.

7. Enarrabo autem vobis, Judices, unde mihi controversia cum Theophemo sit orta, ut sciatis non me solum iniquo per eum judicio circumventum, deceptis judicibus, sed et senatum quingentorum eadem sententia esse condemnatum; atque auctoritatem ereptam judiciis vestris et decretis et legibus, ac magistratibus vestris fidem esse abrogatam et literis in pilas relatis. Quo autem pacto, id ego vos singulatim edocebo. Mihi cum Theophemo dum vixi prius nihil unquam commercii fuit, nulla commessatio, nullus amor, aut compotatio, ut, vel injuria aliqua irritatus vel voluptate aliqua impulsus, ejus ædes invaderem: sed decretis vestris, populo, senatu et lege mandantibus, exegi ab eo navalia instrumenta, quæ reipublicæ debebat. Quamobrem autem id factum sit, ego vobis narrabo. Accidit, ut triremes hinc solverent, auxiliaque celeriter mitterentur; armamenta autem in navali deessent navibus, eaque cum haberent ii qui debebant non redderent: ad hæc nec in Piræeo erat copia linteorum, stuppæ et rudentum, quibus rebus navis instruitur, ut emi possent. Chæredemus igitur hoc senatusconsultum scribit, ut armamenta navium exigerentur et sarta tecta redderentur reipublicæ. Recita mihi decretum.

DECRETUM.

Hoc decretum magistratus jussit, et eos qui vasa reipublicæ deberent navalium curatoribus tradidit: navalium curatores, triremium præfectis, iis qui tum abituri erant, et curatoribus classium. Lex vero Periandri cogebat et jubebat nos eos qui armamenta deberent recipere, qua lege classes designatæ erant. Ad hæc, alio plebiscito cogebamur pro sua quisque portione a singulis ea quæ deberent exigere. Accidit autem ut ego et trierarchus et classis curator essem; et Demochares Pæaniensis in mea classe cum Theophemo, cujus in trierarchia collega fuerat, armamenta reipublicæ deberet. Quos utrosque cum in pila inscriptos ut reipub. obstrictos magistratus a priore magistratu accepisset, nobis eosdem tradidit ut et lex et decreta mandabant. Eos igitur mihi necesse fuit accipere, nam cum superioribus temporibus multas triremes vobis instruxerim, nunquam e navali armamenta sumpsi, sed ipse privatim quoties opus fuit comparavi, ut cum repub. mihi quam minimum negotii esset: tum vero et decretis et legibus accipere cogebar. Ut autem hæc a me vere dici constet, et testes horum vobis, et decretum et legem, exhibebo: deinde, magistratum ipsum qui et eam mihi provinciam tradidit et nos in judicium introduxit: deinde, classis ejus consortes, cujus ego curator et præfectus fui. Lege.

LEX. DECRETUM. TESTIMONIUM.

Mihi igitur omnino necesse fuisse suscipere eos qui reipub. debebant, et e lege auditis et e decretis: me etiam accepisse illos a magistratu, is qui eos mihi tradidit testificatus est.

8. Proinde par est, Judices, ut vos ab initio consideretis, primum, egone injurius fuerim qui cogebar vasa exigere a Theophemo, an Theophemus, qui armamenta reipub. longo tempore debita non reddebat. Quod si singula spectabitis, et Theophemum in omnibus injurium fuisse, et hæc non a me solum verbis explicata, sed et senatus et judicii suffragio decreta esse reperietis. Cum enim eum a magistratu accepissem, accessi, et primum vasa postulavi: quo facto, cum ille nihil redderet, mihique postea prope Mercurialem statuam quæ ad Portulam est occurrisset, eum ad classis præfectos et ad navalium curatores qui tum disceptationes de armamentis in judicium introducebant citavi. Ut autem me vera dicere constet, horum vobis testes viatores producam.

TESTES.

Eum igitur a me fuisse citatum, viatores testificati sunt: atque etiam in judicium esse introductum, classis præfectorum et magistratus testimonium ostendit.

TESTIMONIUM.

9. Quem igitur mihi negotia facessiturum putabam Democharem Pæaniensem, is, priusquam in judicium introduceretur, sane molestus fuit: postquam vero introductus et damnatus fuit, reddidit suam armamentorum partem. Quem vero nunquam eo improbitatis venturum putabam, ut armamentis fraudare remp. auderet, is eo usque contentionibus et vexationibus processit: nam cum adesset

ad prætorium, dum introduceretur, nusquam quicquam contradixit in judicio, neque cuiquam litem movit, neque quenquam alium habere vasa asseruit, neque ea se reddere oportere negavit, sed contra se ferri sententiam passus est: verum e prætorio degressus nihilo magis reddidit; sed si se subduxisset, donec ego cum navibus abissem, et se in præsentia quietum fore putavit, et moram intercessuram, et me, quæ ipse debebat armamenta, coactum iri huc reversum reipub. reddere, aut successori, qui e classe navem eam sortiretur. Quid enim contra illum dicere potuissem, decretis et legibus ostendentem, debere me armamenta exhibere? Theophemus autem, interjecta mora, si postulassem, dicturus fuit se reddidisse; et his signis redditionis abusurus, temporibus et necessitate; neque me vel stultum, vel sibi unquam amicum fuisse, ut ullam intercedere moram, quum et triremem reipub. instruerem, et classis essem curator, et talia decreta facta essent, et lex lata de exigendo, sua causa passus essem. Hoc consilio Theophemus tum quidem armamenta non reddebat, sed se subduxerat; post autem fraudaturum putabat: ad hæc, ad jusjurandum confugiens facile pejeraturus fuit, id quod et aliis fecit. Mira enim ejus avaritia est et rapacitas in contractibus, ut ego vobis reipsa demonstrabo. Cum enim hæc armamenta deberet reipub. Theophemus, ea verbo ad Aphareum referebat, quem re in jus non vocabat, quod satis sciebat se mendacii convictum iri, si in judicium venisset. Aphareus enim ostendebat, eum æstimasse armamenta et, cum triremis præfecturam subiret, pretium recepisse. Nunc autem ea se Demochari tradidisse dicit, et pueros Democharis in judicio exagitat, illo mortuo: quem, dum viveret, in jus non vocavit Theophemus, me armamenta ab eo postulante, sed moræ interponendæ causam quæritans armamentis fraudare rempub. instituit. Ut autem vera me dicere constet, testimonia vobis legentur.

TESTIMONIA.

10. Hæc cum ego omnia cogitarem, et audirem ex iis quibus cum Theophemo res fuerat, quo esset in controversiis ingenio, et armamenta ab eo non reciperem, accessi ad classis præfectos, ad senatum, ad populum, conquerens non reddere mihi armamenta Theophemum, quæ judicio victus deberet: accedebant et alii triremium præfecti ad senatum, qui a debentibus armamenta non accipiebant: multis itaque verbis factis, senatus nobis decreto respondet, quod vobis recitabitur, ut, quocunque modo possemus, exigeremus.

DECRETUM.

Facto hoc decreto in senatu, quod a nemine violatarum legum accusatum est, sed ratum mansit, aggressus Evergum, Theophemi fratrem, cum Theophemum videre non possem, allato decreto, primum repetii armamenta, jussique hoc Theophemo renunciare: deinde, interjectis diebus aliquot, ut armamenta non reddebat, sed me deridebat, testibus adhibitis ex eo quærebam, utrum partitus esset cum fratre, an vero communes facultates haberent? Respondente Evergo, partitum esse ac seorsim habitare Theophemum, se vero manere apud patrem, sciscitatus, ubi habitaret Theophemus, accepto a magistratu ministro, ad ædes Theophemi accessi. Quo domi non invento, jussi mulierem quæ fores pulsanti responderat, accersere eum ubicunque esset; eam, quam isti testificati sunt, obtulisse Theophemum et in quæstionem dare voluisse: ego vero ab eis obtinere non possum, ut vos veritatem audiatis, uter prior per injuriam alteri manus attulerit.

11. Ut autem venit Theophemus, accersitus a muliere, postulo ab eo descriptionem armamentorum, aiens, me jam in eo esse ut solverem, ostenso ei senatusconsulto. Quæ dicente me cum nihil redderet, sed minitaretur et convicia diceret, jubeo puerum vocare, si quos civium videret prætereuntes de via, ut mihi testes eorum essent quæ dicerentur, denuoque postulo a Theophemo, ut vel ipse me ad classis præfectos sequeretur et ad senatum—quod si se debere quicquam negaret, illis id persuaderet, qui debitores traderent et nos ad exigendum cogerent—vel armamenta redderet: alioqui me pignora capturum jussu et legum et decretorum. Cum vero ipse nihil æqui præstare vellet, ducebam mulierem illam in janua stantem quæ eum accersierat: quam cum Theophemus mihi eriperet; tum ego muliere omissa in ædes ingredior, ut supellectilem pignori obligarem—aperta enim erat janua, cum exisset Theophemus et regressurus esset—, audieram enim eum non habere uxorem. Ingresso autem mihi colaphum impingit in os Theophemus: ego vero, testatus eos qui aderant, me defendo. An autem vera dicam, et prior per injuriam Theophemus mihi manus attulerit, non alio argumento cognoscendum esse reor, quam e muliere, quam testes dixerunt Theophemum voluisse tradere. Eo testimonio nitens prior ingressus, non excipiente me neque judicium differente, quod prius etiam eæ res in alio judicio mihi nocuerant, decepit judices, dicendo, quos ego produxissem testes, eos mentiri; mulierem autem quæstionibus habitis vera dicturam. Quibus autem verbis tum abutebantur, iis contraria facere nunc non dubitant. Mulierem enim, sæpe jam postulatam, extorquere non possum, ut e testibus audivistis. Quoniam igitur illi mulierem non tradunt, quam semetipsos obtulisse dicunt, ego producam testes, qui me priorem verberatum viderunt a Theophemo: ea vero verberatio est, si quis prior per injuriam alteri manus attulerit, ei præ-

sertim, qui legis et decretorum vestrorum auctoritate ea quæ debentur exigit. Lege mihi decreta, et testimonia.

DECRETA. TESTIMONIA.

12. Cum autem erepta mihi essent pignora a Theophemo et ego verberibus affectus, progressus in senatum, verbera ostendi, et quæ perpessus essem narravi, idque exigendis reip. armamentis. At senatus, ob ea quæ mihi acciderant indignatus, cum me ut affectus essem vidisset, eamque contumeliam non mihi, sed sibi ipsi, et populo decreti auctori, et legi quæ exigere armamenta cogeret, factam existimaret, mihi mandavit, ut eum majestatis accusarem, et curiones ei dictare judicium intra biduum, ut injurio et navalem expeditionem impedienti, jussit, propterea quod et armamenta non redderet, et pignora eripuisset, et me qui exigerem et reipub. inservirem verberibus affecisset. Facto igitur de Theophemo judicio in senatu, ea actione qua ego eum detuleram, et utrique data dicendi potestate, occulte seorsim decernentibus senatoribus, damnatus est in curia et injuste fecisse visus: cum autem jam in eo senatus esset ut decerneret, utrum eum judicio traderet, an quingentis drachmis mulctaret, quantæ mulctæ infligendæ ex lege potestatem habebant, orantibus istis omnibus et supplicantibus, et quem non deprecatorem subornantibus, et descriptionem armamentorum reddentibus statim in senatu, et de verberibus se arbitrum sumpturos dicentibus quem juberem Atheniensium, concessi, ut Theophemo lis vigintiquinque drachmis æstimaretur. Quæ ut vere a me dici constet, tum vos rogo, qui prætore Agathocle in senatum itastis, ut assidentibus dicatis, tum quoscunque ex illis senatoribus ego reperire potui, testes vobis producam.

TESTIMONIA.

Ego igitur, Judices, adeo æquus in istos fui. Quanquam decretum publicari facultates jubebat, non ejus modo qui armamenta publica non redderet, sed ejus etiam qui privata sua venderet. Tali tum armamentorum in urbe penuria laborabatur. Lege mihi decretum.

DECRETUM.

13. Reversus, Judices, ut nemini rem permittere Theophemus voluit de plagis quas ab eo id temporis acceperam, eum in jus vocatum verberationis accusavi. Cum vero et ipse mihi vicissim diem dixisset, et arbitri judicia haberent, quum de causa pronunciandum esset, Theophemus excipiebat et differebat: ego vero fretus innocentia mea ad vos ingrediebar. Ille autem prolato testimonio, quod nemo alius dixerat, nisi frater ejus et affinis, qui affirmabant voluisse eum tradere mulierem, simplicitate simulata decepit judices. Rem autem justam a vobis precor, ut simul et de testimonio pronuncietis, verumne an falsum sit, simul etiam rem ipsam de integro consideretis. Ac ego quidem ad quæ jura tum ille confugit, ex iis nunc de veritate causæ statuendum esse censeo, habenda de muliere quæstione, uter prior per injuriam alteri manus attulerit—ea enim est verberatio—; et testes propterea falsi testimonii reos ago, quod testificati sunt Theophemum tradere voluisse mulierem, cum corpus illius nusquam traderet, neque primum apud arbitrum, neque postea sæpe a me postulatum. Duplex igitur eis pœna luenda esset, tum quod Judices deceperunt falsis testimoniis exhibitis, affinis et fratris, tum quod mihi injuriam fecerunt, vobis sedulo inservienti, et mandata exsequenti, et legibus ac decretis vestris obtemperanti.

14. Et ut constet non me solum accepisse hoc munus a republica, ut ab isto armamenta quæ deberet reposcerem, sed et alios trierarchos ab aliis quos in mandatis acceperant exegisse, lege mihi eorum testimonia.

TESTIMONIA.

15. Narrabo vobis etiam, Judices, quo pacto ab eis tractatus sim. Eo judicio victus ab illo, propter quod testes istos falsi testimonii reos ago, conveni Theophemum, cum jam præfiniti mihi temporis finis instaret, precatusque sum ut mihi parvam moram largiretur: dicebam (id quod verum erat) conquisitis nummis, quos ei numeraturus fuissem, accidisse ut mihi triremis instruenda, et festinanter mittenda esset; quod Alcimachus imperator navim solvere juberet. Me igitur pecunia in eum usum coacta, ut Theophemo numeraretur, eo esse abusum: rogabam ut terminum proferret eo usque, dum navem ablegassem. Is vero mihi expedite et simpliciter respondet: n i h i l v e t a t, inquit, s e d u b i n a v e m a b l e g a v e r i s, s a t i s f a c i t o e t m i h i. Quæ cum mihi Theophemus respondisset, die prorogato, egoque maxime fretus essem cum testium revictione tum ipsius tradendæ mulieris recusatione, (neque vero nova illum adversus me inisse consilia putabam), triremi ablegata, pecunia non multis diebus post corrogata, conveni hominem, me ad mensam sequi jussi, ut mulctam reciperet. Hæc ut vere a me dici constet, testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

Theophemus autem adeo non secutus est ad mensam aut mul-

ctam recepit, ut quinquaginta meas oves molles dum pascerentur, et opilionem una cum eis, et quicquid ad gregem pertinet, abripuerit: deinde, puerum ministrum hydriam æream reportantem accommodato acceptam, magni pretii. Neque hæc eis abstulisse fuit satis, sed et in prædium ingressi—agros autem colo ad circum equestrem, ibique habito a prima adolescentia—, primum in famulos impetum fecerunt: ut vero illi diffugerunt, atque alius alio se proripuit, ingressi ædes et dejecta janua quæ in hortum fert, Evergus frater Theophemi et Mnesibulus affinis ejus, a quibus nullo eram judicio victus, quibus non fas fuit quicquam meum attingere, ingressi ad uxorem meam et liberos, quicquid instrumenti mihi fuit reliquum in ædibus abstulerunt. Putabant enim se non modo tantillam, sed longe instructiorem supellectilem domi meæ reperturos. Verum, propter obita munera et tributa et vestri studium, alia oppignerata, alia divendita erant: quæ vero adhuc restabant, iis abreptis omnibus abierunt.

16. Præterea, Judices, uxor mea cum liberis in aula prandebat; et quædam cum ipsa quæ nutrix mea fuerat magno natu, mulier benevola et fida, libertate donata a patre meo. Nupserat autem adepta libertatem; maritoque mortuo, quod et vetula erat, et a quo aleretur neminem habebat, ipsa ad me redierat. Ea igitur ad egestatem redacta, quæ et nutrix et educatrix mea fuerat, nullo modo mihi negligenda fuit: simul etiam quia trierarchus eram abiturus, et uxor mea sibi talem a me custodem ædium relinqui gaudebat. Cum autem in aula pranderent, atque isti illis subito oppressis irruerent, et vasa diriperent, aliæ quidem ancillæ—in turri enim erant, ubi diversantur—, clamore audito, turrim occludunt, atque illuc ingressi non sunt, sed e cæteris conclavibus vasa exportarunt, vetante uxore ne ea tangerent et dicente, ob dotem sibi esse oppignerata, et, oves eos habere quinquaginta et opilionem majoris pretii quam quanti essem damnatus—vicinus enim quidam eis id nunciarat pulsata janua—, præterea argentum eis dicebat in mensa esse positum—id enim ex me audierat—: quod si exspectaveritis, inquit, aut vestrum aliquis maritum meum accersierit, statim acceptis nummis abibitis; vasa autem relinquite, et nihil meum auferte, præsertim cum habeatis quanti mulcta est. Hæc dicente uxore, tantum abfuit ut desisterent, ut et nutricem, (quæ cymbium sibi appositum, e quo potabat, intra sinum abdiderat, ne id isti auferrent, postquam eos intus esse vidit), re animadversa, sic tractarint inter eripiendum cymbium Theophemus et Evergus frater ejus, ut et brachia et manus mulieris sanguine suffunderentur, dum retorquentur dumque vexatur ab istis poculum eripientibus, et notas unguium in collo dum ei jugulum comprimunt et lividum pectus haberet: eoque improbitatis venerunt, ut anum et obtorto collo trahere et verberare non destiterint, donec ei poculum e sinu eripuissent. Famuli autem vicinorum audito clamore, quum meas ædes diripi viderent, alii e suis tectis vocabant prætereuntes, alii etiam in aliam viam egressi, et Hagnophilum prætereuntem conspicati, jusserunt accedere. Hagnophilus autem, a famulo Anthemionis accersitus qui mihi vicinus est, accessit, ac in ædes quidem ingressus non est—id enim absente domino nefas putabat—, sed in Anthemionis prædio stans, vidit et supellectilem efferri, et Evergum ac Theophemum e meis ædibus egredi. Neque vero, Judices, abreptis duntaxat vasis meis abierunt, sed et filium pro servo abduxerunt, donec unus e vicinis Hermogenes obviam eis factus filium esse meum dixit. Hæc ut a me vere dici constet, testimonia vobis legentur.

TESTIMONIA.

17. Ut autem ea quæ acciderant in Piræeum mihi a vicinis nunciata sunt, profectus in agrum, eos non deprehendo: sed cum vidissem quicquid in ædibus habuissem exportatum, et anum ut erat affecta, et ab uxore audissem quæ facta essent, Theophemum postridie mane conveni in urbe, testibus adductis, eumque primum jussi mulctam recipere et sequi ad mensam; deinde, curare mulierem quam lacerassent, et medicum introducere quem ipsi vellent. Hæc me dicente et testificante, multis conviciis mihi dictis, Theophemus quidem ægre sequebatur, tergiversans, et dictitans se quoque testes aliquos adhibiturum,—id vero dicebat dolo, ut mora intercederet—: Evergus autem statim ex urbe cum aliis sui similibus in agrum egressus, reliquum instrumentum, si qua forte pridie in turri reliqua et non prolata, postquam vero ego veneram propter necessitatem deprompta fuerant, amota janua, quam et pridie collabefecerat male stante, abrepta mea supellectile abiit is, a quo neque judicio victus eram, et cum quo nihil mihi commercii intercesserat. Satisfaciente autem me Theophemo, cui debueram mulctam, cum solvissem multis testibus præsentibus mille centum et tres drachmas et duos obolos pœnam, et triginta sportulas,— nam cæterarum mulctarum nullam mihi irrogarat—, acceptis igitur a me in mensa mille trecentis triginta tribus drachmis duobus obolis, universa summa, quum ego reposcerem oves mancipiaque et vasa quæ mihi eripuerat, redditurum se negavit, nisi quis et se et socios suos omni crimine, testes falsi testimonii actione, liberaret. Quæ cum ille respondisset, statim eos qui aderant testes feci responsionis, et judicatum solvi, neque dilatorem oportere esse me putavi; Evergum eo die ingressum fuisse in ædes meas ignorans. Enimvero cum judicatum solvissem, Theophemus non modo oves et

mancipia, sed et supellectilia quæ pridie superfuerant, occupat: ac lapicida quidam, qui propinquum monumentum expoliebat, denuo abire Evergum reliquo instrumento ex ædibus meis exportato, cum quo nihil mihi negotii fuit, nunciat. Quæ ut me vere dicere, et, eos pridie mea pignora cepisse, et rursus eodem die in ædes ingressos fuisse, me vero postridie solvisse judicatum, et pecuniam eis numerasse constet—qui enim, nisi et coactum fuisset, et eis a me denunciatum, statim recepissent?—harum rerum testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

18. Cum autem, posteaquam eis denunciaram, Judices, ut anum, quam male mulctarant, adductis medicis curarent, rem neglexerunt, ego ipse medicum quo multos annos fueram usus, qui eam ægrotantem curaret, accersivi; eique ut illa affecta esset testibus adductis ostendi. E quo cum audissem, graviter eam laborare, ac deplorata esse valetudine, rursus aliis testibus adhibitis, eis ostendi ut affecta esset, et istis denunciavi ut eam curarent. Sexto autem die, postquam isti in ædes ingressi fuerant, obiit nutrix mea. Quæ ut vera esse constet, testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

Ea defuncta jureconsultos adii, ut cognoscerem quid ea mihi de re faciendum esset, et eis omnem rem gestam exposui, adventum istorum, et, benevolentiam mulieris, et ut eam in ædibus habuissem, et ut propter cymbium retentum obiisset. His jureconsulti auditis me interrogarunt, utrumne mihi de jure duntaxat responderi, an etiam consilium dari vellem? Me respondente utrumque, proinde tibi et de jure, inquiunt, respondebimus, et utilia consulemus: primum ut in efferendo funere hastam adhibeas, et ad sepulcrum proclames, si quis ei sit cognatus; deinde ut sepulcrum ad triduum custodias. Hæc tibi suademus, quando ipse non affuisti, sed uxor duntaxat et liberi tui, aliique testes tibi non sunt, ut neminem nominatim cites, sed sontes et interfectores: deinde ad regem ne deferas; neque enim id lege tibi licet. Cum e tua familia non fuerit ea mulier, neque ancilla, si ita est ut tu dicis: leges autem cognatis et dominis actionem dant. Proinde, si ad Palladium juraris ipse, uxor, liberi, et vos familiamque vestram devoveritis, multi et pejus de te existimabunt; et, si illi absolventur, pejerasse te putabunt, sin reos peregeris, invidia te onerabis. Tu vero facta et pro te et pro familia expiatione quam æquissimo animo ferto calamitatem, alibi autem, sicubi voles, injuriam ulcisceris.

19. His ego ex jureconsultis auditis, et inspectis Draconis legibus in pila, cum amicis deliberabam quidnam esset agendum. Qui cum suaderent, ut et ea quæ ad expiationem ædium pertinerent et cætera facerem quæ jureconsulti mihi respondissent, ita feci: iis vero de rebus, quæ mihi porro legibus non licebant, quievi. Jubet enim lex, Judices, ut cognati cædes persequantur usque ad sobrinos: et in jurejurando cavetur, debere, si vel servus sit interfectus, hos eosdem cædem persequi. Mihi vero neque genere quicquam conjuncta erat mulier, nisi quatenus nutrix mea fuerat, neque etiam ancilla: manumissa enim a patre meo fuerat, et seorsim habitarat, et maritum habuerat. Mentiri autem apud vos et ipse loco filii et uxoris jurare non ausus essem, ne tum quidem si certo scissem me istos peracturum esse reos: neque enim eos tantum odi, quantum meipsum diligo. Ne autem verba mea duntaxat audiatis, ipsa vobis lex recitabitur.

LEX.

20. Etsi autem vos, Judices, e multis signis deprehendere puto falsum esse testimonium, id tamen ex eorum factis vel in primis animadvertitur. Isti putabant, Judices, me, si multa mihi pignora abstulissent, cupide liberaturum testes falsi testimonii actione, ut pignora recuperarem; cumque eum rogarem ut diem mihi prorogaret, libens accepit, ut si constituto tempore non solvissem, plurima ex ædibus meis exportaret; propterea que ingenue et prompte concessit, ut fides suis haberetur nec insidiæ patefierent: nec enim aliter fieri posse existimabat, ut testes actione falsi testimonii liberarentur, quam si me decepisset, et a me addictam diem mulcta non soluta quam plurima asportasset. Non enim se tantillum inventurum putarat, quantum abstulerunt, sed longe plura. Ac reliquo tempore exspectavit tanquam celeriter ei pecuniam redditurus essem, ut sub ipsam falsi testimonii actionem pignora caperet: postquam autem ei parui et mulctam attuli, eam non recepit, sed egressus supellectilia mea et servos et oves abstulit. Colo autem ad Circum equestrem, ut eum procul ire necesse non fuerit. Hæc vere a me dici, magno vobis illud argumento sit: quod postridie, quam pignora ceperat, mulctam accepit,—enimvero, nisi jam antea collectam habuissem, qui statim numerare mille trecentas triginta tres drachmas duos obolos potuissem?—et pignora mihi non reddidit, sed etiamnum ea tenet ut ejus qui ad diem dictam non solverim. Ut autem constet me ad dictam solvisse diem, recita mihi testimonium et legem, quæ jubet ea rata esse, quæ alius cum alio pepigerit: proinde nihil utique de me jam queri potuit.

LEX. TESTIMONIUM.

21. Eum igitur concessisse et distulisse diem e testibus audivistis: me autem instruxisse triremem, et quidem eam qua imperator Alcimachus veheretur, collega in præfectura meus est testificatus. Proinde nihil a me petere potuit propter dilatam solutionem, præsertim cum vellem solvere: sed ingens est hominis avaritia atque cupiditas, Judices, tam minoribus quam majoribus in rebus. Probe item sciebant, si mulierem tradidissent, palam fore, me falso ab eis esse accusatum: sin non tradidissent, quam eum tradere voluisse testificati fuerant, fore ut falsi testimonii convincerentur. Oro autem vos, Judices, si quis eorum forte qui tum jus dixerunt hic adest, ut iisdem utamini institutis, quibus tum quoque. Ac si testimonium tum fide dignum visum est, si me fugisse quo minus veritas cognosceretur ex muliere putastis, cum nunc isti falsum dixisse testimonium convincantur et mulierem tradere recusent, ut me juvetis: quod si mihi irati fuistis, quod pignora capturus ad ædes Theophemi accessi, ut et istis nunc irascamini, quod meas ædes invaserunt.

22. Atque ego, legibus et decretis coactus, tamen cavi ne vel ad patrem istius ingrederer, vel ad matrem, vel quicquam quod fratris ejus esset auferrem, sed eo veni ubi ipse Theophemus habitabat: quem cum domi non reperissem, nihil ex ædibus eripui, sed accersi jussi: et præsente eo, non absente, pignora cepi; quæ cum mihi eriperentur amisi et ad senatum legitimumque magistratum abii: eoque delato et damnato in senatu, satis esse duxi armamenta simpla recipere, de verberibus autem sumpsi arbitrum et mulctam ratam habui. Ac ego quidem adeo me lenem in istos præbui. Isti vero ita petulantes et importuni fuerunt, ut uxorem et liberos opprimerent, cum quidem oves et famulos abstulissent, quæ pluris erant quam quanti me condemnarant: cum porro diem dictam distulissent, egoque promisissem me, ut e testibus audistis, mulctam eis soluturum, in ædes ingressi sunt, et supellectilia exportarunt, et nutricem, senem mulierem, propter cymbium excarnificarunt; quæ omnia etiamnum tenent, et nondum restituunt, solutis a me mille trecentis triginta tribus drachmis duobus obolis.

23. Si quis autem eos tum ignoravit, ac simplices homines et quietos esse putavit, testimonia vobis de eis, quæ testificati mihi ii sunt quos isti injuriis affecerunt, recitabo,—nam ad ea enarranda aqua mihi defutura esset—, ut his omnibus, quæ et a me et a testibus dicta sunt, consideratis, ita pronuncietis ut vestra fides et jurisjurandi religio postulat. Recita testimonia.

TESTIMONIA.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS OLYMPIODORUM DATI DAMNI.

Magnam rerum et casuum varietatem continet hæc oratio. Conon vir quidam Atheniensis orbus decedit; de hæreditate inter ejus cognatos oritur controversia. Callistratus, qui causam hanc agit, totam eam hæreditatem ad se pertinere dicit; qui sit genere Cononi proximus. Sed in eo fortasse mentitur, et nudis verbis abutitur: Olympiodorus autem, in quem hæc habetur oratio, et ipse ab initio hæreditatem petiit, affinitate cum Callistrato conjunctus. Sororem enim Olympiodori Callistratus in matrimonio habuit. Visum igitur eis fuit non litigare inter se, sed ex æquo partiri defuncti facultates, quæ in aperto et in confesso essent: communiter item occultas quærere, et communiter agere omnia. Cum se de hæreditate controversiam habituros suspicarentur. Ea de re pactionem confecerunt, apud Androclidem quendam communem amicum depositam. Servum porro Cononis Moschionem, qui fidelis omnino ei fuisse putabatur, Olympiodorus capit, et in calumniam adductum de mille drachmis Cononi surreptis cum Callistrato torquet. Quam pecuniam ut servus habere se confessus est, eam quoque cum Callistrato ex æquo partitur ut convenerat. Sed cum plus etiam nummorum habere hominem putaret, non jam adhibito Callistrato, minas ab illo septuaginta solus extorquet. Circa hoc tempus cum alii in hæreditatem Cononis agunt, tum frater Callistrati, Callippus, eodem patre natus. Communiter itaque de litibus deliberantes Olympiodorus et Callistratus paciscuntur, ut Olympiodorus totam hæreditatem, Callistratus semissem petat. Atheniensibus autem in Acarnianam profectis cum exercitu, abit et Olympiodorus: erat enim in catalogo. Cum vero stata dies adesset, judices, ut quibus persuasum esset militiam absentiæ falso prætexi, actionem ejus sustulerunt. Quapropter se Callistratus et ipse ait actionem in semissem hæreditatis ex pacto omisisse, quod omnia communiter fieri juberet. Ut autem e bello redit Olympiodorus, iterato judicio adversus victores utitur, et ipse et Callistratus, id quod lege permissum erat: de hæreditate igitur quemadmodum initio disceptant, hic de semisse, ille de asse. Priorem autem dicendi locum nactus Olympiodorus evincit hæreditatem. Victoria porro et tota hæreditate potitus, pacta non servat ab initio facta, neque semissem dat Callistrato. Is vero, et septuaginta minarum a Moschione extortarum semissem et totius hæreditatis ab eo reposcit, pactis nitens, et asserens se etiam in postremo judicio collusisse cum Olympiodoro, et ei concessisse, ut et quæ vellet diceret, et falsos testes subornaret; quod nisi communiter et ex pacto inter se litigassent, facile se illum fuisse convicturum neque permissurum ut Olympiodorus in judicio victoria potiretur.

DEMOSTHENIS
IN OLYMPIODORUM
DATI DAMNI ORATIO.

1. Necessarium fortassis est, Judices, ut qui versari in foro neque solent neque possunt in judicium veniant, si ab aliquo injuriis afficiuntur, ab iis præsertim a quibus eos violari minime con-

veniebat, id quod mihi etiam nunç usu venit. Quanquam enim, Judices, litigare cum Olympiodoro affine meo (ejus enim sororem in matrimonio habeo) non volo, magnis tamen ejus injuriis cogor. Quod si nulla injuria lacessitus, Judices, sed per calumniam et mendacium eum accusarem, aut controversiam meis et Olympiodori familiaribus permittere noluissem, aut ullam aliam æquitatem detrectassem, mihi credite, vehementer erubescerem et me hominem esse improbum existimarem: nunc neque parvis detrimentis ab Olympiodoro acceptis, neque sequestrum ullum fugiens, neque etiam, Jovem Optimum Maximum testor, ultro, sed quam invitissimus, coactus ab isto sum hoc subire judicium. Quare vos omnes in primis rogo, Judices, ut nostrum utroque audito, et ipsi censura rei suscepta nos reconciliatos dimittatis, et de utroque nostrum bene mereamini: sin id consequi non potueritis, ut de cætero ei qui causam meliorem habet suffragemini. Ac primum testimonia recitabuntur, unde apparebit per me non esse factum, ut in judicium veniretur, sed per istum ipsum. Recita testimonia.

TESTIMONIA.

Me igitur, Judices, et æquas et convenientes Olympiodoro tulisse conditiones, testificati ii sunt qui interfuerunt: quum vero ille prorsus æqui nihil admittere voluerit, necesse est apud vos exponere quibus afficiar ab Olympiodoro injuriis. Brevis autem ea erit oratio.

2. Conon Halæensis cognatus noster fuit, Judices. Is Conon sine liberis decessit, cum omnino parvo tempore decubuisset, grandis natu cum moreretur. Ego cum eum non posse evadere sentirem, accersivi Olympiodorum, ut adesset unaque nobiscum curaret quæ decerent omnia: Olympiodorus igitur, Judices, ut ad me venit et ad sororem suam, uxorem meam, una nobiscum omnia curat. Dum vero nos hac cura occupamur, ex improviso ad me verba facit Olympiodorus, matrem quoque suam cognatam esse Cononi defuncto, æquum igitur esse ut in partem veniret omnium bonorum quæ Conon reliquisset. Ego vero, Judices, qui scirem eum mentiri et perfricare frontem instituisse, quod nemo alius Cononi genere propior esset quam ego, primum quam potui gravissime sum commotus et indignatus ob impudentiam orationis: deinde mecum ipse reputans, me non tempestive irasci, respondeo, defunctum sepeliendum in præsentia et alia justa ei persolvenda esse; quæ ubi omnia curata essent, tum inter nos velle disceptare. Ipse, Judices, concessit hæc, recte me dicere assensus: postquam autem justis omnibus persolutis reversi sumus, accersitis omnibus cognatis inter nos jam

tranquillis animis de istius postulatione disseruimus. Iis vero Judices, quæ inter nos de controversiis nostris egimus commemorandis, quid aut vobis negotium facessam, aut meipsum defatigem? finem autem qui consecutus est, vos audire necesse est. Ego isti judex fui, et iste mihi, ut uterque nostrum semissem acciperet eorum, quæ Conon reliquisset, neque ullum deinceps esset inter nos dissidium. Nam malui, Judices, ultro isti impertiri potius, quam experiri judicio cum eo affine meo et molesti aliquid dicere in eum, fratrem uxoris meæ et avunculum meorum liberum, et ab isto audire convicium aliquod. His omnibus consideratis, cessi ei: postea pacta conscripsimus inter nos omnibus de rebus, et sanctum jusjurandum alter alteri dedimus, nos omnino quæ bona manifesta essent juste divisuros, et neutrum meliori fore conditione quam alterum in iis quæ Conon reliquisset, et cætera omnia communiter quæsituros et exacturos, inter nos deliberantes quid quovis tempore facto esset opus. Suspicabamur enim, Judices, venturos etiam alios qui de Cononis hæreditate litigaturi essent, ut, et fratrem meum, eodem patre illum quidem, sed matre non eadem natum, qui peregre aberat: quod si quis alius controversiam nobis facere vellet, nos prohibere non posse; cum leges cuivis dent petendi potestatem. Hæc igitur omnia providentes, pacta conscripsimus et fidem mutuo dedimus, ut neutri nostrum vel volenti vel invito liceret quicquam seorsim agere, sed ut de communi consilio et sententia ageremus omnia: et harum rerum testes fecimus primum deos, quorum numen alter alteri juravimus, et cognatos nostros, deinde Androclidem Acharnensem, apud quem pacta deposuimus. Legam igitur vobis, Judices, legem, qua pacta conscripsimus inter nos, et testimonium ejus qui pacta habet. Recita legem primum.

LEX.

Lege et Androclidæ testimonium.

TESTIMONIUM.

3. Postquam fidem mutuo dedimus, pactione apud Androclidem reposita, duas ego partes feci, Judices. Ac altera pars erat, ædes in quibus habitarat ipse Conon, et mancipia qui saccos texebant: altera pars erant aliæ ædes et mancipia seplasiarii. Si quid autem pecuniæ manifestæ Conon aut in mensa Heraclidæ reliquerat, id omne fere insumptum fuit in sepulturam et cætera funebria et ædificationem monumenti. Ego igitur factis duabus hisce partibus, optionem Olympiodoro dedi utram vellet eligendi; atque is elegit seplasiarios et ædes, ego vero accepi saccorum textores et ædes

alteras: et hæc sunt quæ uterque nostrum habuit. In parte autem Olympiodori unus fuit e seplasiariis, quem sibi fidissimum esse putabat Conon: nomen homini est Moschio. Is famulus norat cum cætera fere Cononis omnia, tum ubi repositum argentum esset quod domi habuerat Conon. Ac latuerat sane Cononem provectæ ætatis hominem et qui fidem illi haberet, illum servum Moschionem pecuniam suffurari. Primum igitur ei sustulerat mille drachmas seorsim positas a reliquis nummis, deinde alias septuaginta minas: et hæc ejus facinora Conon haud animadverterat; idque argentum omne homo in suapte potestate habebat. Non multo autem post, Judices, quam nos bona diviseramus, orta est suspicio quædam de illo homine resque animadverti cœpit. Ex ea suspicione visum mihi fuit et Olympiodoro quæstionem esse de homine habendam. Tum homo, Judices, ipse de se indicium fecit priusquam torqueretur, se mille drachmas Cononi surripuisse, et apud se esse dixit quicquid consumptum non esset: de majore autem pecuniæ numero tum omnino tacuit. Et drachmas circiter sexcentas reddidit. Hujus pecunia, ut pro data mutuo fide et ex pactis apud Androclidem sitis, ut et justum et æquum erat, semissem ego accepi, semissem Olympiodorus.

4. Non multo post ex ea suspicione de servo et pecunia reddita vinxit hominem et torsit ipse solus, nobis non accersitis, cum jurasset communiter se quæsiturum et acturum esse mecum omnia. Tum homo contentis fidiculis confessus est, Judices, se et septuaginta minas habere, Cononi surreptas: quam pecuniam omnem Olympiodoro restituit. Ego vero, Judices, hac re audita, istum mihi semissem, sicut prius etiam de mille drachmis fecerat, redditurum putabam. Ac principio non valde sane ei instabam, existimans fore ut ipse de re statueret ac sibi mihique ita prospiceret, ut utrique suum jus redderetur ex jurejurando et pactis inter nos factis de æquali distributione eorum omnium quæ Conon reliquisset: cum vero moras interponeret nihilque præstaret, Olympiodorum alloquor et meam mihi reddi partem postulo, is autem semper prætexere aliquid et moras nectere.

5. Interim et alii quidam in Cononis hæreditatem agunt, et Callippus, frater meus germanus, peregre domum reversus statim semissem hæreditatis petit: quæ tum Olympiodoro causa fuit pecuniæ mihi non reddendæ, quod multi essent qui nobis controversiam facerent. Me igitur exspectare oportere dicebat, donec judicia facta essent: mihi vero necesse erat ea concedere, concessi. Post hæc mihi et Olympiodoro communiter, ut juraveramus, deliberantibus, qua ratione optime tutissimeque adversariis occurri posset, visum est, Judices, Olympiodorum totam sibi hæreditatem vendicare, me vero mihi semissem oportere: quandoquidem et Callippus frater meus semissem duntaxat postularet. Postquam igitur apud prætorem omnibus controversiis perquisitis, jam in judicio contendendum erat, prorsus imparati eramus ad causam statim dicendam, ego et Olympiodorus, propterea quod multi adversarii subito nos oppresserant: quantum autem res ferebant communiter deliberabamus, si qua in præsentia mora produci rebus posset, ut nos per otium ad judicium pararemus. Inter hæc vos fortefortuna et divino quodam fato impulsi ab oratoribus decernebatis exercitum in Acarnaniam mittendum; oportebat igitur inter cæteros etiam Olympiodorum militare. Obtulerat ergo sese pulcherrima, ut putabamus, dilationis occasio, publice isto absente et militante. Cum vero prætor jussu legis omnes adversarios in forum citaret, juravimus nos Olympiodorum publice abesse militantem: quo jurejurando de isto dato, vicissim jurarunt adversarii, et Olympiodorum calumniando, cum post nos dicerent, judicibus persuaserunt ut decernerent, ejus judicii causa abesse istum non publico nomine. Quod cum judices decrevissent, prætor Pythodorus Olympiodori postulationem ex lege abolevit: qua abolita, mihi quoque necesse fuit desistere ab instituta in semissem hæreditatis actione. His factis prætor adversariis nostris Cononis hæreditatem addixit: sic enim facere legibus cogebatur. Qua evicta judicio, mox in Piræeum egressi, acceperunt omnia quæ uterque nostrum pro sua portione habuerat. Atque ego cum domi essem meam ipse tradidi, necesse enim erat parere legibus: Olympiodori vero absentis abstulerunt omnia præter pecuniam a servo extortam, neque enim illi habebant unde illam recuperarent. Hæc in absentia Olympiodori gesta sunt, et hos ego ex ejus societate fructus cepi. Reversus ab expeditione una cum aliis Olympiodorus, Judices, graviter et iniquo animo ea quæ gesta erant patiebatur, et inique secum agi querebatur.

6. Cum autem jam explesset atque effudisset indignationem suam, denuo quærebamus communiterque deliberabamus, ego et Olympiodorus, quo pacto amissa recuperaremus. Tum nobis consultantibus visum est, ut eos qui hæreditatem sibi vendicarant judicio arcesseremus ex lege, atque eo rerum statu esse tutissimum ne ipsi una et conjunctis viribus cum adversariis experiremur, sed uterque seorsim: atque ut Olympiodorus totam hæreditatem postularet, ut prius etiam, et pro se ageret; ego vero semissem, cum frater etiam meus Callippus semissem duntaxat peteret. Ut, si Olympiodorus vinceret, ego e fœdere et jurejurando rursus ab isto partem acciperem: sin forte succumberet, ac aliud pronunciarent Judices, ut iste æquam a me partem reciperet, quemadmodum et jurejurando et pactione obstricti eramus. Hoc inito consilio, et ut tutissimo probato tum a me tum ab Olympiodoro, citati sunt

omnes ex lege qui Cononis bona obtinebant. Recita mihi legem, ex qua citatio facta est.

LEX.

Ex hac lege, Judices, citatio facta est, et actiones institutæ prout Olympiodoro visum fuit. Postea prætor in omnes adversarios inquisivit; eaque inquisitione peracta, eosdem in judicium introduxit. Cum autem Olympiodorus primus ageret, et quicquid erat libitum diceret, et testimonia proferret, prout ei consultum videbatur: ego, Judices, tacitus sedebam in altero subsellio. Ad hunc modum instructa et comparata actione, iste facile vicit. Quo victore, votorum omnium facti compotes in judicio sumus, recuperatis ab isto iis quæ adversarii a nobis abstulerant: quæ cum omnia una cum pecunia quam a servo extorserat teneret, nihil prorsus æqui præstare mihi voluit; sed ipse habet omnia, quamvis et fidem dederit et se ex æquo mecum omnino divisurum pepigerit. Quæ pacta etiamnum apud Androclidem sita sunt, qui apud vos ipse testimonium dixit. Sed et de cæteris quæ dixi omnibus testimonia proferam, ac primum de illo quod ab initio gestum est, cum ego et iste nostropte judicio et sententia partiti fuimus ex æquo, quicquid manifestarum facultatum Conon reliquisset. Primum hoc cape testimonium, deinde omnia legito.

TESTIMONIUM.

Cape et provocationem, qua eum provocavi de nummis, quos ab homine illo per quæstiones extorserat.

PROVOCATIO.

Lege et alterum testimonium, quo declaratur adversarios nostros, cum hæreditatem obtinuissent, abstulisse omnia quæ nos habueramus, præter pecuniam quam Olympiodorus ab homine illo per quæstiones extorserat.

TESTIMONIUM.

Quemadmodum igitur, Judices, manifestas Cononis facultates ego et Olympiodorus diviserimus, ex oratione nostra et e testimoniis audivistis, illud item cognovistis, istum pecuniam ab homine illo, servum dico, accepisse, et adversarios quæcunque nos tenueramus occupasse, donec iste rursus vicit in judicio: quid vero prætextat, cur mihi nihil reddere neque æqui quicquam præstare velit, his

nunc attendite animos, Judices, ne vos statim decipiant oratores, quos iste contra me subornavit.

7. Nunquam sane iste sibi in verbis constat, sed semper quicquid in mentem inciderit dicit; atque passim causas absurdas nescio quas et suspiciones ac criminationes falsas contra me comminiscitur; et in tota re homo injurius est. Plurimi enim audierunt, cum se illam ab homine pecuniam accepisse negaret. Quod cum revincitur, ait se a suo servo habere pecuniam, neque mihi vel de illa vel de relictis a Conone bonis quicquam impertiri velle. Si quis autem eum familiarium et suorum et meorum rogat, quamobrem redditurus non sit, cum jurarit se ex æquo mecum divisurum, et pacta etiam nunc in medio sint? Pacta esse violata ait a me, se magnis a me injuriis affectum, neque me unquam adversari sibi tum dicendo tum agendo distitisse. Ac prætextus quidem illius hi sunt. Quæ autem dicit, Judices, nihil nisi commentitiæ sunt suspiciones et causæ et injustæ improbitates, ad fraudanda ea quæ mihi reddenda sunt comparatæ: in iis vero quæ ego adversus istius mendacia dicam omnibus suspicio nulla erit, ejus enim impudentiam aperte demonstrabo, proferendis signis veris et nemini ignotis, et testibus de omnibus rebus producendis.

8. Primum igitur, Judices, aio, eum cognatis et familiaribus suis et meis, rerum omnium ut ea sese habeant probe gnaris quique ab initio semper interfuerunt, arbitrium propterea deferre noluisse, quod certo sciret, se statim e vestigio ab eis fore coarguendum, si quid mentiretur: nunc fortasse putat, se apud vos mentientem non deprehensum iri. Rursus dico, non esse consentaneum, me tibi, Olympiodore, adversatum esse, et communiter una tecum sumptus fecisse quoties necesse fuit, atque ultro ab actione destitisse te absente, cum et tua sublata esset, propterea quod ejus abesse judicii causa non publico nomine videreris. Licebat enim mihi in semissem hæreditatis agere: neque mortalium quisquam adversabatur, et ipsi id adversarii concedebant. Sed eo facto, statim pejerassem: juraram enim et pepigeram tecum, nos omnia communi consilio acturos quæcunque mihi et tibi consultantibus optima facta viderentur. Proinde plusquam nugatoriæ sunt cavillationes et causæ, propter quas te nihil æqui mihi præstiturum profiteris.

9. Numquid etiam existimas me permissurum tibi fuisse, Olympiodore, in postremo de hæreditate judicio, aut, ut ea quæ apud judices dicebas, ita temere diceres, aut, quarum rerum testimonia proferebas, ut ita temere proferres, nisi collusissem tecum et a te stetissem? Nam iste, Judices, cum alia quæ bona ei erant atque commoda dicebat, tum illo etiam abusus est, me domum, quam pro mea portione acceperam, a se conduxisse: et mille drachmarum, semissem de servili pecunia, a se fuisse mutuatum: neque hoc

solum dicebat, sed iis de rebus testimonia proferebat. Quorum ego nihil refelli: neque ex me quisquam mortalium vocem audivit, isto causam agente, vel parvam vel magnam, sed vera esse omnia, quæcunque isti dicere libitum fuerat, sum fassus. Conjunctam enim tecum causam habebam, prout mihi et tibi visum fuerat. Quod si ea, quæ dico, vera non sunt, cur ego testes qui tum illa dixerant non coargui? cur me non commovi? aut quamobrem tu, Olympiodore, nunquam me in jus vocasti de censu ædium, quas te mihi, ut tuas, locasse profitebaris? aut de nummis, quos apud judices te mihi dedisse mutuo dicebas? Horum fecisti nihil. Quo pacto igitur quisquam evidentius mendacii convincetur, et ipse pugnare secum, et ea causari quæ nunquam facta sunt, ostendetur?

10. Quod vero est omnium maximum, Judices, quoque cognoscetis quam injustus et avarus homo sit. Decuit, si quid eorum quæ dicit verum esset, prius illum ista dixisse et ante factum judicium ostendisse, judicum animos periclitantem quidnam pronunciaturi essent; multisque testibus adhibitis, petere ut pactio apud Androclidem sita tolleretur, ut quam ego violarem qui ei adversarer; et tanquam pactione inter me et se sublata, Androclidæ a quo ea asservatur denunciare, sibi jam nihil esse rei cum illa. Hæc facta esse oportuit, Judices, si quid eorum quæ dicit verum esset; oportuit et solum accessisse ad Androclidem ac testificari, et cum testibus multis, ut multos haberet conscios: eum vero nihil unquam horum fecisse, ipsius Androclidæ, apud quem pactio sita est, testimonio intelligetis. Lege testimonium.

TESTIMONIUM.

11. Jam aliud ejus facinus, Judices, considerate. Ego istum provocavi et petii ut me ad Androclidem sequeretur, apud quem pactio sita esset, quo eam communiter exscriptam denuo obsignaremus, et exempla in echinum conjiceremus; ut ne ulla esset suspicio, sed ut vos rebus omnibus ita ut rectum et æquum est auditis, id decerneretis, quod vobis justissimum videretur. Hoc me provocante, nihil horum facere voluit: sed in illud studuit, ut ne vos e communibus literis pactionem audire possetis. Hanc provocationem esse a me factam uti constet, eorum testimonium vobis recitabitur, coram quibus ipsa provocatio facta est. Lege testimonium.

TESTIMONIUM.

Qua ratione magis ostendi posset, hominem nihil æqui præstare mihi habere in animo; sed putare se iis me fraudaturum quæ me recepisse oportuit: qui quidem prætextus afferat et criminationes

confingat, pactionem autem, quam violasse me dicit, a vobis audiri oportere non opinetur? Ego vero tum coram iis testibus qui aderant eum provocavi; et nunc etiam coram vobis judicibus rursus provoco, et peto ut is permittat, ut ego permitto, aperiri hic in judicio pactionem, et recitari vobis et rursus obsignari coram vobis. Androclides autem hic adest: ego enim ei denunciavi ut adesset pactione secum huc allata. Et permitto, Judices, ut ea vel in mea vel in ipsius oratione, sive in priore sive in posteriore, aperiatur. Nihil enim mea interest: sed vos audire volo pactionem et jusjurandum quod mutuo dedimus, ego et Olympiodorus. Quod si concedit, fiat ita, et vos audite si isti videbitur: sin hoc facere noluerit, nonne jam palam erit, Judices, eum omnium hominum esse impudentissimum? neque ullum ejus verbum porro quicquam apud vos auctoritatis habere oportere?

13. Sed quid magnopere contendo? Neque enim ipse ignorat, mihi a se fieri injuriam, fieri et diis immortalibus, quorum numen juravit et pejeravit: emotæ mentis est, Judices, et desipit. Invitus equidem facio atque erubesco dicere apud vos, Judices, id quod dicturus sum, sed cogor eloqui, ut vos, pronunciandi auctoritate præditi, omnibus auditis de nobis id quod optimum factu videbitur statuatis. Eorum vero quæ dicam iste auctor est, qui apud cognatos his de rebus mecum transigere non vult, sed impudenter negat. Olympiodorus, Judices, mulierem civem legibus vestris nunquam duxit, ac ei liberi neque sunt neque nati fuerunt: sed scortum domi redemptum habet. Illud est quod nos omnes exagitet, et istum ad majorem insaniam impellat. An vero non insanit is qui, quæ promisit et pepigit volens cum volente et jurejurando confirmavit, eorum nihil quicquam præstandum censet? me præsertim non de meipso duntaxat solicito, sed et de istius sorore germana et uterina, quam ego in matrimonio habeo, et de istius nepte, mea filiola. Hæ enim sunt quibus non minor sit quam mihi injuria, sed major etiam. Nonne autem injuria eis fit, et inique cum eis agitur, cum videant istius meretricem ultra quam sat est et decet multum habere auri et vestem splendidam, et splendide atque insolenter prodire in publicum, et de nostro superbire, se vero in his rebus omnibus esse tenuiores? Nonne illis major fit quam mihi injuria? Nonne vero iste aperte insanit et delirat, qui ita in semetipsum consulat? Ne vero dicat, Judices, per calumniam hæc a me dici, hujus judicii causa, testimonium vobis recitabitur cognatorum istius et meorum.

TESTIMONIUM.

Olympiodorus igitur talis homo est, non modo injurius, sed qui etiam insanire videatur omnibus cognatis et familiaribus, eo vitæ

instituto: et, quod Solon etiam legislator dixit, ita delirans, ut nemo unquam mortalium deliravit, qui mulieri meretrici pareat. Atque ea omnia irrita esse constituit idem Solon, quæ quis mulieri parens agat, præsertim tali.

14. Et hæc probe curavit legislator: ego vero vos oro, neque ego solum, sed et uxor mea, Olympiodori soror, et filia mea, Olympiodori neptis, supplicamus vobis et obtestamur, Judices, omnes nos—putate enim illas adesse—in primis ut Olympiodoro persuadeatis ne injuria nos afficiat: sin parere vobis noluerit, uti vos memores eorum quæ diximus omnium id statuatis, quod vobis videbitur optimum et justissimum esse. Quæ si feceritis, et justa decernetis et utilia nobis omnibus, in primis autem ipsi Olympiodoro.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS TIMOTHEUM.

A Timotheo Atheniensi, viro claro et imperatoria dignitate prædito, Apollodorus æs alienum repetit, dicens, Pasionis usum amicitia Timotheum ab eo pecuniam accepisse, et debitorem in mensariis rationibus esse inscriptum. Debita autem omnino quatuor numerantur: atque in singulis et tempora, et causæ quare mutuatus sit Timotheus, accurate exponuntur. Et pleraque argumenta ex iis quæ nulla arte constare dicuntur probationibus, ut testimoniis, ut provocationibus, depromuntur: quædam etiam ex artificiosis, ut conjecturis. Atque Apollodorus Timotheum esse ait qui mutuatus sit, et iis quos Timotheus commendarit datum esse argentum a mensa: ille vero non se, sed illos debere dicit.

DEMOSTHENIS

ADVERSUS TIMOTHEUM

DE ÆRE ALIENO ORATIO.

1. Nemini vestrum incredibile sit, Judices, Timotheum, ut qui patri meo pecuniam debeat, reum fieri nunc a me in hoc judicio. Nam si vobis in memoriam revocaro et tempus quo contractus factus est, et ea quæ illi eo tempore acciderunt, et quanta ille tum penuria conflictatus fuerit, patrem meum optimi viri officio functum erga Timotheum profecto existimabitis: istum vero non modo ingratum esse, verum etiam injustissimum omnium mortalium, qui, cum et a patre quæ voluit omnia consecutus sit, et in magna egestate ac maximis vitæ periculis pecunias de mensa acceperit, non modo gratiam non referat, sed eo etiam quod datum ei est me fraudet. Quod si iste impegisset, patri quoque pecunia periisset—neque enim ad pignus neque præsentibus testibus dederat—, sin evasisset, in istius potestate futurum erat, comparata pecunia an nobis satisfaceret. Sed tamen, Judices, obsequi Timotheo roganti et penuria laboranti pater meus, quam pecuniariis rationibus consulere, maluit. Putabat enim, Judices, pater meus, si Timotheus illa pericula evaderet et redisset a rege, locupletiore isto facto quam tum erat, non modo sua se recepturum, sed si quid aliud etiam a Timotheo petiisset impetraturum: posteaquam vero non ita ut ille putabat evenit, sed quæ in beneficii loco accepit Timotheus a mensa, rogato patre meo, ea inimice et per judicium, illo mortuo, si convincatur reddenda esse censet, sin vobis persuadere possit,

oratione deceptis, se nihil debere, nos pecuniis fraudandos—necessarium mihi videtur esse ut ab initio vobis omnia commemorem, et quæ debentur, et quam ad rem pecunia singulatim sit usus, et tempora quibus contractus factus est. Neque vero nos ea certo scire quisquam vestrum miretur: mensarii enim commentarios conficere solent tum earum pecuniarum quas ipsi dant, et quem in usum, tum earum quæ apud ipsos deponuntur, ut sibi nota sint expensa et accepta in rationibus referendis.

2. Socratide prætore, mense Martio, altera navigatione profecturus Timotheus, et jam soluturus e Piræeo, cum ampliore pecunia indigeret, accessit ad patrem meum in portu et mutuare jussit drachmas mille trecentas quinquaginta unam, duos obolos (tantum enim sibi opus esse aiebat), et dare Antimacho quæstori suo, qui tum istius omnia curabat. Atque is quidem qui pecuniam a patre meo mutuaretur Timotheus erat, quique juberet Antimacho quæstori suo dari: qui vero illam de mensa a Phormione acciperet, Autonomus, qui omni tempore Antimacho scriptitabat. Data igitur ea pecunia, debitorem inscripsit eum qui mutuare jusserat, Timotheum: in commentarium etiam retulit, cui dare iste jusserat, Antimachum, et quem Antimachus miserat ad mensam ut eandem acciperet, Autonomum, mille trecentas drachmas quinquaginta unam et duos obolos.

3. Primum igitur debitum, quod hinc solvens secundum imperator accepit, tantum fuit. Cum vero vestro suffragio improbaretur quod Peloponnesum classe non abiisset: et ad causam apud populum dicendum vocaretur, maximo crimine reus: et eum Callistratus atque Iphicrates, viri et rebus gestis et eloquentia præstantes, oppugnarent; ita illi vos et ipsi et eorum advocati accusando commoverunt, ut Antimachum, quæstorem ejus et intimum, facto pro concione judicio occideretis, bonis etiam ejus publicatis; ipsum vero istum deprecantibus familiaribus et cognatis ejus omnibus, superque Alceta et Iasone, sociis vestris, vix absolveretis, sed tamen imperium ei abrogaretis. Cum igitur talibus criminibus tanta inopia urgeretur—nam et facultates ejus omnes obæratæ erant et libellis appositis ab aliis tenebantur, ager enim in planitie pignori oppositus erat Eumelidæ filio, et sexaginta trierarchis qui cum eo navigarant septenis minis in singulos, quas eos iste ad alendos nautas dilargiri coegerat, oppigneratæ erant reliquæ ejus opes: quia vero populi suffragiis rejectus, septenas illas minas in rationibus referendis expensas tulerat nautis de militari pecunia, tum veritus, ne in se præfecti triremium testimonium dicerent atque ipse mendacii convinceretur, mutuo sumit a singulis septenas illas minas oppignerata eis re sua familiari, quibus nunc eos revulsis libellis fraudat: undique igitur circumventus, et in periculo vitæ maximo

constitutus erat, propterea quod talia reipublicæ tempora inciderant, ut et exercitus Calaurianus propter stipendia non soluta dilaberetur, et socii Peloponnenses a Lacedæmoniis obsiderentur; jam Iphicrates et Callistratus istum ut auctorem eorum malorum criminabantur, ad hæc qui ab exercitu veniebant in concionem nunciabant urgentem penuriam et difficultates, partim etiam per literas quisque certior fiebat a cognatis et familiaribus quomodo cum eis ageretur: quæ dum vos publice audiretis, recordamini quo pacto in eum affecti fueritis, nec enim ignoratis ea quæ dico.—cum igitur ad judicium huc venturus esset, in Calauria mille drachmas ab Antiphane Lamprensi, qui eo appellebat quæstor Philippi navicularii, mutuatur, quas distribueret inter Bœotios trierarchos, quo exspectarent dum judicium de se factum esset, neve, Bœotiis triremibus abductis et militibus prius dilapsis, sibi vos gravius irasceremini. Cives enim mala perferebant æquis animis, et perdurabant: Bœoti autem negabant se mansuros, nisi quotidiana daretur alimonia. Tum igitur coactus eas mille drachmas ab Antiphane, qui appellebat quæstor Philippi navicularii, mutuo sumit, et Bœotio navium duci dat. Ut autem huc venerat, tam Philippus quam Antiphanes eas mille drachmas, quas ei mutuarant in Calauria, ab eo reposcebant, moram ægre ferentes. Iste vero inimicos suos metuens, ne rescriscerent, quas mille drachmas in referendis rationibus de militari pecunia Bœotiis navibus expensas tulisset, Philippum creditorem fraudari, simul etiam Philippum veritus, ne in se testimonium diceret in judicio, patrem meum adit, ut Philippum absolvat sibique illas mille drachmas mutuetur orat, quas Philippo redderet. Pater meus cum videret et quanto in discrimine versaretur iste et quanta pecunia laboraret, simul etiam misertus ejus, adducto eo ad mensam, Phormionem qui ad mensam sedebat mille drachmas Philippo numerare jussit, et debitorem Timotheum inscribere.

4. Hæc vere a me dici ut constet, Phormionem vobis testem qui pecuniam dedit adducam, ubi et de alio contractu vobis disseruero, ut eodem testimonio, universo ære alieno cognito, videatis me vera loqui. Vocabo vobis etiam Antiphanem, qui mille illas drachmas Calaurianas isti credidit, quique affuit cum Philippus hic a patre meo nummos reciperet. Quo minus enim ejus testimonium apud arbitrum proferrem fallacia factum est, qui se quovis mihi tempore, quo de causa pronunciandum esset, testimonium dicturum polliceretur. Cum autem arbitrium fieret, domo accersitus—non enim se stiterat—testimonium deseruit ut isti gratificaretur. Ego vero cum numerassem contra eum destituti testimonii nomine drachmam, ut lege jubetur, arbiter sententiam damnatoriam non tulit, sed abiit absoluto isto, cum jam vespera esset. Nunc in Antiphanem dati damni peculiarem actionem institui, quod mihi

nec testimonium dixit neque secundum legem ejuravit. Et postulo ut adscendat et juratus coram vobis dicat, primum, an in Calauria Timotheo mille drachmas mutuarit: deinde, an Philippus easdem hic a patre meo receperit. Atque adeo parum abfuit, quin iste ipse apud arbitrum confiteretur reddidisse patrem meum Philippo mille drachmas. Sed eas tamen non sibi mutuo fuisse datas aiebat, sed Bœotio navarcho, qui pro iis æs oppignerasset. In quo eum non dixisse verum, sed cum ipse mutuatus sit fraudare, ego vos docebo, ubi et reliquum æs alienum singulatim vobis exposuero.

5. Nam cum Alcetas et Iason ad istum Septembri mense, Astio prætore, ad judicium illud ei patrocinaturi venissent et in ejus ædes in Piræeo quæ sunt in Equidomitorio sub crepusculum fere divertissent, neque ipse eos excipere pro dignitate posset, misso ad patrem meum Æschrione pedissequo suo, petere jussit stragula, vestem, phialas argenteas duas, et minam argenti mutuam. Pater vero meus cum ex Æschrione, ejus famulo, audisset, et qui venissent, et quem ad usum peterentur, et qua de causa illi venissent, accommodat, et minam argenti quam petebat mutuat. Post crimine liberatus magna jam pecuniæ inopia laborabat, cum ad domesticos usus tum ad publica tributa. Quod quia pater meus videbat, non statim ab ipso repetere argentum audebat: neque enim vel istum si rem haberet fraudaturum, vel si non haberet, se ab eo redacturum, putabat. Posteaquam autem Alcetas et Iason recesserant, stragula quidem et vestes retulit Æschrion, istius pedissequus: phialas duas non retulit, quas tum petierat, cum et stragula, et minam argenti mutuatus esset, Alceta atque Iasone apud ipsum diversantibus.

6. Profecturus porro ad regem Persarum, cum perfecisset ut abire sibi liceret, eique exercitum ducturus in bello Ægyptiaco, ut ne rationes reddere cogeretur hic neve de gesto hic imperio accusaretur, patrem meum ad paralium accersitum, cum ob prius in se collata beneficia collaudabat et rogabat, commendato Philonda, viro genere Megarensi, inquilino Atheniensi, isti autem fideli et eo tempore inservienti, si venisset e Macedonia Philondas—quem iste patri meo commendabat—advectis lignis quæ data sibi ab Amynta essent, ut naulum lignorum suppeditaret, et ea ligna ad ædes suas in Piræeo vehi pateretur: sua enim esse ligna. Unaque cum petitione orationem habebat, cum qua facta ejus nunc haud consentiunt. Aiebat enim, tametsi non impetrata ferret quæ peteret, se non ægre laturum, ut alius faceret impos voti factus: sed pro iis quæ sibi petenti concessisset, si quando posset, gratiam relaturum. Ea oratione pater delectatus, et istum laudavit, quod acceptorum beneficiorum meminisset, et quicquid petiisset facturum se promisit. Post hæc solvit iste ad duces regis profecturus: Philondas autem, quem patri iste meo commendarat ad naulum solvendum, si lignis advectis advenisset, in Macedoniam iter facit. Hæc tempora fuerunt circa mensem Aprilem Astio prætore. Anno sequente reversus Philondas e Macedonia, lignis advectis,—dum iste apud regem Persarum peregre abesset—, ad patrem meum accedit et naulum lignorum præbere, ut navicülario satisfieret, jubet, quemadmodum iste patrem abiturus rogarat, et Philondam commendarat, eo pater ad mensam adducto Phormionem naulum lignorum mille septingentas quinquaginta drachmas jubet solvere. Numerat pecuniam Phormio: debitorem Timotheum inscribit—is enim rogarat patrem ut naulum lignorum præberet, et hujus quoque ligna erant—, notitiæ loco porro adscribit et usum, in quem accepta fuerat pecunia, et nomen ejus qui accepisset. Et hoc factum est Alcisthene prætore, altero anno quam iste ad regem abierat.

7. Sub idem porro tempus et Timosthenes Ægialensis venit, privatæ negotiationis causa huc profectus: qui cum esset familiaris Phormioni et socius, solvens hinc, servandas Phormioni cum alia pecunia dederat etiam phialas Lycii operis duas. Forte fortuna autem puer eas ipsas phialas, ignarus esse alienas, Æschrioni famulo istius dederat, cum is ad patrem meum missus esset ab isto stragula, vestes et phialas petitum, et minam argenti quam mutuatus erat, cum ad eum Alcetas et Iason venissent. Repetente autem Timosthene phialas a Phormione, cum redisset,—absente Timotheo apud regem—, agit cum eo pater meus ut pretium phialarum reciperet, quantum phialæ penderent, drachmas ducentas triginta septem. Ac Timostheni pretium reddit phialarum: istum vero ad reliquum æs alienum, quod iste debebat, ejus etiam pecuniæ, quam Timostheni pro phialis numerarat, debitorem inscribit. Quæ omnia vere a me dici ut constet, testimonia vobis recitabuntur, primum eorum qui pecuniam iis dederunt, quibus iste jusserat, a mensa, quique tum ad mensam sederunt: deinde ejus qui pretium phialarum recepit.

TESTIMONIA.

Me igitur ea quæ ad vos dixi non dixisse falso, ex recitatione testimoniorum audivistis: istum porro ipsum apud me confessum ligna advecta a Philonda in ædes suas in Piræeo esse perlatas ut appareat, ejus rei testimonium vobis legetur.

TESTIMONIUM.

Istius igitur fuisse ligna, quæ Philondas vexit, et ipse mihi testificatus est: fatebatur enim apud arbitrum ea in suas ædes in Piræeo esse deportata, ut vobis testificati ii sunt qui audierant.

8. Etiam argumentis docere vos conabor ea quæ dico vera esse. Putatis enim, Judices, patrem meum, nisi Timothei fuissent ligna, et iste eum rogasset, commendato Philonda, cum ad duces regis solveret, soluturum fuisse naulum, aut permissurum unquam, cum ei pro naulo ligna oppignerata essent, ut ea Philondas e portu asportaret, ac non potius servum aliquem adhibiturum qui custodiret, et pretium reciperet venditorum lignorum, donec sibi satisfactum esset, si Philondæ fuissent, et causa negotiationis advecta? Jam cui vestrum verisimile fit, nisi jussisset iste solvere naulum lignorum quæ ab Amynta ei data fuerant, crediturum fuisse Philondæ, et passurum ut e portu in ædes istius illa veheret? aut qui fieri potest ut Philondas negotiationis causa ligna vexerit, ut iste inquit, cum ipse reversus illis lignis ad suam ædificationem fuerit abusus? Illud etiam considerate, multos cives et bonos viros isti familiares ejus negotia curasse, absente apud regem Timotheo. Quorum nullus pro testimonio dicere ausus fuit, vel, non accepisse Philondam naulum a mensa, vel, acceptum reddidisse, vel etiam ipsorum aliquem naulum dissolvisse de lignis quæ Philondas vexit, datis isti ab Amynta. Pluris enim faciunt existimationem et fidem suam, quam ut falsis testimoniis dicendis Timotheo gratificentur. Neque tamen se verum etiam testimonium in eum dicturos esse, propter familiaritatem ejus, affirmarunt. Cum igitur nemo familiarium testificari ausus fuerit, et procuratorum ejus, dum apud regem abfuit, vel non accepisse naulum lignorum Philondam a mensa, vel ipsorum aliquem dissolvisse: an non existimare debetis me vera loqui? Ac ne illud quidem dicere audebit, alium quemquam dissolvisse naulum de lignis quæ vexit Philondas, quam patrem meum. Sin verbis abutetur, postulate ut testimonium ejus exhibeat qui naulum solverit de lignis. In confesso enim est ipsum abfuisse apud regem, Philondam autem, quem propter ligna miserat et patri meo commendarat, invenisse mortuum, cum a rege reversus esset. Necesse igitur est aliorum cognatorum aut familiarium aliquem, quibus abiturus curam rerum suarum mandarat, scire, unde comparato naulo lignorum Philondas naviculario satisfecerit, si se eum patri commendasse, et accepisse Philondam a patre meo naulum lignorum negat. Nullius ergo testimonium proferre potes familiarium tuorum, de non accepto, te absente, naulo lignorum de mensa, sed alterutrum necesse est, te aut nullo uti familiarium neque fidem habere ulli tuorum, aut, cum satis scias Philondam accepisse naulum lignorum a patre meo, quemadmodum eum commendaras, cum hinc solveres, existimare nobis, si possis, fraudandis, tuis rationibus et compendio per injuriam consulendum. Ego vero, Judices, præter testimonium quod vobis exhibui, eorum qui se iis dedisse argentum, quibus iste jussit, dicunt, quique ad mensam tum sederunt, etiam jusjurandum pollicitus sum Timotheo, quod legetur vobis.

JUSJURANDUM.

Neque vero, Judices, in scriptis solum pater mihi debita reliquit, sed decumbens etiam dixit, quid sibi deberetur singulatim, et a quo, et quem in usum accepti essent nummi, fratre præsente. Hæc a me vere dici ut appareat, lege mihi fratris testimonium.

TESTIMONIUM.

Ac Timotheum eam pecuniam, quam ab eo postulo, patri meo debuisse, eamque meæ portionis fuisse, et frater testificatus est, et Phormio qui illam numeravit, et ego jusjurandum ei dare volui.

9. Quum vero iste apud arbitrum provocasset, et afferri tabulas a mensa juberet, et exemplum postularet, misso Phrasicride ad mensam: iis prolatis, Phrasicridæ et quærenda et exscribenda dedi ea quæ iste deberet. Confessum autem fuisse se exemplum accepisse ut constet, lege mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

Allatis igitur a me literis ad arbitrum, Phormio et Euphræus, qui pecuniam quibus iste jusserat curarant, præsentes, conveniebant eum, et quibus singula temporibus mutuatus esset, et quem ad usum accepisset, et quas ad res abusus esset. Iste vero mille trecentas quinquaginta unam et duos obolos, quæ primum mutuatus fuit mense Martio, oram soluturus Socratide prætore, quæque Antimacho quæstori suo dari jusserat, privatim mutuasse dicebat patrem meum Antimacho, non se accepisse. Ac vera quidem se dicere nullo teste ostendit: sed verbis abutitur, ut ne ipse fraudare, sed Antimachus mutuatus esse videatur. Ego vero, Judices, magnum vobis argumentum dicam, unde appareat, non Antimacho mutuatum esse patrem illam pecuniam, sed Timotheo jamjam soluturo. Utrum enim facilius futurum putatis patri, publicatis Antimachi bonis, asserere sibi ab eo deberi, si Antimacho mutuasset, an exspectare dum eandem ab isto locupletato reciperet, qui ipse illo tempore spem de salute sua perexiguam habebat? Enimvero si postulasset, non defuisset unde ex sponso ageret, neque ei fides fuisset a vobis abrogata. Scitis enim omnes patrem meum publica non injuste concupisse, sed de suo vobis, quoties juberetis, alacriter erogasse: deinde familiaris ei fuit Callistratus, qui Antimachi bona publicavit, neque ei adversatus esset. Quid sibi voluisset igitur pater, ut Timotheum potius debitorem nobis inscriptum relinqueret, nisi is debuisset, quam ut e publicatis Antimachi bonis postularet atque reciperet?

10. De mille autem drachmis, quas mutuo sumpsit ab Antiphane in Calauria, ut inter Bœotios trierarchos distribueret, huc venturus ad judicium, quas etiam reddidit Philippo naviculario, hic acceptas a patre meo, Bœotium navarchum ait fuisse mutuatum, et pro ea pecunia patri meo æs oppignerasse. Eum autem non verum dicere, magno vobis argumento demonstrabo. Primum constat istum in Calauria esse mutuatum illas mille drachmas, et non Bœotium navarchum: deinde Philippum hic ab isto repetiisse mille drachmas, et non a Bœotio navarcho; et reddidisse istum, non Bœotium navarchum. Par enim erat Bœotium præfectum ab isto alimoniam in naves accipere: de communibus enim tributis exercitui stipendia solvebantur. Pecuniam vero tu omnem a sociis redegeras; et tibi ipsi rationes referendæ erant. Jam Bœotiis navibus reversis, et militibus dilapsis, Bœotio præfecto nihil ab Atheniensibus periculi fuisset, neque is ullum in judicium vocatus fuisset: tibi vero ingens discrimen inferebatur; qui metu æstuans in Bœotiarum triremium permansione, donec judicium de te fieret, collocabas. Deinde quamnam ob amicitiam pater Bœotio navarcho mille drachmas mutuasset, quem non norat? At oppignerasse eum ait æs. Quantum tandem, aut cujusmodi, aut unde allatum illud æs Bœotio navarcho? Utrum ex negotiatione, an a captivis acceptum? Jam qui fuere qui æs attulerunt ad patrem meum? Utrum mercenarii, an servi? aut quis nostrorum servitiorum id accepit? Oportuit enim, si servi attulissent, eos qui attulissent dedere: sin mercenarii, eum e nostro famulitio, qui accepisset æs et expendisset, exposcere. Neque enim profecto vel is qui oppignerabat absque pondere traditurus, vel pater meus ipse id vel gestaturus vel ponderaturus fuit: sed famuli ei fuerunt, qui mutuo datæ pecuniæ pignora acciperent. Demiror ego etiam, quamnam ob causam Bœotius navarchus æs illud patri meo oppigneraturus fuisset, cum Philippo mille drachmas deberet. Utrum quod Philippus invitus facturus erat ut usuram acciperet, si nummos in tuto collocasset, et ad pignus? an quod pecunia Philippo non fuit? Proinde quid erat cur Bœotius ille navarchus a patre meo mutuum oraret, quod Philippo redderet potius, quam huic ipsi æs oppigneraret? Sed neque æs oppigneratum fuit, Judices, neque mutuatus est Bœotius navarchus mille drachmas a patre meo, sed Timotheus magna egestate pressus: quem vero in usum converterit argentum, dixi vobis. Tantum autem abest ut gratiam referat pro credita et accepta a patre meo pecunia, ut sorte etiam, si possit, fraudandum censeat.

11. De phialis porro, et argenti mina quam a patre meo est mutuatus, pedissequo suo Æschrione ad patrem meum noctu misso, eum apud arbitrum rogabam, an adhuc servus esset suus Æschrio, et ut ex cute illius veritas exsculperetur postulabam. Qui cum respondisset, eum esse liberum, a postulatione destiti: testimonium autem petii ut proferret Æschrionis tanquam liberi. Sed iste neque testimonium exhibuit, neque Æschrionem pro servo tradidit, quo veritas ex ejus corpore exquireretur, metuebat scilicet si ejus testimonium ut liberi exhibuisset, ne ego falsi testimonii Æschrione convicto, se ob malas artes ut lege permissum est accusarem: sin eundem in quæstionem dedisset, ne veritatem eloqueretur. Atqui honestum ei fuisset, si reliquæ pecuniæ acceptæ producere testes potuisset, illud saltem per Æschrionem probare, non acceptas fuisse phialas aut minam argenti, neque missum fuisse illum ad patrem meum; atque eo argumento probare vobis, me etiam reliqua de quibus accusem ementiri, quando is, quem dicam, ejus famulum, phialas et argenti minam accepisse, is quæstionibus habitis non accepisse comperiatur. Quod si firmum isti fuisset argumentum apud vos deditio Æschrionis, quem ab isto missum fuisse affirmo, et accepisse phialas a patre meo, et argenti minam esse mutuatum, idem et mihi sit argumentum apud vos, veræ accusationis meæ conscium istum, tradere Æschrionem non audere.

12. Defensionis autem loco illud afferet, in mensariis rationibus Alcisthene prætore scriptum esse se in naulum lignorum accepisse, et pretium phialarum quas Timostheni pater pro isto solvit: cum eo tempore non domi, sed apud regem Persarum fuerit. De hoc igitur perspicue vos docebo, ut certo sciatis quo pacto se habeant mensariæ literæ. Nam iste mense Aprili, Astio prætore, profecturus ad regem, commendavit Philondam patri meo: sequenti anno Alcisthene prætore, Philondas, ligna vehens e Macedonia, reversus naulum lignorum accepit a patre meo, isto apud regem absente. Cum igitur a mensa pecuniam darent, istum debitorem inscripserunt, non cum præsens adhuc patri meo Philondam commendasset. Quando enim commendarat, ligna nondum aderant, sed propter ea Philondas iter suscepturus erat: qui cum advectis lignis rediret, iste peregre abfuit, Philondas autem accepit naulum lignorum, quemadmodum iste jusserat, et in istius ædes in Piræeo ligna vecta sunt. Istum autem non pecuniosum hinc profectum esse, et vos ipsi, quibus ejus opes oppigneratæ fuerunt, scitis, quos nunc defraudat: ut autem cognoscatis, eum etiam sine pignoribus debuisse quibusdam civibus, cum nihil haberet oppignerandum quod alicujus momenti esset, lege mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

13. De phialis autem, quas Septembri mense Æschrio pedissequus istius Astio prætore petiit, cum iste domi esset, et hospitio Alcetam et Iasonem excepisset, isti ut debitori pretium inscriptum

est Alcisthene prætore ea de causa, quod interea relaturum eum quas petierat putavit pater: postquam autem iste discesserat, phialis non relatis, neque phialæ Timosthenis apud Phormionem sitæ erant, atque is adveniens eas repetebat, tum et pretium phialarum Timostheni persolvit, et debitorem istum ad reliquum æs alienum inscripsit. Quare, si hac defensione abutetur, se non fuisse domi temporibus illis, cum sibi pretium phialarum expensum latum sit, sic ei respondete, Accepisti eas cum adesses: postquam vero non referebas—peregre enim aberas—, phialæ autem, quas creditor repetebat, non aderant, inscriptus es ejus pretii debitor, quod pro phialis est solutum.

14. At hercule fortasse dicat, debuisse patrem a se repetere phialas? Sed te videbat inopia premi. Et cum de cætero ære alieno fidem tibi haberet, et putaret se id a te reverso et locupletato recepturum, de phialis tibi diffisus esset scilicet? Quum, precante te, cum ad regem proficiscereris, se naulum lignorum soluturum polliceretur: de phialis duabus fidem tibi non habuisset? quum reliquum debitum a te non reposceret, respectu inopiæ tuæ, phialas repoposcisset?

15. Jam vero vobis etiam de delato jurejurando dicam, quod et isti ego pollicitus sum, et iste mihi. Me enim jusjurandum in echinum conjiciente, postulabat et ipse dato jurejurando se liberari. Ego vero, nisi certo scissem eum et civitatibus et hominibus privatis et sæpe et magnis in rebus datam fefellisse fidem, detulissem ei sane id jusjurandum: nunc, cum testes mihi sint, accepisse argentum a mensa eos, quibus iste id dari jusserat, prætereaque illustria argumenta, non committendum videbatur, ut ei jusjurandum deferrem, qui jurisjurandi religione quid moveretur, quum nec ab aris ipsis præ avaritia manus abstinuerit? Ac multa singulatim referri possent, quibus in rebus temere pejerarit: quæ vero ejus perjuria et evidentissima et vobis etiam non ignota sunt, ea vobis in memoriam redigam. Meministis istum pro concione jurasse et imprecatum sibi internecionem, nisi Iphicratem peregrinitatis accusaret, et suas facultates consecrasse: quæ cum jurasset et pro concione promisisset, non longo tempore post, privatæ utilitatis causa, suam filiam illius filio despondit. Qui igitur neque vos veritus est pollicitando decipere, cum leges eum qui id fecerit publice capitis accusari jubeant, neque deos immortales, quorum invocato numine diris caput suum devovit quo minus pejeraret, reformidavit, ei me noluisse deferre jusjurandum estne vitio vertendum? Neque etiam diu est, cum rursus pro concione juravit, sibi non satis esse facultatum ad sustentationem senectutis, cum tantas opes possideat. Adeo inexplebili et sordido est ingenio.

16. Ego vero e vobis quærere velim, numquid irascamini mensariis qui conturbant. Si igitur illis jure irascamini, ut qui vos injuria afficiant, nonne æquum est ut iis qui vos nihil lædunt opitulemini? Atqui propter tales homines mensæ conturbantur, qui quum in egestate mutuentur, et propter auctoritatem fidem haberi sibi postulent: locupletati non reddunt, sed fraudant.

17. Quarum igitur rerum testes vobis producere potui, ii mihi testimonium dixerunt: præterea etiam argumentis vobis ostendi, Timotheum debere patri meo. Vos igitur oro ut me juvetis ad ea redigenda, quæ pater mihi reliquit.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS POLYCLEM DE SUMPTIBUS FINITO NAVALIS PRÆFECTURÆ TEMPORE FACTIS.

Apollodorus Pasionis filius, cum in præfectura navali præfinitum tempus strenue præclareque se gessisset, in eadem alio non parvo tempore perstitit, successore Polycle non statim ad navem profecto. Qui postquam venerat, cum navem non statim suscepisset, sed simulasset se collegam suum navalem exspectare, atque interim Apollodorus navi præfuisset, sumptus eo tempore a se factos a Polycle postulat.

DEMOSTHENIS

ADVERSUS POLYCLEM

ORATIO DE SUMPTIBUS FINITO NAVALIS PRÆFECTURÆ TEMPORE FACTIS.

1. Talium controversiarum, Judices, eos etiam qui controversiam cogrituri sunt vel in primis rationem habere decet. Neque enim mea et Polyclis privata duntaxat hæc causa est, sed et communis civitatis. Quarum enim rerum ut privatæ sunt actiones, sic damna publica, eas nonne convenit auditas a vobis recte dijudicari? Nam si propter dissensionem de quopiam alio contractu Polyclem in vestrum judicium adduxissem, mea res et Polyclis ageretur: nunc de navali successione verba fiunt et sumptibus spatio quinque mensium et sex dierum finito præfecturæ tempore factis, et de legibus, utrum eæ ratæ sint nec ne. Necessarium autem mihi esse videtur ab initio rem omnem apud vos exponere: quare per deos vos oro, Judices, ne me putetis nugas agere, si prolixius narravero sumptus et acta, quam et tempestive singula et reipub. utiliter administrata sint. Quod si quis mentiri me potest ostendere, surgat, atque in mea aqua coarguat, quicquid me falso apud vos dicere putarit. Sin vera erunt, et nemo mihi nisi iste contradicet, rem justam peto a vobis omnibus quicunque militastis atque illic affuistis, tum ut ipsi recordemini tum ut vestris assessoribus narretis studium meum et ea quæ reipublicæ illis temporibus acciderunt et rerum difficultates, quo inde cognoscatis, qualis ego sim in jussis vestris exsequendis: qui autem domi mansistis, tacite me ut audiatis apud

vos omnia commemorantem, atque in iis quæ dicam omnibus et senatusconsulta et plebiscita proferentem, et testimonia.

2. xxiiii. die Quintilis mensis, Molone prætore, concione convocata, cum multæ magnæque res nunciatæ vobis essent, decrevistis naves a trierarchis in portum trahendas: quorum e numero et ego fui. Ac quæ tum reipublicæ tempora fuerint id non mihi narrandum, sed vobis ipsis recordandum est, et Tenum ab Alexandro fuisse occupatam ac direptam; et Miltocythem a Coty defecisse, missis legatis, auxilia postulantem et Chersonesum restituentem; et Proconnesios, socios nostros, implorasse pro concione opem nostram, cum se a Cyzicenis terra marique bello premi dicerent, rogarentque ne se perituros alioqui negligeremus; mercatores item ac navicularios e Ponto soluturos, Byzantiis, Calchedoniis et Cyzicenis propter frumenti penuriam naves exceptantibus; et vidisse vos in Piræeo frumenti pretium crescere nec magnam copiam venalem reperiri. Quæ cum vos ex eis tum pro concione audiretis et patronis eorum, trierarchos naves protrahere, ad vallum pervehere, et a senatoribus ac tribunisplebis delectus haberi municipum, nautas designari, classem quam primum ablegari, et singula in loca mitti auxilia jussistis. Atque id Aristophontis decretum vicit.

DECRETUM.

3. Decretum audivistis, Judices. Ego vero, cum mihi nautæ a municipibus delecti non nisi pauci iique imbecilles venissent, eos quidem missos feci: et oppigneratis meis opibus, pecuniam mutuatus, primus implevi navem, conductis nautis quam fieri poterat lectissimis, muneribus et congiariis datis singulis eorum magnis; præterea propriis armamentis totam navem instruxi, neque e publico quicquam accepi, et quam potui pulcherrime et splendidissime inter trierarchos exornavi. Remigium igitur quod potui præstantissimum conduxi. Neque vero, Judices, in triremi tum instruenda solum tantos sumptus feci, sed etiam pecuniæ, quam ad educendam classem conferri jussistis, non minimam partem vobis obtuli. Cum enim visum esset vobis ad municipum utilitatem ut referrent senatores eos qui principes collaturi essent tam inter municipes quam inter eos qui in municipiis prædia haberent, relatum fuit nomen meum in tribus municipiis, propterea quod manifestæ erant meæ facultates. Neque ego in his quicquam causatus sum, vel me triremem instruere vel bina onera simul sustinere non posse, vel legibus id interdictum esse, sed prima tributa primus pependi; neque redegi, nam et tum trierarchus reipublicæ causa peregre aberam, et post reversus bona nomina jam ab aliis exacta, mala reliqua, deprehendi. Hæc ut vere a me dici constet, testimonia vobis legentur,

et eorum qui tum stipendia exegerunt et præfectorum classis: cognoscetis enim me stipendia remigibus et militibus singulis mensibus dedisse, a ducibus commeatu duntaxat accepto, excepto duorum mensium stipendio, toto anno et quinque mensibus; et nautas a me conductos, et quantum pecuniæ singuli acceperint, unde et meum studium, et quamobrem iste a me navem finito trierarchiæ meæ tempore accipere noluerit, perspicietis.

TESTIMONIA.

4. Me igitur nihil falsi dixisse apud vos, Judices, e recitatis testimoniis audistis: ea porro quæ dicam vera esse, omnes mihi assentiemini. Triremis destructionem esse constat primum, si quis stipendium non solvat: deinde, si quis interea in Piræeum redierit. Nam et maxima fit desertio, et nautæ qui remanent nolunt rursum conscendere, nisi eis alia pecunia detur ad rem familiarem constituendam: quæ cum utraque mihi usu venerint, Judices, pluris mihi trierarchia constitit. Etenim nulla mercede a duce accepta octo mensibus huc appuli, legatos vehens, propterea quod mea navis optime instructa erat. Et hinc cum rursus a populo mihi mandatum esset ut Menonem ducem in Hellespontum Autoclis cui abrogatum erat imperium loco veherem, celeriter solvi, et in eorum nautarum qui me reliquerant locum conduxi alios, donis et auctoramentis magnis datis, veteribus autem nautis qui remanserunt aliquid largitus sum quod domi relinquerent ad constituendam rem familiarem, præter id quod prius acceperant, non ignorans, quid cuique in præsentia esset opus: cum autem ipse ita egerem, ut ita me amet Jupiter et Apollo nemo vestrum credat, qui non vere cognitum statum rerum mearum habet, et fundum Thrasylocho atque Archeneo oppignerassem, triginta minis ab eis mutuo sumptis atque inter nautas distributis, solvi profectusque sum, ut ne quid eorum quæ mandaveratis, populus, quod in me quidem esset, desideraret. Quibus rebus populus auditis me et collaudavit et ad cœnam in curiam invitavit. Hæc vere a me dici, lecto testimonio et plebiscito cognoscetis.

TESTIMONIUM. PLEBISCITUM.

5. Postquam autem in Hellespontum venimus, quum trierarchiæ meæ tempus exisset, et stipendia non nisi duorum mensium militibus soluta essent, atque alius imperator Timomachus adesset, isque nullos navium successores adduceret, multi e meis abjectis animis nave relicta abierunt, alii in Asiam militatum, alii in Thasiorum et Maronitarum naves, magnis adducti stipendiis magnaque

pecunia prius accepta, quia et meos loculos exhaustos, et rempublicam esse negligentem, et socios inopes, et duces infidos, atque multorum oratione decepti essent, et trierarchiæ tempus jam exire, neque domum parari reditum, neque successorem venire ad navem, a quo aliquid opis sperari aut impetrari posset, videbant. Quo enim studiosius et melius navem bonis remigibus compleram, eo me plures quam ullum alium præfectum deseruerunt. Nam cæteris, ut nihil aliud, saltem qui e delectibus venerant ad navem remanserunt reditum in patriam sibi reservantes, si eos dux missos fecisset: mei vero nautæ freti suo robore et agendarum navium peritia, quo in loco plurimum accepturi erant, eo se contulerunt, existimantes præsentes copias plus valere impendente metu, si quando a me deprehensi essent. Quum igitur in eo loco res meæ essent, et simul dux Timomachus mihi mandasset ut ad Templum navigarem perducendi frumenti gratia nec stipendium solveret, ac insuper nunciatum esset, Byzantios et Calchedonios rursus exceptare navigia et adigere ad frumentum exonerandum, mutuatus ego a Charidemo Anaphlystio quindecim minas fœnore, septingentas drachmas ad octavas usuras a Nicippo naviculario navali contractu accepi, qui Sesti erat, ea conditione, si navis incolumis Athenas redisset, ut ei et sortem et usuras redderem; missoque Euctemone semicenturione Lampsacum, pecunia et literis ad hospites patris mei datis, jussi mihi nautas conducere, quam posset robustissimos: ipse autem Sesti moratus, veteribus nautis qui remanserant dedi quantum potui, postquam mihi præfecturæ tempus exibat, et alios nautas integri stipendii accepi, interea dum dux navigationem ad templum apparabat. Cum autem Euctemon Lampsaco reversus nautas quos conduxerat adduxisset, ac dux classicum canere jussisset ut solveremus, accidit ut Euctemon repente in morbum eumque gravissimum incideret. Eum igitur, reddito stipendio, et addito viatico, domum remisi; atque ipse, alio semicenturione creato, solvi ad frumentum pervehendum, ibique moratus sum quinque et quadraginta dies, donec naves e Ponto post Arcturum solverent. Cum autem Sestum pervenissem, ego me domum jam rediturum putabam, cum non modo tempus mihi jam exactum esset, sed et duo menses ad præfecturam navalem accessissent, et successor ad navem non veniret: dux autem Timomachus, cum eum legati Maronitani convenissent ac rogassent ut frumentarias suas naves tueretur, nobis triremium præfectis mandat ut eas naves ad triremes alligatas Maroneam pertraheremus, cursu et longo et spatioso in mari.

6. Hæc vobis omnia propterea exposui ab initio, ut sciatis, quantos ipse sumptus fecerim, et quantum propter rempublicam onus sustinuerim, quantumque postea pro isto insumpserim finito præfecturæ

tempore, cum ad navem non veniret, et quanta ipse pericula subierim tum tempestatum tum hostium. Post enim perducta Maroneam navigia cum Thasum pervenissemus, eo profectus Timomachus rursus perducebat cum Thasiis Strymen frumentum et scutatos, ut ipse locum illum occupaturus. Cum vero Maronitæ classe instructa nobiscum de eo loco dimicaturi essent, et milites longa navigatione fatigati naves Thaso Strymen traherent, et hyems esset, et locus portum non haberet, nec exscendere et cœnare in hostili agro liceret, ac murum undique et mercenarii milites et barbari finitimi circumsiderent, necesse fuit in anchoris in alto fluctuare noctem illam incœnatos et insomnes, et excubias habere, ne Maronitarum triremes noctu ex insidiis impetum in nos facerent præterea fiebat noctu, propter anni tempus, ut pluviæ et tonitrua et ventus magnus oriretur,—hæc enim sub ipsum Pleiadum occasum facta sunt—, quas ob res in quam animi ægritudinem non incidisse milites existimatis? quam multos a me postea aufugisse rursus veterum nautarum, cum et magnas ærumnas tolerarent, et operæ pretia parva facerent, quantum scilicet ego eis ad illa quæ prius a me abstulerant mutuare poteram? Nam dux ne id quidem quod ad quotidianam alimoniam pertineret suppeditabat, et jam tres menses legitimo præfecturæ tempori adjeceram, et cum iste nondum ad navem veniret, ego in desertorum locum nautas conducebam, mutuo sumpta pecunia.

7. Soli autem isti e cæteris successoribus nulla relinquitur excusatio, cur non multo ante ad navem venerit. Euctemon enim semicenturio, ut ex Hellesponto propter morbum domum est missus, quum primum appulit et audiit istum mihi successorem datum, cum sciret jam et exisse tempus præfecturæ meæ, et me jam ultra terminum abesse, adhibito Dinia socero meo, eum in Digmate convenit, et quamprimum ad navem abire jussit, impensas enim in dies singulos magnas fieri, præter commeatum qui a duce in navem daretur; ac singulatim ei commemoravit, quæ mercedes remigio et militibus in singulos menses numerarentur, quæ nautis quos ipse Lampsaci conduxisset, quæ iis qui in desertorum locum inscendissent, prætereaque quid veterum nautarum singulis rogatus addidissem, postquam mihi præfecturæ navalis dies exisset, et cætera quæ in navem quotidie impenderentur, quæ non ignorabat. Per eum enim, dum semicenturionem ageret, et emebantur et expendebantur omnia. De armamentis porro, me privatim ea habere et e publico nihil accepisse retulit. Eam igitur, inquit, inito rationem, ut aut ab eo illa impetres, aut armamenta privata hinc afferas. Arbitror autem ei facile tecum conventurum: illic enim pecuniam debet, quam dissolvere volet de pretio armamentorum. His iste ex Euctemone et Dinia socero meo auditis, ad ea quæ ei dixerant nihil

respondit; sed cum risu dixisse fertur, Modo mus picem gustat, facetus enim esse voluit. Quum autem Euctemonis et Diniæ verbis nihil moveretur, postea rursus eum conveniunt Pythodorus Acharnensis et Apollodorus Leuconensis, familiares mei atque amici; et ad navem abire jubent, ut successorem, et de armamentis ei narrant, me privatim habere omnia, publicum nihil. Quod si illis uti voles, relinque, inquiunt, pecuniam hic, neque periculo maris committe, illuc vehendo: idque ea de causa faciebant, ut mihi redimerent prædium, redditis Archeneo et Thrasylocho triginta minis. De armamentorum autem attritione voluerunt ei literas dare et ipsi spondere pro me, fore ut eadem mecum conditione transigeret, qua et reliqui triremium præfecti cum successoribus. Hæc a me vere dici ut constet, testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

8. Multis autem me vobis argumentis ostensurum puto, Polyclem neque tunc in animo habuisse navem a me accipere, neque, postquam a vobis et decreto vestro coactus est ad navem abire, cum eo venisset, voluisse mihi in trierarchia succedere. Nam Thasum ubi venit, me jam quartum mensem ultra terminum præfecturam gerente, ego testibus adhibitis quam potui plurimis tum civium tum militum tum remigum eum Thasi in foro convenio; et navem a me accipere jubeo, ut successorem, et reliqui temporis mihi sumptus restituere. Rationem autem cum eo putare volui de singulis, dum mihi factorum sumptuum testes adessent, nautæ, milites et remigium, ut, si quid inficiaretur, eum statim convincerem. Tam enim accurate a me inscripta erant omnia, ut non modo sumptus essent annotati, sed etiam ubi essent facti, et quos in usus, et pretium et quanti quicque esset, et cujate nomisma, et quanti pecunia mutaretur: ut certo possem convincere successorem, si quid me sibi falso imputare duceret. Præterea fide etiam data sumptus ei computare volui. Me autem id postulante, respondit, se nihil curare quicquid dicerem. Interea minister, a duce missus, mihi mandat ut solvam, non isti successori, cujus munus id erat: ejus autem rei causam in progressu orationis vos edocebo.

9. Tum igitur mihi visum fuit solvere, et navigare, quo juberet. Postquam autem rursus Thasum appuli, Strymen pertractis, quo dux mandarat, navigiis, nautis et militibus et remigibus in navi manere jussis, ipse exscendi et in ædes abii, ubi Timomachus dux diversabatur, volens etiam coram illo navem tradere Polycli plenam. Deprehendo igitur et istum illic et triremium præfectos et successores et alios quosdam cives: et recta ingressus, coram duce, verba ad eum facio, et peto ut navem a me accipiat et sum-

ptus reliqui temporis mihi persolvat, deque armamentis eum interrogo, utrum ea suscepturus esset, an propriis secum allatis ad navem veniret. Quæ cum ab eo postularem, rogabat me cur ego solus e trierarchis privata armamenta haberem, et utrum civitas ignoraret posse quosdam armamenta præbere navibus, ne ipsa ea præberet, an tibi, inquit, præter cæteros ita libet profundere per ludibrium divitias, ut et armamenta privata habeas, et aurata ornamenta solus e trierarchis? Quis igitur, inquit, posset tuam insaniam tuasque profusiones tolerare? comitatum corruptum, et multum pecuniæ ante tempus capere, et immunem a receptis navium muneribus, et lavare in balneis solitum? et cum milites tum remiges ob magnum et integrum stipendium luxu diffluentes? Malorum, inquit, doctor exstitisti in exercitu, et auctor es ex aliqua parte ut et reliqui trierarchi militibus improbioribus utantur, eadem quæ tuis tu largiris requirentibus. Decuisset te cæterorum frugalitatem imitari. Hæc eo dicente, ego propterea, inquam, e navali non accepi armamenta, quod ipse ea perdidisti. Sed, si vis, hæc accipito: sin minus, armamenta ipse tibi compara. Quod autem ad nautas attinet et milites ac remiges, si eos a me corruptos esse dicis, accepta triremi ipse tibi et nautas et milites et remiges cura, qui gratis te comitentur: navem autem accipe, neque enim me triremi præesse decet amplius. Nam et præfecturæ meæ tempus præteriit, et ego jam quatuor menses ultra id onus sustinui. Hæc me dicente, mihi collega, inquit, meus non venit ad navem: non igitur solus triremem accipiam. Hæc vere a me dici apud vos, et eum in foro prius mihi respondisse, se mea verba nihil curare; et in ædibus, ubi Timomachus diversabatur, se solum navem non esse accepturum, uti constet, harum rerum vobis testimonia legentur.

TESTIMONIA.

10. Post hæc, Judices, cum nec in nave mihi succedere vellet, neque sumptus reliqui temporis redderet, et me dux solvere juberet, aggressus eum Thasi in portu, coram duce, plena jam triremi, sic cum eo ago, non quod æquum esset (erat enim iste meliore conditione), sed quia pro re nata sic agere necesse mihi erat: postquam tu ais, Polycles, collegam tuum non venire, impensas reliqui temporis, quatuor mensium, si potero, ab eo exigam. Tu vero accepta navi, primum tuum tempus, sex menses, obito: deinde, si interea venerit collega tuus, eam obito tuo munere illi tradito, sin minus, nihil intolerabile tibi accidet, etsi duos menses adjeceris. An, cum ego et meum tempus et collegæ obierim, et pro vobis etiam exacto tempore publicum munus sustinuerim, tu, qui nullos fecisti sumptus, gravaris, suscepta navi, vel tuum obire tempus, aut

impensas mihi restituere? Hæc me dicente, fabulas me narrare aiebat: dux autem navim conscendere me jubebat, et secum solvere. Ac ut eum hæc respondisse constet, lege mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

11. Dicam vobis etiam signum evidens, ut sciatis insignem mihi factam esse injuriam. Nam Hagniæ et Praxicli sub idem tempus dati successores sunt, Mnesilochus Perithœdes et Phrasicrides Anaphlystius; Phrasicride autem ad navem non profecto, Mnesilochus Thasum venit et ab Hagnia triremem suscepit, et impensas reliqui temporis solvit Hagniæ, quas pro eis rogatus fecerat, et armamenta conduxit ab Hagnia, et ipse triremi præfuit: deinde, qui a Phrasicride missi erant, ii et impensarum partem reddiderunt Mnesilocho, et deinceps sumptus quos navis requirebat una sustinuerunt. Horum mihi lege testimonium.

TESTIMONIUM.

12. Fortassis igitur causam requiritis, Judices, cur dux tum istum suscipere navem non coegerit, qui successor ad eam venisset, cum leges id tam severe præcipiant? Hujus ergo rei causam perspicue vos edocebo. Timomachus, Judices, triremi voluit ad omnia bene instructa uti. Sciebat autem istum, triremi accepta, male suum munus obiturum; neque vel impensas facturum, vel militibus ac remigibus meis usurum: neque enim quisquam apud eum mansisset. Præterea si eum non data pecunia navigare jussisset, non ita, ut me, soluturum, sed molestum sibi futurum. Ad hæc mutuatus ab eo erat triginta minas, ea conditione ne eum navem accipere cogeret.

13. Qua autem de causa mihi maxime iratus fuerit meque insectatus sit, nec unquam mihi vel una de re dicendi potestatem fecerit, perspicue vobis explicabo, ut sciatis me non fecisse pluris illo tempore vel otium meum, vel illius potentiam, quam populum Atheniensem et leges: sed æquo tulisse animo et factorum injuriam et contumeliam verborum, quæ mihi multo erant graviora impensis. Ut enim Thasi classis morabatur, a Methona urbe Macedoniæ navicula venit Thasum, quæ hominem vehebat et literas a Callistrato ad Timomachum, quibus petebat, ut ego postea rescivi, sibi triremem expeditissimam mitti, quo ad eum veniret. Postridie cum prima luce minister aderat qui me nautas in navem vocare juberet. Qua, cum plena esset, conscensa Callippus Philonis F. Æxonensis gubernatori indicat versus Macedoniam esse navigandum. Postquam autem ad oppidum quoddam in opposita continente, Thasi-

orum mercatum, venimus, et egressi ac pransi sumus, ad me accedit nautarum unus Callicles Epitrephis F. Thriasius, mecum de re quæ mea interesset collocuturus. Cum dicere jussissem, se mihi gratiam relaturum ait quantum posset, quod sibi in egestate succurrissem. Tune, inquit, hæc navigatio scis qua de causa quove suscipiatur? Cum respondissem me nescire, ego, inquit, tibi dicam. Te vero audita re prudens inire consilium oportebit: vecturus es hominem exsulem, quem Athenienses bis capitis damnarunt, Callistratum Methona Thasum ad Timomachum generum, ut ego, inquit, e Callippi pueris audivi. Tu igitur, si sapis, neminem exsulem navem conscendere sines: est enim legibus interdictum. Quibus ego e Callicle auditis accedo ad Callippum, eumque rogo, quorsum naviget, quaque de causa. Eo vero me deridente et ea comminante quæ nec ipsi ignoratis—neque enim non experti estis Callippi ingenium—, ei dico, audio te navigare ad Callistratum adducendum. Ego vero neminem exsulem veham, neque ad eum navigabo: leges enim non sinunt suscipere ullum exsulem, aut eodem crimine teneri jubent eum qui susceperit quo ipsos exsules. Revertar igitur cum nave ad ducem: cumque conscendissent nautæ, gubernatorem jubeo redire Thasum. Refragante Callippo et jubente navigare in Macedoniam, quo dux jussisset, respondet ei Posidippus gubernator, me et præfectum esse triremi et rationibus reddendis obnoxium, et se mercedem a me accipere. Navigaturum igitur Thasum ad ducem, quo ego jussissem.

14. Postridie cum Thasum redissemus, accersit me Timomachus in suum diversorium, quod erat extra mœnia. Ego vero ne vincirer timens, in calumniam adductus a Callippo, ipse non pareo, sed ministro dico, si quid mecum agere vellet, me in foro futurum: et puerum cum eo mitto, ut si quid ille imperaret, mihi renunciaret. Propter has causas quas dixi vobis, Timomachus non coegit istum accipere navem; prætereaque ipse navi uti voluit optime instructa. Nam Thrasylocho Anagyrasio, cujus ipse triremi vehebatur, persuadet ut Callippo præfecturam locet, quo Callippus nave potitus suo arbitratu Callistratum circumveheret: ipse vero, mea navi conscensa, quovis obnavigat, donec in Hellespontum pervenisset. Cum autem ei triremibus jam non esset opus, Lycino Pallenense duce in meam navem collocato, qui pecuniam quotidie nautis daret, abire domum me jubet.

15. In eo itinere Tenedi cum essemus, cum neque Lycinus, cui Timomachus id mandarat, nautis stipendium solveret—quod se nummos non habere, sed Mitylenis accepturum esse diceret—, neque militibus esset unde commeatum emerent, et jejuni remos agere non possent: rursus ego civibus testibus adhibitis, Polyclem Tenedi aggressus, et navem accipere, ut successorem, et mihi reddere sumptus a me finito præfecturæ tempore factos, jubeo, ne speciem defensionis haberet apud vos, me propterea navem sibi dare noluisse, ut per ambitionem nave bene instructa domum redirem, et apud vos sumptus ostentarem. Quam cum nec ipse accipere vellet, et nautæ nummos ad emenda necessaria postularent, rursus ad eum accedo testibus adhibitis, eumque rogo, num navim abducturus esset, et num pecuniam haberet, et a me accepturus esset navem, necne? Respondente illo, se advenisse cum pecunia, mutuari mihi oppigneratis armamentis jussi, ut distribuerem pecuniam inter nautas, navemque domum reducerem, quando eam ipse quanquam successor nollet accipere. Hæc me orante, respondit, se ne teruncium quidem mutuaturum. Ego igitur ab hospitibus Tenediis patris mei, Cleanacte et Eperato, mutuatus, nautis stipendium solvi. Quia enim Pasionis eram filius, cui et hospitium cum multis esset et fides in Græcia haberetur, non deerant, qui mihi petenti mutuarent. Hæc ut a me vere dici constet, testimonia vobis exhibebo.

TESTIMONIA.

16. Quorum igitur testimonia vobis exhibere potuimus qui affuerunt, quum sæpe navem Polycli tradere volui, is vero accipere noluit, ea vobis legimus: præterea satis multis etiam argumentis vobis ostendi, eum id recusasse. Curabo etiam legem de successoribus vobis legendam, ut sciatis, quantis mulctis propositis, si quis navim præfinito tempore non acceperit, iste non me solum, sed et vos et leges, despexerit, ac quantum in ipso quidem fuit et reipublicæ et sociorum conatus omnes fuisse irritos intelligatis. Neque enim ad navim venit ut lege jubebatur, neque, cum venisset, eam accipere voluit. Ego vero et meum et collegæ mei tempus vobis obii: et, cum præfecturæ meæ tempus exiisset, mandante mihi duce ut ad Templum navigarem, perduxi populo frumentum, ut copiam vænalem haberetis, et quantum in me esset nihil desideraretis: et, quascunque alias ad res dux vel me vel mea triremi uti voluit, præsto fui, non sumptibus modo faciendis, sed et corpore periculum adeundo unaque navigando, cum in eo tum statu res meæ domesticæ essent, quo vos audito fore putem ut nostri misericordia moveamini. Mater enim mea ægrotabat et moribunda erat, me absente, ut rem meam familiarem exhaustam non nisi parum adjuvare posset. Ut enim sexto die post acceptum nuncium veneram, illa, me intuita et allocuta, efflavit animam, cum bona sua jam in potestate non haberet, ut mihi quantum vellet largiretur. Nam sæpe prius etiam me accersierat, pre-

cata ut ipse venirem, si cum triremi non liceret. Uxor porro, quam ego facio maximi, longo tempore absente me decubuit, liberi parvi, res familiaris obærata: tantum autem abfuit ut agri quicquam ferrent, ut eo anno putei etiam aqua deficerentur, quod nostis omnes, nec olera in horto crescerent; creditores autem, anno exacto, prædium invasuri erant, nisi eis creditæ pecuniæ ut syngraphæ jubebant redderentur.

17. Quæ cum et nunciis et domesticorum literis cognoscerem, quo me fuisse animo putatis, aut quantum fudisse lacrymarum, partim præsentes difficultates reputantem, partim videre desiderantem liberos, uxorem, et matrem quam viventem inventurum spem tenuem habebam? Quibus quid est homini dulcius, aut quid est cur his orbatus quisquam velit vivere? Quanquam autem ita mecum agebatur, non pluris tamen feci res meas privatas, quam vestras: sed oportere censui me nec pecuniariis sumptibus nec detrimentis rei familiaris nec morbo uxoris et matris succumbere, ne quis criminaretur me vel ordines deseruisse, vel triremem meam nulli fuisse usui reipublicæ. Pro quibus omnibus hanc a vobis repeto gratiam, ut quemadmodum ego pro meo loco atque officio me vobis obsequentem atque utilem præbui, sic vos quoque nunc mei rationem habeatis, utque omnium eorum quæ dixi vobis et testimoniorum quæ produxi et decretorum memores, tum mihi affecto injuriis succurratis, tum vos ipsos ulciscamini, tum quæ pro isto insumpsi restituatis. Nam quis alioqui suum erga vos studium declarabit, si neque bonis et dicto audientibus referre gratiam, neque improbis et vestri contemptoribus pœnas irrogare videamini? Legetur autem vobis et lex, et sumptus finito præfecturæ tempore pro isto a me facti singulatim, et navis desertores, quantum quisque nummorum cum fugam caperent abstulerit, et quo se contulerit, ut cognoscatis, me neque nunc apud vos mentiri quicquam, neque etiam superiore tempore.

18. Ego enim sic existimo et tempus definitum legibus sine querela vestra obeundum; et contemptores tum vestri tum legum, quibus obtemperare nolunt, a me apud vos injuriarum convictos esse ulciscendos. Neque vero, mihi credite, mea causa magis quam vestra Polyclem ulcisci studeo, neque tam superiorum temporum trierarchos curæ vobis esse velim, quam prospici futuris, ut neque hi qui munera obeunt animos despondeant, neque successores leges contemnant, sed ad naves abeant, cum fuerint designati. Quæ vobis cogitanda sunt ut recte et vere de rebus omnibus judicetis. Perquam autem e vobis quærere velim, Judices, quo in me animo futuri essetis, si, finito meo tempore istoque ad navem non veniente, navi diutius, jubente imperatore, non præfuissem, sed discessissem.

Nonne irati mihi fuissetis, meque delinquere putassetis? Quod si tum irati mihi fuissetis, quod navi diutius non præfuissem, nonne convenit ut nunc ab isto sumptus mihi exigatis, quos pro eo feci, qui navem a me non accepit? Neque vero mihi solum non successisse, sed prius etiam cum Euripidis collega esset, atque inter ipsos convenisset ut sex uterque menses navigaret, cum Euripides abiisset ac tempus elapsum esset, navem eum non accepisse, hoc audito testimonio cognoscetis.

TESTIMONIUM.

ARGUMENTUM ORATIONIS DE CORONA PRÆFECTURÆ NAVALIS.

Multis et magnis rebus Athenienses urgentibus ad triremes complendas et marini imperii curam suscipiendam, decretum fit, ut qui primus e triremium præfectis navem instructam haberet, coronam acciperet: qui autem ante pridie calendarum, hoc est postremum diem mensis, navem ad vallum non perduxisset, vinciretur. Fuit autem id vallum structura portui præposita ut et naves commodius appelli possent et nautæ ibi forum haberent. Apollodorus igitur F. Pasionis, qui navem primus eo perduxerat, coronam accepit: cum autem rursus probatio proposita esset, ut is etiam qui navem pulcherrime instruxisset coronaretur, eam quoque coronam Apollodorus sibi vendicat.

DEMOSTHENIS

DE CORONA PRÆFECTURÆ NAVALIS

ORATIO.

1. Si ei qui plurimos defensores habet, patres conscripti, senatusconsulto corona daretur, væcors sane essem, qui eam peterem, cum unus Cephisodotus mihi sit patrocinatus, istis complures. Nunc jussit populus quæstorem ei coronam dare qui triremem primus instruxerit: id quod ego feci, proptereaque me censeo coronandum. Demiror autem istos qui, triremi neglecta, oratores subornarunt, mihique illi videntur omnino a re aberrare, atque existimare, vos non iis qui officio fungantur habere gratiam, sed iis qui de eo glorientur; in quo non ita, ut ego, de vobis existimant. Atque ob eam ipsam rem æquum fuerit vos mihi favere magis: ego enim vos meliores viros judico, quam isti. Æquum autem esset, Athenienses, et justum, ut ii qui coronam a vobis tribui sibi volunt, ea se dignos esse ostenderent, non mihi maledicerent: quod quando isti illo prætermisso faciunt, ostendam eos in utroque mentiri, tum in semetipsis commendandis, tum in nobis insectandis, proferendo res a nostrum utrisque gestas.

2. Decreto a vobis facto, quisquis ante pridie calendarum navem ad vallum non protraxisset, ut vinctus judicio traderetur, et confirmato, ego protraxi et eam ob rem corona sum a vobis donatus: isti autem non protraxerunt, proinde vinciri debuerunt. An non igitur rem absurdissimam facietis, si eos qui tali mulcta se obligarunt coronabitis? Armamenta porro, quæ publice præbenda sunt

triremium præfectis, ego privatis sumptibus comparavi, nec e publico accepi quicquam: isti autem vestris usi sunt, et de suo in ea nihil erogarunt. Ac ne illud quidem dicere possint, se ante me conatos esse: priusquam enim isti triremem vel attingerent, mea completa fuit; quam compleri vos omnes vidistis. Præterea remigium comparavi præstantissimum, pecuniæ maxima vi erogata. Isti autem si nostro deterius habuissent, non esset mirandum: nunc prorsus nullum conduxerunt qui de impensarum magnitudine contendunt. Enimvero qui æquum est, eos, quum illa posterius resarserint, nunc quasi primi instruxissent, corona ornari? Equidem existimo in ea sententia esse vos, ut me vel tacentem justissime coronandum censeatis: solis autem istis ne verba quidem esse de corona facienda, id jam ostendam. Unde id maxime perspicitur? Ex ipsis istorum factis. Inita enim ratione qua præfectura navalis minimo constaret, eam locarunt. Quid est autem iniquius, quam fugisse sumptus, eos vero honores qui propter illos decernuntur haberi sibi postulare? et quo minus navis protracta sit conductorem culpare, eorum vero quæ probe administrata sunt a vobis gratiam flagitare?

3. Neque vero ex his duntaxat vobis jus spectandum est, sed ex iis etiam quæ ipsi prius fecistis, cum quidam eodem se quo isti modo gessissent. Cum enim navali ab Alexandro prælio victi estis, tunc iis trierarchis qui trierarchias locarant eam cladem potissimum acceptam referentes, eos in judicium curastis adducendos, cum hoc præjudicio, prodidisse eos naves et ordinem deseruisse; cum Aristophon accusaret, vos judicaretis: quod ni minor vestra fuisset iracundia illorum delicto, nihil obstitisset quo minus occiderentur. Cum autem isti sciant se in eodem esse cum illis delicto et crimine, supplicium apud vos meritum non exhorrescunt, sed concionantur in alios seque coronari jubent. Atqui considerate, quæ vobis constitisse vestri consilii ratio videri possit, si, ob eandem causam, alios pæne damnasse capitis, alios coronis donasse, videamini? Neque vero eo duntaxat facto peccabitis, sed tum etiam si, potestate data, talia facinora non plectetis. Non enim, cum vestras opes operire sivistis, tum graviter est ferendum: sed dum res vestræ salvæ sunt, dum eos qui præsunt propter sordes non eam illarum suscipere curam perspicitis quam oportebat. Neque quisquam vestrum hanc orationem ut acerbam graviter ferat, sed iis irascatur qui culpam in se admiserunt: propter illos enim hoc fit. Miror autem ego, cum nautas desertores, quorum tricenas quisque drachmas duntaxat accipit, isti et vinciant et puniant, cur trierarchos qui classem deserunt, quorum tricenæ cuique minæ pro primo ingressu maris numerantur, vos non eodem modo tractetis? itane si pauper aliquis inopia coactus peccarit, extremis suppliciis afficie-

tur; sin dives propter sordes eadem commiserit, veniam consequetur? Ubi autem æqualitas illa, et populare imperium apparebit, si vos ad hunc modum ista gubernabitis?

4. Jam illud etiam absurdum mihi videtur, cum is qui contra leges aliquid dixerit, si convincitur, tertia capitis parte mulctetur: illos qui contra leges non dixerunt, sed fecerunt, nullas dare pœnas. Atqui, Athenienses, omnes vos fateamini lenitate ista cæteros ad injuriam faciendam incitari. Sed, quandoquidem prodii, ea vos etiam quæ hinc oriuntur edocebo.

5. Si quis conducta trierarchia hinc solvit, omnes homines spoliat et deprædatur: et, cum emolumenta privatim percipiat, pœnas illorum facinorum quilibet vestrum dat, solisque vobis nusquam sine caduceo ire licet, propter institutas illorum culpa et corporum et bonorum vestrorum comprehensiones. Quare si quis rem vere consideret, eas triremes non pro vobis, sed contra vos, esse missas inveniet. Qui enim pro republica militat, eum non sperare oportet se de publico locupletatum iri, sed de privata re subventurum esse reipublicæ, si modo res vestræ erigendæ sunt: isti vero omnes in contraria sententia hinc solvunt. Proinde ea delicta quæ ab illorum moribus proficiscûntur vestris damnis corriguntur. Neque vero horum quicquam fit temere. Dedistis enim hominibus improbis eam licentiam, ut si rapinas texerint, iis fruantur; sin deprehensi fuerint, veniam impetrent: proinde iis qui honestate non ducuntur faciendi quidvis est concessa impunitas. Ac privatos quidem homines qui damno accepto sapiunt inconsideratos nominamus: vos autem qui ne acceptis quidem malis sapitis, quo nomine quis appellet?

6. Reliquum est, ut de advocatis etiam dicamus. Sic enim quidam sibi omnem quidvis et dicendi et agendi licentiam sumunt, ut, qui aliquando cum Aristophonte accusarunt et invecti sunt in eos qui trierarchias locarant, eorum nonnulli nunc istos coronari jubeant; atque omnino ipsi nunc sese coarguant, ut qui aut tunc illos per injuriam calumniati fuerint, aut nunc hisce mercedis causa patrocinentur: ac gratificari vos jubent, quasi donationes nunc agantur, non victoriæ præmia, aut etiam quasi gratiam inire debeatis hujusmodi rebus apud eos qui vos negligunt, non iis, qui officio funguntur, a bonis viris gratia sit referenda.

7. Deinde usque adeo existimationis suæ nullam rationem habent, et præ accipiendi studio cætera omnia contemnunt, ut non modo priora sua verba refellere nunc hisce concionibus audeant, sed ne nunc quidem ipsi sibi constent, qui cum nautas triremis esse oportere dicant proprios coronam accepturæ, eos triremium præfectos qui se ab eo munere alienarunt nunc coronari jubeant: neque vero ullum istorum priorem instructum fuisse dicunt, sed

jubent nos communiter omnes coronari, cum non sit ea decreti sententia. Tantum autem abest ut ista ego concedam, quantum absfui ut trierarchiam locarim: neque enim illud feram, neque hoc feci. Simulant sane se justitiæ et æquitati patrocinari: sed vehementius contendunt, quam vestrum aliquis gratuito faceret, perinde ac si mercedem mereri, non sententias dicere, eis conveniat. Deinde, non tanquam in communi civitate versentur, proptereaque cuivis dicere liceat, sed tanquam id ipsi veluti privatum sacerdotium obtineant, si quis causam suam apud vos agit, quiritantur eumque audacem esse clamitant: atque in eum stuporem veniunt, ut putent, si quem qui semel apud vos verba fecerit impudentem vocarint, fore ut ipsi in omni vita boni viri existimentur. Enimvero, et propter istorum conciones multa deteriora sunt; et per eos qui justitiam oppugnare non dubitant cuncta perierunt. Istis igitur patronis adscitis, cum scient tantam in promptu esse maledicendi eis materiam si quos convicium facere juvet, tamen in contentionem descendere et alicui maledicere non dubitant ii, quos impunitate contentos esse oportebat. Atqui ut isti audaces sint et injurii nemo magis in causa est quam vosmetipsi: ab oratoribus enim, quos scitis esse mercede conductos, sciscitamini quales quique existimandi sint, non ipsi judicium facitis. Quid est autem absurdius, quam cum eos ipsos improbissimos civium existimetis, illos qui ab istis laudantur bonos viros habere? Proinde illi omnia suo arbitratu agunt et rempublicam tantum non sub præconem subjiciunt, et coronare, quem ipsis visum fuerit, et non coronare, jubent, et suam auctoritatem plus valere volunt quam decreta vestra. Ego vero vos moneo, Judices, ne studium et liberalitatem eorum qui sumptus facere volunt oratorum avaritiæ condonetis. Alioqui docebitis omnes a vobis mandata munera quam vilissime administrare, et quam maximi conducere qui pro ipsis apud vos impudenter mentiantur.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS CALLIPPUM.

Lycon quidam Heracleota genere, Pasionis utebatur mensa. Is, in Africam navigaturus, nummos reliquit, eosque, ut et Pasio vivens dicebat, et Apollodorus nunc dicit, Cephisiadæ reddi jussit: Callippus autem eos sibi donatos esse asserit, ut et amico et omnium Heracleotarum procuratori. Mortuo Lycone, pecunia Cephisiadæ reddita est: Callippus autem, ut inquit Apollodorus, cum Pasioni secum facienti simul hospitem invadere persuadere non posset, ipsum Pasionem petit, et res dati damni actione instituta Lysithidæ arbitro permissa est, qui, Pasione vivente, nihil pronunciat. Eo mortuo, rursus Apollodorum in jus vocat eadem de re Callippus, rursusque petit ut Lysithidem arbitrum sumat. Apollodorus arbitrum admittit: sed ad magistratum de Lysithide refert, ut is juratus pronunciet, quo minus arbitrium Callippo condonet. Lysithides autem injuratus pronunciat, damnato reo. Quare Apollodorus ab arbitro ad judicium appellat.

DEMOSTHENIS

ADVERSUS CALLIPPUM

ORATIO.

1. Non est res ulla molestior, Judices, quam cum vir auctoritate præditus et eloquens mentiri audet ac testibus abundat. Tum enim reis necesse est, non de re tantum dicere, sed de ipso etiam adversario, propter existimationem ei fidem non esse habendam. Nam si hunc morem receperitis, ut eloquentibus et auctoritate præditis plus credatis quam imbecillioribus, is mos in vestram ipsorum perniciem cedet. Oro igitur vos, ut si quod unquam negotium ipsum per se dijudicastis, animis in neutram partem propensi, nec reorum nec accusatorum, sed ipsam justitiam intuentes, ut nunc etiam ita pronuncietis. Rem autem ab initio vobis narrabo.

2. Lycon Heracleota, Judices, is de quo etiam iste loquitur, mensa patris mei utebatur, ut et alii mercatores, hospes Aristonoi Decelensis et Archebiadæ Lamprensis, homo prudens. Is, navigaturus in Libyam, rationibus cum patre meo subductis coram Archebiade et Phrasio, pecuniam quam relinquebat ei mandat,—fuit autem ea sedecim minæ et quadraginta drachmæ, ut ego vobis quam accuratissime ostendam—, Cephisiadæ reddendam, qui socius suus esset, ac Scyri habitaret, sed in præsentia propter aliam negotiationem abesset; mandat etiam Archebiadæ et Phrasio ut

eum patri meo monstrarent et commendarent, cum peregre rediisset. Solent autem omnes mensarii, si quis homo privatus pecuniam deponit quam alicui reddi jubet, scribere primum nomen depositoris et pecuniæ summam: deinde adscribere, cui reddenda sit. Quod si faciem norunt hominis cui ea reddenda est, id tantum faciunt, ut scribant cui sit reddenda: sin ignorant, insuper ejus etiam nomen adjiciunt, qui commendaturus est et ostensurus hominem, cui pecunia est numeranda.

3. Cum vero Lycon ea fortuna usus esset, ut statim post abitum circa sinum Argolicum et merces ejus a piraticis navibus exceptæ Argos veherentur et ipse sagitta ictus occideret, Callippus statim ad mensam venit rogitans Lyconem Heracleotam an nossent. Respondente Phormione, se nosse: nunquid vobis etiam usus est? ita inquit Phormio; sed cur interrogas? cur? ego, inquit, tibi dicam. Ille obiit; ego vero procurator sum Heracleotarum omnium. Peto autem ut mihi ostendas tabulas, ut sciam, nunquid nummorum reliquerit: necesse enim mihi est omnium Heracleotarum curam habere. Quo audito, Judices, Phormio statim e vestigio ostendit. Ostensa tabula, solus ipse eam legit et nemo alius, cumque vidisset in ea scriptum Lycon Heracleota -- M.DC.XL. Cephisiadæ reddendas -- Archebiades Lamprensis ostendet Cephisiadem tacitus abiit, et amplius quinque mensibus nullum verbum fecit. Cum autem Cephisiades advenisset atque ad mensam accederet et pecuniam postularet, et Archebiades ac Phrasius adessent, quos Lycon patri commendarat et Cephisiadem cum venisset patri ostendere jusserat, quinam esset, præsentibus etiam aliis, annumeratas ei sedecim minas et quadraginta drachmas reddidit Phormio. Hæc vere a me dici ut appareat, harum rerum omnium testimonia vobis legentur.

TESTIMONIA.

4. Me vere omnia dixisse apud vos, Judices, e testimoniis audivistis. Congressus autem longo tempore post cum patre meo Callippus in urbe, rogat, num jam advenisset Cephisiades cui inscripta esset pecunia reddenda a Lycone Heracleota relicta? Respondente patre, opinari se, sed si in Piræeum descendere vellet, certum sciturum. Nosti igitur, inquit, Pasio, quid te rogem?—atque ita me dii deæque omnes ament, non mentiar quicquam apud vos, Judices, sed, quæ a patre audivi, narrabo vobis.—Licet tibi esse in me beneficio, sine ullo tuo detrimento: sum procurator Heracleotarum: malis autem, ut opinor ego, me accipere pecuniam, quam inquilinum hominem Scyri habitantem et nihili. Tale autem quiddam accidit. Lycon et orbus est et nullum hæredem domi reliquit, ut ego audio: præterea, ut Argos perductus est vulneratus, procu-

ratori Heracleotarum Argivo pecuniam secum allatam dedit. In ea sum igitur et ego sententia ut quæ hic reliquit mihi reddi oportere censeam; idque æquum esse arbitror. Tu igitur, si forte illam nondum recepit, dic, me eam mihi vendicare, ubi venerit Cephisiades: sin recepit, testibus adductis petiisse, ut in medium proferretur vel pecunia vel is qui eam redegisset, et, si quid velit auferre, id procuratori mihi esse erepturum. Quod cum dixisset, ego, inquit pater, Callippe, gratificari tibi cupio—insanirem enim, nisi cuperem—, sic tamen, ne vel existimatio mea minuatur vel ex ista re mihi quicquam periculi sit. Ac dicere ista ad Archebiadem et Aristonoum, atque adeo ad ipsum Cephisiadem, mea nihil interest: verum si oratione mea non movebuntur ut ista faciant, tute jam cum eis agito. Securus, inquit iste, esto Pasio; si volueris tu, coges eos hæc facere. Quæ igitur iste cum patre meo, Judices, pater autem cum Archebiade et Cephisiade, istius rogatu, et in istius gratiam disseruit, hæc sunt, e quibus hæc actio paulatim conflata est: quæ me de patre audivisse, isti sanctissimum dare jusjurandum volui. Iste autem, qui sibi fidem a vobis haberi postulat, ut vera dicenti, triennio interjecto, ex quo pater primum cum Archebiade et aliis Cephisiadæ familiaribus egerat, iisque responderant, se Callippi verbis nihil moveri: quum animadvertit jam infirmum esse patrem et ægre in urbem adscendere et ab oculo destitui, actionem contra eum instituit, non ita me dii ament de pecunia, sed de damno sibi ab eo dato, qui pecuniam Cephisiadæ reddidisset ab Heracleota Lycone relictam, cum se absque ipso non redditurum promisisset. Judicium adeptus, apud arbitrum actionem sustulit; et ab eo postulavit, ut rem deferret ad Lysithidem, Isocratis et Apharei sodalem, patris mei familiarem. Quod cum pater fecisset, quamdiu is vixerit, quanquam isti familiaris esset, Lysithides non quicquam erga nos delinquere ausus fuit. Et tamen quidam istius familiares ita sunt impudentes, ut testificari ausi fuerint, Callippum patri meo jusjurandum detulisse, sed patrem apud Lysithidem jurare noluisse; seque vobis persuasuros autument, Lysithidem Callippi familiarem, non commissurum fuisse, ut patrem meum statim condemnaret, si is ipse sibi fieri judex noluisset. Me autem vera loqui, istos mentiri, primum vobis hoc ipsum argumento sit, quod futurum fuisset, ut eum Lysithides condemnaret, et ego nunc judicio unde vi, non pecuniario, reus essem: quod ut constet, ego vobis eos qui subinde in congressibus cum isto patri affuerunt, apud Lysithidem factis, testes producam.

TESTES.

5. Eum igitur, quum tum patri meo jusjurandum non detulerit, nunc in eum defunctum facile mentiri, et familiares suos falsum in me testimonium facile dicturos producere, tum ex argumentis tum ex hoc testimonio facile a vobis intelligetur. Me autem pro patre jusjurandum ei dare voluisse, quemadmodum lex jubet, si quis defunctum accusans cum hærede agat, non videri mihi vel promisisse patrem se isti redditurum pecuniam a Lycone relictam, vel commendatum istum patri a Lycone: Phormionem item affirmasse rationem semetipsum cum Lycone subduxisse et in mandatis accepisse ut Cephisiadæ pecuniam redderet sibi ab Archebiade demonstrato; et cum Callippus primum ad mensam Lyconem obiisse dixisset, et ipse literas videre vellet, nunquid nummorum hospes reliquisset, eas ostendisse se, quibus iste inspectis, cum vidisset scriptum esse ut Cephisiadæ redderetur, tacitum abiisse, nullam neque controversiam moventem, neque quicquam interdicentem de pecunia, uti constet, harum rerum testimonia utraque et lex recitabuntur.

TESTIMONIUM. LEX.

6. Vobis porro ostendam, Judices, Lyconem Callippo non esse usum. Arbitror enim id quoque contra istius insolentiam mihi aliquid commodaturum, pecuniam illam a Lycone sibi dono datam esse asserentis. Is enim quadraginta minis nauticæ pecuniæ in Thraciam Megaclidi Eleusinio et Thrasyllo fratri ejus mutuo datis, cum eo navigandi consilium illi mutassent, et periculum adire nollent, conquestus de Megaclide nescio quid propter usuras, ut deceptus, discordabat cum eo et litigabat, mutuum recepturus. Cum autem de tanta pecunia multum et sæpe laboraretur, Callippum sibi Lycon nunquam usquam advocavit, sed Archebiadem et Archebiadæ amicos: et qui eos in concordiam redegit Archebiades fuit. Ac me vera dicere ut constet, vobis ipsum Megaclidem testem producam.

TESTIMONIUM.

Adeo familiariter, Judices, Lycon Callippo est usus, ut eum neque ad res suas accerseret, neque, apud eum unquam diverteret: atque istud solum familiares istius testificari ausi non fuerunt, diversatum apud istum esse illum, satis gnari se statim per servorum quæstiones convictum iri, si quid tale mentirentur.

7. Dicam autem vobis etiam argumentum tantum, ut ex eo mea quidem opinione perspecturi sitis, istum mentitum esse omnia. Lyconi, Judices, etiamsi istum quoque complecteretur et familiaris ejus esset, ut iste asserit, eique, siquid sibi accidisset, nummos dono dare vellet, nunquid eos commodius fuisset recta apud Callippum relinquere, quos incolumis reversus recte et juste recepturus esset ab eo, ut et amico et procuratore suo, sin quid ipsi accidisset, sta-

tim ei datos maluisset, quam in mensa relinquere? Ego quidem illud et justius et magnificentius existimo. Jam eum nihil horum fecisse constat, proinde et hæc vobis argumenta sint; sed Cephisiadæ et inscripsisse et reddi jussisse.

8. Illud etiam considerate, Judices, Callippum fuisse civem nostrum, iis pollentem opibus, ut utrumque et male et bene facere posset, Cephisiadem autem et inquilinum et inopem: quare pater minime contra jus et æquum illi favere quam isti præstare quod æquum esset maluisset.

9. At hercule dicet fortasse, patrem meum privatim aliquid de argento emolumenti percepisse; propterea que animo in illum quam in se fuisse propensiore. Itane vero primum a quo duplo majore quam id lucellum esset affici damno posset, ei faciebat injuriam? deinde in eo sordidus et turpis lucri cupidus erat, in tributis et muneribus publicis et largitionibus non item? Cum hospiti nemini faceret injuriam, Callippo faceret? Cum ei, ut ait, jusjurandum detulerit tanquam bono viro et nullum dicturo mendacium, nunc tanquam de improbo et deposita intervertente verba facit? nonne vero cum nec jurare vellet, ut iste dicit, neque pecuniam redderet, statim damnatus esset? Cui verisimilia fiant ista, Judices? Ego quidem nemini opinor. Itane Archebiades eo venit improbitatis, ut in Callippum, et popularem suum et in republica versantem et non privatum hominem, testimonium dicat, et nos verum loqui asserat, istum autem mentiri: præsertim cum sciat, si iste falsi testimonii reum facere et nihil aliud nisi sacramento adigere voluerit, necesse sibi fore id dare jusjurandum, quod iste jusserit. Deinde, ut Cephisiades nummos habeat, homo inquilinus, aut Phormio, quem iste aliquid de summa delevisse dicit, vobis persuadebitur, pejeraturum Archebiadem? Minime id quidem consentaneum est, Judices. Neque enim ullius improbitatis condemnandus est vel Archebiades, vel parens noster; multis enim experimentis edocti estis, eum laudis et gloriæ fuisse appetentiorem, quam ut aliquid improbum et flagitiosum studio sibi haberet, neque erga Callippum ita affectum, ut eum ulla per contemptum injuria affecisset: neque enim tam tenues ejus opes mihi esse videntur, ut facile contemni possit, qui tantum valet, ut anno superiore hac actione contra me instituta, cum a me postulasset ut arbitrium Lysithidæ deferrem, ego quamquam contemptus ab eo in ea re mihi recte consuluerim, ex legum enim præscripto arbitrium detuli et retuli ad magistratum; iste vero arbitro legum auctoritate designato persuasit ut injuratus arbitraretur, me testificante ut ex præscripto legum juratus pronunciaret, id autem Callippus in eo spectavit ut apud vos dicere posset, etiam Lysithidem virum bonum et honestum de causa pronunciasse. Lysithides enim, Judices, dum pater vivebat, et sine

jurejurando et cum jurejurando illum fortasse non offendisset, quem magnifaciebat. Me vero sine jurejurando parvi faciebat, cum jurejurando autem fortasse non offendisset suapte causa: quapropter injuratus pronunciavit. Hæc etiam vere a me dici, e testibus qui interfuerunt cognoscetis.

TESTES.

10. Quid igitur contra et leges et æquitatem perficere Callippus possit, Judices, e testimonio audistis. Oro autem vos, et mea et patris causa, uti memineritis, me vobis omnium eorum quæ dixi et testes et argumenta et leges et probationes exhibuisse; et ostendisse istum, cum ei liceret, si quid juris in eam pecuniam haberet, a Cephisiade petere qui se et recepisse illam et habere fatetur (præsertim satisfactione a nobis nihilominus accepta), non tamen petere, quamvis sciat non penes nos esse nummos: meque absolvatis. Quod si feceritis, primum juste ex legum auctoritate pronunciabitis, deinde ut et vestra et patris mei dignitas postulat: nam ego vobis omnes meas fortunas cedere mallem, quam per injuriam et calumniam quicquam dependere.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS NICOSTRATUM DE ARETHUSII MANCIPIIS.

Apollodorus Arethusium falsæ renunciationis reum fecit et peregit. Qui cum talentum ærario deberet idque solvere non posset, proptereaque bona ejus publicata essent, describit Apollodorus servos, ut qui Arethusii essent, hos Nicostratus ut suos et ad illum nihil attinentes sibi vendicat. Quia vero causa odiosa est, commemorat orator, quanta perpessus ab Arethusio sit Apollodorus, ut non malignitate naturæ, sed propter ultionem injuriarum hæc agere videatur.

DEMOSTHENIS

ADVERSUS NICOSTRATUM

DE DESCRIPTIONE MANCIPIORUM ARETHUSII ORATIO.

1. Me nullo calumniandi studio, sed per istos injuriis et contumeliis affectum et ulciscendos eos esse existimantem, descriptionem hanc instituisse, illud maximo vobis argumento sit, Judices, quod et parva est, et per meipsum facta descriptio. Neque enim, si calumniari voluissem, mancipia quatuor minarum cum dimidia descripsissem, quanti ea æstimavit ipse adversarius: quum ipse et de mille drachmis, et de eo ne quis unquam mihi subscribat, periclitер. Neque etiam usque adeo vel inops, vel amicorum præsidiis destitutus sum, ut qui ea describeret neminem invenire potuissem, sed quia nihil in rebus humanis omnibus intolerabilius esse existimabam, quam, cum mihi fieret injuria, alium injuriis affecto mihi nomen suum commodare, et istos ex eo causæ aliquid habere, si ego nostras inimicitias vobis narrarem, mendacii me arguendi,—neque enim unquam alium fuisse ea descripturum, si facta mihi esset injuria—, propter hæc descripsi: cum vero descripserim, si ostendero mancipia esse Arethusii, cui inscripta sunt, dodrantem, qui homini privato a quo descripta ea sunt tribuitur, reipub. condono, ipsa ultione contentus. Quod si mihi satis aquæ esset ad narrandum vobis ab initio, quibus a me affecti beneficiis, quomodo mecum egerint, satis scio, vos iracundiæ meæ magis veniam daturos, et istos omnium hominum improbissimos esse judicaturos: nunc nec duplum aquæ mihi sufficeret. Maxima igitur et illustria facinora, et causam hujus descriptionis vobis explicabo, vulgaribus omissis.

2. Nicostratus, Judices, vicinus in agro et æqualis meus, mihi vel olim notus fuit: defuncto autem patre, cum ego in agrum concessissem, ubi etiam nunc habito, aucta est nostra familiaritas, ut inter vicinos et æquales. Temporis autem progressu, mutuo nos arctissime complexi sumus: nam et ego istum feci tanti, ut nullius unquam voti impotem a me dimiserim, et iste mihi ad curam et administrationem rerum mearum non inutilis fuit; et cum ego peregre abibam, sive publice triremi præfectus sive privatim alia de causa, istius fidei quæ in agro habebam omnia mandavi. Accidit autem ut cum triremi ad Peloponnesum accedendum; atque inde in Siciliam legati vehendi essent, quos populus creaverat. Proinde cum subito solvissem, isti me discessisse scripsi, neque posse reverti domum, ut ne legatis in mora essem; mandavique ut rem familiarem curaret et administraret, ut et superiori tempore fecisset.

3. In mea vero peregrinatione aufugiunt illi mancipia tria ex agro: duo quæ ego ei dederam, unum quod ipse comparарat. Quæ dum persequitur capitur a triremi, et in Æginam abductus venditur. Ut autem ego e præfectura navali redieram, convenit me Dino frater istius, et casum ejus commemorans, se ab eo per literas accersitum, eo non profectum esse ait propter viatici penuriam, simul etiam referens, audire se quam male iste tractaretur. Quibus ego auditis, vicem ejus misertus, Dinonem fratrem statim ad eum mitto, in viaticum datis trecentis drachmis. Reversus iste me convenit, ac primum et amplectitur et laudat, qui suo fratri viaticum præbuissem, simul etiam suam fortunam miseratur, cognatos suos incusans meque cum lacrymis rogans ut se juvarem, quemadmodum superiori quoque tempore me verum esset amicum expertus; et quia se viginti sex minis esse redemptum indicabat, plorans atque ejulans, ad eam summam me conferre sibi jubebat aliquid. Quæ cum ego audirem, misertus ejus sum, et quia male affectum videbam—nam ulcera in tibiis sub compedibus orta, quorum cicatrices adhuc habet, et si vobis ostendere jusseritis nolet, mihi demonstrarat—, respondi, me et superiori tempore ejus amicum ex animo fuisse, et nunc in calamitate opitulaturum; et trecentas drachmas, quas fratri ad eum proficiscenti mutuassem, condonare, et mille drachmas ei redimendo gratuito collaturum. Neque vero hoc ei verbis promittebam, re vero ipsa non præstabam: sed, quoniam præsentem pecuniam non habebam, propterea quod male mihi cum Phormione conveniebat, per quem relictis mihi a patre facultatibus spoliabar, delatis ad Theoclem, qui tum argentariam factitabat, poculis et aurea corona, quæ ex patrimonio habebam, jussi isti dare mille drachmas; atque hoc gratis argentum ei dedi, et dedisse fateor.

4. Diebus non multis post me convenit ac plorans dicit, hospites qui sibi pecuniam qua redimeretur mutuassent, reliquum argentum

repetere: in syngraphis autem contineri, ut aut intra diem trigesimum redderet, aut duplum deberet: neque prædium illud mihi vicinum velle quemquam vel emere vel pignori accipere, quod frater Arethusius, mancipiorum, quæ nunc descripta sunt, dominus, non pateretur quemquam id vel emere vel pignori accipere, tanquam in eo sibi pecunia debeatur. Tu igitur, inquit, id mihi suppedita quod deest antequam triginta dies prætereant, ne et id quod dedi, mille drachmæ, pereat, et ipse in servitutem abducar. Collectas autem, inquit, ubi collegero, et hospitibus satisfecero, tibi reddam quicquid mutuaris: scis autem, inquit, leges etiam jubere, ut captus ei per quem ab hostibus redemptus est, nisi pretium restituerit, addicatur. Hæc ex eo cum audirem et non mentiri putarem, respondi, ut homo adolescens et familiaris, qui nullam injuriam metueret, et antehac sincerus tibi amicus fui, Nicostrate, et in adversis rebus, quantum potui, te juvi: quoniam autem totam summam in præsentia nancisci non potes, neque ipse præsentem pecuniam habeo, de possessionibus meis tibi concedo, ut quamcunque voles, pro eo quod tibi deest oppigneres, ut hospitibus satisfacias, et nummis meis in annum sine fœnore utaris; verum ubi pecuniam de collectis redegeris, fac, id quod polliceris, meam mihi possessionem ut redimas. His iste auditis meque collaudato, ita me quamprimum agere jubebat, priusquam præterirent dies, intra quos se pretium numerare oportere dixerat. Ædes igitur Arcesanti Pambotadæ sedecim minis oppignero, quem iste ipse mihi conciliarat, octonis obolis in minas in menses singulos mutuanti.

5. Accepta autem pecunia tantum aberat ut mihi pro collatis in se beneficiis gratiæ aliquid referret, ut statim per insidias ea fraudare me institueret, et inimicitias mecum exerceret: quo ego inops consilii, ut adolescens et rerum imperitus, nummos a se non repeterem, quibus ædes oppigneratæ erant, sed condonarem. Ac primum quidem cum adversariis mihi insidiatur, et fidem eis dat. Deinde cum mihi negotia facesserentur, et meas rationes, quarum gnarus erat, prodit, et exscribit publico exsortem mulctam ex evidentium constitutione sexcentas et decem drachmas, Lycida Mylothri F. causam agente. Viatorem autem contra me fratrem suum Arethusium inscribit, cujus hæc mancipia sunt, et alium quendam. Ita enim se parabant, ut si causas, quarum judicia eram adeptus, agere instituissem contra domesticos, a quibus injuriis afficiebar, me deferrent et in carcerem conjicerent. Præterea me in jus non vocatum decem drachmis mulctavit Arethusius, ut ærarium, viatoribus inscriptis, et ingressus in ædes meas vasa omnia vi exportavit, quæ viginti minarum pretium superabant, neque quicquam reliquit. Cum autem, cognitis insidiis, mulctam solvissem, ac pœnas sumendas ducerem, viatorem qui se mihi renunciasse dicebat Arethusium falsæ

renunciationis ex lege postulabam: is autem noctu ingressus in agrum meum, quotquot erant surculi arboribus generosi inserti, et arbusculas exsecuit, et plantaria olearum obiens ita misere confregit, ut nec ab hostibus vastarentur. Ad hæc etiam, interdiu puerulo cive intromisso cum et vicini essent et prædium contiguum haberent, rosetum germinans eum evellere jusserunt, ut, si eum deprehensum ego vel vincirem vel verberarem ut servum, injuriarum actionem contra me instituerent. Quo consilio cum frustrarentur, et ego facinorum illorum testes facerem, ipse autem nihil erga eos delinquerem, tum vero maximas insidias mihi comparant. Quum enim falsæ renunciationis in eum actionem jam instituissem et in judicium ingressurus essem, observato me ex Piræeo digrediente sero circa lapicidinas, et pugnis petit et medium arripit, meque in lapicidinas dejecisset, nisi quidam viatores, audito clamore meo, suppetias venissent. Diebus non multis post, ingressus in judicium ad diem præfinitam, et eo falsæ citationis convicto, hominem cum aliorum scelerum quæ exposui reum peregi: tum in irroganda mulcta, cum eum judices capitis damnaturi essent, precatus eos ego sum, ne tale quid mea causa facerent, sed ut talentum quanti ipsi litem æstimabant admitterent, non ut ne Arethusius occideretur—mortem enim suis in me sceleribus commeruerat—, sed ne ego Pasionis filius, et ex decreto civis, quemquam Atheniensem occiderem. Hæc omnia vere a me dici, ex testibus audietis.

TESTES.

6. Quibus igitur injuriis ab eis affectus, Judices, descriptionem fecerim exposui vobis: esse autem Arethusii mancipia ista, et in ejus facultatibus esse quæ ego descripsi, vobis demonstrabo. Cerdonem enim ab incunabulis educavit; atque eum fuisse Arethusii ut constet, eos qui norunt testes vobis producam.

TESTES.

Apud quoscunque porro fecit opus, mercedes accepisse Arethusium, et jus tum dedisse tum accepisse, si quid deliquisset, ut herum, earum rerum gnaros vobis testes exhibebo.

TESTES.

Manem autem, mutua pecunia Archepolidi Piræensi data, cum Archepolis neque usuram neque sortem omnem reddere posset, in æstimationem accepit. Et, ut vera me dicere appareat, horum vobis testes producam.

TESTES.

Præterea ex his quoque cognoscetis, Arethusii esse homines istos. Quoties vel pomaria redemerunt, vel messem demetendam conduxerunt, vel aliquod aliud rusticum opus conficiendum susceperunt, Arethusius pro eis et emit et conduxit. Quæ vera esse, et ipsa ex testibus audietis.

TESTES.

7. Quantum igitur testimoniis ostendere potui, Arethusii esse mancipia ista, ea vobis explicavi: dicam autem etiam de provocatione, qua et isti me, et ego istos provocavi. Isti, cum prima inquisitio fieret, profitebantur se paratos esse ipsi mihi mancipia in quæstionem dare, eo consilio ut id sibi quoddam testimonium esset. Ego vero eis coram testibus respondi, me paratum esse ire cum eis ad senatum, et accipere cum eo vel cum XI-viris: nam si privato judicio cum eis agerem, aut ipsi ea mihi traderent, me accepturum fuisse; nunc reipub. esse et mancipia et descriptionem, quæstiones igitur publice habendas esse. Neque enim decere putabam a me, homine privato, publicos servos torqueri; neque enim quæstiones in mea potestate erant, neque committendum ut de iis quæ isti dixerant ego statuerem arbitrabar: sed vel a magistratu vel a delectis a senatu scribi oportere, et obsignatas quæstiones, quicquid homines dixissent, judicibus offerri; ut illis auditis, quod vobis videretur, decerneretis. Nam si homines privatim a me torti essent, illi omnibus contradixissent: sin publice, nos tacuissemus, sed vel magistratus vel delecti a senatu quoad eis visum esset quæstiones habuissent. Quæ cum ego vellem, isti se magistratui servos tradituros negabant, neque in senatum sequi me volebant. Ut igitur hæc a me vere dici constet, voca mihi horum testes.

TESTES.

8. Etsi autem multis modis impudentes mihi videntur, qui ea quæ vestra sunt sibi vendicent, tamen qui sint e legibus vestris vel in primis apparebit. Isti, cum judices capitis damnaturi essent Arethusium, precabantur eos ut pecuniariam mulctam infligerent et me ut permitterem, seque una soluturos pollicebantur. Tantum autem abest ut præstent quæ spoponderunt, ut vestra etiam sibi vendicent. Atqui leges jubent ejus opes publicari, qui sponsionem pro re aliqua publica fecerit, nec solverit. Proinde, tametsi istorum essent mancipia, tamen ea publicari oportebat, si qua modo est legum auctoritas. Ac priusquam fieret ærarius Arethusius, in confesso erat eum fratrum esse locupletissimum: postquam autem leges jubent illius fortunas vobis tradi, tum pauper exsistit Arethusius, atque alia sibi mater vendicat, alia soror. Decuit autem eos, si juste vobiscum agere vellent, declaratis omnibus illius facultatibus, si quis ea quæ sua essent descripsisset, ea sibi vendicare. Si igitur cogitabitis, nunquam defore qui vestra sibi vendicent,—aut enim pupillos aut pupillas subornabunt, et vestram misericordiam implorabunt, aut senectutem et inopiam et matris alimoniam commemorantes et deplorantes, per quæ vos facillime posse decipi putant, mulcta etiam rempublicam fraudare studebunt—, his igitur inquam neglectis omnibus, si eos condemnabitis, vestro eritis functi officio.

ARGUMENTUM ACTIONIS INJURIARUM CONTRA CONONEM OB VERBERA.

Aristo Atheniensis Cononem verberationis accusat, se ab eo et ejus filio verberibus affectum esse conquerens, et ejus facti testes producens. Conon factum negat, et vicissim testes producit, quibus Demosthenes fidem habendam esse negat; quod et improbe vixerint, et expedite mentiri soleant.

DEMOSTHENIS

CONTRA CONONEM

ACTIO INJURIARUM OB VERBERA.

1. Quum essem contumeliis affectus et sic tractatus a Conone, Judices, ut longo tempore neque domestici mei neque medicorum quisquam me evasurum putarent, recuperata valetudine et præter opinionem conservatus, eum hoc crimine pulsationis postulavi. Cum enim omnes cognati et amici, quos consului, eum illis facinoribus et ut furem in carcerem abripi et publice contumeliæ posse accusari dicerent, mihi autem suaderent et monerent ne graviora, quam ferre possem, susciperem, neve supra ætatem qua essem affectus injuriis actionem instituerem, sic feci; deque illorum sententia privatum judicium sum adeptus, quanquam cupidissime, Athenienses, istum rei capitalis reum fecissem. Atque huic acerbitati meæ vos omnes, auditis injuriis quæ mihi factæ sunt, veniam esse daturos, satis scio: quanquam enim magna esset quam tum perpessus eram contumelia, non minor tamen post fuit istius improbitas. Peto autem et rogo vos pariter omnes, primum ut me de injuriis conquerentem benigne audiatis: deinde, si contra jura et leges tractatus esse videbor, ut me in meo jure adjuvetis. Exponam autem vobis ab initio rem omnem ordine, uti gesta est, quam potero paucissimis.

2. Abhinc triennium, custodia nobis denunciata, Panactum sum egressus. Habuerunt autem Cononis filii tabernacula prope nos, quod utinam factum non esset: primæ enim inimicitiæ et offensæ inde nobis ortæ sunt, sicut audietis. Potabant isti quotidie, cum primum pransi essent, totos dies; idque, dum in præsidio fuimus, facere non destiterunt. Nos vero, ut hic soliti eramus, ita foris quoque degebamus. Qua igitur hora cœnam alii parare solent, ea

isti jam bacchabantur, plerumque in pueros nostros pedissequos, tandem etiam in nosmetipsos. Illos enim dum cibum coquerent fumo aut conviciis, quicquid eis in buccam veniebat, molestos sibi esse cum dicerent, et matulis petebant, et permingebant, neque ullum petulantiæ genus aut contumeliæ prætermittebant. Quæ nos cum videremus et ægre ferremus, primum dissimulavimus: ut autem nos subsannabant neque desinebant, duci rem indicavimus, eumque communiter omnes contubernales convenimus, non ego seorsim ab aliis. Qui cum eos objurgasset et eorum væcordiam accusasset non ob ea solum de quibus nos questi eramus, sed propter omnia eorum in exercitu edita facinora, tantum abfuit ut desinerent aut erubescerent, ut, cum primum tenebræ factæ essent, statim in nos eodem die vesperi impetum fecerint. Ac primum maledixerunt, tandem verberibus etiam me affecerunt: et tantum clamorem et tumultum circa tentorium excitarunt, ut et dux et centuriones venirent et aliorum militum quidam, qui obstiterunt ne quid in nos gravius consulerent, aut a nobis paterentur, ea debacchatione irritatis. Re hactenus progressa, ut huc redivimus, iræ, ut fieri solet, inter nos et inimicitiæ sane fuerunt. Non tamen ego vel in jus eos propterea vocandos, vel ullam rationem habendam eorum quæ acciderant, putabam: sed illud omnino decreveram, cavere ac dare operam ne posthac in similes homines inciderem.

3. Exhibito igitur in primis de his, quæ dixi, testimonio, postea, quæ ab isto sim perpessus, ostendam, ut sciatis, eum, cui prima delicta castiganda fuissent, ipsum priorem multo atrociora commisisse.

TESTIMONIA.

Quæ igitur prorsus negligenda esse duxi, hæc sunt. Non multo autem post deambulante me, pro more meo, vesperi in foro cum Phanostrato Cephisiense quodam æqualium, præterit Ctesias filius istius, ebrius, circa Leocorium, prope Pythodori ædes. Conspicatus autem nos, clamore sublato, secumque murmurans more hominis ebrii, ut non intelligeremus quid loqueretur, præteriit Meliten versus adscendens: potarant autem ibi—sic enim postea accepimus—apud Pamphilum fullonem, Conon, Theotimus quidam, Archebiades, Spintharus Eubuli filius, Theogenes Andromenis filius, multi alii; quibus Ctesias concitatis in forum venit. Sic autem accidit, nobis a Proserpinæ fano revertentibus et deambulantibus, ut rursum prope ipsum Leocorium essemus, et in istos incideremus. Ut autem congressi sumus, unus eorum, quidam homo ignotus, in Phanostratum irruit eumque detinet: Conon autem et filius ejus et Andromenis filius, in me facto impetu, primum me exsuunt, deinde supplantatum et prostratum in cœnum sic tractarunt insul-

tando et contumeliose vexando, ut labrum discinderent, et oculos occluderent, et tam male affectum relinquerent, ut neque surgere neque loqui possem. Jacens autem multa ex eis et acerba audiebam. Ac cætera quidem convicia sunt, quorum quædam apud vos nominare erubescerem: quod vero insolentiæ Cononis signum et argumento est, ductu ejus et auspiciis facta esse omnia, id vobis dicam. Cantabat enim, gallos victores imitans: alii autem jubebant eum alarum vice latera cubitis plangere. Post hæc ego a prætereuntibus ablatus sum nudus: isti abierunt, veste mea rapta. Ut autem ad fores veni, clamor et strepitus matris et ancillarum ortus est: unde me in balneum ægre perlatum et ablutum medicis ostenderunt. Hæc uti vera esse constet, testes vobis producam.

TESTES.

Accidit autem, Judices, ut et Euxitheus hic Chollides, nobis cognatus, et Midias alicunde a cœna cum illo rediens, mihi obviam facti, cum jam prope ædes essemus et in balneum ferrer, sequerentur, et medicum adducentibus adessent: eram autem adeo infirmus, ut, ne procul a balneo domum auferrer, iis qui aderant videretur me ad Midiam illa nocte esse ferendum; itaque fecerunt. Cape igitur et horum testimonia, ut videatis multos esse conscios, quibus injuriis ab istis sim affectus.

TESTIMONIA.

Cape et medici testimonium.

TESTIMONIUM.

4. Tunc igitur statim plagæ, quas acceperam, et contumelia eo me redegerunt, quemadmodum auditis et omnes ii qui me statim viderant testificati sunt. Post autem de tuberibus et ulceribus in facie se non adeo solicitum esse dicebat medicus: febres autem me continuæ sequebantur, et cruciatus totius corporis perquam et vehementes et atroces, in primis vero laterum atque imi ventris, neque cibum capere poteram. Et ut medicus quidem affirmabat, nisi mihi, doloribus afflicto et jam desperato, purgatio sanguinis ultro copiosa supervenisset, me saniosum factum fuisse periturum: nunc is sanguis recessu mihi suo saluti fuit. Hæc igitur vere a me dici, et talem morbum mihi subortum, qui me in extremum periculum conjecit, ex iis quas ab isto acceperam plagis, uti constet, medici testimonium et eorum qui me viserunt recita.

TESTIMONIA.

5. Me igitur non mediocribus et levibus plagis acceptis, sed in extremum discrimen adductum per istorum contumeliam et protervitatem, actionem multo quam conveniebat instituisse leviorem, perspicuum vobis arbitror esse factum: vestrum autem mirari quosdam existimo, quid tandem illud sit quod Conon ad hæc dicere sit ausurus. In primis igitur dicam vobis ea, per quæ eum audio, re a contumelia et iis quæ facta sunt abducta, operam daturum ut eam in jocum ludumque convertat, et multos esse in urbe honestorum virorum filios, qui ludibrii causa, ut homines adolescentes, varia sibi mutuo cognomina fecerint, quique alios priapos alios helluones vocent, quorum nonnulli meretriculas adament; ex eorum numero suum quoque filium esse, et sæpe ob scortum et dedisse et accepisse plagas; et hæc esse adolescentum: nos vero fratres omnes tum ebriosos et protervos, tum morosos et acerbos esse dicturum.

6. Ego vero, Judices, cum accepta mala graviter feram, nihilo æquiore animo paterer neque, si dicere liceat, minore me affectum esse contumelia putarem, si Conon ista vere in nos dicere videretur, eaque vestra ignorantia esset, ut unumquemque talem, qualis aut ipse prædicatione sua aut aliorum criminatione perhiberetur, existimaretis: neque ulla modestis hominibus quotidianæ vitæ et studiorum esset utilitas. Neque enim nostra vel ebrietas vel protervitas ab ullo mortalium est conspecta: neque nos morose facere putamus, si factas nobis injurias jure ulcisci studeamus. Priaporum autem et helluonum cognomina istius filiis non invidemus: atque ego deos precor, ut in Cononis filios et hæc et hujus generis omnia vertantur. Isti enim sunt qui se Priapo initient, et ea agant, quæ ne dici quidem sine magno pudore queunt, tantum abest ut ab homine modesto fieri debeant.

7. Sed quid ista ad me? Ego vero mirabor, si ulla causa aut excusatio talis invenietur, ut aliquis et factæ contumeliæ et pulsationis convictus non det pœnas. Leges enim longe contra, ne vel necessariæ causæ plures inciderent, providerunt, veluti—necesse enim habeo et hæc quærere et sciscitari—sunt convicii actiones: eas igitur dari propterea dicunt, ut ne conviciis incensus alius alium verberare instituat. Rursus pulsationis actiones sunt: eas etiam audio propterea dari, ne quisquam, si sit imbecillior, lapide aut simili aliquo telo se defendat, sed vindictam legum exspectet. Sunt et vulneris actiones, ne quibus vulneratis cædes fiant. Convicium, quod minimum est, ante postremum et atrocissimum ea de causa provisum est opinor, ne cædes fieret, neve paullatim a conviciis ad verbera, a verberibus ad vulnera, a vulneribus ad cædes pro-

cederetur: et horum cujusque legibus definita sunt supplicia, ne ea cujusvis iracundia aut arbitratu judicarentur. Et hæc quidem constituta sunt legibus: at si Conon dixerit, priapi sumus nos quidam congregati, et amatores, et quos nobis visum est verberamus et jugulamus, vos eos cum risu absolvetis? Non sane opinor. Neque enim vestrum cuiquam ridere libuisset, si præsens affuisset, cum traherer et exsuerer et contumeliis afficerer, et sanus egressus domum reportarer; et mater mea post exsiliret, et tantus esset apud nos clamor et luctus mulierum, perinde ac si quis obiisset, adeo ut et vicinorum quidam ad nos mitterent, qui percontarentur quid nobis accidisset.

8. Nullo certe modo, Judices, decet cuiquam ulla de oausa facultatem et licentiam dari a vobis impune pro libidine sua grassandi: sin ulli venia danda est, iis, qui propter ætatem aut adolescentiam tale quid agunt, ea confugia reservanda sunt, atque his ipsis non ad impunitatem, sed ad legitimæ pœnæ mitigationem. Qui autem quinquagenario major hominibus junioribus adest, iisque filiis, eos autem adeo non deterret aut prohibet, ut ipse dux et auctor et omnium væcordissimus sit, quo iste digno factis suis supplicio afficietur? Equidem si interficiatur, nondum justas dedisse pœnas existimo. Etenim si nihil ipse commisisset, sed si, eo adstante, Ctesias filius ejus ea, quæ nunc fecit, designasset, eum justo odio prosequeremini. Si enim sic educasset filios suos, ut in conspectu ejus committere ea præsertim, quorum nonnulla capite sancita sunt, neque timerent neque erubescerent, quam pœnam non meruisse existimatis? Ego enim inde colligo ne istum quidem suum coluisse patrem. Nam si eum ipse coluisset ac metuisset, idem et ab istis sibi tribui postularet.

9. Cape legem de contumelia, et alteram de grassatoribus: istos enim in harum utramque commisisse videbitis.

LEX.

His legibus utrisque Conon suis istis factis tenetur: nam et contumeliam fecit, et vestibus spoliavit. Quas si in ulciscendis istis usurpare noluimus, et nos homines quieti modestique videri debemus, et iste æque improbus. Quod si quid mihi accidisset, cædis et gravissimarum pœnarum esset reus. Brauroniæ certe sacerdotis patrem, qui ut in confesso fuit ipse interfectum non attigerat, sed interfectorem cohortatus fuerat ut cæderet, ejicit in exsilium senatus ex Areopago. Merito. Si enim ii qui adsunt adeo non prohibent eos, qui vel per ebrietatem vel ex iracundia vel alia quapiam de causa peccare instituunt, ut ipsi etiam incitent, nulla spes salutis superest ei qui in homines petulantes inciderit, sed tamdiu eorum ferenda protervitas erit, dum ipsi defatigentur: id quod mihi accidit.

10. Jam quid, cum arbitrium fieret, egerint, vobis explicabo: nam vel inde istorum petulantiam perspicietis. Noctis enim pene intempestæ captato tempore, neque testimonia legere neque exempla dare voluerunt, atque eorum qui nobis aderant singulos ad aram adduxerunt, et jurarunt et testimonia scripserunt nihil ad rem attinentia, sed hujus generis, ex meretrice sibi natum eum puerum et perpessum esse hæc et hæc, quæ mediusfidius, Judices, nemo qui aderat non et vituperabat et ægre ferebat: denique isti etiam ipsi invisi fiebant. Tandem jam defatigati et satiati istis ineptiis, profitentur, eludendi causa et eo ne echini signarentur, dedere velle se de plagis servos, scriptis eorum nominibus: et nunc opinor hac de re plurima verba facturi sunt. Ego vero vobis omnibus illud considerandum censeo, istos, si propterea provocassent ut quæstiones haberentur et eo jure freti fuissent, non, cum jam arbiter ferret sententiam, noctu, cum nulla causa reliqua esset, fuisse provocaturos: sed primum, ante actionem institutam, dum ego ægrotus decumbebam et ignarus an evasurus essem apud omnes qui me visebant profitebar istum primum verberasse, et plurimarum contumeliarum quas perpessus fueram auctorem esse, tum statim multis testibus adhibitis ad ædes venire debuit, tum servos tradere, tum aliquos ex Areopago accersere. Si enim obiissem, apud illos causa agenda fuisset. Quod si illud ignoravit, et hoc jure fretus, ut nunc dicet, se ad tantum periculum non paravit: saltem postquam surrexeram eumque jam accusabam, in primo congressu apud arbitrum tradidisset. Quorum iste nihil fecit. Ut autem me vera dicere, atque eludendi gratia comparatam fuisse provocationem, constet, recita hoc testimonium, ex quo id erit perspicuum.

TESTIMONIUM.

Ac quod ad quæstiones attinet, memineritis et horæ qua provocavit, et quibus de causis id fecerit, ut prima tempora eluderet, quibus illud jus eum nusquam voluisse procedere constat, neque vel provocasse, vel postulasse.

11. Quæ cum omnia coarguerentur apud arbitrum, quemadmodum et apud vos, aperteque ostenderetur eum teneri criminibus omnibus, interponit falsum testimonium, et testes inscribit, quos nec vobis ignotos fore censeo, postquam audieritis:

Diotimus Diotimi F. Icariensis, Archebiades Demotelis F. Alæensis, Chæretimus Charimenis F. Pitthensis, testificantur se abiisse a cœna cum Conone, et accessisse in foro ad Aristonem et filium Cononis pugnantes, et non conseruisse manus Cononem et Aristonem:

quasi vero continuo credituri essetis, et veritatem haud consideraturi, primum neque Lysistratum, neque Paseam, neque Niceratum, neque Diodorum, qui palam testificati sunt se vidisse me a Conone verberari, et vestibus exsui, et cæteris quas perpessus sum contumeliis affici, homines ignotos quique fortuito rei intervenerunt, unquam fuisse commissuros ut falsa testificarentur, nisi me ita mulctatum vidissent: deinde cui fit verisimile me, nisi ab isto fuissem hoc modo læsus, omissis iis a quibus ipsi me verberatum esse confitentur, contra eum qui nec attigisset venire primum instituisse? Cur enim? quave de causa? Non ita est, sed eum, a quo primum verberatus sum maximisque contumeliis affectus, et accuso, et odi, et persequor. Ac quæ ego dico, uti re ipsa vera sunt omnia, ita etiam esse vera videntur: iste autem, nisi testes istos produxisset, quod diceret non haberet, sed e vestigio tacitus damnari potuisset. Cum autem ejus combibones sint et multorum talium facinorum socii, haud ab re falsum in ejus gratiam testimonium dixerunt. Quod si res eo redierit, ut, si qui semel frontem perfricuerint et aperte falsa testificari ausi fuerint, nulla futura sit veritatis utilitas, indigna res erit.

12. At hercule non sunt tales? Imo norunt vestrum, ut opinor, multi et Diotimum et Archebiadem et Chæretimum incanum illum, qui cum interdiu frontem corrugent, et Laconum imitatores videri velint, et lacernas induant, et simplis soleis utantur, postquam congregati sunt et inter sese coiere, nullum sceleris et flagitii genus prætermittunt. Quorum hæc splendida et magnifica verba sunt: An non aliis alii mutua testimonia dicemus? An non hæc sodalium et amicorum officia sunt? Quid vero grave contra te afferet? Vapulare quidam eum se vidisse dicent? nos vero te prorsus non attigisse cum testificabimur. Spoliatum esse vestibus? id illos fecisse priores nos affirmabimus. Consutum esse labrum? nos caput nobis aut aliud quippiam esse comminutum dicemus.—Ego vero medicos testes exhibeo. Id quod illi, Judices, non habent. Exceptis enim iis quæ ipsi inter se conferunt, nullius testis contra nos copiam sunt habituri: quanta vero eorum sit et qualis ad omne facinus audacia, equidem ita me dii ament, dicere nequeo. Ut autem sciatis, qualia facinora passim designent, recita hæc testimonia, tu vero siste aquam.

TESTIMONIA.

Cum igitur parietes perfodiant et in obvios grassentur, num dubitaturi vobis videntur mutuum in tabellula perscribere testimonium? num a tanto et tali odio et improbitate et impudentia et contumelia alieni? Hæc ego certe in eorum factis inesse puto omnia. Etsi autem his alia graviora designarunt; nos tamen exquirere non possumus omnes eos qui affecti sunt injuriis.

13. Quam autem impudentissimam ejus orationem fore audio, de ea vos præmoneri præstat. Aiunt eum liberis suis adductis in eorum capita juraturum, et imprecationibus diris et atrocibus eos devoturum, et talibus ut eas quidam qui audierat portenti loco nobis retulerit. Insuperabilia sunt, Judices, talis audaciæ commenta: nam optimus quisque, opinor, et minime ipse mendax, talibus præstigiis facillime decipitur. Sed tamen tantisper sustinendus est assensus, dum vita et mores considerentur. Istius autem in hujusmodi rebus levitatem ego vobis exponam, qui necessario perquisivi.

14. Audio, Judices, Bacchium quendam a vobis interfectum, et Aristocratem cui oculi sunt eruti, et alios similes, et Cononem, in adolescentia socios fuisse, et Triballos cognominatos: eos et Hecatæ comesse cœnas, et testiculos porcellorum, quibus cœtum purgant antequam in theatrum ingrediantur, undique collegisse et convivia celebrasse; et facilius cum jurasse tum pejerasse, quam quidvis aliud fecisse. Non igitur Cononi juranti his moribus est habenda fides—neque multis verbis est opus—, nam qui vel secundum leges sancti juraret nihil, is certe per liberos, quod interdictum est, jurare non cunctabitur: at bonus quidem vir etiam legitimum jusjurandum dat invitus; potius autem quam isto descenderet quidvis mallet perpeti: si autem jurare omnino necesse est, is qui ita jurat ut receptum est, plus fidei meretur eo qui liberos devovet et per ignem jurat. Ego vero, Conon, cui propter omnia plus est habendum fidei quam tibi, jusjurandum hoc dare volui, non, ut impune ferrem delicta, cum nihil tale factitem, qualia tu, sed propter veritatem et ne contumeliis afficerer, non ut perjurio causam vincerem. Recita provocationem.

PROVOCATIO.

Hæc ego et tum jurare volui, et nunc juro per deos deasque omnes vestra causa, Judices, et coronæ circumstantis, me omnino a Conone perpessum ea quæ conqueror, et accepisse plagas, et discissum mihi labrum ita ut consuendum fuerit, et contumeliis affectum, hoc judicio illum accusare. Quod si sancte juro, multa mihi bona eveniant, neque in posterum quicquam tale accidat: sin pejero, funditus peream et ipse, et si quid mihi aut est aut futurum est. Sed non pejero, etsi Cononi ilia rumperentur.

15. A vobis igitur peto, Judices, quoniam vobis quæ æqua sunt omnia exposui, et jurejurando firmavi, ut quemadmodum unusquisque vestrum in simili causa eum a quo læsus esset odisset, ita et propter me Cononi irascamini; neque quicquam horum privatum putetis, quod cuivis accidere potest, sed, cuicunque acciderit, eum juvatote et quod justum est tribuitote; et infensi estote hominibus ante facinora confidentibus et temerariis, in defensione facinorum impudentibus et improbis, qui neque existimationis neque morum neque ullius rei rationem habent, modo impune abeant.

16. At supplicabit et lamentabitur Conon. Spectate vero, uter sit miserabilior, is ne qui ita est mulctatus ut ego mulctatus ab isto sum, si insuper cum infamia et inultus recessero, an Conon, si pœnas dederit? Utrum vero vestrum cuique prodest, ut verberare et insultare liceat, an contrarium? Equidem contrarium arbitror. At si absolveritis, multi homines protervi erunt: si punieritis, pauciores.

17. Multa commemorare possem, Judices, quam utilem operam et nos navemus, et pater dum vixit navarit, tum triremibus instruendis tum militando tum imperatis faciendis: quam et iste et sui nihil. Sed nec aquæ satis est, neque nunc hoc agitur. Quod si nos istis et inutiliores et improbiores essemus, non tamen propterea vel verberandi vel afficiendi contumeliis essemus. Non video plura dicere quorsum attineat: puto enim vos nihil eorum ignorare quæ diximus.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS CALLICLEM DE PRÆDIO.

Callicles, adversus quem inscribitur oratio, et is qui ab eo fuerat accusatus, prædia vicina habuerunt, quæ via interjecta dirimebantur. Imbre autem ingenti orto, aqua de via in prædium Calliclis illapsa damnum ei dedit. Quapropter is cum vicino damni dati agit. Ait enim in Tisiæ prædio fossam ad aquam de via illabentem excipiendam fuisse factam: quæ nunc obstructa sibi damni causa fuerit. Tisiæ vero filius primum ostendit vetus id esse opus, et non a se factum: eam enim fossam, etiam vivente patre Calliclis, a Tisia fuisse obstructam. Deinde asserit, non esse fossam eum locum. Extenuat etiam damnum Callicli datum, ut parvum et non tanta lite dignum: atque omnino ullam ei factam esse negat injuriam, sed prædium suum appeti a Callicle dicit, eaque de causa omnes calumnias adhiberi.

DEMOSTHENIS ADVERSUS CALLICLEM DE FUNDO ORATIO.

1. Nihil profecto molestius est, Athenienses, quam in vicinum improbum et avarum incidere, id quod mihi nunc usuvenit. Callicles enim prædia mea desiderans, ita obstinate me calumniari pergit, ut primum consobrinum suum subornarit qui ea sibi vendicaret: palam autem convictus, refutato per me eorum commento, rursus in duabus me causis arbitri sententia condemnavit absentem, altera ipse mille drachmis, altera fratre Callicrate impulso. Precor autem vos omnes ut me audiatis et diligenter attendatis, non quod ipse dicendi sim peritus, sed ut vos ex ipsis rebus cognoscatis, mihi palam injuriam fieri.

2, Una autem mihi, Athenienses, contra omnia istorum verba defensio est. Quod prædium illud pater meus maceria sepsit prius ferme quam ego natus sum, et vivente adhuc Callippide patre istorum et vicino, qui rem certius norat quam isti, et Callicle jam adulto atque Athenis versante: annis autem illis omnibus nemo venit, qui vel accusaret vel quereretur—quanquam haud dubie tum etiam sæpe imbres fuerunt—, vel prohiberet omnino, si quem pater sepiendo nostro prædio lædebat, imo nec vetuit, nec testificatus est quisquam, quum pater meus annos amplius quidecim superstes fuerit, neque his pauciores pater istorum Callippides. Atqui, Callicles, licuit vobis tum profecto, cum fossam obstrui videretis, venire

statimque indignari et dicere ad patrem, Tisia cur istud facis? obstruis fossam? jam aqua in nostrum prædium irruit. Ut, si desistere voluisset, nihil molestum inter vosmetipsos intercessisset; sin noluisset, ac tale aliquid accidisset, testibus iis qui tum affuissent uti licuisset. Ac mediusfidius te ostendere oportuit omnibus hominibus esse fossam, ut non verbis tantum, ut nunc, sed reipsa, patrem injuriæ convinceres. Horum autem nihil quisquam vestrum unquam præstare voluit. Neque enim absentem, ut me nunc, damnassetis, neque calumniis vestris quicquam profecissetis: sed si tum testem adduxissetis eoque præsente reclamassetis, ille ut qui rem compertam haberet, horum singulis ita uti sunt declaratis, facile mercenarios testes refutasset. Vos autem me, nimirum hominem hac ætate et rerum imperitum, omnes contempsistis. Verum ego contra istos omnes, Athenienses, ipsorum facta quæ firmissima testimonia sunt exhibebo. Cur enim nemo eorum vel testificatus vel conquestus est, imo cur nullum unquam verbum fecerunt, cur satis habuerunt eas injurias quibus afficerentur negligere?

3. Ad istorum igitur accusationem refutandam vel hæc satis esse multa arbitror: ut autem sciatis, Athenienses, de aliis etiam, patrem nec sepiendo fundo quicquam peccasse, et istos omnia falso in nos dixisse, dilucidius vos edocere conabor. Fundum nostrum esse proprium isti etiam confitentur: quod cum ita sit, Athenienses, inspecto fundo potissimum cerneretis calumniam mihi fieri. Quamobrem etiam ego arbitris æquis rem permittere volui; non isti, ut nunc dicere audent: perspicuum autem et hoc statim vobis erit omnibus. Attendite modo, Athenienses, per deos vos oro animum. Via inter meum et istorum fundum interest: cum autem mons undequaque prædia cingat, fit ut aqua defluens partim in viam, partim in prædia, feratur. Eaque, si quando in viam irruerit, qua exitum habet, deorsum per viam fertur, qua autem aliquid obsistit, ibi eam exaggeratam in fundos redundare necesse est. Atque adeo in hunc fundum, Judices, facta inundatione, contigit aquam irruere: sed neglectum, patre meo nondum tenente, sed homine cui loca hæc omnino displicebant et magis urbano, atque inundatio bis aut ter fundos vastavit ac potius eos ut viam complanavit. Quod pater cum videret, ut ego ex iis qui norunt audio, ac vicini et depascerent et iter per fundum facerent, hac maceria circumdedit.

4. Hæc ut vera esse vobis constet, cum testes eos producam qui rem norunt, tum argumenta, Athenienses, testibus multo firmiora. Callicles ait me, obstructo alveo, damnum sibi dedisse: ego vero fundum eum esse, non alveum, ostendam. Quod ni concederetur nostrum esse proprium, in eo fortasse peccaremus, quod locum publicum exstrueremus: nunc neque de eo litigant, et fundus consitus

est arboribus, vitibus, et ficis. Quis vero eas in alveo inserere velit? Nemo profecto. Quis autem in eo loco majores suos sepeliret? Ne id quidem quisquam faceret opinor. Atqui, Judices, utraque hæc contigerunt: nam et arbores plantatæ fuerunt priusquam pater meus sepem circumdaret, et monumenta vetera prius etiam quam nos agrum emissemus facta. Quæ firmior, Athenienses, afferri probatio queat? Res enim ipsæ omnem controversiam tollunt. Cape jam testimonia, et recita.

TESTIMONIA.

Auditis, Athenienses, testimonia? Nonne vobis aperte affirmare videntur, et fundum arboribus esse refertum, et habere monumenta quædam, et cætera, quæ in aliis fundis esse solent? atque iterum septum fuisse fundum, vivente adhuc patre istorum, non adversantibus vel istis, vel ullo vicinorum?

5. Operæ pretium autem est, Judices, etiam cætera, quæ Callicles dixit, audire. Atque considerate primum an vestrum quisquam vel viderit vel audierit unquam juxta viam esse alveum? Equidem arbitror in hac tota regione esse nullum. Quamobrem enim quisquam aquæ per publicam viam impetu abituræ alveum per suum fundum fecisset? Deinde quis quæso vestrum sive in agro, sive in urbe, per viam fluentem aquam in fundum suum aut ædes reciperet? Non contra potius omnes, si quando violenter ingruerit, excludere atque obstruere solemus? Iste vero postulat ut aquam de via in meum fundum recipiam, et, cum ea ad istius fundum accesserit, ut rursus in viam derivem. Proinde quisquis post istum fundum habet rursus me accusabit: eandem enim profecto quam iste et ille causam omnes afferre poterunt. Atqui si in viam educere aquam dubitabo, confidenter scilicet eam in vicinum fundum emittam. Quum enim nunc mulctæ constitutæ legibus a me petantur, quod aqua de via in istius fundum irruit, quid quæso mihi facient illi quibus aqua e fundo meo ejecta nocitura est? Quando autem aquam exceptam nec in viam nec in agros emittere licebit, quid reliquum erit, Judices? Nec enim utique me coget etiam Callicles eam ebibere.

6. Hæc ego cum feram, et multa alia peracerba, tantum abest ut pœnas de eis sumam, ut bene mecum agi putarem si non insuper mulctarer. Nam si, Judices, alveus esset qui olim aquam accepisset, eamque ego non exciperem, fortasse peccarem, quemadmodum in aliis quibusdam vicinis prædiis sunt alvei, de quibus constat, quibus aquam primus quisque excipit, quemadmodum torrentes qui ex ædibus educuntur, ab illis porro eandem alii similiter excipiunt: hanc vero neque mihi dat nec a me accipit quisquam.

Qui igitur alveus esse potest? Aqua autem quæ irrupit sæpe nimirum nocuit multis incautis, nocuit nunc isti etiam. Quod autem omnium iniquissimum est, Callicles, cum aqua in suum fundum irrupit, ingentibus saxis eum obstruxit: quod autem pater, cum idem suo fundo accidisset, septum fecit, quasi in eo peccasset, mihi dati damni actionem impegit. Quod si omnes quibus aqua istac defluens nocet me accusabunt, etiamsi fortunæ meæ multiplicentur non omnibus potero satisfacere. Tanto autem isti sunt aliis iniquiores, ut nullo damno affecti, ut ego vobis statim ostendam, cum aliis multa et magna damna data sint, soli ipsi mihi negotium facessere ausint: etsi quibusvis id potius facessere licuisset. Nam isti, ut maxime aliquid eis acciderit, ipsi sua culpa læsi me calumniantur: illi autem, ut nihil aliud, at nullum tale crimen habent. Sed, ne rerum ordine perturbato simul dicam omnia, cape mihi vicinorum testimonia.

TESTIMONIA.

Nonne indignum est, Judices, cum hi, tantis damnis factis, neque ullus alius ex iis quibus adversa acciderunt, quicquam querantur, sed æquo animo fortunam ferant, istum calumniari? quem ipsum deliquisse primum, quod foras educta maceria viam angustiorem fecit, ut arbores quæ in via fuerant amplecteretur, deinde quod eluvie in viam projecta viam exaggeravit et coarctavit, e testimoniis statim evidentius cognoscetis: jam eum nihil perdidisse nullumque fecisse damnum quod alicujus momenti sit, et tamen tantam contra me actionem instituisse, mox ostendere conabor.

7. Cum mea mater istorum matre familiariter uteretur, priusquam isti me calumniari cœpissent, et altera ad alteram accederet, ut fieri solet, cum ambæ et ruri habitarent et inter se vicinæ essent, et inter viros etiam dum vivebant familiaritas intercederet: cum igitur mea mater ad istorum matrem venisset, atque illa calamitatem deploraret,—nos ita audivimus omnia, Judices: quod si dico quæ de matre audivi, sic mihi multa bona eveniant, sin mentior, contraria horum—, ea se omnino vidisse et ex istorum matre audivisse dicebat, hordei commaduisse, quos ipsa siccari vidisset, tres medimnos, farinæ circiter semimedimnum, olei avectam esse amphoram eam dixisse, neque tamen ei quicquam accidisse. Tantas isti clades acceperunt, Judices, pro quibus mille drachmarum mulctam legum auctoritate a me petunt. Neque enim, si parietinæ veteri domicilium imposuit, id mihi quoque imputandum est, quod neque corruit, neque quicquam gravius passum est. Quare si faterer me eis omnium malorum auctorem esse, tamen quæ commaduerint hæc fuerunt.

8. Cum autem pater nec ab initio, cum fundum muniret, eis injuriam fecerit, nec isti unquam questi sint, tanto tempore interjecto, et alii, multis et magnis affecti damnis, nihilo plus me accusent, vosque omnes aquam ex ædibus et fundis in vias educere soleatis, non ita me amet Jupiter eam quæ in via est intro admittere, quorsum plura dicenda sunt? Neque enim ex his obscurum est, mihi manifeste calumniam fieri, quum neque injuriam illis faciam, neque cum eis tam male actum sit ut dicunt.

9. Ut autem sciatis, eos et eluviem in viam projecisse; et, sepe circumductam, viam angustiorem effecisse; et me istorum matri jusjurandum detulisse, et a mea postulasse ut idem jusjurandum daret, cape mihi hæc testimonia et provocationem.

TESTIMONIA. PROVOCATIO.

Quid istis hominibus fieri possit impudentius? quæ calumnia manifestior? qui, quum ipsi sepem produxerint et viam exaggerarint, alios dati damni accusant, et mille drachmas dari sibi ex legibus omnino postulant, quorum universa jactura non est quinquaginta drachmarum? Atqui considerate, Judices, quam multorum agris ab aqua damnum datum sit, partim Eleusine partim aliis in locis: neque tamen, o dii immortales, eorum quisque damnum a vicinis pensari sibi postulat. Ac ego quidem, quem indignari oportebat, propter viam et angustiorem et altiorem factam, quiesco: istis autem ea licentia datur, si ita fit, ut affectos injuriis etiam calumnientur. Atqui, Callicles, si vobis munire licet vestrum fundum, nobis utique nostrum quoque licuit: sin pater meus muniendo vobis injuriam fecit, et vos nunc mihi facitis injuriam sic muniendo. Cum enim vester fundus magnis saxis munitus sit, satis apparet, aquam rursus in meum fundum venturam: post, si ita ceciderit, inopinato murum prostraturam. Sed ego propter hoc eos nihilo magis accuso, sed fortunam boni consulo, et ut mea tuear operam dabo. Nam et istum, qui sua sepiat, sapere; quod autem mihi litem movet, et improbissimum et mentis errore affectum esse, existimo.

10. Ne vero miremini, Judices, istius improbitatem, neque in impingendo falso crimine audaciam. Nam prius etiam, cum consobrino suo persuasisset ut mihi litem moveret de fundo, pactiones commentitias protulit, et nunc ipse me alio judicio absentem condemnavit arbitri sententia, Callari nomine qui unus est e servis meis. Nam præter alia scelera etiam hoc commentum excogitarunt: Callarum ejusdem criminis reum agunt. Quis autem servus injussu domini agrum septo circundaret? Cum autem quod Callaro objiciant nihil aliud habeant, propter id septum, quo facto pater

annos amplius quindecim vixit, eum in jus vocant. Quod si ego prædiis his cessero aut venditis aut cum aliis prædiis permutatis, nihil injusti facit Callarus: sin istis condonare mea nolo, summis a Callaro injuriis afficiuntur, atque etiam arbitrum quæritant, qui eis fundum adjudicet, et tales transactiones, per quas fundos obtineant. Et quidem, Judices, si insidiatores et calumniatores meliore conditione sunt, nihil proderunt ea quæ diximus: sin vos et tales oderitis, et justa decernetis, cum Callicles nec perdiderit quicquam nec ulla sit affectus injuria vel a Callaro vel a patre, non video quorsum attineat plura dicere.

11. Ut autem sciatis, eum prius etiam meis fundis insidiantem, consobrinum suum subornasse, et nunc altero hoc judicio Callarum arbitri sententia condemnasse, ut mihi insultet, quod eum hominem magnifacio, et Callaro etiam dixisse diem, harum omnium rerum testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

12. Ne igitur per deos oro, Judices, me istis hominibus condonetis insontem. Neque enim mulcta me tantopere solicitat, quanquam ea gravis est omnibus qui re sunt tenuiore, quantum illud, quod me ita exagitant et calumniantur ut exterminaturi esse municipio videantur. Ut autem appareret nos nullam facere injuriam, parati fuimus et arbitros sumere rei gnaros, æquos homines ac neutris addictos, et legitimum dare jusjurandum: nec enim alia firmiora nos exhibituros vobis argumenta putavimus, qui ipsi jurati essetis. Cape et provocationem et quæ adhuc reliqua sunt testimonia.

PROVOCATIO. TESTIMONIA.

ARGUMENTUM ACTIONIS CONTRA DIONYSODORUM DATI DAMNI.

Darius et Pamphilus Dionysodoro mutuant ter mille drachmas, ut in Ægyptum naviget, atque inde rursus Athenas, pignori accepta nave: perscribunt etiam in pactione usuras quas deberet, Athenas reverso Dionysodoro, recipiendas. Dionysodorus rediens ex Ægypto, Rhodum appulsa nave, illic merces exposuit, propterea, ut ipse quidem ait, quod navis rupta et putris esset: ut autem Darius, quod audisset laxatam Athenis annonam. Navem enim esse integram, et adhuc etiam navigare ait. Creditores igitur accusant Dionysodorum violatæ pactionis, quod pignus, hoc est navem, non palam exhibuerit: et ab eo repetunt promissas usuras integras. Is vero recusat omnes reddere.

DEMOSTHENIS CONTRA DIONYSODORUM DATI DAMNI ACTIO.

1. Socius ego sum, Judices, et particeps mutuo datæ pecuniæ: usuvenit autem nobis, qui per mare negotiari decrevimus et nostram pecuniam aliis credimus, ut illud certo sciamus, debitorem in rebus omnibus esse meliore quam nos conditione. Is enim, accepta pecunia manifesta et certa, in tabellula duobus teruncii empta et libellulo admodum exiguo confessionem relinquit qua se quæ æqua sint facturum testatur: nos autem non pollicemur daturos, sed mutuanti statim damus pecuniam. Qua igitur eam re freti, quo confisi pignore, amittimus? Vobis, Judices, et legibus vestris, quæ jubent, quæ alter alteri ultro promiserit, ea rata esse. Cæterum mihi neque legum, neque syngraphæ ullius ulla videtur esse utilitas, nisi is qui pecuniam accipit vir omnino sit bonus, quique aut vos metuat, aut eum quicum contraxit vereatur. Quorum neutrum est in Dionysodoro: qui eo venit audaciæ, ut, cum a nobis ad navem ter mille drachmas ea conditione sit mutuatus, ut navem Athenas reduceret, cumque superioris anni æstate nostrum nobis reddendum fuisset, navem Rhodum appulerit atque illic exoneratas merces contra et tabulas vendiderit et leges vestras, Rhodoque rursus in Ægyptum miserit navem atque inde Rhodum, nobis vero qui Athenis ei pecuniam credidimus ne nunc quidem vel pecuniam reddat vel pignus exhibeat, sed quamvis annum jam alterum nostro fruens, tum mutuum tum quæstum tum navem nobis

oppigneratam habeat, nihilominus in conspectum vestrum prodierit, nobis pœnam temere litigantium nimirum irrogaturus et in domicilium plebis conjecturus, fraudasse non contentus. Oramus igitur, Athenienses, et obtestamur vos pariter omnes ut nos juvetis, si affici videmur injuriis. Principium autem contractus primum vobis explicabo: sic enim vos quoque causam rectissime intelligetis.

2. Dionysodorus, Athenienses, et socius ejus Parmeniscus convenere nos anno superiore mense Quintili, seque mutuari velle ad navem dixerunt, iis conditionibus ut in Ægyptum navigarent et ex Ægypto Rhodum aut Athenas, stipulati se usuras in alterutro horum mercatuum soluturos. Nobis autem respondentibus, Judices, nos haudquaquam in alium mercatum quam Athenas mutuaturos, sic pollicentur se huc navigaturos, atque his pactis mutuantur a nobis ad navem ter mille drachmas ultro citroque, et ea de re syngrapham conscripserunt. In pacto igitur creditor inscriptus est Pamphilus, ego vero extra syngrapham particeps cum eo creditæ pecuniæ fui. In primis autem vobis syngrapha ipsa recitabitur.

SYNGRAPHA.

Ex hac syngrapha, Judices, acceptis a nobis pecuniis, Dionysodorus et socius ejus Parmeniscus navem hinc in Ægyptum miserunt: ac Parmeniscus in nave est vectus, iste hic remansit. Fuerunt enim, Judices, ne hoc ignoretis, ministri et adjutores Cleomenis illius qui in Ægypto imperavit, qui, ex quo principatum suscepit, non paucis malis affecit rempublicam vestram, ac potius reliquos etiam Græcos emendo et revendendo et pretio frumenti statuendo, cum ipse per se tum isti cum eo. Nam eorum alii merces ex Ægypto mittebant, alii ad negotiationem adnavigabant, alii hic manebant allatas merces distracturi. Deinde pro constituto pretio literas mittebant ii qui hic erant iis qui aberant, ut, si apud nos carum esset frumentum, huc veherent: sin vilius esset factum, ad alium mercatum appellerent. Unde annonæ pretium, Judices, non parum auctum est per tales literas et mutuas operas.

3. Cum igitur hinc mitterent navem, satis carum frumentum reliquerunt: quamobrem etiam in syngrapham inscribere non recusarunt se Athenas navigaturos, et in nullum alium mercatum. Post, Judices, cum Sicilienses naves appulissent, et frumenti pretia paulatim minuerentur, et navis istorum in Ægyptum pervenisset, statim iste quemdam Rhodum mittit ad Parmeniscum socium qui ei nostratis annonæ rationem explicaret, satis enim sciebat navem necessario Rhodi appulsuram. Ut finiam, acceptis ab isto Parmeniscus literis, et stato hic frumenti pretio cognito, frumentum Rhodi exonerat, ibique distrahit, neglecta et scriptura, Judices,

et mulctis quas ipsi in se statuerant, si quid violassent, neglectis item legibus vestris, quæ jubent navicularios et vectores in eum appellere mercatum de quo inter ipsos convenerit, sin aliter fecerint, maximis teneri pœnis.

4. Nos, cum primum id factum audivimus, ea re perculsi, istum totarum insidiarum architectum convenimus, indignantes, ut par est, et conquerentes nos, cum in pactione verbis apertis pepigissemus, ne navis usquam alio quam Athenas appelleret, eaque conditione pecuniam credidissemus, ab eo in suspicionem adductos apud eos qui nos criminari vellent et dicere, nos quoque fuisse socios frumenti Rhodum vecti, graviter ferentes, quod navem in nostrum mercatum, ut pacti essent, non perduxissent. Cum autem de syngrapha et de jure disputando nihil proficeremus, saltem mutuum et usuras ab initio promissas reddi nobis postulavimus. Iste autem ita insolenter nobiscum egit, ut usuras in syngrapha scriptas se daturum negaret: si autem vultis, inquit, accipere partem emensæ navigationis, dabo vobis usuras Rhodum usque, plures non dabo; sic ipse sibi leges sanciebat, non in syngrapha perscriptis conditionibus parebat. Ut vero nos nihil istorum concessuros diximus, reputantes, si id faceremus, visum iri et nos Rhodum vexisse frumentum, magis etiam instabat iste multisque testibus adhibitis accedebat, se paratum esse dicens ad reddendam et sortem et usuras Rhodum usque, non quod in animo haberet, Judices, quicquam reddere, sed quod existimabat nos pecuniam non accepturos ad vitandam suspicionem. Idque res ipsa declaravit.

5. Postquam enim, Athenienses, vestrorum civium quidam, qui fortefortuna intervenerant, nobis suadebant ut quod daretur acciperemus, de controversiis in judicium veniremus, usuras autem Rhodias non admitteremus donec judicium fieret, nos illa concedebamus, non ignari, Judices, quid ex syngrapha nobis deberetur, sed existimantes damni aliquid faciendum et concedendum esse, ne lites sequi videremur: sed iste, ut nos ad rem accedere vidit, tollite igitur, inquit, syngrapham. Nos tollamus? nos nihil minus facturos respondemus: sed quod ad nummos attineret, quod redderet, antiquaturos coram mensario syngrapham, universam autem non antiquaturos, antequam de controversiis disceptatum esset. Quo enim jure, quo controversiæ firmamento niteremur, sive ad arbitrum, sive ad judicem ventum esset, syngrapha sublata, in qua fundamenta nostri juris sita essent? Hæc nobis dicentibus, Athenienses, et a Dionysodoro petentibus ne syngrapham commoveret, nec irritam faceret quam et ipsi ratam habuissent et confirmassent, sed tantum pecuniæ quantum ipse obtulisset redderet, de controversiis autem paratos esse nos, sive uni sive pluribus ipse vellet in mercatu judicium permittere, recusavit Dionysodorus omnia, et, cum syngra-

pham totam non aboleremus ut ipse mandabat, secundum jam annum nostra habet et pecuniis utitur, et quod est omnium gravissimum, Judices, ipse ab aliis navales usuras exigit de nostra pecunia, quam non Athenis mutuavit nec Athenas, sed Rhodum et in Ægyptum, nobis vero qui in vestrum mercatum mutuavimus nihil æqui præstandum censet. Hæc ut a me vere dici constet, recitabimus vobis provocationem, qua hæc ab eo postulavimus.

PROVOCATIO.

Ad hunc modum, Judices, cum Dionysodorum sæpe provocassemus, et per complures dies provocationem proposuissemus, simplices nos penitus ait esse homines, si putaremus usque adeo se inconsideratum esse, ut ad arbitrum iret, cum in aperto esset se condemnatum iri ad solvendam pecuniam, cum sibi nummos ferenti venire in judicium liceret: deinde, si vos deludere posset, abiturum cum aliena pecunia, sin minus, tum demum soluturum ut homo non jure fretus, sed vestri periculum facturus.

6. Quæ igitur a Dionysodoro facta sunt, audistis, Judices: quæ dum auditis, jamdudum vos mirari arbitror hominis audaciam, quave re fretus huc sit ingressus, cogitare. Non enim audacia est, si quis, ex mercatu Atheniensium pecuniam mutuatus, in syngrapham apertis verbis inscripsit, se navem in vestrum mercatum reducturum, quod nisi fecerit, duplum soluturum, eum, cum navem nec in Piræeo appulerit, neque pecuniam creditoribus restituerit, et frumentum Rhodi exoneratum vendiderit, his tamen facinoribus audere vestros vultus atque ora intueri? Quid autem ad hæc respondeat, quæso audite. Navem ex Ægypto redeuntem ruptam esse dicit, eaque se de causa coactum Rhodum appellere atque ibi frumentum exonerare. Ejus rei argumentum illud esse dicit, quod Rhodi navigia conduxerit et mercium partem huc miserit. Hæc defensionis illius una pars est. Altera illa. Ait cæteros creditores concessisse sibi usuras Rhodum usque: iniquum igitur fore, si nos eadem quæ illi concedere nolimus. Tertia, jubere syngrapham, conservata nave, reddi pecuniam: navem autem in Piræeum perduci non potuisse.

7. Vos igitur, Judices, nostras contra horum singula rationes audite. Primum quod ruptam esse navem dicit, liquere omnibus arbitror, eum mentiri. Nam si id navi accidisset, ne Rhodum quidem incolumis pervenisset, neque postea navigationi fuisset idonea: nunc eam Rhodum pervenisse constat, et rursus inde missam in Ægyptum, et nunc etiam quovis navigare, præterquam Athenas. Nonne vero absurdum est, cum in Atheniensium mercatum perducenda est navis, dicere fractam esse: quum autem Rhodi frumentum exonerandum, eandem navem navigationi exsistere opportunam? Cur igitur, inquit, alia navigia conduxi, et merces translatas huc misi? Quod, Athenienses, nec ipse nec ejus socius merces omnes in sua potestate habebat, sed vectores suas res in aliis navigiis necessario nimirum huc mittebant, quum isti navigationem interrumperent: quarum autem rerum isti erant domini, eas vero non omnes huc miserunt, sed eas demum elegerunt quarum pretia creverant. Alioqui cum alias, ut dicitis, naves conduceretis, cur non omnes merces in eas transtulistis, sed frumentum Rhodi reliquistis? Quoniam, Judices, eis expediebat illud ibi distrahere; pretia enim hic laxata esse audierant: cæteras vero sarcinas huc miserunt, unde lucrum sperabant. Cum igitur de conductione navium loqueris, nullum ruptæ navis, sed vestri compendii nonnullum, argumentum affers.

8. Ac de his quidem hæc dixisse sufficiat: quod autem creditores assensisse dicit se usuras Rhodias accepturos, id nihil ad nos. Si quis enim de suo vobis condonavit aliquid, nulla fit injuria vel condonanti vel accipienti: sed nos neque tibi quicquam condonavimus, neque consensimus in Rhodiam navigationem, neque quicquam plus apud nos valet quam syngrapha. Ea vero quid ait, aut quo navigationem suscipi jubet? Athenis in Ægyptum, et ex Ægypto Athenas: quod nisi fiat, duplum solvi jubet. Hæc si fecisti, nullam injuriam facis: si non fecisti, neque navem Athenas reduxisti, ea te pœna mulctari decet quæ in syngrapha continetur. Id enim jus non quisquam alius, sed tute tibi descripsisti. Alterutrum igitur ostende judicibus, aut vos syngrapham ratam non habere, aut non esse æquum ut ex ejus præscripto geras omnia. Quod si qui tibi aliquid remiserunt et Rhodias usuras concesserunt, quocunque tandem pacto adducti, propstereane tu nullam nobis injuriam facis, violata syngrapha qui navem Rhodum perduxeris? Non equidem opinor. Neque enim hi nunc de aliorum condonationibus, sed de pactionibus tuis nobiscum factis jus dicunt.

9. Nam usurarum remissionem, si qua modo, ut isti dicunt, facta est, cum utilitate creditorum esse factam, vobis omnibus perspicuum est. Nam qui ex Ægypto istis pecuniam Athenas usque duntaxat mutuarant, ut Rhodum venerunt, et isti navem eo appulerunt, eorum nihil opinor interfuit solutis usuris et Rhodi recepto mutuo, rursus id negotiandi causa conferre in Ægyptum: imo id multo magis profuit, quam huc appellere. Illuc enim brevis est et expedita navigatio, et bis aut ter eis negotiari licuit eodem argento: quod si huc redissent, hybernandum fuisset hic, et navigatio verna exspectanda. Proinde illi creditores non modo nihil remiserunt, sed lucrum etiam fecerunt. Nos autem, ut de usuris taceamus, ne sortem quidem recuperare possumus. Ne igitur auscultetis isti vos

decipienti, et transactiones cum reliquis creditoribus huc conferenti: sed ad syngrapham eum revocate, et ad ea jura quæ in syngrapha continentur.

10. Nam illud mihi amplius edocendi estis, quo iste potissimum nititur, asserens, conservata nave, reddendum esse mutuum. Nos quoque contendere sic esse faciendum. Lubet autem ex teipso quærere, utrum de nave ut perdita, an vero ut de incolumi disseras? Nam si navis corrupta est atque interiit, quid de usuris contendis, et petis ut usuras Rhodienses accipiamus? Quum nec usuras nec sortem nos recipere conveniat. Sin incolumis est navis et non interiit, cur nobis pecuniam non reddis, quam in syngrapha promisisti?

11. Unde igitur certissime cognoscetis, Athenienses, navem esse conservatam? Maxime ex eo ipso quod ea in navigatione est, neque minus tamen ex ipsis istorum verbis. Postulant enim a nobis ut sortem recipiamus et partem quandam usurarum, ut quæ, cum evaserit, non tamen omnem cursum absolverit. Spectate autem, Athenienses, nosne, an isti syngraphæ jure utantur, qui neque in constitutum mercatum navigarunt, sed Rhodum et in Ægyptum? Et conservata nave, non perdita, se remissionem usurarum inventuros sperant syngrapha violata, cum ipsi ex navigatione frumentaria Rhodiensi magnos quæstus fecerint, nostramque pecuniam alterum jam annum teneant et exerceant. Novum autem et inusitatum quiddam isti moliuntur. Nam quum sortem pecuniæ mutuæ nobis, ut servata nave, restituant: usuris fraudandos censent, tanquam perdita. Syngrapha vero non aliud dicit de usuris, aliud de sorte mutua: sed communia jura de his utrisque sunt, et eadem reposcendi potestas. Recita mihi denuo syngrapham.

SYNGRAPHA.

Athenis in Ægyptum, et ex Ægypto Athenas.

Auditis, Athenienses, A t h e n i s, inquit, i n Æ g y p t u m, e t e x Æ g y p t o A t h e n a s. Dic reliqua.

SYNGRAPHA.

Incolumi reversa nave in Piræeum.

Judices, facilis omnino ratio vobis est hujus causæ dijudicandæ; neque multis verbis est opus. Navem enim fuisse conservatam et esse incolumem, etiam isti ipsi confitentur: alioqui neque sortem redderent nec usurarum partem ullam. Ac non perducta est in Piræeum. Eo ipso nos creditores injuriam dicimus fieri nobis, et vos accusamus, quod in constitutum mercatum non appulerit. Dionysodorus autem se peccare negat propter hoc ipsum: neque enim reddendas esse usuras omnes, quum navis in Piræeum non appulerit. Quid autem syngrapha dicit? Non, ita me amet Jupiter, eadem quæ tu, Dionysodore: sed, nisi reddideris sortem et usuras, aut mihi exhibueris pignora manifesta et libera, aut si quid aliud contra syngrapham commiseris, duplam solvere pecuniam te jubet. Age hoc ipsum mihi syngraphæ caput recita.

SYNGRAPHA.

Nisi autem manifesta exhibuerint pignora et libera, aut si quid contra syngrapham commiserint, pecuniam duplam reddunto.

Estne ubi navem nobis manifestam exhibueris, ex quo pecuniam a nobis accepisti, cum ipse confitearis eam esse incolumem? an ex eo tempore in Atheniensium mercatum appulisti, cum syngrapha perspicuis verbis dicat, navem esse i n P i r æ e u m perducendam, et m a n i f e s t o exhibendam creditoribus?

12. Nam et hoc, Athenienses. Futilitatem spectate. Rupta est navis, ut iste ait, proptereaque Rhodum eam deduxit: proinde post resarta est et ad navigationem reparata. Cur igitur eam, o vir optime, in Ægyptum cæterosque mercatus mittebas, Athenas autem nondum misisti ne nunc quidem ad nos creditores, quibus eam syngrapha te jubet manifestam et liberam exhibere, præsertim nobis id petentibus et a te sæpe postulantibus? Sed tu ita fortis es, vel potius impudens, ut, cum e syngrapha pecuniam nobis duplam debeas, nec legitimas usuras reddendas existimes; et Rhodias nos recipere jubeas, perinde ac si mandati tui major quam syngraphæ sit auctoritas; ac dicere audeas, navem in Piræeum non perductam esse incolumem, quod ob factum jure perimeris a judicibus. Per quem enim stetit, Judices, quo minus navis in Piræeum incolumis perduceretur? Num per nos qui aperte mutuavimus in Ægyptum et Athenas, an vero per istum ejusque socium, qui, his conditionibus mutuati ut Athenas redirent, Rhodum navem appulerunt?

13. Idque fecisse eos de industria, nulla necessitate compulsos, multis signis colligitur. Nam si casus ille revera fuit fortuitus, et navis rupta fuit, post, cum eam instaurassent, non utique in alios mercatus elocassent, sed ad nos misissent ad corrigendum eventum non voluntarium: nunc tantum abest ut casum illum correxerint, ut ad primas injurias delicta longe graviora adjecerint, et, tanquam per derisum, contra nos in judicium venerint, quasi in ipsorum potestate futurum sit, si eos damnaveritis, sortem duntaxat reddere et usuras. Vos igitur, Athenienses, ne istam eis licentiam detis, neque permittatis ut duabus velut ancoris nitantur, ut, si vicerint, pecuniam alienam detineant, sin vos decipere non possint, ea duntaxat reddant quæ debent: sed mulctas eis irrogate quæ syngra-

pha continentur. Nam cum ipsi duplam sibi mulctam dixerint, si quid in syngrapha perscriptum violarint, iniquum fuerit vos in eos esse leniores, præsertim vobis non leviore quam nobis facta injuria.

14. Jura igitur causæ brevia sunt et facile memoria queunt comprehendi. Mutuavimus Dionysodoro et socio ejus ter mille drachmas, Athenis in Ægyptum et ex Ægypto Athenas. Non recepimus neque sortem neque usuras, sed illi nostra tenent iisque utuntur alterum jam annum. Non perduxerunt navem in vestrum mercatum, nondum ne nunc quidem, neque nobis eam manifesto exhibuerunt: cum syngrapha jubeat, nisi manifesto navem exhibuerint, duplam solvere pecuniam, eamque vel singulis nobis vel utrique redigere licere. His firmamentis freti, ad vos ingressi sumus, ac nostra per vos recuperare studemus, quoniam ab istis id impetrare non possumus. Et hæc nostra est oratio. Isti autem se quidem esse mutuatos confitentur et non reddidisse: de eo autem litigant, non oportere se pendere usuras in syngrapha perscriptas, sed Rhodienses, quæ nec in syngrapha insunt nec a nobis sunt concessæ. Quod si, Athenienses, in Rhodiorum foro litigaremus, melior esset istorum fortasse conditio, quod ad eos frumentum vexissent et in eorum mercatum appulissent: nunc, cum ad Athenienses ingressi simus et syngrapha mercatum vestrum designarit, postulamus ne nobis minus tribuatur quam iis qui et vos et nos injuriis affecerunt.

15. Præterea nec illud vos lateat, Athenienses, in hoc uno judicio de toto mercatu legem sancire vos; multosque assistere qui in mari negotiari decrevere, vosque intueri quid de hac causa pronunciaturi sitis. Nam si vos syngraphas et pactiones mutuas firmas esse oportere statuetis, neque earum violatoribus quicquam veniæ dabitis, alacrius qui in mercatu mutuant officio suo fungentur; atque ex ea re augebitur mercatus vester. Sin naviculariis licebit, conscripta syngrapha de navigando Athenas, deinde navem in alios mercatus appellere, quod ruptam esse dicent, et tales causas comminiscentur qualibus Dionysodorus utitur, et usuras dividere pro eo cursu quem se navigasse dicent, non pro syngrapha, nihil obstabit quo minus omnes contractus dissipentur. Quis enim suum abjicere volet, si viderit syngraphas esse irritas, tales autem orationes et causas injuriorum hominum æquitati prævalere? Absit hoc, Judices. Id enim neque multitudini vestræ conducit, neque iis qui quæstum facere instituerunt, quique utilissimi sunt tum universe vobis omnibus, tum seorsim cuilibet qui eorum operam requirit: quapropter eorum vobis habenda ratio est.

16. Ac ego quidem quæ potui, dixi: peto autem ut et amicorum aliquis mihi patrocinetur. Adscende, Demosthenes.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS EUBULIDEM.

Scribitur lex apud Athenienses, ut inquisitio fiat in eos omnes qui sint in album civitatis inscripti cives, ne germani sint, an non: et ut ii, qui non et patre et matre cive nati sint, deleantur: utque municipes de omnibus sententiam ferant: et qui improbati fuerint et sententiam municipum ratam habuerint, deleti inter inquilinos censeantur, iis vero qui velint liceat appellare judicium; qui si etiam in judicio convincantur, vendendos, sin absolvantur, cives esse. Ex hac lege, Halimusio populo judicante, improbatur Euxitheus quidam: is, cum se Eubulidis inimici factione oppressum esse diceret, appellavit Judices, et ostendit, se et patre et matre cive esse natum. Quod si mater mea, inquit, mercenarias operas fecit, ex inopia id fecit. Pater autem peregrinius locutus est, quod et captus et venditus fuit. Neque vero calamitates exprobrandæ, sed genera exquirenda sunt.

DEMOSTHENIS
APPELLATIO
ADVERSUS EUBULIDEM.

1. Quum Eubulides multa falso nobis objecerit, et convicia neque vera, neque justa fecerit, operam dabo, ut vera et justa dicendo, Judices, ostendam, et jus esse nobis civitatis, et indigne ab isto me tractatum esse. Oro autem vos omnes, Judices, obsecro et obtestor, ut et magnitudine causae hujus considerata, et ignominia, cum qua, qui condemnantur, etiam pereunt, me quoque tacite audiatis, maxime, si fieri potest, majore cum benevolentia quam istum (par enim est ut in periculo constitutis melius cupiatis): sin minus, certe cum pari.

2. Fit autem, Judices, cum vos intueor, et jus civitatis habere me considero, ut securo animo sim, et magnam spem victoriæ concipiam: sed tempora et civitatis in condemnando iracundiam formidem. Nam cum ex omnibus municipiis jure multi sint expulsi, eadem est de nobis etiam, quos factiones oppressere, opinio, et propter illorum condemnationem, in majore, quam pro se quisque, periculo versamur; quare fieri nequit aliter, quin magno in metu simus. Quæ quanquam ita sunt, ea tamen quæ in his ipsis æqua sunt, primum vobis dicam. Ego iis qui peregrinitatis convincuntur, succensendum esse existimo, qui vobis neque persuasis, neque ex-

oratis, clam et vi, sacris et republica vestra sunt usi, sed calamitosis hominibus, seque cives esse ostendentibus opem salutemque ferendam; et cogitandum, cum insontibus nobis miserrime actum iri, si, cum vestra quibusdam auctoritate pœnæ merito infligantur, nos una inter eos censeamur, et propter invidiam ipsius rei, injuriam patiamur.

3. Equidem putabam, Judices, decere Eubulidem, et omnes eos, qui nunc in abrogando jure civitatis accusationes factitant, ea quæ comperta haberent dicere, neque ullum rumorem in tale judicium afferre. Id enim usque adeo injustum esse olim etiam leges statuerunt, ut audita testificari leges sinant ne in levibus quidem causis. Merito. Cum enim aliqui jam, qui se rem vidisse affirmarent, mendaces sint deprehensi, num illi habenda fides est, qui ea dicit quæ nec ipse novit? Enimvero, cum nemini liceat, etiamsi obnoxium sese constituerit, per ea nocere cuiquam, quæ se audisse dicit, qui convenit, ei vos habere fidem, qui nullo suo periculo nos criminatur?

4. Postquam igitur iste legum gnarus, idque magis quam conveniebat, injuste, multisque rebus superior accusavit, necesse mihi est de iis primum dicere injuriis et contumeliis, quibus apud municipes sum affectus. Peto autem a vobis, Athenienses, ne illorum sententiam pro argumento putetis, me ab hac republica esse alienum. Nam si municipes omnem æquitatem perspicere posse putassetis, appellationem vestri non dedissetis: nunc ex æmulatione, ex inimicitiis, aliis item de causis, tale quid eventurum existimantes affectis injuria vestrum velut asylum aperuistis. Quo laudabili instituto, Athenienses, homines innocentes omnes conservastis.

5. Primum igitur vobis exponam, quo pacto apud populares sententia lata sit. Nam quæ ad rem faciant omnia dicere, id ego esse puto, si quis ostendat, quæ factionibus oppressus, contra decretum sit perpessus. Eubulides, ut vestrum multi norunt, impietatis accusata sorore Lacedæmonii, quintam suffragiorum partem non tulit. Quod igitur in ea causa et verum, et isti adversum dixi testimonium, eo mecum exercet inimicitias, meque oppugnat. Qui cum et senator esset, et jusjurandum, atque album, ex quo populares intro vocabat, in sua potestate haberet, quid facit? Primum cum municipes convenissent, concionibus habendis, et decretis scribendis diem contrivit. Id vero non forte fortuna factum est, sed circumscribendi mei causa, ut quam tardissime de me pronunciaretur. Idque perfecit. Et municipes, qui juraveramus, tres et septuaginta fuimus. Cœpimus autem ferre suffragia admodum sero; proinde accidit, cum nomen meum citaret, ut jam tenebræ essent: etenim perventum jam erat circiter ad sexagesimum, et vocatus sum postremus omnium inter eos, qui illo die sunt vocati, natu grandioribus inter municipes jam in agros digressis. Cum enim municipium

nostrum quinque et triginta stadia distet ab urbe, et ibi plurimi habitent, plerique abierant, et reliqui erant non plures triginta; in quibus erant omnes ii, quos iste subornarat. Ut autem nomen meum citatum fuit, exsiliens iste, statim in me multa maledicta congerebat, et magna voce, ut nunc etiam, teste suarum criminationum nullo, neque ex municipibus, neque ex reliquis civibus producto, hortabatur populares, ut me improbarent. Postulante autem me, ut in posterum diem differret, propter et tempus, et solitudinem meam, et casum ex improviso oblatum, ut et ipsi crimina, quam multa vellet, adjicere liceret, et testes, si quos haberet, producere, et mihi potestas daretur causæ dicendæ apud omnes municipes, et cognatos meos testes producendi, pollicente item, quicquid illi decrevissent, id me ratum habiturum; iste, quæ ego offerebam, negligebat omnia, statimque calculum iis dabat qui aderant ex municipibus, neque mihi defendendi potestate facta, neque ulla certa inquisitione habita. Istius autem gregales et conjurati exsilientes suffragia ferebant. Et cum tenebræ essent, illorum singuli ab isto binos et ternos calculos acceptos in vasculum conjecerunt. Argumento est, quod qui suffragia tulere, plures triginta non fuerunt: calculi autem numerati sunt amplius sexaginta, ut nos omnes obstupesceremus. Et hæc vere a me dici, et suffragia neque lata esse præsentibus omnibus, et plures fuisse calculos quam suffragatores, testes vobis producam. Et quoniam sic accidit, ut mihi in his amicorum aliorumve Atheniensium testis nemo affuerit, tum propter diei tempus, tum quod neminem advocaram, iis ipsis, qui me læserunt, utar testibus: quibus ea scripsi quæ inficias ire non poterunt. Recita.

TESTIMONIUM.

Quod si, Judices, Halimusii illo die suffragia de omnibus municipibus tulissent, consentaneum fuisset, eos usque in noctem suffragia ferre, ut re confecta, vestrumque decretum exsecuti abirent: cum autem amplius viginti reliqui essent e municipibus, de quibus postridie suffragia ferenda erant, et nihilominus necesse esset municipes convenire, quid fuisset incommodi Eubulidæ, differre in diem posterum, et de me primo popularibus dare suffragium? Propterea, Judices, quod Eubulides non ignorabat, si mihi causæ dicendæ potestas fieret, et populares omnes præsto essent, et calculus juste daretur, suos gregales nihil esse valituros.

6. Unde autem ista conspiratio sit orta, cum de genere meo dixero, tum si voletis exponam: nunc autem quid justum esse existimo, et quid facere sum paratus, Judices? Ostendam vobis, me esse Atheniensem et a patre et a matre, et hujus rei testes, quos

veraces esse dicetis, vobis exhibebo, et convicia criminaque refutabo: et a vobis, his auditis petam, si vobis civis et factionibus oppressus videbor, ut me servetis, sin minus, ut id agatis, quod vobis pium esse videatur. Hinc autem auspicabor. Perstrinxerunt patrem meum peregrinitatis: captum autem eum sub Decelicum bellum ab hostibus, et Leucadem venditum, cum in Leandrum histrionem incidisset, ad suos longe post esse reversum incolumem, prætererunt. Sed quasi nobis propter illa infortunia pereundum sit, peregrinitatis eum accusarunt. Ego vero per hæc ipsa potissimum ostendam, eum Atheniensem fuisse. Ac primum de ejus et captivitate, et redemptione testes vobis producam: deinde eum reversum, a patruis facultatum partem accepisse: postea, nec in municipibus, nec in curialibus, nec alibi usquam ob sermonis peregrinitatem, ut peregrinum ab ullo esse accusatum, age cape testimonia.

TESTIMONIA.

De captivitate quidem, et incolumi patris mei reditu in urbem, audistis. Eum autem vestrum fuisse civem—rei enim veritas ita se habet—, testes voco ex cognatis patris mei qui sunt superstites. Primum autem Thucritidem mihi voca, et Charisiadem. Horum enim pater Charisius, frater fuit avi mei Thucritidæ, et Lysaretæ aviæ meæ, et patruus patris mei: sororem enim duxerat avus meus non uterinam. Deinde Niciadem. Nam ejus quoque pater Lysanias frater fuit Thucritidæ et Lysaretæ, et patris mei patruus. Post Nicostratum. Nam ejus quoque pater Niciades, nepos ex fratre fuit avi mei et aviæ, et patri meo consobrinus. Voca mihi hos omnes. Tu vero siste aquam.

TESTES.

Qui igitur a viris patri meo cognati fuerunt, eos audivistis, et testificantes et dejerantes, patrem meum necessarium eis et cognatum fuisse, quorum utique nemo in conspectu eorum, qui falsi testimonii ei conscii essent, exitium sibi imprecatus pejerabit. Cape et illorum qui patri a mulieribus cognati sunt, testimonia.

TESTIMONIA.

Qui igitur e cognatis mei patris, tam a viris quam a mulieribus, superstites sunt, eos testificantes audivistis, eum utrinque fuisse Atheniensem, et sine controversia jus habuisse civitatis. Voca mihi et curiales et deinde gentiles.

TESTES.

Cape et municipum testimonia, et cognatorum illa de curialibus, ut constet eos elegisse me curiæ principem.

TESTIMONIA.

7. Quæ igitur et cognati et curiales et municipes, et gentiles, quorum id officium est, testificati sunt, audistis; unde vobis scire licet, civisne an peregrinus fuerit is, cujus ea conditio fuerit. Si enim ad unum hominem atque alterum confugeremus, suspicio esse posset, eos a nobis esse subornatos: sed cum apud omnes eos, apud quos et vestrum unusquisque probatus fuit, et pater dum vixit, et ego qui nunc verba facio, probati sumus, apud curiales, cognatos, municipes, gentiles, fierine ullo modo potest, ut ii omnes mendaces et subornati sint? Quod si locuples fuisset pater, atque his pecunia data persuasisset, ut se cognatos ejus esse dicerent, non absurda suspicio fuisset, eum non esse civem: sin simul et pauper fuit, et eos exhibuit simul et cognatos, et de suo impertientes, an non evidens est, eum revera cognatum eis fuisse? Neque enim profecto, si nemini conjunctus fuisset, isti adjecta pecunia eum in familiam recepissent; sed fuit, ut et ipsa res probavit, et testes vobis affirmarunt.

8. Præterea magistratus etiam sortitus est, et approbatus, eos gessit. Cape testimonium.

TESTIMONIUM.

Quis vero vestrum existimet permissuros fuisse municipes, ut ille peregrinus et non civis, apud ipsos magistratu fungeretur, ac non fuisse accusaturos? Neque vero quisquam eum vel accusavit, vel criminatus est. Quin necessario etiam suffragia tulerunt municipes sacris juratis, cum eis album municipii periisset, Antiphilo patre Eubulidæ tribuno plebis; et quosdam e municipio repulerunt. De illo autem neque dixit, neque conquestus ullus est tale quicquam. Atqui omnibus hominibus vitæ finis mors est. Et qui viventes de genere accusantur, eorum filios æquum est ad reddendam rationem perpetuo esse paratos: quibus autem in rebus nemo viventem ipsum criminatus fuit, de iis an non iniquum est liberos exagitari a quovis? Quod si de his inquisitio nulla facta fuisset, latuisse rem concedi posset: sed cum et facta sit, et lata suffragia, et nemo unquam quicquam sit conquestus, nonne æquum est me propter illum Atheniensem esse, qui diem suum obiit, antequam ei de genere facta fuit controversia? Hæc vere a me dici ut constet, horum etiam voca testes.

TESTES.

9. Præterea cum ei liberi quaterni essent nati, uterini mei fratres, et mortui, sepeliit eos in patriis monimentis, quæ quotquot e familia sunt, participant: neque istorum quisquam unquam vetuit, aut prohibuit, neque eum in jus vocavit. Quis vero est, qui a familia alienos in patriis sepeliri monimentis patiatur? Ut autem et hæc vere a me dici constet, cape testimonium.

TESTIMONIUM.

10. De patre igitur, fuisse eum Atheniensem, hæc habeo quæ dicam, et testes produxi eos, quos isti ipsi cives esse pronunciarunt, qui testificantur, eum suum fuisse consobrinum. Constat autem eum tot et tot annos hic vixisse, et nunquam usquam ut hospitem esse deprehensum, sed ad hos cognatos suos confugisse, qui eum et receperunt, et facultates ei impertierunt, ut suorum uni. Iis porro temporibus natus fuit, ut etiamsi ex altera duntaxat parte civis fuisset, civem eum haberi conveniret, cum natus ante Euclidem fuerit. De matre autem mea—nam et hanc exagitarunt—jam dicam, et orationis meæ citabo testes. Quamvis non modo contra decreta forensem quæstum nobis objecerit Eubulides, sed etiam contra leges, quæ convicii crimine teneri jubent eum, qui quæstum in foro ulli civium, seu viro, seu mulieri exprobrarit. Nos vero fatemur et fascias vendere nos, et victitare non uti volumus. Quod si tibi argumento est, nos non esse cives, ego tibi hujus omnino contrarium probabo, non licere peregrino in foro quæstum facere. Cape primum, ac lege mihi Solonis legem.

LEX.

Cape etiam Aristophontis legem. Is enim eam adeo recte et populariter esse latam censuit, ut senatusconsulto renovandam esse decreverit.

LEX.

Tuendæ sunt igitur vobis leges, neque ii qui quæstum faciunt peregrini, sed qui calumniantur, improbi sunt habendi. Est enim, Eubulide, alia quoque lex de ignavia, cui cum ipse obnoxius sis, nos qui opus facimus, exagitas. Verum nunc usque adeo infelices sumus, ut isti liceat extra causam conviciari, atque omnia facere, ne meum mihi jus tribuatur: me autem fortasse objurgabitis, si dixero quemadmodum iste in urbe circumiens rem faciat. Idque merito. Quorsum enim attinet, vobis ea narrare quæ ipsi nostis? Considerate igitur. Quod nos in foro quæstum facimus, id in primis argumento esse puto, istum falsa nobis impingere crimina. Quam enim fasciarum venditricem fuisse dicit, et manifestam omnibus, de ea par fuit utique testificari multos, qui ipsi eam novissent, non qui nihil præter auditum referrent. Nam si peregrina fuisset, excutienda fuerunt vectigalia in foro, et num peregrinorum tributum pependerit inquirendum, et cujas fuerit ostendendum: sin ancilla, in primis emptor, sin minus, venditor producendus fuit, qui testimonium in eam diceret, aut saltem alius quispiam, qui probaret, eam vel servitutem servisse, vel esse manumissam. Nunc horum nihil ostendit, sed crimen objecit, ut mihi videtur, nullius momenti. Id enim est calumniatoris ingenium: criminari omnia, probare nihil. Deinde illud etiam in matrem dixit, eam nutricem fuisse. Nos vero, cum nostra urbs cladem accepisset, et omnes rebus adversis conflictarentur, non inficiamur hoc esse factum; quo pacto autem, et quibus de causis mammam præbuerit, ego perspicue vobis ostendam. Neque vero quisquam vestrum, Athenienses, iniquo animo accipiat. Etiam nunc cives mulieres multas invenietis, quæ nutricum fungantur officiis: quas vobis vel nominatim, si vestra voluntas feret, dicemus. Quod si divites essemus, neque tænias venderemus, neque denique inopes essemus. Sed quid ista cum genere consortii habent? Equidem nihil opinor. Ne vero, Judices, pauperes aspernemini—satis enim eis est in ipsa paupertate mali—, neque eos etiam, qui quæritare victum, et vivere sine cujuspiam injuria instituunt. Sed audita re, ubi vobis matris cognatos ostendero tales, quales ingenuorum hominum esse decet, qui, si iste in eam talia crimina conjecerit, ejurent et testificentur se scire eam esse civem, quos vos putatis esse fide dignos, eam nobis ferte sententiam, quam postulat æquitas.

11. Mihi avus fuit, Athenienses, matris pater Damostratus Melitensis. Ei nascuntur quatuor liberi e priore quam habuit uxore, filia et filius, cui nomen fuit Amytheo: e posteriore Chærestrata, mater mea, et Timocrates. His porro liberi nascuntur, Amytheoni Damostratus, avi nomen referens, et Callistratus, et Dexitheus. Ac Amytheo quidem ex eorum numero est qui in Sicilia et militarunt, et obierunt; et sepultus est in publicis monimentis. Et hæc testes confirmabunt. Soror autem ejus, quæ Alæensi Diodoro nupta fuit, filium peperit Ctesibium. Is Abydi obiit, cum Thrasybulo militans. Ex his vivit Damostratus Amytheonis filius, matris meæ fratris filius. Chærestratæ aviæ meæ sororem ducit Apollodorus Plothensis. Ex his nascitur Olympichus, ex Olympicho Apollodorus. Is vivit. Proinde voca mihi eos.

TESTES.

Hos igitur audivistis testificantes, et dejerantes. Vocabo etiam uterinum fratrem, et utrinque nobis cognatum, et filios ejus. Nam Timocrati matris meæ fratri germano et uterino nascitur Euxitheus, Euxitheo tres filii qui omnes vivunt. Voca mihi ex eis qui domi sunt.

TESTES.

Cape etiam testimonia curialium et cognatorum matris, et municipum, et quorum eadem monumenta sunt.

TESTIMONIA.

Genus igitur maternum tale demonstro vobis, et eam ostendo a viris et mulieribus esse civem. Matri autem meæ nascitur, Judices, primum e Protomacho, cui eam Timocrates frater uterinus et germanus desponderat, filia; deinde e patre meo, ego. Quo autem pacto patri meo nupserit, vobis est cognoscendum. Nam et quæ de Clinia criminatur, et de nutricio matris ministerio, illa etiam ego vobis omnia perspicue narrabo.

12. Protomachus pauper fuit: ad quem cum pupilla locuples hereditate venisset, elocaturus matrem meam, Thucrito patri meo familiari suo persuadet, ut eam ducat. Sic despondetur patri meo mater mea, per Timocratem Melitensem, præsentibus utrisque patruis ejus, et aliis testibus. Et horum qui superstites sunt, nobis testimonium dicent. His factis, aliquanto post, cum duos jam liberos peperisset, patre militante peregre, ductu et auspiciis Thrasybuli, ipsa inopia conflictans, coacta est Cliniam Clidici filium lactare. Quo facto, quod ad id periculum attinet, in quo nunc ego versor, male mihi consuluit, fateor equidem—nam ab ea lactatione omnia quæ in nos congeruntur maledicta oriuntur—, sed tamen illius temporis inopiæ, et necessaria sane fecit, et congruentia. Constat igitur patrem meum non primum duxisse matrem meam, sed Protomachum et liberos procreasse, et filiam elocasse: qui etsi mortuus est, ipsis tamen factis testatur, eam et urbanam, et civem fuisse. Hæc me vere dicere ut appareat, primum mihi voca Protomachi filios: deinde eos qui sponsalibus patris interfuerunt: et e curialibus cognatos, quibus nuptiale munus contulit pro matre pater: post, Eunicum Cholargensem, qui sororem meam accepit a Protomacho: deinde filium sororis. Voca hos.

TESTES.

An non igitur indignissime omnium hominum agitur mecum, Athenienses, quod cum tot cognati mihi sint, hique et testificentur, et dejerent, se mihi cognatos esse, et horum nemo in jus vocetur, quasi cives non sint, isti tamen pronunciarunt, me esse peregrinum? Cape mihi et Cliniæ, et cognatorum ejus testimonium, qui norunt haud dubie, quænam mater mea fuerit, quæ mammam illi præbuit. Neque enim id ab eis jurisjurandi religio postulat, ut quæ nos hodie dicimus, ea testificentur: sed ut ea quæ omni tempore comperta habuerunt, eam et suam nutricem, et nostram fuisse matrem existimatam. Tametsi enim humile quiddam est nutricis vocabulum, veritatem tamen non detrecto. Non enim, si pauperes fuimus, cuiquam injuriam fecimus, sed si cives non fuimus: neque in hoc judicio vel vita, vel pecunia nostra agitur, sed genus. Multas humiles et serviles operas ingenuos homines paupertas facere cogit: ob quas commiserationem potius, quam internecionem merentur. Ut enim ego audio, multæ mulieres cives, et nutrices, et mercenariæ, et vindemitrices factæ sunt, propter reipublicæ illorum temporum calamitates, multæ item ex pauperibus nunc locupletatæ sunt. Sed de his statim. Nunc testes voca.

TESTES.

13. Me igitur et a matre esse civem, et a patre, partim ex dictis testium modo cognovistis, partim ex iis quæ prius de patre dicta sunt; restat igitur, ut de me ipso apud vos dicam. Quod igitur simplicissimum est, et justissimum, cum ex utrisque parentibus sim civis, cum et hereditatem et genus sim consecutus, me esse civem affirmo. Sed tamen omnia quæ conveniunt, a me esse præstita, probabo testibus productis, ut introductus sim ad curiales, ut in municipium sim adscriptus, ut ab istis ipsis delectus sim ut inter nobilissimos de sacerdotio Herculis sortirer, ut magistratus gesserim approbatus. Voca mihi eos.

TESTES.

Quam autem absurdum fuerit, Judices, si ita mihi obvenisset sacerdotium, ut delectus fueram, oportuisse me pro istis sacrificare, et istos una sacrificare mecum: nunc autem eosdem istos non permittere, ut ego una cum eis sacra faciam? Constat igitur, Athenienses, me per omne reliquum tempus, apud omnes eos, qui me nunc accusant, civem esse habitum. Neque enim peregrinum et inquili-

num, ut nunc ait Eubulides, vel magistratus gerere, vel sacerdotium sortiri, secum delectum sivisset—nam et ipse fuit e sortientibus et delectis—, neque etiam, cum vetus ei mecum simultas intercederet, in hoc usque tempus distulisset, quod an unquam futurum esset, nemo præscivit, si quid de me tale compertum habuisset. Sed non compertum habuit. Quapropter per tempus omne reliquum, cum et municipium et sortitionem mecum communem haberet, nihil horum perspexit: postquam autem civitas universa in eos qui se petulanter in municipia ingesserant, iracunde concitata fuit, tum insidias mihi comparavit. Fuisset autem illud quidem tempus hominis veritate freti: hoc autem, quod nunc adest, inimici est, qui de industria calumnietur. Ego autem, Judices,—neque per deos oro quisquam mihi obturbet, neque id quod dicturus sum ægre ferat—, me Atheniensem esse duco, ut vestrum quilibet sese, et eam esse mihi matrem ab initio puto, quam apud vos ostendo, neque alterius sum, hanc autem mihi vendico. Patrem rursus eodem modo. At si qui eorum, in quos inquiritur, cum eos quorum sunt occultant, eorum vero esse sese quorum non sunt simulant, eo ipso argumento non injuria peregrini apud vos judicantur: de me contrarium utique sentiendum erit, civem esse me. Neque enim peregrinum et peregrinam parentes esse meos profitendo, frui civitate instituissem: sed si quid tale mihi conscius essem, quæritassem, quorum me filium esse dicerem. Sed nihil eram conscius. Quapropter eos parentes, qui sunt, ut æquum est, retinens, civis esse studeo.

14. Jam etsi pupillus relictus sum, tamen me dicunt esse locupletem, et testium quosdam propter emolumenta se mihi cognatos esse dicere. Ita simul et probra paupertatis et generis obscuritatem objiciunt: simul propter divitias omnia mercari me dicunt. Proinde utra horum eis credenda sunt? Licuisset nimirum eis, si peregrinus aut nothus ego essem, omnium mearum opum capere hereditatem. Itane hi paucula accipere, et falsi testimonii actionem et periculum exspectare, et pejerare, malunt, quam tenere omnia, eaque secure, neque ullis se diris et devotionibus obstringere? Non ita res habet nimirum. Sed cognati cum sint, uni suorum, ut rectum est, opitulantur. Neque hæc nunc tantum impulsu meo faciunt, sed dum puerulus etiamnum fui, me statim ad curiales duxerunt, in ædem Apollinis patrii duxerunt, in reliqua item templa. Neque vero ego dum puer fui, eis persuasi, ut illa facerent scilicet, argento dato. Sed et pater dum vixit, legitimo jurejurando dato curialibus, me civem introduxit, cum ex cive desponsa sibi natum sciret. Et hæc testes affirmarunt. Postea ego sum peregrinus? Ubi tributum inquilinorum pependi, aut ullus meorum unquam? Quando ad alios municipes accessi, et quum eis, ut me re-

ciperent, persuadere non potuissem, huc me inscripsi? Ubi? Quibus rationibus, quibus illos qui germani cives non sunt uti constat? Nusquam. Quomodo tandem? In eo municipio, in quo avus patris mei pater, in quo pater meus versatus est, in quo me versatum esse constat.

15. Et quo pacto nunc vobis evidentius quisquam probet, jus sibi esse civitatis? Cogitet enim unusquisque vestrum, Athenienses, quonam alio modo, quam ego feci, cognatos suos demonstrare posset, cum pro testimonio dicant, cum jurent, cum olim jam inde a primordio iidem sint? Quas ob res ego bonitate causæ fretus, ad vos confugi; quod videam, Athenienses, judiciorum majorem esse auctoritatem, non modo quam Halimusiorum, qui me ejecerunt, sed etiam quam senatus, et populi. Nec injuria. Quicquid enim spectetur, sententiæ vestræ justissimæ sunt. Cogitate illud etiam, vos, qui e magnis municipiis estis, nulla re privare quemquam, nec accusatione, nec defensione. Ac multa bona vobis eveniant, qui ea re recte usi estis, qui iis etiam qui moram petierunt, parandi se facultatem non ademistis. Qua re et calumniatores, et eos qui propter simultatem aliis insidiantur, convincitis. Ac vos quidem laudandi estis, Athenienses, qui autem re bona et justa male sunt abusi, vituperandi. In nullo autem municipio, quam in nostro, crudelius esse actum reperietis. In eo enim fratrum uterinorum et germanorum alios ejecerunt, alios non: et homines natu grandes inopes, quorum filios retinuerunt. Harum etiam rerum, si vultis, testimonia vobis exhibebo. Quodque omnium gravissimum est, factiosi id fecerunt; neque per deos oro vos, in malam partem quisquam vestrum accipiat, si eos qui me læserunt, improbos esse ostendero. Eorum enim vobis improbitate demonstranda, ipsam calamitatem quam accepi narraturus mihi videor. Isti, cum quidam homines peregrini, cives fieri vellent, Anaximenes et Nicostratus, communiter quinas quisque drachmas inter se distribuerunt. Hoc cum scire se neque Eubulides, neque gregales ejus ejurare audeant, nunc tamen eos non ejecerunt. Quid autem eos privatim non facturos putatis, qui publice hæc facere non dubitarunt? Multos, Athenienses, Eubulidea factio et perdidit et conservavit, argenti gratia. Nam prius etiam—ad rem faciet quod dicam, Athenienses—cum tribunus plebis esset Eubulidæ pater, ut dixi, Antiphilus, commentum excogitat, ut a quibusdam nummos auferret, et ait, se commune album perdidisse. Quare persuasit Halimusiis ut inter sese suffragia ferrent. Et accusatos decem municipes ejecit, quos omnes præter unum judices receperunt. Et hoc seniores omnes norunt. Multum certe abfuit, ut aliquos relinquerent, qui Athenienses non essent, cum germanos etiam cives per factionem ejicerent, quos judicium recepit. Cumque patri meo

tunc inimicus esset, non modo eum non accusavit, sed ne suffragium quidem de eo tulit, quasi non esset Atheniensis. Unde id constat? Quod omnibus suffragiis civis est habitus. Et quid opus est de patribus dicere? Cum ipse Eubulides, cum ego inscriberer, et municipes, ita ut æquum est, jurati omnes suffragia de me ferrent, neque accusarit, neque contrarium suffragium tulerit. Nam hic iterum omnes me municipem esse judicarunt. Quod si mentiri me dicunt, in mea aqua, quisquis voluerit, testificetur horum contraria. Si igitur, Athenienses, istorum id argumentum firmissimum esse videbitur, quod municipes me jam ejecerunt, ego quater prius sancte, et sine conspiratione decrevisse eos ostendam, cum decreverunt et me et patrem esse municipes suos; primum, cum pater probatus fuit, deinde, cum ego, post, in prima disquisitione, cum isti album occultassent, postremo, cum inter nobilissimos me delegerunt ad sortitionem Herculani sacerdotii. Atque hæc omnia testimoniis comprobata sunt.

16. Quod si tribunatus mihi referendus est, propter quem mihi quidam irascebantur (nam in eo inimicitias suscepi, exigendo a multis conductiones lucorum, et alia quæ reipublicæ subtraxerant) equidem vos audire velim, sed fortasse nihil ad rem facere existimabitis. Illud quidem argumentum conspirationis eorum proferre possum, quod e jurejurando deleverunt hæc verba, s e n t e n t i a m f e r a m a n i m o æquissimo nec g r a t i æ nec o d i i c a u s a, nam id quoque deprehensum est. Et quod arma per sacrilegium abstulerunt—dicetur enim—quæ ego Minervæ consecraram, et decretum exsculpserunt quo municipes me ornarant. Conjurarunt isti contra me, a quibus ea quæ publice debebantur redegi; eoque venerunt impudentiæ, ut passim dicerent, ea me facere causa defensionis. Quis vero me vestrum tantæ condemnet insaniæ, Judices, ut propter tantilla rei probandæ argumenta, facinus morte vindicandum auderem, et quæ mihi honorifica essent, ea abolerem? Illud autem, quod omnium est gravissimum, non utique dicent me auctore esse factum. Cum primum enim mihi calamitas accidisset, statim istorum quidam, tanquam exsul jam essem, et periissem, domunculam in agro noctu aggressi, instrumentum et suppellectilem auferre sunt conati. Usque adeo et vos et leges contempserunt. Ac si vultis, hujus rei conscios citabimus.

17. Etsi autem multa haberem, quæ isti perpetrarunt et ementiti sunt, commemoranda, libenterque vobis exponerem, ea tamen cum præter rem esse putetis, omittam. Illa autem recordamini, et spectate, quantis argumentis fretus ad vos accesserim. Ut enim vos in sexviros inquiritis, ad eundem ego modum apud vos in me inquiram. Heus homo, quis tibi pater fuit? Mihi? Thucritus. Nunquid aliqui se cognatos ejus esse testificantur? Omnino. Primum consobrini quatuor: deinde sobrinus: post, qui consobrinas ejus duxerunt: curiales item: nec non Apollinis patrii, Jovis Hercei gentiles: deinde ii quibus monumenta sunt eadem: deinde municipes, eum sæpe et probatum esse, et magistratus gessisse, suis suffragiis ostenderunt. De patre igitur, quid vobis æquius aut sincerius afferre potuissem? Vocabo autem vobis cognatos, si vultis: de matre porro audite. Mater mihi est Nicareta, filia Demostrati Melitensis. Ejus cognati, qui testimonium dicunt? Primum patruelis filii duo: deinde consobrini matris: post Protomachi filii, ejus qui matrem meam prior habuit: deinde qui sororem meam ex Protomacho duxit, Eunicus Cholargensis: post filius sororis: quin et curiones cognati matris et municipes idem sunt testificati. Quid igitur requiritis amplius? Nam et ex præscripto legum contraxisse matrimonium patrem, et nuptiale munus obtulisse curialibus, testes confirmarunt: ad hæc autem me ipsum quoque ostendi, participasse res omnes quæ decent ingenuos. Quapropter ab omnibus partibus jure et convenienter lato pro nobis suffragio, religiose pronunciabitis. Jam etiam, Judices, sexviros interrogatis, an parentibus benefaciant: ego vero a patre pupillus sum relictus, matrem autem, obsecro vos et obtestor, ut in patriis sepelire monimentis hoc vestro suffragio liceat, ne me prohibete, ne extorrem agite, ne cognatis spoliate, quorum tanta multitudo est, ne denique me perdite. Potius enim quam eos deseram, si ab eis conservari non potuero, me ipse interficiam, ut saltem ab eis in patria sepeliar.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS CONTRA THEOCRINEM.

Hanc orationem nescio qua ratione in privatas plerique referunt, cum manifeste sit publica, quod ex ipso argumento perspicietur. Mercatores aut navicularios Athenienses qui alio quopiam quam Athenas frumentum vexerant, licebat deferre. Lex autem erat, si quis aliquem detulisset nec actionem persequeretur, aut persecutus quintam suffragiorum partem non tulisset, ut mille drachmas ærario solveret: quas qui non solvissent, iis conciones habere non liceret. Tertia item lex erat, si quis aliquem per injuriam asserere in libertatem videretur, ut semissem æstimationis ærario deberet. Epichares igitur Theocrinem detulit, ut qui verba in publico faceret, quod ei per tres hasce leges non liceret. Miconem enim detulisse, ut alio frumentum vehentem, et prævaricatum esse: et curatorem a tribulibus designatum, in rationibus referendis, peculatus damnatum esse, ob eam pecuniam quæ decem heroum sacra esset: tertio Theocrinis patrem in libertatem asseruisse per injuriam Cephisodori ancillam, et quingentis drachmis eam ob rem mulctatum. Harum igitur rerum delatio hic agitur, et causa manifeste publica est. Ipsam autem orationem Dinarchi esse plerique putant, quanquam Demosthenicis haud absimilem.

DEMOSTHENIS

DELATIO

CONTRA THEOCRINEM.

1. Patre nostro, Judices, per Theocrinem calamitate publica affecto, et decem talentis mulctato, eaque mulcta conduplicata, ut nullam salutis spem reliquam habeamus: existimavi, ejus vestro præsidio ulciscendi gratia, nec ætatis, nec cujuspiam alterius rei ratione habita, istum apud vos esse deferendum. Pater enim, Judices, cujus auctoritate omnia facio, apud omnes familiares quiritabatur, si ego, prætermissa occasione hac, qua, dum ipse adhuc in vivis est, inimicum ulcisci possem, excusatione imperitiæ atque ætatis, neque se fortunis omnibus spoliatum curarem, neque Theocrinem contra leges accusantem, et multos civium, quod ei facere non liceret, calumniantem reprimerem. Vos igitur omnes, Athenienses, oro et obtestor, ut me benigne audiatis, primum, quod et patrem defendens, et patris auctoritati parens, in hoc judicium venio, deinde quod et adolescens sum et rerum imperitus: quamobrem actum præclare mecum putabo, si benevolentia vestra ju-

vante, facinora istius potero demonstrare. Præter hæc ob illud etiam, Judices, quod proditus sum—vera enim apud vos dicentur—ab hominibus, qui, cum ob inimicitias, quas cum isto exercebant, fidem apud nos invenissent, auditaque re, subscriptionem et strenuam operam promisissent, me nunc destituto, cum isto in meo discrimine in gratiam redierunt. Quare nemo est qui mihi patrocinetur, nisi me forte necessariorum aliquis adjuverit.

2. Ac multis quidem iste delationibus obnoxius fuit, omnesque leges, quæ ea de re cavent, violavit; recentissimum autem ejus facinorum, navigii indicationem esse reperimus. Quapropter hæc in delatione perscripta mihi pater dedit. Ac primum lex vobis recitabitur illa de indicantibus et prævaricantibus, et contra leges cum adversariis transigentibus; hinc enim auspicandam esse mihi orationem censeo: deinde indicatio ipsa, qua iste Miconi negotium facessit. Recita.

LEX. INDICATIO.

Lex hæc, Judices, instituentibus aut publice accusare, aut indicare, aut quippiam aliud eorum facere quæ in lege scripta sunt, perspicue denunciat, quibus conditionibus horum quælibet facienda sint. Hæ autem sunt, ut ex ipsa lege audivistis, si quis actionem persecutus quintam suffragiorum partem non tulerit, ut mille drachmas solvat, quod si non persequatur, Theocrine, alias mille: ut neque calumniatorem agat quisquam, neque impunitate proposita prævaricetur, aut condonet publica negotia. Affirmo igitur hac delatione teneri Theocrinem, quod Miconem Chollidem indicarit, nec sit persecutus, sed accepta pecunia negotium vendiderit. Et hoc aperte demonstrabo, ut ego arbitror. Quanquam enim Theocrines, o Judices, suique gregales, nihil non fecerunt appellandis testibus, eis partim minitantes, partim pollicentes, ne testimonium dicant; tamen si vos pro officio me adjuveritis, eosque jusseritis, ac potius adigente me, vos una adegeritis eos aut testari, aut ejurare, neque cavillari eos siveritis, verum invenietur. Recita igitur primum indicationem, deinde testimonia.

INDICATIO.

Hanc indicationem exhibuit iste, Judices, Micone accusato, eamque scriba mercatus curatorum Euthyphemus accepit, diuque ante concilium indicatio proposita jacuit, quoad iste accepta pecunia missam eam fecit, recensentibus prætoribus, et eum ad quæstionem vocantibus. Hæc ut a me vere dici constet, primum voca, qui magistratuum scriba tum fuit, Euthyphemum.

TESTIMONIUM.

Recita etiam eorum, qui propositam eam viderunt, testimonium. Recita.

TESTIMONIUM.

Voca etiam mercatus curatores, ipsumque Miconem, cujus indicavit navigium, et testimonia. Lege.

TESTIMONIA.

3. Theocrinem igitur indicasse Miconis navigium, Judices, et indicationem diu fuisse propositam, et accersitum ad quæstionem non paruisse, neque accessisse, eos testari audivistis, quos id in primis habere compertum convenit. Eum vero non modo mille drachmas debere, sed et in carcerem abducendum, et reliquis pœnis afficiendum esse, quas hæc lex iis minatur, qui mercatores et navicularios calumniantur, ex ipsa lege facile cognoscetis. Cum enim vellet legislator, neque delinquentes mercatores indemnes esse, neque insontes vexari, omnino vetuit hoc hominum genus indicari, ni quis ipse sibi confidat, se ostensurum apud vos, facta esse ea quæ indicat, quod si quis calumniatorum secus fecerit, licere eos deferri et in carcerem abduci. Sed ipsam potius legem recita, quæ id multo evidentius quam ego, docebit.

LEX.

Auditis, Judices, leges quid calumniatorem luere jubeant? Quare si quid eorum quæ in indicatione Miconem fecisse scripsit Theocrines, fecit, prævaricatus est, remque cum eo transegit, vobis omnibus facit injuriam meritoque mille drachmis mulctatur. Sin eo, quo decebat, navigante—utrum enim iste volet, largiar—indicat et arcessit, et calumniatur navicularios, legem non eam solum quæ prius, sed hanc etiam quæ modo recitata est, violavit, et suo ipse testimonio confirmavit, se sani quicquam nec agere, nec dicere. Quis enim causæ bonitate fretus pecuniæ partem ex lege accipere nolit, aut, re transacta parvum lucellum malit, præsertim legibus eam ob rem pœnas daturus, cum liceret, quod modo dicebam, semissem indicatarum rerum accipere? Nemo, nemo, inquam, Judices, qui se calumniatorem agere non compertum haberet.

4. Duæ igitur hæ leges sunt, quas iste, violatarum legum alios reos agere solitus, violavit. Restat et tertia, quæ æque jubet, et ærarios a quovis civium deferri, et si quis Minervæ debeat, aut ceterorum deorum aut heroum alicui. Debere autem iste compe-

rietur, et non solvisse, septingentas drachmas, quas in referendis rationibus ex mulcta debuit suæ tribus heroi. Age hanc ipsam legis partem recita.

LEX.

Desine. Audis hæc quid dicat? si heroum alicui. Recita etiam tribulium testimonium.

TESTIMONIUM.

Curabit iste scilicet, Judices, paucos homines, aut eos qui maximam ætatis partem navigando, ut Mico, consumunt, cum tribules suos præsentes nec metuerit, nec reveritus sit? Nam et rempublicam eorum ita tractavit, ut peculatus eum condemnarint: et post condemnationem, quamvis satis sciat, legum interdicto se ab accusando removeri, donec mulctam solverit, vim tamen facit, atque existimat, ceteros quidem ærarios omni munere publico depelli oportere, se vero superiorem esse legibus. Dicet, avum, non se, esse in tabulam relatum: et de hoc multa verba faciet, illum esse ærarium. Ego vero uter sit, certo confirmare non possum; sed ut ita sit, ut iste dicit, multo justius a vobis condemnabitur, si res ita se habet. Nam si ærarius ejus avus fuit olim, et lex illius istum hereditatem capere jubet, atque ipse cum ei nec olim accusare liceret, accusavit, propterea que se absolvendum putat, quod a tertio inde generis gradu sit improbus, nihil æqui dicet, o Judices. Ipsum autem Theocrinem confiteri, eam durare mulctam, qui tum pro se, tum pro fratre sposponderit tribulibus, nec servata jurisjurandi religione, ac sine infamia delationem hanc posse absolvi, uti constet, decretum profer quod in Scironidæ sententiam factum est apud tribules.

DECRETUM.

Accessit autem Theocrines, et se debere fassus est, et soluturum coram tribulibus recepit, postquam nos adesse animadvertit, exempla eorum, quæ in tabulam relata erant, petituros.

DECRETUM.

Multo magis igitur, Athenienses, Leontidas laudaveritis, qui Theocrinem illas septem minas reddere coegerunt, quam istum.

5. Jam quarta etiam lex est,—fateor enim me pleraque istius facinora pervestigasse—, qua Theocrines quingentas drachmas debet, a patre suo non redditas, quibus damnatus est, Cephisodori famula in libertatem asserta, sed intercessione et tractatione cum Ctesicle orationum scriptore, qui ab adversa parte stabat, curatum

est, ut ea mulcta neque solveretur, neque in arcem referretur, quam Theocrines nunc opinor nihilominus ex lege debet. Non enim, si Ctesicles inquilinus iste concesserit, improbus improbo, ne tradatur exactoribus is, qui lege sit damnatus, propterea civitas fraudanda est mulctis, a legibus irrogatis: sed decet adversarios, in privatis contractibus inter se transigere arbitratu suo, in publicis vero negotiis parere legibus. Ac legem mihi recita, quæ jubet semissem æstimationis debere publico, eum qui per injuriam asserere in libertatem videatur, et Cephisodori testimonium.

LEX. TESTIMONIUM.

Illam etiam legem recita, quæ ab ea die debere jubet, qua sit damnatus, sive inscripta mulcta, sive non inscripta sit.

LEX.

6. Quo igitur alio pacto, Judices, æquo accusatori ostendendum est, Theocrinem recte esse delatum, nec propter mille drachmas duntaxat, ob quas delatus est, teneri delatione, sed multis etiam aliis obstrictum esse mulctis? Equidem alio nullo puto. Neque enim exspectandum profecto est, dum ipse Theocrines ærario vestro se debere fateatur, et jure delatum esse dicat: imo contrarium fiet, quidvis dicet potius, quasvis criminationes proferet, se factionibus opprimi, se propter legum defensionem exagitari quiritabitur. Nam qui causam ipsam tueri nequeunt, hoc reliquum habent, ut effugia, ut causas quæritent, quæ, erepta ipsius causæ recordatione, in iis vos detineant quæ ad ipsam causam nihil attinent. Ego vero, Judices, si in legibus quæ lectæ sunt, scriptum viderem, illa quæ de calumniatoribus sancita sunt, ita demum rata habenda, si Theocrines delatus, neque Thucydidem, neque Demosthenem, neque alium quempiam versantem in republica virum incusaret, quievissem: nunc excusationum illarum nullam vel in legibus momenti habere video quicquam, vel esse novam, ut tanquam inaudita auscultationem mereatur, sed singulas a reis sexcenties inculcatas. Atque etiam e senioribus audio, Judices, violatori legum nihil omnino cuiquam esse veniæ tribuendum: sin quippiam forte sit, non continenter improbis, propter sordidum quæstum leges aspernantibus,—neque enim fas est:—sed iis qui ex imperitia rerum scriptas alicubi leges inviti neglexerint; quorum istum esse Theocrinem, nemo dixerit, contraque in legum omnium cognitione versatissimum. Quare cavendus est, neque vel ad mea, vel ejus verba respiciendum. Neque enim æquum est, ut qui pro legum defensione adsunt, prolixis fabulis et criminationibus præbeant aures, sed iis quæ facile omnes assequamini. Quare perspicuis verbis sic eum interrogate, ut omnibus civibus, hanc delationem, ita uti leges postulant, judicasse videamini: quid ais, Theocrine, vosque omnes qui iisdem constricti estis criminibus? Num postulatis, ut qui sacramento adacti sumus, nos secundum leges pronunciaturos, propter vestram eloquentiam contra easdem decernamus? Nobis, Judices, et Mico testimonium dixit, quem Theocrines indicatum non est persecutus, istumque coarguit: et scriba fatetur se ab isto indicationem accepisse: et recitatum paulo ante testimonium istum convicit: et fori etiam curatores, ægre illi quidem, sed tamen eadem quæ hi testificati sunt: et qui indicationem propositam viderunt, quique ad prætores accesserunt, tale testimonium dicunt, quale paulo ante audivistis.

7. Quid igitur fieri queat iniquius, Judices, quam si istum absolveritis? Nec enim profecto propter mores rei, vitamque anteactam, falsa esse jam lecta testimonia putabitis. Nam talem esse Theocrinem, e moribus multo magis, quam ex his quæ dicta sunt, elucet. Quid enim prætermisit iste, quod homo improbus et calumniator facere possit? An non propter istius improbitatem, frater ejus, dum sexvir esset, cumque istius consiliis uteretur, talis apud vos homo visus est, ut non ipse solum repulsam tulerit die suffragationis, sed et universum magistratum in eandem calamitatem conjecerit? Qui nisi orassent, et supplicassent, ac Theocrinem accedere ad magistratum desisse dixissent, vosque placati coronas eis restituissetis, collegæ ejus summa ignominia essent affecti. Neque vero ullis mihi testimoniis est opus apud vos. Scitis enim omnes, sexviros, qui Lycisco prætore fuerunt, propter istum a populo fuisse improbatos. Quibus in memoriam revocatis, eundem istum esse nunc qui tum fuit, existimare debetis. Deinde non diu post repulsam, fratre ejus violenta morte perempto, iste ita se erga illum gessit, ut et eos qui cædem fecerant quæsierit, et compertos accepta pecunia dimiserit. Ac magistratum quidem quo ille fungens (sacrificus autem fuerat) occubuit, contra leges iste gessit, neque sortitione facta, neque subsortitione: illius vero casum hactenus indigne tulit, ut passim quiritaretur, seque Democharem apud Areopagum delaturum profiteretur, donec cum iis, quibus ea cædes crimini dabatur, transegisset, bonusne vir est, et alienus ab avaritia? Nec ipse dicere queat. Nec enim ei tam multis esse opus oportere dicunt, qui juste et moderate rempublicam sit gesturus: sed ea omnia posse contemnere propter quæ largitiones in semetipsos insumant.

8. Ac quæ de fratre suo egit, hæc sunt: quæ vero, postquam ad rempublicam accessit, administrarit—proxime enim et secundum

domesticos vos a se diligi dicet—audire est operæ pretium. Auspicabor autem ab iis, quæ in nos admisit. Patrem cum accusaret, Judices, ac violatarum legum reum faceret, insidias puero, de quo decretum scriptum erat, fieri dicebat, in quo pater victum Charidemo Isomachi filio decreverat, asserens, si in paternas ædes redisset puer, omnes opes, quas Æschylus, a quo erat adoptatus, ei dederat, amissurum: idque falso. Nemini enim unquam adoptato, Judices, id accidit. Et horum omnium auctorem Polyeuctum exstitisse dicebat, qui pueri matrem haberet in matrimonio, atque ipse pueri opes concupisceret. Irati autem Judices ob ea dicta, et opinati, ipsum quidem decretum et præmium legibus esse consentaneum, revera autem puerum pecunia fraudatum iri, patrem decem talentis mulctarunt, ut qui cum Polyeucto hæc moliretur, isti, ut pueri defensori crediderunt. Ac quæ in judicio acciderunt, hæc et hujusmodi fuerunt. Ut autem bonus iste vir homines iratos esse animadvertit, et sibi, ut non omnino nefario, fidem haberi, arcessito Polyeucto diem apud prætorem dicit malæ tractationis, primamque sortitionem dat Mnesarchidæ assessori. Acceptis autem a Polyeucto trecentis drachmis, et atrocibus illis criminibus parvo ære venditis, ob quæ patrem decem talentis mulctarat, destitit, actionemque, pupillo prodito, sustulit. Age voca mihi horum testes.

TESTES.

9. Quod si dives fuisset pater, et, o Judices, ei mille drachmas numerare potuisset, omnino crimine violatarum legum fuisset liberatus: tantum enim iste ab eo postulabat. Age voca mihi Philippidem Pæaniensem, ad quem dixit hæc Theocrines, et ceteros qui sciunt hæc ab hoc esse dicta.

TESTES.

Theocrinem igitur, Judices, si quis ei mille drachmas dedisset, accusationem patris fuisse aboliturum, omnes vos credituros, etsi nemo testificetur, arbitror: eundem autem multos alios arcessisse, et actione instituta prævaricatum esse, parvaque accepta mercede, recessisse, eos qui ei dederunt, ipsos vocabo, ne credatis ei, se observare legum violatores, glorianti, et violatarum legum sublatis actionibus, corruere libertatem dictitanti. Hæc enim qui omnia vendunt, dicere solent. Voca mihi Aristomachum Critodemi filium Alopecensem; is enim dedit, vel potius in ejus ædibus datæ sunt isti, incorruptæ fidei viro, duæ minæ cum dimidia, pro decreto quod Automedo in gratiam Tenediorum fecit.

TESTIMONIA.

Recita etiam ceterorum ejusdem generis ordine testimonia, et cum Hyperidis, tum Demosthenis. Insignis enim est avaritiæ, a quibus nemo postulet nummos, istum libentissime accipere, vendentem accusationes.

TESTIMONIA.

10. Iste porro statim dicet, propterea se esse delatum, ut ab ea desistat actione, quam contra Demosthenem et Thucydidem instituerit; callidus enim est mentiendi, et nugarum artifex. Nos vero, Judices, et hoc consideravimus, vobisque demonstrabimus, nihil capere detrimenti rempublicam, sive, ita me amet Jupiter, ratum habeatur decretum Thucydidis, sive irritum fiat. Quanquam autem hujusmodi defensiones apud eos qui se pronunciaturos jurarunt secundum leges, proferri injustum est: tamen ex ipsa statim accusatione cognoscetis, ad eludendam hanc delationem, accusationem illam pertinere. Recita accusationes has.

DECRETA. ACCUSATIONES.

Hæc decreta, Judices, seu rata habeantur, seu damnentur,—nam mea quidem id nihil interest—, quid civitas aut lucri facit, aut damni? Equidem nihil arbitror. Tenedios enim aiunt nihil curare nostram civitatem, idque per Theocrinem esse factum. Calumniis enim per istum appetiti illis temporibus, quibus eorum alii Philippo, alii Atheniensibus studebant, cum audirent iniquæ rogationis postulari decretum illud, quod Charinus ante decretum de tributo, Thucydide auctore factum, accusarat, nec ullum esse rerum exitum, sed concedere populum, ut Tenedii tantum tributi penderent, quantum Chareti duci promisissent, istum autem impurum hominem pollicitum Charino proditori suam operam, quod necesse habuerunt, id fecerunt. Ex urgentibus enim malis id quod fuit minimum elegerunt. Quid vero probabile fuit, eos nostratibus moveri decretis, quibus optabilius fuit præsidia recipere, et Barbaris parere, vestra societate relicta? sed istius ferre improbitatem soli vos, opinor, potestis: alius Græcorum nemo.

11. Non convenire autem vel propter eas quæ recitatæ sunt accusationes, vel ullam aliam ob causam, violatis delationum legibus absolvi Theocrinem, ex his etiam quæ dicta sunt, ferme perspicitur: ego vero causas istorum, Judices, et accusationes, et simulatas istas simultates, non latere vos existimo. Neque enim raro vidistis eos in foro et suggesto præ se ferre inimicitias, privatim

autem colludere, partirique largitiones; atque aliquando conviciari inter se, et extremis invicem probris afficere, paulo post, dies festos una agitare, et sacra habere communia. Neque horum fortasse quicquam est miratu dignum. Nam et natura sunt improbi, et tales velitationes vident a vobis approbari. Quare quid vetat, quo minus his artibus decipere vos instituant? Denique decere vos opinor, Judices, illud spectare, si æqua dicam et consentanea legibus ipsa de re, ut opitulemini, neque intueamini, an is qui accuset, non sit Demosthenes, sed adolescentulus; neque plus tribuatis legibus, si quis eas verbis exornatas vobis exhibeat, quam si qui quomodocunque explicent, sed parem, atque eandem auctoritatem, tantoque magis imperiti et adolescentes adjuvandi sunt, quanto minus vos deceperint. Nam contrarium esse factum, et non istum, sed me factionibus pressum, et a quibusdam qui receperant, se a me staturos, propter istorum conspirationes esse proditum, non istum, perspicuum vobis erit. Vocet præco hic Demosthenem, non adscendet. Ejus autem rei causa est non hæc, quod a quibusdam adductus, istum detuli, sed quod iste, et is qui modo vocabatur, inter se transegerunt. Quod ut verum esse constet, dicere testimonium cogam Clinomachum, qui eos reconciliavit, et Eubulidem, qui in Cynosarge interfuit. Neque vero signum vobis hoc minus, sed majus proferam, unde constet hoc esse verum, quo audito, mihi omnes assentiemini. Theocrines, qui violatarum legum accusat impurum illum, ut quamprimum dicet, et istorum ei malorum auctorem, palam ei remisit id crimen quod decem talentis æstimarat. Qui? Nihil id quidem novi, sed idem facit, quod alii quidam istius similes egerunt. Nam Demosthenem, pronunciata actione, juravit quidam ægrotare, cum is ambularet, atque Æschini conviciaretur: eum vero inimicum iste missum fecit, et neque tunc jusjurandum dedit, neque deinceps ei denunciavit. Nonne evidenter isti fucum vobis faciunt, qui eos ut inter se inimicos audiatis? Recita testimonia.

TESTIMONIA.

Proinde justum est, Judices, neque vos eos audire velle, qui se Theocrini ex odio Demosthenis patrocinari profitentur: jubete potius, siquidem revera inimici sint, ut eum illi accusent, neque contraria legibus scribere patiantur,—sunt autem et ipsi eloquentes, et plus apud vos habent auctoritatis—: sed non facient hoc. Quamobrem? Quia se dicent inimicos esse, cum non sint inimici.

12. Sed istorum inimicitias vos mihi certius exposueritis quam ego vobis. Libens autem coram vobis Theocrinem percontarer, si mihi aliquid æqui responderet, quidnam faceret—quando id suum munus esse dicit, ut eos qui contraria legibus decernunt, coerceat—, si quis apud omnes cives oratione habita et probata, decerneret, licere ignominiosis et ærariis accusare, indicare, deferre, ea denique agere quæ nunc leges eis interdicunt; nunquid decreti auctorem violatarum legum accusaret necne? Nam si dicat, se non esse accusaturum, est ne habenda ei fides, se eos, qui scribant contraria legibus observare jactitanti? sin accusaret, quid iniquius, quam alio auctore intercedere, ne id decretum, quo ea potestas detur omnibus, ratum fieret, et accusatione instituta perspicue adscribere, rem esse legibus interdictam, nunc istum ipsum factitare accusationes, cum id neque a populo impetrarit, neque rem publice deliberandam proposuerit, legibus id vetantibus? Statim autem dicet, inique secum agi, si hæc sibi facere non liceat, legumque severitatem, quibus futurus sit obnoxius, si damnetur, commemorabit: leges autem non curabit, sed tantam sibi dari a vobis licentiam postulabit, quantam nemo unquam petere fuit ausus.

13. Jam quod ad delationem attinet, neque Theocrinem, neque defensorum ejus ullum, quicquam æqui allaturum, fere omnes vos scire existimo: fore autem arbitror, ut dicere instituant, nec licere deferri quenquam eorum, qui in arce non sint inscripti, neque in ærariis eos habendos esse, quorum nomina nemo tradiderit exactoribus. Quasi vero vos legem ignoretis, quæ debere ab ea die jubet, a qua damnatus sit, sive legem, sive decretum violarit: aut non omnibus notum sit, multis modis deberi ærario, et eos qui legibus parere velint, solvere. Id quod ex ipsa lege perspicitur. Age denuo mihi cape legem hanc.

LEX.

Audisne, tu impura bellua? a qua die debuerit aut legem violarit. Sed eos illam quoque legem ostensuros esse vobis audio, quæ delere jubet inscriptos, si mulcta soluta fuerit, et rogaturos, quomodo mulcta eorum, qui non inscripti sint, deleri possit; quasi vero ea non de inscriptis lata sit, de non inscriptis, et debentibus autem, lex illa, quæ jubet ex ea die debere, a qua mulctatus sit, legemve aut decretum violarit. Quid igitur non neglectæ scripturæ, inquit, me accusas, qui cum debeam, non sim inscriptus? Quia lex non in eos qui debent, et inscripti non sunt, neglectæ scripturæ dat actionem: sed in eos, qui quamvis inscripti, non soluta reipublicæ mulcta, deleti fuerint. Cape legem, ac recita.

LEX.

Auditis legem, Judices, aperte dicere, si quis ærarius non

soluto reipublicæ debito deleatur, dari in eum actionem expunctionis apud sexviros, non in eum qui debet nec inscriptus est, sed deferri eum et aliis pœnis mulctari jubere. Sed quid tu me omnes ulciscendi inimicos vias edoces, ac non potius eam rationem, qua es adductus in judicium, refutas?

14. Mœrocles certe qui decretum in eos fecit, qui mercatores injuriis afficiant, nec vobis tantum, sed sociis etiam persuasit, ineundam esse rationem, qua facinorosis resistatur, statim adeo contra decreta sua defendere Theocrinem non erubescet, neque suadere vobis dubitabit, tam aperte convictum de injustis mercatorum delationibus, ut absolvatis, atque impune dimittatis; non aliter quam si propterea censuisset piratarum grassationibus obsistendum, ut qui navigant, superato maris periculo, istis in portu pecuniam penderent, aut mercatorum aliquid interesset, vitato Macro in Theocrinem incidere. Ego vero quæ inter navigandum accidunt, non vobis sed ducibus longarumque navium præfectis adscribenda censeo: quæ vero in Piræeo, et apud magistratus, vobis, qui hæc omnia in potestate habetis. Quare magis cavendi sunt qui hic leges violant, quam qui foris decreta negligunt; ut ne ipsi æquis ferre animis ea quæ fiunt, et scelerum horum esse conscii, videamini. Nec enim, cum a Meliis, o Mœrocles, ex tuo decreto decem talenta ob receptos piratas exigamus, istum absolvemus, qui et tuum decretum et leges quæ civium consociationem tuentur, violavit: neque cum insularium injurias prohibeamus, qui ut justitiam colant, classe missa cogendi sunt, vos nefarios, quibus in hoc consessu mulctam irrogare debent, hi absolvent. Minime vero, si sapitis. Recita columnam.

COLUMNA.

15. Ac de legibus ipsaque re haud scio plura dicere quorsum attineat,—satis enim vos ea cognosse censeo—, volo autem æqua re pro me ipso et patre a vobis orata, descendere, neque vobis diutius facessere negotium. Ego, Judices, cum patri opitulandum, idque justum esse putarem, nomen istius detuli, ut dixi initio, non ignorans et iis qui vituperare volent suppetitura verba, quibus ætatem meam calumnientur, et laudaturis, qui me prudenter facere putabunt, qui ulcisci paternum hostem instituerim: verum hæc, ut fortuna tulisset, sic apud auditores eventura existimavi, mihi autem mandatum patris, justum præsertim, esse exsequendum. Quando enim ostenderem me ei opitulaturum? Non cum vindicta legibus conceditur? cum ego sum particeps paternæ calamitatis? cum solus pater est derelictus? id quod modo accidit. Nam præter alia

infortunia nobis et hoc, Judices, evenit, ut cum omnes nos instigarint, nostram sortem miserati, et inique nobiscum esse actum dixerint, et istum delatione teneri affirmarint, eorum nemo tamen nobis opitulari velit, neque se velle suscipere inimicitias, palam profiteantur. Adeo plus apud plerosque valet metus, quam justitiæ respectus. Cum autem, Judices, per Theocrinem multæ nobis calamitates tempore haud exiguo datæ sint, nulla major est ea quæ nunc accidit, quod facinora Theocrinis legumque violationes, pater, qui et læsus est, et demonstrare posset, silentio tegere necesse habet,—leges enim ita præcipiunt—mihi vero, cujus facultas his omnibus impar est, verba facienda sunt. Ac aliis adolescentibus patres opem ferunt, hic vero in me spem habeat collocatam.

16. Tali igitur certamine conflictantes, vos precamur, ut nobis opitulemini, et omnibus ostendatis, sive puer, sive senex, sive quacunque ætate quispiam ad vos confugerit, et ad leges, ei vestram justitiam esse præsidio. Honestum est etenim, Judices, neque vos, neque leges in oratorum, sed illos in vestra esse potestate, discrimenque constitui inter eos, qui bene et perspicue, et inter eos qui æqua dicunt. Nam de ea re vos pronunciaturos jurati estis. Neque enim quispiam vobis persuadebit, propterea defuturos istius generis oratores, aut propterea pejus actum iri cum republica. Contra ego e natu majoribus audio, tum floruisse maxime rempublicam, cum a modestis et prudentibus viris regeretur. Nunquid enim consiliarios istos esse bonos invenietis? At nihil populo dicunt, et iis qui populo consulunt, accusandis locupletantur. Idque admiratione dignum est, cum calumniando vitam sustentent, dicere eos, se nihil accipere e publico, qui antequam ad vos se contulissent, inopes, nunc ditati, nullam vobis gratiam habent: sed passim dictitant, quam inconstans sit populus, quam intractabilis, quam ingratus; perinde ac si vos per eos ditemini, non ipsi per populum. Atque jure adeo talia dicunt, cum vestram ignaviam videant, qui neminem, ut eorum merebatur improbitas, punieritis, sed aures eis præbeatis, dicentibus, populi salutem pendere ab accusatoribus et calumniatoribus. Quibus non aliud genus est pestilentius. Quam enim ab istis præstari reipublicæ utilitatem reperias? Delinquentes isti nimirum puniunt, et propter hos illi sunt pauciores? Non utique, Judices, sed plures etiam. Nam qui facinus aliquod animis agitant, cum sciant, istis etiam aliquid esse de præda impertiendum, necessario plus aliis eripere instituunt, ut non sibi solum, sed istis etiam sumptus suppetant. Ac a ceteris quidem maleficis, qui iis qui in ipsos inciderunt nocent, et res familiaris, custodibus adhibitis, servari potest, et qui domi noctu manet, nihil mali patitur, alii sola vigilantia male cogitantium insidias vitare queunt. At quorsum abeas, ut ab istiusmodi calu-

mniatorum metuimmunis degas? Nam quo in aliis injuriis confugimus, ad leges, ad judicia, ad testes, ad conciliabula, hæc illis quæstui sunt, in his vires ostentant suas; amicos existimant eos qui numerant, hostes, homines quietos et divites.

17. Recordamini igitur, Judices, et improbitatis istorum, et majorum nostrorum, quorum Epichares, avus meus, Olympiæ pueros stadio vicit, coronamque reipublicæ retulit, et apud majores vestros cum bona existimatione diem suum obiit. Nos vero propter istum diis invisum hac civitate fraudamur, pro qua Aristocrates Scellii filius, avunculus Epicharis avi mei, cujus huic fratri meo nomen est inditum, multis et præclaris rebus gestis, bellum nostra urbe gerente cum Lacedæmoniis, eversa Eetionea, in quam Critias cum ceteris tyrannis Lacedæmonios recepturus fuit, castellum e quo oppugnabamur diruit, populumque restituit: non talia, qualia hæc sunt pericula subiens, sed ejus generis, in quibus et mortem oppetere præclarum est, et conatus eorum, qui vobis insidiabantur, compescuit. Propter quem, si Theocrini similes essemus, jure nos conservaretis, nedum, cum eo meliores simus, justamque causam habeamus. Neque enim sæpe vos, his dicendis, obtundemus. Sic enim iste nobiscum egit, ut, quod et initio dicebam, ne spes quidem ulla nobis sit reliqua vel peregrinis concessæ libertatis. Ut igitur, si nihil aliud, vel hoc solatium habeamus, ut et istum coercitum videamus, nos adjuvate: miseremini eorum, qui e nostra familia mortem pro republica oppetierunt: cogite eum ad ipsam delationem respondere: et tales in ejus causa vos præbete, Judices, qualis iste nostri fuit accusator, qui deceptis judicibus, mediocrem aliquam infligere mulctam patri noluit, me multum obtestato, et ante ejus genua suppliciter provoluto, sed, tanquam pater rempublicam prodidisset, litem ei decem talentis æstimavit. Oramus igitur atque obsecramus, ut justa quæ sunt, decernatis. Heus tu, auxiliare nobis, si quid habes, et patrocinare. Adscende.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS CONTRA NEÆRAM.

Et hanc orationem non putant esse Demosthenis, quod et supina sit, et multis in locis vi nostri oratoris tenuior. Argumentum autem tale habet. Lege jubente, *si viro Atheniensi mulier peregrina nupserit, ut ea vendatur*, ex hac lege Neæram aggreditur Theomnestus, eam in matrimonio esse Stephani dicens, cum ancilla Nicaretæ fuerit, et antea quæstum corpore fecerit, nunc esse Stephani matrem familias, qui ex ea liberos susceperit. Quæ Stephanus haud fatetur: atque eam apud se concubinæ, non uxoris esse loco dicit, neque ex ea sibi natos esse liberos. Quod accusator oppugnans, non paucis argumentis demonstrat, eam matrem familias illi esse. Fit igitur status orationis conjecturalis. Nam quæstio neque de proprietate est, neque de qualitate, sed de re. Ac primam orationis partem Theomnestus recitat: deinde patronum Apollodorum vocat socerum suum. Is causam perorat.

DEMOSTHENIS

CONTRA NEÆRAM

ORATIO.

1. Multa fuere quæ me hortarentur, Athenienses, ad Neæram hoc judicio accusandam, et vestris sententiis subjiciendam. Nam a Stephano magnis injuriis affecti sumus, et in extrema discrimina per eum adducti, et socer meus, et ego, et soror, et uxor mea; quare in causa hac non a me lacessitur, sed propter exigendam ultionem accusatur. Nam inimicitias iste ultro auspicatus est, nullo unquam a nobis vel dicto, vel facto læsus. Antequam autem ad rem veniam, quid ab eo perpessi simus, ut mihi plus veniæ tribuatis ultionem expetenti, et ut in extrema pericula nos conjecerit patriæ dignitatisque amittendæ, vobis explicabo.

2. Cum populus decreto fecisset Atheniensem Pasionem, et posteros ejus, propter collata ejus in rempublicam beneficia, pater quoque meus, populi donatione approbata, Apollodoro ejus filio uxorem dedit filiam suam, sororem meam, e qua liberos quos habet, Apollodorus suscepit. Cum autem Apollodorus, et in sororem, et nos omnes benignus esset, nosque revera necessarios et domesticos duceret, omniaque inter nos essent communia, et ego uxorem duxi Apollodori filiam, meam ex sorore neptem. Progressu temporis senatoriam dignitatem sortitur Apollodorus. Approbatus, legiti-

moque jurejurando dato, cum tale tempus et bellum reipublicæ nostræ incidisset, in quo si vicissemus, maximis Græcorum nobis esse licebat, et citra controversiam tum nostra recuperare, tum Philippum debellare, sin opem segniter tulissemus, et socios deseruissemus, propter inopiam pecuniæ dissipato exercitu, metuendum esset, ne hos amitteremus, et a ceteris Græcis perfidiæ notaremur, et de reliquis—ut Lemno, ut Imbro, ut Scyro, ut Chersoneso—in periculum veniremus, cumque vos, omnibus civibus eductis, expeditionem et ad Olynthum, et in Eubœam instituissetis, scripsit decretum in senatu Apollodorus senator, et senatusconsultum ad populum retulit, ut suffragia ferret populus, placeretne reliquam vectigalium pecuniam esse militarem, an theatralem: nam et leges jubebant, belli temporibus reliquias vectigalium esse militares, et penes populum esse oportere putabat, ut is de suis suo arbitratu statueret, et jurarat se optima suasurum esse populo Atheniensium, ut vos omnes eo tempore testati estis. Latis enim suffragiis, nemo refragatus est, quo minus ea pecunia in stipendia militum conferretur; atque hodie etiam, si quando mentio incidit, confitentur omnes, cum rectissime dixisset, inique cum eo esse actum. Illi igitur, qui Judices verbis circumvenit, irascendum est, non circumventis. Nam Stephanus id decretum violatarum legum reum fecit, et calumniandi gratia forum ingressus, falsis testibus productis, cum extra causam declamitasset, decretum damnavit. Quo perfecto si quiescere voluisset, non graviter ferremus: sed cum litem æstimaturi Judices calculos sumerent, orantibus nobis, ut veniam daret, noluit, sed quindecim talentis litem æstimavit, ut honoribus privaret ipsum, et liberos ejus, et sororem meam, et nos universos ad extremam inopiam redigeret, et penuriam omnium rerum. Nam res ei non omnino trium talentorum erat: ut tantam mulctam non posset solvere. Quæ si extremo senatus conventu non solveretur, duplicabatur, ita ut Apollodorus inscribendus esset triginta talentorum debitor: quo inscripto in publicas tabulas, res Apollodori familiaris inscribenda fuit, ut publicata: ea autem divendita, fortunis omnibus eversi essemus, et ipse, et liberi ejus, et uxor, nos denique omnes. Altera præterea filia nuptum elocari haud potuisset. Quis enim ab ærario et egeno indotatam accepisset?

3. In tanta igitur mala nos nunquam læsus a nobis conjiciebat. Judicibus autem, qui tum jus dixerunt, hoc quidem nomine, magnam habeo gratiam, quod eum tolli e medio non siverunt, sed litem talento æstimarunt, ut ægre posset solvere. Huic igitur jure parem referre gratiam instituimus. Nec enim hac parte duntaxat nos evertere studuit, sed et e patria hunc ejicere voluit. Impegit enim ei falsum crimen, eum debuisse ærario ab annis quinque et viginti, profectumque aliquando Aphidnas, ad fugitivum ibi quærendum, percussisse mulierem, quo ictu illa perierit: et advocatis atque subornatis hominibus servis, qui se Cyrenæos esse dicerent, cædis ei diem dixit apud Palladium, causamque egit Stephanus, jurejurando dato, occidisse suis manibus Apollodorum eam mulierem, exitium imprecatus sibi, et generi, et familiæ, atque ob eam rem diris semetipsum devovit, quæ neque facta fuit, neque visa ab eo, neque ex ullo mortalium audita unquam. Deprehensus autem et in perjurio, et falso crimine intentato, cum etiam liqueret, eum a Cephisophonte et Apollophane mercede esse conductum, ut aut ejiceret Apollodorum, aut honoribus privaret, accepto argento, pauca suffragia de quingentis consecutus, abiit perjurus, atque improbitatis opinionem lucrifecit.

4. Cogitate igitur ipsi, Judices, et apud vestros animos reputate, quo in loco res meas futuras fuisse credendum sit, si quid Apollodoro eorum luere accidisset, quæ Stephanus in eum instruxerat, sive in priore, sive in posteriore judicio. Quod in dedecus, quamve in calamitatem non incidissem? Cum me igitur hortarentur omnes seorsim, meque convenirent, ut ad ultionem injuriarum ejus converteremur, et ut hominem omnium ignavissimum incesserent, si tam arcta cum his necessitudine conjunctus, pœnas non exigerem pro sorore, et affinibus, et neptibus, et uxore mea, neque palam in deos impiam, et in civitatem contumeliosam, et legum contemptricem vestrarum, ad vos adductam, ejus sceleribus patefactis, vestræ potestati subjicerem, ut vestro arbitratu de ea statueretis: et quemadmodum me Stephanus meis necessariis contra leges et decreta spoliavit, sic et ego apud vos ostenderem, istum in matrimonio habere peregrinam mulierem, contra legem: et alienigenas liberos tum ad tribules, tum ad populares adducere: et despondere meretricum filias pro suis: et sacris deorum immortalium pollutis, populi auctoritatem tollere, si quem facere velit civem. Quis enim posthac civitatis adipiscendæ cupidus, a populo beneficium hoc magnis sumptibus magnoque negotio impetrandum censeat, cum idem a Stephano et minoris emere, et conditione liceat nihilo esse deteriore?

5. Quibus ego igitur injuriis prior a Stephano lacessitus, actionem adversus eum hanc instituerim, vobis exposui: peregrinam autem esse Neæram, et Stephani esse matrem familias, et sæpe leges et instituta civitatis violasse, hæc vobis jam cognoscenda sunt. Peto igitur a vobis, Judices, quæ peti æquum est, ut me, et adolescentem, et dicendi imperitum, patronum huic causæ adhibere jubeatis Apollodorum. Nam et natu major est quam ego, et legum peritior, et a Stephano læsus, et magnum his rebus omnibus studium impendit. Quare nec invidiosum ei est, eum ulcisci a quo sit lacessitus: vos autem decet ipsa veritate ex accusatione et de-

fensione prefecte cognita, sic demum ferre sententiam pro diis, pro legibus, pro justitia, pro vobis ipsis.

ADVOCATIO.

6. Quibus affectus injuriis, Athenienses, a Stephano ad accusandam Neæram adscenderim, Theomnestus vobis exposuit: peregrinam autem esse Neæram, et contra leges nupsisse Stephano, id ego perspicue demonstrabo. Ac primum lex vobis recitabitur, qua Theomnestus actionem hanc instituit, et causa hæc apud vos agitur.

LEX.

Sin hospes mulierem civem duxerit quacunque arte aut machinatione, quivis Atheniensium, cui id licet, eum apud sexviros accusato: qui si damnatus fuerit, venundetur tum ipse tum res ejus familiaris, et triens sit ejus qui reum peregerit. Similiter si et peregrina civi cuipiam nupserit, pari ratione, is etiam qui peregrinitatis damnatam habuerit in matrimonio mille drachmis mulctetur.

7. Legem, Judices, audivistis, quæ nec peregrinam civi nubere. Neque civem mulierem peregrino, neque suscipere ex ea liberos arte ulla aut machinatione sinit: quæ si quis violarit, actionem contra eos dedit apud sexviros, tam contra eos dedit apud sexviros, tam contra peregrinum, quam contra peregrinam; qui si damnentur, eos venundari jubet. Jam peregrinam esse Neæram, id vobis ab ipso primordio demonstrabo. Septem puellas ab ipsa infantia emit Nicareta, Charisii Elei liberta, Hippiæ coqui ejus uxor, gnara et perita perspiciendæ venustæ parvulorum naturæ, et eos solerter educandi instituendique scia, ut quæ artem eam exerceret, atque ex ea re victum collegisset, filiarum autem eas nomine compellavit, ut quam maximas ab iis, qui earum consuetudinem tanquam ingenuarum appetebant, mercedes exigeret; postea quam autem florem ætatis earum magno cum quæstu prostituit, uno, ut ita dicam, fasce, corpora etiam earum, cum septem essent, vendidit, Antiæ, Stratolæ, Aristocleæ, Metaniræ, Philæ, Isthmiadis, et Neæræ. Quam igitur unusquisque earum emerit, et ut ab iis qui eas a Nicareta emerant, libertate donatæ sint, progressu orationis, si audire voletis, et aqua mihi suppetet, vobis explicabo: Neæram autem fuisse Nicaretæ, et corpore fecisse quæstum, morigeram omnibus, qui cum ea congredi pretio dato vellent, hoc vobis denuo narrabo. Lysias sophista, Metaniræ amator, voluit præter alias impensas, quas in eam conferebat, eam etiam initiare; quod existimabat, reliquos sumptus dominam ejus percipere, quæ vero in festum et initia pro ea insumeret, iis se ab ipsa muliere gratiam initurum. Precatus igitur est Nicaretam, ut ad initia veniret, Metanira secum adducta ut initiaretur, ipseque se illam initiaturum est pollicitus. Quas,

cum venissent, in suas ædes Lysias non introduxit, veritus cum uxorem quam habebat, Brachylli filiam, suam neptem, tum matrem suam natu grandem, quæ in iisdem ædibus habitaret; sed ad Philostratum Coloneum, cœlibem adhuc, et sibi amicum, deducit eas Lysias, tam Metaniram, quam Nicaretam. Comitabatur eas etiam Neæra, jam quidem vulgato corpore, sed junior, et ætate adhuc immatura. Ut igitur vera me dicere, et fuisse Nicaretæ Neæram, constet, et secutam illam, et mercedem numeranti cuivis sui fecisse copiam, harum rerum vobis ipsum Philostratum voco testem.

TESTIMONIUM.

Philostratus Dionysii filius Coloneus testatur scire se Neæram fuisse Nicaretæ, cujus et Metanira fuerit, et ad se esse deductam, cum ad initia huc venissent, dum Corinthi degerent: apud se autem esse collocatas a Lysia Cephali filio amico suo et familiari.

8. Rursus, Athenienses, deinde Simus Thessalus cum Neæra ad magna Panathenæa advenit, comitante eos etiam Nicareta. Cum autem diverterentur ad Ctesippum Glauconidæ filium, et compotabat et concœnabat coram multis Neæra, tanquam meretrix. Et ut vera me dicere constet, horum vobis testes voco. Age, accerse mihi Euphiletum Simonis F. Æxonensem, et Aristomachum Critodemi F. Alopecensem.

TESTES.

Euphiletus Simonis filius Æxonensis, Aristomachus Critodemi filius Alopecensis, testantur scire se Simum Thessalum profectum esse Athenas ad Panathenæa magna, et cum eo Nicaretam et Neæram nunc ream, eosque divertisse apud Ctesippum Glauconidæ filium, et cum eis compotasse Neæram tanquam meretricem, cum etiam alii multi adessent et compotarent apud Ctesippum.

9. Post hæc igitur, cum Corinthi palam quæstum occepisset, ac nobilitata esset, tum alii ejus amore capti sunt, tum poeta Xenoclides, et Hipparchus histrio, eamque conductam habuerunt. Ac me vera dicere, Xenoclidæ testimonio vobis ostendere non possum—leges enim dicere testimonium non sinunt: quod vobis Lacedæmonios defendentibus, Callistrato auctore, cum refragatus esset illi defensioni pro concione, frumenti quinquagesima in pace redempta, cumque eum singulis senatus conventibus pensiones in curia numerare oporteret, et legibus data immunitate frueretur, in eam expeditionem non progressus, et a Stephano desertæ militiæ accusatus, et apud Judices in odium atque invidiam adductus, damnatus, ignominiaque notatus est. An vero non iniquum esse putatis, cum natura cives, et legitima ratione civitatis participes, a Stephano civitate sint privati: eos qui omnino alieni sunt, per vim pro Atheniensibus intrudi contra omnes leges?—, Hipparchum au-

tem vobis ipsum voco, et cogam testari, aut ejurare secundum legem, aut citabo eum. Age voca mihi Hipparchum.

TESTIMONIUM.

Hipparchus Athmonensis testatur Xenoclidem et se conduxisse Neæram Corinthi, eam quæ nunc rea sit, tanquam meretricem prostitutæ pudicitiæ, et Corinthi secum compotasse Neæram et cum Xenoclide poeta.

10. Post hæc ejus amatores fiunt duo: Timanorides Corinthius, et Eucrates Leucadius. Qui, quoniam sumptuosa erat Nicareta, et imperiosa, petebatque quotidianas impensas omnes sibi subministrari, pretio corporis ejus triginta minis numerato Nicaretæ, eam ab illa, more urbis, emerunt, ut omnino ancilla sua esset, eamque habuerunt, et usurparunt quamdiu voluerunt. Ducturi autem uxores, ei denunciant, se nolle eam, quæ sua amica fuisset, Corinthi videre quæstum facientem, aut lenoni servientem: malle minus argenti ab ea recipere quam numerassent, et ipsam secundiore fortuna videre utentem. Remittere igitur ei se dicebant ad libertatem mille drachmas, quingentas utrumque: viginti autem minas, ipsam comparare, sibique reddere jubebant. Quæ, auditis his Eucratis et Timanoridæ verbis, Corinthum accersit cum alios veteres suos amatores, tum Phrynionem Pæaniensem, Demonis filium, Democharis fratrem, vitam agentem luxuriosam, et sumptuosam, ut vestrum seniores meminerunt. Profecto igitur ad eam Phrynione, orationem Eucratis et Timanoridæ ei refert, dat argentum, quod ab aliis amatoribus tributi nomine exegerat, collecta ad libertatem conquirenda, et si quid ipsa forte comparserat: eumque rogat, ut reliquo adjecto quod deesset viginti minis, pro se Eucrati et Timanoridæ, quo liberaretur, numeraret. Quibus ille verbis libenter auditis, acceptoque argento quod mulieri a ceteris amatoribus collatum erat, et eo quod deerat de suo adjecto, viginti minas, ejus pretium, Eucrati et Timanoridæ numerat pro libertate, eaque conditione ut ne Corinthi quæstum faceret. Et ut vera me dicere cognoscatis, hunc vobis qui interfuit testem vocabo. Age voca Philagrum Melitensem.

TESTIMONIUM.

Philager Melitensis testatur interfuisse se Corinthi, quum Phrynio Democharis frater viginti minas pro Neæra nunc rea numeraret Timanoridæ Corinthio et Eucrati Leucadio, argentoque numerato, Neæram secum Athenas aveheret.

11. Profectus igitur huc, eam petulanter et proterve habuit, ad cœnas, ad potationes quocumque secum adduxit, semper igitur cum ea comessabatur, remque palam ubicunque erat libitum habebat, quod eam licentiam apud spectatores laudi sibi duceret. Adducebat eam comessatum cum ad alios multos, tum ad Chabriam Æxonensem, cum is, Socratide prætore, quadrigis Pythia vicisset, quas emerat a Mityis Argyrii liberis, et Delphis rediens, epulas in Coliade præberet propter victoriam. Ibi et alii multi cum ea ebria, dormiente Phrynione, rem habuerunt, et ministri Chabriæ, qui mensam struxerant. Hæc a me vere dici ut intelligatis, testes vobis producam eos qui viderunt, quique interfuerunt. Age voca mihi Chionidem Xypetæonem, et Euthetionem Cydathenæensem.

TESTIMONIUM.

Chionides Xypetæo, Euthetio Cydathenæensis, testantur se vocatos fuisse ad cœnam, cum Chabrias ob victoriam currulis certaminis epulum præberet, convivioque in Coliade exceptos, scireque se Phrynionem affuisse in cœna illius secum adducta Neæra, ea quæ nunc periclitetur, et se dormisse et Phrynionem et Neæram, seque sensisse noctu assurrexisse ad Neæram tum alios tum ministrorum quosdam, qui Chabriæ servi essent.

12. Cum autem importune et contumeliose a Phrynione haberetur, non ut putarat, amaretur, neque is ei ad votum obsequeretur, convasata ejus suppellectile, et quæ is ei vestimenta compararat, aureisque ornamentis, cum duabus ancillis Thratta et Cocalina, Megara aufugit. Id est eo tempore factum, quo Astius præturam gessit Athenis, qua tempestate vos posterius cum Lacedæmoniis bellum gerebatis. Commorata igitur Megaris est biennium, et Astii, et Alcisthenis prætoris annum: cum quidem ei quæstus corporis non satis magnas ad alendam familiam domumque instruendam copias suppeditaret (sumptuosa enim erat) quod et cives illiberales essent et tenaces, et hospites ibi non frequentes versarentur, propter bellum, cum Megarenses Laconibus studerent, et vos mari imperaretis, Corinthum autem ei redire non licebat, cum ea conditione dimissa esset ab Eucrate et Timanoride, ut ne Corinthi quæstum faceret. Ut igitur pax Phrasiclide prætore facta est, pugna in Leuctris a Thebanis et Lacedæmoniis commissa, Stephanus Megara profectus, apud eam ut meretricem diversatus, et cum ea congressus est. Ibi illa expositis ei rebus omnibus et injuriis Phrynionis, traditisque pecuniis quas ab illo hinc abstulerat, cupida quidem huc redeundi, sed Phrynionem a se compilatum metuens, quem et sibi iratum, et vehementi esse ac violento sciret ingenio, Stephanum patronum adsciscit. Is vero Megaris in spem erectam et verbis inflatam eam, laturum infortunium Phrynionem dictitans, si eam attigisset, seque uxorem eam ducturum, et liberos, quos tum haberet, ad tribules adducturum, civesque facturum tanquam suos, neminemque mortalium ei manus allaturum, pollicitus: huc eam secum Megaris adduxit, et pueros cum ea tres, Proxenum, Aristonem, et filiam, quam nunc Phanonem nominant, et cum ipsam, tum liberos in domunculam introduxit, quæ ei erat ad susur-

ronem Mercurium, intra Dorothei Elensinii ædes et Clinomachi, quam nunc Spintharus ab eo mercatus est septem minis. Nam opes Stephani tum hæ erant, prætereaque nihil ei erat. Duabus autem de causis eam duxerat, ut et sine sumptu atque immunis formosum scortum haberet, et mulier ad victum necessaria quæreret, familiamque sustentaret; neque enim iste ullos alios habebat reditus, nisi forte quid per calumnias extorsisset. Phrynio vero, ubi audivisset eam in urbe esse, et apud istum diversari, assumptis secum adolescentibus, et ad ædes aggressus Stephani, eam ducebat; asserente autem eam Stephano secundum legem in libertatem, apud belliducem sponsione illam obstrinxit. Ac ut me vera dicere constet, horum testem eum ipsum, qui tum Polemarchus fuit, adducam. Voca mihi Aetem Ciriadem.

TESTIMONIUM.

Aetes Ciriades testatur, se belliduce sponsione obligatam Neæram nunc ream a Phrynione fratre Democharis, et Neæræ vades esse factos, Stephanum Eurœadam, Glaucetem Cephisiensem, et Aristocratem Phalereum.

13. Sponsione per Stephanum liberata, apud eum commorans, eundem quæstum nihilominus, quem antea factitabat, sed majores mercedes exigebat, si quis cum ea rem habere vellet; ut quæ jam prætextum haberet suæ turpitudinis, et nupta esset. Calumnias et iste adjuvabat, si quem hospitem, ignotum, divitem, ejus amatorem deprehendisset, pro adultero intus includens, et argenti multum extorquens. Nec injuria. Nam res familiaris nec Stephano erat, nec Neærae, unde quotidianos sumptus sustinere possent; expensæ autem permultæ erant, quod et istum, et se, et tres liberos, quos illa secum adduxerat, et duas ancillas, et puerum ministrum alere oporteret, præsertim quum bene victitare didicisset, ab aliis sustentata prius. Neque enim e republica reditus aliquo nomine dignos habebat Stephanus,—ut qui nondum orator esset, sed calumniator adhuc, ex eorum numero qui ad suggestum acclamant, et mercede accusant, et indicant, et alienis sententiis subscribunt—, donec in clientelam Callistrati Aphidnæi se insinuavit. Quo vero pacto, et quam ob causam, id quoque vobis narrabo, ubi primum de Neæra hac ostendero, eam esse peregrinam, magnisque vos affecisse injuriis, et in deos impiam exstitisse, ut cognoscatis, ipsum quoque dignum esse non minori supplicio, quam Neæram, sed multo etiam majore, tantoque magis, quod se Atheniensem esse cum dicat, usque adeo et leges contempsit, et vos, et deos, qui pudore et conscientia suorum scelerum non est adductus, ut quiesceret, sed dum et alios, et me calumniari non dubitat, effecit, ut et ipse, et ista in periculum adduceretur, ut et illa qualis sit exploretur, et istius improbitas coarguatur.

14. A Phrynione igitur vocatus in judicium, ob Neæram in libertatem assertam, et ob ea, quæ ista domo ejus egressa abstulisset, excepta, convocatis eis familiares persuasere, ut sibi arbitrium deferrent. Ac pro Phrynione sedit arbiter Satyrus Alopecensis, frater Lacedæmonii, pro Stephano Sabrias Lamprensis: communem autem sibi adsciscunt Diogitonem Acharnensem. Hi congressi in templo, audita re ex utroque et ex ipsa muliere, sententiam tulerunt, eamque illi ratam habuerunt: mulierem esse liberam, et sui juris. Quæ vero a Phrynione egressa secum extulisset, præter vestem, aurum, et ancillas, quæ mulieri empta essent, Phrynioni reddenda esse omnia: copiam vero sui facere debere utrique alternis diebus: sin aliter inter eos conveniret, id quoque ratum esse oportere: victum autem mulieri ab eo suppeditandum, qui eam quoque tempore haberet: ac de cetero inter se amicitiam uti colerent, abjecta memoria injuriarum. Decreta igitur ab arbitris Phrynioni et Stephano de Neæra ista reconciliatio, hæc est. Quæ vere a me dici uti constet, horum vobis testimonium recitabitur. Voca mihi Satyrum Alopecensem, Sabriam Lamprensem, Diogitonem Acharnensem.

TESTIMONIUM.

Satyrus Alopecensis, Sabrias Lamprensis, Diogito Acharnensis, testantur a se arbitris reconciliatos esse Stephanum et Phrynionem de Neæra nunc rea litigantes: reconciliationis autem eas fuisse conditiones quas exhibeat Apollodorus.

RECONCILIATIO.

His conditionibus reconciliarunt Phrynionem et Stephanum, Neæra uterque totidem dies mensis utatur atque apud se habeat, nisi alter alteri aliud concesserit.

Ut autem inter eos convenerat, qui utrique in arbitrio affuerant, et controversia, sicut fere solet fieri perpetuo, præsertim cum inter eos de scorto ageretur, ad cœnam itarunt ad utrumque eorum, cum Neæram haberent: ipsa et concœnante et compotante, tanquam meretrice. Quæ vere a me dici ut constet, voca mihi testes qui una affuerunt, Eubulum Probalisium, Diopithem Melitensem, Ctesonem e Ceramis.

TESTIMONIUM.

Eubulus Probalisius, Diopithes Melitensis, Cteso e Ceramis, testantur, postquam Phrynio et Stephanus de Neæra in gratiam redierint, sæpe se concœnasse eis, et compotasse cum Neæra nunc rea, tam cum apud Stephanum esset Neæra, quam cum apud Phrynionem.

15. Eam igitur ab initio fuisse servam, et venditam bis, et quæstum fecisse corpore, ut meretricem, et a Phrynione Megara aufu-

gisse, et reversam vadimonio fuisse obligatam apud belliducem, ut peregrinam, et oratione vobis demonstro, et testimoniis est probatum; ostendam autem vobis et ipsum Stephanum testificatum, eam esse peregrinam. Filiam enim Neæræ, quam ea secum parvulam puellam ad eum adduxerat (Strybelen tum vocabant, nunc Phanonem) Stephanus pro sua filia cuidam Atheniensi, Phrastori Ægiliensi collocat, dote triginta minarum addita. Ut autem ad Phrastorem venit, hominem laboriosum, quique rem familiarem accurate instruxisset, non poterat illa Phrastoris delectari moribus, sed matris instituta requirebat, et eandem impunitatem, ut in tali licentia educata. Phrastor, qui eam neque modestam esse videret, neque sibi morigeram, simulque sciscitatus esset, et compertum haberet, eam non esse Stephani filiam, sed Neæræ, seque primum deceptum, cum desponsam ut Stephani, non ut Neæræ filiam accepisset, quam suscepisse Stephanus ex altera uxore, priusquam duxisset Neæram, diceretur: his omnibus de causis ira commotus, seque et contumeliis affectum et delusum esse ægre ferens, ejicit mulierem, quam annum fere apud sese habuerat, prægnantem, dote non reddita. Cum vero Stephanus ei diem dixisset apud Odeum, de dote, ex lege quæ jubet, si dimiserit uxorem, reddat dotem, sin minus, novem obolos usuram pendat, et curatori mulieris pro ea de victu ad Odeum detur actio, Phrastor Stephanum apud sexviros accusat, eum, cum sit Atheniensis, peregrinæ filiam pro sua despondisse, ex lege hac. Age recita mihi legem.

LEX.

Si quis autem viro Atheniensi peregrinam mulierem pro sua elocarit, ignominiosus esto, et ejus res familiaris publicetur, et triens esto ejus qui eum convicerit: accuset autem apud sexviros aliquis ex iis, quibus licet, quemadmodum peregrinitatis.

Ac legem qua Stephanus a Phrastore est apud sexviros accusatus, audivistis. Cum autem intelligeret, se convictum de peregrinæ filia elocata, in summo discrimine versaturum, paciscitur cum Phrastore, et dote cedit, judicium de victu tollit: Phrastor item actionem apud sexviros institutam. Quæ ut vera esse constet, horum vobis ipsum Phrastorem citabo testem, et cogam testari, auctoritate legum. Voca mihi Phrastorem Ægiliensem.

TESTIMONIUM.

Phrastor Ægiliensis testatur, postquam senserit Stephanum sibi Neæræ filiam despondisse pro sua, se adversus eum actionem instituisse apud sexviros, et mulierem ejecisse domo, neque habere adhuc in matrimonio, item, quum sibi Stephanus ad Odeum de victu diem dixisset, secum transegisse Stephanum, ut actio apud sexviros tolleretur itemque Stephanus actione de victu contra se instituta desisteret.

16. Age vero vobis etiam alterum testimonium exhibeamus, et Phrastoris et tribulium ejus, et gentilium, unde constet peregrinam esse Neæram. Non multo enim postquam ex ædibus ablegarat Phrastor Neæræ filiam, in morbum incidit, pessimeque habuit, et omnibus difficultatibus est conflictatus. Quia vero cum cognatis suis ei vetus simultas erat, et ira, et odium, superque ipse liberis orbus, delinitus est in morbo, cura et obsequio tum Neæræ, tum ejus filiæ; itabant enim ad eum cum ægrotaret, neminemque haberet a quo in morbo curaretur, opportuna ei malo remedia ferentes, et revisentes. Neque vero ipsi ignoratis, quanti pretii sit in morbis mulier assidua apud hominem ægrotantem. Denique persuasum ei est, puerulum quem pepererat filia Neæræ, cum ablegata fuisset a Phrastore prægnans, quod cognovisset, non Stephani esse filiam, sed Neæræ, fucumque sibi factum ægre ferret, rursus adoptare, locoque habere filii, humano, nec absurdo consilio, quum et ipse male affectus esset, nec magnam vitæ spem haberet; et, ne sua hereditate cognati potirentur, neve ipse orbus interiret, cavere vellet. Adoptavit igitur puerum, et ad se recepit. Nam id quidem si valuisset, nunquam facturum, magno ego et evidenti vobis argumento ostendam. Cum primum enim ab illa infirmitate surrexit Phrastor, et recreatus est, valetudinemque confirmavit, civem uxorem, ut jubent leges, ducit, Satyri Melitensis legitimam filiam, Diïphili sororem. Proinde nec volentem eum recepisse puerum, sed et morbo, et orbitate, et mulierum obsequiis coactum, et cognatorum odio, ne sua illi hereditate potirentur, si quid ei accidisset, hæc vobis argumenta sunto. Eademque hæc, ea quæ secuta sunt, magis declarabunt. Nam cum puerum Phrastor ad tribules introduceret in morbo, eum quem e Neæræ filia susceperat, et ad Brytiadas gentiles, quorum et ipse Phrastor est, quod nossent scilicet gentiles, mulier ea quænam esset, quam Phrastor primum duxerat, Neæræ filiam et repudium mulieris, eumque morbo adductum ad puerum recipiendum non ignorarent, rejiciunt puerum, inque suum album non inscribunt. Cum vero Phrastor eis diem dixisset ob non inscriptum suum filium, gentiles eum ad arbitrum provocant, ut per integra sacra juraret, omnino putare se, eum suum esse filium, e cive muliere et legibus desponsa susceptum. Hac provocatione gentilium apud arbitrum facta, deseruit jusjurandum Phrastor, nec juravit. Hæc vere a me dici ut intelligatis, horum vobis testes, qui Brytiadarum interfuerunt, exhibebo.

TESTES.

Timostratus Cephalensis, Xanthippus Eurœades, Eulabes Phalereus, Anytus Laciades, Euphranor Ægiliensis, Nicippus Cephalensis, testantur, et se et Phrastorem

Ægiliensem esse e cœtu gentilium qui Brytiadæ nominentur, et, postulante Phrastore ut suus filius in gentiles introduceretur, se filium eum e Neæræ filia esse natum conscios, prohibuisse Phrastorem ne filium introduceret.

17. An non igitur evidenter demonstro vobis, ipsos etiam Neæræ conjunctissimos, in eam ut peregrinam dixisse testimonium, tum Stephanum, qui eam nunc habet in matrimonio, tum Phrastorem, qui filiam ejus duxerat? Cum Stephanus filiam istius, a Phrastore apud sexviros accusatus, quod qui Atheniensis esset, peregrinæ filiam despondisset, defendere noluerit, sed dotem condonarit, eamque non receperit: cum Phrastor Neæræ filiam matrimonio sibi junctam ejecerit, postquam audierat non esse Stephani, dote non reddita, cum postea et infirmitate sua, et odio domesticorum commotus, adoptasset filium, et ad gentiles introduxisset, puero a gentilibus rejecto, jusjurandum ei deferentibus, jurare noluerit, religionique suam cupiditatem posthabuerit, aliamque postea duxerit civem, ut jubent leges. Hæ enim res ita evidentes magno testimonio contra eos fuerunt, Neæram esse peregrinam.

18. Sed considerate et sordes Stephani, et improbitatem, ut ex ea quoque perspiciatis, Neæram non esse civem. Epænetum Andrium, Neæræ veterem amatorem, cui ea magno constiterat, et diverti ad istos, cum Athenas veniebat, solitum, propter Neæræ amicitiam, Stephanus per insidias in agrum, per speciem divinæ rei faciendæ accersitum, apud istius filiam pro mœcho comprehendit, et terrore injecto triginta ab eo minas extorquet; quarum sponsoribus acceptis, Aristomacho, qui sexvir fuerat, et Nausiphilo, Nausinici viri prætorii filio, missum eum facit, spe argenti ab eo recipiendi. Egressus Epænetus, et sui juris factus, de Stephano apud sexviros queritur, per injuriam se ab eo in vincula conjectum, ex lege quæ jubet, si quis aliquem per injuriam pro adultero vinxerit, ut apud sexviros conqueratur, se per injuriam in vincula esse conjectum. Quod si eum qui vinxit, vicerit, et per injuriam insidiis appetitus esse videatur, ipsum indemnem esse, et sponsores sponsione solvi: sin mœchus esse videatur, sponsores jubentur eum accusatori tradere, cui, ense excepto, eum in prætorio, suo arbitratu, ut adulterum tractare liceat. Hac lege igitur eum accusat Epænetus, se usum esse muliere fatetur, mœchum esse negat: neque enim Stephani esse filiam, sed Neæræ, matremque consciam esse ipsorum consuetudinis, seque multum eis impendisse, totamque cum adsit alere familiam, et legem exhibet, quæ vetat apud eas pro mœcho arripi quemquam, quæ in taberna meritoria sedeant, aut in foro aliquid manifeste vendant: tabernam esse eam ipsam Stephani domum dictitans, et quæstum eas istum facere, et inde maxime locupletari. Quæ verba cum jactaret Epænetus, et actionem instituisset, intelligens Stephanus, se ut et lenonem et calumniatorem coarguendum esse, arbitrium erga Epænetum permittit ipsis sponsoribus iis conditionibus, ut et sponsione Epænetus et judicio ipse Stephanus liberaretur. Quas conditiones cum accepisset Epænetus, actionemque, qua Stephanum persequebatur, sustulisset, congressis eis, cum sponsores arbitri sederent, æqui dicere Stephanus nihil poterat, sed postulabat, ut Epænetus aliquid ad elocandam Neæræ filiam conferret, et inopiam suam, et inflictam a Phrastore mulieri calamitatem commemorans, dotisque jacturam, et inopiam ejus denuo elocandæ. Tu vero, inquit, et rem habuisti cum muliere, et æquum est ei te benefacere, aliaque blanda verba afferebat, quibus aliquis in mala uti causa precando possit. Arbitri, utroque audito, eos reconciliant, et Epæneto persuadent, ut mille drachmas ad elocandam Neæræ filiam conferret. Et ut hæc omnia vere a me dici constet, horum vobis testes, eos ipsos qui et sponsores et arbitri fuerunt, exhibebo.

TESTES.

Nausiphilus Cephalensis, Aristomachus Cephalensis, testantur, se fuisse sponsores Epæneti Andrii, cum Stephanus se in adulterio deprehendisse diceret Epænetum: et, cum Epænetus a Stephano abiisset sui juris factus, accusasse Stephanum apud sexviros, se esse ab eo per injuriam in vincula conjectum: et, se factos sequestres reconciliasse Epænetum et Stephanum, pactionem autem esse eam quam exhibeat Apollodorus.

PACTIO.

His conditionibus Stephanum et Epænetum sequestres reconciliarunt, eorum quæ de carcere accidissent memoriam abolendam: Epænetum Phanoni, quoniam ea sæpe usus esset, mille drachmas ad elocationem dare oportere: Stephanum Epæneto, quoties huc venisset et cum ea congredi vellet, Phanonem exhibere oportere.

19. Eam igitur, etsi nimis evidenter cognitum est esse peregrinam, et apud eam iste adulterum comprehendere fuit ausus, eo contumeliæ tamen Stephanus et Neæra processerunt, ut non contenti essent, ipsam Neæram civem esse dicere, sed ubi animadverterant Theogeni Cothocidæ sortito obvenisse, ut rex esset sacrificulus, homini ut nobili, sic pauperi, et rerum imperito, sese adjungit ei, cum esset explorandus, et impensarum partem magistratum ineunti subministrat Stephanus, et magistratum ab eo fraude circumvento mercatus, fit ejus assessor, uxorem ei mulierem dat, Neæræ filiam, et despondet Stephanus pro sua filia: usque adeo et leges, et vos contempsit. Ita ea mulier vobis arcana illa sacra pro republica immolavit, et vidit, quæ eam, ut peregrinam, videre nefas, et cum talis esset, eo ingressa est, quo nemo alius Atheniensium, in tanta civium multitudine, ingredi audet, præter regis uxorem, et sacramento adegit Geræras mulieres illas quæ sacris ministrant, et elocata est Baccho uxor, et patrio ritu pro republica rem divinam fecit, in qua multa fiunt et sacra et arcana. Quæ vero vel audire

nefas est, qui citra impietatem a qualibet administrari queant, tali muliere præsertim, talibusque rebus gestis?

20. Volo autem altius exorsus, vobis accuratius referre singula, ut vobis ultio majori curæ sit, utque sciatis, vos non modo pro vobis ipsis, et legibus sententiam laturos, sed et deorum immortalium religionem violatam vindicaturos, et pœnas sumpturos de consceleratis. Olim dominatu respublica regebatur, et regnum eorum erat quibusque temporibus, qui præ ceteris eminebant, propterea quod indigenæ essent; sacra autem rex obibat omnia, eorumque religiosissima, et arcana, uxor ejus curabat. Idque merito, cum regina esset. Postquam autem Theseus cives in unum congregavit, liberamque rempublicam instituit, et urbs multitudine incolarum frequentari cœpit, populus nihilominus regem creabat, delectu e viris præstantissimis habito, uxorem autem ejus, lege sanxit esse civem, et non alteri commistam viro, sed virginem ducendam, ut patrio ritu arcana sacra pro republica immolarentur, et justa diis pie solverentur, utque nec desereretur, nec innovaretur quicquam. Hanc legem pilæ lapideæ inscriptam erexerunt in Bacchi templo, juxta aram in paludibus: eaque pila etiam nunc exstat obscuris literis Atticis inscripta. Quod populus testimonium esse voluit suæ erga deum illum religionis, et tanquam depositum relinquere posteritati, uxorem tibi dandam, et sacra obituram, talem esse volumus, propterea in antiquissimo templo Bacchi in paludibus collocarunt, ut ne multi, quæ inscripta sunt, cognoscerent; quotannis enim semel aperitur, pridie idus Novembris. De tam sanctis igitur et venerandis sacris, quæ majores vestri tam præclare splendideque curarunt, operæ pretium est et vos suscipere curam, Athenienses, et ii qui petulanter sacra vestra contempserunt, qui deorum immortalium religionem nefarie violarunt, duabus de causis puniendi sunt: ut et hi pœnas dent scelerum, et ceteri caveant et formident, ne quid in deos et rempublicam delinquant. Vocabo autem vobis et sacrum præconem, qui regis uxori ministrat, cum lustrat ministras ad canistra et ad aram, priusquam sacra attingant, ut et jusjurandum; et ea quæ de more dicuntur, audiatis, quatenus audiri fas est, et cognoscatis, quam augusta et sacra et vetusta sint illa instituta.

JUSJURANDUM MINISTRARUM.

Pia et pura et munda sum e ceteris immundis et a viri congressu, et Divinum Natalem et Iubacchea celebro Baccho patrio ritu et legitimis temporibus.

21. Jusjurandum igitur, et instituta patria, quantum enunciari fas est, audivistis, eam item, quam Stephanus Theogeni, regi sacrificulo, despondit uxorem pro sua filia, sacra fecisse, et jusjurandum detulisse Geræris, cognovistis. Jam uti constet, nec iis ipsis mulieribus, quæ sacra hæc intuentur, effari licere apud alios, testimonium etiam vobis exhibebimus, secreto illud quidem factum, sed quod rebus ipsis tamen et perspicuum et verum esse demonstrabo. Cum hæc sacra fierent, et novemviri in vicum Martium legitimis diebus adscenderent, statim senatus Areopagiticus, qui in aliis quoque religionibus tuendis multum reipublicæ commodat, inquirit in istam Theogenis uxorem, quænam esset, eamque coarguit, et sacrorum curam suscipit, et Theogenem pro sua potestate mulctat, secreto tamen, et cum modestia; nec enim ea sunt præditi auctoritate, ut quemquam Atheniensium pro sua libidine puniant. Factis autem verbis, et senatu graviter ferente, Theogenemque puniente, qui talem uxorem duxisset, eamque arcana pro republica sacre facere permisisset, precabatur Theogenes, supplicabat, obtestabatur, dicens, nescisse se Neæræ esse filiam, sed deceptum a Stephano, pro germana ejus duxisse filia, ex lege, et propter imperitiam rerum, suamque simplicitatem, istum assessorem sibi adscivisse, ut is magistratu fungeretur, tanquam benevolum, proptereaque contraxisse cum eo affinitatem. Me vero, inquit, non mentiri, magno et illustri vobis argumento probabo. Mulierem enim ejiciam domo, quoniam non Stephani, sed Neæræ est filia. Quod ubi fecero, tum verbis meis adhibete fidem, cum dico me deceptum: sin minus fecero, tum vero me punitote, ut improbum, et in deos impium. Pollicito igitur hæc Theogene, et supplicante, partim misertus ejus senatus Areopagiticus, propter ingenii simplicitatem, partim etiam quod a Stephano deceptum esse revera putaret, moram interposuit. Ut vero e vico Martio descendit Theogenes, statim et mulierem Neæræ filiam domo expellit, et Stephanum a quo deceptus fuerat concilio movet. Sic Areopagitæ Theogenem missum fecerunt, eique irasci destiterunt, veniamque decepto concesserunt. Et ut hæc a me vere dici constet, horum vobis testem ipsum Theogenem voco, et testari cogam. Voca mihi Theogenem Erchiensem.

TESTIMONIUM.

Theogenes Erchiensis testatur se, cum regem ageret, duxisse Phanonem pro Stephani filia: ubi vero se deceptum esse animadvertisset, tum mulierem ejecisse ac repudiasse, tum Stephanum ab assessu repulisse nec passum sibi diutius assidere.

22. Age cape mihi legem his de rebus latam, et lege: ut sciatis, non decuisse tantum eam abstinere sacris his, quæ talis esset, taliaque patrasset, nec vel videre, vel immolare, vel facere quicquam pro patrio urbis ritu, sed ceteris etiam sacris Athenarum omnibus ei esse interdictum. Cum qua enim muliere deprehensus fuerit adulter, ei in nullum templum populare licet ingredi, cum in ea et peregrinis mulieribus, et ancillis liberum aditum præbuerint leges, tum spectandi, tum supplicandi gratia (solas istas mulieres ingressu

publicorum fanorum leges prohibent, cum quibus adulter fuerit deprehensus): sin ingressæ fuerint contemptis legibus, impune quovis mulctari licere modo, vitæ modo parcatur, et mulctandi eas potestatem lex cuivis obvio dedit. Hac autem de causa, mulieribus adulteris, etsi ceteris omnibus injuriis exagitentur, negavit ultionem, interfici tamen noluit, ne fana polluantur, aut religio violetur: satis magno terrore illi sexui injecto, ad colendam modestiam, et flagitia vitanda, traditaque disciplina, domum, sicut æquum est, custodiendi, quod si quid tale in se admiserint, simul et ædibus mariti, et publicis urbis fanis sint ejiciendæ. Hæc ita se habere, ipsa lege audita cognoscetis. Cape legem.

LEX ADULTERII.

Postquam autem adulterum deprehenderit, ei qui deprehendit porro in matrimonio habere mulierem eam ne liceat: quam si retinuerit, ignominiosus esto. Neque mulieri liceat ingredi in fana publica, cum qua fuerit adulter deprehensus: sin ingressa fuerit, impune quidvis in eam liceat, morte excepta.

23. Exhibebo autem vobis, Athenienses, etiam populi Atheniensis testimonium, quantæ curæ hæc sacra habeat, quanta ea diligentia et studio complectatur. Populus enim Atheniensis, cujus summa est in rebus ad rempublicam pertinentibus omnibus auctoritas, cuique facere quod voluerit licet, ita præclarum et splendidum donum esse censuit Atheniensem fieri, ut ipse sibi leges præscripserit, quibus legibus faciendus sit, si quem donatum civitate velint; quæ nunc proculcatæ sunt a Stephano, et iis qui sic matrimonia contraxerunt. Quæ vos audisse præstabit, ut cognoscatis, eos pulcherrima et splendidissima dona, de republica bene meritis tribui solita, contaminasse. Primum enim lata hæc populo lex est, ne quem facere liceat Atheniensem, nisi qui, propter strenuam Atheniensi populo navatam operam et fortitudinem, fieri civis mereatur. Deinde, si persuasum populo fuerit, ut det id munus, ratam cooptationem esse haud sinit, nisi concione sequenti viri amplius sex mille Athenienses occultis suffragiis comprobarint. Senatores autem jubet ea lex proponere capsulas, et calculos dare accedenti populo, priusquam hospites ingrediantur, et præmia tollant; ut unusquisque sui juris adhuc secum ipse deliberet, quem civem sit facturus, an eo munere sit dignus is qui accepturus sit. Post hæc violatarum legum actionem cuivis Atheniensium in eum dedit: licetque ingresso in judicium revincere, non dignum esse eum munere illo, sed contra leges Atheniensem esse factum. Et jam nonnullis usuvenit, ut dato munere per populum, flagitantium verbis deceptum, falsæ rogationis actione apud judices proposita, is qui munus accepisset, convinceretur munere indignus esse, eoque judicum sententia spoliaretur. Ac multos e veteribus com-

memorare, operosum fuerit: sed vos omnes meministis, et Pytholam Thessalum, et Apollonidem Olynthium, civitate a populo donatos, eadem a judicibus esse spoliatos. Nam hæc non ita olim facta sunt ut a vobis ignorentur.

24. His ita firmis et præclaris legibus cum respublica firmata sit, per quas fieri Atheniensem oporteat, alia post has omnes lex summæ auctoritatis est sancita: tantæ curæ populo fuit et ipse sibi, et dii immortales, ut sacra pro republica religiose fierent. Nam quoscunque populus Atheniensis cives fecerit, eos lex aperte vetat in collegium novemvirorum cooptari, aut ullius sacerdotii adipiscendi jus habere: horum vero liberis jam populus hæc omnia concessit, cum hac tamen appendice, si sint e muliere cive suscepti, et legitime desponsa. Et hæc me vere dicere, magno et illustri ego testimonio vobis ostendam. Narrabo autem vobis, ante quam ad rem ipsam veniam, quo pacto ea lex lata, et propter quos promulgata sit, quam præstantes viros et constantes populi amicos. Ex his enim scietis omnibus, et populi beneficium bene merentibus repositum, proculcatum, et quantis vestris utilitatibus obstent tum Stephanus, tum ceteri, qui eodem modo vel matrimonia contraxerunt, vel liberos susceperunt.

25. Platæenses soli Græcorum omnium vobis, Athenienses, in Marathonem suppetias venerunt, cum Datis, Persarum regis imperator, Eretria recedens, Eubœa subacta, in nostrum agrum cum ingentibus descendisset copiis, et populabundus vagaretur; nam etiam hodie fortitudinis eorum in Varia porticu monimenta pictura repræsentat. Quam enim quisque celerrime potuit, statim accurrens pictus est, canes illi Bœotias habentes. Atque iterum Xerxe Græciam invadente, Thebanis cum Medo conjunctis, nostram deserere amicitiam ausi non fuerunt, sed soli de ceteris Bœotiis, partim cum Lacedæmoniis et Leonida in Thermopylis contra barbarum instructi una perierunt, partim conscensis nostris triremibus, quod proprias naves non haberent, socia nobiscum arma junxerunt, et ad Artemisium, et ad Salaminem, et ad Platæas postrema pugna commissa cum Mardonio regis duce, vobiscum et cum ceteris libertatis assertoribus conjuncti, commune bonum, libertatem, ceteris Græcis restituerunt. Ceterum Pausanias, rex Lacedæmoniorum, vobis insultare cœpit, non contentus imperio solis Lacedæmoniis a Græcis delato: et nostra urbs, quanquam Græcis revera dux et auctor libertatis fuerat, tamen honori Lacedæmoniorum non adversata est, ut ne in sociorum invidiam incurreret. Iis igitur rebus inflatus Pausanias, rex Lacedæmoniorum, Delphico tripodi inscripsit, quem Græci, qui ad Platæas depugnarant, et navale ad Salamina prælium conjunctis viribus commiserant, Apollini in Barbaricæ victoriæ monimentum dedicarunt:

Græcorum ductor Medos ubi perdidit hostes
Pausanias, Phœbo dedicat hoc spolium,

perinde ac si ipsius esset id facinus et donarium, non commune sociorum. Iratis autem ea de re Græcis, Platæenses Lacedæmonios apud Amphictyonas accusant nomine sociorum, et mille talentum mulctam ab eis petunt, erasisque versiculis, inscribere cogunt urbes quæ rebus gestis interfuerant; qua re vel in primis odia Lacedæmoniorum susceperunt, regiæque familiæ. Ac in præsentia non reperiebant Lacedæmonii quo pacto eos ulciscerentur: annis autem post circiter quinquaginta, Archidamus Zeuxidami F., Lacedæmoniorum rex, tempore pacis, eorum urbe potiri instituit, idque per Thebanum Eurymachum Leontiadæ F. Bœotiorum principem est conatus, quum noctu portas Nauclides, et alii quidam corrupti largitionibus, aperuissent. Platæenses, cognito, intra mœnia esse Thebanos, ac suam urbem tempore pacis ex improviso captam, et ipsi ad arma concurrunt, et aciem instruunt. Ubi diluxit, et non multos esse Thebanos vident, sed primores eorum ingressos—ingens enim delata noctu pluvia prohibuerat eos, ne omnes intrarent, qua fluvius Asopus auctus exundabat, nec transiri facile poterat, noctu præsertim—, ut igitur, inquam, Platæenses in urbe sua Thebanos viderunt, nec adesse omnes cognoverunt, aggrediuntur illos, commissoque prœlio superant, et cædunt priusquam ceteri opem ferre possent, et statim misso ad nos nuncio, significant rem gestam, suamque victoriam, et auxilium petunt, si Thebani agrum ipsorum vastarent. Tum Athenienses, re cognita, celeriter auxilia Platæas mittunt. Quos cum vidissent Thebani opem tulisse Platæensibus, domum redierunt. Ut igitur Thebani frustrati sunt conatu suo, et Platæenses, quos hostium in prœlio vivos ceperant, occiderunt, irati Lacedæmonii, jam sine ullo prætextu Platæas oppugnaturi, Peloponnensibus omnibus, præter Argivos, edicunt, ut binas partes copiarum e singulis urbibus mitterent, Bœotiis vero ceteris universis, et Locrensibus, Phocensibus, Maliensibus, Œtæis, et Ænianibus denunciant, ut omnes in armis adessent. Sic eorum murum ingenti exercitu circumsedentes, sciscitabantur, num urbem dedere vellent, agrum autem tenere, et frui suis opibus, societate Atheniensium deserta. Quod cum Platæenses recusarent, et sine auctoritate Atheniensium quicquam se facturos esse negarent, obsederunt eos decennium, duplici muro circundato, nec intentatum quicquam reliquerunt. Cum vero fessi malis Platæenses, omnium rerum penuria premerentur, desperata salute, sortitione inter se facta, alii remanserunt, obsidionem toleraturi: alii exspectata nocte, et pluvia, et magno vento, egressi urbe, hostium munitione superata, decepto exercitu, jugulatis custodibus, miserabili habitu perveniunt huc et inopinato: reliqui, vi capta urbe, omnes inter-

fecti sunt puberes, pueri et mulieres sub hasta venditi, qui Lacedæmoniorum aggressione non animadversa, clam Athenas non aufugerant. Eos igitur qui suam benevolentiam ita evidenter erga rempublicam ostenderunt, et amicitiæ populi sua omnia, et liberos, atque uxores posthabuerunt, rursum considerate, quo pacto in civitatem receperitis. E decretis enim vestris, evidens omnibus erit ea ratio, et me vera dicere cognoscetis. Age cape decretum hoc, et lege eis.

DECRETUM DE PLATÆENSIBUS.

Hippocrate referente, data civitas est Platæensibus, ut ab hac die sint eadem dignitate, qua ceteri Athenienses, et jus habeant, quorum Athenienses jus habent, omnium, et sacrorum et profanorum, præterquam si quod sacerdotium aut festum est gentilitium, excepto item novemviratu, eorum tamen liberis et hæc pateant: Platæenses autem in curias et tribus distribuantur; qui postquam distributi fuerint, posthac ne ulli Platæensium liceat fieri Atheniensem, nisi id jus populi beneficio consequatur.

Videtisne, Athenienses, quam præclare et juste orator ille pro populo Atheniensi scripserit et censuerit? Platæenses beneficium consecutos, primum in judicio explorandos viritim, an quisquam sit Platæensis et populi amicus; ut ne eo prætextu multi in civitatem recipiantur. Deinde eos qui probati fuerint, lapideæ pilæ inscribi, et in arce statui juxta Minervam jubet; ut beneficium id etiam posteris permaneat, probarique possit, quis cui cognatus sit. Et postea non licere sinit Atheniensem fieri eum, qui nunc non factus, et in judicio non probatus fuerit; ut ne multi se Platæenses esse dictitantes, fraude in civitatem irrepant. Deinde legem etiam sancit erga eos in decreto statim, tum quantum ad rempublicam, tum quantum ad deos attinet, ne cuiquam eorum in sortitione novemvirorum, aut ullius sacrificii locus detur, horum vero liberis, si e muliere cive suscepti sint, et legitime desponsa, licere.

26. Iniquissimum igitur fuerit erga vicinos, et extra controversiam optime omnium Græcorum de hac republica meritos, ita diligenter et accurate singula definire, quibus conditionibus hoc beneficio fruantur: eam vero, quæ palam et exquisite universam Græciam prostituto corpore pervagata est, ita flagitiose ac petulanter insultantem civitati, et sacra deosque violantem, impunitam dimisisse, quam neque parentes civem reliquerunt, neque populus civitate donavit. Ubi enim corpore quæstum non fecit? Quo propter quotidianam mercedem non ventitavit? Nonne Peloponnesum totam, Thessaliam item et Magnesiam, Simum Larissæum et Eurydamantem Midiæ filium, nonne Chium et maximam Ioniæ partem, Sotadem Cretensem secuta, peragravit? elocata mercede a Nicareta, dum illius esset? Eam vero, quæ alienæ potestati subjicitur, et pretium numerantem comitatur, quid facere putatis? Non omni-

bus eorum quibus familiaris est, obsequi voluptatibus? Talem igitur, et eam, quæ, ut constat inter omnes, orbem terrarum propter infamem quæstum pervagata est, civem esse decernetis? Quod igitur, interrogati, præclarum vos edidisse facinus respondebitis? Quod vos suscepisse dedecus? quam violasse religionem negabitis? Priusquam enim accusaretur adducta in judicium, omnesque audissent, et quæ sit, et quæ impie fecerit, ipsi imputari scelera sua potuissent, negligentia civitati, vestrumque alii ignorassent, alii re audita verbis indignati essent, re ipsa de ea, nemine accusante, aut pronunciante pro tribunali, statuere nihil potuissent: postquam autem et nostis omnes, et penes vos habetis, et ejus puniendæ potestas datur, jam vestra erit illa in deos impietas, nisi eam puniveritis. Quid vero vestrum quisque reversus ad uxores, aut filias, aut matres, dicetis, ista absoluta? Si vos rogarint, ubi fueritis? vosque responderitis, jus dixisse. Cui? rogabunt statim. Neæræ nimirum, dicetis. Quamobrem? Quod et peregrina civi nupsit contra legem, et filiam adulteram elocavit Theogeni regem agenti, quæ arcana pro republica sacra fecerit, et Baccho uxor data fuerit: ceteraque, commemorantes ejus accusationem, quam bene et memoriter, et accurate fuerit de singulis accusata. Quibus illæ auditis quærent, quid igitur fecistis? Vos vero dicetis, absolvimus. Jam igitur matronæ pudicissimæ vobis irascentur, quod æque secum istam republica et sacris dignati sitis: quæ autem amentes sunt, palam ostendent se facturas quicquid libeat, tanquam impunitate a vobis et legibus proposita. Nam si negligetis, et susque deque feretis, suspicio erit, vos quoque mores istius mulieris probare. Quare longe præstitisset, non fieri hoc judicium, quam eo facto, istam absolvi. Omnino enim jam scortis licentia dabitur nubendi quibus volent, suosque liberos ejus esse dicendi, qui in mentem eis venerit. Tum leges vestræ futuræ sunt irritæ, tum blanditiæ scortorum obtinere poterunt quicquid libebit. Quare et civium nostrarum habete rationem, ut ne pauperum filiæ nuptum collocari nequeant. Nunc enim, tametsi aliqua paupercula est, dotem ei satis magnam confert lex, si mediocrem duntaxat a natura formam acceperit: proculcata autem a vobis hac lege, et, muliere ista absoluta, irrita facta, omnino jam scortorum quæstus ad civium filias devolvetur, quæ propter inopiam non poterunt elocari, atque ingenuarum mulierum dignitas ad meretrices, cum permissum eis fuerit suscipere liberos pro sua libidine, et festis, et sacris, et honoribus ex æquo frui civitatis. Quare singuli putate vos ferre suffragia, alius pro uxore, alius pro filia, alius pro matre, alius pro republica, et legibus, et sacris, ne illæ eodem haberi loco cum meretrice ista videantur: neve in magna et præclara modestia, et cura, a parentibus et cognatis educatæ, et ad præscripta legum elocatæ, eadem

conditione sint qua ista, quæ multis et impudicis modis sæpe cum multis eodem die rem habuit, ut unicuique fuit lubitum. Existimabitis autem, neque me qui dicam, Apollodorum, neque qui se defendent, quique illis patrocinabuntur, esse cives; sed leges et Neæram de facinoribus inter se disceptare. Cum in accusatione versamini, leges ipsas audite, per quas respublica est incolumis, et secundum quas vos pronunciaturos jurastis, quid jubeant, quid illa violarit: ubi autem ad defensionem perventum erit, accusationis firmatæ legibus et probationis eorum quæ dicta sunt, memores, solaque ejus facie visa, cogitate duntaxat, an Neæra cum sit, talia perpetrarit.

27. Illud autem, Athenienses, recordatione dignum est, vos Archiam, cum pontificem ageret, convictum in judicio impietatis, ut qui non patrio ritu sacra fecisset, punivisse; qui et de aliis rebus est accusatus, et Sinopæ meretrici victimam adducenti, ad aram Eleusiniam mactasse ferebatur, cum non moris esset eo die mactare victimas, neque illius mulieris esset sacrificium, sed sacrificulæ. Quam igitur iniquum fuerit, eum et ex genere Eumolpidarum, et claris ortum natalibus, et civem Atheniensem, propterea quod legum quippiam neglexisse videbatur, dedisse pœnas, neque ei vel cognatorum, vel amicorum deprecationem profuisse, neque tum sua, tum majorum suorum merita in rempublicam, neque sacerdotii reverentiam, quo minus, cum deliquisse visus esset, mulctaretur: Neæram autem, quæ et eundem deum violarit, et leges, nec ipsam, nec ejus filiam puniri a vobis?

28. Equidem valde miror, quid ad vos dicturi sint in defensione apud vos: utrum civem esse Neæram istam, et legibus istius matrem familias? Sed testatum est, et meretricem esse, et ancillam fuisse Nicaretæ. At non esse uxorem suam, sed pro concubina haberi domi? Sed istius mulieris liberi, et ad curiales introducti a Stephano, et filia viro Atheniensi elocata, manifeste ostendunt, eam pro uxore haberi. Non autem vera esse crimina eis objecta, et testificationes, nec ipsum Stephanum arbitror, nec alium ejus nomine quenquam dicturum, aut ostensurum, Neæram esse civem: audio autem tale quippiam eum loco defensionis allaturum, habere se eam non uxoris, sed concubinæ loco, nec liberos esse istius, sed ex alia muliere cive, quam prius duxerit, cognata sua susceptos. Adversus igitur orationis istius impudentiam, et commentum defensionis, et eos qui dicere pro eo testimonium parati sunt, provocatione æqua et accurata cum eo contendi, per quam vos simplicem veritatem cognosceretis: ut traderet ancillas, quæ tum apud Neæram assiduæ fuerunt, cum Megaris ad Stephanum venit, Thrattam et Coccalinam, et quas postea in ejus matrimonio comparavit, Xennidem et Drosidem, quæ satis sciunt, et Proxenum defunctum, et Aristonem superstitem, et Antidoridem cur-

sorem, et Phanonem cui Strybelæ nomen est, quæ Theogeni regi sacrificulo nupserat, Neæræ esse liberos. Quod si e quæstionibus comperiretur, Stephanum civem duxisse uxorem, et liberos istos ex alia muliere cive suscepisse, non e Neæra, velle me ab hac actione desistere, et non venire in judicium. Nam habere in matrimonio hoc est, si quis liberos suscipit, si cum ad curiales, tum ad municipes introducit filios, si filias pro suis nuptum elocat. Meretrices enim causa voluptatis alimus: concubinas propter quotidiana ministeria, et curationem corporis: uxores propter ingenuos liberos suscipiendos, et fidelem rei familiaris administrationem et custodiam. Proinde si prius mulierem civem duxerat, et ex illa isti liberi sunt, non Neæræ, id ei certissimo licuit ostendere testimonio, traditis ancillis. Ut autem hanc illi conditionem me tulisse constet, et testimonium et ipsa vobis denunciatio legetur. Recita testimonium, deinde denunciationem.

TESTIMONIUM.

Hippocrates Hippocratis filius Probalisius, Demosthenes Demosthenis filius Pæaniensis, Diophanes Diophanis filius Alopecensis, Diomenes Archelai filius Cydathenæensis, Dinias Phormidæ filius Cydantides, Lysimachus Lysippi filius Ægialensis, testantur, se affuisse in foro, cum Apollodorus Stephano conditionem ferret, ac peteret ut ad quæstionem daret ancillas, earum rerum causa quarum de Neæra Stephanum accusabat: sed Stephanum noluisse ancillas tradere: denunciationem autem eam esse quam exhibeat Apollodorus.

Age recita ipsas conditiones quas Stephano tuli.

DENUNCIATIO.

Has conditiones tulit Apollodorus Stephano, earum rerum causa propter quas actionem adversus eum instituerat, Neæram peregrinam esse et civi nupsisse, paratus ad quæstionem accipere ancillas Neæræ, quas illa Megaris secum adduxit, Thrattam et Coccalinam, et, quas deinde apud Stephanum comparavit, Xennidem et Drosidem, quæ rem satis cognitam haberent de Neæræ liberis, eos non Stephani esse, Proxenum defunctum, et Aristonem superstitem, et Antidoridem cursorem, et Phanonem. Quæ si faterentur e Stephano et Neæra eos esse liberos, vendendam Neæram ut jubeant leges, et liberos pro peregrinis habendos: sin eos non ex ista, sed ex alia muliere cive esse dicerent, desistere voluit ab actione contra Neæram instituta. Et, si quid calamitatis in tormentis mulierculis accidisset, pensare damnum.

Has ego conditiones, Judices, quum Stephano tulerim, repudiavit. Proinde jam ipse Stephanus suapte sententia Neæram eorum criminum, quorum est a me accusata, condemnavit, et me vera dixisse apud vos, et testimonia vera exhibuisse, se vero quæ dixerit omnia mentiri, et a seipso convinci vanitatis confitetur, postquam ancillas a me postulatas, ad quæstionem dare noluit. Ego vero, Judices, et deorum, quos isti violarunt, et meopte nomine pœnas

exigens, istos in judicium vocavi, vestræque auctoritati subjeci. Decet autem vos quoque existimare, non clam fore deos, in quos isti impii fuerunt, quid vestrum unusquisque decernat, et ita pronunciare, ut justitia flagitat, ac ulcisci diis maxime factam contumeliam, deinde vobis etiam ipsis. Quæ si feceritis, omnes vos hanc causam, qua ego Neæram peregrinam civi nuptam accusavi, præclare et juste dijudicasse existimabunt.

DEMOSTHENIS

ORATIO FUNEBRIS.

1. Quum viris, qui in hoc monimento conditi sunt, quod in bello strenue se gesserunt, publicum funus a senatu populoque decretum, mihique mandatum esset ut pro more orationem de eis haberem, statim cogitavi, qua ratione pro merito laudari possent: re autem suscepta et meditata, pro defunctorum dignitate verba fieri posse a nemine deprehendi. Qui enim a natura ingeneratum omnibus vivendi desiderium aspernati sunt, et occumbere honeste quam afflictam Græciæ fortunam viventes cernere maluerunt, an non eam suæ virtutis memoriam reliquere quam nulla superare possit oratio? Quod cum ita sit, tamen ut alii fecerunt hactenus, ita et mihi disserendum hic esse reor. Quantum igitur civitas eorum studium habeat qui in bellis occumbunt, cum cæteris e rebus perspicitur, tum vero ex hac lege potissimum qua qui ad publicas sepulturas orationem habeat deligi solet. Non ignara enim præstantes viros nec de parandis opibus nec perfruendis vitæ voluptatibus magnopere laborare, sed eorum omne desiderium in virtute et laudibus acquiescere, orationibus iis quæ illis ea præstarent maxime ornandos censuit, ut, quam ipsi gloriam viventes adepti essent, ea defunctis etiam redderetur.

2. Quod si quantum ad virtutem attinet solam in eis fuisse fortitudinem viderem, ea collaudata finem dicendi facerem: cum vero eis contigerit ut et præclare nati et instituti sint liberaliter et in vita gloriæ studuerint, quibus rebus factum est ut merito virtutem colerent, horum aliquid præterire sine pudore non possum. Ordiar

autem a generis eorum primordio. Horum enim virorum nobilitas vel seculorum consensu apud omnes homines est insignis. Nec enim ad patrem duntaxat et majores viritim referre ortum suum quisque potest: sed in genere ad totam patriam, cujus indigenæ sunt extra controversiam. Soli enim mortalium omnium eam terram, e qua nati sunt, coluerunt posterisque tradiderunt: ut, qui in colonias peregre advenerunt earumque cives nominantur, jure cum adoptivis filiis comparentur, hi vero germano patriæ partu cives sint habendi. Ac mea quidem sententia illud etiam quod fruges apud nos primos exstiterunt, præterquam quod summum est in omnes beneficium, indubitabile signum etiam est terram hanc genitricem esse majorum nostrorum. Sic enim natura comparatum est, ut quæcunque pariunt, eadem etiam victum et alimoniam e se genitis suppeditent: id quod hæc regio fecit.

3. Quæ igitur ad natales attinent, ea hi viri talia a majoribus ab omni ævo acceperunt. Quæ vero sunt fortitudinis cæterarumque virtutum, ea quidem omnia referre supersedeo, veritus ne mihi æquo prolixior nascatur oratio: sed quæ et scientibus utilia recordatu et ignaris pulcherrima auditu, et, ut admiratione plena sunt, sic prolixitate molestiam non pariunt, ea summatim perstringere conabor. Nam temporis atque ætatis hujus majores et patres et ii quorum appellationes altius adscendunt, per quas in familiis agnoscuntur, nemini unquam, vel Barbaro vel Græco, injuriam fecerunt, sed præter cæteras hac quoque laude floruerunt, ut iidem et viri præstantes et omnium justissimi haberentur: propulsanda autem vi multa et præclara facinora ediderunt. Nam et Amazonum exercitum huc progressum ita vicerunt ut eum ultra Phasidem exterminarent, et Eumolpi multorumque aliorum exercitus non e sua modo, sed etiam cæterorum Græcorum, ditione profligarunt: quos qui supra nos ad Occidentem habitant, omnes nec sustinere nec prohibere potuerunt. Quin et liberorum Herculis, ejus qui cæteris salutem dabat, servatores nominati sunt, cum illi in hanc terram supplices, Eurystheum fugitantes, venissent. Et præter hæc omnia multaque alia et præclara facinora jura defunctorum violari non siverunt, cum septem illos qui in expeditione Thebana ceciderant humari Creon prohiberet.

4. Ac eorum quæ a poetis decantata sunt omissis plurimis, horum feci mentionem, quæ singula tam uberem tam honestam dicendi materiam suppeditant, ut et adstrictæ numeris orationis artifices et cantionum auctores et multi rerum gestarum scriptores illorum factis ornandis ingenia doctrinamque suam ostentarint: quæ vero dignitate rerum nihilo illis deteriora, sed quia eorum memoria recentior est, nondum a poetis occupata, nec in heroicum illum ordinem relata sunt, ea jam dicam. Illi igitur copias ex universa Asia collectas soli bis terra marique profligarunt, privatisque suis periculis communem Græcis omnibus salutem attulerunt. Quod vero jam dicam, quanquam id prius et ab aliis est expositum, tamen ne nunc quidem justa et convenienti laude fraudari viros illos decet. Qui quanto præstitisse Trojæ oppugnatoribus jure putandi sint ex eo apparet, quod illi e tota Græcia delecti optimates, decennium unam Asiæ urbem obsessam, vix ceperunt: hi vero ex universo Persarum regis imperio huc profectum exercitum, qui cætera omnia prostraverat, soli non modo repulerunt, sed injuriarum etiam cæteris factarum pœnas ab eo exegerunt. Grassationibus item Græcorum inter se mutuis obsistentes, omnia quæ incidere pericula subierunt, a qua parte jus et æquum staret, cum illa se conjungentes, donec ad hanc ætatem series temporis nos perduxit. Nemo autem putet me, quod non haberem quæ de singulis horum dici possent, has res gestas enumerasse. Nam ut ad orationem inveniendam omnium minime sim paratus, illorum tamen virtus ipsa illustria multa suppeditat, quæ et in promptu sunt et explicari facile possunt: sed mihi propositum est, nobilitatis rerumque maximarum facta mentione, quam celerrime conjungere orationem cum rebus horum gestis, ut, quemadmodum illos eodem genere natura devinxit, ita etiam communibus a me laudibus celebrentur; quod existimo gratissimum etiam illis ac potius utrisque esse futurum, si inter se non ipso tantum ortu, sed laudibus etiam, virtute sua ex æquo fruantur.

5. Necesse autem est, ut, antequam horum virorum facinora commemorem, aliquid interponam orationi meæ et ab eis, qui defunctis alieni in funus prodierunt, benevolentiam petam. Nam si mihi id muneris esset datum ut sepulturam vel magnificentia sumptuum vel aliquo spectaculo equestrium gymnicorumve certaminum adornarem, quo studiosius et liberalius ea instruxissem, eo magis functus esse viderer officio: sed, cum hæ mihi partes attributæ sint ut hosce viros verbis ornem, nisi auditorum studia mihi suffragentur, vereor ne, quo majorem adhibuero diligentiam, eo minus voti compos fiam. Nam et divitiæ et velocitas et vires et quæ sunt ejus generis alia uberes suis possessoribus fructus suppeditant, nec alienis adminiculis egent, cum per se ipsa excellant in his, quibus adsunt, tametsi alius nemo velit: at lepos orationis audientium etiam studia requirit, quorum ope, quamvis ea mediocriter explicata fuerit, et gloriam conciliat et gratiam adjungit, sin iis destituitur, tametsi suavitate excellat, fastidium tamen parit auditoribus.

6. Cum autem hi multa gesserint propter quæ jure laudentur, tamen ubi ad res ipsas perventum est, dubito quid primum dicam: quia enim uno eodemque tempore omnia mihi sese ingerunt, fit ut

statuere non possim quid cui sit præferendum. Sed dabo tamen operam, qui vitæ illorum ordo fuit, eundem et oratio mea ut servet. Nam hi statim in omnibus puerilis ætatis studiis fuere illustres, exercendis iis quæ quamque ætatem decerent, iisque placuerunt quibus par est, parentibus, amicis, propinquis. Quarum rerum tanquam vestigia nunc agnoscens cognatorum atque amicorum memoria singulis horis eorum desiderio ardescit, multis subinde monimentis earum laudum, quibus illi præstitere, occurrentibus. Postquam vero ad virilem ætatem pervenerunt, non apud cives tantum, sed etiam apud homines universos, ingenii sui præstantiam illustrarunt.

7. Est enim, est universæ virtutis ut sapientia principium, sic fortitudo perfectio: et ut illa quæ agenda sunt decernit, ita hæc ea tuetur. Quarum utraque hi multum excelluerunt. Nam et, si quod commune Græcis omnibus periculum ingruebat, hi primi præviderunt et sæpe omnes ad defensionem exhortati sunt: id quod est animi prudentis signum. Et cum Græcorum partim ignorantia partim ignavia, dum impendentia mala cavere sine periculo licuisset, vel non prævideret vel dissimularet, tamen, ut paruerunt officioque fungi voluerunt, abjecta injuriarum memoria, duces sese professi præstitisque alacriter omnibus exhibitisque et corporibus et pecuniis, et sociis, belli discrimen adierunt: in quo nec vitæ suæ pepercerunt. Cum autem prælium committitur, necessario evenit, ut alii succumbant, alii vincant. Dicere autem non dubitem, videri mihi eos qui utrinque in acie occubuerint, tum cladis acceptæ expertes, tum pariter utrosque victores esse. Nam inter viventes eorum esse victoria ducitur, quibus a diis illa conceditur: quod autem ad eam obtinendam requirebatur a singulis, id quisquis servavit ordines præstitit. Qui si homo natus fato concessit, perpessus ille quidem id est quod fortunæ visum fuit, hostibus autem animo non succubuit. Quin etiam existimo, quo minus hostes regionem nostram invaserint, præter adversariorum socordiam, horum quoque virtutem fuisse causam. Nam qui tum illic conflixerant, viritim periculo singulorum facto, denuo Martis aleam cum illorum cognatis experiri noluerunt, existimantes fore ut ingeniis similibus occurrerent, sed non esse facile similem denuo fortunam adipisci. Quod ita esse, vel maxime factæ etiam pacis conditiones ostendunt: nec enim dici potest causa ulla vel verior vel honestior cur adversariorum dominus defunctorum necessariis amicus fieri, quam denuo de summa rerum dimicare maluerit, quam virtutis eorum admiratio. Arbitror autem, si quis eos ipsos qui in acie steterunt roget, utrum existiment se suapte virtute, an insperata et impotenti fortuna, rem bene gessisse, suique imperatoris peritia et audacia et animositate, neminem ita vel impudentem vel confidentem fore, qui res gestas sibi vendicet. Quarum igitur rerum fortuna omnium domina eventum suo arbitratu gubernavit, in iis cæterorum nulli prorsus, cum quidem homines fuerint, ignaviæ sunt accusandi: quod autem adversariorum imperator eos qui contra ipsum in acie steterunt superavit, id neque hostium neque nostræ multitudini est tribuendum. Et ut maxime quisquam hominum sit cui jure id imputetur, accusandi erunt ex Thebanis ii qui contra illum stetere, non multitudo vel nostra vel illorum: qui, nacti copias animis præditas invictis et ad nutum paratas gloriæque cupiditate flagrantes, harum commoditatum nulla recte usi sunt. Ac de cæteris pro animi sui sententia ut statuat quisque licet: illud vero toti mortalium generi declaratum est, totius Græciæ libertatem in horum virorum animis sitam fuisse. Certe his fato sublatis cæterorum nemo restitit. Absit invidia dicto. Ac si quis dicat horum virtutem Græciæ fuisse animam, is verum dicere mihi videbitur. Nam simul et horum spiritus corpora sua reliquerunt, et Græciæ sublata est auctoritas. Etsi autem rem immodice fortassis exaggerare videbimur, dicendum tamen est. Ut enim, si quis ex hoc mundo in quo degimus lucem tollat, inamœna et molesta reliqua omnis vita sit futura: sic, viris hisce interceptis, in tenebras et magnam ignominiam omnia veterum Græcorum decora conciderunt. Cum autem hi multis de causis non immerito essent tales, propter reipublicæ formam potissimum viri virtute præstantes exstiterunt. Nam imperia quæ paucorum auctoritate reguntur, terrorem illa quidem incutiunt civibus, verecundiam autem in eis excitare non possunt. Quoties igitur belli discrimen ingruit, qua quisque potest fuga elabitur, non ignorans, si dominos vel muneribus vel quibusvis aliis obsequiis delinierit, etsi se gesserit omnium flagitiosissime, parvo id sibi dedecori futurum in posterum. At populi potestas, cum alia multa habet et pulcra et justa quæ homini cordato tuenda sunt, tum vero libertas in loquendo veritate nixa ratione cohiberi nulla potest, quo minus vera crimina objectet. Qui enim flagitium fecerunt, ii nec omnes placere possunt nec ab eo solum qui verum probrum objicit cruciantur: sed et ipsi, qui nollent maledicere, alium male dicentem libenter audiunt. Quæ omnes haud injuria metuentes, secuturæ ignominiæ verecundia, et imminens ab adversariis periculum fortiter sustinuerunt, et honestum obitum ignominiosæ vitæ prætulerunt.

8. Ac quæ hos viros causæ communiter impulerint ut præclare vellent occumbere, dictum est, natales, educatio, bonorum studiorum consuetudo, et quæ fundamenti instar est totius reipublicæ forma et constitutio: quæ vero tributim ad fortitudinem singulos hortata sint, ea jam dicam. Meminerunt Erechthidæ omnes eum a quo cognominantur Erechtheum, pro patrii regni incolumitate, suas

filias, quas Hyacinthidas vocant, manifesto exitio perituras obtulisse. Turpe igitur ducebant, cum is a diis immortalibus prognatus ad liberandam patriam fecisset omnia, se committere ut mortale corpus pluris facerent quam gloriam immortalem. Ægidæ, qui non ignorarent Theseum Ægei filium par æquumque jus in civitate instituisse, non committendum putabant ut ejus institutum proderent, et mori præoptabant potius quam admittere ut oppressa libertate sua apud Græcos opprobrio sibi esset vivendi cupiditas. Acceperant Pandionidæ quam acriter Progne et Philomela illatam sibi a Tereo contumeliam ultæ essent. Vitam igitur sibi acerbam esse putabant, nisi pari cum illis iracundia, ut cognatos earum decebat, in eos qui Græciæ insultabant exarsissent. Audierant Leontidæ Leocoras etiam a poetis celebrari, quod se victimam civibus pro patria obtulissent. Cum igitur earum mulierum tanta fuisset animi magnitudo, nefas esse putabant se, qui viri essent, illis deteriores videri. Meminerant Acamantidæ Homericorum versuum, quibus poeta propter matrem Æthram Acamantem ad Trojam esse profectum affirmat. Is igitur nullum periculum detrectabat ut tueretur matrem suam: hi vero, cum non modo parentes sed omnes etiam necessarii et amici essent defendendi, ullumne detrectare discrimen potuissent? Non latebat Œnidas, Cadmo natam Semelem, hujus vero eum esse filium quem in hoc nominari funere dedecet, eoque prognatum Œneum, qui princeps ipsorum vocaretur. Et quia utrique urbi commune periculum ingruebat, pro utraque ad extremum usque spiritum depugnandum existimabant. Sciebant Cecropidæ principem suum, partim draconem, partim hominem, esse dici, non aliunde certe, nisi quod prudentia homini, robore draconi conferretur. Illis igitur rebus digna facinora sibi edenda esse existimabant. Meminerant Hippothoontidæ nuptiarum Alopes, e quibus ortus est Hippothoon, quem suum esse principem norant: quarum ego rerum, ut decorum hujus temporis observem, accuratam explicationem prætereo. Proinde digna his gerenda sibi esse putabant. Non latebat Ajacidas, Ajacem erepto præmio sibi non esse vivendum putasse. Cum igitur alteri fortuna principatum gloriamque deferret, tum ulciscendis hostibus moriendum sibi censebant, ut ne quid se indignum admitterent. Non exciderat Antiochidis Antiochum Herculis fuisse filium. Vivendum igitur sibi aut pro dignitate a majoribus acceptæ gloriæ aut honesta morte occumbendum putaverunt.

9. Horum igitur domestici superstites, talibus orbati viris, sunt miserabiles, a consuetudine et diuturna et suavi divulsi; est et patriæ conditio lacrymarum et luctus plena. At illi jure in beatis habendi sunt, primum qui exiguum tempus longa et duratura in omne ævum gloria commutarint, in qua ipsorum et liberi celebres

educabuntur, et parentes in senectute conspicui alentur, gloria filiorum se in luctu consolaturi: deinde nec morbis affecta corpora et animos ægritudinis expertes habent, qua qui vivunt propter adversum casum acceptamque cladem conflictantur magnoque cum honore et insigni gloria justa eis persolvuntur. Nam qui et ab universa patria sepeliuntur publice, et non modo a cognatis et civibus, sed etiam a tota (quæ quidem ita nominanda sit) Græcia desiderantur, et a maxima terræ habitabilis parte lugentur, nonne hi beati sunt judicandi? Quos assessores esse diis manibus jure dixeris, eademque esse conditione qua veteres illos bonos et præstantes viros in insulis fortunatis. Nam ne de illis quidem quisquam qui viderit hæc renunciavit, sed quos viventes hujus nostri superni orbis dignamur honoribus, eos illic etiam quodam animi præsagio consimiles honores adipisci arbitramur.

10. Ac istam oratione levare mœstitiam est id quidem fortasse difficile: faciendum tamen periculum est et animus ad jucundiora traducendus, tales enim viros qui genuerunt et e talibus aliis ipsi orti sunt, eos præclarum est adversas res pulcrius cæteris posse ferre, et in utraque fortuna vultu eodem conspici. Quæ, cum illis maximo et honori fuerint et ornamento, tum toti civitati et viventibus maximam attulerunt celebritatem. Grave est matri et patri orbari liberis et conjunctissimis suæ senectutis privari altoribus: sed præclarum est honores præcipuos et monimentum virtutis eosdem publice adeptos conspicere, sacrisque et certaminibus dignatos immortalibus. Molestum est liberis amisisse patres: sed præclarum est paternæ consequi gloriæ hæreditatem. Ac tristitiæ quidem hujus fortunam esse causam reperiemus, cui homines natos cedere ac parere necesse est: at honoris et decoris, eorum qui honeste oppetere voluerunt institutum.

11. Mihi quidem non multa, sed vera dicere propositum fuit: vos autem finito luctu, ut fas jusque est, abitote.

DEMOSTHENIS

ORATIO AMATORIA.

1. Age age, quoniam audire vis, ostendam tibi orationem et legam. Sed consilium tibi est in primis intelligendum ejus qui hanc orationem composuit. Is Epicratem, quem, inter multos et

formosos et bonæ indolis adolescentes nostræ urbis, esse suavissimum, et æqualibus ingenio magis quam forma antecellere putabat, laudare instituit. Cum autem videret, amatoria scripta pleraque iis quos celebrarent, ut ingenue dicam, ignominiosa potius esse quam honorifica, id ne sibi usu veniret cavit; et, quod se animo suo persuasum habere asserit, idem etiam scripsit, amatorem ingenuum neque facturum turpe quicquam neque petiturum. Quod igitur in oratione maxime amatorium deprehendas, id in hoc genere versatur: reliqua partim ad ipsius adolescentis commendationem pertinent, partim de liberalibus disciplinis vitæque genere constituendo præcipiunt. Hæc autem omnia sic scripta sunt quemadmodum in monimenta literarum referri solent. Nam ut orationes quæ pronunciantur simplici et extemporali sermonis genere texi debent; ita quas ad posterorum pervenire memoriam velis, poematis instar elaboratas et exquisitum in modum perpolitas esse decet. Illas enim probabiles, has magnificas, esse oportet. Ne vero extra causam tibi fabulas narrem, neve quid de ea sentiam ipse commemorem, sic ausculta, ut ipsam orationem jam auditurus, quando ipse adest, quem auditorem esse volui, Epicrates.

2. Cum viderem nonnullos eorum qui amantur et forma sunt ornati, neutra felicitatum harum recte uti, sed ut oris decorem laudi sibi ducere, sic amatorum familiaritatem aversari, atque in judicando adeo non intelligere optima quæ sint, ut propter eos qui hac re flagitiose abutuntur, illis etiam sint iniqui qui modestam castamque consuetudinem eorum expetunt, eos ego non sibimetipsis tantum male consulere, sed aliorum etiam familiaritates depravare, illorumque amentiam prudentibus non esse imitandam existimavi: præsertim si considerent, cum res ipsæ nec honestæ nec flagitiosæ per sese sint, sed pro ratione utentium plurimum varient, temeritatis esse uno eodemque de utrisque modo statuere: deinde, omnium esse absurdissimum judico, eos admirari qui plurimos, et constantissimos amicos habeant, amatores autem improbare, quibus solis, nec iis tamen omnibus, sed bonis et modestis duntaxat, amasiorum animi sic conciliari solent, ac dedi ut eorum esse proprii videantur: jam illos qui nullius talis amicitiæ felicem eventum viderunt, aut semetipsos tam incontinentes esse sciunt, ut modestam cum familiaribus habere consuetudinem nequeant, ita sentire fortasse nihil miri est, qui autem eodem, quo tu animo et conditione sunt, qui nec prorsus ignorant, quantæ necessitudines per amorem absque infamia sint auctæ, et superioris vitæ suæ tempus cum verecundia transegerunt, in eos ne suspicio quidem cadit ullius turpitudinis. Quo magis etiam ad hanc scribendam orationem sum incitatus, quod duas res pulcherrimas consequi me posse animadvertebam. Nam tum bonis tuis commemorandis,

simul et te felicem et me, qui te talem diligam, non væcordem ostensurum confido: tum suadendis iis quæ in primis necessaria sunt, et benevolentiæ meæ specimen et mutuæ amicitiæ occasionem allaturum. Tametsi autem me non præterit, quam difficile sit, et indolem tuam pro dignitate celebrare; et multo etiam esse periculosius dare consilium, cum monitori eventus consilii præstandus sit: decere tamen existimo, ut et hi qui jure laudantur, veritatis excellentia, laudantium facundiam superent; et in dando consilio spero me non aberraturum. Scio enim stultos et intemperantia prorsus depravatos, nulla etiam sapientissima rectissimaque consilia probe exsequi, per eos vero qui vitam suam prudenter et innocenter instituerunt, nec vel mediocriter cogitata frustrari solere.

3. Hac igitur spe fretus, ad orationem aggredior: arbitror autem omnes mihi esse assensuros hanc ætatem decere maxime, et pulcritudinem adspectus, et modestiam animi, et fortitudinem utriusque, et perpetuam orationis suavitatem. E quibus ea quæ natura sunt ita tibi præclara fortuna largita est, ut omnes te suspiciant et admirentur: reliqua ipse tuapte cura eo perduxisti, ut nemo sanus te reprehendat. Oportet autem eum, qui maximas laudes mereatur, et diis carum videri; et hominibus, partim propter semetipsum, partim propter fortunam, admirationi esse. Ac in universum de plurimis tuis ad virtutem adjumentis plura deinceps narrari conveniet: quas vero singulatim laudes referre possum, eas vere ut exponam operam dabo.

4. Primum autem eam laudare incipiam, quam videntibus omnibus primum cognoscere licet, tuam pulcritudinem, ejusque colorem, e quo et membra et totum corpus elucet. Cui quam convenientem similitudinem adhibeam, cum considero invenio nullam: sed in mentem mihi venit rogandos esse lectores hujus orationis, ut ipsi te spectent et contemplentur, ut venia mihi detur nihil tibi simile afferenti. Cum qua enim id mortalium rerum comparetur, quod immortale adspicientibus desiderium parit? quod adspectu sui non satiat? quod cum remotum est animis obversatur? quod divinam obtinet in corpore humano dignitatem? ut floridum elegantia venustatis, ita omnis suspicionis expers? Jam nec illa in facie tua culpari queunt, quæ multis pulcritudine præditis acciderunt, ut vel ob corporis inconcinnitatem universa eorum elegantia turbaretur, vel propter calamitatem aliquam etiam reliqua per se præclara minus placerent; quarum reprehensionum omnium tuam faciem expertem esse reperiemus. Tanta enim cura, quisquis ille deorum fuit qui formam tibi largitus est, omnes hujusmodi labes cavit, ut nihil vituperatione dignum suspicienda in te plurima effecerit. Nam cum in his quæ adspectu sentiuntur maxime facies emineat, atque in hac ipsa oculi, magis etiam in his suam erga te

benevolentiam numen ostendit. Non enim eos ad necessarios duntaxat usus ideoneos præbuit, sed, cum quorundam virtus vix ex actionibus appareat, mores tuos probatissimos per visus indicia declaravit, qui sis et mitis atque humanus adspectu, et magnificus et gravis in vitæ consuetudine, et fortis ac moderatus adversus omnes: id quod in primis admirere. Nam cum aliorum comitas in humilitatis, gravitas in fastus, opinionem incurrat, cumque iidem ut propter fortitudinem temerarii, sic propter mansuetudinem inertes videantur, tot res inter se contrarias nacta fortuna, ita uti par est, omnia consentientia secum effecit, quasi votum absolveret, aut exemplum aliis ostendere vellet, non quasi mortalem, pro more suo, naturam constitueret. Quod si tuam pulcritudinem assequi dicendo liceret, aut unum hoc in te laudandum esset, nihil in hoc tui celebrandi proposito e tuis dotibus prætereundum videretur: nunc veror ne auditores defatigemus ut minus alacriter accipiant reliqua, si de hoc frustra nugemur. Quis enim speciem tuam oratione exprimat, quam nec pictæ aut fictæ imagines præstantissimorum artificum industria elaboratæ superare queant? Neque id mirandum. Nam illæ immobiles spectantur, ut obscurum sit, cujusmodi si viverent apparerent: sed animi tui mansuetudo et dexteritas in omnibus tuis factis venustatem corporis mirum in modum auget. Ac tuæ formæ laudes, quanquam præterii multas, has habeo.

5. De temperantia vero, pulcherrima laus illa occurrit, quod, cum ista ætas calumniis exposita sit, tibi usuvenit ut potius laudarere. Non modo enim nihil delinquis, sed sapientius etiam quam pro flore ætatis vitam instituisti. Cujus rei maximum testimonium est tua cum hominibus consuetudo. Cum enim te multi conveniant iidemque diversissimis præditi ingeniis, teque omnes ad suam familiaritatem invitent, ita præclare te adversus illos omnes gessisti, ut amicitia tua delectentur. Quod est vitæ indicium laudabiliter humaniterque institutæ. Quanquam autem jam nonnulli probati sunt, tum qui non quosvis in amicitiam recipiendos suasere, tum qui iisdem paruere: quod et, si quis improbis obsequatur, necesse sit vulgi reprehensionem incurrere, et, si eam calumniam vereatur, odium ipsorum solatium suscipiendum sit. Ego tamen propter hoc ipsum te magis laudandum censeo, qui, cum aliis fieri non posse videatur ut populi judiciis probetur quisquam, tantum illos excellas, ut difficultates atque asperitates omnes superaris: nam ne suspicionem quidem de te præbes quasi ulli sis delictorum socius, et aliorum odium morum dexteritate vincis. Jam cum amatoribus, si quid de his quoque dicendum est, ea esse ratio tua eaque tum bonitas tum prudentia mihi videtur, ut, cum plerique nec eum quem sibi delegerunt moderate ferre queant, tibi

usuvenerit ut omnibus supra modum placeas. Id quod signum est tuæ virtutis evidentissimum. Nemini enim ea negasti, quæ jure honesteque tribui possunt: quæ vero cum probro conjuncta sunt, ea nec sperare quisquam in animum inducit; tantam virtutis et honestatis appetentibus potestatem, impudentibus desperationem, affert tua modestia. Præterea, cum in adolescentia plerique modestiæ laudem taciturnitate venentur, tu tantum ingenio polles, ut sermonibus et colloquiis tuis non minorem quam cæteris omnibus rebus apud familiares tuos laudem sis assecutus: tantus tuus lepos est, tanta suavitas, tum seriis tum jocosis in rebus. Cum et simplex sis absque delicto, et acutus absque malitia, et humanus cum ingenuitate, ac denique talis, qualis ferme filius Cupidini e Virtute nasceretur.

6. De fortitudine autem—nam et hanc præterire non decet, quanquam tua quidem natura multas adhuc accessiones recipit, sequensque tempus laudaturis magnam copiam suppeditabit, tamen pulcherrimæ sunt ista ætate laudes, qua nihil delinquere cæteris est optabile—ac tua quidem fortitudo cum ex aliis rebus celebrari possit, tum vero propter exercitationem, cujus vel plurimi testes exstiterunt. Fortassis autem in primis dicendum est, quam prudenter id studium cæteris prætuleris. Nam prudens agendarum rerum delectus in adolescente, commune signum est et animi liberalis et cordati ingenii. Quapropter nec istius instituti laus est prætermittenda. Cum igitur scires a reliquis certaminibus nec servos nec peregrinos excludi, istud vero solis propositum esse civibus, nec nisi ab optimatibus expeti, sic eo te contulisti. Ad hæc, si qui currendo se fatigent, eorum nec fortitudinem nec animi præstantiam augeri, eos vero qui pugilatu aut aliis ejus generis ludis se exerceant, præter mala corporis, etiam ingenia corrumpere cum judicares, splendidissimum pulcherrimumque exercitationis genus tuæque naturæ aptissimum elegisti, quod et armorum consuetudine, et cursuum tolerantia, belli simulacrum repræsentet; et magnificentia, et splendore apparatus, potentiæ deorum simile videatur: præterea et spectatu jucundisssimum sit, et e plurimis variisque generibus constet, et ingentia præmia merito consequatur. Præter enim ea quæ tribuuntur, ipsa etiam exercitatio et tam præclarum studium non parvum præmium homini vel mediocriter virtutis studioso videatur. Quod Homerici carminis testimonio vel in primis comprobatur, in quo et Græcos et Barbaros tali apparatu gessisse bellum fecit inter sese: præterea etiam hodie Græcarum urbium non abjectissimis, sed maximis, in certaminibus uti eo familiare est.

7. Institutum igitur honestum æque ac dilectum universis omnibus est. Quia vero putabas nihil prodesse rerum pulcherrimarum

desiderium, aut corporis ad omnia habilitatem, nisi et animus probe esset exornatus, laborum tolerantiam statim in gymnasiis ostentatam nec in factis fefellisti: reliquum autem ingenii tui splendorem, animique robur, in certaminibus potissimum declarasti. De quibus etsi ordiri vereor, metuens ne ea quæ tum gesta sunt oratione non assequar: tamen neque prætermittam. Nam turpe fuerit, quæ nos spectantes exhilarant, ea nolle commemorare. Ac si omnia certamina referre vellem, ultra modum fortasse nobis extenderetur oratio: unius autem in quo multum excelluisti facta mentione, et reliqua indicabo et auditorum benignitate non abutar. Emissis bigis, atque aliis longius evectis, aliis subsequentibus, utrisque superatis, præ utrisque, ut decuit, victoriam obtinuisti, talem coronam adeptus, in qua, cum ipsa victoria præclara sit, tamen evasisse incolumem præclarius videbatur et admirabilius. Nam adversariorum curru contra te ruente, cunctisque putantibus equorum violentiam non sustineri posse, quanquam videras cæterorum quosdam nullo etiam ingruente periculo mirifice angi, minime perterritus es aut refugisti, sed et robore animi et bigarum impetu fuisti superior, et adversarios, qui secundo cursu nec interrupto usi fuerant, celeritate antevertisti. Quo ita mutasti animos hominum, ut cum multi jactent in ludis equestribus nihil esse perinde jucundum atque naufragia curruum, iique vera dicere videantur, de te contra spectatores omnes soliciti, ne quid tibi tale accideret, formidarent. Tantam benevolentiam et studium in eorum animis natura tua excitarat. Neque id injuria. Cum enim pulcrum sit ob unum aliquod ornamentum esse conspicuum: quanto pulcrius est omnia complecti, quæ homo prudens laudi sibi duxerit?

8. Idque inde perspicitur. Æacum et Rhadamanthum propter justitiam, Herculem Castoremque et Pollucem propter fortitudinem, Ganymedem et Adonim et ejus generis alios propter pulcritudinem, a diis adamatos esse reperiemus. Quare non miror eos qui amicitiam tuam expetunt, sed illos qui non eodem modo erga te afficiuntur. Si qui enim singulis duntaxat horum quæ diximus bonorum præditi convictu deorum sunt dignati, nonne ei, homo qui natus sit, optabile fuerit, ejus amicum fieri qui illa universa in sua potestate habeat? Prædicanda igitur est tui et patris et matris et cæterorum propinquorum felicitas, quod æquales tuos tantum virtute vincas: sed horum multo magis quos tu, tam præstantibus dotibus ornatus, delectu habito ex omnibus amicitia tua dignaris. Nam illos fortuna tecum conjunxit: hos sua virtus tibi commendavit. Qui haud scio amatores ne, an soli veri judices, sint nominandi. Nam mihi quidem videtur initio fortuna, contemptis improbis, honestorum virorum mentes irritare volens, naturam tuam

fecisse formosam, non quo facile ad voluptatem decepta prolaberetur, sed ut amplexa virtutem gloriam consequeretur.

9. Quanquam autem multo plura de te commemorare possem, hic mihi finiendam esse puto laudationem, verito, ne mea tui prædicatio naturæ humanæ limites excedere videatur. Nam usque adeo dicendi vis ab adspectu vincitur, ut his quæ sub sensum oculorum cadunt fidem esse abrogandam nemo putet: eorundem vero laudes, etiam justo minores, non esse veras opinentur. His igitur nunc omissis, ea tibi præcipere conabor, per quæ vitam tuam honoratiorem efficias. Te vero velim ea quæ dicentur non obiter animadvertere, neque existimare, me ostentandi potius ingenii, quam tui juvandi studio, his verbis esse usum, ut nec a veritate aberres, nec pro optimis obvia quæque amplexus, pejus tibi consulas. Etenim quorum obscura et humilis natura est, hos nec siquid non recte fecerint objurgamus: at quorum laus, ita uti tua, in illustri loco sita est, his honestissimarum rerum vel neglexisse aliquid probro datur. Præterea qui in aliis orationibus judicandis hallucinantur, una tantum de re non optime statuunt: qui vero consilia de vitæ officiis non recte accipiunt aut contemnunt, erroris sui per omnem secum ætatem monimenta circumferunt. A quibus omnibus te alienum atque immunem esse decet, ac providere et perspicere, quid maximam in rebus humanis vim obtineat: et quo recte feliciterque constituto maximos in vita fructus percipiamus, quo item neglecto aut depravato in acerbissimas calamitates incidamus. Neque enim obscurum est, ejus rei curam in primis esse suscipiendam, quæ plurimum in utramque partem momenti et virium habet.

10. Mentem autem humanarum rerum omnium esse moderatricem reperiemus; quam sola philosophia et recte erudire et exercere queat. Ejus ergo te non expertem esse oportere censeo, aut ab ea sectanda laboribus quibus ea paranda est deterreri: cogitandum potius, per ignaviam et socordiam nec facillima quæque posse comprehendi, tolerantia autem et industria nihil in rerum natura esse bonorum quin comparetur. Atque omnium esse absurdissimum, parandarum opum augendique roboris et rerum similium ardere cupiditate proptereaque multas ærumnas perpeti, quæ omnia mortalia sunt mentique servire consuerunt: ut vero ipsa mens, quæ cætera gubernat, quæ nunquam deserit, quæ totius vitæ dux et magistra est, excolatur, non elaborare. Præclarum sane et fortunæ beneficio inter excellentes esse admirationi: sed multo præclarius est, suapte industria, quicquid eximium sit esse assecutum. Nam illa etiam improbis non raro sese offert: hæc vero nemini adest nisi virtute præstantissimo. Ac de philosophia quidem disserendi

accuratius alio tempore nobis occasiones opportuniores dabuntur opinor: sed breviter eam attingere, nunc etiam hihil prohibebit.

11. Illud autem in primis est diligenter animadvertendum, cum omnem disciplinam scientia et exercitatione quadam contineri, tum philosophiam magis etiam cæteris. Nam quanto diligentiores ea prudentioresque magistros habet, tanto pulcrius esse constitutam par est. Atqui, cum et in dicendo et in deliberando mentis versetur officium, philosophia autem hujus utriusque rei peritiam tradat, cur eam disciplinam, quæ nos horum utriusque compotes facit, persequi nolimus? Tum enim consentaneum est rei nostræ familiari accessura esse maxima incrementa adeoque totam vitam fore cultiorem, cum et quæ doceri queunt artis adminiculo, et cætera exercitatione quadam et assuefactione obtinuerimus. Neque enim hoc dici profecto potest, nihil esse in scientia momenti ad hoc, ut aliis præstemus alii sapientia. Nam cum omne ingenium, si apta institutio accedat, fit melius: tum vero ea multo maxime quæ a primo statim ortu dexteriora cæteris exstiterunt. Illa enim sese duntaxat vincunt, hæc etiam aliis antecellunt. Ne vero dubita quin agendo parta peritia, nec sine periculo contingat et ad reliquam vitam sit inutilis: philosophica autem institutio ad hæc omnia opportune contemperata. Etsi autem quidam propter felices rerum successus fortunæque favorem in admiratione fuerunt, eos tamen te contemnere et tuiipsius curam genere decet. Nec enim maximæ res temere invadendæ, sed certa ratione scienterque suscipiendæ sunt; nec in ipso demum gerendarum rerum articulo meditari, sed ea scientia te institutum esse decet ut quicquid opus fuerit bene administres. Existimabis autem cum omnem eruditionem si quis utatur prodesse multum, tum vero eam doctrinam, quæ tradit quid in Republica et agendum et dicendum sit, in primis. Nam geometriæ ac similium artium esse rudem turpe id quidem est, sed earum summum fieri artificem infra excellentiæ tuæ dignitatem: at in illa excellere facultate præclarum, non esse institutum prorsus est deridendum.

12. Quod ex multis aliis rebus intelligitur, et ex eo, si viros illustres qui tuam ætatem præcesserunt spectes. Nam et Periclem, cujus sapientia temporibus illis præ omnibus celebrata est, familiarem fuisse Anaxagoræ Clazomenio, atque illo doctore vim eam consecutum esse audies. Et Alcibiadem ingenio quidem ad virtutem multo deteriore (ut qui partim superbe, partim abjecte, partim libidinosissime vitam instituerit) reperies Socratis institutione multa in sua vita correxisse, cætera magnitudine rerum gestarum occultasse. Quod si veteribus commemorandis immorandum non est, cum recentiora exempla in promptu sint, tum Timotheum, non iis rebus quibus adolescens studuit, sed propter ea quæ post institutionem Isocratis gessit, et summam gloriam et amplissimos honores merito esse consecutum cognosces: tum Archytam qui Tarentinam rempublicam, summa rerum ad ipsum delata, adeo præclare et humaniter administravit, ut ejus nomen apud omnes celebretur: is igitur cum sperneretur initio, e Platonis congressibus tantam auctoritatem est adeptus. Neque horum quicquam sine ratione factum est: imo longe esset absurdius, si ad parva quædam perficienda nobis artis atque exercitationis opus esset adjumentis, res vero maximæ nullam artem, nullum hujusmodi studium postularent. Ac de his quidem plura dicere non video quorsum attineat. Neque enim initio sic in hanc mentionem sum ingressus quasi tu ea prorsus ignorares: sed hujus generis exhortationibus ignaros excitari, scientes inflammari, putabam.

13. Ne vero putes me, quod ista dixerim, de me polliceri tibi doctrinam harum rerum. Nec enim me fateri pudet, ipsi mihi adhuc multa esse discenda, atque ipsum rempubl. malle gerere quam aliis eam doctrinam tradere: neque hæc sic accipi velim quasi asperner eam, quæ sapientiæ et eloquentiæ magistris proposita est, gloriam, sed quia id quod dico verum est. Scio enim multos ex obscuris et contemptis per eam professionem illustres esse factos, ac Solonem et viventem et mortuum maxima gloria floruisse, cui reliqui honores negati non fuerunt: nam et fortitudinis suæ tropæum Megarense monimentum reliquit, et consilii Salaminis recuperationem, et cæteris in rebus sapientiæ leges, quibus etiam hodie plurimi Græcorum constanter utuntur. Qui, quanquam tot ornamentis cumulatus, tamen nihil perinde studuit, atque ut in septem sapientum numerum referretur, sapientiæ studium non probro cuiquam, sed laudi omnibus esse dandum existimans; in quo æque recte sensit, ut in cæteris, in quibus excelluit.

14. Atque ego nec ipse aliter sentio, et tibi philosophandum censeo, nec obliviscendum quantis te bonis natura et fortuna cumularit. Quæ hanc ipsam ob causam ego quoque orationis initio commemoravi, non tam quidem ut laudatione ingenii tui animum tuum mihi conciliarem, quam ut te ad philosophiam adhortarer, ut et eam non parvi duceres, nec, bonis istis elatus, ea quæ restant negligeres, nec, si iis præstas quibuscum vivis, studere aliis esse præstantior nolis. Sed existimes eximium esse excellere in omnibus: magisque expedire ut ei rei studere videaris, quam ut in vulgaribus emineas, aut ingenium tuum dedecores, aut eorum qui sibi de te magna pollicentur spem frustreris; imo tuis viribus vincere studebis benevolentissimorum desiderium. Atque existimabis reliquas orationes, si mediocriter placeant, oratoribus esse gloriæ, præceptiones autem iis qui pareant et usui esse

et honori: ac judicia de aliis rebus animi nostri sensum ostendere, studiorum vero delectum totum nostrum ingenium aperire. De quibus interim dum judicas, ab omnibus de te fieri judicium exspecta: et mihi, qui te ita laudarim, pro eo ac specimen de te præbueris, certamina fore sine mora sustinenda. Quas ob res et te hisce laudibus videri dignum, et mihi tui amorem non esse fraudi oportebit.

15. Te vero non ita prompte ad philosophiam adhortaremur, nisi nec aliud munus amicitia nostra magis dignum me tibi posse conferre arbitrarer; et rempublicam viderem, dum penuria bonorum virorum quibusvis mandatur, ob horum delicta maximis cladibus affici. Ut igitur et ipsa tua virtute, et tu ipsius honoribus perfruaris, studiosius te sum hortatus. Neque enim penes te futurum esse ut privatam vitam agas: sed tibi publicum aliquod munus mandatum iri puto, et quo major est ingenii tui præstantia, eo tibi majores dignitates obventuras, eoque maturius tui periculum factum iri. Expediet igitur nunc ita esse animo præparatum, ut tunc nihil delinquas. Mei itaque officii est, explicare quæ a te fieri utiliter existimem: tui, de eis deliberare.

16. Decet autem etiam cæteros, qui tuam familiaritatem expetunt, non breves et leves voluptates atque colloquia magnifacere, neque ad ea te provocare: sed elaborare studioseque cogitare, de vita tua quam illustrissima efficienda. Sic enim et ipsi maximas laudes assequentur, et in te maxima beneficia conferent. Ac tuorum sodalium nunc etiam neminem reprehendo. Nam in reliquæ felicitatis tuæ parte et hoc esse videtur, quod in nullum illaudatum incideris amatorem: sed eorum tibi familiaritas contigerit, quibus meliores ex omnibus æqualibus deligi non possint. Proinde suadeo ut te erga illos omnes comem præbeas et facilem: sed eorum tamen prudentissimis obsequaris, ut et ab his ipsis, et a reliquis civibus, melior judiceris. Vale.

DEMOSTHENIS

EXORDIA CONCIONUM.

DEMOSTHENIS

EXORDIA CONCIONUM.

I.

Si de novo quopiam negotio indicta concio esset, Athenienses, continuissem me dum maxima pars eorum qui dare consilium solent sententias dixisset, quorum si quæ rationes mihi placuissent, quievissem: sin minus, tum et ipse quæ sentio dicere conatus essem. Sed quia, quibus de rebus isti sæpe antea verba fecerunt, de illis nunc deliberatis, arbitror me, quamvis primus surrexerim, posse tamen videri merito dicere post istos. Quod si præclarus rerum status esset, consultare supervacaneum foret: cum vero, ut universi videtis, multum in eis difficultatis insit, ut ipsa negotiorum conditio patitur, sic dare consilium quod mihi rectissimum videbitur conabor. Primum igitur illud statuendum est, nihil eorum, quæ bello gerendo occupati factitabatis, deinceps vobis esse faciendum, sed omnia contraria potius: nam si illa ratio perniciosa fuit, consentaneum est diversam fore meliorem. Deinde existimandum est, non eum, qui vobis aut nihil aut exigua mandet, recte dicere—videtis enim, dum tales spes et orationes cupide audiuntur, in summum discrimen venisse rempublicam—, sed eum qui, neglecto assentandi studio, ea quæ opus sunt, et per quæ susceptum dedecus aboleamus factamque jacturam resarciamus, suadeat. Nam si quidem ita comparatum esset, ut quemadmodum molestæ orationes prætermitti, sic etiam res ipsæ quæ molestiam pariunt præteriri, possent, omnino esset ad gratiam concionandum: sin verborum blanditiæ cum rebus haud congruentes perniciem afferunt, turpe est sibi ipsum fucum facere, et extrema demum urgente necessitate ea suscipere, quæ jam olim ultro confecta esse oportebat.

II.

Non idem statuere possum, Athenienses, cum Reip. nomen e vobis audio, et cum video quomodo vestrum quidam ejus defensores tractare soleant. Rempublicam enim, id quod nostis omnes, democratiam nominatis: sed quosdam qui huic contraria dicunt libentius a nonnullis audiri animadverto. Cujus rei miror causa

quæ sit. Nunquid eos hæc sine mercede dicere putatis? At oligarchiarum, quos isti defendunt, domini tacentibus etiam plus darent. Nunquid hæc potiora creditis? Præstare igitur vobis oligarchia democratiæ videtur. Nunquid eos viros meliores judicatis? Quis vero, qui contra receptum Reipublicæ statum conciones habeat, probus a vobis existimari jure potest? Reliquum igitur est errare vos, dum in ista sententia sitis. Quæ plaga vobis cavenda est, Athenienses, ut ne aliquando ansam detis insidiatoribus; ac tum demum errasse vos intelligatis, cum id vobis nihil jam proderit. Non in eo quo nos vellemus, Athenienses, loco esse omnia, neque apud vosipsos neque apud socios, minime fortassis est mirandum. Multa enim fortunæ fluctuantis incertæque arbitrio reguntur, causæque plures exsistunt cur non omnia ex animi sententia mortalibus eveniant. At nullam esse prorsus populi auctoritatem, sed illius adversarios dominari, hoc et mirandum est, Athenienses, et meo quidem judicio, si qui recte cogitent, formidolosum. Ac totius quidem orationis hoc mihi principium est.

III.

Magnis opibus, Athenienses, rationem, qua perspicuum fiat quid in illis rebus optimum factu sit de quibus nunc deliberatis, omnes vos prælaturos arbitror. Quod cum ita sit, officii vestri est ut vos ipsi libenter audiatis eos qui vobis consultum volunt. Nec enim, si quis utile aliquid meditatus attulerit, id solum audire atque accipere licebit: sed illud etiam vestræ felicitatis esse puto, ut multa utilia dictu subito quibusdam in mentem veniant. Ex omnibus igitur deligere id facile fuerit quod maxime vobis expediet.

IV.

Æquum est, Athenienses, cum penes vos sit ex his quæ dicuntur eligere quod maxime probatis, omnes audiri: etenim sæpe usuvenit, ut idem homo in alio erret, in alio recte sentiat. Tumultuando autem et celeriter fastidiendo fieri potest, ut multis utilibus consiliis fraudemini: at si modeste taciteque audietis, tum officio plane fungemini, tum si quis delirare videbitur, eum negligetis. Ego vero multa verba facere neque soleo, neque, si hactenus solitus fuissem, nunc facerem, sed, quæ vobis profutura existimem, ea, quam a me fieri brevissime poterit, vobis explicabo. Quum nemini prorsus, Athenienses, obscurum esse videam, quibus orationibus vel delectemini, vel offendamini: tamen ea dicere quæ jucunda fore videantur, impostorum esse reor; ab his autem quæ Reipublicæ profutura esse persuasum habeas, etiamsi auditores obturbaturos aut quidvis aliud facturos scias, non depelli, id ego et boni et cordati civis officium esse judico. Ego vero vos, si non propter quic-

quam aliud, ob illud saltem utrorumque orationes audire velim, ut, si quædam quis rectius quam impetus vester et cupiditas fert diceret, ejus consilium amplecteremini: sin destitueretur ingenio neque sententiam animi sui explicare posset, ut id ei sua, non vestra culpa qui audire nolitis, accidisse videretur. Deinde non tanta molestia afficeremini, si quem multa nugantem audiretis, quanta, si quem qui opportunum aliquid dictu haberet prohibeatis. Ac principium quidem est recte probandi omnia, ut ne quid antea vos tenere putetis, quam cognoveritis, cum præsertim sciatis sæpe jam multos consilia mutasse. Quod si nunc vobis hæc persuasa fuerint, fore puto ut paucis verbis et ipse dicere aliquid jure videar et me vobis optime consulere appareat.

V.

Quanquam, Athenienses, multa verba facta sunt ab omnibus iis qui consilia dederunt, vos tamen nunc nihilo proprius ab ejus inventione, quod agendum sit, abesse video, quam priusquam in concionem adscendissetis. Cujus rei causa, opinor, est eadem, quæ est ut summa Reip. laboret. Nec enim de propositis rebus vos monent oratores: sed se invicem accusant et proscindunt quo, ut ego quidem judico, consuefacti extra judicium, quantas clades invexerit, audire, si quando in jus vocentur (cum vos nihil audire novi putetis, sed ea tantum quæ sæpe vos commoverint), de facinoribus eorum clementius pronuncietis et judicetis. Ac ista qua de causa faciant, stultitiæ fortasse fuerit indagare curiosius in præsentia: sed quia vobis non expediunt, ideo ea reprehendo. Ego vero nec accusabo quemquam hodie, neque tale quicquam pollicebor, quod non e vestigio probem, neque denique illos ulla ex parte imitabor: sed quæ tum conficiendis rebus aptissima, tum deliberantibus vobis utilia existimo, his quam brevissime explicatis, descendam.

VI.

Qui majores vestros laudant, Athenienses, orationem illi quidem instituere mihi videntur jucundam auditu, non tam eorum quos celebrant servire commodis. Aggressi enim res, quas explicare dicendo pro dignitate nemo queat, ipsi quidem eloquentiæ laudem reportant, sed iidem efficiunt ut de illorum virtute concepta apud auditores opinio minuatur. Ego vero maximam virtutis eorum laudem tempus esse puto: quod cum interea non exiguum sit elapsum, rebus tamen illorum gestis majora nulli alii suscipere potuerunt. Ego autem operam dabo, ut rationem explicem qua mihi optime posse instructi esse videamini. Ita enim se res habet. Tametsi nos oratores omnes eloquentes videamur, nihilo tamen res vestras meliore loco fore satis scio: sed si quis (quisquis ille fuerit)

in medium progressus docere et persuadere possit, quis apparatus, et quantus, et unde comparatus, Reipub. sit profuturus, omnis hic metus repelletur. Idque ego, modo viribus non destituar, facere conabor, pauca præfatus apud vos quid de regio negotio sentiam.

VII.

Utrique mihi peccare videntur, Athenienses, tam qui Arcadibus, quam qui Lacedæmoniis sunt patrocinati. Tanquam enim ab alterutris missi, non cives vestri sint, apud quos illi utrique legatione funguntur, sic invicem accusant et criminantur. Quod legatorum quidem officium fuerit: æquis autem animis de rebus dicere, et vestram utilitatem sine æmulatione considerare decebat eos, qui sibi ex hoc loco dandi consilii auctoritatem sumunt. Nunc, nisi noti essent et Attice loquerentur, equidem fore multos opinor, qui alios illorum Arcades, alios Lacones esse putarent. Ego vero haud sum nescius, suadere optima quam difficile sit. Nam cum vos una in fraudem illecti sitis, et alii aliter sentiatis, si quis mediam oratione sua viam tenere instituerit, eamque vos cognoscere nolueritis, fiet ut et gratum faciat neutris, et in crimen veniat apud utrosque. Malo tamen, si forte id usu mihi venerit, ineptus videri, quam, his quæ e Republica esse puto dissimulatis, committere ut a quibusdam decipiamini. Ac cætera quidem, si vestra voluntas feret, postea dicam: nunc vero quid potissimum expedire existimem, exorsus ab his quæ ipsi confitentur, docere incipiam.

VIII.

Cum non in eadem sententia sim in qua sunt eorum plerique qui verba fecerunt, surrexi ad dicendum, Athenienses. Et tamen ne hos quidem arguerim ex improbitate optimis contraria dixisse: sed illud in causa esse videtur, quod plerique, neglecto rerum judicio, verba quæ dicturi sunt spectare solent. Quorum copia instructi alacriter ad concionandum prosilire solent; in quo non recte sentiunt, neque cum animis suis cogitant, cum multæ res longo tempore ab omnibus gestæ sint, et, propter tempora quædam inter se contrariæ, si quis prioribus præteritis posteriores dicat, eum nihil aliud acturum, nisi ut, quo factu nihil est facilius, se ipse imprudens fallat. Qui igitur eo animo ad dandum consilium venerunt, mihi videntur ea esse orationum suarum laude contenti, si eloquentes videantur: ego vero eum decere existimo, qui de publicis negotiis dare consilium instituit, illud potius spectare, ut ea quæ decreta fuerint prosint, quam ut subitæ orationes placeant. Decet enim ad eloquentiæ laudem utilis alicujus rei actionem accedere, ne in præsentia tantum, sed semper, ea quæ dicta fuerint se præclare habeant.

IX.

Si scitis, Athenienses, quid de rebus istis factu sit optimum, peccatum est eas ad deliberandum proponere: nam quæ ipsi ante auditas sententias tanquam optima probatis, quorsum eisdem audiendis frustra obtundi attinet? Sin consideratis et deliberatis, quasi ex his quæ dicentur statuendum sit, non rectum est si qui velint eis non facere dicendi potestatem. Sic enim fit ut ab aliis, si quid utile excogitarunt, eo vos omnino privemini: alii, omissis his quæ in animo habebant, ea suadeant quæ vos cupere opinantur. Est autem eorum qui errare volunt, adigere oratorem ad ea quæ vos vultis dicenda; deliberantium, audire quæ ejus sit sententia, eaque si recta sit uti. Dico autem hæc, non quod his quæ vobis placent contraria suadere velim: sed quia illud scio, si contradicentes audire noletis, eos dicturos vos esse deceptos; sin audieritis et assensi non fueritis, mox apparebit eos deteriora dedisse consilia.

X.

Arbitror omnes vos, Athenienses, intelligere, vos hodie convenisse non ut ullum maleficium puniatis, sed ut de negotiis istis deliberetis. Accusationes igitur omnes differendæ sunt, ac tum apud vos dicendum contra eum quem sibi unusquisque oppugnandum censebit, cum judicium de aliquo faciemus: quod si quis utile aliquid dictu aut conducibile habet, id nunc pronunciet. Nam accusare eorum est, qui res gestas culpant: consilii vero capiendi deliberatio de rebus præsentibus aut futuris instituitur. Proinde non convicii aut reprehensionis hoc tempus, sed dandi consilii mihi esse videtur. Dabo igitur operam ne ipse id committam, in quo alios reprehendo; et, ut quæ in præsentia factu utilissima censeo, suadeam.

XI.

Neminem negaturum opinor, Athenienses, improbi et malevoli esse hominis, sic aliquem ex magistratibus vel amare vel odisse, ut, neglecta reipub. utilitate, conciones partim ex odio, partim ex æmulatione habeat: quæ quidam conscenso suggestu faciunt. Ego vero his tantum dicam, eos videri mihi, etsi tale aliquid fecerunt, non summum peccatum commisisse, sed illud esse gravissimum, quod præ se ferunt se nunquam etiam aliter facere paratos esse: vobis autem suaserim, ne, abjecta vestri cura, satis id esse putetis, sumere de istis pœnas, ubi vobis visum fuerit, nisi etiam eis obsistatis summis viribus, et quemadmodum de Repub. deliberantes decet, privatis contentionibus sublatis, quid publice maxime profuturum sit consideretis: cogitandum enim est, neque unum,

neque omnes simul magistratus, sublatarum legum, quarum vobis cura commissa est, satis graves pœnas dare posse.

XII.

Fortassis invidiosum, Athenienses, quibusdam esse videatur. Si quis homo rudis et unus e vestro numero, post alios suasores, qui et diuturnitate gestæ olim Reipublicæ et auctoritate qua valent apud vos excellunt, progressus dicat, videri sibi eos non modo non recte dicere, sed nec prope abesse a recte sentiendo. Verum ego usque adeo me vobis utiliora quam istos dicturum opinor, ut non dubitem, ea quæ dixerunt omnia nullius esse pretii asserere: existimo autem vos etiam recte facturos, si non dicentem, sed ipsa consilia, spectetis. Decet enim, Athenienses, vestram benevolentiam non quibusdam, velut hæreditariam, sed iis qui optima quoque tempore dicunt, paratam esse.

XIII.

Vellem vos, Athenienses, attente audire ea quæ dicam: nec enim parva res agitur. Ego miror, qui tandem fiat, ut priusquam in concionem adscendatur, cuicunque vestrum aliquis obvius fiat, is ita prompte possit dicere, quo pacto res fieri possint meliores, atque iterum statim, ubi discessistis, quisque disserat quid agi conveniat: cum vero in publicis conventibus illis ipsis de rebus deliberandum est, vos illis aures præbeatis, qui quidvis potius dicunt, quam ea quæ ad rem faciunt? Itane, Athenienses, unusquisque vestrum et quid deceat intelligit, et aliorum rationes recensere potest, nemo vero iisdem faciendis gratificabitur? et privatim, ut ipse quæ optima sunt quisque cupide facturus videatur, alios reprehendit; publice autem ea decernere dubitat, quibus adducamini ut omnes debita et necessaria Reip. munera obeatis? Quod si nullum unquam tempus fore putatis, quod istam dissimulationem interrumpat, non obsto quo minus eandem rationem teneatis: sin ipsa negotia magis ac magis approprinquare cernitis, providendum est, ne cominus cum illis sit conflictandum, quæ diu ante præcaveri possunt, et ii, qui nunc a vobis contemnuntur, post malis vestris gaudeant.

XIV.

De statu Reipublicæ, Athenienses, quanquam is non est qualem esse oportebat, non omnino mihi videtur esse difficile quærere, quid faciendum esset uti corrigeretur. Quo autem pacto de his rebus apud vos sit disserendum, id multas magnasque habere puto difficultates, non quin ea quæ dicentur intellecturi sitis, sed quod ita multa et falsa et quidvis potius quam rebus utilia consuefacti mihi videmini audire, ut metuam, ne optime nunc consulenti, quod odium vestrum in impostores vertendum erat, id suscipere contingat. Video enim vos sæpe non auctores rerum odisse, sed eos qui de iis postremi dixerunt aliquid apud vos. Quanquam autem hæc omnia tam accurate cogito, tamen opinor me, cæteris omissis omnibus, de ipsis his rebus quæ optima esse judicem, dicturum esse.

XV.

Vellem vos, Athenienses, qua erga omnes alios uti soletis humanitate, eandem etiam erga vosmetipsos adhibere: nunc major vestra est dexteritas in malis aliorum corrigendis, quam in iis quæ vobis ipsis eveniunt providendis. Fortassis autem aliquis dixerit, hanc summam esse laudem nostræ civitatis, quod nullius emolumenti privati gratia multa pericula propter ipsam justitiam ultro adierit: ego vero et rectam esse eam de civitate opinionem existimo ac probo, et illud etiam prudentium hominum officium esse puto, ut eadem solicitudine res vestras privatas, qua alienas, curetis, ut non humani solum, sed cordati etiam videamini.

XVI.

Fortassis, Athenienses, eum decet, qui vos aliqua de re monere velit, sic dicere conari, ut et vos perferre possitis; aut certe, omissis aliis verbis omnibus, illa de quibus deliberatis suadere: idque paucissimis verbis. Nec enim orationum penuria res vestras omnes cepisse detrimenta cernere videmini, sed ob hoc quod alii suapte causa concionantur et Reipublicæ præsunt, alii, qui nondum hoc de se specimen præbuerunt, magis eloquentiæ laudem captant, quam in id student, ut suis orationibus Reipublicæ consulatur: ego vero, ne quod aliis faciendum esse dico, id ipse negligere videar, ac de aliis, quam de his ob quæ surrexi, verba faciam, præteritis reliquis omnibus, quæ probem explicabo.

XVII.

Æquum mihi esse videtur, Athenienses, ut attente audiatur is, qui se vobis et æqua et utilia esse ea, de quibus deliberemus, ostensurum polliceatur. Ego igitur me id facturum opinor haud difficulter, si vobis perexiguum quiddam persuaderi sinatis. Ne unusquisque vestrum, quæ his de rebus sentit, ea omnia se recte sentire persuasum habeat, sed, si præterea dici aliquid contigerit, ut consideret atque audire omnia ne gravetur: deinde, si quid recte dictum videbitur, utatur. Quicquid enim prudenter explicatum fuerit non minus vestrum qui usuri estis erit quam illius qui id dixerit. Fundamentum quidem certe legitimæ deliberationis hoc est, ut ne decernatur, priusquam ea ex quibus decreta pendent audita fuerint. Neque enim tempus idem, neque ratio est, et com-

probandi ea quæ visa fuerint, et considerandi quid in primis profuturum esse videatur.

XVIII.

Vobiscum, Athenienses, prodii ad deliberandum, an mihi dicendum esset, nec ne: quamobrem autem id statuere nequeam, vobis explicabo. Necesse habet is qui nec sibi nec aliis blandiri, sed pro vobis dicere quæ maxime profutura persuasum habet, instituit, et ea comprobare quæ utrique recte dixerunt, contraque refellere si qua injusta postulant. Quod si vos utraque hæc audire dignemini paucis, multo rectius reliquis rebus consuletis: sin ante cognitionem resilietis, usu mihi veniet ut, in neutros injurius, apud utrosque in crimen veniam. In quo inique mecum agetur. Proinde si jubetis, dicere sum paratus: sin minus, etiam tacere non recuso.

XIX.

Et justum, Athenienses, et utile arbitror, ut crimina et accusationes, cum deliberandum est, quisque omittat: et propositis de rebus id dicat, quod optimum esse ducit. Nam quosdam esse in causa ut res male se habeant, omnes scimus: quo pacto autem emendari queant, id explicare consulentis officium est. Deinde mea quidem sententia acres delinquentium accusatores sunt, non qui talibus temporibus in acta inquirunt, cum illi nullas pœnas dabunt: sed qui tale consilium dare poterunt, per quod incommoda hæc propulsentur. Horum enim opera per otium et de illis sumere supplicium poteritis. Ac alia quidem verba omnia supervacanea esse censeo: quæ autem ad deliberationem hanc profutura putem, ea dicere conabor, si prius hoc tantum postulavero, si cujus forte facti mentionem fecero, ne id accusandi studio me dicere putetis, sed ut iis quæ tum perperam egistis indicandis caveam, ne in similes clades incidatis.

XX.

Si etiam superiore tempore, Athenienses, nullis addicti partibus et studiis ita tranquilli fuissemus, ut in præsentia sumus, nec ea quæ nunc facta sunt eventura fuisse opinor, et cæterarum rerum multæ in loco meliore vobis essent. Nunc petulantia quorundam facit, ut nec prodire, nec perorare, atque adeo ne inchoare quidem liceat orationem. Qua ex re multa exsistunt eaque haud fortassis opportuna. Quod si ista percontanda sunt, et non considerandum quid agi conveniat, vestrisque cupiditatibus nunc obsequendum, decernetis ea, quæ et superioribus temporibus, instrui classem, conscendi, tributa conferri, omnia ea fieri jam oportere: quorum agendi perendie aut post quinque dies, si rumores bellici sopiantur et hostes quiescant, rursus jam non esse occasionem putabitis. Id quod, cum in Hellesponto esse Philippum audiremus, accidit; ac denuo, cum piraticæ naves ad Marathonem appulissent. Quam enim quispiam, Athenienses, probe instructo uteretur exercitu, tam vos consiliis utimini celeriter. Est autem et lente deliberandum, et quæ decreta fuerint mature facienda sunt, et cogitandum hoc, nisi et uberem commeatum in promptu habueritis et ducem aliquem prudentem bello præfeceritis vestraque decreta constanter urseritis, nihil a vobis confectum iri nisi decreta, et omnes impensas frustra perituras, et fore ut neque rebus quicquam consulatis, atque irati quoscunque libitum fuerit in judicium adducatis. Ego vero nolim vos committere ut cives prius in judiciis exagitetis, quam hostes ulciscamini: æquius enim est ut cum illis, quam inter nos, belligeremus. Verum ne—id quod factu facillimum est—tantum objurgem, quo pacto hæc a vobis oportere fieri putem, explicabo, precatus a vobis, ne obstrepatis, neve me tergiversari aut differre negotium existimetis. Non enim qui celeriter et hodie rem suscipiendam suadent rectissime consulunt—non enim ea quæ jam quidem acciderunt copiis auxiliaribus prohibere poterimus—, sed qui ostenderit, quæ copiæ comparatæ nunc permanere ac constare queant, tantisper dum aut hostes superemus, aut persuaderi nobis patiamur ut bellum deponamus. Sic enim fiet ut malis in posterum liberemur.

XXI.

Arbitror omnes vos, Athenienses, confessuros, oportere nostram urbem, cum de privato ipsius quopiam negotio deliberet, æque magnam habere utilitatis atque justitiæ rationem: cum vero sociorum res aguntur aut communes, cujusmodi etiam hæc est, nihil esse perinde curandum ut æquitatem. Nam in illis ipsa est utilitas satis: in hujusmodi autem rebus adjungi oportet etiam honestatem. Actiones enim in eorum potestate sunt a quibus geruntur: at existimationi, quæ actiones sequitur, nemo tantus est qui dominetur, sed qualemcunque res gestæ opinionem excitarint, talis de auctoribus fama spargitur a populo. Providendum igitur et danda opera, ut eæ justæ videantur. Decet autem omnes eo in injuriis affectos esse animo, quo erga se, si quid accideret, quod absit, quisque alios esse vellet: sed quia nonnulli huic ipsi sententiæ adversantur, ubi pauca illis respondero, quæ vobis expedire maxime censeam, ea statim suadebo.

XXII.

Non parvam mihi jacturam, Athenienses, existimaturi videmini,

si qua opinio sinistra nostraque urbe indigna vulgo de nobis suboriatur. In quo cum recte sentiatis, reliqua quæ cum hac sententia consentiant studio non habetis, sed subinde ad ea facienda inducimini, quæ et ipsi minus esse recta fateamini. Quanquam autem compertum habeo, laudatores omnibus esse jucundiores quam monitores, non tamen eas blanditias ita expetendas esse mihi censeo, ut alia quam quæ prodesse vobis persuasum habeo dicam. Quod si principio recte sentiretis, nihil publice faciendum erat, quod privatim reprehenderetis, ne id, quod nunc fit, usuveniret: ut de quibus quisque dictitat, quam et turpia hæc et acerba sunt, et, quousque tandem hæc progredientur? illa ipsa in consessu quisque ipse et probaret et faceret. Ac vellem equidem, quemadmodum scio e re vestra esse ut optima dicentem audiatis, sic scire me itidem optima dicenti esse profuturum. Multo enim libentius verba facerem. Nunc equidem metuo, sed tamen ea quæ confido utilia visum iri, etiamsi vos non pareatis, tamen proferre non verebor.

XXIII.

Etsi quis, Athenienses, qui nullam aliam causam prius apud vos egisset, nunc de criminibus quæ legati nostræ urbi falso impingunt dicat, ei esset opinor ab omnibus ignoscendum. Nam aliis in rebus vinci ab adversariis, non tam fortasse culpa quam calamitas dici queat: quippe cum et in fortuna et præfectis et multis aliis aliquid situm fuerit cur prius res vel bene vel male gereretur. Sed in sui defensione pro dignitate veteris gloriæ non posse verba facere, id fieri culpa ingenii eorum quibus id evenit inveniemus. Quod si alii essent apud quos verba de vobis fierent, neque isti tam confidenter mentiti essent, opinor, neque auditores multa dicta istorum tulissent: nunc et cæteris in rebus alii vestra facilitate fruuntur omnes, et in hoc isti negotio nunc vel in primis. Tanta enim æquitate vestrarum aurium contra vos sunt usi, quanta satis scio nullorum aliorum uti potuissent. Mihi autem æquum videtur ut propterea vos et diis gratiam habeatis, Athenienses, et istos oderitis. Nam quod Rhodiorum populum, qui aliquando coram multo petulantius in vos invectus fuerat, vobis supplicem esse factum vidimus, id ego nostræ urbis felicitati tribuo. Quod autem stolidi isti neque hoc considerant, cum id ita palam cernere liceat, neque illud etiam quod vos sæpenumero singulos istorum conservastis, et in eorum temeritate atque infelicitate, quoties suapte auctoritate bella susceperant, corrigenda plus negotii habuistis, quam vestris ipsorum rebus agendis, id vos mea quidem opinione ad ingentem iracundiam commoveat. Sed quid agas? istis fortasse fatale est nunquam in secundis rebus sapere: nobis autem cum propter nos ipsos, tum propter cætera nostra urbis præclara facinora, opera danda est ut omnibus hominibus ostendamus, nos qui et antehac et nunc et semper colendæ justitiæ et simus et fuerimus studiosi, aliorum quorundam, qui suos cives opprimere servitute conentur, peti calumniis.

XXIV.

Si iisdem animis, Athenienses, et consulentium orationes audiretis, et ipsa negotia judicaretis, omnium tutissimum esset dare consilia. Nam si feliciter præclareque cecidisset—semper enim bene ominandum est—eventus causa tam vobis quam suasori ex æquo adscriberetur. Nunc eos, qui quæ vos vultis dicunt, libentissime auditis: eosdemque sæpe ut impostores, si quid forte secus accidit quam vos velletis, accusatis, non reputantes, in uniuscujusque potestate esse, ut et inquirat et quantum humano consilio provideri potest optima cogitet, eademque apud vos exponat, ut autem etiam gerantur feliciterque succedant, id maxima ex parte a fortuna pendere. Non est autem ab homine plus requirendum quam ut culpa præstet suique consilii rationem reddat, verum fortunæ etiam ut ratio reddatur, id fieri omnino haud potest. Quod si disciplina quapiam traditum esset ac perceptum, qua ratione quispiam et tuto et sine periculo concionaretur, eam rationem negligere insaniæ fuerit: cum autem necesse sit eum, qui futuris de rebus pronunciat, participem eorum esse qui sequentur eventuum, et, si quod inde crimen exstiterit, eo involvi, turpe esse existimo suam jactare benevolentiam, si quod autem e consilio periculum impendeat, subterfugere. Deos igitur precor, ut quæ et Reipub. et mihi profutura sunt, ea in mentem veniant et mihi ut dicam, et vobis ut decernatis. Nam quovis modo studere victoriam adipisci, fieri aliter non potest, quin vel insaniæ vel ejus qui suum emolumentum spectet esse censeam.

XXV.

Fieri sane potest, Athenienses, ut et in iis rebus de quibus nunc convenistis, et in cæteris omnibus, eadem optima et vobis esse videantur et reipsa sint. Quod ut ita esse concedam, tamen, cum magnis publicisque de rebus deliberatis, decet opinor ut omnes eos qui dare consilium volunt audiatis, præsertim cum turpe sit, Athenienses, eis qui nunc aliquid monere volunt obstrepere, ac post eosdem ea quæ facta sunt accusantes libenter audire. Ego enim satis scio, quod nec vos ignorare puto, nunc maxime vobis placere eos qui talia dicunt, qualia vos exspectatis. Sin aliquid secus quam vos modo putatis, quod absit, acciderit, fore ut vos ab istis deceptos esse queramini: eos autem, quos nunc ejicitis, tum recte dicere censeatis. Est autem istis, qui vobis ista maxime persua-

5 M

serunt, vel in primis utilissimum ut intercessoribus dicendi potestas detur. Qui si docere poterunt, non esse optima, quæ istis probentur, idque fecerint priusquam quicquam peccatum fuerit, ipsos extra omne periculum collocabunt: sin id facere non poterunt, saltem postea non habebunt quod reprehendant, sed id consecuti, quod tribuere humanitatis est, ut audirentur, se succubuisse, æquo animo jure ferent, et communem eventum omnium, quicunque is fuerit, subibunt.

XXVI.

Arbitror decere vos, Athenienses, tantis de rebus deliberantes, dare libertatem dicendi cuivis qui dare consilium velit. Ego vero nunquam esse difficile putavi docere vos quæ optima factu sint—nam, ut ingenue dicam, ea vos omnes jam scire puto—, sed persuadere vobis ut agatis eadem, id vero esse difficile. Postquam enim aliquid visum decretumque fuerit, tum tantundem abest ut fiat, quantum ante quam decerneretur. Unum autem hoc ex illis est propter quæ vos ego diis gratiam debere censeo, quod qui non ita pridem propter suam petulantiam bellum vobis intulerunt, ii nunc in solis vobis spem suæ salutis collocant. Est autem, Athenienses, gaudendum hac occasione. Qua si prudenter utemini, hoc vobis usuveniet, ut eorum maledicta qui nostram urbem criminantur reipsa cum honesta fama refutetis.

XXVII.

Spes rerum commemoratarum amplæ sunt, Athenienses, quibus plerosque sine ratione moveri nonnihil arbitror: mihi vero nunquam propositum fuit, præsentis gratiæ causa, quicquam dicere apud vos, quod non etiam in posterum profuturum existimarem. Quanquam autem hoc fere fit ab omnibus, ut eos qui assentantur diligant, monitoribus irascantur: prudentis tamen hominis officium est dare operam ut appetitum rationi semper obedientem præbeat. Ego vero perquam sane velim, ea vobis factu esse jucunda, quæ profutura sunt, ut et grata et utilia dicere viderer. Sed postquam video vos contraria his moliri, adversandum esse opinor, etsi quorundam odia suscipienda fuerint. Quod si nec audire quicquam sustinebitis, non inopia judicii errare, sed pravitate ingenii appetere atque aggredi talia videbimini: sin audieritis, sententiam fortasse mutabitis, quod ego vobis in primis prodesse puto; sin aures dicturis præbere nolueritis, alius ignorare vos quid expediat, alius, quod cuique visum fuerit, id dicet.

XXVIII.

Primum nihil novi est, Athenienses, aliquos exsistere, qui, cum

res gerendæ sunt, vestris decretis adversentur. Quibus si vos, cum consultaretis, dicendi copiam fecissetis, atque ipsi idem facerent, accusatione digni essent, quod, quibus in rebus victi essent, de iisdem rebus rursum dicere vi conarentur. Nunc et illi venia digni sunt, si ea quæ tum audire noluistis exponere student: et vos, Athenienses, reprehendendi estis, qui in deliberationibus suam quemque dicere sententiam non patiamini, sed, ubi vos alii sua oratione occuparint, alios minime audiatis. Ista igitur consuetudo molestias vobis parit. Quorum enim ante cladem acceptam consiliis parere licuisset, eos postea accusantes laudatis. Idque vobis rursus opinor accidet, nisi æquis animis omnes audieritis in præsentia: eoque labore suscepto, probatis optimis, eos qui quicquid tandem cavillabuntur improbos existimabitis. Ego æquum esse censeo, ut primum omnium ipse dicam, quid mihi in negotio de quo consultatis videatur, ut si vobis ita visum fuerit, etiam cætera explicem: sin minus, neque vobis molestus sim, neque meipsum fatigem.

XXIX.

Debuit, Athenienses, ante susceptum bellum provideri, quibus copiis ad id gerendum instructi esse possemus: quod si cum primum deliberaretis manifestum non erat, tum certe cum id erupisset de apparatu etiam deliberandum fuit. Sin vos magnas ducibus copias tradidisse dicetis, quas ipsi perdiderint, nemo istam vestram excusationem accipiet. Nec enim eorundem est, eos quibus res mandarant et absolvere, et causas malorum eisdem imputare. Quia vero quæ præteriere mutari non possunt, et ut tempora patiuntur rebus succurrendum est, intempestivas esse video querimonias, daboque operam, ut quæ optima censeo suadeam. Illud igitur in primis statuendum est, tam unumquemque virum insigne studium et contentionem adhibere oportere, quanta fuit superioribus temporibus negligentia. Nam etiam sic vix sperandum est ea nos quæ per ignaviam tanto ante amisimus esse recuperaturos. Deinde animi propter hunc rerum statum non sunt abjiciendi. Nam quod superiore tempore deterrimum fuit, id in posterum erit utilissimum. Quid igitur illud est, Athenienses? Quod propter ignaviam vestram res male se habent. Nam si vos omni officio fungeremini, et tamen hic rerum status esset, ne spes quidem fortunæ melioris ulla superesset.

XXX.

Nihil est molestius, Athenienses, quam quod oratores iis moribus quos reprehendunt utuntur. Nam factiones eorum, et mutuas extra judicium accusationes, nemo ita socors aut pravus est, quin esse

perniciosas reipublicæ fateatur. Ego vero majorem eos bonitatis laudem adepturos opinor, si contentionibus istis inter sese in hostes reipublicæ conversis conciones haberent. Vos autem moneo, ut a neutra istorum factione stetis, neve operam detis ut alterutri superiores fiant: sed ut omnes vos hostes vincatis. Precor autem a diis immortalibus, qui vel propter æmulationem vel ex simultate vel quavis alia de causa dicunt alia quam quæ optima esse censent, uti desinant. Diris enim devovere quemquam, alienum fortassis est officio consulentis. Has ego calamitates nemini puto, Athenienses, nisi omnibus istis esse imputandas. Censeo autem per otium rationem ab eis reposcendam: nunc vero de emendando rerum statu deliberandum.

XXXI.

Vellem, Athenienses, quosdam oratorum tantum habere studium utilissima dicendi, quantum in eo laborant, ut belle dicere videantur, ut et ipsi boni viri potius quam eloquentes haberentur; et res vestræ, quemadmodum convenit, meliore loco essent. Nunc quidam mihi prorsus videntur eloquentiæ laude contenti, quid postea vobis eventurum sit, nihil curare. Ac statuere nequeo, utrum illius generis orationes ipsum dicentem perinde fallere soleant, atque illos apud quos habentur, an vero de industria iis quæ optima censent contraria dicant in concionibus. Qui si ignorant eum, qui officio fungi ac operæ pretium facere velit, non verbis audacem, sed ab apparatu firmum esse oportere, neque propter hostium imbecillitatem confidendum, sed tametsi illi potentes essent spem victoriæ habendam, facetiæ verborum, ut apparet, eis obtant quo minus res gravissimas animadvertant. Sin hæc se non ignorare dixerint, atque alia quædam causa subest, ob quam ista instituunt, ea, quæcunque fuerit, non mala existimari qui potest? Ego vero, tametsi vobis illos cordi esse video, tamen quæ mihi videntur non dubitabo dicere. Etenim stultitiæ fuerit, cum oratione prava deliniti sitis, desperare vos meliori et magis utili oratione posse in viam revocari. Peto autem ut et vos æquis animis adsitis, cogitantes, nec ea quæ nunc sentitis vos fuisse sensuros, nisi orationes quæ vobis persuaserunt audissetis. Quemadmodum igitur, si de bonitate monetæ judicium fieret, explorandam eam censeretis, sic etiam peto ut dictam orationem, ex his quæ nos contra disseruimus, æstimantes, si utilem reperietis, diis approbantibus sequamini: sin singula considerantibus alienior videbitur, ut antequam impegeritis, mutato consilio, iis quæ recta sunt utamini.

XXXII.

Maxime vellem, Athenienses, vobis ea quæ dicam probari: sin id aliter fortassis ceciderit, nihil mallem quam a me saltem esse dicta. Est autem, ut videtur, non solum apud vos ea dicere difficile quæ dici debent, sed etiam cum animo suo cogitantem ea invenire. Quod sic intelligi potest, si quis non verba vos, sed res in quibus estis considerare putet, ac majus studium adhibeat ut vir bonus, quam ut orator vehemens, videatur. Mihi certe—ita me dii bene ament—, de rebus his cogitare instituenti, multa quæ vos haud inviti audituri essetis in mentem veniebant. Nam et de eo quod justissimi Græcorum sitis, copiose posse dici et videbam et video, et præstantissimis natalibus oriundi, et multa ejus generis. Sed ea tantisper oblectatura dum audirentur, post peritura. Oportere autem ut orator alicujus actionis suasor appareat, propter quam in posterum etiam aliquo bono perfruamini. Quod ego usu rerum edoctus et raro et difficulter perspici video. Neque enim satis est perspicere talia, nisi quis eadem vobis etiam, quorum ad ea perficienda requiritur auxilium, persuadere possit. Sed utut est, mei fortasse officii fuerit dicere, quæ profutura esse statuo: vestri de auditis judicare, illisque si placuerit uti.

XXXIII.

Non obscurum fuit, Athenienses, nuper, cum eos qui sententiæ cujusdam intercedebant non audiendos putaretis, id esse eventurum quod nunc fit, ut, quibus tum dicendi potestas data non fuit, hi proxima concione verba facturi essent. Si nunc igitur quod tum fecistis facietis, et eos, qui his quæ tum decreta sunt refragari volunt, audire noletis, rursus illi eadem concione proxima arripient atque exagitabunt. Si neque decreta vestra irrita videbuntur, neque vos ea quæ profutura sunt sic egeritis ut alias utilitates amittatis, neque certis quibusdam orationibus, tanquam histrionibus in scena regnantibus, addicti fueritis, et res vestræ, Athenienses, multo meliore in loco futuræ sunt, et nemo vos imprudentiores judicabit. Facite igitur, Athenienses, eumque laborem capite ut, utraque parte æquanimiter audita, primum id amplectamini quod et facturi sitis: deinde, si quis ea quæ ad hunc modum decreta fuerint oppugnarit, eum vos improbum vobisque malevolum esse putetis. Nam si quis, cui dicendæ sententiæ potestas negata fuit, se quid animo concepisse melius putarit quam ea fuerint quæ vobis probentur, ei fuerit ignoscendum: at re a vobis audita et dijudicata, adhuc tamen impudenter se ingerere neque remissa pertinacia in plurium concedere sententiam, ea res habere suspicionem quandam aliam eamque non justam videatur. Ac ego, si vos in sententia permanere vidissem, tacendum in præsentia mihi censuissem. Sum enim ex eorum numero qui illa vobis prodesse persuasum habent. Quia vero quidam istorum sermonibus immutati videntur, eos neque

vera dicere neque utilia, id vos, sive sciatis, ut puto, sive etiam nesciatis, edocebo.

XXXIV.

Deceret, Athenienses, et æquum esset unumquemque tum suadere vobis quid ipsi optimum factu videretur, cum primum de rebus instituta esset deliberatio, ut ne duæ res quæ minime omnium sunt e Republica usuvenirent, altera, quod decreta vestra nullum exitum habent, altera, quod mutandis subinde consiliis ipsi væcordiæ vos damnatis. Quia vero quidam qui tunc tacuerunt nunc reprehendunt, pauca eis respondebo. Ego demiror quæ sit istorum in Repub. ratio, vel eam potius esse improbam reor. Qui si vos, cum inter consultandum admonere liceret, re deliberata accusare malunt, calumniatorum, non, ut præ se ferunt, benevolorum hominum, institutum sequuntur. Libet autem eos interrogare—neque vero velim ea quæ dicam jurgii esse occasionem—, cur, cum alia instituta Laconum laudent, id quod apud eos in primis admiratione dignum est non imitentur, sed ipsi contrarium potius agant? Ferunt enim, Athenienses, apud eos tantisper dum decernitur, quemvis pro animi sui sententia consulere: cum vero decretum fuerit, eadem laudare omnes, atque adjutores esse illos etiam qui refragati fuerant. Proinde cum multi non sint multos vincunt; et, quæ bello nequeunt, per occasiones occupant; neque eos ullum vel tempus effugit, vel ratio, quo minus suis commodis consulant eaque perficiant: nos vero nihil tale facimus, qui, istorum opera et eorum qui sunt istis similes, nos mutuo superantes, non hostes, tempus omne consumpsimus; iidem, si quis sublato bello pacem conciliet, eum odimus, sin tempore pacis bellum decernat, ei adversamur, sin quiescere nostrumque agere negotium jubeat aliquis, ne eum quidem recte dicere contendimus, calumniis denique vanaque spe referti sumus. Quid igitur, dicat aliquis, tu suades, quoniam ista reprehendis? Dicam equidem.

XXXV.

Primum, Athenienses, nulla fere mihi causa esse videtur cur vobis aliquis metuat, ne propterea quod suasores audire non vultis, deterius consulatis. Primum enim ea est fortunæ benignitas erga vos, ut multa citra vestram operam ita quemadmodum ipsi optaretis vobis conficiat: nam, si magistratuum providentia spectetur, per pauca quidem bene habitura sint. Deinde vos præscitis, non modo quibus quisque verbis usurus sit, sed quibus etiam eorum quisque de causis concionetur; ac, ni odiosum esset, adderem etiam quanti. Veruntamen, si vestris deceptoribus quam minimum spatii reliqueritis, sapere vos putabo. Ego vero, si eadem quæ alii dicturus essem, vos dicendo non esse obtundendos putarem: jam utilia quidem auditu, sed a vulgi exspectatione prorsus abhorrentia, me dicenda habere puto. Res autem paucis expedietur. Audita igitur ea et dijudicata, si vobis placuerit, utimini. Et breve, Athenienses, et æquum sumam orationis exordium, neque omnia dicam. Ejus enim qui vos deceptos velit esse puto, considerare quo pacto vos auditores alliciat et negotii difficultatem contegat, ejus vero qui in animum induxerit bona fide vobiscum agere hoc esse, primum ut dicat, quidnam cum huc prodiret senserit: ut, si eo audito post reliquam ejus sententiam audire velitis, et doceat et exponat ea quæ optima ipsi visa fuerint, sin improbetis, ut quiescat, neque vel vobis sit molestus vel semetipsum frustra defatiget. Primum autem hoc dico. Mihi Mitylenæorum populo facta esse videtur injuria, vestrique esse officii ut vos eorum vicem ulciscamini: quod quo pacto fieri debeat, dicere mihi posse videor, ubi et affectos eos esse injuria, et decere vos ut eam vindicetis, ostendero.

XXXVI.

Primum non adeo mirum est, Athenienses, consilium daturis non esse facile verba facere. Cum enim negotia de quibus deliberandum est male se habent, arduas esse necesse est etiam susceptas de illis suasiones. Quod si ea propterea quod audire non vultis meliora fore spes est, hoc agi decet: sin isto pacto ut deteriora omnia, sic melius nihil fiet, quorsum attinet, ut ea deterrima fiant admittere, ac tum et post longius tempus et difficilius de eis restituendis laborare, cum liceret hoc statu etiamnum ea corrigere et reddere meliora? Vos, dum ita vobiscum agitur, esse iracundos consentaneum est: irasci autem non sontibus sed absque discrimine omnibus, id vero neque consentaneum neque rectum est. Qui enim præteritarum rerum causa non fuerunt, et quo pacto reliqua emendanda sint dicere possunt, gratia vestra sunt potius quam odio digni: quos, si importune rejeceritis, segnes ad surgendum reddetis. Quanquam autem non ignoro, sæpe non auctoribus, sed his qui iratis adversantur, mali quippiam accidere solere, tamen ad dandum consilium surrexi. Confido enim, Athenienses, me nullius mali causam repertum iri, et meliora vobis quam alios suadere posse.

XXXVII.

Ea quæ acciderunt, Athenienses, talia sunt, qualia omnes audivistis. Neque vero vos consternatis animis esse decet, præsertim cum sciatis desperationem neque rebus ipsis commodare et vobis esse indignam: sed vobis ipsis ea corrigenda putare, id et officii esse vestri et vestra dignum auctoritate videbitur. Convenit autem

ut hi, qui tales sunt quales vos perhiberi vultis, in rebus asperis atque periculis aliis præstent. Ego vero maxime vellem hæc civitati nostræ non accidisse, neque vos ulla clade affici: sin autem ita fieri oportuit, et hæc fato quodam destinata fuerunt, expedire opinor, ut ista hoc modo quo acciderunt evenirent. Fortuna enim celeres habet mutationes et modo hos modo illos fovet aut affligit: quæ vero ignavia virorum fiunt, ea demum constantes clades pariunt. Ac ne victores quidem ignorare opinor, si vos velitis atque hoc casu excitemini, nondum satis esse exploratum utrum eventus ille felicitati sit an contra calamitati adscribendus: sin fortuna secundior inflavit eorum animos ut insolescant, id quoque jam e re vestra fuerit. Nam quo securiores erunt, eo facilius opprimentur.

XXXVIII.

Vos mea sententia, Athenienses, non de ea tantum quam putatis civitate, sed de fœderatis civitatibus omnibus deliberatis. Nam prout de hac statueritis, probabile est fore ut reliqui, in hoc exemplum intuentes, eodem modo actum iri secum existiment. Quare cum propter summam utilitatem tum gloriæ vestræ causa danda est opera, ut simul et utiliter et juste deliberasse videamini. Ac auctoritas hujusmodi rerum penes omnes duces est: quorum plerique cum e vestro portu solvunt, non vestros amicos, quos ab omni ævo eorundem periculorum socios accepere, sibi colendos putant, sed peculiares quisque amicos sibi conciliat, et suos assentatores recipi in vestram amicitiam oportere censet; cum contra omnino fieri debeat. Nec enim inimiciores, vel quos necesse sit vobis magis esse inimicos hisce, reperietis. Quo enim pluribus in rebus vos decipiunt suasque cupiditates per injuriam explent, eo se pœnas mereri graviores censent. Nemo autem amicus ei esse potest, a quo malum aliquod exspectat. Atque accusatio fortasse non est hujus temporis: quæ vero vobis profutura puto, ea suadebo.

XXXIX.

Neminem, Athenienses, omnium vestrum ita opinor malevolum esse Reipub., ut non graviter molesteque ferat ea quæ facta sunt. Quod si quiritando quicquam horum infectum fieri posset, id ego vobis omnibus suaderem: sed quia illa mutari nullo modo possunt, sed reliqua providenda sunt, ut ne in eandem fraudem incidatis, quemadmodum, Athenienses, ob ea quæ nunc facta sunt indignamini, sic opera danda est ne eadem denuo eveniant, nec existimandum ullum suasorem talibus verbis esse instructum, qui rempublicam tueri possit, nemine vestrum suam operam conferente. Nam is quidem non orator, sed deus fuerit. Ac fons horum malorum hinc oritur, quod oratorum quidam ad gratiam pusillo tempore

duraturam hic concionantur, cum dicunt neque tributa conferenda neque militandum esse, sed omnia sua sponte confectum iri. Et hæc ab alio aliquo redargui oportebat, idque ea ratione fieri quæ esset e Republica: mihi autem videtur fortuna nunc etiam quodammodo melius mereri de nobis quam magistratus. Nam quod omnia fere pereunt, id eorum quibus negotia mandata sunt socordiæ et improbitatis signum esse debet: quod vero non olim omnia perierunt, vestræ fortunæ beneficium equidem esse judico. Dum igitur fortuna cessat et inimicos extollit, reliquarum rerum curam suscipite: quod nisi feceritis, providete, ne vos simul et omnes magistratus accusetis, et res vestræ, o Athenienses, inclinentur. Nec enim fieri potest, ut eæ sine magna aliqua clade consistant, cum nemo sit qui eas tueatur.

XL.

Nihil absurdi est, Athenienses, eos qui semper et assidue suas in Republica rationes ad paucorum dominatum referunt, in eo nunc etiam esse deprehendi: sed illud potius jure quispiam demiretur, vos qui ea sciatis sæpe libentius illis auscultare, quam vestris defensoribus. Etsi autem fortassis ut privatim facile non est omnia recte agere, sic neque publice: non tamen maximi momenti negotia sunt negligenda. Sunt autem cætera minora omnia: cum vero de statu civitatis, de cædibus, de reipublicæ popularis eversione declamitantes quosdam auditis, quis vos non mente captos arbitretur? Nam cæteri quidem mortales omnes, aliorum exemplis admoniti, cautiores fiunt: vos autem auditis etiam aliorum casibus formidare non potestis, sed quæ privatim stultitiæ tribuatis si admissa sint, ea vos publice admissuri mihi videmini, nec nisi accepto malo fore prudentiores.

XLI.

Nemo unquam fortasse vestrum quæsivit, Athenienses, quamobrem calamitosi rectius quam fortunati suis rebus consulant. Ejus autem rei alia causa nulla est, nisi quod ita fit, ut hi neque formident quicquam, neque si quispiam pericula commemoret, ea ad se pertinere putent: illos recens adhuc erratorum memoria, quando in clades inciderunt, prudentes ad cætera et moderatos efficit. Jam proborum hominum officium est, cum fortuna utuntur secundissima, tum summum habere modestiæ studium. Neque enim quicquam tam formidabile est quin vigilantia præcaveri, neque ullum malum est quin oscitantibus evenire, possit. Hæc non ideo dico, ut vos frustra perterrefaciam, sed ut ne successibus istis elati, ea quæ incidere possent, nisi caute res administraretis, pericula, si vobis exposita fuerint, contemnatis, et sine ullo malo,

quemadmodum eos decet, qui se nemine posteriores perhiberi volunt, sobrie prudenterque caveatis.

XLII.

Non idem tempus esse existimo, Athenienses, et gratificandi vobis et ea quæ mihi optima factu videantur consulendi. Sæpe enim video si quis præter animi sententiam in aliqua re gratificetur, id majores peperisse inimicitias, quam si statim ab initio adversatus esset. Quod si omnes in eadem sententia essetis, neque si mihi officium facere videremini prodirem, supervacaneum esse existimans his, qui sua sponte quæ oporteret facerent, suadere, neque etiam si res aliter se haberet. Magis enim meipsum qui unus sim ignorare quæ optima sint, quam vos omnes, crederem. Quia vero video vestrum alios assentiri mihi, dissentire ab aliis, operam dabo ut his adstipulatoribus cæteros in meam sententiam pertraham. Quod si non auscultandum putabitis, non recte facietis: sin audire cum silentio non gravemini, alterutrum ex eo commodum percipietis. Aut enim, si quid utile suadere videbimur, id amplectemini, aut in ea quam probatis sententia firmius permanebitis. Nam si eas rationes, propter quas nostra opinione nonnihil erratis, nullius esse momenti apparebit, quæ nunc statuitis nixi rationibus eligetis.

XLIII.

Vellem, Athenienses, quantam iste approbationem sua oratione consecutus est, tantam eum laudem in ipsis rebus gerendis adipisci. Nam neque ei, deos testor, male volo, et vobis bene cupio. Sed videte, Athenienses, ne sit aliud orationem habere commodam, aliud negotia deligere profutura: neve illud oratoris sit, hoc hominis cordati officium. Vos igitur plebeii, maximique natu in primis, dicendi facultate summis oratoribus pares esse non debetis—nam id eorum qui sunt exercitati munus est—: sed prudentia vel æquare eos, vel potius superare—nam experientia multarumque rerum usus eam ingenerant—. Ne igitur, Athenienses, committite ut in præsentia hoc ignorasse videamini, verborum fortitudinem atque audaciam, nisi justus apparatus et vires accesserint, ut jucundas esse auditu, sic ad agendum periculosas. Nam illud statim, 'prohibendas esse grassatorum injurias,' quam sit verbum præclarum auditis. At in primis rem ipsam spectate. Vincendi sunt hostes pugnando ab iis qui hujus verbi splendorem adepturi sint. Nam dictu quidem, Athenienses, facilia sunt omnia, factu vero non item omnia: nec enim pari labore et sudore ad dicendum et ad agendum pervenitur. Ego vero vos natura Thebanis nihilo esse puto inferiores—insanirem etenim—sed minus instructos. Nunc igitur in primis parare nos debemus, quando dudum

Martis aleam experiri neglexistis. Nec enim in universum contradico, sed de modo aggressionis adversor.

XLIV.

Quanto legati studio civitatem nostram accusarint, omnes vidistis, Athenienses. Una enim re excepta nescio qua, cætera omnia in vos congerere sunt conati. Ac si criminationes eorum veræ essent, gratiam illis jure haberetis, quod vos apud vosmetipsos potius quam apud alios ita accusassent: sed cum sic oratione sint usi ut veritatem perverterint, ac tum ea propter quæ laudes vobis maximæ debentur præterierint, tum alia crimina falsa quæque non cadunt in vos objecerint, improbi merito, postquam hæc fecisse convincentur, erunt judicandi. Nam si opinionem eloquentiæ laudi veritatis et humanitatis prætulerunt, ne ipsi quidem, ut apparet, de eo laborant ut boni viri habeantur. Difficile est pro vobis apud vos dicturum surgere, quemadmodum facile contra vos. Ego enim, mehercule, nullos homines alios, vera sua dum admonentur probra, tam æquis animis audire puto, quam vos auditis ea convicia, quæ falso in vos jaciuntur. Quin istos etiam non existimo tam confidenter falsa fuisse dicturos, nisi compertum hoc haberent, ac perspicuum esset, vos omnium esse paratissimos ad id audiendum, quod quivis in vos dixerit. Quod si facilitatis hujus pœnæ dandæ sunt, non aliæ fuerint quam ut crimina quæ non cadunt in nostram civitatem audiatis. Sin veritatis, ut est æquum, suscipienda est defensio, eam ob causam huc ego prodii, non quod me pro dignitate rerum a vobis gestarum posse dicere, sed quod actiones, quibuscunque verbis explicentur, justas visum iri confido. Vellem tamen vos, Athenienses, æquos esse in re vestra auditores, nec, quia vestram approbationem orationes impetrarunt, de eis vos rixari. Non enim quisquam id vitio vestro tribuet, si ab homine sitis eloquente circumventi: sed eorum qui in id operam dederunt, ut vos in fraudem illicerent.

XLV.

Opinor omnes vos, Athenienses, confessuros ea velle fieri vos, quæ quisque Reipub. putetis maxime profutura. Fit autem ut, quod factu sit optimum, non eodem modo ab omnibus statuatur. Nec enim vestrum alii sententias esse dicendas, alii non dicendas, contenderent. Apud eos igitur dicturo qui id prodesse putant nihil opus est verbis—cum jam eis persuasum sit—: ad eos autem qui contrarium expedire censent pauca dicam. Si qui igitur audire nolunt, hi ut rem cognoscant nihilo magis fieri potest, quam si ipsi et tacerent et nemo orationem haberet: sin audieritis, alterutro bono frustrari non potestis, quin aut persuasi eademque sen-

tientes concordius deliberetis—quo ad præsentia negotia nihil cadere queat optatius—, aut, si suasor suam sententiam probare haud poterit, decretis vestris constantius innitamini. Præterea non bona subest suspicio, venire in concionem, quasi ex his quæ dicentur optima sint eligenda: tamen ostendere, priusquam orationum delectus sit habitus, vosmetipsos aliquid persuasum habere, idque tam pertinaciter, ut præter id ne audire quidem quicquam velitis.

XLVI.

Fortassis importunus, Athenienses, quibusdam vestrum esse videor, qui sæpe et quidem iisdem perpetuo de rebus verba faciam: verum, si rem recte consideretis, non me in culpa esse videbitis, sed eos qui vestris decretis non obtemperant. Qui si primum fecissent quæ vos jussistis, nihil secundo nos verba facere fuisset opus, neque si secundo, denuo: nunc, quo sæpius vos ea quæ fieri debent promulgastis, eo mihi videntur illi minus esse parati ad faciendum. Ac prius ignorabam equidem quorsum dictum illud, magistratus virum ostendit, pertineret: nunc vero id alios etiam posse docere videor. Magistratus enim, aut certe, ne omnes dicam, quidam illorum, ut vestra decreta nec minimi faciunt, sic id unum spectant unde accipiant. Quod si mihi esset quod darem, jure ob idipsum me quispiam reprehenderet, quod obtundere vos parvi sumptus gratia non dubitarem: nunc id fieri non potest, id quod nec ipsi nesciunt. Si vero pro iis quæ vobis præstanda sunt, me sibi auctarium additurum putant, nugas agunt, ac ea fortasse volunt, quæ etiam exspectant: ego vero ea non faciam, sed siquidem dederint, navim protraham, officioque fungar, sin minus, eos qui sunt in culpa vobis indicabo.

XLVII.

Nemo sanus negabit opinor, Athenienses, maxime esse e Repub. ut ne quid initio noxium agatur: sin minus, ut statim præsto sint qui intercedant. Atque huc illud accedere debet, ut vos et audire et doceri velitis. Nihil enim profuerit esse qui optima suadeat, si qui obtemperet habeat neminem. Quin illud etiam non inutile videri potest, esse aliquem qui, si quis vobis vel per occasionem vel propter diei tempus vel ob quamvis causam aliam fucum fecerit, ea, quocunque tempore et vestri esse juris et audire volueritis, rursus examinet. Ut, si talia videantur, qualia qui tum persuaserant esse asseruerunt, ea promptius agatis, ut comprobata: sin forte non ejusmodi reperiantur, antequam longius procedatur, desinatis. Grave enim fuerit, si optimis frustrati pessima agere necesse habeatis, aut si deinde nec e re nata liceat mutare consilium. Alios

equidem omnes, si quid a se præclare factum confidant, id unum, rationem se reddere paratos, jactare perpetuo video: at isti contra id reprehendunt, quod illas res in quibus errastis nunc prorogare vultis, atque imposturam valentiorem oportere esse existimant ea quæ mora intercedente fit probatione. Quid autem illi propositum habeant, vestrum etiam plerique fortasse non ignorant: sed quoniam dicendæ sententiæ potestas data est, ea quemque proferre decet, per quæ negotia hæc quam rectissime administrentur.

XLVIII.

Quod profuturum est universæ civitati, id ut et dicatur ab omnibus precor, Athenienses, et a vobis decernatur. Ego quidem ea dicam, quæ utilissima esse vobis mihi persuasi, tantum precatus a vobis, ne vel belli suscipiendi auctores, propterea fortes, vel illorum adversarios, ignavos eadem de causa existimetis. Neque enim eadem est, Athenienses, probandarum et orationum et actionum ratio: nunc enim prudenter deliberare vos decet, tum vero, si forte visum fuerit, edere fortia facinora. Ac vestra quidem alacritas quantivis pretii ac talis adest, qualem exoptarit is qui reipublicæ consultum velit: quæ quanto vehementior est atque præclarior, tanto magis providendum, ut ea opportune utamini. Nullius enim rei susceptio laudatur, nisi finem etiam utilem sortiatur et honestum. Ego vero, Athenienses, apud vos e viro me audisse memini, qui nec prudentia carere nec imperitus rei militaris haberetur, Iphicratem dico, qui sic assereret, adeundum esse duci discrimen belli, non ut vel hæc vel illa evenirent, sed ut hæc: his enim verbis utebatur. Facile autem intelligebatur, hoc eum velle, ut bene pugnaret. Suscepta igitur expeditione, is, in quem collata est imperii auctoritas, suo vos arbitratu ducit: nunc vero quisque vestrum belli duces estis. Itaque hujusmodi consilia vobis ineunda sunt, quæ ab omni parte conducant Reipublicæ, neque committendum ut propter incertas spes quicquam isti felicitati periculosum admittatis.

XLIX.

Neminem fore putabam, Athenienses, qui actis suis fretus cuiquam irasceretur in ea inquirenti. Quo enim illa sæpius explorantur, eo majore necesse est auctores illorum florere gloria. Verum ipsi mihi palam facere videntur, se res administrasse non ex utilitate Reipublicæ. Qui igitur, cum de integro ratio consiliorum actorumque reddenda est, sua facinora deprehensum iri prævident, tergiversantur et nos indigna facere dicunt. Atqui, si eos qui in acta vestra inquirunt iniquitatis accusatis, quid tandem nos de vobis dicemus qui nos ipsi decepistis?

L.

Æquum esset, Athenienses, vos non minus illis qui vos decipere voluerunt, quam iis qui potuerunt, irasci. Nam quod in ipsis fuit fecerunt, eoque vos induxerunt: quod vero irriti eorum conatus fuerunt, fortuna in causa est, et major nunc prudentia vestra quam tum cum ab istis traheremini. Ego vero tantum abesse puto nostram urbem, ut de iis a quibus læsa est pœnam sumat, ut bene nobiscum agi videatur, si cavere possitis, ne quam ipsi cladem accipiatis: tot imposturis, tot præstigiis, tot denique obsequiis oppugnamini. Ac istorum quidem improbitati accusandæ tempus hoc non opportunum esse video: volo autem his de rebus propter quas surrexi, quæ utilia putem, dicere.

LI.

Convicia et tumultus, Athenienses, quæ perpetuo nocere solent, nunc etiam ab iisdem orta sunt, a quibus semper: non autem tam isti reprehendendi sunt—fortassis enim ad ista facienda iracundia et æmulatione adducuntur, quodque omnium maximum est, privata utilitate—, quam vos, Athenienses, qui, publicis magnisque de rebus convocati, privatis conviciis aures præbentes assidetis, neque hoc cum vestris animis cogitare potestis, omnium oratorum inter ipsos convicia quæ extra judicium facta sunt, tametsi de illis alios alii convicerint, eo recidere denique ut vos pœnas detis. Præter enim fortasse paucos, ne omnes dicam, nullus eorum alii conviciatur, ut ullæ res vestræ corrigantur—plurimum certe abest—, sed facit eo quisque, ut ea quæ facere quendam asserunt, tametsi summum scelus committendum sit, id ipse majore cum otio perpetret. Hæc ita se habere, ne mihi credite, sed ipsi paulisper considerate. Ecquis unquam surrexit qui diceret, vestras opes depeculaturus prodii, Athenienses, et non vestra gratia? Nemo sic dicit, sed pro vobis, et propter vos, et tales causas afferunt. Agite vero considerate, Athenienses, qui tandem fiat, ut summa rerum vestrarum, quibus omnes patrocinantur, loco nihilo meliore sit quam prius: isti vero qui pro vobis omnia, pro semetipsis nihil, dixere, divites e mendicis facti sint? Quia se, Athenienses, vos amare jactant, cum non vos, sed semetipsos, ament. Id quidem ut rideretis, ut applauderetis, interdum etiam ut speraretis, vobis impertierunt: sed adipisci constanterque Reipublicæ tradere boni quicquam ne vellent quidem. Quo enim die immodica ista infirmitate liberati fueritis, istos nec intueri porro sustinebitis. Nunc vero drachma, choe, quatuor obolis, velut ægrotantem populum lactant, ac omnino, Athenienses, quæ illi vobis

præbent, simillima sunt cibis quos medici ægrotis dant: qui ut nec vires augent nec emori sinunt, sic et hæc nec desperare majusque quippiam instituere sinunt, nec satis ipsa esse possunt.

LII.

Et æquum, Athenienses, et honestum et præclarum est, quod vos facere soletis, ejus nobis etiam esse studium, divinæ res uti pie ac religiose curentur. Ac nostra quidem curatio vobis opportune cecidit,—nam et Jovi Servatori sacrificavimus et Minervæ et Victoriæ, eaque sacra et pulcra et salutaria vobis exstiterunt: sacrificavimus item Suadelæ et Matri deorum et Apollini, quibus et ipsis litavimus—: fuerunt autem vobis etiam reliquis divis facta sacra et tuta et certa et præclara et salutaria. Accipite igitur a diis ea bona quæ largiuntur.

LIII.

Fuit quoddam, ut conjicio, tempus apud vos, Athenienses, quo populus adigebat, quemcunque vidisset hominem modestum et bonum, ad Rempublicam administrandam ac fungendum magistratu, non eorum qui id facere vellent penuria—nam cum in aliis rebus omnibus nostram urbem fortunatam judicem, unicam hanc ei felicitatem semper defuisse puto, ut iis deficeretur qui Repub. frui vellent—, sed erat id inventum populi præclarum, Athenienses, utileque Reipublicæ. Nam et hi veluti jugales e bonis et justis viris adjuncti cæteris eos verecundiores efficiebant; et viri e vestro numero boni quidem illi justeque magistratu fungentes, sed iidem nec impudenter ingerere sese nec ambire suffragia edocti, ab honoribus non repellebantur. Nunc prorsus eodem modo quo sacerdotes creatis, Athenienses, sic magistratus etiam. Et miramini, istum vobis esse beatum istumque continenter vobis surripere multa, aliosque vestrum obambulare felicitatem eorum prædicantes. Nam in eo peculiari estis ingenio ut, quæ vestræ prærogativæ sunt, eas libenter abjiciatis, deque illis feratis leges, ut si quis præfectus urbis fuerit bis, et quæ sunt ejus generis alia: at eosdem cum imperio esse perpetuo sinatis. Ac quod ad eos quidem attinet qui versantur in rebus gerendis excusationem fortassis habet: at tolerare cæteros qui, cum locum immunem occupent, ipsi prorsus nulla re occupantur, id extremæ stultitiæ est. Quin et e vobis ipsis, estis autem haud pauci, aliqui sunt adducendi. Nam si tanquam stateram appenderitis, præponderabit ipse qui erit dignus in posterum magistratu.

LIV.

Et honestum et decorum esse mihi videtur, Athenienses, ut qui

se utile aliquid reperisse putat ad dicendum surgat: sed cogere invitos ad audiendum, id ego prorsus esse turpe existimo. Spero autem, si mihi hodie auscultabitis, vos et id quod optimum est rectius electuros, et suggestum conscendentium sermones facturos esse breves. Quid igitur suadeo? Primum, Athenienses, ut de his ipsis quæ in deliberatione sunt prodeuntem quemque dicere jubeatis. Multa enim alia complecti oratione possis eaque dictu jucunda, si præsertim ut istorum quidam dicendo valeas. Quod si propter audienda verba convenistis, ea tum audiri tum dici debent: sin de rerum delectu deliberaturi, moneo vos ut ipsas res maxime nudas dijudicetis, repudiatis verbis omnibus quæ seducere possunt. Hoc igitur unum est quod dico: alterum illud, quod fortasse quibusdam admirabile videatur, ut, si orationes minui velitis, cum silentio auscultetis. Nam de eo quidem quod aut hæc aut illa conducant, aut quæ quibus in Republica præferenda sint, neque verba multa suppetunt, nisi quis frustra nugari velit, neque quisquam eadem inculcare denuo ausit: justum autem esse dicere ut aliquis audiatur, et ad tumultum respondere, et sermonem ex sermone serere, nemo est quin possit. Tumultuando igitur non liberamini orationibus, sed et supervacanea quædam audire necesse habetis. Mea vero sententia de his rebus de quibus deliberatis hæc est.

DEMOSTHENIS EPISTOLÆ.

I.

DE CONCORDIA.

Omnis et dicti et facti gravioris principia ducenda mihi videntur a diis immortalibus. Precor autem deos deasque omnes, ut, quod Atheniensi populo utilissimum est et populo bene cupientibus, id et nunc et posthac mihi veniat in mentem scribere, et Atheniensium concioni decernere. Hæc precatus, cum spe, mihi divinitus aliquid bonum venisse in mentem, sic scribo.

DEMOSTHENES SENATUI POPULOQUE S.

Quod de meo in patriam reditu semper omnibus vobis deliberandi copiam fore puto, nunc de eo nihil scripsi: cum vero videam hoc nunc esse tempus quo vos, si recta consilia sequamini, simul et gloriam et salutem et libertatem adipisci possitis non modo vobis sed et reliquis universis Græcis, sin erraveritis deceptive fueritis, non facile posse eandem occasionem recuperari, duxi meam quam de hisce haberem opinionem in medium esse proferendam. Difficile quidem est per literas pertexere consilium: multa enim vos ante rem cognitam soletis interpellare. Ac dicenti facile est, quid velitis animadvertere, quodque ignoratur recte explicare: libello autem nullum tale adjumentum suppetit contra tumultuantes. Si tamen audire voletis cum silentio et exspectabitis dum rem omnem cognoveritis, spero diis propitiis, quanquam breves hæ literæ sunt, fore ut appareat me et optimo studio ea conari pro vobis quæ deceant et quæ vobis expediant perspicue declaraturum. Neque vero eo consilio hasce ad vos dedi literas, quasi vobis desint oratores, aliive qui impræmeditati quicquid in mentem inciderit dicant: sed, quæ per experientiam et ut in gerendis rebus versatus habeo cognita, iis expositis, dicendi in publico studiosis uberem eorum quæ esse putem e Repub. materiam suppeditare, vulgo optimorum consiliorum delectum facilem reddere volui. Ac cur hanc epistolam scribere instituerim, hæc sunt. Primum omnium, Athenienses, vos concordes esse propter communem civitatis utilitatem oportet ortasque in prioribus conventibus missas facere dissensiones, deinde consentientibus animis omnes alacriterque quicquid decretum fuerit adjuvare: nihil enim constanter simpliciterque agere non modo est indignum vobis et animi parum generosi, sed summo etiam cum periculo conjunctum. Jam nec illud vobis ignorandum est ea, quæ per se ad statum rerum vestrarum tuendum satis non sunt, si ad reliquas copias adjungantur, effectura, ut multo facilius

omnia consequamini. Quæ igitur illa sunt? Neque civitati ulli, neque ullis viris qui cujusque urbis vetera instituta defenderunt, irascendum est, sed delenda potius ex animis memoria injuriarum. Nam istiusmodi metus efficit, ut qui se fœderatis, in manifesto periculo versantibus, necessarios esse sciunt, opem iisdem promptissime ferant: qui metu isto liberati omnes fient mitiores. In quo non parva est utilitas. Ac oppidatim proclamare talia stultum fuerit, imo ne fieri quidem id potest: sed prout vos cum civibus vestris egisse viderint, ita efficietis ut quisque cum cæteris etiam actum iri exspectet. Proinde censeo neque civitatem, neque ducem, neque oratorem, neque plebeium quemquam eorum, qui antehac eum defendisse statum qui tum fuit visi sunt, a quoquam ullo modo vel taxandum vel objurgandum: sed concedendum esse hoc, omnes cives ea egisse quæ oportuerit, postquam benignitate deum conservata republica vobis licitum est de integro, vestro arbitratu, deliberare, et cogitandum, quemadmodum in navi, cum hi velificatione, illi remigatione utendum censent, dici ab utrisque omnia propter salutem tuendam, id vero prælatum esse consilium quod cum deorum voluntate congruerit. Quod si de præteritis ad hunc modum statueritis, et fidem invenietis apud omnes, et officio bonorum virorum fungemini, et res vestras non parum erigetis, et eos qui in urbibus adversati vobis fuerunt eo redigetis, ut aut consilia mutent omnes, aut omnino aliqui esse in culpa ipsi videantur. Quæ igitur e Republica sunt, ea magnis animis et civiliter administrate, et privatarum rerum recordamini. Atque hæc ego moneo, non eandem humanitatem expertus apud nonnullos, sed per injuriam et seditionem in aliorum gratiam quasi propinatus. Verum nec privatæ explendæ iracundiæ gratia reipublicæ commodis nocendum puto, neque ullam privati odii partem publicis utilitatibus admisceo: sed ad quæ alios adhortor, ea mihi primo esse facienda censeo. Quæ igitur præparanda, quæque cavenda sunt, et quibus agendis (quantum quidem humano consilio provideri potest) prosperrimo uti successu posse videamini, fere a me est explicatum: quotidianis autem negotiis præesse, et casibus subitis recte uti, et cujusque rei intelligere occasiones, et judicare, quæ res benignitate verborum obtineri possint, quæ item vi extorquendæ sint, ducum officium est qui rebus administrandis sunt præfecti. Qua etiam de causa durissima est dicendæ in concilio sententiæ provincia: nam recte consulta et magno studio laboreque probata sæpe propterea corrumpuntur, quod ii qui ea in mandatis habent aliter exsequuntur. Nunc tamen bene successura esse omnia spero. Nam si quis Alexandrum eo fortunatum putat, quod ei prospere successerunt omnia, is illud reputet, eum agendo et laborando et audendo, non desidendo, fuisse fortunatum. Posteaquam igitur nunc mortuus est, fortuna quærit aliquos quibus adsit. Ii vos esse debetis; et duces per quos geri necesse est quam benevolentissimos copiis præficere: quodque unusquisque vestrum facere poterit et volet, id ad seipsum dicat et promittat, caveatque ne fallat, neque tergiversandi gratia sibi data esse verba, non persuasum esse, causetur. Quicquid enim vos neglexeritis, id qui resarciat neminem invenietis: neque idem periculum est in iis rebus, quas tum cum voletis agere licebit, consilia sæpe mutare, et in iis propter quas bellum erit gerendum, sed in hujusmodi rebus sententiæ mutatio non est aliud quam consilii et instituti clades. Ne vero tale quippiam committite, sed, quicquid acturi estis, id generosis et paratis animis decernite; et ubi semel decreveritis, ductu et auspiciis tum Dodonæi Jovis tum reliquorum deorum, qui multa vobis et præclara et bona et vera oracula reddiderunt, illorumque ope implorata, votisque pro victoria iis omnibus nuncupatis, adjutrice fortuna propitia libertatem Græcis restituite. Valete.

II.

DE SUO REDITU.

DEMOSTHENES SENATUI POPULOQUE S.

Existimabam pro meis in Rempublicam meritis, me non modo insontem non ita tractatum iri, sed mediocrium etiam peccatorum, si quam forte culpam contraxissem, veniam impetraturum. Postquam vero ita accidit, dum videbam a vobis, nullis criminibus per senatum aperte demonstratis et probatis, ex istorum arcanis consiliis condemnari omnes, non minus vos de vestro jure concedere quam me fraudari existimans, ferendum æquo esse animo putavi: nam iis assentiri juratos judices, quæ senatus sine ulla probatione affirmarit, de reipublicæ jure concedere fuit. Quia vero jam pro vestra prudentia eum principatum, quem in senatu quidam sibi parare conabantur, animadvertistis, et in judicandis causis argumenta spectastis, istorumque arcana digna esse reprehensione deprehendistis, decere censeo, si quidem id vestra etiam voluntas feret, me quoque ita restitui in integrum, ut ii restituti sunt qui in simili crimine fuerunt, ne solus ego falsum ob crimen patria fortunisque, et conjunctissimorum consuetudine caream. Jure autem vobis, Athe-

nienses, salus mea curæ fuerit, cum quod nulla vobis a me orta injuria ita sum tractatus, tum propter vestram apud exteros existimationem. Neque enim putetis, si nemo vobis in memoriam redigit ea tempora easque occasiones, quibus ego maximas utilitates attuli Reipublicæ, reliquos etiam Græcos ignorare aut oblitos esse rerum a me pro vobis gestarum, quas ego nunc duabus de causis scribere vereor singulatim: tum quod invidiam reformido contra quam in veritate orationis præsidii nihil est, tum quod multa et indigna illis rebus propter reliquorum Græcorum ignaviam nunc tolerare cogimur. Summatim vero illiusmodi ea sunt, quæ pro vobis ego suscepi, ut et omnibus felicitas, virtusque vestra admirationi esset, et ego summorum a vobis præmiorum spem propositam haberem. Cum vero inevitabilis illa quidem, sed iniqua fortuna, non ex æquitate, sed pro sua libidine, susceptum pro libertate Græcorum, quod vos gessistis, bellum dijudicasset, nec reliquo tempore meam erga vos benevolentiam abjeci, nec eam ulla re mutavi, non gratia, non spe, non divitiis, non potentia, non securitate. Quanquam videbam omnia hæc iis contingere, qui contra vos rempublicam gerere vellent. Quod vero in multis et magnis rebus, quibus mihi jure gloriari licet, maximum existimarim, non dubitabo scribere ad vos, cum Philippus inter eos qui ab omni ævo memorantur solertissimus fuerit ad hominum voluntates comitate et affabilitate sic sibi devinciendas, ut ad nutum paratos haberet, et largitionibus omnes quorum aliqua esset in Græcis urbibus auctoritas corrumpendos, me solum ab horum neutro esse victum: id quod etiam nunc vobis gloriosum est: quanquam sæpe congressus et collocutus sim cum Philippo iis de rebus propter quas vos me legatum mittebatis, et magnam pecuniam quam ille offerebat repudiasse, quarum rerum conscii multi etiam hodie vivunt. Quos quid de vobis judicare consentaneum sit, cogitate: quod enim talem ita tractastis, id meæ quidem calamitati scilicet tribuetur, sceleri nequaquam, vestræ autem iniquitati, quam infamiam consilii mutatione delebitis. Jam ea quæ dixi omnia minora puto continente et quotidiana reipublicæ administratione, in qua ita me gessi, ut neque ulli iracundiæ, neque simultatibus, neque injusto quæstui, vel publico vel privato, servierim, neque ullum unquam vel civem vel hospitem sim calumniatus, neque contra vos privatim facultate mea usus, sed, si quid opus esset, publice pro vobis in procinctu steterim. Quod cum natu grandiores norint, æquum est ut junioribus concionem adversus Pythonem Byzantium habitam indicetis, cum adductis Græcorum legatis affuit, injurias nostræ urbis ostensurus: et contrarium ejus quod sperarat expertus recessit, ubi ego solus oratorum illius temporis vestram causam defendi. Omitto quot legationes pro vobis obierim, in quibus omnibus nullum unquam vel minimum detrimentum cepistis. Ea enim, o Athenienses, in Republica ratio mea fuit, non ut vos alios alii vinceretis aut ut civitatem contra semetipsam acuerem, sed ad ea vos incitavi, unde gloriam et magnanimitatis opinionem relaturos vos arbitrarer. Quæ cum omnes, tum vero adolescentes, admirari debent, nec eum requirere solum qui captator auræ popularis vulgique cupiditatum administer omnium in republica sit—talium enim nulla unquam penuria futura est—, sed eum etiam qui bono studio vestra errata reprehendat. Quin et alia multa prætereo, propter quæ alius, qui nullam aliam navasset operam, jure suæ salutis haberi rationem postularet, ut ædilitia munera, ut triremium instructiones, ut largitiones pecuniarias, omnibus necessariis temporibus: quibus me non modo primum succurrisse constabit, sed alios etiam esse adhortatum. Quorum singula cogitate, Athenienses, quam ea calamitate indigna sint quæ me oppressit. Cum vero plurimis nunc in malis verser, quid primum deplorem dubito. Utrum ætatem, qua periculosum exsilium experiri præter consuetudinem et dignitatem cogor? an ignominiam, quod nullius criminis convictus et reus peractus damnatus perii? an spem, qua frustratus, hæreditatem eorum malorum, quæ aliis debebantur, cepi? Neque enim ego vel Harpali amicus fui, vel propter priora mea acta in republica pœnas dare debeo, cum et ea quorum accusabar probata non sint: et ex omnibus de Harpalo factis decretis sola ea quæ ego egi civitatem omni crimine liberarint. Ex quibus omnibus perspicitur, me temporibus circumventum, non scelerum damnatum, injuste eam qua in omnes reos uti soletis iracundiam experiri, propterea quod ego primus in judicium veni. Nam quid ego æqui pro mea defensione non attuli, ex iis quæ postea cæteros reos conservarunt? aut quid amplius vel nunc dicere quisquam possit? Nemo certe: nam quæ facta non sunt, ea facta ut sint efficere nemo potest. Sed de his quanquam scribere multa possem, desino, quod innocentiæ conscientiam experientia me docuit ad juvandum parvas habere vires, ad augendum autem animi dolorem omnium esse acerbissimam. Postquam vero pro vestra sapientia reis omnibus reconciliati estis, et mihi reconciliamini, o Athenienses: neque enim, testor deos et heroes, ulli vestrum injuriam feci,—et mihi omnis anteacta vita mea testimonio est, cui merito plus fidei haberetur a vobis quam isti crimini, quod nunc in me conjectum illud quidem est, sed probatum et demonstratum non est—, neque me pessimum aut minimæ fidei esse inter eos quos calumnia impetiit deprehendetis. Jam ob discessum meum jure irasci mihi non potestis: neque enim ideo abii, quod aut de vobis desperarem aut uspiam alio respicerem, sed primum carceris ignominiam animo ferebam graviter, deinde propter

ætatem afflictationem illam corporis perpeti non poteram. Denique et vos non nolle putabam illam contumeliam me effugere, quæ neque vos quicquam juvabat et me perdebat. Me autem vestri neque cujusquam alterius fuisse studiosum, multis indiciis deprehendetis. Nam et in urbem me contuli, non in qua me splendidissime victurum confiderem, sed quo etiam majores nostros, Persici belli discriminibus circumventos, venisse sciebam, et quam vobis esse benevolentissimam intelligebam. Est autem ea Trœzeniorum, cui precor ut dii potissimum immortales tum ob benevolentiam erga vos tum ob collata in me beneficia bene velint omnes, deinde ut et ego a vobis conservatus gratiam referre possim. In qua cum quidam gratificandi mihi studio, vos ob istum in me admissum errorem reprehendere conarentur, ego summa qua me decuit æquitate vos defendi. Eamque ob causam in primis factum esse arbitror, ut mihi honos publice haberetur. Cum vero hominum benevolentiam insignem quidem illam, sed vires in præsentia esse minores, cernerem, digressus in Neptuni templum in Calauria me contuli, non modo quod propter numinis religionem me ibi tutiorem fore spero—nec enim id exploratum habeo: nam quæ res in aliorum potestate sitæ sunt, eæ spem tenuem et obscuram periclitanti suppeditant—, sed eo etiam quod hinc quotidie patriam intueor, in quam tantæ mihi sum benevolentiæ conscius, quantam utinam a vobis consequar. Ne igitur, Athenienses, diutius etiam his malis angar, ea mihi decernitote, quæ jam aliis quoque nonnullis tribuistis, ut neque indignum vobis aliquid mihi usuveniat, neque aliis supplicare cogar: id quod nec vobis honestum esset. Nam, si vestra iracundia placari mihi nulla ratione potest, mori me præstiterit. Jure autem hoc animo esse me neque sine re hæc jactare credetis: nam et vestram auctoritatem subii et judicium non detrectavi, ut neque veritatem indefensam desererem neque vestrum quisquam in me potestatem non haberet, sed ut vestro arbitratu de me statueretis: arbitrabar enim eos, qui omnia in me ornamenta contulissent, etiam erga me, si ita vellent, delinquendi habere potestatem oportere. Quia vero justa fortuna, ita uti decuit, injusta superata bis vobis iisdem de rebus statuendi facultatem dedit, propterea quod nihil in me cui mederi non liceat statuistis, servatote me, Athenienses, et quæ tum vobis ipsis tum me digna sunt decernitote. Nihil enim a me perperam et scelerate factum reperietis, neque me commeritum ut vel dignitate vel vita spolier, sed et multitudinis ita esse studiosum ut qui maxime, ne quid invidiosum scribam, et pulcherrima ex his qui adhuc vivunt pro vobis gerenda suscepisse, maximaque e meis æqualibus benevolentiæ erga vos indicia reliquisse. Neque vero quisquam vestrum putet, Athenienses, me vel ex imbecillitate animi vel ulla alia turpi de causa

per totam epistolam lamentari. Nam ego nunc iis conflictor rebus, quod utinam esset aliter, eo modo quo quisque talibus in malis sibi indulget, ut doloribus et lacrymis et patriæ vestrique desiderio et ærumnarum mearum consideratione, quæ omnia mihi querelas eliciunt: quæ si cum æquitate reputabitis, in nullis meis vestrarum rerum administrationibus vel mollitiei vel timiditatis argui me posse reperietis. Et hæc hactenus ad omnes vos: privatim vero cum iis qui me lacessunt coram vobis volo disputare. Nam ea, in quibus vestræ ignorationi subservierunt, propter vos ab eis facta sunto, neque ego accuso quicquam. Postquam vero cognovistis vos illa cujusmodi sint, si, ut reliquos missos faciunt, ita et me quiescere sinent, recte facient: sin exagitare me instituerint, peto ut vos omnes opem mihi feratis, neque committatis ut istorum odia plus valeant quam vestra benevolentia. Valete.

III.

DE LYCURGI LIBERIS.

DEMOSTHENES SENATUI POPULOQUE S.

Quæ meis in rebus jure a vobis tribui mihi putarem, superioribus exposui literis: quæ cum vobis videbitur, mihi concedetis. Hæc autem de quibus nunc scribo, non negligi a vobis, neque adversandi sed æquitatis studio cognosci, velim. Contingit enim mihi, quanquam peregre degenti, multos audire qui vos ob ea quæ Lycurgi liberis acciderunt reprehendant. Ac literas hasce misissem propter res etiam ab eo vivente gestas, de quibus æque mecum omnes, si voletis officio fungi, gratiam ei habebitis. Qui ut primum ad Rempublicam accesserat, in curatione vectigalium urbanorumque munerum se collocavit, de statu Græciæ ac sociorum nihil scribere solitus; cum vero eorum etiam, qui præ se populi studium ferebant, plerique vos deseruissent, populi partibus se addixit, non quod inde munera et reditus capere liceret—nam adversæ factioni hæc omnia proposita erant—, neque quod has partes magis extra periculum esse videret—multa enim et manifesta pericula res habebat, quæ ei, qui populi auctoritatem dicendo agendoque tueretur, adire necesse erat—: sed quod natura popularis et vir bonus fuit. Quanquam autem coram videbat tam eos, qui populo opem ferre

cuperent, propter acceptam cladem esse infirmos, quam adversarios viribus ab omni parte suffultos: nihilominus tamen ipse in ea quæ populo commodarent incumbebat; ac postea strenue palam et dicebat et agebat ea quæ conveniebant: ob quæ statim, ut omnes norunt, ad supplicium deposcebatur. Scripsissem igitur, ut principio dixi, et in illius gratiam: sed tamen cum et vobis expedire putem, ut convicia quæ apud exteros in vos dicuntur sciatis, multo magis ad literas mittendas sum incitatus. Peto autem, ut qui privatim illi iniqui sunt, vera et æqua de eo audire non graventur. Nec enim, Athenienses, ignorare debetis, existimationi urbis ex his quæ in ejus liberos facta sunt labem adspergi. Nemo enim Græcorum ignorat, vos viventi Lycurgo summos honores habuisse, cumque ei plurima crimina ab ejus invidis impingerentur, nullum unquam verum deprehendisse, tantam autem fidem habuisse et præ omnibus popularem judicasse, ut de multis causis e sola Lycurgi affirmatione sententiam ferretis, eaque vobis satis esset: id quod minime fecissetis, nisi vobis visus fuisset homo integerrimus. Nunc igitur omnes, qui filios ejus in vinculis esse audiunt, et defunctum miserantur, et liberorum ejus ut cum quibus inique agatur vicem dolent, vos vero tam acerbe insectantur, ut ego scribere non ausim: nam ea quæ invitus audio et propter vos defendendos quantum possum refuto, eatenus ut vobis indicem multos esse a quibus reprehendamini, quod scitu vobis esse utilia judicabam, scripsi, accurate autem edisserere molestum judico. Quæ vero sine convicio a quibusdam dicuntur, et auditu fore utilia vobis arbitror, significabo. Nemo vos per errorem et ignoratione veri ita de ipso Lycurgo statuere existimat. Nam et longum temporis spatium, quo exploratus nihil unquam contra vos vel cogitare vel agere injustum deprehensus est, et illud quod mortalium nemo ullis aliis in rebus vos stuporis arguit, merito istam tollit ignorantiæ suspicionem. Restat igitur, quod omnes haud frugi hominum esse dicant, ut tantisper cujusque curam, dum ejus vobis usus est, agere videamini, post nullam rationem habeatis. Quam enim aliam vos defuncto gratiam relaturos consentaneum est, cum ejus liberos et existimationem lædi videamus, quæ sola, ut in tuto collocentur, etiam morientibus omnibus curæ sunt? Jam nec illud bonorum virorum est ut ista pecuniæ gratia facere videantur: id quod neque magnitudini animi vestræ, nec reliquo vitæ instituto congruere apparebit. Nam si vobis illi tanti ab aliis redimendi essent, e vestro ærario deprompta pecunia, id vos omnes cupide facturos existimarem: de eo vero, quod per calumniam et ex invidia factum sit, non habeo quid statuam, nisi prorsus acerbe insectari et proturbare populares homines instituistis. Quod si ita est, neque recte neque utiliter facere

decrevistis. Miror autem, si nemo vestrum cogitat, turpe esse ut populus Atheniensis, sapientiæ doctrinæque opinione præstans omnibus, ad quem in calamitatibus tanquam ad commune asylum confugi solet, Philippo inhumanior videatur, qui (ut in potestate regia educatum probabile est) a nemine admonitus, tamen cum secundissima fortuna usus esset, humanitatis se maxime esse memorem oportere censuit, et ab iis qui adversus ipsum in acie steterant, et cum quibus de summa rerum depugnarat, qui et cujates essent neque perquirere neque prodere ausus: etenim, ut apparet, non ut plerique vestri oratores, eadem in omnes esse vel justa vel honesta putabat, sed ratione habita dignitatis etiam talia concludebat et decernebat. Vos autem, qui estis Athenienses, et liberali doctrina perpoliti, quæ stupidos etiam efficere tolerabiles putatur, primum, quod omnium iniquissimum est, quarum rerum patrem accusant quidam, ob eas filios in vincula conjecistis; atque ita agere perinde esse dicitis, ac si æqualitatem in ponderibus aut mensuris quæreretis, et non de virorum instituto vitæ et ratione reipublicæ consultaretis: in qua quidem inquisitione, si bona et popularia et studio Reipublicæ juvandæ suscepta Lycurgi acta videbuntur, non modo nullo affici malo, sed quibusvis a vobis ornari beneficiis ejus liberos, æquum est; sin contraria, illum, dum viveret, pœnas dedisse oportuit, hos vero ne sic quidem, propter objecta patri a quibusdam crimina, per iracundiam plecti. Omnibus enim omnium delictorum quasi meta est obitus. Quod si hoc eritis animo, ut aliqui populi studiosis irati ne cum mortuis quidem in gratiam redeant, sed inimicitias etiam ad liberos usque propagent tradantque posteris, populus autem, cujus causam quique populares agunt, dum horum opera utitur, beneficiorum meminerit, postea floccifaciat, nihil erit miserius quam populi tueri partes. Quod si Mœrocles respondet, hæc argutiora esse quam quæ intelligat, se vero eos, ut ne effugerent, in carcerem compegisse, quæritote ex eo, cum Taureas et Patæcus et Aristogiton atque ipse in carcerem traditi non modo vincti non fuerint sed et conciones habuerint, cur istam æquitatem non perspexerit. Sin se tum magistratu quidem esse functum dicet, sed orationes in publico non habuisse, idque permissum sibi fuisse legibus: æquum esse qui potest, ut magistratu fungantur hi, quibus verba facere non licet, illi vero in vinculis teneantur, quorum de vobis sæpe bene meritus fuit pater? Ego quidem hæc conjungere et concludere non possum: nisi hoc publice vultis ostendere, et væcordiam et impudentiam et affectationem improbitatis in civitate valere et majorem habere spem incolumitatis, ac, si quid secus acciderit, tales absolvi; meliorem autem tueri partem vitamque modestam et popularem instituere periculosum esse, ac,

si quid erretur, nullam veniæ spem esse propositam. Ad hæc non esse justum omnino, aliter quam de vivente sentire, decereque ut defunctorum potius quam viventium rationem habeatis, et quæ sunt ejus generis, omnia missa faciam: quod ea in confesso esse apud omnes existimo. Sed quam multos ob paterna beneficia honorastis, tam multis etiam aliorum posteris similem referri gratiam vellem. Neque vero hæc quod reprehenderem attuli. A quo tantum absum, ut eam rem maxime esse e republica ducam: incitatis enim omnes ista ratione ad populum colendum, quippe qui videant, tametsi viventibus obstet invidia quo minus honores meritos consequantur, suis tamen liberis digna præmia esse apud vos reposita. An non igitur absurdum atque adeo turpe est, vos quibusdam aliis, licet ex quo usui fuerunt multum temporis intercesserit, judicio de illorum beneficiis ex fama non ex iis quæ vidistis facto, tamen justam benevolentiam constanter tribuere: Lycurgum autem, qui nuper adeo et reipublicæ præfuit et vitam cum morte commutavit, ne in iis quidem vos, quæ superiori tempore hominibus perditis quoque et in vos injuriis tribuebatis, misericordia dico et humanitate, similes eosdemque experiri, præsertim cum in ejus liberos supplicium redundet, quorum etiam hostem, si moderatus sit et mente utatur, miseresceret. Quin illud etiam demiror, si quis vestrum hoc ignorat, non esse e republica palam fieri eos, qui aliorum quorundam amicitiam sibi adjunxerunt, et cum res prospere cedunt, in omnibus esse meliore conditione, et cum fortuna reflarit, facile periculis liberari: cum his vero, qui toti a populo pendent, non modo aliis in rebus pejus agi, sed solis etiam his firmas permanere calamitates. Atque hoc ita fieri, ostendi facile potest. Quis enim vestrum ignorat accidisse ut Laches Melanopi filius similiter judicio vinceretur, ut etiam nunc Lycurgi liberi, sed propter Alexandri literas omne debitum ei esse condonatum? Et rursus Mnesibulum Acharnensem æque convictum et judicum sententia damnatum, ac Lycurgi liberos, esse tamen (quod equidem gaudeo) ut merebatur absolutum? Neque quisquam istorum qui nunc clamitant, propterea leges everti, queri potuisset. Idque merito. Nec enim evertebantur, cum omnes leges propter æquitatem et salutem bonorum et frugi hominum ferantur, cumque nec calamitates effici immortales nec ingratos videri expediat. Atqui si hæc ita, ut pronunciamus, se habere conducit, non modo leges non evertebatis, cum illos absolveretis, sed vitam etiam civium, quorum leges auctoritate sanciuntur defendebatis, Lachete ad preces Alexandri absoluto, Mnesibulo propter vitæ frugalitatem et modestiam conservato. Ne igitur ostendite utilius esse externas parare amicitias, quam populi fidei semetipsum committere, neque præstare ignoto alicui esse notum quam rempublicam ex utilitate populi administrare. Nam, ut is, qui suadet aliquid aut magistratu fungitur, placeat omnibus, fieri non potest: tamen, siquis populi rebus ex animo consultum cupit, dignus est qui conservetur. Quod nisi fiet, docebitis omnes, alios potius esse colendos, quam populum, et cavendum esse nequis aliquid utile vobis gessisse intelligatur. Omnino autem commune probrum est, Athenienses, et totius civitatis calamitas, quod invidia plus valere apud vos quam gratiæ putatur: cum præsertim illa morbus sit, hæ in deorum numerum referantur. At nec Pytheam prætermittam qui pro suggesto duntaxat popularis est, postea vero paratus ad omnia quæ vobis adversantur. Quem, dum vestras in gerenda republica et concionibus habendis partes tuebatur, quis nescit ut servum agitari et peregrinitatis accusari solitum propeque vænundatum ab istis, quibus nunc inserviens orationes illas contra me scripsit? Postquam autem ipse nunc ea facit, propter quæ tum alios criminabatur, ita esse locupletem, ut et duas meretriculas alat, quæ ad tabem eum usque, optimæ sane mulieres, redegerunt; et quinque talenta mulctæ nomine facilius nunc solverit, quam olim totidem drachmas solvere potuisset, et præter hæc a vobis non modo admissum ad gubernacula civitatis, quod commune probrum est omnibus, sed et patria sacra Delphis pro vobis fecisse? Quod si talia et tanta exempla viderint omnes, de quibus nemo est quin populi deligere et tueri partes perniciosum esse judicet, vereor ne aliquando nulli futuri sint qui causam vestram tueantur, si præsertim alios naturæ debitum et fortuna et ætas sustulerit, ut Nausiclem, ut Charetem, ut Diotimum, ut Menestheum, ut Eudoxum, prætereaque Eudemum et Ephialtem et Lycurgum, alios ipsi projeceritis, ut Charidemum et Philoclem et me, quibus vos nec ipsi ullos vestri esse stodiosiores putatis: si vero quosdam æque studiosos, non invideo. Vellem autem, si vos ita ut æquum est eos tractabitis, neque ita ut nos male mulctabitis, eos esse posthac quamplurimos. Sin talia, qualia nunc, exempla edideritis, quis est, qui se toto animo in istum ordinem dare velit? Qui quidem simulent, ut hactenus, sic etiam deinceps, non deerunt. Absit autem ut eorum animi sic palam conspiciantur, ut istorum, qui quæ tum palam inficiabantur, ea nunc ita agunt, ut neminem vestrum vel metuant vel revereantur. Hæc igitur cogitanda sunt, Athenienses, neque vel benevoli negligendi, vel iis qui civitatem ad acerbitatem sævitiemque impellunt auscultandum. Nam hic rerum status multo magis benevolentiam et humanitatem flagitat quam tumultus et simultates, quas quidam in immensum exaggeratas usurpantes contra vos operam locant ad ea negotia con-

ficienda, quæ dii prohibeant ne ad exitum perducantur. Si quis autem vestrum hæc cavillatur, is est magna væcordia refertus. Qui, cum ea facta esse videat, quæ nemo futura metuebat, et olim etiam facta sunt, cum populus per homines insidiatores impulsus eos a quibus defendebatur suspectos habere atque odisse cœpit, nunc esse futura non putat, nonne insanit? Hæc, si adessem, coram vobis explicarem: postquam vero mecum ita agitur, ut cum eo velim agi, cujus mendaciis effectum est ut ego perierim, per literas vestri et honoris et commodi ratione in primis habita significavi, secundo loco æquum esse censeo ut, qua benevolentia Lycurgum viventem sum prosecutus, eandem erga ejus quoque liberos præ me feram. Si cui vero fortasse in mentem venit, mihi multum esse otii a rebus meis, illi ego respondere non dubitem, me de vestra utilitate et omnium amicorum defensione non minus esse, quam de mea salute solicitum. Nulla igitur curiositate hæc facio, sed ut idem studium idemque institutum teneo, sic et hæc et illa pari animo suscipio. Otii vero tantum mihi superest, quantum illis qui vobis male volunt superesse velim. Ac de his quidem satis. Velim autem pro benevolentia et amore meo nunc breviter queri vobiscum, id quod paulo post per longas literas, quas, si vixero, a me exspectabitis, faciam, nisi prius a vobis jus meum fuero consecutus. Quos, o—quid dicam ut neque errare neque mentiri videar?—nimirum negligentes, neque aliorum neque vestri ipsorum pudet, ob ea Demosthenem ejecisse, propter quæ Aristogitonem indemnem dimisistis: quæque iis, qui vos floccifacere audent, non accepta a vobis tenere licet, ea non dare mihi, ut et ære alieno redacto et liberalitate amicorum sublevatus vobis satisfacere possim, ut ne senectutem et exsilium mercedis loco pro meis vestra causa exantlatis laboribus accipiens, commune probrum eorum qui me læsere injuria, peregre in hominum conspectu verser. Quum autem ego velim vestro beneficio et pro magnitudine animorum vestrorum ab exsilio domum revocari, eaque infamia quæ me immerentem obruit liberari, fidemque publicam non diutius petam quam quantum mihi temporis ad solvendam mulctam præfinivistis: et hæc denegatis, et interrogatis, ut mihi renunciatur, quis ergo me prohibeat venire et hæc agere? Quod vereri didici, Athenienses, et longe alia fortuna sum, quam mea in vos et rempublicam facta merebantur, et quod rei familiaris propter quosdam jacturam feci, ne illi duplum solvere cogerentur, cum simplum non possent, satisdare initio pro mea facilitate pollicitus: a quibus adjutrice vestra benevolentia reversus, partem saltem, si non totum, recuperarem, ut reliquum vitæ tempus citra dedecus exigere liceret; quod si vero ita, ut isti qui jactant talia jubent, venero, simul et ignominia et inopia et metu conflictabor. Quorum vos nihil consideratis, sed verba et humanitatem mihi invidentes, me vestra culpa, si fors ita tulerit, interire sinetis: neque enim aliis quam vobis supplex esse possum. Ac tum sortem meam, satis scio, miseraturi estis, cum querelæ neque mihi neque vobis quicquam proderunt. Nam alias opes, præter eas quæ notæ et ereptæ mihi sunt, habere ne me exspectetis. Reliquias igitur, si omissa contentione id pro humanitate vestra mihi tuto facere concesseritis, conquiram. Neque enim ab Harpalo me aliquid accepisse ostendetis: nam neque convictus sum, neque accepi. Si vero senatus obscuram auctoritatem aut vicum Martium intuemini, judicii de Aristogitone facti recordati erubescite. Non enim aliud habeo levius quod mandem iis qui ad istum modum in me deliquerunt. Nec enim iisdem rationibus utique ab eodem senatu promulgatum, illum dimitti æquum esse dicetis, me vero interire: non adeo vos incogitantes estis. Neque enim mereor neque dignus neque illo deterior sum, sed infelicem quidem vestra causa. Confiteor: quis enim infelicem me esse neget, cui ad mala cætera id quoque accedit ut cum Aristogitone me comparem, præsertim perditum cum incolumi? Neque hæc iracunde a me dici putetis (neque enim ego vobis irasci queam); sed ut suspiria dolentibus, sic affectis injuria conquestiones levamenti aliquid afferre solent: nam vobis quidem tam bene cupio, quam vos mihi optarim. Et hoc in omnibus rebus et declaravi, et declarabo: nam initio statim animum induxi meum, quisquis ad rempublicam accesserit, modo bonus civis esse velit, eum sic erga omnes cives affectum esse decere, ut liberos erga parentes, ut eos quidem quam æquissimos experiri optet, sed qualescunque fuerint ferat æquo animo. Ita enim vinci præclarum est et a prudentibus victoria conveniens existimatur. Valete.

IV.

ADVERSUS THERAMENIS MALEDICTA.

DEMOSTHENES SENATUI POPULOQUE S.

Audio de me Theramenem, cum alia dixisse contumeliosa, tum vero exprobrasse infelicitatem. Eum igitur ignorare, convicio, quo nulla ejus, cui fit, declaretur improbitas, apud homines cordatos nihil profici, non miror. Nam et in vita confidentem, et non natura civem, et a puero in prostibulo educatum, nescire hæc quam intelligere facilius credi potest. Cum eo igitur, si quando rediero, et mansero incolumis, disputare conabor de ipsius et in me et in vos contumeliis, eumque spero me, quamvis ab omni verecundia sit alienus, modestiorem effecturum: vobis autem publici boni causa volo per literas, quæ hisce de rebus dicenda habeo, significare. Quæ vobis diligenter animadvertenda sunt, ut mea quidem sententia non tantum auscultatione digna, sed etiam memoria. Ego vestram urbem omnium urbium fortunatissimam existimo et diis carissimam: et hæc testari de vobis et Jovem Dodonæum et Dionen et Pythium Apollinem perpetuo, et obsignare insuper bonam fortunam esse in urbe vestra. Jam quæ de futuris rebus significant dii, ea eos prædicere perspicuum est: a præteritis autem petitas appellationes rebus quæ factæ sunt tribuere. Ego autem quæ apud vos egi in republica, ex iis sunt quæ jam præterierunt, ob quæ dii vos felices nominarunt. Quo igitur pacto æquum est vos qui paruistis felices dici, eum vero qui suasit contrarium cognomen sortiri? Nisi quis hoc fortasse dixerit, communem felicitatem, cujus ego fui suasor, deos esse qui nominent, quibus mentiri nefas est: privatum autem convicium, quo in me usus est Theramenes, hominem audacem et impudentem et rationis etiam expertem jactasse. Neque vero solum e deorum oraculis bonam esse qua estis usi fortunam reperietis, sed ipsis etiam eventibus, modo recte judicare libeat, consideratis. Vos enim, si ut homines negotia considerare vultis, felicissimam e meis consiliis urbem esse factam reperietis: sin, quæ dii soli eximia tenent, vos consequi postulatis, ea quæ fieri nequeunt affectatis. Quid igitur dii eximium hominibus negatum habent? Ut bona omnia in sua manu et potestate teneant eaque tum servare ipsi tum donare cæteris possint, utque mali nihil ab omni ævo vel passi vel passuri sint. Jam his jactis fundamentis, quemadmodum decet, vestrum statum considerate et cum cæterorum fortuna conferte. Nemo enim ita væcors est, qui vel

quæ Lacedæmoniis accidere, quibus ego nihil consului, vel quæ Persis, ad quos ego nunquam perveni, isti vestro statui dicat anteferenda. Omitto Cappadoces et Syros et Indicæ regionis homines in ultimis terris habitantes: quibus omnibus usuvenit ut multa et acerba et gravia sustinerent. At Hercule felicius agi vobiscum quam cum hisce omnibus fatebuntur omnes, deterius autem quam cum Thessalis et Arcadibus et Argivis, et quibusdam aliis quibus accidit ut Philippi societatem colerent? At minore quam hi ipsi etiam incommodo recessistis, non eo tantum quod non serviistis—quo quid majus fieri queat?—, sed ob illud etiam quod istis omnibus clades a Philippo illatæ Græcis et oppressio libertatis imputatur; unde merito in odio sunt: vos autem pro salute Græcorum et corpora et opes et urbem et agros in discrimen adduxisse constat; unde consentaneum est et vos florere gloria et apud homines æquos et gratos gratiam inisse immortalem. Fuit igitur hic meorum consiliorum eventus, ut vestra urbs ex his quæ restiterunt prosperrima fortuna utatur, illis quæ Philippum adjuverunt gloria præstet. Proinde ob hæc dii vobis bona illa oracula reddunt, iniquum autem maledictum in conviciatoris caput retorquent. Quod ita intelligetur, si quis ejus quotidianæ vitæ consuetudinem spectare instituerit. Nam quæ illi impreceris, ea ipse de industria facit; qui parentes odio, Pausaniam pædiconem amore, prosequatur: qui insolenter se ut virum jactet, cum muliebria patiatur: patre superior, turpitudine inferior: qui earum rerum propter quas illum omnes aversantur, obscœna commemoratione suum ipse animum oblectet, iisque narrandis recreetur, quæ nauseam audientibus moveant: neque tamen, ut homo simplex atque ingenuus, desistere potest. Hæc ego non scripsissem, nisi commovere vestram qua comprehensa latent ejus flagitia memoriam voluissem. Nam, quæ dictu parum verecunda sunt, ea nec satis honeste scribi possunt; atque vel hæc vobis arbitror auditu fuisse molesta: his enim admonitus unusquisque vestrum multa ejus et atrocia et fœda flagitia meminit. Fit igitur, ut nec ego quicquam turpe dixerim, et iste, quoties in publicum prodierit, suarum fœditatum omnibus monimentum exhibeat. Valete.

IV.

ADVERSUS THERAMENIS MALEDICTA.

DEMOSTHENES SENATUI POPULOQUE S.

Audio de me Theramenem, cum alia dixisse contumeliosa, tum vero exprobrasse infelicitatem. Eum igitur ignorare, convicio, quo nulla ejus, cui fit, declaretur improbitas, apud homines cordatos nihil profici, non miror. Nam et in vita confidentem, et non natura civem, et a puero in prostibulo educatum, nescire hæc quam intelligere facilius credi potest. Cum eo igitur, si quando rediero, et mansero incolumis, disputare conabor de ipsius et in me et in vos contumeliis, eumque spero me, quamvis ab omni verecundia sit alienus, modestiorem effecturum: vobis autem publici boni causa volo per literas, quæ hisce de rebus dicenda habeo, significare. Quæ vobis diligenter animadvertenda sunt, ut mea quidem sententia non tantum auscultatione digna, sed etiam memoria. Ego vestram urbem omnium urbium fortunatissimam existimo et diis carissimam: et hæc testari de vobis et Jovem Dodonæum et Dionen et Pythium Apollinem perpetuo, et obsignare insuper bonam fortunam esse in urbe vestra. Jam quæ de futuris rebus significant dii, ea eos prædicere perspicuum est: a præteritis autem petitas appellationes rebus quæ factæ sunt tribuere. Ego autem quæ apud vos egi in republica, ex iis sunt quæ jam præterierunt, ob quæ dii vos felices nominarunt. Quo igitur pacto æquum est vos qui paruistis felices dici, eum vero qui suasit contrarium cognomen sortiri? Nisi quis hoc fortasse dixerit, communem felicitatem, cujus ego fui suasor, deos esse qui nominent, quibus mentiri nefas est: privatum autem convicium, quo in me usus est Theramenes, hominem audacem et impudentem et rationis etiam expertem jactasse. Neque vero solum e deorum oraculis bonam esse qua estis usi fortunam reperietis, sed ipsis etiam eventibus, modo recte judicare libeat, consideratis. Vos enim, si ut homines negotia considerare vultis, felicissimam e meis consiliis urbem esse factam reperietis; sin, quæ dii soli eximia tenent, vos consequi postulatis, ea quæ fieri nequeunt affectatis. Quid igitur dii eximium hominibus negatum habent? Ut bona omnia in sua manu et potestate teneant eaque tum servare ipsi tum donare cæteris possint, utque mali nihil ab omni ævo vel passi vel passuri sint. Jam his jactis fundamentis, quemadmodum decet, vestrum statum considerate et cum cæterorum fortuna conferte. Nemo enim ita væcors est, qui vel

quæ Lacedæmoniis accidere, quibus ego nihil consului, vel quæ Persis, ad quos ego nunquam perveni, isti vestro statui dicat anteferenda. Omitto Cappadoces et Syros et Indicæ regionis homines in ultimis terris habitantes: quibus omnibus usuvenit ut multa et acerba et gravia sustinerent. At Hercule felicius agi vobiscum quam cum hisce omnibus fatebuntur omnes, deterius autem quam cum Thessalis et Arcadibus et Argivis, et quibusdam aliis quibus accidit ut Philippi societatem colerent? At minore quam hi ipsi etiam incommodo recessistis, non eo tantum quod non serviistis—quo quid majus fieri queat?—, sed ob illud etiam quod istis omnibus clades a Philippo illatæ Græcis et oppressio libertatis imputatur; unde merito in odio sunt: vos autem pro salute Græcorum et corpora et opes et urbem et agros in discrimen adduxisse constat; unde consentaneum est et vos florere gloria et apud homines æquos et gratos gratiam inisse immortalem. Fuit igitur hic meorum consiliorum eventus, ut vestra urbs ex his quæ restiterunt prosperrima fortuna utatur, illis quæ Philippum adjuverunt gloria præstet. Proinde ob hæc dii vobis bona illa oracula reddunt, iniquum autem maledictum in conviciatoris caput retorquent. Quod ita intelligetur, si quis ejus quotidianæ vitæ consuetudinem spectare instituerit. Nam quæ illi imprecerís, ea ipse de industria facit; qui parentes odio, Pausaniam pædiconem amore, prosequatur: qui insolenter se ut virum jactet, cum muliebria patiatur: patre superior, turpitudine inferior: qui earum rerum propter quas illum omnes aversantur, obscœna commemoratione suum ipse animum oblectet, iisque narrandis recreetur, quæ nauseam audientibus moveant: neque tamen, ut homo simplex atque ingenuus, desistere potest. Hæc ego non scripsissem, nisi commovere vestram qua comprehensa latent ejus flagitia memoriam voluissem. Nam, quæ dictu parum verecunda sunt, ea nec satis honeste scribi possunt; atque vel hæc vobis arbitror auditu fuisse molesta: his enim admonitus unusquisque vestrum multa ejus et atrocia et fœda flagitia meminit. Fit igitur, ut nec ego quicquam turpe dixerim, et iste, quoties in publicum prodierit, suarum fœditatum omnibus monimentum exhibeat. Valete.

V.

AD HERACLEODORUM.

DEMOSTHENES HERACLEODORO S.

Quæ mihi Menecrates nunciavit, iis ego nec tribuere fidem nec abrogare possum. Dixit enim Epitimum ab Arato et delatum et abductum esse in carcerem, te vero causam agere et omnium esse acerrimum ejus hostem. Te igitur per Jovem Hospitalem omnesque deos obtestor, ne quam mihi molestiam et dolorem parias. Præterquam enim quod Epitimi salus mihi curæ est, et quod si quid ei accideret magnum mihi ipsi malum dari videretur, tuque ejus calamitatis auctor ei esses, puderet me etiam eorum qui conscii sunt, quid ad omnes homines de te dixerim, confisus me vera loqui, re non quidem e familiaribus congressibus comperta, sed quod te et auctoritate præditum et eruditionem amplexum esse videbam, eam præsertim quæ in schola Platonis traditur, quæ omnino ab avaritia et violentia cæterisque callidis aucupiis abhorret, ad summam autem bonitatem et justitiam omnia refert: qua doctrina qui eruditus est, huic, ita me dii ament, non colere simplicem veritatem et in omnes esse benefico nefas esse duco. Quin illud etiam molestissimum mihi esset: si magno benevolentiæ erga te quasi impetu concitatus, mutare sententiam ac alio in te esse animo cogerer, quibus igitur in rebus me despectum et neglectum esse putem, etsi non dixero, eas tamen ita se habituras putato. Quod si nos ideo contemnis, quod nondum e principibus sumus, cogita, te quoque olim adolescentem et ea qua nos ætate modo sumus fuisse, et consiliis atque actionibus tuis ad tantum fastigium adscendisse. Id quod nobis etiam contingere poterit. Nam recta quidem voluntas adest, cui si fortunæ benignitas suffragetur, res ipsa confici queat. Nihil autem melius collocari potest recte tributo officio; quod et tu nobis præstare debes: neque ab ullo væcorde vel abduci in deterius vel vinci velis, sed illos tute in tuam perducito sententiam: itaque te gerito ut ne quid e pactis et conventis nostris desideretur, utque Epitimus periculis eripiatur et liberetur. Adero autem et ipse eo tempore, quod tu tempestivum esse dixeris. Id igitur mihi per literas significa, vel etiam pro amicitia impera. Vale.

VI.

AD SENATUM POPULUMQUE ATHENIENSEM.

DEMOSTHENES SENATUI POPULOQUE S.

Redditæ sunt ab Antiphilo literæ senatui sociorum, bona quidem exspectare volentibus scriptæ commode, sed quæ Antipatri ministris multos et difficiles sermones suppeditent, qui acceptis ab Antipatro literis ad Dinarchum Corinthum missis omnes Peloponnesi urbes iis sermonibus impleverunt, quos in illorum capita dii convertant. Cum vero huc pervenisset iste qui nunc adest cum meo tabellario literas ferente a Polemæsto ad Epinicum fratrem, virum vestri studiosum et mei amantem, atque ab illo ad me perductus esset, ego audito nuntio eum ad vos mittendum censui, ut, perspicue rebus omnibus quæ in castris acciderunt ex eo qui tum prælio interfuit auditis, et in præsentia bonis animis sitis, et reliqua diis bene fortunantibus talia fore, qualia vultis, exspectetis. Valete.

LATINÆ INETRPRETATIONIS

OPERUM DEMOSTHENIS

FINIS.

ÆSCHINIS
ORATIONUM
INTERPRETATIO LATINA.

ARGUMENTUM ORATIONIS CONTRA TIMARCHUM.

Cum Atheniensibus post bellum Olynthiacum visum esset pacem cum Philippo facere, societate ipsi et posteris ejus decreta, decem ad eum legatos, inter quos Æschines etiam et Demosthenes fuerunt, exigendi jurisjurandi gratia miserunt. Reversa legatione, Demosthenes orator, et Timarchus Arizeli F. Sphettius, vir in republica illustris, et conciones habere solitus, quique amplius C. decreta scripserat, Æschinem perperam obitæ legationis reum faciunt. Recens autem senatusconsultum promulgarat, ut is qui ad Philippum arma veheret, capite plecteretur. Actione porro ad prætorem relata, antequam in judicium ventum esset, Æschines Timarchum accusavit, ut qui contra legum edictum conciones haberet: neque enim fas esse ei habere conciones, cum pudicitiam prostituerit. Itaque alii dicunt, Timarchum laqueo sibi necem conscivisse, non exspectato judicio: alii, condemnatum, atque in ordinem coactum esse, ut Demosthenes in oratione falsæ legationis. Res autem hæc ita celebrata est, ut ab hoc judicio, homines impudicos, Timarchos appellarent. Exordium vehementius est, in quo et sua modestia commendata, captandæ benevolentiæ causa, et Timarcho in odium adducto, et disputatione de republica absoluta, transit ad capita, non propria causæ, sed communia in omnes eos, qui prostitutæ pudicitiæ accusantur. Sunt autem hæc: an veteres recte et accurate leges de modestia puerorum, et adolescentum, ceterarumque ætatum tulerint: an effœminatis recte interdixerint concionibus: et, an Timarchus, qui pudicitiam prostituerit, contra legum interdictum concionetur: in quo illud etiam inest, utrum Timarchus impudicitiæ crimen in sese, ut accusetur, admiserit: item, an apud Misgolam in hoc genere exercitatum, quæstum corpore fecerit: an apud Anticlem in ganeo versans, et alea ludens, receptus sit a Pittalaco ministro publico: et apud illum, atque etiam apud Hegesandrum Timomachi quæstorem, pro scorto ad tempus se gesserit.

ALITER.

Censoria est hæc Æschinis in Timarchum oratio, hominem oratorem, et calumniatorem suum. Sunt autem latæ leges de oratoribus, qui sint a concionibus repellendi: velut ii, qui patrimonium profuderunt, qui pudicitiam prostituerunt: qui nisi iis legibus paruerint, cuivis licere judicio in eorum mores inquirere, utrum sint tales, ut ad populum verba facere possint. Quum autem duarum rerum Æschines Timarchum criminaretur, et pudicitiæ prostitutæ, et absumpti per luxum patrimonii, oratio de impudicitia inscribitur, quod major ejus pars in eo crimine tractando consumitur. Vicit autem causam hanc, ut ex affirmatione veterum constat. Orationes vero post actas causas mihi esse scriptæ videntur.

ÆSCHINIS ORATORIS

CONTRA TIMARCHUM

ORATIO.

1. Ego, judices, nulli civium unquam vel in judicio periculum creavi, vel in referendis rationibus molestus fui, sed, ut mihi persuadeo, moderate me in rebus hujusmodi gessi: verum cum et rempublicam graviter a Timarcho lædi, contra leges habente conciones, viderem, et privatim ab eo calumniis agitarer—quo autem pacto, in orationis progressu ostendam—turpissimum facinus fore duxi, si nec universæ civitati, nec legibus, nec vobis, nec mihi ipsi opitularer. Cum autem iis eum teneri criminibus scirem, quæ paulo ante scriba recitante audivistis, hoc eum censorio judicio reum feci. Omnino enim, Athenienses, ea quæ in publicis causis dici solent de privatis inimicitiis, per eas multa reipublicæ incommoda depelli, vera sunt. Neque vero totius hujus actionis culpam vel civitati, vel legibus, vel vobis, vel mihi Timarchus adscribere potest: sed sibimet ipsi tantum. Leges enim ei denunciarunt, cum flagitiose vixisset, ne conciones haberet; atque id ei edixerunt quod meo judicio ferre graviter non potest, sed id quod omnibus facile est: licuit etiam ei non lacessere me per calumniam, si sapuisset.

2. Ac de his satis me præfatum esse arbitror: non autem ignoro, Athenienses, ea quæ principio dicturus sum, ex aliis etiam ante vos audisse: sed tamen res postulare videtur, ut eadem et ipse utar oratione. Constat inter omnes, tres esse formas rerumpublicarum, principatum unius, potestatem paucorum, et populare imperium. Ac duo priora genera eorum arbitratu reguntur, qui rerum potiuntur: liberæ autem civitates, usitatis legibus. Satis autem scitis, Athenienses, populi vitam et libertatem conservari legibus, principum et paucorum, diffidentia et armorum præsidiis. Paucis igitur, atque iis qui republica inæquali utuntur, ii sunt cavendi, qui manu et vi respublicas evertunt: nos autem decet, qui æqualem et legitimam rempublicam habemus, in eos qui contra quam leges jubent, aut dixerint, aut vixerint, animadvertere. Nam vires in eo vestræ sunt, si leges tueamini, neque cuiquam licentiam detis vitam legibus contrariam et petulantem instituendi. Equidem illud existimo, in sanciendis legibus spectandum esse nobis, ut eæ justæ atque e republica sint: ubi autem eas sciverimus, legibus sancitis ut pareamus, et contumaces puniamus, si modo rempublicam incolumem et florentem esse volumus. Considerate Athenienses, quantam mode-

stiæ rationem habuerit Solo antiquus ille, et Draco, ceterique illius ætatis legumlatores. Primum enim leges de liberorum nostrorum disciplina tulerunt, planeque demonstrarunt, quæ puer ingenuus studia sequi debeat, utque sit educandus: secundo loco de adolescentibus: ac deinceps de reliquis ætatibus; neque vero ad plebeios duntaxat homines, sed etiam ad oratores hæc pertinere voluerunt. Et has leges in literas relatas apud vos deposuerunt, earumque custodiæ vos præfecerunt.

3. Quem igitur legum ordinem est secutus legislator, eundem et ipse præscribam orationi meæ. Primum enim eas leges exponam vobis, quæ de puerorum vestrorum: deinde eas quæ de adolescentum: postremo eas quæ de reliquarum ætatum disciplina sunt latæ, nec privatorum duntaxat hominum, sed etiam oratorum. Sic enim orationem meam arbitror maxime perspicuam fore. Simul etiam disseram, Athenienses, quid edicant leges de gerenda republica, et rursus post hoc Timarchi mores cum iis conferam. Eum enim egisse vitam legibus omnibus contrariam reperietis. Legislator primum ludi magistris, quorum fidei liberos nostros necessario committimus, quorumque victus in temperantia situs est, inopia vero in contrariis rebus, tamen diffidit: ac plane definit, qua hora puerum ingenuum in ludum ire deceat, deinde, cum quot pueris ingredi, et quando abire: ac præceptores ludos, lanistas aperire palæstras vetat ante solis ortum, et claudere jubet ante occasum, ut qui solitudinem et tenebras maxime suspectas habeat: edicit item, adolescentulos ea loca frequentantes, quales esse oporteat, et qua ætate, et qui magistratus eorum habere curam debeat: et de pædagogorum diligentia, et de festo Musarum in ludis, et de festo Mercurii in palæstris, denique de congressibus puerorum et cœtuum solennium. Jubet enim ædilem, qui suis sumptibus vestris servire commodis studeat, id facere, ubi quadragesimum ætatis annum excesserit, ut is modestissima jam ætate liberos vestros accedat. Has igitur leges scriba vobis recitabit, ut sciatis, existimasse legislatorem, puerum recte educatum, virili ætate utilem fore civitati: si autem hominis ingenium malum disciplinæ initium cœperit, male institutos pueros, in viros evasuros Timarcho similes, censuisse. Recita leges has.

LEGES.

Puerorum magistri ludos ante solis ortum ne aperiunto, et ante occasum iterum claudunto. Neque fas esto iis qui puerilem ætatem excesserunt eo ingredi, dum pueri sunt intus, præter filium magistri aut fratrem aut generum: his exceptis si quis fuerit ingressus, capite mulctator. Et gymnasiarchæ mercurialibus nullo modo quenquam adultum ingredi cum pueris sinunto: sin permiserit neque gymnasio excluserit, teneatur gymnasiarcha lege de corruptela ingenuorum puerorum. Choragi autem qui a populo constituuntur annum ætatis quadragesimum excessisse debent.

4. Post hæc, judices, edicit de injuriis, magnis illis quidem, sed tamen fieri scilicet in urbe nostra solitis. Nam ea de causa leges a majoribus sancitæ sunt, quod quædam contra quam deceat committantur. Lex certe quidem aperte ait: si pater aut frater aut patruus aut tutor aut denique is cujus est auctoritas aliquem mercede prostituat, non licere puerum accusare: sed tam eum qui elocarit quam qui conduxerit, illum quod elocarit, hunc, inquit, quod conduxerit, et parem in utrumque pœnam statuit. Neque necessitatem imponit puero ubi adoleverit patrem alendi aut domicilio excipiendi, si fuerit ab eo ad turpem quæstum elocatus, defunctum tamen sepelire jubet ac cetera parentalia obire ut moris est. Considerate, Athenienses, quam recte, viventi ei eripiat fructum procreationis liberorum, quemadmodum ipse puero libertatem: defunctum tamen, cum is quidem qui beneficium accipit, non jam sentit commodum quo afficitur, legi vero et numini honos habetur, sepelire jubeat, et cetera de more præstare. Etiam aliam quandam legem tulit, nostrorum liberorum custodem, de lenocinio, maximis pœnis adscriptis, si quis ingenui pueri aut mulieris lenonem agat. Et quam aliam? Legem contumeliæ, quæ uno capite quæ sunt hujus generis omnia complectitur; in qua plane scriptum habetur, si quis puero contumeliam fecerit—facit autem utique contumeliam qui conducit—, aut viro, aut mulieri, sive ingenuo sive servo, aut aliquid legibus interdictum in horum aliquem commiserit, in eum contumeliæ actionem dedit et litis æstimationem eam fecit, ut statuendum sit, quid is luere debeat, aut solvere. Recita legem.

LEX.

Si quis Atheniensis puero ingenuo contumeliam fecerit, is in cujus potestate puer est illum apud sexviros accusato, ea litis æstimatione adscripta, qua judicium eum condemnarit, qui si undecimviris fuerit traditus eadem die perimatur: sin ei mulcta pecuniaria irrogata fuerit, intra dies undecim post judicium solvat, si statim solvere non potuerit, donec vero solverit in carcere teneatur: iisdem porro criminibus teneantur ii etiam qui servilia corpora violarint.

Fortassis autem aliquis statim miretur, qua de causa legi contumeliæ etiam servorum nomen sit adscriptum. Id vero si considerabitis, Athenienses, omnium rectissimum esse invenietis. Neque enim servi tantæ curæ fuerunt legislatori, sed quia nos consuefacere voluit, ut a contumelia ingenuorum magnopere nobis temperaremus, adscripsit, ne servis quidem contumeliam esse faciendam. Denique qui in libera civitate quacunque in re contumeliam faceret, eum ad civilem consuetudinem minime idoneum judicavit.

5. Atque illud una mecum, Athenienses, memineritis velim, legislatorem hic nondum loqui cum puero, sed cum pueri necessariis, patre, fratribus, tutore, magistris, denique iis in quorum is potestate est: ubi autem in album civitatis inscriptus fuerit, et leges civitatis didicerit ac cognorit, et jam inter honesta et turpia discernere potuerit, non jam cum aliis agere, sed etiam cum ipso Timarcho. Quomodo autem dicit? Si quis, inquit, Atheniensium corpore quæstum fecerit, ei non liceat in novemvirorum numerum cooptari—eo fortasse quod coronam gestat is magistratus—: neque sacerdotio fungatur—ut qui ne ore quidem puro loquatur—: neque publicæ causæ patronus esto: neque ullum magistratum unquam administrato, vel domi vel peregre, sive sortitione, sive suffragio mandari solitum: neque caduceatorem neque legatum agat, neque legatione functos accuset, aut calumnietur mercede conductus: neque unquam sententiam dicat, vel apud populum, vel in senatu, tametsi eloquentissimus fuerit Atheniensium. Qui secus fecerit, eum impudicitiæ accusandi potestatem dedit, pœnasque gravissimas statuit. Recita et hanc legem, ut sciatis, cum tam honestas et modestas leges habeamus, Timarchum fuisse ausum verba facere pro concione, qui iis moribus est, quibus eum vos esse nostis.

LEX.

Si quis Atheniensis se prostituerit, ei ne liceat in novemviros cooptari, nec rem divinam facere, non populi causam agere, nec ullo fungi magistratu sive domi sive peregre sive sortito sive suffragio mandari solito, neque fœcialis mittatur, neque sententiam dicat, neque in publica fana ingrediatur, neque in festis solennibus de more coronam gestet, neque intra fori septa progrediatur: si quis autem hæc fecerit, impudicitiæ condemnatus, morte mulctetur.

6. Hanc legem in adolescentulos tulit, qui facile in sua corpora nefas admittunt: quas autem paulo ante recitavi, eæ ad pueros pertinent: quas nunc dicturus sum, ad ceteros Athenienses. Absolutis enim his legibus, consideravit, quo pacto vos in concionem convenire, ac de rebus gravioribus deliberare deceat. Unde autem auspicatur? Leges inquit de Disciplina. A modestia primum auspicatur: quasi, ubi optima disciplina sit, ibi civitatem maxime florere sit necesse. Et quo pacto jubet præsides de publicis negotiis agere? Ubi lustralia circumgestata fuerint, et præco patria vota peregerit, in primis decernere jubet præsides de patriis sacris et caduceatoribus et legatis et publicis negotiis: deinde rogat præco, Quis eorum qui annum ætatis quinquagesimum excesserint verba facere velit? Ubi autem hi omnes dixerint, tum demum jubet ceterorum Atheniensium quemvis ex iis quibus liceat, dicere. Considerate, Athenienses, quam

recte. Non ignorabat nimirum legislator, in natu majoribus vigere prudentiam (audaciam autem incipere jam deficere in eis) ob usum rerum. Volens igitur prudentissimos quosque consuefacere, ut sententiam necessario sibi dicendam putarent: cum uniuscujusque nominatim appellandi facultatem non haberet, communi totius ætatis cognomine usurpato, ad suggestum eos vocat, et ad habendas conciones adhortatur: eademque opera etiam adolescentes reverentiam erga seniores adhibendam esse docet, eisque priorem in rebus omnibus locum concedendum, et honorem senectuti habendum, ut ad quam perventuri simus omnes, nisi nos fata interceperint. Itaque veteres illi oratores, Pericles, Themistocles, Aristides, qui dissimile Timarcho cognomen habet, quippe qui justus appelletur, adeo modesti fuerunt, ut, quod nunc de more omnes facimus, ut prolata manu dicamus, id tum audaciæ tribuerint, et verecundati sint. Cujus ego consuetudinis me reipsa magnum vobis argumentum ostensurum arbitror. Satis enim scio, vos omnes trajecisse Salaminem, et Solonis spectasse statuam: itaque ipsi testari potestis, Solonem in foro Salaminiorum situm esse manu intra vestem condita. Illud est monimentum, Athenienses, et simulacrum gestus Solonis, quonam pacto cum populo Atheniensium sermonem habuerit. Considerate autem, Athenienses, quantum inter Solonem et Timarchum intersit, et eos viros quorum paulo ante mentionem feci. Illos enim puduit extenta manu verba facere: iste autem non olim sed nuper aliquando abjecta veste nudus toto corpore pugilem agebat in concione: et quidem corpore ob ebrietatem et petulantiam ita male turpiterque affecto, ut homines cordati oculos velarent, verecundantes reipublicæ vicem, quæ talibus consultoribus uteretur.

7. Quibus rebus legislator perspectis, plane demonstravit, quibus conciones sint habendæ, et quibus apud populum verba facienda non sint. Neque vero a suggestu repellit quemquam qui viro prætorio natus non est, aut qui artem aliquam exercet victus parandi causa: sed hos vel maxime amplectitur, eaque de causa sæpe interrogat, quis dicere velit? Quos vero a dicendo repulit? Qui turpem vitam egerunt. Eos concionari non sinit. Atque ubi id declarat? In capite D e O r a t o r u m E x p l o r a t i o n e. Si quis, inquit, p u b l i c e v e r b a f e c e r i t, q u i p a t r e m a u t m a t r e m v e r b e r a t, a u t n o n a l i t, a u t e i s d o m u m n o n p r æ b e t, h u n c v e r b a f a c e r e n o n s i n i t. Idque recte mehercule, mea quidem sententia. Cur? Quod si quis erga eos officio non fungitur, qui pari cum diis immortalibus honore sunt afficiendi: is quo pacto alios homines tractabit, et totam civitatem? Quibus secundo loco habendis concionibus interdixit? S i q u i s, inquit, i m p e r a t a s s i b i e x p e d i t i o n e s n o n o b i e r i t, a u t c l y p e u m a b j e c e r i t. Recte. Cur tandem? Homo, ei civitati, pro qua arma non sumis, cuique ob ignaviam opem ferre

non potes, ne consilium quidem dare velis. Tertio cum quibus agit? S i q u i s, inquit, m e r e t r i c i u m q u æ s t u m f e c e r i t a u t p u d i c i t i a m p r o s t i t u e r i t. Nam qui suum corpus ad ignominiam vendiderit, eum etiam reipublicæ negotia facile venditurum putavit. Quarto loco, cum quibus agit? S i q u i s p a t r i m o n i u m, a u t h e r e d i t a r i a b o n a, p e r l u x u m a b s u m p s e r i t. Nam qui suam familiam male administrarit, eodem modo rempublicam etiam curaturum censuit. Neque fieri posse existimavit legislator, ut idem homo et privatim esset improbus, et publice bonus: aut decere, ut orator suggestum conscenderet, qui orationis habendæ prius quam degendæ vitæ rationem duxisset. Nam viri boni orationem quamvis nudam, quamvis simplicem, auditoribus profuturam: hominis autem improbi, qui et corpus suum risui exposuerit, et patrimonium turpiter devorarit, quantumvis ornatam, non e re fore auditorum. Hos ergo repellit a suggestu: his concionibus interdicit. Quod si quis contra hæc, non tantum verba faciat, sed et calumniatorem agat, et petulanter sese gerat, ut eum civitas diutius ferre non possit: i n e u m, inquit, c i v i u m q u i l i b e t, c u i f a s e s t, c e n s o r i a m a c t i o n e m i n s t i t u a t: vosque jubet de eo jam pro tribunali decernere. Ego itaque nunc ex ac lege venio ad vos.

8. Et hæc quidem olim sancita sunt, vos vero quid adjecistis? Novam legem, post bellam istius pro concione luctam. Summo enim ob istud facinus pudore affecti, legem tulistis novam: in singulis concionibus sortito decernendam esse tribum, quæ præsideat circa suggestum. Et quid legis auctor jussit? Sedere tribules et defendere leges atque rempublicam: quod nisi alicunde auxilia contra homines his moribus præditos accersiverimus, ne deliberandi quidem gravissimis de rebus facultatem simus habituri. Inanis autem opera sumitur, Athenienses, si tales homines clamoribus a suggestu depellere studeatis,—neque enim eos pudet—, sed suppliciis eorum consuetudo est coercenda. Nam ita demum ferri possunt. Recitabuntur igitur vobis leges de oratorum disciplina latæ, et ea quæ de præsidente tribu agit: quam Timarchus et alii hujusmodi oratores per conspirationem, quasi e republica non esset, abrogare studuerunt, ut eis suo arbritratu et facere et dicere omnia, et vivere liceret.

LEGES.

Si quis oratorum in senatu, aut pro concione, vel non seorsim de re proposita, vel bis de eadem re apud eosdem dixerit, sive conviciando, sive maledicendo alicui, sive pede supplodendo, vel inter decernendum importune locutus fuerit de rebus a suggestu alienis, vel aliquem concitarit, vel præfectum traxerit, dimissa concione aut senatu, ejus mulctandi potestas esto penes præsides usque ad L drachmas, deinde unaquæque injuria inscribatur exactoribus: quod si graviorem meruisse pœnam vide-

bitur, indicta mulcta usque ad L drachmas deferunto ad senatum, aut primam concionem in curia: ubi autem citationes recensuerint, judicanto, quod si condemnatus fuerit, clam suffragia ferentibus senatoribus, præsides iis qui mulctas exigunt violatarum legum eum inscribunto.

Leges audivistis, Athenienses: neque dubito, quin eæ vobis probandæ esse videantur. Ceterum utrum eæ leges ratæ irritæve sint, id penes vos est. Nam si quidem injurios homines punieritis, leges vobis et bonæ et ratæ erunt: sin absolveritis, bonæ illæ quidem erunt, ratæ non erunt.

9. Volo autem, quemadmodum orationis initio proposui, postquam dixi de legibus, jam tandem Timarchi mores cum eis conferre: ut sciatis quantum ii discrepent a vestris legibus. A vobis vero peto, Athenienses, ut veniam mihi detis, si quid fuero dicere coactus de studiis, non quidem natura honestis, sed ab isto tamen usurpatis, atque verbum aliquod mihi exciderit factis Timarchi simile. Neque enim jure me reprehendetis, si quid plane dixero, quo vos edoceam: sed multo magis istum: qui adeo flagitiose vixit, ut qui facta ejus commemorat, suo arbitratu dicere non possit, nisi verba etiam quædam hujusmodi proferat. Dabo tamen operam, ut quam modestissime id faciam. Velim autem consideretis, Athenienses, quanta æquitate sim acturus cum Timarcho. Nam quæ delicta puer adhuc in suum corpus admisit, omitto (eaque nihil valeant, ut ea quæ sub triginta tyrannorum dominatu, aut ante præturam Euclidis acta sunt, aut si quod aliud hujusmodi præfinitum tempus exstitit) quæ vero jam sui compos, quæ adolescens, quæ legum civitatis gnarus admisit, ea demum accusabo, eaque vobis uti curæ sint, oro. Iste primum omnium pueritiam egressus, sedit in Piræeo, in Euthydici medici taberna: per speciem discendæ artis, cum, si res ipsa spectetur, se venditare instituisset: ut eventus declaravit. Qui porro mercatores, aut alii hospites, aut nostri cives illis temporibus Timarchi corpore fuerint abusi, hoc quoque ultro præteribo: ne quis fortasse dicat, me accuratius omnia persequi: quorum autem in ædibus, cum sui corporis et civitatis probro vixerit, quæstus ob eam rem faciendi causa: quam rem lex aut vitare aut concionibus abstinere jubet: his de rebus verba faciam.

10. Est quidam Colyttensis Misgolas, Naucratis F., Athenienses, vir cetera sane bonus, nec ullo nomine reprehendendus, ceterum istius rei impotenter studiosus: quique continenter secum habere solet aliquos citharœdos, aut citharistas. Hæc dico non arguendi luxus causa, sed ut noveritis quis sit. Is ubi animadvertit, quibus de causis Timarchus in taberna medica versaretur: cum nonnihil nummorum insumpsisset, inde hominem abduxit ad se, ut et habito corpore, et adolescentem, et petulantem, et aptum ad eam rem, quam et ipse perpetrare, et iste tolerare instituerat. Neque vero id recusavit Timarchus, sed recepit, cum nulla re mediocri egeret (permagnas enim opes ei pater reliquerat, quas iste decoxit, ut ego vobis in progressu orationis ostendam) sed ista fecit, ut turpissimis voluptatibus obsequeretur, deliciis ciborum, et sumptuosis cœnis, et tibicinis, et meretricibus, et tesseris, ceterisque rebus, quarum nulla vinci debet generosum et liberale ingenium. Neque nefarium istum in flore ætatis suæ puduit, relictis paternis ædibus apud Misgolam vivere: qui neque paternus ejus amicus, neque æqualis, neque curator erat: sed alienus, et ipso natu grandior, et in ejusmodi rebus incontinens.

11. Timarchus igitur cum alia deridenda fecit illis temporibus, tum unum quiddam, quod vobis narrabo. Agebatur urbanorum Bacchanalium celebritas. Una porro festum celebrabant Misgolas, istius hospes, et Phædrus Calliæ F. Sphettius. Cum autem Timarchus promisisset, se una cum iis festum acturum: illi dum ceteris rebus apparandis occupantur, iste non revertitur. Quam rem iniquo animo ferens Misgolas, una cum Phædro eum inquirit: factoque indicio, deprehendunt in ædibus cum hospitibus quibusdam prandentem. Interminato autem Misgola et Phædro hospitibus, et jubente, statim eos ambulare in carcerum, quod adolescentem ingenuum corrupissent: hospites perterriti, fugam arripuerunt, relictis epulis. Hæc vere a me dici, norunt omnes, qui iis temporibus Misgolam et Timarchum noverunt: unde gaudeo mihi rem esse cum homine vobis non ignoto, neque ex alia re ulla noto, nisi ex eo flagitio, de quo pronunciaturi estis. Nam ignotæ res accusatori fortassis perspicue sunt demonstrandæ: in confessis autem equidem non magni operis esse puto accusare. Nam excitanda duntaxat est auditorum memoria. Sed tamen ego, cum de re constat, quando in prætorio sumus, testimonium Misgolæ scripto denunciavi: verum illud quidem, non tamen incivile, ut mihi persuadeo. Nam ipsius rei, quam cum isto patravit, nomen non inscribo, neque scripsi quicquam aliud, ob quod pœna legibus vera non testificato infligitur: sed quæ et vobis audituris nota, et testificanti tuta sunt, ea scripsi. Quod si volet Misgolas huc progressus verum testificari, recte faciet: sin se citatione adigi, quam verum profiteri maluerit, tota res in conspectu vobis erit. Nam si is qui patravit, verecundabitur, et reipublicæ mille drachmas pendere maluerit, quam vestra ora intueri: is vero qui passus est, concionabitur: sapienter fecit legislator, qui tales a suggestu repulerit. Sin sese stiterit, et tamen ad rem omnium impudentissimam converterit, ad ejurandum veritatem, ut qui et Timarcho gratiam referat, et apud alios ostentet quam solerter hujusmodi facinora contegere possit: primum perjurio erga semetipsum delinquet, deinde nihil ea re proficiet. Nam aliud ego dictavi testimonium, iis qui sciunt Timarchum relictis paternis ædibus apud Misgolam habitasse. Ac video profecto, quam arduam rem aggre-

diar. Neque enim vel amici mei, vel ipsorum inimici, testes producendi sunt, neque ii etiam qui neutros nostrum norunt: sed amici istorum. Si vero iis etiam persuaserint ne testificentur,—quod non existimo, aut certe non omnibus persuasuros existimo—, eo tamen nunquam evertent veritatem, aut sparsam in urbe de Timarcho famam, cujus non ego isti sum auctor, sed ipse sibi. Vitam enim viri temperantis adeo puram esse decet, ut in eam nullius flagitii cadat suspicio. Verum illud etiam præfari volo, si forte Misgolas vobis et legibus paruerit: ea sunt naturarum humanarum discrimina, ut ætas ex aspectu satis dijudicari non possit. Quidam enim adolescentes, provectæ ætatis et senectutis speciem præ se ferunt: alii multos annos nati, omnino juvenes videntur. Quorum unus est Misgolas. Est enim æqualis meus, unaque mecum adolevit: atque annum nunc agimus quintum et quadragesimum. Ac ego quidem tot canos habeo, quot videtis: ille vero non item. Quamobrem igitur hoc prædico? Ne vel ex primo statim ejus aspectu miremini, et tale quippiam in mentem vobis veniat: mehercule iste ab illo non multum differt. Nam partim natura hominis talis est, partim cum eo jam adolescente consuevit. Ne vero moram faciam, voca mihi primum eos qui sciunt Timarchum versari solitum in Misgolæ ædibus: deinde Phædri testimonium lege: postremo ipsius Misgolæ testimonium sumito: ut et deorum immortalium metu, et consciorum, ceterorumque civium, et vestrum, qui pro tribunali sedetis pudore, verum perhibere testimonium velit.

TESTIMONIUM.

Misgolas Niciæ F. Piræensis testatur: Timarchum sibi fuisse familiarem, qui aliquando in Euthydici medici taberna sederit, seque pro notitia quæ cum eo intercesserit nunquam ejus summam habere curam destitisse.

12. Quod si Timarchus, Athenienses, apud Misgolam mansisset, neque ad alium se contulisset, rectius sibi consuluisset,—si quicquam tamen hujusmodi rectum esse potest—, neque ego quicquam aliud ei objecissem, quam quod legislator aperte dicit, eum pudicitiam duntaxat prostituisse. Nam qui id cum uno perpetrat, ac mercedis ergo facit, eo ipso teneri mihi videtur. Sin refricata vestra memoria, omissis istis agrestibus viris, Cydonide, Autoclide, Thersandro, demonstraro ipsos, commemoratis iis in quorum fuerit ædes receptus: unde constet eum non solum apud Misgolam corpus suum mercede prostituisse, sed apud alium etiam, et rursus apud alium, atque ab illo ad alium venisse: non modo jam eum prostituisse pudicitiam apparebit, sed—nescio medius fidius quomodo rem per ambages efferam totum diem—pro scorto subagitatum esse. Qui enim petulanter hoc, et apud multos, et mercede facit, is eo ipso teneri mihi videtur. Postquam igitur Misgolas, sumptibus exhaustus, istum a se dimisit, Anticles Calliæ F. Euonymensis recipit. Ac is quidem Sami abest cum colonis. Ea igitur quæ secuta sunt, referam. Timarchus ut ab Anticle et Misgola recessit, non ipse in sese descendit, nec meliorem vitæ rationem est amplexus: sed in aleatorum circulis totos dies versatus, ubi tabula ponitur, et coturnices ac galli gallinacei committuntur, et alea luditur. Vestrum enim aliquos ea vidisse arbitror, quæ dico, aut saltem audivisse. Est autem ex ejus loci cœtu homo quidam Pittalacus, servus publicus nostræ urbis: qui cum argento abundaret, istum in ea palæstra visum, ad se recepit, et domi habuit. Neque vero impurus iste conditionem illam repudiavit, cum se probro affecturus esset apud hominem servum publicum: sed illud solum spectavit, an præbitorem petulantiæ suæ inventurus esset, nulla unquam honestatis aut turpitudinis habita ratione. Talia porro delicta et tales contumelias audivi ego ab illo homine in istius corpus esse factas: quas ego ita me Jupiter Opt. Max. juvet, narrare apud vos non audeo. Quibus enim iste reipsa committendis non erubuit: iis ego aperte duntaxat a me nominatis, vivere recusarim.

13. Sub eadem tempora, quibus apud Pittalacum iste fuit, Hegesander ex Hellesponto huc appellit, qui istum ad se recepit: cujus satis scio mirari vos, cur non olim mentionem fecerim: adeo evidens est id quod dicam. Is igitur Hegesander rediit: quem vos nostis melius quam ego. Navigarat autem tum pro quæstore cum Timomacho Acharnensi, viro prætorio: et venit huc locupletatus, ut aiunt, illius simplicitate: nec minus quam LXXX. argenti minas attulit: et quodammodo non minima illi causa calamitatis fuerat. Tantis igitur opibus affluens, et Pittalaci in ludenda alea sodalis, ædes frequentans, isto statim viso gavisus est: eumque expetivit, et ad se recipere voluit, ut quem ab ingenio suo non abhorrere existimaret. Primum igitur ad Pittalacum verba fecit, orans, ut eum sibi traderet. Quo recusante, istum ipsum aggreditur: neque vero longa oratione est opus: persuadet statim. Nam ad istam rem conficiendam magnas vires habet improbitas, et auctoritatem; quamobrem vel ob hæc ipsa dignus est odio. Ut autem a Pittalaco discesserat, et ad Hegesandrum se contulerat, ægre ferebat scilicet Pittalacus, se tantum in istum argenti frustra, ut putabat, insumpsisse: et ea quæ gerebantur ferebat, ut rivales solent, et itabat ad ædes illius. Quia vero eis molestus erat, spectate quantum fuerit robur Hegesandri et Timarchi. Nam aliquando inebriati et ipsi, cum collusorum nonnullis, et aliis, quorum nomina non dicam, noctu in ædes, in quibus habitabat Pittalacus, impetu facto: primum vascula contriverunt, et projecerunt in viam talos agiles et nexiles, et alia instrumenta aleatoria; et coturnices atque gallos, quos adamabat miserrimus ille homo, occiderunt. Tandem ad columnam alligatum ipsum Pit-

talacum immanibus flagris ceciderunt, idque tam longo tempore, ut vicini etiam clamorem exaudirent. Postridie Pittalacus id facinus indignissime ferens, nudus in forum venit, et in ara matris deorum sedet: cum autem, ut fit, turba hominum concurrisset, metuentes Hegesander et Timarchus, ne sua petulantia per totam urbem proclamaretur,—instabat autem concio,— et ipsi et collusorum quidam accurrunt ad aram, ac circumsistentes orant Pittalacum ut surgat, cum dicerent, totam rem per ebrietatem factam: esse atque iste profecto nondum hirco et aspero vultu, ut nunc, sed adhuc utilis, hominem barba prehendit, et illius arbitratu se omnia facturum promittit; tandem persuadent homini, ut ab ara surgat, ut cui aliquid æqui præstare vellent. Ut autem e foro discesserat, non jam eum curabant. Homo igitur injuriam eorum graviter ferens, diem utrique dicit. Quod autem in jus vocasset—videte magnum robur Hegesandri—hominem a quo nulla sibi orta fuerat injuria, imo contra, quem ipse injuria læserat, eumque non ad se attinentem, sed servum publicum civitatis, abduxit in servitutem, suum esse servum asserens. Pittalacus igitur malis undique oppressus ad genua accidit homini perquam bono. Est quidam Glaucus Cholargensis. Is eum asserit in libertatem. Post hoc sortitiones judiciorum fecerunt. Sed progressu temporis cognitorem sumpserunt Diopithem Suniensem, popularem Hegesandri, et per ætatem illius consuetudine usum. Diopithes suscepta re differt negotium, aliud ex alio tempus reis condonans. Ut autem Hegesander vestrum suggestum conscenderat, —quo tempore Aristophontem Axeniensem oppugnabat, priusquam is ei actionem illam minatus esset apud populum, qua ego Timarchum reum feci—, Crobylus item frater ejus conciones habebat: denique isti primi apud vos ausi fuerunt de republica Græcorum capessenda suadere: tum demum Pittalacus, repudiato suo consilio, et ratione inita, quis et ipse esset, et cum quibus bellum gereret, recte sibi consuluit—vera enim dicenda sunt—et quiescere statuit: bene secum agi putans, si nihil novi mali sibi daretur. Hic demum Hegesander pulcram istam victoriam adeptus, Timarchum apud se nulla cum molestia habuit.

14. Et hæc vere a me dici, scitis omnes. Nam quis vestrum est, qui nunquam in forum cupedinarium venerit, nec sumptus istorum spectarit? Aut quis, cum in istorum commessationes incidisset atque adulteria, reipublicæ vicem non doluit? Tamen, quando in foro sumus, voca mihi Glauconem Cholargensem, qui Pittalacum asseruit in libertatem: et reliqua testimonia lege.

TESTIMONIA.

Testatur Glauco Timæi F. Cholargensis. Ego Pittalacum asserui in libertatem, cum ab Hegesandro ad servitutem abduceretur. Aliquanto post me convenit Pittalacus seque dixit transigere velle cum Hegesandro, et misisse ad eum de tollendis actionibus, tam ea qua ipse reum fecisset Hegesandrum et Timarchum, quam illa qua se Hegesander de servitute, eodemque modo transegisse.

TESTIMONIUM.

Amphisthenes testatur. Ego Pittalacum in libertatem asserui cum ab Hegesandro ad servitutem peteretur—

Et reliqua. Igitur et ipsum Hegesandrum vocabo vobis. Dictavi autem ei testimonium modestius quam mores ejus postulent: sed paulo tamen evidentius quam Misgolæ. Neque vero nescio ejuraturum esse, et pejeraturum. Cur igitur eum cito ad dicendum testimonium? Ut vobis demonstrem, quales soleat homines reddere istud studium: quam et contemptores deorum, et despectores legum, et prorsus omnis verecundiæ negligentes. Voca mihi Hegesandrum.

TESTIMONIUM.

Hegesander Diphili F. Spiriensis testatur. Cum ex Hellesponto sum reversus, deprehendi apud Pittalacum aleatorem agentem Timarchum Arizeli F., atque ex illa notitia Timarcho usus sum, eadem cum eo versatus ratione qua prius etiam cum Laodamante.

Non ignorabam eum neglecturum esse jusjurandum, Athenienses, sed prædixi vobis. Quin illud etiam prævideo, cum nunc testimonium dicere nolit, statim in defensione proditurum: idque profecto minime mirum. Ascendet autem huc, vita anteacta fretus, quippe vir bonus, et malorum osor: et ignarus qui fuerit Laodamas: ob quem vos inter legendum testimonium tumultum excitastis. Nunquid audebo evidentius, quam pro natura mea, dicere? Dicite mihi quæso, Athenienses: qui sese dedecore affecit apud Hegesandrum, non videtur vobis scortatus esse cum scorto? Aut quid insignis improbitatis prætermisisse, in ebrietate et solitudine? Non putatis Hegesandrum, ad pervulgata illa cum Laodamante acta defendenda, quorum vos omnes estis conscii, superbe ei imperasse: ut ob imperiorum magnitudinem moderate se cum eo gessisse videretur?

15. Sed tamen videbitis ipsum, et fratem ejus Crobylum, perquam accurate et oratorie statim huc prosilire ac dicere, quæ ego dicam, ea magnæ esse stultitiæ: ac postulaturos, ut testes producam, qui aperte dicant, ubi egerit, quomodo fecerit, aut quis viderit, aut quæ ratio fuerit: impudenti utentes oratione. Neque enim ego vos tam obliviosos esse arbitror, ut non memineritis legum, quas recitari paulo ante audivistis, in quibus scriptum est: si quis aliquem Atheniensium ad id negotium conduxerit, aut si quis sese elocarit, teneri maximis et paribus pœnis.

Quis ergo adeo miser est, qui perspicue velit tale perhibere testimonium, unde, si verum dixerit, ostendat se extremum supplicium commeruisse? Itaque illud est reliquum, ut qui passus est confiteatur. Verum ob hoc accusatur, quod his admissis contra leges conciones habeat. Vultis igitur, ut totam rem omittamus, nec inquiramus scilicet? Egregie profecto urbs incoletur, si quæ ipsi re ipsa fieri scimus, ea nisi quis nobis huc progressus, simul evidenter et impudenter suo testimonio confirmarit, propterea obliviscemur. Idque vel exemplis intelligite. Est autem necessarium scilicet, exempla esse consimilia Timarchi moribus. Videtis eos qui in prostibulis sedent, et scelus istud admittunt, ut inficias ire non possint. Tamen isti, cum ei necessitati est parendum, dedecus id velamento quodam tegunt, et foris occludunt. Quod siquis prætereuntium vos percontetur, quid homo ille tunc agat, statim dicatis nomen illius facinoris: quanquam non videritis quis fuerit ingressus, sed quæstum sciatis ab illo homine institutum, et rem intelligatis. Eodem igitur modo vos decet in Timarchum etiam inquirere: nec illud considerare, an aliquis viderit, sed an res ab eo perpetrata sit. Nam quid per deos, Timarche, dicendum est? Aut quid ipse tu diceres de alio homine, qui eodem crimine accusaretur? Aut quid dicendum est, cum homo adolescens, paternis ædibus relictis, in aliena domo pernoctat, aliis vultu præstans: cum sumptuosis cœnis fruitur sine suo sumptu: cum et tibicinas habet, atque meretrices sumptuosissimas: cum alea ludit: nec ipse quicquam solvit, sed alius pro eo; nunquid adhuc ista divinationem requirunt? Non planum est, aliter fieri non posse, quin is qui tot res aliquibus imperet, et ipse pro his voluptates aliquibus suppeditet, qui etiam argentum insumunt? Neque enim, ita me Jupiter amet, qua alia ratione modestius turpium facinorum tuorum mentionem faciam, invenio.

16. Æstimate autem rem, si vultis, e civilibus exemplis: iisque potissimum quæ nunc in manibus habetis. Suffragia lata sunt in municipiis: et quisque nostrum suffragium tulit de homine, quis vere sit Atheniensis, quis non sit. Atque ego cum accedo ad judicium, et reos audio, idem apud vos semper valere video. Nam cum dicit accusator: Judices, hunc populares condemnarunt, etsi mortalium nemo jurarit, aut accusarit, aut testimonium in eum dixerit—vos tamen, quippe conscii, tumultuamini statim, quasi reus non habeat jus civitatis. Neque enim vobis opus esse videtur verbis aut testimoniis, iis in rebus, quas quis ipse evidenter novit. Age vero, si quemadmodum de genere, sic de acta vita Timarchi suffragium ferendum fuisset, utrum teneretur, an vero non teneretur: et res in judicio disceptata, vobisque proposita fuisset, ut nunc: non licuisset autem per legem aut decretum vel mihi accusare, vel isti causam dicere: sed præco, qui nunc mihi adstat, vos legitimo illo præconio

hortatus esset: perforato calculo suam sententiam declaret is cui videtur scortum egisse Timarchus, integro autem cui non: quidnam pronunciassetis? Satis scio, vos illum fuisse condemnaturos. Quod si me quis vestrum roget, unde ego sciam utrum vos istum condemnaturi fueritis? Dixerim, eo quod libere mecum egeritis, ac disserueritis: quando et ubi quisque id fecerit, ego vos commonefaciam. Cum iste apud populum suggestum conscendisset: item, cum senatus anno superiore haberetur: præterea, cum mentionem fecisset mœnium reficiendorum, aut turris: aut ut aliquis quopiam abduceretur, cum dixisset: statim ridebatis, et clamabatis, et ipsi dicebatis cognomina rerum, quarum ei estis conscii. Ac multa quidem vetera omittam: quæ vero in ipsa concione acta sunt, cum ego Timarcho judicium hoc denunciavi, ea vobis in memoriam revocabo. Nam cum senatus Areopagiticus populum ex istius decreto accederet, quod iste fecerat de domiciliis in Pnyce: orationem nomine senatus Areopagitici habebat Autolycus: qui, ita me dii ament, bene honesteque et pro ejus concilii dignitate vixerat: sed ubi tandem in orationis progressu dixit, senatum Timarchi sententiam de solitudine hac et loco in Pnyce improbare: ne miremini, inquit, Athenienses, si Timarchus peritia senatum superat: ibi vos plausum excitastis, et Autolycum vera loqui dixistis; esse enim eum locorum illorum peritum. Autolycus autem plausu vestro non intellecto, severo admodum vultu post intervallum dixit: nos Areopagitæ, Athenienses, Timarchum nec accusamus, nec defendimus,—neque enim patrium id nobis est—, sed hanc veniam Timarcho damus. Tum iste, fortassis, inquit, putavit in hoc silentio parvum a nostrum unoquoque sumptum fieri. Rursus ob silentium et parvum sumptum, major vester eum excepit cum risu plausus. Ut vero mentionem fecit arearum et canalium, risu pene emortui estis. Ibi Pyrrhander prodit vos objurgaturus: et rogat populum, an non puderet ridere præsente senatu Areopagitico. Vos autem repudiato eo respondistis: scimus, Pyrrhander, coram his non esse ridendum: sed res adeo fortis est veritas, ut omnes humanas cogitationes vincat. Hoc ego testimonium vobis esse perhibitum existimo a populo Atheniensi, quod mendacii coargui nefas est. Absurdum igitur fuerit, Athenienses, si me nihil dicente, ipsi proclamatis cognomentum facinorum, quorum isti estis conscii, me vero dicente obliti estis: sique nullo de re judicio facto condemnatus esset, re vero convicta absolvetur.

17. Postquam autem suffragiorum memini, et actorum Demophili, aliud etiam his de rebus exemplum adducam. Idem enim hic vir prius etiam hujusmodi quippiam gessit. Conquestus est, esse quosdam qui instituerent corrumpere concionem, ceteraque judicia, quemadmodum etiam nunc Nicostratus; et his de rebus judicia quædam

olim facta sunt: quædam etiam nunc fiunt. Agite vero, per Deos immortales, si eadem qua nunc Timarchus ejusque patroni defensione usi fuissent, ac postulassent, ut aut aliquis perspicue testificaretur de crimine, aut judices non crederent: ea ratione omnino scilicet necessarium fuisset, illum testari se corrupisse, alium, se corruptum esse, cum in utrumque pœna capitis legibus sancitum sit: quemadmodum hic, si quis aliquem Atheniensem ad contumeliam conduxerit, ac vicissim, si quis Atheniensis ultro ad dedecus se prostituerit. Est vero aut testis qui testificatus sit, aut accusator qui factum eo pacto demonstrare instituerit? Nullus utique. Quid ergo? Absoluti sunt rei? Non mehercule, sed capite pœnas dederunt: cum quidem eorum peccatum sit longe minus istius flagitiis. Nam illi miseri, cum non possent paupertatem simul, et senectutem tolerare, quæ gravissima in rebus humanis mala sunt, in eas calamitates inciderunt: iste eo quod suam petulantiam noluit coercere. Quod si causa hæc in alia urbe ageretur, vos ego testes citassem, ut qui optime sciretis, me dicere verum: sed cum Athenis agatur, atque iidem meæ sitis et judices et testes orationis, meum est vos admonere, vestrum credere.

18. Timarchus etenim mihi videtur, judices, non suum duntaxat negotium agere, sed ceterorum etiam, qui eadem cum ipso facinora commiserunt, nam si scelus ipsum, ut solet, clam committetur, atque in solitudine et in ædibus privatis: qui autem optime novit, atque civium aliquem probro afficit, si verum testimonium dixerit, in maximis periculis versabitur: reus autem suæ vitæ ac veritatis oppressus testimonio postulabit, ut de se judicium fiat, non ex sui notitia, sed ex testimoniis: tolletur et lex et veritas, et evidens monstrata erit via, qua homines maximis constricti facinoribus elabantur. Quis enim aut grassator, aut fur, aut adulter, aut homicida, aut gravissimorum scelerum designator, modo occulte faciat, dabit pœnas? Inter hos enim, ii qui in ipso facinore deprehenduntur, et fatentur, statim occiduntur: qui autem clam fecerunt, et inficiando sunt, in judicium adducuntur. Veritas enim conjecturis quibusdam verisimilibus indagatur. In quo uti potestis exemplo senatus Areopagitici, quo nullum est urbe diligentius concilium. Multos enim ego vidi nuper in ea curia, cum optime dixissent, et testes produxissent, succubuisse: atque etiam aliquos, causa male perorata, et nullis testibus confirmata, vicisse. Neque enim ex oratione duntaxat, neque ex testibus, sed ex sua conscientia et indagatione suffragium ferunt. Itaque hoc concilium in urbe semper est cum auctoritate. Ad eundem igitur modum et vos, Athenienses, in hac facite controversia; ac primum nihil vobis sit credibilius eo quod ipsi scitis, ac persuasum habetis de Timarcho: deinde rem æstimate non ex præsenti, sed ex præterito tempore. Nam qui sermones superiori tempore fiebant de Timarcho ejusque studiis, eo quod veri essent, fiebant: qui autem hoc die dicentur, propter hoc discrimen, vestri decipiendi gratia. Apponite ergo calculum longiori tempori, et veritati, et conscientiæ vestræ.

19. Enimvero scriptor quidam orationum, qui defensionem eis concinnat, me ipsum pugnare mecum asserit. Neque enim ei posse fieri videtur, ut idem homo et quæstum corpore fecerit et decoxerit. Nam peccatum aliquod in suum corpus admisisse, id pueri esse ait: patrimonium autem per luxum absumpsisse, viri. Præterea eos qui semetipsos probris afficiant, ob eam rem exigere mercedes asserit. Proinde admirabundus circuit in foro, portenti esse simile dictitans, si idem et quæstum corpore fecerit, et decoxerit. Quæ si quis est qui nesciat quomodo se habeant, ego dabo operam ut verbis ea definiam planius. Nam dum opes orbæ puellæ, quam Hegesander Timarchi maritus duxerat, sumptus tolerare poterant, et ea pecunia quam ex Timomachea peregrinatione retulerat: luxuriosissime lautissimeque vivebant. Sed cum et illa perissent, alea et cupediis exhausta: et iste jam exoletus esset: nemoque jam, ut fieri solet, quicquam ei largiretur: ingenium autem ejus importunum et nefarium eadem subinde postularet, et pro inexplebili intemperantiæ siti aliud atque aliud imperaret, quod pro quotidiana consuetudine absumeretur: tum demum ad paternas facultates devorandas se convertit. Neque vero devoravit solum, sed si dici fas est, etiam exhausit. Neque enim justo quamque possessionem pretio distraxit, neque auctionatus est, aut utilitatis rationem ducere potuit, sed tanti vendidit, quantum in præsentia offerebatur. Tanto impetu ad voluptates ferebatur. Nam eas illi pater facultates reliquerat, unde alius etiam reipublicæ contulisset: eas vero iste ne conservare quidem potuit. Videlicet domum urbanam, fundum Sphettium, aliud prædium Alopecense: præterea servos sutoriæ artis peritos novem aut decem: quorum quisque binos isti obolos in dies singulos pendebat, opificii vero magister ternos: ad hæc mulierem byssi texendæ peritam, et subtilia opera in forum afferre solitam, et hominem phrygionem, et quosdam obæratos, suppellectilia denique.

20. Et hæc ut vere a me dici constet, nunc demum eos producam, qui plane atque aperte re ipsa testificentur. Neque enim hic ullum periculum aut dedecus, ut illic, verum testimonium perhibenti accedet. Nam urbanas ædes Nausicrati Comico histrioni vendidit; post autem eas a Nausicrate XX. minis emit Cleænetus, chori magister: fundum emit ab eo Mnesitheus Myrrhinusius, amplum illum quidem, sed istius culpa prorsus tribulis et sentibus obsitum: Alopecense porro prædium quod a mœnibus XI. aut XII. stadia distat, supplicante et obtestante matre ut retineret, neque venderet, et, si non in aliud, saltem ad sepulturam suam reservaret, ne ab eo

quidem prædio abstinuit: sed id quoque duobus drachmarum millibus vendidit. Neque ancillarum aut servorum ullum retinuit, sed omnes venundedit. Quæ non fingi a me ex eo intelligetur, quod testimoniis declarabitur, hæc ei a patre relicta fuisse: quæ si se vendidisse negat, corpora servorum in conspectum producat. Eundem etiam isti æs alienum reliquisse, idque ab isto absumptum esse, Metagenis Sphettii testimonio probabo: qui quidem illi amplius xxx. minas debuerat: id vero quod reliquum fuerat, defuncto patre reddidit, septem minas. Accerse mihi Metagenem Sphettium. Sed primum omnium lege Nausicratis testimonium, qui ædes emit, et cetera cape omnia, quorum in oratione mentionem feci.

TESTIMONIA.

21. Jam patrem ejus argenti non parum possedisse, quod iste dissipavit, hoc vobis demonstrabo. Veritus enim munera publica, possessiones quas habuit vendidit, præter prædia supra commemorata: videlicet alium agrum Cephisiensem, Amphitropenses officinas duas in argentifodinis: alteram in Aulone, alteram ad Thrasylum. Eas autem unde sit consecutus exponam. Tres fuerunt fratres: Eupolemus lanista, Arizelus istius pater, et Arignotus, etiam nunc superstes, senex, orbus oculis. Horum primus obiit Eupolemus, non diviso patrimonio: secundus Arizelus, Timarchi pater. Qui, dum vivebat, omnes facultates tractabat propter Arignoti morbum, et oculorum calamitatem, atque obitum Eupolemi: certamque Arignoto pecuniam, quam ei pro victu ordinarat, pensitabat. Ut autem Arizelus etiam, Timarchi pater obierat: primis quidem temporibus, dum iste puer adhuc erat, Arignoto a tutoribus æqua omnia præstabantur: posteaquam vero in album civitatis inscriptus est Timarchus, atque opes in suam redegit potestatem, repulso homine sene et calamitoso, eoque patruo suo, cum facultates occultavit, tum Arignoto nihil suppeditavit: sed in tantis opibus nomen inter inopes et causarios dare passus est. Denique, id quod est omnium gravissimum, cum senex inopum explorationi non interfuisset, atque senatui pro mercede impetranda supplicasset, iste cum et senator et præses eo die esset, illi patrocinari noluit, sed amittere mercedem senatoriam passus est. Quæ ut vere me dicere constet, voca Arignotum, ejusque testimonium recita.

TESTIMONIUM.

At vero, dicet quispiam, eum paternis ædibus venditis, quasdam alias in urbe comparasse: ac pro fundo, et Alopecensi prædio, et opificibus, ac ceteris, in argentifodinas aliquid contulisse, ut et

patrem ejus olim. Atqui res se ita non habet. Nihil restat, non domus, non villa, non fundus, non servi, non æs alienum, non aliud quicquam, unde homines non malefici vivunt. Sed isti loco patrimonii superest improbitas, calumnia, confidentia, deliciæ, ignavia, impudentia, erubescendi ob turpitudinem inscitia: quibus e rebus civis pessimus et nequissimus conflari queat.

22. Neque vero patrimonium duntaxat absumpsit, sed publica vestra, quibus unquam potitus fuit. Nam is quum ea sit ætate, quam vos videtis, nullus magistratus est omnium, quem non gesserit, non illum quidem sorte oblatum, aut suffragio mandatum, sed omnes pretio contra leges redemptos. Quorum ego plurimis omissis, duorum duntaxat aut trium faciam mentionem. Censor factus, plurimum reipublicæ nocuit, cum muneribus ab iis accipiendis, qui rem male gesserant, tum iis maxime calumniandis, qui rationes referebant, et nihil peccarant. Imperavit etiam Andri, imperio xxx. minis redempto, ac novenis obolis in minam pecunia mutuo sumpta: ut vestrorum sociorum opibus suam improbitatem expleret. Tantamque petulantiam in hominum ingenuorum uxores ostentavit, quantam nemo alius unquam: quorum ego neminem huc voco, ad suam calamitatem, quam silentio tegere statuit, publice testandam: sed id vobis relinquo cogitandum. Quid vero exspectatis? Qui se Athenis insolenter gerit, non in alios duntaxat, sed et in suum ipsius corpus, cum leges sint, cum vos videatis, cum inimici ei immineant: eum licentiam nactum, et auctoritatem atque imperium, quis speret ullum prætermisisse spurcissimum facinus? Ac mihi profecto sæpe subiit felicitatem nostræ urbis mirari, cum ob alia multa, tum ob illud maxime, quod eo tempore nullus urbis Andriorum emptor exstitit.

23. Sed fortassis per se magistratus fuit improbus, cum collegis autem moderatus. Unde? Iste, Athenienses, senator factus est prætore Nicophemo. Omnia porro ejus facinora illo anno edita, exigua dieculæ parte velle recensere, absurdum fuerit: quæ autem crimini hujus judicii maxime sunt affinia, ea exponam breviter. Eodem igitur prætore, cum iste senator esset, Minervæ quæstor fuit Hegesander, Crobyli frater. Furabantur autem clam, et magna cum fide amicitiæ M. drachmas civitati. Qua re vir bonus, Pamphilus Acherdusius, cui cum isto simultatis aliquid intercedebat, animadversa, commotus in concione surrexit, ac dixit: Athenienses, furantur vobis communiter maritus et uxor mille drachmas. Vobis autem admiratis, quo pacto maritus et uxor, et quid ea sibi vellet oratio, paulo post: ignoratis quid dicam? Maritus nunc est, inquit, Hegesander ille, qui uxor olim et ipse fuit, Leodamantis: uxor, Timarchus. Quo autem pacto pecunia surripiatur, ego dicam. Ac deinde rem exponebat, eamque valde probabiliter dilucideque. His

commemoratis, Quid ergo, inquit, consilii do vobis? Si senatus istum injuriæ condemnatum, et frondium suffragio repudiatum judicio tradiderit, præmium de more eis datote: si vero non punierint, ne datote, sed illo die recordamini. Post senatus in curiam reversus frondium quidem suffragio istum ejecit, sed dicenda sententia recepit. Quia vero nec judicio tradiderat, nec e curia ejecerat (equidem cum dolore dico, sed dico necessario) præmio caruit. Nolite igitur committere, Athenienses, cum senatui succensueritis, et quingentis civibus coronas ademeritis propter istum non punitum, ut eundem ipsi non puniatis: et oratorem qui senatui non profuit, populo conservetis.

24. At in magistratibus sorte obvenientibus est talis: in iis autem qui electione creantur, melior. Ecquis vero vestrum ignorat, quanta cum infamia peculatus sit convictus? Missus enim a vobis ad habendum delectum peregrinorum Eretriæ militum, solus collegarum se argentum accepisse fatebatur: neque causam dicebat, sed statim injuriam confitens, mulctam graviorem deprecabatur. Vos autem eorum cuique qui inficias ierant mulctam talento æstimastis, isti triginta minis: cum leges jubeant furem confitentem capite plecti, negantem in judicium adduci. Proinde ita vos contempsit, ut in ferendis de jure civitatis suffragiis bis mille drachmas acceperit. Nam cum Philotadem Cydathenæensem, hominem civem, libertum esse suum asseruisset, ac popularibus persuasisset, ut eum repudiarent: suscepta in judicio accusatione, sacrisque in manus acceptis, datoque jurejurando testatus, se dona nec cepisse, neque capturum esse, deos jurisjurandi præsides obtestatus, et exitium sibi ipsi imprecatus, celare non potuit, se a Leuconide Philotadis affine per Philemonem histrionem xx. minas accepisse, quas exiguo tempore in Philoxenam meretricem impendit. Sic et prævaricatus est, et pejeravit. Ac ut vera dicere me constet, voca mihi Philemonem, qui argentum Timarcho dedit, et Leuconidem Philotadis affinem, et pactionis exemplum recita, ut videant quo pacto causam vendiderit.

TESTIMONIUM. PACTIO.

25. Qualis igitur in cives et cognatos suos fuerit, et patrimonium quam turpiter absumpserit, et ut suum corpus affici probris non recusarit, id quidem scivistis, prius etiam quam ego dixissem: sed et mea vos oratio, quantum satis est, commonefecit. Reliqua porro mihi duo sunt accusationis genera: de quibus ut et ego ita dicere queam pro republica, ut institui, deos immortales precor: et vos ea quæ dicturus sum, attente atque intelligenter audire vellem. Continet autem prior mea oratio prænarrationem defensionis, quam institutam esse audio: ne ea prætermissa, is qui se dicendi artem adolescentes edocturum pollicetur, fraude aliqua injecta, id vobis eripiat quod est e republica. Altera, cohortationem civium ad virtutem. Multos enim et adolescentes et senes adstare judicio video: neque paucos etiam e reliqua Græcia ad audiendum convenisse: quos adesse non mei, sed vestri potius spectandi causa, putare debetis: ut intelligant, an non modo bonas leges sancire sciatis, sed etiam, quæ honesta, quæ inhonesta sint, rite dijudicare queatis: et an honorem habere sciatis viris bonis: et an velitis eos punire, qui sic vitam instituerunt, ut ea in reipublicæ ignominiam redundaret. Dicam autem primum apud vos de defensione. Nam eloquentiæ copiis affluens Demosthenes ait, vobis aut delendas esse leges, aut non dandum esse locum orationi meæ. Admiratur enim, si vos omnes non memineritis, senatum quotannis vendere vectigal meretricium: ejusque vectigalis redemptores non conjectare, sed compertum habere, qui faciant eum quæstum. Postquam igitur ego ausus sim ad prætorem referre, Timarcho non licere conciones habere, ut qui pudicitiam prostituerit: postulare hoc negotium non crimen accusatoris, sed testimonium redemptoris, qui vectigal istud a Timarcho collegerit. Ego vero, Athenienses, considerate, an ad hæc simpliciter liberaliterque sim responsurus. Nam me civitatis pudebit, si Timarchus, qui populo sit a consiliis, qui legationes in Græcia obire audeat, non totam rem a se amovere studuerit, sed de locis interrogarit, ubi sederit, et publicanos, an se unquam meretricium vectigal exegerint. Hac igitur defensione vestra causa cedat. Ego vero aliam rationem tibi suggeram, honestam et æquam: qua utaris, si nullius tibi turpitudinis es conscius. Audeto judices intuens ea dicere, quæ dicenda sunt viro modeste ætatis flore uso: Athenienses, ego a pueritia et adolescentia sum apud vos educatus: neque vero studiis obscuris occupor, sed vobiscum conspicior in concionibus. Arbitror autem, si id crimen, cujus arguor, apud alios mihi defendendum esset: vestris testimoniis me accusatoris orationem facile fuisse refutaturum. Neque enim tum duntaxat, si quid istorum egi, sed si vobis egisse videor vitam ab istis criminibus non abhorrentem: vitam posthac acerbam mihi existimans, non recuso quo minus civitas de me supplicium sumat, ut se apud Græcos excusare queat: neque ad vos deprecandi causa venio, imo interficitote me, si talem existimatis.—

26. Hæc, Timarche, defensio fuerit viri boni et modesti, et vita anteacta freti, et omnia maledicta non sine ratione contemnentis: quæ vero dicendi Demosthenes tibi auctor est, ea non sunt hominis ingenui, sed scorti, de locis contendentis. Quoniam autem ad cognomenta domiciliorum confugis, et rem ostiatim coargui postulas, ubi sederis: auditis iis quæ dicturus sum, eandem orationem si sapis non repetes. Neque enim domicilia aut habitationes cogno-

menta faciunt habitatoribus, sed habitatores suorum studiorum cognomenta locis indunt: id quod pluribus exemplis ostendi supervacaneum est. Nam si in earum tabernarum quæ in viis sunt quapiam medicus habitarit, ab eo cognomen sumit: ubi is emigrarit, ac faber ærarius immigrarit, amisso priore aliud accipit; eodemque modo si fullo, aut alius opifex, aut leno. Quod si lupæ, ab eo quæstu lupanar appellatur. Tu igitur, qui in isto genere tam fueris expeditus et facilis, multa tibi lupanaria effecisti. Ne igitur, ubinam feceris interroga: sed hoc te fecisse nega.

27. Afferetur porro alia quoque oratio ab eodem rhetore composita. Ait enim fama nihil esse iniquius, circumforanea argumenta et vitæ suæ omnino consentanea proferens. Primum ædes in Colono, quæ Demonis dicantur, falsum habere cognomen: neque enim esse Demonis. Deinde Mercurium, qui Andocidis vocetur, non esse Andocidis, sed Ægeiæ tribus donarium. Interseret etiam se ridiculi gratia, quippe homo suavis, et in privatis congressibus facetus: nisi me quoque inquit, moveri oportet turbæ dicterio, ut qui non Demosthenes nominer, sed Batalus, quod id cognomen per nutricis cujusdam blanditias tributum mihi fuit. Quod si Timarchus formosus fuit, atque ob ipsius formæ crimen, et non propter facinora sua, male audit: non ideo profecto, inquit, eum plecti oportet. Ego vero, Demosthenes, de donariis et ædibus et possessionibus, omnibus denique rebus mutis, multas ac varias, neque unquam inter se consentientes orationes haberi audio. Neque enim eis insunt vel honestæ vel turpes actiones, sed quivis qui eas attigerit, quique illo accesserit, pro magnitudine suæ opinionis, famam de iis spargit: de vita autem hominum et oratione et actionibus, vera quidem et minime fallax ultro fama per urbem oberrat, et vulgo actiones privatas nunciat: multa etiam de rebus futuris vaticinatur. Atque id quod dico, adeo est evidens, et non commentitium, ut inventuri sitis nostram civitatem et majores nostros aram Famæ, ut maximæ deæ, consecrasse: et Homerum in historia Trojani belli, sæpe dicere, antequam aliquid eveniat quod futurum est,

> Fama in castra venit.

Euripidem item pronunciare, deam hanc non viventes tantum posse ostendere quales sint, sed et defunctos, cum ait:

> Bonum vel imis Tartari recessibus
> Vetat latere Fama.

Hesiodus autem plane deam illam esse demonstrat, idque perspicuis verbis, si quis scire cupiat. Ait enim:

> Quam populi sermo celebrat creber, irrita nunquam
> Fama cadit penitus: dea quædam cum sit et ipsa.

Et hæc poemata laudari ab iis omnibus qui honeste vixerunt repe-

rietis; omnes enim honoris publici appetentes, gloriam se a bona fama consecuturos arbitrantur: quorum autem vita turpis est, ii non honorant hanc deam, ut quam immortalem habituri sint accusatricem. Recordamini ergo qualem de Timarcho famam audiatis. Nonne statim audito nomine rogatis, quis Timarchus? Num ille impudicus? Jam si de re aliqua testes produxissem, crederetis mihi: at ubi deam produxero testem, non credetis? In quam vel solam falsi testimonii actio non competit. Nam quod etiam ad Demosthenis cognomentum attinet, non male certe quidem is, haud sane a nutrice, verum a fama Batalus appellatur: nomen id ex mollitie quadam, et indignis viro modesto gestibus assecutus. Si quis enim tibi elegantes istas lænas avulsas, et molles tuniculas, in quibus illas in amicos orationes scribis, allatas judicibus in manus tradat, equidem arbitror eos, nisi præmoniti fuerint, dubitaturos, virine an mulieris vestem accepissent.

28. In causæ porro dictione adscendet etiam imperator quidam, ut audio, resupinato vultu sese respectans, ut in palæstris et hujusmodi exercitationibus versatus: qui constitutionem totius causæ convellere nitetur, me non judicium dictasse, sed magnæ inscitiæ principium apportasse dicens: ac primum commemorabit viros de vobis benemeritos, Harmodium et Aristogitonem, eorumque fidem mutuam, et consecutas ex ea reipublicæ utilitates: neque etiam, ut aiunt, Homeri versibus abstinebit, aut heroicis nominibus, sed et Achillis et Patrocli ortam ex amore amicitiam, ut fertur, celebrabit, et formam, quasi vero ea non olim in felicitatis numero ponatur cum modestia conjuncta, nunc laudabit. Nam si calumnia quorundam efficiet, ut corporis decor aliquibus calamitati sit, non ea vos publice decreturos dicent, quæ privatim exoptetis. Absurdum enim videri sibi, cum omnes vos liberis operam daturi, vota faciatis, ut filii nondum nati forma præstantes, et civitate digni evadant: eos qui jam nati sunt, quos rempublicam laudi sibi ducere conveniat, si formæ elegantia præstantes, aliquos in sui admirationem convertant, et contentione quadam amoris expetantur, a vobis Æschini obsecutis ignominia notari. Et hoc in loco, ut audio, me quoque perstringet, rogitans, an me non pudeat, cum ipse in gymnasiis frequens, et plurimorum amore captus fuerim, eam rem efficiam ignominiosam et periculosam; postremo, ut quidam mihi nunciant, vos ad risum et nugas cohortans, se vobis monstraturum dicet, quam multa in quosdam amatoria poemata fecerim: ac testes producturum pollicebitur, de conviciis ac verberibus ob eam rem mihi factis. Ego vere nec honestum amorem reprehendo, neque homines forma præstantes impudicitiæ arguo, nec ipse inficias eo, me propensum esse ad amores, neque etiam æmulationes et pugnas cum aliis, hodie quoque ex ea re oriri solitas, et mihi accidisse nego. De poematis autem quæ me

fecisse dicunt, eorum quædam agnosco, quædam ita esse, ut ab istis corrupta proferuntur, non concedo. Amorem porro honestorum et modestorum, humani affectus et liberalis animi esse statuo: sed pecunia redimendi aliquem petulantiam, viri injurii et insciti munus esse arbitror. Atque etiam citra corruptelam amari, honestum esse affirmo: sed mercede adductum se prostituere, turpe. Quantum autem inter horum utrumque intersit, quantoque opere differant, post vos edocere conabor. Patres enim vestri, cum de vitæ ratione, iisque tum malis leges ferrent, quæ naturæ afferret necessitas, tum bonis quæ ingenuos affectare deceret, hæc servis interdixerunt: servus, inquit lex, non exerceatur nec pulvere aspergatur palæstris. Neque vero adscripsit etiam: ingenuus autem ungatur et exerceatur. Nam ubi legumlatores perspecta exercitationum honestate, ab earum usu servos repulerunt, eadem lege putarunt, qua illos prohiberent, se ingenuos exhortari ad exercitationes. Rursus idem legislator edixit, ne servus ingenuum puerum vel amet vel assectetur, aut publico flagello L. plagis afficiatur. Ingenuo autem non interdixit, ne vel amaret, vel colloqueretur, vel assectaretur: neque id puero incommodare, sed integritatis testimonium perhibere putavit. Nam cum idem nondum sit eo judicio præditus, ut verum amatorem a falso possit discernere, ipsum amatorem castigat, et amicitiæ dijudicationem ætati prudentiori et graviori asservat: assectationem porro et inspectionem, modestiæ custodiam esse maximam existimavit. Proinde viros de republica bene meritos, et virtute præstantissimos, Harmodium atque Aristogitonem, modestus ille ac legitimus, sive amor sive mos est appellandus, sic erudiit, ut qui eorum facta celebrant, laudes rerum ab illis gestarum non assequi videantur.

29. Quando autem Achillis et Patrocli meministis, atque Homeri, aliorumque poetarum, quasi judices nullis disciplinis sint eruditi, vos autem gravitatem quandam affectatis, et populo majorem eruditionem: ut videatis nos quoque jam aliquid audivisse ac didicisse, hisce de rebus et ipsi aliquid disseremus. Postquam enim eruditorum hominum facere mentionem, et ad expositas versu sententias confugere instituunt, videte, Athenienses, poetis omnium consensu præstantibus et bonis consideratis, quantum interesse existimarint inter modestos, ac sui similium amantes, et inter immodestos, qui ea desiderant quæ non decet, ac contumeliosos. Primum autem de Homero dicam, quem in antiquissimis et sapientissimis poetis numeramus. Qui cum multis locis Patrocli et Achillis meminerit, amorem et cognomentum amicitiæ illorum dissimulat, cum insignem illam benevolentiam eruditis auditoribus esse conspicuam existimet. Quodam enim loco Achilles Patrocli necem deplorans, ut rem earum rerum quæ sibi acciderint omnium acerbissimam:

dum recordatur, se invitum fefellisse fidem Menœtio, Patrocli patri, datam: cui promisisset, se Patroclum, Opuntem salvum reducturum—fuit enim Opuntius—, si eum secum ad Trojam ablegasset, et fidei suæ commisisset: unde apparet eum amoris causa illius curam suscepisse: eos versus posuit, quos ego nunc recitabo:

> Heu quam stulta meæ venit sententia menti,
> Quo spondere die potui tibi, clare Menœti,
> Incolumem, illustremque ad Opuntia mœnia natum
> Eversa Troja, spoliis insignibus auctum,
> Victorem? Sed non deus omnibus omnia vota
> Indulget: siquidem sic impia fata tulerunt,
> Nos eadem ut tegeret tellus, utriusque cruore
> Sparsa ruberet humus.

Neque vero hic duntaxat lamentatur, sed eum adeo vehementer luget, ut cum a Thetide matre audisset, se, si hostes non persequeretur, sed inultam Patrocli necem pateretur, domum reversum, senem in sua patria obiturum: sin ultus esset, celeriter vitam cum morte commutaturum, fidem erga mortuum suæ prætulerit incolumitati. Tantaque animi magnitudine ad ulciscendum illius interfectorem properarit, ut omnibus eum consolantibus, et lavare ac cibum capere jubentibus, abjurarit se quicquam illorum facturum, priusquam caput Hectoris ad Patrocli sepulcrum attulisset. Ei porro in rogo dormienti, ut ait poeta, simulacrum Patrocli obversatum, hujusmodi rerum memoriam refricat, et ea mandat Achilli, quæ nobis lacrymas excutere possint, et efficere, ut virtutem eorum atque amicitiam admiremur. Nam eum jubet, præfatus in primis illum etiam non longe a morte abesse, si quo modo fieri possit, dare operam, ac providere, et quemadmodum una sint educati et versati, sic eorum etiam defunctorum ossa eodem in loculo reponantur. Præterea lamentans, et actam una vitam recensens, ait, se posthac maximis de rebus, ut soliti prius fuerint, in eodem consessu, seorsim a ceteris non esse deliberaturos: fidem, opinor, et benevolentiam, rem summi esse desiderii existimans. Ut autem poetæ sententias versibus inclusas audiatis, recitabit vobis scriba versus quos his de rebus fecit Homerus. Eos primum narra, quos de Hectoris supplicio fecit.

> Nunc postquam, Patrocle, tuæ sum postera vitæ
> Tempora sortitus, non ante ego debita solvam
> Funere justa tuo, quam huc Hectoris arma superbi
> Et caput attulero.

Recita ergo ea quæ Patroclus in somnis illi dicit de communi sepultura, et de vitæ actæ una consuetudine:

> Non dabitur tecum posthac de rebus agendis
> Consulere, ut nuper viventes fecimus ambo:

Sed me letiferi cohibet vis ferrea fati,
Quod mihi nascenti sævæ statuere sorores.
Hoc quod te quoque, Achille, manet, sub mœnibus altis
Laomedonteæ parvo post tempore Trojæ.
Hoc quoque te repetens iterumque iterumque precabor,
Ne procul a nostris tua mandes ossa reponi
Ossibus: et quoniam primos simul egimus annos,
Cum puerum pater ex Opoente Menœtius olim
Me tulit ad vestros studio properante penates,
Tempore quo infelix natum Amphidamante peremi
Ludendo invitus: tum me domus inclyta Pelei
Suscepit, cura et tecum nutrivit eadem:
Nunc etiam nostra ossa una condantur in urna
Conjuncta aureola, sed quæ capere utraque possit,
Quam tibi (nam memini) dono dedit inclyta mater.

Licuisse porro ei esse incolumi, nisi Patrocli necem ultus esset, ea legito quæ Thetis ait:

Et te, sicut ais, cita mors manet, inclyte fili:
Sed prius Hectoreo tinges in sanguine dextram,
Cui vitam eripies, cujus tu fata sequeris
Temporis exigui spatio. Sic dixit, at illi
Reddidit ex imo suspiria pectore ducens
Filius Æacides: equidem, carissima mater,
Sicut ais, moriar, quando jacet iste meorum
Optimus, et longe huic animo carissimus idem,
Cui non auxilio potui, non esse saluti,
Ne procul a patria, Trojæ sub mœnibus altis,
Hostili caderet perfossus pectora ferro.

30. Jam qui nulli poetarum sapientia cedit Euripides, in rebus honestissimis amorem modestum numerans, quodam eum loco votis exoptans, sic ait:

Amor modestus, et virtutis assecla,
Est expetendus, isque contingat mihi.

Rursus idem poeta in Phœnice, de calumnia qua delatus fuerat apud patrem, pronunciat, se defendens et homines consuefaciens, ne ex suspicionibus aut criminationibus, sed ex anteacta vita judicium faciant:

Jam sæpe lectus acris litis arbiter,
Cum multa concurrissent dicta testium,
Statui diversum, causa adductus unica.
Et ego quidem sic (ratio ut ipsa postulat)
Inquiro vera, mores intuens viri, et
Quotidianæ vitæ consuetudinem.
Namque improborum cui placet sodalitas,
Is qui siet vir, non rogo: sciens satis,
Sodalium illum convenire moribus.

Considerate sententias, Athenienses, quas poeta profert. Ait se jam multarum rerum fuisse disceptatorem, ut et vos nunc judices: seque asserit judicia non e testimoniis, sed e studiis et familiaritatibus fecisse: illuc respicientem quæ fuisset reo quotidianæ vitæ consuetudo, et ut suam familiam gubernasset: quasi eodem modo et rempublicam esset administraturus: et quorum commercio gavisus esset, denique pronunciare non dubitat, talem eum esse, quales ii sint, quorum consuetudine delectetur. Æquum igitur est, vos de Timarcho etiam iisdem cum Euripide uti rationibus. Quomodo suam rem familiarem curavit? Patrimonium et suum et amicorum per luxum absumpsit, prostituta mercede pudicitia, acceptisque ob rem judicandam muneribus omnia strenue confecit, ut nihil ei sit reliquum præter dedecus? Cujus autem consuetudine delectatur? Hegesandri. Hegesandri porro studia quæ sunt? Ea, propter quæ legibus a concionibus habendis repellitur. Ego vero de Timarcho quid dico? Et quænam ad prætorem retuli? Ne conciones habeat Timarchus, pudicitia prostituta, et per luxum absumpto patrimonio. Vos quid jurastis? De iis rebus pronunciaturos, quæ in accusatione præscriptæ sint.

31. Ne vero poetarum auctoritate inculcanda sim prolixior, virorum dicam seniorum, notorumque vobis nomina, adolescentum item et puerorum, quorum alii ob formæ venustatem multos habuerunt amatores, alii per ætatem nunc etiam habent: quorum nemini unquam eadem quæ Timarcho crimina sunt objecta. Vicissimque vobis commemorabo nomina hominum, qui libidini turpiter aperteque indulserunt: ut vos eorum recordati, Timarchum in convenientem ei ordinem reponatis. Primum autem commemorabo ingenuorum nomina, qui ætatem honeste exegerunt. Nostis, Athenienses, Critonem Astyochi, et Periclidem Perithœdæ F., et Polemagenem, et Pantoleontem Cleagoræ F., et Timesitheum cursorem, qui non civium duntaxat, sed et Græcorum omnium formosissimi fuerunt, atque amatores plurimos et modestissimos habuerunt: tamen nemo unquam eos vituperavit. Rursus ex adolescentibus, et iis qui etiam nunc inter pueros censentur, primum Iphicratis ex fratre nepotem, Tisiæ Rhamnusii F., Timarcho nunc reo cognominem, qui cum sit decorus adspectu, tantum abest a turpitudine, ut nuper, cum in suburbanis Bacchanalibus comœdiæ in Colytto agerentur, et Parmeno comicus histrio dixisset ad cœtum versum anapæsticum: esse quosdam magnos catamitos, Timarcho similes: nemo id in adolescentem, sed in te omnes dici putarint. Adeo illius studii crevisti hereditatem. Anticlem porro cursorem, et Phidiam Milesii fratrem. Cum autem multos adhuc haberem commemorandos, desinam, ne de industria gratiam illorum videar aucupari. Jam de illis qui sunt Timarcho similes, quamvis inimicitias fugiam, tamen eorum quos

minime curo faciam mentionem. Quis enim vestrum Diophantum, qui orbus appellatur, non novit? Qui hospitem ad prætorem traxit, cujus assessor fuit Aristopho Azeniensis: conquestus se quatuor ab illo drachmis ob eam rem promissis, fraudari: et leges recitavit, quæ prætorem pupillorum curam gerere jubent: neglectis iis, quæ modestiæ tuendæ causa latæ sunt. Eum ergo quis non oderat? Quis civium non aversabatur Cephisodorum, qui Molonis F. nominabatur, quod pulcherrimi adspectus elegantiam summis probris contaminarat? Aut Mnesitheum, qui Magiri (coqui) F. dicitur, aut multos alios, quorum ultro obliviscor? Neque enim eorum quemlibet acerbe et nominatim recensere volo: sed multo magis optarim, in oratione me talium factorum inopia laborare, pro mea erga urbem benevolentia. Sed quia utrorumque quosdam delectu habito commemoravimus, seorsim eos qui ob modestiam diliguntur, eos item seorsim, qui semetipsos violant: vos jam ad quæstionem hanc respondeatis mihi velim, in utro Timarchum ordine collocetis? Eorumne qui diliguntur, an qui pro scortis subiguntur? Ne igitur ea quam delegisti classe relicta, pro transfuga in cœtus ingenuorum irrumpito.

32. Quod si dicere instituerint, non in scortorum numero habendum esse, qui non ex syngrapha fuerit mercede elocatus, ac postularint, ut tabulas et testes exhibeam: vos primum memineritis legum de impudicitia, in quibus nullam pactionum mentionem fecit legislator. Neque enim an aliquis ex syngrapha se coinquinarit, id spectavit, sed omnino, quocunque modo res acta fuerit, eum qui fecerit, administratione reipublicæ abstinere jussit. Idque merito. Nam qui adolescens ob turpes voluptates gloriam honestatis neglexisset, eum non censuit legis auctor, ætate provectiore ullum oportere honorem consequi. Deinde rationis istius ineptias facile est ostendere. Omnes enim fatemur, nos pactiones inter nos ex diffidentia facere: ut qui eas servarit, judicio pœnas de eo sumat, qui fidem fregerit. Igitur si impudicorum actio judicium ex syngrapha postulat, si injuriis afficiantur: earum legum quas isti proferunt, præsidium eis est reliquum. Ecquæ autem utriusque possit esse oratio? Putate enim vos, rem non a me narrari, sed a vobis aspici. Esto enim conductor æquus in contractu, conductus autem iniquus, et inconstans: aut contra conductus æquus, et stans conventis, alter natu grandior, et conductor fallax. Vos ipsos autem pro tribunali sedere fingite. Itaque natu major, dato sibi tempore dicendique potestate, seriam accusationem instituet, vos nimirum intuens: conduxi, Athenienses, Timarchum, ut meum scortum esset, ex tabula, quæ sita est apud Demosthenem,—nihil enim prohibet ita dici—, neque vero ille stat pactis, eaque jam exponit scilicet, ac judicibus narrat, quæ tali homini facienda sint. Nonne vero is qui

Atheniensem contra leges conduxerit, lapidibus obruetur, atque e judicio discedet, non sexta duntaxat æstimatæ litis parte condemnatus, sed et ob contumeliam punitus? Verum non ille, sed conductus litem intendat, et sapiens iste Batalus causam illius agat: ut videamus quid dicturus sit. Conduxit me, judices, ad libidinem pecunia sua, quicunque sit,—nihil enim interest, si ita dicatur—, ac ego omnia et feci, et adhuc facio, ut tabulæ jubent, quæ scorto facienda sunt. Iste autem fidem frangit. Nonne vero magnum clamorem tollent judices? Quis enim non dicet: et adhuc in forum prodit? Aut coronam gestat? Aut aliquid eorum agit quæ non agimus? Itaque nulla est syngraphæ utilitas. Unde autem inoleverit consuetudo illa, ut dicatur, quosdam ex tabulis sui fecisse copiam, jam explicabo. Quidam civium—nomen taceo, vitandæ offensionis causa—nulla earum rerum habita ratione, quas paulo ante apud vos commemoravi, fertur contra pactionem, apud Anticlem sitam, se prostituisse: et is quidem non homo plebeius, sed rempublicam administrans: qui cum dicteriis incessi soleat, effecit, ut hæc oratio de more usurparetur in urbe: eaque de causa quidam interrogent, an res ex syngrapha sit peracta? Legislator autem non curavit, quo pacto res facta sit: sed si ullo pacto locatio intercesserit, eum condemnavit, qui dedecus in sese admisit.

33. Quæ quamvis tam aperte constituta sint, tamen a Demosthene multæ verborum cavillationes interponentur. Ac eæ quidem imposturæ, quas rei natura postulat, æquiore animo ferri possunt: quas vero extrinsecus infarciet, ad jura civitatis corrumpenda, eæ demum dignæ sunt iracundia. Frequens enim erit Philippi mentio: admiscebitur etiam nomen pueri Alexandri. Nam præter cetera mala, iste a musis alienus et rudis homo est. Nam oratione Philippum perstringere, est illud quidem inscitiæ et importunitatis: minus tamen delictum eo quod dicturus sum. Nam ei quem virum esse constat, convicia dicet, cum ipse vir non sit. Cum vero excogitatis in puerum translationibus verborum, turpes suspiciones injecerit, ridiculam faciet civitatem. Quasi enim rationes obitæ legationis, quas redditurus sum, læsurus ait: cum ipse nuper apud senatum de puero Alexandro dixisset, eum in compotatione nostra citharam pulsasse, et dicta quædam recitasse, et cum alio puero esse æmulatum: cumque de his quid sentiret, apud senatum exposuisset, doluisse me, non ut legationis collegam, sed ut pueri cognatum, ob illa dicteria. Ego vero cum Alexandro non collocutus sum ob ætatem illius, Philippum autem nunc ob orationis commoditatem laudo: qui si re ipsa sic erga vos se gesserit ut nunc benigne pollicetur, tutam et facilem efficiet laudandi sui rationem. Objurgavi autem Demosthenem in curia, non pueri demerendi causa, sed, quod ex-

istimabam, vos si talia probaretis, similem fore de civitate atque de dicentis immodestia opinionem.

34. In universum denique, Athenienses, a re alienas defensiones repudiatote, primum ob jusjurandum quod dedistis, deinde ne fallamini ab homine artifice dicendi. Sed paulo altius incipiam docere vos. Demosthenes, cum patrimonium absumpsisset, per totam urbem circumibat, ut pupillos adolescentes divites venaretur: quorum patribus defunctis, matres familiam gubernabant. Multis autem præteritis, unius mentionem faciam, cum quo inique actum est. Cum enim locupletem domum conspexisset, quæ non recte gubernabatur, ut cujus dux esset mulier, superba illa quidem, sed minime cordata, adolescens autem pupillus vesanus, opum administrator, Aristarchus Moschi F., hujus se amatorem esse simulavit: ad eamque amicitiam adolescentem invitavit, et vana spe inflavit, pollicens, eum, quod ad eloquentiam attineret, brevi oratorum principem futurum. Talium autem ei operum auctor et magister factus est, ob quæ et ille patria exsulat, et iste tribus eum talentis exsilii viatico spoliavit: et Nicodemus Aphidnæus violenta morte ab Aristarcho occubuit miser exsectis etiam oculis ambobus, et lingua præcisa, qua libere locutus fuerat, legibus fretus et vobis. Et vos, Athenienses, Socratem sapientem illum occidistis, quod Critiam instituisset, unum XXX. virorum, qui populum oppresserunt: Demosthenis autem precibus, qui ab hominibus indoctis et popularibus propter æqualitatem juris tantas pœnas sumit, condonabitis alios? Ad quem audiendum, rogatu ejus, quidam adolescentes veniunt. Pollicetur enim eis, quæstu in vestram fraudem instituto, ut ego audio, se occultis artificiis mutaturum et causam et auscultationem vestram, atque effecturum, ubi ipse prodierit, ut et reus bono animo sit, et accusator percellatur, et de se ipso sit in metu: et tot ac tantos tumultus a judicibus evocaturum, meis concionibus inserendis, et pace per me et Philocratem facta reprehendenda, ut ne in judicium quidem venturus sim ad mei defensionem, cum obitæ legationis rationes reddendæ mihi erunt: sed mediocrem mulctam æqui bonique facturus, modo ne capitis condemner. Nullo igitur pacto, judices, contra vos ipsos isti rhetori risum et ludum præbueritis: sed putate videre vos e foro domum reversum, et gloriantem in adolescentulorum cœtu, et commemorantem, quam commode judicibus causam extorserit. Nam abduxisse eos a criminibus Timarcho objectis, et magna vi ad accusatorem et Philippum et Phocenses traduxisse; et eum metum auditoribus injecisse, ut et reus accusaret, et accusator causam diceret: et judices, cujus rei essent judices, obliti essent, ea vero audirent, quorum judices non essent. Vestrum autem officium est, ut istis vos artibus opponatis, ut ubique istum assectemini, neque usquam aberrare patiamini, aut rationibus alienis a causa niti: sed, quemadmodum in decursionibus equestribus, in ipsum negotii cursum compellatis. Quæ si feceritis, non contemnemini, sed iisdem animis eritis in sententiis dicendis, quibus estis in legibus ferendis: sin minus, existimabunt, vos, cum committenda erunt maleficia, præsentire atque irasci, ubi commissa fuerint, nihil ea curare. Ac ut summatim dicam, si puniveritis maleficos, leges vestræ et honestæ erunt et ratæ: sin absolveritis, honestæ duntaxat, non item ratæ.

35. Quibus autem de causis hæc dicam, non dubitabo libere apud vos exponere, idque adducto exemplo. Cur putatis, Athenienses, leges vos habere bonas, decreta vero deteriora, et sententias judiciorum aliquando reprehendi? Ego causas ostendam. Quod leges sancitis, omnis æquitatis habita ratione, non injusti lucri causa, non ex inimicitiis, sed in ipsam justitiam duntaxat et utilitatem intuentes; cum autem dexteritate ingeniorum aliis antecellatis, non mirum est, vos pulcherrimas sancire leges: in concionibus autem et judiciis, sæpe neglectis ipsorum negotiorum rationibus, ab impostoribus et ostentatoribus in fraudem illicimini: consuetudine in controversias omnium injustissima introducta. Permittitis enim, ut ii qui causas dicunt, recriminentur eos, a quibus accusantur. Itaque avulsi a defensione, animisque ad alia traductis, in accusationis oblivionem impulsi, e prætoriis disceditis, de neutro pœnis sumptis: neque de accusatore, —calculus enim contra eum non datur—, neque de reo. Aliis enim criminandis, objecta sibi crimina propulsando effugit e judicio: leges autem abrogantur, et respublica interit, et consuetudo hæc late vagatur. Facile enim sæpenumero absque vita bonesta probatis orationem. Lacedæmonii vero non ita faciunt: honestum autem est, etiam exterorum virtutes imitari. Nam cum quidam apud illos concionem habuisset, vir ut vitæ flagitiosæ, ita summæ eloquentiæ, atque Lacedæmonii, ut aiunt, in ejus sententiam ituri essent, senum quidam prodiit, quos illi et verentur, et metuunt: est enim moris eorum, summum magistratum, illius ætatis cognomento honestare: deliguntur autem homines, qui a pueritia usque ad senectutem modeste vixerunt: horum igitur unus prodiisse fertur, et acriter objurgasse Lacedæmonios, ac tale quoddam in eos maledictum jecisse, non diu Spartam fore ab hostili violentia incolumem: si talibus in concione suasoribus uterentur. Eademque opera accersisse alium quendam Lacedæmonium, virum haud sane disertum, sed rebus bello gestis illustrem, justitiaque et continentia præstantem: ac jussisse, ut easdem sententias, quas prior ille orator dixisset, pro sua virili utcunque repeteret: ut, inquit, Lacedæmonii de viri boni sententia decernant, ignavorum autem atque improborum hominum ne vocem quidem auribus admittant. Hæc senex ille, a puero tem-

peranter acta ætate, suis civibus consuluit. Qui num Timarchum, aut cinædum Demosthenem, rempublicam administrare passus esset?

36. Ne vero Lacedæmoniis assentari videar, majorum etiam nostrorum mentionem faciam. Hi enim tam iniquis animis probra ferebant, suorumque liberorum modestiam tanti faciebant, ut civium quidam, deprehenso filiæ suæ stupro, cum puella formam suam usque ad nuptias non diligenter custodisset, eam una cum equo in desertam domum incluserit: a quo in illo carcere citra dubitationem fame efferato interitura esset. Ac solum illius domus etiam nunc in vestra urbe exstat, et locus ille Ad equum et puellam appellatur. Solo autem, legumlatorum celeberrimus, scripsit more antiquorum, et graviter de disciplina matronarum. Mulierem enim, apud quam adulter fuerit deprehensus, ornari non sinit, nec in fana publica ingredi, ne suo interventu integras matronas corrumpat: quod si intraverit, aut sese ornaverit, quemvis dilacerare ejus vestimenta, et ornatum diripere jubet, et eam verberare, hactenus tamen, ne vel occidat, vel mutilet: sic talem mulierem omni dignitate privat, et vitam ei acerbam reddit, ac morte duriorem. Lenones item accusari jubet, et convictos capite plecti: propterea quod, mercede locata sua impudentia iis, qui quidem delinquere cupiunt, et tamen inter se colloqui dubitant ac verentur, efficere solent, ut periculum faciant et colloquantur.

37. Patres igitur nostri sic de turpibus rebus et honestis statuerunt: vos autem Timarchum turpissimis studiis obnoxium absolvetis? Qui cum vir sit, et masculo corpore, muliebria in se probra admisit. Quis ergo vestrum uxorem in scelere deprehensam ulciscetur? Aut quis non rudis existimabitur, si ei succenseat, quæ secundum naturam deliquerit: cum ejus consiliis auscultet, qui scelere, a quo natura abhorret, se contaminarit? Quo porro animo quis vestrum è prætorio domum revertetur? Neque enim reus obscurus est, sed nobilis: neque lex de oratorum exploratione mala, sed pulcherrima: jam pueri etiam et adolescentuli statim necessarios suos cupide interrogare solent, quo pacto causa sit dijudicata. Quid ergo dicetis, qui nunc cum potestate ferendæ sententiæ estis, ubi vos liberi vestri rogarint, utrum eum condemnaveritis, an vero absolveritis? Nonne eadem opera, vos Timarchum absolvisse fatebimini, et publicam disciplinam evertetis? Quæ porro utilitas erit alendi pædagogos, aut lanistas et magistros præficiendi pueris, ubi ii, quorum fidei leges commissæ sunt, probris ad misericordiam flectentur? Illud etiam in vobis miror, Athenienses, si lenones odistis, eos autem qui pudicitiam ultro prostituerunt, absolvetis. Igitur idem iste vir nullius dei sacerdotium sortietur, ut qui non puro corpore sit, quemadmodum leges jubent: in decretis autem, vota pro

republica faciet severis deabus. Quid ergo miramur publice nihil rite geri, cum istiusmodi oratorum nomina plebiscitis inscribantur: cum eum qui domi turpiter vixit, legatum extra urbem mittamus, eique de rebus maximis fidem habeamus? Quid autem non venderet is, qui corporis dedecus pecunia addixit? Cujus ille miserebitur, qui sui ipsius misertus non est? Cui porro vestrum non satis nota est Timarchi improbitas? Ut enim pugiles, tametsi in gymnasiis non adfuerimus, considerato habitu corporum cognoscimus: sic profligatæ libidinis homines, tametsi facinoribus eorum non interfuerimus, ex impudentia atque audacia et quotidianæ vitæ consuetudine agnoscimus. Qui enim maximis in rebus leges et modestiam despexit, habitum quendam animo suo impressit, qui ex immodestia morum elucet. Invenietis etiam plurimos ex isto hominum genere, qui et urbes everterint, et in maximas ipsi calamitates inciderint. Neque enim putetis, Athenienses, facinorum initia a diis, non ab hominum petulantia proficisci: aut impios homines, ut in tragœdiis, a furiis agitari, et facibus ardentibus puniri: sed temerariæ corporis voluptates, et inexplebilis cupiditatis sitis, hæc demum sunt unde latrocinia exsistant: hæc in myoparones piraticos impellunt: hæc unumquemque cruciant: hæc adolescentes inducunt ad cives occidendos, ad tyrannos custodiendos, ad rempublicam opprimendam. Neque enim aut ipsius rei dedecus, aut suppliciorum atrocitatem considerant, sed spe successuum deliniti ruunt in facinus.

38. Exscindite igitur, exscindite, Athenienses, talia ingenia, et indolem adolescentum ad virtutis admirationem excitate. Unum autem quiddam satis scitote,—atque id quod dicturus sum, in memoria reponite—, si facinorum suorum pœnas Timarchus dederit, disciplinam civitatis erigetis: sin fuerit absolutus, præstitisset causam hanc in judicium non venisse. Nam priusquam Timarchus in judicium adduceretur, terrorem aliquibus incussit lex, et nomen judiciorum: si autem princeps improbitatis et nobilissimus, in judicium adductus evaserit indemnis, multos ad peccandum incitabit, ac tandem vestram iracundiam non oratio, sed tempus ipsum commovebit. Ne vero eam in multos, sed in unum exserite, eorumque apparatum et advocatos cavete: de quorum ego nemine dicam nominatim, ne hoc orationis suæ principium sumant, se prodituros non fuisse, nisi nominatim compellati fuissent. Illud autem faciam, nominibus dissimulatis, eorumque studiis commemoratis, etiam personas reddam notas. Quod ut fiat, quisque ipse in causa erit si huc adscenderit, et frontem perfricuerit. Adsunt isti tria advocatorum genera: alii, qui luxu quotidiano patrimonia sua exhauserunt: alii, qui flore ætatis et corporibus suis non recte usi sunt, nec de Timarcho sollicitantur, sed de semetipsis, suisque studiis, ne

quando in judicium adducantur: alii homines libidine perditi, quique istiusmodi hominibus ad satietatem sunt abusi, ut eorum auxiliis freti facilius quidam delinquant. Quorum defensionem antequam audiatis, qualem vitam egerint, recordamini. Ac eos quidem, qui sua corpora dedecorarunt, non vobis obturbare, sed concionibus abstinere jubete,—neque enim lex hæc in homines privatos, sed in magistratu præditos inquirit—: eos porro qui decoxerunt, rem facere, et aliunde victum quæritare jubete: qui vero adolescentulos venantur, qui facile se in fraudem sinunt illici, ad peregrinos et inquilinos converti jubete, ut nec ipsi suam cupiditatem non expleant, et vos nihil detrimenti capiatis.

39. Quæ igitur a me præstari fuit æquum, ea præstita sunt omnia; exposui leges, vitam rei excussi. Nunc vos estis meæ judices orationis, statim autem ego vester spectator ero; tota enim res jam a vestris pendet voluntatibus. Quod si vos voletis ea quæ justa sunt, atque expediunt, agere, excitabitur nostra alacritas ad eos inquirendos, a quibus leges violantur.

ARGUMENTUM ORATIONIS DE MALE GESTA LEGATIONE.

Gesto bello cum Philippo, Aristodemus tandem, Neoptolemus et Ctesipho, auctores fuerunt Atheniensibus, pacis cum eo faciendæ. Itaque bis legatos miserunt, principio propter pacem, deinde ad exigendum jusjurandum. Inter quos utroque tempore Demosthenes et Æschines fuerunt. Ut igitur ex posteriore legatione ad jusjurandum exigendum missa reversi fuerunt, Æschinem Demosthenes et Timarchus perperam obitæ legationis accusarunt. Ac Timarchum quidem, antequam in judicium veniret ea causa, Æschines prostitutæ pudicitiæ convictum, in ordinem coegit: contra Demosthenem autem se defendit. Sunt qui dicant, utrumque has orationes scripsisse, sed non habuisse: sunt qui etiam habitas esse affirment, et Æschinem xxx duntaxat calculorum præsidio evasisse, atque absolutum esse Eubuli opera, viri in republica magnæ auctoritatis, non tamen ab omnibus liberatum ea suspicione, quasi cum Philippo faceret, ut et ipse in exordio innuit, et Demosthenes in oratione de Corona. In primi exordii initio benevolentiam captat judicum, adversario et accusatione criminanda, et magnitudine periculi ac falsitate calumniæ conquerenda. In altera sententia, partem quandam accusationis perstringit, et magna gravitate confirmat, eam ipsa etiam judicum conscientia esse falsam. Quod et ipsum ad criminationem adversarii pertinet. Referuntur et cetera deinceps, tum ad benevolentiam ipsi comparandam, tum ad odium adversario conflandum.

ÆSCHINIS ORATORIS

DE MALE GESTA LEGATIONE

ORATIO.

1. Oro vos, Athenienses, ut me dicentem benevole audire velitis, considerata et periculi magnitudine, et multitudine criminum, quæ refutanda mihi sunt, et accusatoris artibus, insidiis atque crudelitate: qui non dubitarit eos viros exhortari, qui sacramento adacti sunt se æquis animis utrumque adversarium audituros, ut rei ne vocem quidem tolerent. Idque dixit, non per iracundiam,—nemo enim mentiens iis irascitur, qui iniquo crimine petuntur, et qui vera dicunt, ii dicendæ causæ potestatem non adimunt reo, neque enim accusatio prius apud auditores valet, quam reus defensionis facultate concessa, objecta crimina refellere non potuerit; sed illud in causa est, quod Demosthenes veris orationibus non delectatur, ne-

que ita se paravit—, sed vestram iracundiam inflammare voluit, meque acceptorum munerum accusavit, homo ad eam suspicionem inferendam ineptus. Nam qui judices hortatur, ut largitionum corruptelis irascantur, eum oportet ipsum ab ejusmodi factis plurimum abhorrere.

2. Sic autem accidit, Athenienses, ut audita Demosthenis accusatione, neque unquam sic ut hoc die pertimuerim, nec magis indignatus sim quam nunc, neque etiam pari lætitia exultarim. Timui enim, idque nunc etiam me turbat, ne qui vestrum me ignorent, deliniti insidiosis istis et malitiosis contrapositis. Et extra me ipsum raptus sum, crimenque graviter tuli, cum me contumeliæ et protervitatis in mulierem ingenuam et genere Olynthiam admissæ accusaret. Delectatus autem sum, cum eum id crimen tractantem ejecistis, quo facto, vitæ modeste actæ gratiam mihi persolutam esse existimo.

3. Vos igitur laudo, et singulari amore prosequor, qui vitæ reorum magis credatis, quam criminationibus inimicorum, ipse tamen hac defensione non cedam. Nam sive foris circumstantis coronæ,—fere autem maxima pars civium adest—, sive vestrum qui pro tribunali sedetis cuiquam persuasum est, me tale aliquid commisisse non tantum in hominem ingenuum, sed vel in quemlibet, reliquum vitæ mihi tempus acerbum puto. Quod nisi in defensionis progressu, et crimen illud esse falsum demonstraro, et qui id afferre ausus fuit, nefarium calumniatorem, etsi cetera omni crimine vacaro, mori non recuso.

4. Admirabilis illa etiam mihi visa est oratio, et supra modum injusta, cum vos percontaretur, num fieri posset, ut in eadem civitate Philocrates capitis condemnaretur, quod facinorum conscientia perterritus, judicio se non stitisset: ego vero absolverer. Ego vero ob idipsum maxime conservandum esse me arbitror. Nam si is qui ipse sese condemnavit, atque e medio excessit, peccat, is nimirum qui sese absolvit, et corpus suum legibus et civibus tradit, non peccat.

5. De reliqua accusatione vos oro, Athenienses, si quid prætermisero, et silentio præteriero, ut me sciscitemini, et significetis, quid ex me audire velitis, meque sine præjudicio ullius delicti, sed pari benevolentia audiatis. Dubito autem unde mihi primum sit ordiendum, ob accusationis confusionem. Cujus dubitationis an causam habeam, sic considerate. Ego nunc in capitis discrimen sum adductus: accusationis autem maxima pars consumpta est criminando Philocrate, Phrynone, et reliquis legatis, Philippo item, et pace, et Eubuli actis. Atque iis omnibus ego sum insertus. Solum autem in tota oratione de rep. sollicitum esse apparet Demosthenem: ceteri omnes sunt proditores. Nunquam enim nos probris

afficere destitit, et falsa maledicta jacere, non in me duntaxat, sed etiam in ceteros. Quem vero sic deprimit, rursus mutata sententia, quasi Alcibiadem aut Themistoclem accusaret, quorum summa fuit inter Græcos auctoritas, criminatur, ut qui et Phocenses civitates everterim, et Thraciæ locum a vobis alienarim, et Cersoblepten etiam regno ejecerim, virum amicum et fœderatum civitatis: quin et Dionysio Siciliæ tyranno me comparare instituit, et bellua vos magna severitate et clamore multo est hortata, ut vobis caveretis, et Siculæ sacrificulæ somnium recitavit. Cum autem rem tantopere exaggerasset, invidit meis criminationibus, et causam rerum gestarum adscripsit non meis verbis, sed Philippi armis.

6. Contra igitur tantam audaciam et præstigias hominis, difficile est vel meminisse singula, et cum periculo dicere contra inexspectatas calumnias. Sed tamen qua ratione meam orationem dilucidissimam, vobisque notam et æquam fore arbitror, inde auspicabor: videlicet ab oratione de pace et delectu legationis. Sic enim ego maxime et meminero, et dicere potero, et vos rem cognoscetis.

7. Vos omnes illud ipsum meminisse arbitror, legatos Eubœensium, cum de pace a sese cum populo facienda egissent, dixisse, etiam Philippum nunciari jussisse vobis, se velle transigere vobiscum, et pacem agere. Non multo autem post, Phrynonem Rhamnusium a prædonibus esse captum in Olympicis induciis, ut ipse querebatur: eumque cum huc rediisset redemptus, orasse vos, ut se legatum ad Philippum decerneretis, an forte pecuniam suam recuperare posset. Vos obsecuti, legatum ei adjunxistis Ctesiphontem. Is huc a legatione reversus, ea vobis renunciavit, ob quæ fuerat missus, prætereaque dixisse Philippum, se et invitum vobiscum gessisse bellum, et nunc eo velle liberari. Quæ cum dixisset Ctesipho, et magnopere humanitatem regis prædicasset, populus item eam rem valde probasset, ac Ctesiphontem collaudasset, nemo autem adversatus esset: ibi demum decretum facit Philocrates Hagnusius, et populus uno animo decernit, licere Philippo caduceatores huc mittere, et legatos de pace. Prius enim idipsum etiam a nonnullis prohibebatur quibus ea res studio erat, ut res ipsa declaravit. Isti autem id decretum ut contra leges factum accusant, Lycino accusatore inscripto, et mulcta c. talentis æstimata. Deinde causa in foro agebatur. Philocrates, cum adversa valetudine laboraret, Demosthenem sibi patronum advocavit, non me. Progressus Philippi osor Demosthenes, in defensione totum diem contrivit. Denique Philocrates absolvitur, accusator autem quintam suffragiorum partem non accepit. Etiam hæc vos omnes scitis.

8. Sub eadem tempora Olynthus capta est, in eaque multi nostrorum civium sunt comprehensi. Quorum fuit Stratocles Ergocharis frater, et Eucratus Strommichi filius. Horum cognati vos ro-

garunt supplices, ut curam eorum susciperetis. Iis Demosthenes et Philocrates patrocinati sunt, non Æschines. Et legatum ad Philippum mittunt Aristodemum histrionem, ob notitiam et artis gratiam. Ut autem a legatione reversus Aristodemus, propter occupationes quasdam non accedebat senatum, Stratocles eum antevertit, profectus ex Macedonia, ubi captivus fuerat, et sine pretio dimissus a Philippo, ibi multi indignabantur, quod Aristodemus legationem non renunciasset, cum eadem de Philippo a Stratocle referri audirent. Postremo senatum ingressus Democrates Aphidnæus, senatui auctor est Aristodemi revocandi. Fuit autem tum senator Demosthenes, accusator meus. Progressus Aristodemus, magnopere prædicavit Philippi benevolentiam, quam erga nostram urbem haberet, et adjecit, Philippum etiam societatem cum republica coire velle. Neque in curia duntaxat hæc, sed et pro concione dixit. Atque ibi nihil contra dixit Demosthenes, sed et coronam Aristodemo decrevit.

9. His apud populum dictis, decrevit Philocrates, x legatos a vobis esse creandos, qui cum Philippo de pace agerent, et iis rebus quæ ex æquo Atheniensium et Philippi interessent. Decretis x legatis, ego designatus sum a Nausicle, Demosthenes a Philocrate, quem nunc accusat. Ea porro alacritate rem gerendam suscepit, ut in senatu scriberet quo citra suum detrimentum nobiscum iret Aristodemus, legatos creandos esse in eas urbes, in quibus Aristodemo certandum esset, qui mulctas pro eo deprecarentur. Quæ ut vera esse constet, sume decreta, et scriptum Aristodemi testimonium recita, et eos voca, qui hoc eum testificantem audierunt, ut sciant judices, quis fuerit Philocratis amicus, quis item qui polliceretur, se munera Aristodemo impetraturum esse a populo.

DECRETUM. ALIENA FIDE RECITATA TESTIMONIA.

Prima igitur totius rei institutio, non a me, sed a Demosthene et Philocrate est profecta.

10. In legatione porro mensa eadem nobiscum uti studuit, idque non a me obtinuit, sed a meis convictoribus, ab Aglaocreonte Tenedio, quem a sociis delegeratis, et ab Iatrocle. Jam in itinere ait me sibi auctorem fuisse belluæ communiter cavendæ, nimirum Philocratis: commentum referens. Quo pacto enim ego Demosthenem contra Philocratem concitassem, quem scirem et patrocinatum esse Philocrati in violatarum legum actione, et legatum a Philocrate designatum? Præterea non in hujusmodi duntaxat verbis nos legati, sed in toto itinere tolerare coacti sumus Demosthenem, hominem intolerabilem et molestum. Nam cum nos legati meditaremur, quid nobis dicendum esset, et Cimo dixisset, vereri se, ne Philippus jure suo defendendo nos superaret, iste se fontes eloquentiæ uberrimos habere pollicebatur, ac de jure Amphipolis bellique principio talia dicturum dicebat, ut os Philippi grandi siccoque junco consueret, ac persuasurum, ut et Athenienses Leosthenem reciperent, et Philippus Amphipolim Atheniensibus restitueret.

11. Ne vero longus sim istius arrogantia recensenda, cum primum in Macedoniam venissemus, constituimus inter nos, cum Philippum accessuri essemus, ut natu maximi primi verba facerent, et reliqui pro ætate. Erat autem nostrum natu minimus, ut aiebat, Demosthenes. Ut intro vocati sumus—hæc diligenter velim vos animadvertere. Hinc enim perspicietis hominis invidiam immensam, ingentem timiditatem simul et malitiam, et tales insidias contra ejusdem et mensæ et legationis socios, quales non facile quisquam vel contra inimicissimos compararet. Nam cum salem civitatis et mensam publicam maximi se facere dicat, non est ex nostro solo (dicetur enim) neque nostri generis. Nos vero, qui sacra et monumenta majorum habemus in patria, et commercia atque familiaritates vobiscum liberales, et legitima connubia, et affines et liberos, Athenis quidem fuimus digni, quibus fides a vobis habetur, (alioquin enim nos non legassetis), in Macedoniam autem profecti, subito sumus facti proditores. Ipse vero, qui nullam partem corporis non venalem habet, ne eam quidem unde vocem emittit, quasi Aristides esset qui tributa Græcis ordinavit, et justus cognominatur, aversatur et despuit largitiones.—

12. Audite igitur eas orationes, quas nos habuimus pro vobis ac vicissim eas, quas magnum reipublicæ munimentum Demosthenes recitavit, ut ordine ac pedetentim singula capita accusationis dissolvam. Laudo autem supra modum omnes vos, judices, quod cum silentio, et ut æquum est, nos auditis. Itaque si quod crimen non refellero, me ipsum, non vos culpabo. Cum igitur natu majores pro legatione verba fecissent, ad nos pervenit series orationis. Ea porro singula quæ illic a me dicta sunt, et vicissim quæ a Philippo sunt responsa, pro concione perspicue renunciavi apud universos Athenienses: nunc per capita duntaxat vobis in memoriam ea revocare conabor.

13. Primum apud eum commemoravi paternam benevolentiam, et beneficia quæ in Amyntam patrem Philippi contulissetis, nihil prætermittens, sed ordine omnia commemorans: et deinde merita, quorum ipse testis erat. Nam Amynta recens defuncto, et Alexandro fratrum natu maximo, Perdicca et Philippo pueris, Eurydice autem matre eorum ab iis quos amicos sibi esse putabat destituta, et Pausania in imperium eorum invadente, qui quamvis exsul, tamen propter tempora multum poterat, ut qui et multorum studia haberet, et Græcis copiis munitus esset, et Anthemuntem, Therman, Stre-

psam, et alia quædam oppida cepisset, Macedonibus non consentientibus, sed plerisque Pausaniæ faventibus; his igitur temporibus Athenienses, Iphicratem ad Amphipolim misisse cum imperio, cum ipsi Amphipolitæ urbem tenerent, et agri fructus perciperent. Cum igitur in ea loca venisset Iphicrates, principio cum paucis navibus explorandarum rerum causa magis, quam obsidendæ urbis, tum, inquam, eum accersivit mater tua et—ut ii dicunt qui affuerunt omnes—Perdicca fratre tuo in manus Iphicratis tradito, te autem, qui puer esses adhuc, in genua illius imposito, dixit, Amyntas, pater horum puerorum, dum vixit, et te adoptavit, et urbe Atheniensium familiariter usus est, unde fit, ut et privatim horum puerorum sis frater, et publice nobis amicus. His dictis, vehementer eum obtestata est, tum pro vobis, tum pro se, tum pro regno, denique pro incolumitate. Quibus Iphicrates auditis, Pausaniam Macedonia expulit, et vobis imperium conservavit.

14. Post hæc, locutus sum de Ptolemæo, cujus auctoritati summa rerum commissa fuerat, quam is ingrate et improbe se gessisset, docens primum, eum de Amphipoli adversatum fuisse nostræ urbi, et cum Thebanis, Atheniensium hostibus, fœdus icisse. Ac rursus, ut Perdiccas suscepto regno, de Amphipoli bellum gessisset cum nostra urbe, et vestram, quanquam injuriis affectorum humanitatem narrans, commemorabam, ut, quamvis Perdicca bello superiores, Callisthene Atheniensium duce, inducias tamen cum eo fecissetis, subinde sperantes, vos tandem æqui aliquid impetraturos. Et calumniam illam refellere studebam, docens, Callisthenem a populo non propter inducias fuisse interfectum cum Perdicca factas, sed ob alias causas. Ac rursus contra eum dicere non dubitabam, Philippum increpans, quod belli contra urbem nostram gerendi successor exstitisset. Atque omnium eorum quæ referebam, testes proferebam literas ejus, et plebiscita, et Callisthenis inducias. Ac de prima regionis illius acquisitione, et novemviarum, ut vocabantur, et de Thesei filiis, quorum Acamas doti accepisse ferretur eam provinciam, hæc et tunc dici conveniebat, et dicta sunt quam fieri potuit accuratissime; nunc autem fortassis opus est verba conferre in compendium. Quæ vero signa non in antiquis fabulis posita erant, sed nostra ætate facta, eorum mentionem faciebam. Referebam, ut congressa Lacedæmoniorum ceterorumque Græcorum societate, eorum unus Amyntas, pater Philippi, misso assessore, suique suffragii jure præditus, decrevisset, Amphipolim Atheniensium urbem, esse Atheniensibus reliquorum Græcorum auxiliis expugnandam, et restituendam. Et hoc commune Græcorum decretum, eosque qui decrevissent, e publicis monumentis testata proferebam. Jam quibus rebus Amyntas, tuus pater, coram Græcis omnibus cessit, non oratione duntaxat, sed etiam suffragio, eas,

aiebam, te ex illo natum tibi vindicare, non est æquum. Sin ut bello captam, jure te habere censes, siquidem bello adversus nos gesto vi cepisses urbem, sine controversia teneres eam, quippe jure belli partam: sed si Amphipolitis urbem Atheniensium eripuisti, non ea quæ illorum fuerunt, habes, sed regionem Atheniensium.

15. His et aliis orationibus habitis, legationis vices jam Demosthenis erant: atque omnes intenti ora tenebant, ut invictam excellentis eloquentiæ vim audituri. Nam et ipsi Philippo—ut post audire licuit—, et amicis ejus enunciata fuerat pollicitationum ejus magnitudo. Sic autem affectis omnibus ad auscultationem, sonat bellua ista exordium tenebricosum, et præ metu exanime, et cum in rerum commemoratione paulum processisset, subito obticuit, inops consilii: tandem excidit oratione. Philippus autem cum vidisset, ut affectus esset, eum et bono animo esse jussit, et non existimare, ut in theatris, sic sibi propterea mali aliquid accidisse; sed per otium ac paulatim redire in memoriam, et pro suo instituto verba facere. At iste ut semel fuerat conturbatus, et a scriptis aberrarat, ad sese redire non potuit, sed et rursus dicere aggresso, idem accidit.

16. Ut autem silentium erat, secedere nos præco jussit. Deinde cum nos legati soli essemus, bonus iste Demosthenes vultu admodum tetrico, perdidisse me urbem et socios aiebat. Perculso autem non me tantum, sed et ceteris legatis omnibus, ac causam sciscitantibus, cur id dixisset, me rogabat, an oblitus essem, ut se res Athenis haberent, et ut populus esset defatigatus, et quantopere pacem expeteret, non meminissem. An vero animos, inquit, tibi faciunt L triremes, decretæ illæ quidem, sed nunquam complendæ? Sic enim irritasti Philippum, et ea fecisti verba, unde non bellum in pacem mutetur, sed pax in bellum infestissimum. Incipiente autem me hæc refutare, accersebant nos ministri Philippi. Ut venimus, et denuo consedimus, Philippus ad singula quæ dicta fuerant, respondere aliquid parabat, neque vero mirum fuit, eum in mea oratione diutissime fuisse immoratum,—fortassis enim nihil quod dici poterat, ut arbitror, prætermiseram—, et sæpe nominatim me compellavit, contra Demosthenem autem, qui tam ridicule discesserat, ne ulla quidem de re disseruit scilicet. Quæ summa isti crux et molestia fuit. Ut autem Philippi oratio tandem in fine ad humanitatem conversa est, et iste calumniam, qua me prius apud collegas onerarat, quasi belli et dissidii auctor futurus essem, amiserat, ibi vero satis apparebat, eum nec animi jam esse compotem; adeo ut ad hospitium nobis invitatis, ineptissime se gereret.

17. Cum autem a legatione jam nos ad reditum pararemus, subito in itinere, præter opinionem nostram, humaniter cum singulis colloquebatur. Quid igitur esset Cercops, aut Vertumnus, aut Cha-

mæleo, aut si quid aliud est ejusmodi nominum, prius ignorabam: nunc istum totius malitiæ nactus interpretem, didici. Nam unoquoque nostrum seducto, alii collectam se collaturum pollicebatur, et de suo laturum esse opem, alium ad imperium evecturum, me vero assectans, et ingenii mei felicitatem prædicans, atque habitam orationem celebrans, multus erat me laudando, et molestus.

18. Cum autem nos omnes Larissæ concœnaremus, se ipsum ludebat, ac dicendi qua usus erat inopiam: Philippum autem eorum qui sub sole essent eloquentissimum esse asserebat. Ut autem et ego tale aliquid pronunciaram, quam memoriter nostris orationibus respondisset, et Ctesipho qui nostrum erat natu maximus, insignem senectutem suam et annorum multitudinem narrasset, atque adjecisset se tanto temporis spatio nullum hominem adeo suavem et festivum vidisse, Sisyphus iste cum plausu manuum hæc quidem, inquit, Ctesipho, neque tu, neque iste—me autem intelligebat—ad populum dicere audebit, fuisse Philippum eloquentem, et memoria valuisse. Nos autem qui illa non intelligeremus, neque insidias prospiceremus, quas statim audietis, pactione quadam conclusit, ut apud populum eadem omnes diceremus, me vero vehementer etiam obtestatus est, ne prætermitterem quin dicerem, etiam Demosthenem aliquid dixisse de Amphipoli. Hactenus igitur testes mihi sunt legationis collegæ, quos per totam orationem exagitare non destitit: orationes autem, quæ pro suggestu apud vos habitæ sunt, ipsi audivistis. Quare mihi mentiri non licebit.

19. Oro autem vos, ut id laboris capiatis, ut et reliquam audiatis narrationem. Nam quemque vestrum de Cersoblepte et Phocensi crimine audire cupere, satis scio, et ad illa festino. Verum nisi ea quæ antecedunt, audiveritis, illa etiam minus accipietis: sin periclitanti mihi arbitratu meo dicendi potestatem dederitis, et conservare me, si innocens sum, poteritis satis edocti, et ex iis quæ in confesso sunt etiam controversa perspicietis. Ut enim huc reversi, apud senatum capita legationis exposuimus, et literas Philippi reddidimus, laudator noster fuit Demosthenes apud senatores, et per aram curialem juravit, se gratulari civitati, quæ tales legatos misisset, qui et eloquentia et fide se republica dignos, dicendo, agendoque præbuissent: de me autem hujusmodi quippiam dixit, me spem eorum, qui me legatum creassent, non fefellisse. Postremo omnium scripsit, nostrum unumquemque sacræ oleæ corona ornandum esse, ob benevolentiam erga populum, et ad cœnam in curiam in crastinum invitandum. Ut autem constet, me nihil falsi dixisse apud vos, capiat scriba decretum, et collegarum testimonia recitet.

SENATUSCONSULTUM DEMOSTHENE REFERENTE FACTUM.

TESTIMONIA COLLEGARUM DE IIS QUÆ DICTA SUNT.

20. Postquam igitur legationis acta apud populum exposuimus, Ctesipho primus inter nos, propter ætatem, cum alia dixit, tum ea quæ dicturos esse nos, cum Demosthene pepigeramus, item de affabilitate Philippi, et forma ejus, et dexteritate in compotationibus. Post hunc, cum Philocrates et Dercyllus pauca dixissent, ego prodii. Recitatis autem ceteris legationis actis, ad eam etiam commemorationem, quæ cum collegis mihi convenerat, cum accessissem, dixi Philippum memoriter et eloquenter respondisse. Neque oblitus precum Demosthenis adjeci, ei partes dicendi de Amphipoli attributas fuisse, si quid nos prætermisissemus. Post omnes nos postremus surgit Demosthenes, et vultu, ut solet, præstigiis factis, atque capite perfricto, cum populum videret gestu dare signum, et meam approbasse orationem, utrosque se mirari dixit, tum qui audirent, tum qui legationem obiissent, quod omisso tempore, illi deliberandi, hi in medium consulendi, moram facerent, nugis peregrinis contenti in rebus domesticis; nihil enim esse facilius, quam legationem recensere.

21. Demonstrabo autem, inquit, vobis, quæ ratio hujus rei esse debeat. Ac simul recitari jussit plebiscitum. Quo recitato, dixit, nos ex hoc ablegati sumus, et quæ hic scripta sunt, ea egimus. Cape ergo etiam literas, quas a Philippo afferimus. Quibus lectis, habetis, inquit, responsum, restat ut deliberetis. Excitato autem tumultu, ab aliis, quod brevis et acutus, a pluribus, quod improbus atque invidus videretur, videte porro (inquit) quanto compendio et cetera omnia sim renunciaturus. Visus est memoria valere, et eloquentia Philippus Æschini. Mihi vero non item. Nam si quis fortunam ei ademptam alteri tribueret: is non multo esset illo inferior. Visus est Ctesiphonti splendido esse vultu? Mihi vero illo non deterior Aristodemus histrio, qui nostræ legationi interfuit. Memoria eum pollere, ait aliquis? Sunt et alii. Egregius compotor fuit? At Philocrates, qui nobiscum fuit, longe illum superat. Dicendi de Amphipoli se mihi reliquisse locum ait aliquis? At nec vobis orator iste dicendi locum daret, nec mihi. Verum istæ nugæ sunt, inquit, ego vero decretum scribam, et cum caduceatore a Philippo misso inducias faciam, et cum mittendis huc legatis: curiones porro jubebo, ubi legati venerint, eis bidui concionem convocare, qua deliberetur, non de pace tantum, sed etiam de societate, et nos legatos, si digni videmur, laudare, et vocare ad cœnam in curiam in crastinum. Ut

autem me vera dicere constet, cape decreta: ut videatis inconstantiam ejus, et malignitatem, et actionum cum Philocrate societatem, et mores insidiosos ac perfidos. Voca ergo mihi legatos, eorumque testimonia recita, et decreta Demosthenis.

DECRETA.

Neque vero hæc duntaxat scripsit, sed post etiam in senatu dixit: spectandi locum Bacchanalibus assignandum esse Philippi legatis, ubi venerint. Recita etiam hoc decretum.

DECRETUM DEMOSTHENIS.

Recita etiam legatorum testimonium ut videatis, Athenienses, Demosthenem non posse verba facere pro republica, sed declamitare contra convictores, atque arctissima necessitudine devinctos.

TESTIMONIUM.

22. Tractationem igitur pacificationis, non meam et Philocratis, sed Demosthenis et Philocratis fuisse, reperietis: et argumenta eorum quæ dixi me fide digna reor attulisse. Nam eorum quæ renunciavi, vos mihi testes estis: eorum quæ in Macedonia dicta sunt, atque in itinere nobis acciderunt, collegarum testimonio vobis demonstravi: accusationem autem modo a Demosthene allatam audistis, et meministis, cujus initium sumpsit a concione, quam de pace habui. Cum autem in ea parte accusationis ementitus fuerit omnia: in eo articulo vehementer est conquestus. Ea enim verba coram legatis ait esse facta, quos Græci ad nos misissent, a populo accersiti, ut communiter et bellum gererent contra Philippum, si esset opus, cum Atheniensibus: et pacis, si id expedire videretur, essent participes. Considerate igitur, quantam rem homo surripuerit, quantaque sit impudentia, nam eo tempore legati creati sunt quos in Græciam ablegastis, quo bellum vobis adhuc cum Philippo intercedebat: ac tempora, quibus designabantur, et legatorum nomina quidem in publica relata sunt monimenta: eorum autem corpora non sunt in Macedonia, sed Athenis: et senatus de adducendis ad populum peregrinis legationibus decernit. Iste autem ait, missas fuisse Græcanicas legationes. Igitur conscenso hoc suggesto, Demosthenes, dum meæ sunt dicendi partes, cujusvis Græcanicæ urbis nomen profer, ex qua tum legatos advenisse dicis, earumque senatusconsulta e curia dato legenda, et Atheniensium legatos citato testes, quos ablegavit ad civitates: qui se affuisse, nec peregre profectos fuisse testificati fuerint: si accessum eorum ad senatum et decreta exhibueris, eo facta tempore, quo tu ais: descendo, et capitis ipse me condemno. Lege et sociorum decretum,

quid in eo dicatur. In quo aperte scriptum est: cum deliberet populus Atheniensis de pace Philippica, legati autem nondum adsint, quos ablegarit populus in Græciam, qui urbes ad tuendam Græcorum libertatem exhortentur: visum esse sociis, ubi redierint legati, et acta sua renunciarint Atheniensibus, eorumque sociis, ut curiones duas conciones secundum leges indicant, atque in iis de pace deliberent Athenienses. Quicquid autem populus decreverit: id fore commune sociorum decretum. Recita ergo decretum assessorum.

DECRETUM ASSESSORUM.

Confer cum hoc etiam Demosthenis decretum, quo jubet curiones, post urbana Bacchanalia, et concionem in Bacchi æde haberi solitam, indicere duas conciones, alteram die XVIII., alteram XIX., definiens tempus, et conciones præripiens, ante legatorum ad Græcos missorum reditum. Ac sociorum quidem decretum jubet, quod me quoque defendisse fateor, vos de pace duntaxat deliberare: Demosthenes autem, etiam de societate jubet. Recita decretum.

DECRETUM DEMOSTHENIS.

Decretum utrumque audivistis, Athenienses, unde convincitur, Demosthenem affirmare, legationes eas quæ abfuerunt, affuisse: et cum vos audire velletis, irritum fecisse decretum sociorum. Nam illi quidem pronunciarant: Græcanicas legationes esse urbi exspectandas: Demosthenes autem non verbis tantum obstitit, quo minus exspectarentur, qui illud omnium turpissime ac celerrime immutavit, sed re ipsa et decreto, quippe qui statim deliberari jusserit.

23. Dixit autem, me priore concione, cum verba fecisset Philocrates, post eum suggestu conscenso reprehendisse pacem, cujus auctor ille fuerit: eamque turpem et civitate indignam judicasse: postridie autem suffragatum Philocrati, et concionem magno applausu in sententiam meam perduxisse: cum suaderem vobis, ne auscultaretis iis, qui prælia et triumphos majorum commemorarent, neve Græcis auxiliaremini. Id vero crimen non tantum esse falsum, sed etiam fieri sic non potuisse, primum ipsius Demosthenis, deinde omnium Atheniensium, tertio loco, vestro, si admoneamini, denique viri magnæ in republica auctoritatis, Amyntoris, cui Demosthenes decretum ostendit, quemque consuluit, utrum id daret scribæ: cum quidem non contrarium, sed idem quod Philocrates scripsisset, testimonio, atque ipsius calumniæ absurditate ostendetur. Cape Demosthenis decretum, et recita: in quo eum priore concione scripsisse constat, licere cuivis in medium consulere, posteriore præsidibus recensendas esse sententias: et non dicendi potestatem esse dandam, quo tempore ipse me ait Philocrati esse suffragatum.

DECRETUM DEMOSTHENIS.

Itaque decreta ut principio scripta sunt, ita manent, calumniatorum autem verba in dies pro tempore mutantur. Facit autem concionem meam accusator geminam: decretum et veritas, unam. Cum enim posteriore concione dicendi potestas data non esset, sed præsides prohiberent, verba facere non licuit. Quid vero mihi voluissem, si Philocratis sectam sequebar, eo pridie apud eosdem auditores accusando, et post intervallum noctis unius defendendo? Utrum ut ipsi mihi accederet auctoritas? An ut illi commodum aliquod per me compararetur? Verum non licuit utrumque consequi: sed illud restabat, ut et omnium voluntates a me alienarem, et nihil promoverem. Voca mihi Amyntorem Erchiensem, et ejus testimonium recita. Quo autem pacto id scriptum sit, in primis exponam vobis. Testimonium perhibet Amyntor Æschini, cum populus de societate cum Philippo ineunda de sententia Demosthenis in posteriore duarum concionum deliberaret, ac verba facere non liceret: sed decreta, de pace et societate facta, comprobanda aut improbanda essent, in ea concione Demosthenem assidentem sibi ostendisse scriptum decretum, cui nomen Demosthenis præscriptum esset, ac consuluisse, an daret scribæ, ut præsidibus offerret: in quo scripsisset, pacem et societatem iisdem conditionibus esse faciendam, quibus Philocrates scripserat. Voca mihi Amyntorem Erchiensem, et citato, nisi huc prodire voluerit.

TESTIMONIUM AMYNTORIS.

Testimonium quidem audivistis, Athenienses. Considerate igitur, utrum videatur vobis Demosthenes me accusasse: an contra sub meo nomine semetipsum?

24. Quoniam autem concionem quoque meam criminatur, et habitas a me orationes male narrando depravat: ego nec defugio eorum quæ tum dixi, neque negarim quicquam: quorum adeo me non pudet, ut ea laudi quoque mihi ducam. Revocabo autem vobis in memoriam temporum conditionem, quibus deliberabatis. Bellum principio suscepimus pro Amphipoli. Res autem eo redierat: noster imperator fœderatas urbes V. et LXX. amiserat, quarum Timotheus Cononis F. potitus erat, quasque nostro concilio adjunxerat,—decrevi enim nihil dissimulare, et libere simul vereque loquendo conservari, sin aliter senseritis, animo tamen meo obsequi, neque enim tergiversabor—: et cum CL. triremes e navalibus accepisset, XLVIII. reduxerat,—atque hæc vobis accusatores in Charetis periculis subinde ostendunt—: et MD. talenta non in milites, sed in ducum insolentiam insumpta erant: in Deiarem, Deipyrum, Polyphontem, qui fugitivos homines ex Græcia collegerant, ac seorsim in mercenarios istos, qui in suggesto et concionibus versantur: qui a miseris insularibus quotannis sexaginta talenta exigebant tributi nomine: qui naves et Græcos in communi navi deprædabantur: nostra vero urbs loco auctoritatis et principatus Græcorum, eandem opinionem, quam Myonnesus et piratæ, consecuta erat. Philippus porro e Macedonia progressus, non ut hactenus de Amphipoli nobiscum pugnabat: sed jam de Lemno et Imbro et Scyro, nostris possessionibus: et Chersonnesum cives nostri deserebant, quæ citra controversiam est Atheniensium. Erant autem plures necessario indictæ conciones cum tumultu et metu habendæ, quam statæ ac legitimæ, res porro ita labefactatæ ac periculosæ erant, ut Cephisopho Pæaniensis, amicus et familiaris Charetis, decretum scribere cogeretur, ut Antiochus actuariis navigiis præfectus, quam primum solveret, imperatorem quæsitum, cui commissus esset exercitus. Quod si in eum incidisset: ei narraret, mirari populum Atheniensem, Philippum Chersonnesum, quæ sit Atheniensium, invadere: Athenienses autem nescire, nec dux nec copiæ quas miserint, ubi sint? Ut autem vera me loqui intelligatis: decretum audite et belli recordamini et pacem a belli ducibus, non a legatis repetitote.

DECRETUM A CEPHISOPHONTE FACTUM.

Ac tempora quidem civitatis, quibus de pace verba fiebant, erant hujusmodi. Oratores autem isti factiosi, cum ad dicendum surgebant, de civitatis quidem incolumitate nihil in medium afferebant, sed vos arcis vestibulum intueri jubebant, et Salaminiæ pugnæ contra Persas, et sepulcrorum et majorum nostrorum et triumphorum meminisse. Ego vero horum sane omnium recordandum esse dicebam, sed tamen prudentiam majorum esse imitandam, peccata vero et intempestivam contentionem vitandam, pedestre prælium ad Platæas contra Persas, et contentiones de Salamine, et Marathoniam pugnam, et navale prælium ad Artemisium, et Tolmidæ imperium jubebam imitari, qui cum haberet mille delectos Athenienses, infestis armis secure per mediam Peloponnesum pervasisset, expeditionem autem Siciliensem cavendam esse, qua Leontinis auxilia misissent, cum hostes in nostrum agrum impetum fecissent, et Decelea contra nos munita esset, postremum item temeritatem illam cavendam, cum bello victi, postulantibus Lacedæmoniis ut pacem agerent, et præter Atticam, etiam Lemnum, Imbrum et Scyrum tenerent, et constituta legibus libertate uterentur, horum nihil admittere voluerunt, sed bellum quod gerere non poterant, prætulerunt: cum quidem Cleopho lyrarum faber, quem multi compedibus vinctum meminerant, per fraudem ac turpiter in

civium album inscriptus, populo largitionibus corrupto, se gladio collum ei præcisurum minitaretur, qui pacis mentionem fecisset: tandem eo rem illi perduxerunt, ut cupide pacem amplecterentur, cedentes omnibus possessionibus, mœnibus dejectis, præsidio recepto, et præfecto Lacedæmonio, et populi auctoritate ad XXX. tyrannos translata, qui MD. cives indicta causa occiderunt. Talem temeritatem esse cavendam, monuisse me profiteor, ea vero quæ paulo ante dixi, esse imitanda. Neque enim ab alienis illa, sed ab omnium conjunctissimo audiebam. Nam Atrometus pater noster —cui tu maledicis, cum eum ignores, neque videris quisnam sua ætate fuerit, idque Demosthenes, cum maternum tuum genus a vagabundis Scythis originem trahat—sub XXX. tyrannis profugit, et populum restituit. Et matris nostræ frater, avunculus noster, Cleobulus, Glauci Acharnensis F., cum Demæneto Buzigo, Chilonem Lacedæmonium navali prælio vicit. Itaque domesticum mihi est, et usitatum, urbis adversos casus auribus accipere.

25. Objicis mihi præterea concionem in Arcadia apud X. M. virorum habitam, et legationem illam, meque immutatum esse dicis, cum sis ipse mancipii similis, et tantum non Threiciis notis compunctus transfuga. Ego vero in bello, quantum fieri potuit, Arcadas et ceteros Græcos contra Philippum concitavi, cum autem mortalium nemo reipublicæ opem ferret, sed alii eventum otiose exspectarent, alii nos oppugnarent, urbani autem oratores ex bello quotidiano suo luxui sumptus suppeditarent, populo me suasisse fateor, ut cum Philippo reconciliaretur, et pacem jungeret, quam tu nunc turpem existimas, cum arma nunquam attigeris. Ego vero eam longe honestiorem bello esse affirmo. Sunt autem, Athenienses, legati spectandi ex eo tempore, quo legationem obiverunt: duces e copiis, quibus cum imperio præfuerunt. Etenim et statuas erigitis, et principem locum assignatis, et coronas, et victum in curia datis, non iis qui pacem renunciarint, sed iis qui hostes prælio superarint. Quod si bellorum rationes a legatis reposcentur, præmia ducibus tribuentur, efficietis, ut nulla unquam bella vel humaniter gerantur, vel placide componantur. Nemo enim legatus ire volet.

26. Nunc reliquum est, ut de Cersoblepte et Phocensibus, ac ceteris objectis mihi criminibus dicam. Ego, Athenienses, et in priore et in posteriore legatione, quæ vidi, ut vidi, quæ audivi, ut audivi, renunciavi. Quæ igitur hæc utraque fuerunt, quæ et vidi et audivi de Cersoblepte? Vidi ego, et legati omnes, Cersobleptis filium, obsidem Philippo datum: idque etiam nunc ita se habet. Accidit autem, dum priore legatione fungebamur, ut ego cum collegis huc redirem, Philippus autem in Thraciam egrederetur, qui nobiscum pepigisset, dum vos de pace deliberaretis, se Chersonesum armis non invasurum. Illo igitur die, quo vos pacem decrevistis, nulla facta est mentio Cersobleptis. Jam vero nobis ad exigendum jusjurandum delectis, nondum vero ad posteriorem legationem profectis, concio fit, in qua Demostheni, qui nunc me accusat, obvenit ut præsideret. In ea concione Critobulus Lampsacenus progressus dixit, se missum esse a Cersoblepte, qui peteret ut jusjurandum Philippi legatis daretur, et Cersobleptes inter vestros socios inscriberetur. Hac oratione habita, Aleximachus Galea decretum præsidibus legendum dat, in quo scriptum erat, ut is qui a Cersoblepte venisset, jusjurandum Philippo cum ceteris sociis daret. Recitato decreto,—et hoc vos omnes arbitror meminisse—, surrexit Demosthenes a præsidibus, seque id decretum approbaturum esse negavit, neque factam cum Philippo pacem irritam redditurum, neque agnoscere socios, qui tanquam in libationibus, manus sacris admoverent: sed de his aliam esse concionem indicendam. Clamantibus autem vobis, et præsides ad suggestum vocantibus, sic invito isto comprobatum est decretum. Quæ ut vere a me dici constet, voca mihi Aleximachum, qui decretum scripsit, et collegas Demosthenis, ac testimonium recita.

TESTIMONIUM DEMOSTHENIS COLLEGARUM.

27. Is igitur, qui modo hic ad Cersobleptis mentionem illacrymavit, societate illum exclusit. Ut vero ea concio dimissa fuit, fœderatos Philippi legati jurejurando in vestro prætorio obstrinxerunt. Ausus autem est ad vos dicere accusator, me Critobulum, Cersobleptis legatum, a sacris repulisse, cum et socii adessent, et populus scivisset, et duces assiderent. Unde tantas vires accepi? Aut quo pacto res tacita est? Quod si istud ego facinus non reformidassem, tu passus esses, Demosthenes? Non vociferationibus et clamoribus forum complesses, cum videres me, ut modo aiebas, a sacris legatum repellere? Accersat mihi duces præco, et sociorum assessores, ut eorum testimonia audiatis.

TESTIMONIA.

Nonne intolerabile est, Athenienses, si quis contra hominem civem, non suum, sed vestrum—hoc enim in primis distinguo—, tanta non veretur mendacia comminisci, quibus in capitis discrimen adducatur? Maximam igitur appobationem meretur is mos, cujus in capitalibus ad Palladium causis patres nostri auctores fuerunt: cum victimis secandis, eos qui suffragio superiores sunt, jurejurando obstringunt—idque vobis etiam nunc patrium est—eos judices vere justeque pronunciasse, qui suffragium pro se tulerint, et nullum dixisse mendacium: quod ni ita fit, sibi et familiæ suæ exitium imprecantur: judicibus autem optima quæque et faustissima

optant. Idque rectissime, ac civiliter, Athenienses. Nam si nemo vestrum est, qui justæ cædis in se piaculum admittere vellet, quanto magis injustam cavebitis, erepta alicui vita, aut re familiari, aut dignitate? Ob quas res alii sibi manus attulerunt, alii publice perierunt.

28. Non igitur veniam mihi dabitis, Athenienses, si eum cinædum appellaro, et hominem polluto corpore, ea etiam parte unde vocem edit, ac deinde reliquam accusationis partem de Cersoblepte evidenter falsam esse ostendero? Iis enim, qui vocantur in crimen, res apud vos contingit mea opinione pulcherrima et utilissima. Etenim tempora, et decreta, eorumque suffragatores in publicis monumentis perpetuo asservatis.

29. Dixit autem iste, eam esse causam, cur Cersobleptis res perierint, quod ego legationis dux, et secunda aura vestra usus, se nos in Thraciam ire jubente, cum Cersobleptes obsideretur, et contestari apud Philippum, ea facere noluerim, sed Orei sederim, ceterique legati, hospitia nobis conciliantes. Audite igitur Charetis literas, quas misit ad populum, quibus continetur, Cersobleptem imperium amisisse, et sacrum montem a Philippo occupatum esse XXVI. Februarii: Demosthenes autem cum ex legatis esset, præses pro concione fuit ejusdem mensis die XXVII.

LITERÆ.

Neque vero reliquos duntaxat mensis dies morati, sed Martio demum profecti sumus: cujus rei testem vobis senatum exhibebo. Senatusconsultum enim est, qnod legatos ad exigendum jusjurandum abire jubet. Recita mihi senatusconsultum.

SENATUSCONSULTUM.

Etiam tempus recita, quodnam id fuerit.

TEMPUS.

Auditis, hoc fuisse decretum III. Martii. Cersobleptes autem quot diebus ante imperium amiserat, quam ego discederem? Ut Chares imperator, et literæ indicant, priore mense, si modo Februarius Martio prior est. Ergo ne Cersobleptem ego conservare potui, qui ante me domo egressum perierat. Et putatis istum aliquid dixisse veri de rebus, sive in Macedonia, sive in Thessalia actis, qui contra curiam, contra publica monimenta, contra tempus, contra populi conventus mentiatur? Tu Cersobleptem Athenis fœdere excludebas, cum præses esses: ejusdem Orei te miserescebat. Nunc me corruptelæ accusas: prius autem mulctam ab Areopagitico senatu inflictam tolerasti, non persecutus vulneris actionem, qua reum fe-

ceras Demomelem Pæaniensem, consobrinum tuum, cum ipse tuum caput incidisses. Tamen verba fundis apud nos sapientia, quasi hi ignorent, te filium adulterinum esse Demosthenis gladiorum fabri.

30. Præterea dicere ausus es, me legatione Amphictyonica etiam ejurata, officio non esse functum: ac decretum aliud recitasti, aliud transiliisti. Ego vero legatus ad Amphictyones creatus, quamvis infirma valetudine, magna tamen cum alacritate, eam, unde redieram, legationem apud vos renunciavi, legationem autem non ejuravi, sed promisi me obiturum, si ullo modo possem: cum autem collegæ mei senatum accederent, fratrem meum ejusque filium, et medicum misi, non meo nomine ejuratos—neque enim lex sinit, populi suffragiis decreta munera in senatu ejurare—, sed infirmitatem meam indicaturos. Cum autem collegæ mei, Phocensi excidio audito, revertissent, habita concione, jam præsens, et corpore confirmato, cum populus nihilominus nos omnes qui primum delecti fueramus ad obeundam legationem adigeret, non danda esse verba Atheniensibus existimavi. At illam quidem legationem, me rationes referente, non accusabas, hanc autem invadis, qua ad jusjurandum profectus sum; quam ego perspicue et jure optimo defendam. Nam tibi quidem, et mentientibus omnibus est accommodatum, transferre tempora: mihi vero, ordine disserere, orationis initio repetito a profectione, et legatione propter exigendum jusjurandum suscepta. Primum quum legati essent decem, atque undecimus accederet, is quem fœderati nobiscum miserant, nemo cum isto cibum capere, cum secunda legatione exiremus, voluit, neque in itinere, ubi vitari potuit, in eadem caupona divertere, quippe qui viderent, eum priore legatione omnibus insidiatum esse. De itinere porro in Thraciam suscipiendo, nulla facta est mentio—neque enim decreto id nobis injungebatur, sed id duntaxat, ut jusjurandum exigeremus, ac alia quæpiam—, nec si voluissemus, agere nobis licuisset, cum ita Cersobleptis res sese haberent, ut modo audivistis, neque iste quicquam veri dixit, sed mentitur, et quia verum nullum crimen objicere potest, præstigias agit.

31. Sequebantur autem eum homines duo, sarcinas lectulorum ferentes, in quarum altera, ut ipse aiebat, talentum argenti inerat. Itaque collegæ veterum ejus cognominum recordabantur. Nam puer dum esset, ob flagitium quoddam, aut mollitiem, Batalus est vocatus, cum pueritiam excessisset, et in suos tutores denum talentum actiones instituisset, Argas est appellatus, vir porro factus, commune omnium improborum cognomentum assumpsit, ut calumniator vocaretur. Ibat autem, captivos ut aiebat, redempturus, ut modo apud vos etiam dixit, cum sciret, Philippum a nemine Atheniensi captivo pretium unquam postulasse, et ex ejus amicis omnibus audiret, eum etiam reliquos, pace facta, dimissurum; ferebat

autem talentum, cum multi ea calamitate conflictati essent, quo unus vir, nec is admodum locuples, redimi potuisset.

32. Ut autem in Macedoniam venimus, ac congressi sumus, et Philippum ex Thracia reversum deprehendimus, recitatum est decretum, ex quo legati missi eramus, et quæ in mandatis acceperamus de jurejurando exigendo, enumeravimus. Cum autem maximarum rerum mentionem fecisset nemo, sed de rebus minutioribus egissent omnes, orationem ego habui, quam necesse est apud vos exponi. Obtestor autem vos, Athenienses, quemadmodum accusationem audivistis, ut ipse accusator verba facere voluit, ita etiam reliquum defensionis audiatis ordine, eademque attentione operam mihi detis, qua superiora audivistis. Dixi enim, ut modo posui, Athenienses, in conventu legatorum, eos mihi visos esse præcipuum populi jussum omnino ignorare. Nam jusjurandum exigere, et ceteris de rebus agere, et de captivis eloqui, etiamsi ministros urbs misisset, data eis auctoritate, tamen illos videri mihi rem omnem fuisse confecturos: summæ autem rerum recte consulere, quatenus eæ ad nos aut Philippum attinerent, id vero cordatorum legatorum munus esse. Dico autem, inquam, de expeditione, quam in Pylas apparari videtis; atque ostendam vobis magna signa, unde intelligatis, me ea de re non male conjectare. Nam et Thebanorum legati adsunt, et Lacedæmoniorum adventant, et nos ex plebiscito advenimus, in quo scriptum est, Legati autem quicquid præterea boni possunt, agunto. Omnes porro Græci exspectatione eventus sunt suspensi. Quod si populus se decere censuisset, libere in decreto promulgare, ut Philippus Thebanorum insolentiam compesceret, et Bœotias civitates instauraret, hæc etiam in decreto petiisset: nunc id sibi reliquit, ut rem ad incertum eventum referre possit, si non persuaserit, nostro autem periculo rem explorandam censuit. Decet igitur eos, qui suam industriam reipublicæ probatam cupiunt, non eorum legatorum occupare locum, quos Atheniensibus nostro loco mittere licuisset, nos ipsos autem vitare offensionem Thebanorum. Quorum unus Epaminondas imperator, non perterritus auctoritate Atheniensium, apud Thebanos dixit, Atheniensis arcis propylæa transferenda esse ad Cadmeæ ornamentum.

33. Hæc me dicente, maxima voce exclamat Demosthenes, ut sciunt omnes collegæ: nam præter cetera mala, etiam Bœotiis favet. Hæc certe quidem ab isto afferebantur: homo iste est tumultus et audaciæ plenus. Ego vero me fateor esse mollem, et pericula, etiam dum longe absunt, pertimescere. Verum edico, ne nos urbes inter se committamus: atque id e re nostra esse puto, ne quid nos legati temere moveamus. Proficiscitur Philippus ad Pylas? Ego me abscondo. Nemo me propter arma Philippi in judicium adducet, sed si quid dixero, quod non oportet, aut si quid egero, quod in mandatis non accepi. Ut rem finiam, decreverunt collegæ, ut viritim quisque sententiam rogatus, quod e republica esse putaret, id diceret. Hæc ut a me vere dici constet, voca mihi collegas, eorumque recita testimonium.

TESTIMONIUM.

34. Postquam igitur legationes Pellam convenerant, ac Philippus aderat, et præco legatos Atheniensium vocabat, primum processimus, non observata ætate, ut in priore legatione, quod apud quosdam celebrabatur, et ornamentum civitatis putabatur, sed pro Demosthenis impudentia. Nam cum se omnium natu minimum esse profiteretur, primas dicendi partes se nemini concessurum affirmabat, neque commissurum, ut quidam (me innuens) Philippi auribus occupatis, dicendi vices aliis præriperet. Ut autem exorsus est, cum quadam collegarum criminatione, quos neque omnes iisdem de rebus, neque consentientibus animis adesse significabat, sua officia Philippo præstita commemorabat: primum, ut Philocratis decreto suffragatus esset, violatarum legum accusati, cum is scripsisset, licere Philippo legatos de pace Athenas mittere; deinde recitavit decretum quod ipse scripserat, pacem faciendam cum caduceatore et legatis a Philippo missis; denique illud, ut populus intra certos dies de pace deliberaret. Ac talem verbis suis significationem interjecit, se primum iis, qui pacem excluderent, os obturasse, non verbis, sed temporibus. Deinde aliud decretum adduxit, quo scripsisset, deliberandum esse populo de ineunda societate. Post aliud decretum de Philippi legatis, principem eis locum dandum Bacchanalibus. Et adjecit, quantæ sibi curæ illi fuissent, ut cervicalia apponi curasset, suamque custodiam et vigilias commemoravit, propter invidos, qui splendorem suum contumeliis afficere cupivissent. Adjecit illa etiam maxime ridenda, quorum collegas ita pudebat, ut faciem obtegerent: ut Philippi legatos hospitio excepisset, ut eis discessuris bigas mulorum conduxisset, et equo eos comitatus esset, non in tenebras demersus, ut alii quidam, sed aperte ostendisset observantiam et studium suum. Illa vero demum vehementer etiam corrigebat; se non dixisse Philippum esse formosum: nihil enim esse muliere formosius. Neque potando eum valere: quod eam laudem spongiæ esse existimaret. Neque memoria pollere: quod eam putaret rhetoris mercenarii esse commendationem. Ne longum faciam, ejusmodi erant ea quæ dicebat, præsentibus legatis, ut breviter complectar, totius Græciæ, unde risus maximus concitabatur.

35. Ut autem aliquando finierat, factoque silentio, ego post tantam rusticitatem, et tam insignem adulationem dicere cogebar,

necessario pauca præfatus sum de calumnia collegis facta: missos esse nos ab Atheniensibus legatos, non ut in Macedonia causam ipsi diceremus, sed domi judicio de nobis facto, quod digni essemus civitate. Pauca item de jurejurando sum præfatus, cujus exigendi gratia venissemus, ceterasque res, quas nobis mandaveratis, exposui, —nam copiosus et eloquentia præstans Demosthenes nullius rei necessariæ meminerat—, itaque et de expeditione ad Pylas feci mentionem, et de sacris, et de Delphis et Amphictyonibus; in primis autem a Philippo petii, ut res eas non vi et armis, sed suffragio et judicio, constitueret. Quod si fieri non posset,—ut dubium non erat, cum exercitus convenisset, atque in procinctu staret—, dicebam, ei, qui de sacris Græcanicis deliberaturus esset, magnam religionis curam esse suscipiendam, et iis, qui de patriis ritibus docere vellent, auscultandum. Eademque opera a primordio commemorabam, ut templum ædificatum esset, ut Amphictyones principio convenissent, eorumque jusjurandum recitabam, quo veteres obstricti essent, se nullam urbem Amphictyonicam eversuros, neque aqua profluente prohibituros, sive pace sive bello; quod si quis contra fecisset, ei se bellum illaturos, et urbes excisuros. Si quis vero Apollinem vel spoliaret, vel conscius esset illius injuriæ, vel consilium daret contra templum, eum se ulturos et pede et manu, et voce et omnibus viribus. Annexam etiam esse jurijurando atrocem exsecrationem.

36. His recitatis, pronunciabam, justum videri mihi, ne Bœotias urbes eversas jacere pateremur, ut quæ et Amphictyonicæ essent, et jurejurando comprehensæ. Enumerabam porro gentes duodecim, quæ templi participes essent, Thessalos, Bœotios, non Thebanos solos, Dorienses, Ionas, Perrhæbos, Magnetes, Locrenses, Œtæos, Phthios, Maleenses, Phocenses: et harum gentium unamquamque demonstrabam par suffragii jus habere, maximam idem quod minimam, eum qui venisset Dorio et Cytinio, tantum valere, quantum Lacedæmonios: binum enim quamque gentem suffragium ferre: Ex Ionibus item Erythræum et Prienensem, quantum Athenienses, ac ceteros eodem modo. Principium igitur expeditionis illius, pronunciabam oportere justum esse. Ubi ergo Amphictyones in templo convenissent, ac æquabile dicendi jus et suffragium adepti essent, eos qui auctores fuissent templi principio occupandi, in judicium adducendos censebam, non patrias eorum, sed eos ipsos qui manum admovissent, et consilium dedissent, urbes autem, quæ facinorosos exhibuissent, indemnes esse oportere. Sin armis rem executus, injurias Thebanorum confirmasset, ab iis quos juvisset gratiam ei relatum non iri —neque enim tanta in eos posse conferre beneficia, quanta olim contulissent Athenienses, quorum illi non meminissent—, quos vero deseruisset, iis injuriam facturum, ac hostes potius majores, quam amicos habiturum. Ne vero sermonibus illic habitis accurate apud vos commemorandis immorer, ubi summatim de omnibus dixero, desinam. Penes fortunam et Philippum, rerum gerendarum fuit auctoritas: penes me, benevolentiæ erga vos, et orationis habendæ potestas. Ea porro a me dicta sunt, quæ dici fuit æquum, quæque e re vestra fuerunt: eventus autem is consecutus est, qui non optatis nostris, sed Philippi actis respondit. Utrum igitur æquius est, auctoritate florere, eum ne, qui ne studuit quidem commodare quicquam, an eum, qui nihil quod potuit prætermisit? Nunc autem propter tempora, multa prætermitto.

37. Dixit autem, mentitum esse me, cum profiterer, intra paucos dies Thebas fore humiles; et Eubœensibus terrorem incussisse, cum vos spe aliqua producerem. Quid autem faciat, cognoscite, Athenienses. Ego dum apud Philippum essem, petii, cum ad vos reverterer, renunciavi, censere me, esse æquum, ut Thebæ essent Bœotiæ, non, ut Bœotia Thebarum esset. Hoc iste me non renunciasse, sed promisisse ait. Dixi autem apud vos, Cleocharem Chalcidensem dixisse, mirari se vestram et Philippi subitam concordiam, atque illam etiam mandatorum nostrorum ex decreto clausulam, agendum esse nobis quicquid præterea possimus boni. Nam qui parvorum, ut ipsi, oppidorum essent cives, iis terrori esse arcana majorum civitatum. Hæc iste me non renunciasse ait, sed promisisse, vobis Eubœam traditurum. Ego vero in ea eram opinione, urbem de summa rerum deliberaturam, nullam non a Græcis habitam orationem audire oportere.

38. Illam etiam orationem insidiosa distinctione calumniatus est, se, vera renunciaturum, a me et Philocrate esse prohibitum. Ego vero vos rogatos volo, an unquam quisquam Atheniensium legatus prohibitus fuerit, quo minus acta sua populo renunciaret, idque per collegas, et ab iisdem contumeliis affectus, tamen scripserit, eos laudandos, et ad cœnam invitandos. Demosthenes autem a posteriore legatione reversus, qua statum Græciæ queritur eversum, non decreto duntaxat nos laudavit, sed cum apud populum renunciassem habitam tum de Amphictyonibus orationem, deque Bœotiis, non per compendium et festinationem, ut nunc, sed quam accuratissime potui, totidem verbis, eamque populus vehementer approbasset, advocatus a me et collegis, et accurate rogatus de singulis, utrum vera et eadem renunciarem apud Athenienses, quæ apud Philippum dixissem, omnibus legatis attestantibus, et me collaudantibus, surrexit post omnes, et dixit, me non, quemadmodum in præsentia dicerem, tunc etiam dixisse, sed illic duplo melius. Horum vos, qui suffragia feretis, testimonium mihi perhibebitis. Enimvero quæ pulcrior ei dari potuit occasio redarguendi mei, quam tum statim, si qua in re urbem decipiebam?

necessario pauca præfatus sum de calumnia collegis facta: missos esse nos ab Atheniensibus legatos, non ut in Macedonia causam ipsi diceremus, sed domi judicio de nobis facto, quod digni essemus civitate. Pauca item de jurejurando sum præfatus, cujus exigendi gratia venissemus, ceterasque res, quas nobis mandaveratis, exposui, —nam copiosus et eloquentia præstans Demosthenes nullius rei necessariæ meminerat—, itaque et de expeditione ad Pylas feci mentionem, et de sacris, et de Delphis et Amphictyonibus; in primis autem a Philippo petii, ut res eas non vi et armis, sed suffragio et judicio, constitueret. Quod si fieri non posset,—ut dubium non erat, cum exercitus convenisset, atque in procinctu staret—, dicebam, ei, qui de sacris Græcanicis deliberaturus esset, magnam religionis curam esse suscipiendam, et iis, qui de patriis ritibus docere vellent, auscultandum. Eademque opera a primordio commemorabam, ut templum ædificatum esset, ut Amphictyones principio convenissent, eorumque jusjurandum recitabam, quo veteres obstricti essent, se nullam urbem Amphictyonicam eversuros, neque aqua profluente prohibituros, sive pace sive bello; quod si quis contra fecisset, ei se bellum illaturos, et urbes excisuros. Si quis vero Apollinem vel spoliaret, vel conscius esset illius injuriæ, vel consilium daret contra templum, eum se ulturos et pede et manu, et voce et omnibus viribus. Annexam etiam esse jurijurando atrocem exsecrationem.

36. His recitatis, pronunciabam, justum videri mihi, ne Bœotias urbes eversas jacere pateremur, ut quæ et Amphictyonicæ essent, et jurejurando comprehensæ. Enumerabam porro gentes duodecim, quæ templi participes essent, Thessalos, Bœotios, non Thebanos solos, Dorienses, Ionas, Perrhæbos, Magnetes, Locrenses, Œtæos, Phthios, Maleenses, Phocenses: et harum gentium unamquamque demonstrabam par suffragii jus habere, maximam idem quod minimam, eum qui venisset Dorio et Cytinio, tantum valere, quantum Lacedæmonios: binum enim quamque gentem suffragium ferre: Ex Ionibus item Erythræum et Prienensem, quantum Athenienses, ac ceteros eodem modo. Principium igitur expeditionis illius, pronunciabam oportere justum esse. Ubi ergo Amphictyones in templo convenissent, ac æquabile dicendi jus et suffragium adepti essent, eos qui auctores fuissent templi principio occupandi, in judicium adducendos censebam, non patrias eorum, sed eos ipsos qui manum admovissent, et consilium dedissent, urbes autem, quæ facinorosos exhibuissent, indemnes esse oportere. Sin armis rem executus, injurias Thebanorum confirmasset, ab iis quos juvisset gratiam ei relatum non iri —neque enim tanta in eos posse conferre beneficia, quanta olim contulissent Athenienses, quorum illi non meminissent—, quos vero deseruisset, iis injuriam facturum, ac hostes potius majores, quam

amicos habiturum. Ne vero sermonibus illic habitis accurate apud vos commemorandis immorer, ubi summatim de omnibus dixero, desinam. Penes fortunam et Philippum, rerum gerendarum fuit auctoritas: penes me, benevolentiæ erga vos, et orationis habendæ potestas. Ea porro a me dicta sunt, quæ dici fuit æquum, quæque e re vestra fuerunt: eventus autem is consecutus est, qui non optatis nostris, sed Philippi actis respondit. Utrum igitur æquius est, auctoritate florere, eum ne, qui ne studuit quidem commodare quicquam, an eum, qui nihil quod potuit prætermisit? Nunc autem propter tempora, multa prætermitto.

37. Dixit autem, mentitum esse me, cum profiterer, intra paucos dies Thebas fore humiles; et Eubœensibus terrorem incussisse, cum vos spe aliqua producerem. Quid autem faciat, cognoscite, Athenienses. Ego dum apud Philippum essem, petii, cum ad vos reverterer, renunciavi, censere me, esse æquum, ut Thebæ essent Bœotiæ, non, ut Bœotia Thebarum esset. Hoc iste me non renunciasse, sed promisisse ait. Dixi autem apud vos, Cleocharem Chalcidensem dixisse, mirari se vestram et Philippi subitam concordiam, atque illam etiam mandatorum nostrorum ex decreto clausulam, agendum esse nobis quicquid præterea possimus boni. Nam qui parvorum, ut ipsi, oppidorum essent cives, iis terrori esse arcana majorum civitatum. Hæc iste me non renunciasse ait, sed promisisse, vobis Eubœam traditurum. Ego vero in ea eram opinione, urbem de summa rerum deliberaturam, nullam non a Græcis habitam orationem audire oportere.

38. Illam etiam orationem insidiosa distinctione calumniatus est, se, vera renunciaturum, a me et Philocrate esse prohibitum. Ego vero vos rogatos volo, an unquam quisquam Atheniensium legatus prohibitus fuerit, quo minus acta sua populo renunciaret, idque per collegas, et ab iisdem contumeliis affectus, tamen scripserit, eos laudandos, et ad cœnam invitandos. Demosthenes autem a posteriore legatione reversus, qua statum Græciæ queritur eversum, non decreto duntaxat nos laudavit, sed cum apud populum renunciassem habitam tum de Amphictyonibus orationem, deque Bœotiis, non per compendium et festinationem, ut nunc, sed quam accuratissime potui, totidem verbis, eamque populus vehementer approbasset, advocatus a me et collegis, et accurate rogatus de singulis, utrum vera et eadem renunciarem apud Athenienses, quæ apud Philippum dixissem, omnibus legatis attestantibus, et me collaudantibus, surrexit post omnes, et dixit, me non, quemadmodum in præsentia dicerem, tunc etiam dixisse, sed illic duplo melius. Horum vos, qui suffragia feretis, testimonium mihi perhibebitis. Enimvero quæ pulcrior ei dari potuit occasio redarguendi mei, quam tum statim, si qua in re urbem decipiebam?

39. Ais, prima legatione te non animadvertisse meam contra rempublicam conspirationem, sed in posteriore intellexisse, in qua te patrocinari mihi constat. Et cum illam interim accuses, accusationem tamen dissimulas: hanc vero accusas, qua jusjurandum exegimus. Atqui si pacem vituperas, tu etiam societatem decrevisti. Et Philippus, si qua in re urbem decipiebat, propterea mentiebatur, ut eam consequeretur pacem, quæ e re sua esset. Hæc igitur ratio prioris legationis fuit: posterior autem, rebus jam confectis facta est. Quæ igitur in ea fraudes fuerunt? Nam quantus iste sit impostor, ex ejus oratione colligitur.

40. Ait, me noctu per Lydiam amnem celoce ad Philippum trajecisse, et literas quæ huc missæ sunt, Philippo scripsisse. Nam Leosthenem, qui propter calumniatores urbe exsulet, non satis habuisse dexteritatis ad scribendas literas; quamvis sint qui dicant, eum post Callistratum Aphidnæum omnium fuisse eloquentissimum. Neque ipsum Philippum, contra quem vos Demosthenes defendere non potuit. Neque Byzantium Pythonem, hominem qui scribendi artem laudi sibi ducit, sed mea scilicet opera ad rem conficiendam fuisse opus. Alias dicis, me sæpe interdiu solum cum solo Philippo esse collocutum, alias criminaris, me noctu fluvium trajecisse. Usque adeo nocturnis literis fuit opus. Te autem nihil dicere veri, adsunt qui testentur, ii cum quibus victu communi sum usus, Aglaocreo Tenedius, et Iatrocles Pasiphontis filius, cum quibus omni tempore continenter singulis noctibus dormivi, qui conscii sunt, me nullam unquam noctem, aut noctis partem a se abfuisse. Adducimus etiam famulos, et ad quæstionem damus, ac orationem, si concesserit accusator, omitto. Adesto autem carnifex jam, et coram vobis torqueat, si jusseritis. Satis adhuc diei reliquum est ad hæc peragenda. Nam distributo diei tempore, ad undecim aquæ amphoras accusor. Quod si in quæstione dixerint, me unquam ab his convictoribus ullam noctem abfuisse, ne parcitote mihi, Athenienses, sed surgite, meque occiditote. Sin tu, Demosthenes, mendacii convictus fueris, has dato pœnas: confitere coram his, te semivirum esse, et non ingenuum. Accerse mihi servos huc ad tribunal, et collegarum recita testimonium.

TESTIMONIUM. PROVOCATIO.

Quando autem provocationem repudiat, neque se commissurum, ait, ut mancipiorum quæstio fraudi sibi sit, cape has literas, quas Philippus misit. Unde constet, eum magnis in rebus decipere civitatem, ut ob eas literas scribendas fuerit nobis lucubrandum.

LITERÆ.

Audite, Athenienses, ait, se dedisse jusjurandum vestris legatis, et socios suos qui adfuerint, nominatim cum ipsos, tum urbes eorum inscripsisse, eos vero socios qui non adfuerint, pollicetur se missurum esse. Hæc ergo putatis Philippum non interdiu scribere potuisse sine me? Sed ita me dii ament, isti non aliud curæ esse apparet, nisi ut interim dum verba facit, eloquentiæ gloriam consequatur: an vero paulo post omnium Græcorum improbissimus sit perhibendus, pro nihilo putare.

41. Quid enim tali homini quisquam credat, qui dicere non veritus est, Philippum non suis auspiciis, sed meis concionibus intra Pylas penetrasse? Atque etiam numerum dierum iniit apud vos, intra quos ego legationem renunciarim, et Phalæci, Phocensium tyranni, publici caduceatores decreta nostra illuc renunciarint, et Phocenses me freti illum intra Pylas receperint, atque urbes suas ei tradiderint. Et hæc quidem commentus est accusator, res autem Phocensium interierunt, primum per fortunam, quæ omnibus dominatur, deinde propter spatium temporis et decennale bellum— eadem enim res Phocensium tyrannorum opes et auxit, et destruxit, nam imperium susceperunt, cum ausi essent sacram pecuniam invadere, et peregrinorum militum opera respublicas mutassent, tandem interierunt inopia pecuniæ, cum eam omnem in stipendia militum erogassent—, tertio loco eos evertit seditio, quæ exercitus penuria laborantes familiariter comitari solet, quarto loco Phalæci futurarum rerum ignoratio. Nam Thessalorum quidem et Philippi exercitus in conspectu erat, non multo autem ante quam pax vobiscum iniretur, legati Phocensium ad vos venerant, auxilia petentes, et vobis se tradituros pollicentes Alponum, Thronium, et Nicæam, quæ loca transitu Pylarum potiuntur. Cum vero vos decrevissetis, ea loca Proxeno duci vestro a Phocensibus tradenda esse, et quinquaginta triremes complendas, et iis qui intra trigesimum ætatis annum essent in aciem exeundum, tyranni ea loca Proxeno adeo non tradiderunt, ut legatos, qui se arces illas vobis tradituros promiserant, in vincula conjecerint, et cum fecialibus, qui arcana illa fœdera annunciabant, soli Græcorum Phocenses fœdus non percusserint. Deinde cum Archidamus Laco paratus esset loca illa accipere, ac tueri, non assenserunt, sed ei responderunt, se Spartæ magis quam suis rebus diffidere. Eo autem tempore, nondum inter vos et Philippum convenerat, sed eodem die et de pace deliberabatis, et Proxeni literas audiebatis, quibus significabatur, Phocenses loca illa non tradidisse, et ii qui arcana sacra annunciant, indicabant, solos inter ceteros Græcos Phocenses fœdus non admisisse, sed legatos, qui huc profecti essent, in vincula conjecisse. Quæ ut vere a me dici constet, accerse feciales, et Callistratem ac Metagenem, quos Proxenus ad Phocenses legatos misit. Audite item literas Proxeni.

LITERÆ.

Auditis, Athenienses, una etiam tempora recitari ex publicis monumentis, testes quoque dixisse, priusquam ego legatus crearer, Phalæcum, Phocensium tyrannum, nobis et Lacedæmoniis diffisum, Philippo credidisse. Nunquid vero iste solus, quid eventurum esset, ignorabat? Imo vos ipsi publice quomodo affecti fuistis? Nonne omnes exspectabatis, fore, ut Philippus Thebanos opprimeret, quippe quorum et audaciam videret, et perfidorum hominum potentiam augeri nollet? Nonne Lacedæmonii legati una cum vestris, Thebanis refragabantur, ac tandem aperto odio eos in Macedonia lacessebant, et legatis illorum minitabantur? Nonne vero ipsi æstuabant, et de sese pertimuerant legati Thebanorum? Nonne Thessali ceteros deridebant, et sua causa illam expeditionem susceptam esse jactabant? Nonne vero quidam amicorum Philippi aperte ad vestrum quosdam dicebant, Philippum Bœotias urbes instauraturum esse? Nonne Thebani omnes suas copias eduxerunt, diffisi rebus suis? Nonne Philippus ea cum videret, vos per literas cum omnibus copiis exire jubebat, pro æquitatis defensione? Nonne vero bellicosi isti, qui pacem ignaviam vocant, vos prohibuerunt, ne exiretis, quod se vereri dicerent, ne pace et societate facta, Philippus milites vestros obsides caperet?

42. Utrum igitur ego prohibui majores imitari, an tu, et ii qui tecum contra rempublicam conspirarunt? Utra porro expeditio tutior fuit, et honestior Atheniensibus? Eane, cum Phocensium furor viribus adhuc sustentaretur: cum Philippo resisterent, cum Alponum et Nicæam tenerent, nec dum ea loca Philippus Macedonibus tradidisset: cum fœdus, ex quo eis suppetias ituri eramus, atque arcana sacra repudiassent: cum Thebanos a tergo reliquissemus: cum a Philippo accerseremur, jurejurando et societate cum eo nobis intercedente: cum Thessali et ceteri Amphictyones militarent? Nonne hæc occasio longe fuit honestior illa, qua propter et ignaviam et invidentiam tuam Athenienses suppellectilia ex agris in urbem convexerunt, cum ego jam tertiam legationem obirem apud concilium Amphictyonum, quam tu me obivisse non delectum, dicere non dubitas: et tamen cum inimicus mihi sis, hactenus nunquam ausus es me falsæ legationis accusare. Neque enim scilicet eas mihi mulctas invides, quæ corpore sunt luendæ.

43. Itaque cum Thebani assiderent, atque orarent, cum nostra urbs propter te perturbata esset, cum Athenienses legiones non adessent, cum Thessali se cum Thebanis conjunxissent, propter vestram temeritatem, atque odium Phocensium, quod ab antiquis temporibus in eos gerebant, quod Phocenses eorum obsides acceptos trucidassent, cum Phalæcus ante meum, Stephani, Dercylli, ceterorumque legatorum, qui ad Amphictyonas missi erant, reditum per inducias dimissus esset, cum Orchomenii metu perterriti, salute corporibus suis pacta, polliciti essent, se Bœotia excessuros, cum Thebanorum legati adstarent, cum aperte inimicitiæ Philippi erga Thebanos et Thessalos restarent, tum res perierunt, non propter me, sed per tuam proditionem, et amicitiam cum Thebanis. Harum ego rerum me magna argumenta prolaturum arbitror.

44. Nam si quid eorum quæ tu dicis, verum esset, Bœotii et Phocensium exsules me accusarent: quorum alios ejecissem, alios ab exsilio revocari prohibuissem. Nunc non eventu considerato, sed studio meo comprobato, Bœotiorum exsulum concilium advocatos mihi creavit. Adsunt et e Phocensium urbibus legati, quos ego tertia ad Amphictyonas legatione conservavi, cum Œtæi censerent, puberes de rupe præcipitandos esse, atque ad Amphictyonas adduxi, ut eis dicendi pro se potestas daretur. Nam Phalæcus tyrannus certis conditionibus dimissus erat, hominibus autem insontibus exitium imminebat, qui me patrocinante sunt conservati. Ut autem vera me dicere constet, voca mihi Mnasonem Phocensem, ejusque legationis collegas, et eos qui a Bœotio exsilio sunt delecti. Adscendite huc, Lipare et Pythio, eandemque ad vitæ incolumitatem mihi gratiam referte, quam ego vobis contuli.

ADVOCATIO BŒOTIORUM ET PHOCENSIUM.

Non vero inique mecum ageretur, si accusante me Demosthene, Thebanorum procuratore, ac Græcorum improbissimo, Phocensibus autem et Bœotiis mihi patrocinantibus, condemnarer?

45. Ausus porro est dicere, meis ipsius verbis me convinci. Ait enim me dixisse, cum Timarchum accusarem, omnes impudicitiæ famam de eo accepisse: Hesiodum autem præstantem poetam dicere,

> Quam populi sermo celebrat creber, irrita nunquam
> Fama cadit penitus, Dea quædam cum sit et ipsa.

Eandem igitur deam nunc venire me accusatum; omnes enim dicere, me pecuniam accepisse a Philippo. Satis autem scitis, Athenienses, inter famam et calumniam plurimum interesse. Fama enim cum criminatione nihil habet commune: criminatio vero et calumnia germanæ sunt sorores. Quarum utramque perspicue definiam. Fama est, cum multitudo civium ultro, nulla de causa, de re aliqua loquitur, quasi facta sit: calumnia vero est, cum unus vir apud multos crimine conjecto, tam in concionibus omnibus, quam apud senatum, aliquem criminatur. Ac Famæ quidem sacra publice fa-

cimus, ut deæ: de calumniatoribus autem, tanquam maleficis publice conqueri licet. Noli igitur conjungere turpissima cum honestissimis.

46. Ego vero, cum alia multa in accusatione iniquo animo tuli, tum vero illud, quum me proditionis insimulavit. Nam una cum his criminibus ostendendum est, me esse ferum atque impium, et multis aliis criminibus olim constrictum. Sed ego vos meæ vitæ, ac quotidianæ consuetudinis idoneos existimo censores: quæ vero vulgo perspici non possunt, hominibus vero animo liberali præditis sunt maxima, horum ego plurima quæ recte se habent apud me, in conspectum producam, ut sciatis, quæ pignora, cum hinc legatus irem in Macedoniam, post me reliquerim. Tu quidem Demosthenes ista contra me commentus es: ego vero ut educatus sim, vere exponam. Hic pater meus est Atrometus, fere natu maximus omnium civium: annos enim jam vixit quatuor et nonaginta. Accidit autem, ut adolescens, ante rem familiarem bello amissam, pugilem ageret, post a XXX. tyrannis ejectus, in Asia militaret, atque in prœliis victoriam cum laudis insignibus consequeretur. Ejus porro genus est ex ea curia, quæ aras cum Eteobutadis communes habet, unde Minervæ urbanæ sacrificula deligitur. Ad hæc, ut paulo prius etiam dixi, populi in patriam reducendi adjutor fuit. Præterea, materni cognati mei omnes ingenui sunt, quæ mihi nunc ob oculos versatur, sollicita de salute mea, et inops consilii. Enimvero, Demosthenes, mater mea cum suo marito Corinthum abiit exsulatum sub XXX. tyrannis, et publicorum malorum particeps fuit. Tu autem, qui te virum profiteris—valde enim dubito an vir sis appellandus—inscriptus es, ut ordinum desertor, et accusatore Nicodemo Aphidnæo pecunia placato evasisti, cujus postea Aristarcho adjutor fuisti occidendi, et cum manus cæde inquinatas habeas, in forum irrumpis. Philochares porro frater meus, qui non degeneri studio occupatur, ut tu conviciaris, sed in gymnasiis versatur, ut cum Iphicrate militavit, et tertium jam annum continenter est cum imperio, adest, oraturus vos, uti me conservetis. Aphobetus autem, frater noster natu minimus, legationem pro vobis apud regem Persarum obiit, pro dignitate civitatis, vestrosque reditus recte justeque curavit, cum eum publicis vectigalibus præfecissetis, et legitimos liberos procreavit, non ut tu, suam uxorem Cnosioni ad stuprum obtulit, atque adstat, contemptis conviciis tuis. Falsum enim probrum ultra aures non penetrat.

47. Ausus etiam es in affines meos dicere, adeo impudens es, et veteris beneficii immemor atque ingratus, qui Philodemum, Philonis patrem et Epicratis, non diligas et adores, cujus opera in municipes es inscriptus, ut e Pœaniensibus natu maximi meminerunt. Itaque stupore quodam afficior, si tu Philoni conviciari audes, idque apud

modestissimos Atheniensium, qui huc ingressi sunt, publici boni causa jus dicturi, vitasque nostras spectant magis quam orationes. Utrum enim eos censes optare, ut decem millia militum exsistant, qui sint similes Philonis, et corporibus sic affecti, et animis ita modesti: an vero tricies mille cinædi, qualis tu es? Atque etiam Epicratis tractabilitatem, fratris Philonis, loco probri commemoras. Et quis eum unquam vidit indecore se gerentem vel interdiu, ut tu ais, in celebritate Bacchanalium, vel noctu? Neque enim dicere potes, eum latuisse. Neque enim ignotus fuit.

48. Mihi vero, Athenienses, ex Philodemi filia, Philonis et Epicratis sorore, tres nati sunt liberi, una filia, et filii duo. Quos ego cum ceteris affero, unius interrogationis ergo, et argumenti apud judices, quo nunc utar. Rogo enim vos, Athenienses, num videar vobis una cum patria et amicorum consuetudine et sacris, et patriorum monumentorum communione, hos omnium mortalium mihi carissimos prodidisse Philippo, et pluris fecisse illius amicitiam, quam salutem horum. Qua victus voluptate? Aut quod unquam dedecus pecuniæ causa in me suscepi? Neque enim Macedonia bonos aut malos facit, sed suum quemque ingenium. Neque alii sumus a legatione reversi, sed tales, quales nos ablegastis. Sed implicatus sum in republica cum mirifico præstigiatore, et insigni prædito improbitate, qui nec invitus veri quicquam dicat, cum autem mentitur, principatum orationis tenet jusjurandum, nec impudentes ejus oculos vester conspectus pudefacit. Neque vero quæ facta sint duntaxat ait, sed et diem quo facta esse ait, adjicit, et fictitium alicujus nomen adjungit qui interfuerit, ut eos qui vera loquuntur imitetur.

49. Sed una res nobis insontibus est præsidio, quod in istis morum præstigiis et compositione fabularum, mentem non habet. Nam quanta sit hominis væcordia, simul et inscitia, ex eo æstimate, quod ejusmodi mendacium contra me de Olynthia muliere commentus est, ut inter dicendum a vobis ejiceretur. Eum enim, qui ab ejusmodi crimine remotissimus esset, apud eos qui vitam illius perspectam haberent, criminabatur. Videte autem quam longe ante ad crimen istud se pararit. Est quidam frequentare nostram urbem solitus Aristophanes Olynthius. Is cum isti a quibusdam esset commendatus, atque illud etiam adjectum esset, dicendi esse peritum, hominem omni obsequiorum genere demereri studuit, atque adducere, ut falso me apud vos testimonio opprimeret. Quod si progressus miserabili gestu, dicere vellet, me mulieri sibi cognatæ et captivæ insultasse, statim ei se quingentas drachmas daturum pollicebatur, atque alias quingentas post dictum falsum testimonium. Ille autem ei respondit, ut ipse narrabat, eum, quod ad exsilium attineret, atque inopiam qua urgeretur, non mala, sed quam

sagacissima conjectura esse usum, sed ab ingenio suo longissime aberrasse. Nihil enim ejusmodi se commissurum. Ut autem vera me dicere constet, ipsum Aristophanem testem producam. Accerse Aristophanem Olynthium, ejusque testimonium recita, eos item qui hoc ex illo audiverunt, mihique nunciarunt, Dercyllum Autoclis F. Hagnusium, et Aristidem Euphileti F. Cephisiensem.

TESTIMONIUM.

Testes jurantes et testificantes auditis, nefarias autem istas verborum technas, quas iste adolescentibus pollicetur, quibusque nunc contra me est abusus, nunquid meministis, ut obortæ sint ei lacrymæ, ut Græciam deplorarit, ut Satyrum comicum histrionem laudaret, quod hospites quosdam suos captivos fodientes in Philippi vinea, et vinctos, in compotatione a Philippo impetrasset: hoc fundamento jacto, adjecit, contenta acuta ista et nefaria voce, quam acerbum sit, cum is qui Cariones et Xanthias repræsentet, adeo generosum et magnanimum se præbuerit, me qui sim urbi maximæ a consiliis, qui illos X. M. Arcadas admoneam, petulantiam meam non coercuisse, sed calore evectum, cum nos quidam ex Philippi amicis Xenodocus convivio excepisset, capillis traxisse, et loris arreptis captivam mulierem flagellasse? Igitur si vos ei credidissetis, et Aristophanes una cum eo me per mendacium oppressisset, ob turpe crimen jure periissem. Sinetis igitur eum qui talis sit meus malus genius (absit enim ut vobis sit), sinetis, inquam, versari inter vos? Ac concionem quidem lustrabitis, in decretis autem vota per istum facietis? Et exercitum sive pedestrem sive navalem ablegabitis? Atqui Hesiodus ait:

> Sæpe viri gens tota luit scelus unius atrox,
> Qui præceps agitur male sani pectoris æstu.

50. Unum adhuc superioribus adjiciam. Nam si qua est in rebus humanis improbitas, cujus ego non principem esse Demosthenem demonstraro, mori non recuso. Sed multis reus difficultatibus conflictatur, et animum ab ira periculum ad salutis revocat defensionem: ac dispicere jubet, ne ullum accusationis caput prætermiserit. Itaque simul et vobis et mihi objecta crimina in memoriam revocabo. Considerate igitur singula, Athenienses, quo decreto ego scripto accuser, aut qua lege abrogata, aut qua impedita quo minus perferretur, aut quibus pactionibus pro republica factis, aut quibus decretis de pace deletis, aut quibus quæ vobis probata fuerunt, non adscriptis? Non placebat pax quibusdam oratorum. Nonne vero tum refragari, non nunc me accusare debuerunt? Ditabantur quidam bello de vestris tributis et publicis vectigalibus. Quorum messis nunc desiit. Pax enim otium non alit. Ii ergo qui non læduntur,

sed lædunt rempublicam, pacis interpretem mulctabunt, vos vero qui fructum percipitis, eos qui utilem reipublicæ operam navarunt, deseretis?

51. Una cum Philippo cantica triumphalia cecini, eversis Phocensium urbibus, ut ait accusator. Quo autem id argumento perspicue poterit demonstrare? Sum enim cum ceteris nostris legatis ad hospitium invitatus; fuerunt autem vocati, et concœnati sunt cum legationibus Græcorum, non pauciores ducentis. Inter quos ego scilicet conspicuus fui, non subticens, sed concinens, ut ait Demosthenes: qui nec ipse ibi adfuit, nec eorum qui interfuerunt ullum testem produxit. Et quis me nosse potuit, nisi forte, ut in cœtibus, præcinui? Itaque si tacui, falso me accusas: sin patria nostra incolumi, et civibus nulla calamitate publica conflictantibus, Pæanem cum ceteris legatis concinui, cum et deo honos haberetur, et Athenienses nulla ignominia afficerentur, pie feci, non injuste, et jure conservabor. Et ego propter hæc immisericors homo sum: tu vero pius, qui sis eorum, qui iisdem tecum et libationibus et epulis usi sunt, accusator.

52. Atque etiam inconstantiam in gerenda republica mihi objecisti, quod cum prius Græcos contra Philippum concitassem, legatus ad eum iverim. Enimvero idem crimen publice omnibus Atheniensibus objicies. Bellum gessistis cum Lacedæmoniis: eosdem post Leuctricam calamitatem defendistis. Thebanos exsulantes in patriam restituistis: et rursus eosdem ad Mantineam oppugnastis. Oppugnastis Eretrienses et Themisonem: atque eosdem conservastis. Et Græcos infinitos eodem modo tractastis. Nam tempori servire, et optima quæque amplecti publice et privatim, omnes necesse habent. Quid autem bono senatori est agendum? Nonne reipublicæ pro re nata, ea quæ utilissima sint, suadenda? Improbo porro accusatori quid est dicendum? Nonne temporibus dissimulatis res gestæ accusandæ? Unde porro homo ad proditionem natus, est spectandus? Non ita, ut tu iis usus es qui tibi familiares fuerunt, et fidem habuerunt: qui ob mercedem orationes ad judicia scribat, easque prodat adversariis? Orationem scripsisti Phormioni mensario, pecunia accepta: eandem Apollodoro tradidisti, qui Phormionem capitis accusabat. Ingressus es in florentem Aristarchi domum, Moschi F., eam perdidisti. Præcepisti tria talenta ab Aristarcho qui exsulat: eum exsilii viatico spoliasti, famam nihil veritus, cum te mirari formam adolescentis simulasses. Neque enim vere miratus es. Neque enim verus amor improbitatem admittit. Ex his, similibusque rebus, æstimandus est proditor.

53. Quodam etiam loco militiæ mentionem fecit, meque egregium illum militem appellavit; ego vero non propter illius convicium, sed discriminis hujus habita ratione, sine invidia de his

etiam a me dici et posse et debere existimo. Ubi enim, aut quando eorum, aut apud quos, hac die prætermissa, faciam mentionem? Cum igitur pueritiam excessissem, custos nostræ ditionis fui per biennium, cujus rei æquales et collegæ mihi apud vos testimonium perhibebunt. Primum in militiam profectus sum ea expeditione, quæ Meresiana nominatur: et dum cum æqualibus pompam Phliuntiam cum Alcibiadis militibus comitarer, et circa Nemeæam fossam prælium commissum esset, sic decertavi, ut a ducibus laudarer: ceteris etiam expeditionibus quæ per vices mittebantur, ut Eponymianæ et Meresianæ, interfui, et ad Mantineam depugnavi, non turpiter, aut cum dedecore civitatis. In Eubœa item militavi, et Tamynæa pugna inter delectos ita me gessi, ut et ibi a ducibus corona ornarer, et huc reversus iterum a populo, cum et victoriam publice renunciassem, et Temenides Pandionicæ tribus centurio, qui a castris legatus huc mecum profectus erat, qualem in prælio me præbuissem, indicasset. Quæ ut vere a me dici constet, cape decretum hoc, et Temenidem voca et eos commilitones meos, qui pro republica militarunt, et Phocionem imperatorem, nondum advocatum, nisi judicibus visum fuerit, et testem calumniatori obnoxium, si mentitus fuerit.

DECRETUM. TESTIMONIA.

Cum igitur primus urbis victoriam vobis renunciarim, et liberum vestrorum successus, primam hanc a vobis gratiam repeto, ut vitam meam tueamini, cum non sim populo inimicus, ut accusator ait, sed improbis infestus, quippe qui vetem vos Demosthenis majores imitari—nulli enim sunt—, sed cohorter, ut honestorum consiliorum æmulatores sitis. Quæ altius repetita paulo dilucidius explanabo.

54. Primum, nostra urbs gloriam consecuta est post navale contra Persam prælium ad Salaminem gestum, cum mœnibus a barbaris dirutis, et pace cum Lacedæmoniis constituta, libertatem civitatis retinuimus. Post a quibusdam concitati, belloque contra Lacedæmonios suscepto, multis malis et datis et acceptis, intercessione Cimonis, Miltiadis filii, cui hospitium erat cum Lacedæmoniis, fœdus annorum quinquaginta percussimus, eoque tredecim annos sumus usi. Hoc tempore Piræeum muro cinximus, et septentrionalia mœnia exstruximus, et præter eas, quas ante habueramus, centum triremes ædificavimus, et trecentos equites nostris copiis adjunximus, trecentos item Scythas sagittarios mercati sumus, et populare imperium constanter retinuimus. Cum autem in rempublicam nostram homines non ingenui nec moderati irruissent, rursus Æginetis bellum intulimus: in eoque non mediocribus affecti damnis pacem expetivimus, Andocide cum collegis misso ad Lacedæmonios, et pacem triginta annos servavimus, quæ magnifice populum extulit. Nam mille talenta signatæ pecuniæ in arcem retulimus, et centum alias triremes fabricati sumus, et navalia exstruximus, et equites mille ducentos comparavimus, et alios totidem sagittarios; erecta item sunt austrina mœnia, neque quisquam statum popularem evertere est aggressus. Rursus cum persuasum nobis esset, ut bellum adversus Megarenses susciperemus, tum agros nostros vastari passi sumus, tum multis bonis amissis, pacem petivimus, atque fecimus per Niciam Nicerati filium. Sic iterum hoc tempore septem millia talentum ob pacis istius commoda in arcem retulimus, et triremes expeditas atque integras non pauciores trecentis comparavimus, item tributi nomine quotannis mille ducenta talenta nobis fuere pensitata; tenuimus Chersonesum, Naxum, Eubœam, plurimas colonias iis temporibus condidimus. Et cum tot bonis afflueremus, propter Argivos bellum intulimus Lacedæmoniis, Argivis obsecuti, donec tandem per oratorum velitationes eo devenimus, ut præsidium urbi imponeretur, et quadringenti, ac post impii triginta tyranni, rerum potirentur, pace non ultro facta, sed vi nobis imperata. Rursus vita modeste acta, et populo e Phyle reducto, Archino et Thrasybulo populi partes defendentibus, oblivione injuriarum jurejurando sancita, unde omnes civitatem nostram sapientissimam judicarunt, tunc populo recreato, atque iterum viribus aucto, cives adulterini, et fraude in album civitatis relati, subinde laborantem urbis partem sibi conciliarunt, et bellum ex bello severunt. Nam in pace verbis pericula amplificabant, et præmonebant, atque animos liberales et nimis celeres exstimulabant, in bellis autem arma non attingebant, quamvis et censores essent, et classium præfecti, qui quidem liberos e scortis suscipiebant, et ob calumniandi studium infames erant. Hi igitur nostram urbem in extrema pericula conjiciunt, et cum popularis imperii nomen non moribus, sed assentatione colant, et pacem turbent, qua popularis status conservatur, atque iis navent operam, qui populum bellis opprimunt: hi nunc conglobati me invadunt, ac Philippum pacem emisse dictitant, atque in pactionibus omnia nobis præripuisse; quam autem pacem impetrarit sibi conducibilem, eam violasse. Me vero sic accusant, non ut legatum, sed ut Philippi atque ipsius pacis sponsorem: et cum ne totius quidem orationis potestas penes me fuerit, actionum exspectationem a me reposcunt. Jam eundem hominem in decretis laudatorem meum ostendo, et in judicio accusatorem reperio. Et cum decimus ipse legatus fuerim, solus rationes reddo.

55. Adsunt mihi quidem qui una mecum vos deprecentur, pater meus, cui spem senectutis ne eripiatis: et fratres, qui a me sejuncti vitam sibi acerbam putabunt: affines item et hi puelli quidem, qui pericula nondum intelligunt, sed miserabiles tamen sunt futuri, si quid nobis acciderit. Pro quibus ego vos oro atque obtestor, ut eos

etiam atque etiam commendatos habeatis, neque inimicis et effœminati ac mulierosi hominis iracundiæ tradatis.

56. Oro porro, et supplex peto, primum a diis immortalibus, uti me conservent, secundo loco a vobis, qui ferendi suffragii jus habetis, apud quos ego singula crimina quantum quidem meminisse potui, refutavi. Conservate igitur me, neque orationum scriptori et improbo Scythæ me tradite. Et qui vestrum patres sunt liberorum, aut qui fratres natu minores magnifacitis, recordamini, me immortalem ad modestiam adhortationem accusatione Timarchi reliquisse: a ceteris autem omnibus, erga quos me comem præbui, cum fortuna sim plebeius et mediocrium similis, in civilibus autem certaminibus solus ceterorum contra vos non conspirarim, peto salutem, summa erga rempublicam benevolentia legatione functus, et solus calumniatorum tumultum perpessus, quem multi jam, qui in bellis egregia facinora edidere, non sustinuerunt. Neque enim terribilis est interitus, sed contumelia in morte est metuenda.

57. Quanta vero miseria est, inimici insultantis vultum intueri, et ejus probra auribus accipere? Sed tamen in discrimen ventum est, vita mea est periculis exposita. Apud vos sum educatus, in vestris congressibus sum versatus, cum nemine vestrum propter meas voluptates pejus agitur, neque patria quisquam privatus est me accusatore, cum in municipiis civium recensiones fierent, neque ob gestum magistratum in periculum veni. Sed ubi pauca dixero, descendam.

58. Illud, Athenienses, in potestate mea fuit, ut nulla vos afficerem injuria: ne vero in crimen venirem, id penes fortunam fuit, quæ me cum homine calumniatore, eoque barbaro, conflictari coegit, qui, neque sacrorum, neque libationum, nec mensæ communis habita ratione, sed iis qui in posterum adversari ei possent terrore injecto, adest, falsa contra nos accusatione concinnata. Quod si eos conservare volueritis, qui pacem vestramque securitatem defenderunt, multi erunt, qui reipublicæ commoda tueri velint, et alacriter pro vobis decertare.

59. Peto autem, ut advocatus mihi esse dignetur, e viris modestis et in republica versatis, Eubulus, ex imperatoriis Phocio, qui præterea etiam justitia omnibus antecellit, ex amicis et æqualibus meis Nausicles, ceterique omnes, quibus ego familiariter usus, atque in iisdem studiis versatus sum. Ac mea quidem oratio jam absoluta est: corpus autem meum vobis, et a me traditur, et a lege.

ARGUMENTUM ORATIONIS IN CTESIPHONTEM.

Scitum fecit Ctesiphon, ut Demosthenes Demosthenis f. Pæaniensis corona aurea donaretur, eaque donatio in theatro palam fieret diebus Bacchanalium tragœdis, propterea quod ea quæ e re essent populi Atheniensis et dicere et facere semper perstiterit. Scitum illud Æschines ut contra leges factum in judicium vocavit, et tria accusationis capita summa profert, unum, quod Demosthenem rationibus nondum relatis corona donandum decreverit, cum lege cautum sit ne quis magistratus corona donaretur priusquam rationes retulisset, et hoc caput ad essentiam causæ pertinet: alterum, quod coronæ præconium in theatro fieri jusserit, cum lex vetet quemquam in theatro coronari, et hoc ad quæstionis qualitatem spectat: tertium et postremum, quod falsa in decreto scripserit; non enim esse bonum virum Demosthenem, neque corona dignum. Hoc quoque est ad crimen de decretis contra leges factis referendum, cum exstet lex quæ falsa scribere prohibeat in decretis: pertinet autem ad qualitatem. Adversarii vero tres objectiones anticipat, nam ad primum caput bifariam respondebit Demosthenes, se non fuisse in magistratu, nec murorum refectionem esse magistratum, sed ministerium quoddam et curationem; et ut magistratus sit, tamen cum de suo sit largitus et e publico nihil acceperit non sibi referendas esse rationes: utrumque pertinet ad qualitatem. Contra hoc autem Æschines conjecturale caput opponit, quamvis id non confirmet: si non de suo largitus est, sed decem talenta ad operis sumptum a Senatu accepit: respicit hoc essentiam quæstionis. Adversus alterum caput cum Demosthenes aliam proferret legem quæ coronam in theatro promulgare jubeat, si jusserit populus, eam Æschines non ad civicas, sed ad hospitales coronas spectare contendit: refertur ad essentiam. Ad tertium multa singulatim regerit. Existimat autem Demosthenem in quatuor tempora defensionem suam partitum esse, singulasque actiones suas in ea distribuisse. Primum porro tempus id ait fuisse quo bellum primum cum Philippo de Amphipoli gestum fuerit, alterum factæ pacis, tertium secundi belli et cladis Chæronensis, quartum denique tempus præsens, earum sc. rerum quæ ipsis cum Alexandro jam tunc intercedebant. Primo igitur tempore pacis eum fuisse auctorem dicit, turpis et infamis, atque obstitisse quo minus eam una cum communi Græcorum consessu sanciret civitas: secundo, bellum Philippicum ab eo esse concitatum: tertio, et sacri belli et casus Amphissensium causam fuisse, quin et cladis Chæronensis, cum persuasisset civibus, ut suscepto contra Philippum bello, cum Thebanis socia arma jungerent: postremo, quod Alexandri tempore remp. deseruit. His absolutis totam Demosthenis vitam criminatur, in paucis etiam et Ctesiphontis, ubi postulat ut pro se ipse causam dicat.

Et capita quidem hæc sunt: judicio tamen vicit Demosthenes.

Æschinem quidem culpant nonnulli, quod crimini de decretis legibus adversis non fuerit immoratus, sed et acta Demosthenis exagitarit, cum is remp. præclare administrasset. Hic tamen contra hac in re maxime nititur, superest mihi, inquit, pars accusationis, in qua plurimum studii colloco: ea vero est causa, cur illum Ctesipho corona donandum censet. Videant autem isti an non rectissime sit factum. Cum enim magna apud omnes esset Demosthenis auctoritas atque existimatio, ut qui splendidissime remp. administrasset, non injuria putavit disputationem de decretis illicitis frigidam fore et inanem, nisi contrariam opinionem auditoribus incuteret, Demosthenem malevolo esse in populum animo et in rebus publicis turpem se et reprehensione dignum ostendisse. Quocirca in hanc accusationis partem summo studio incubuit, et in ea diutissime est

immoratus. In culpa fortasse ponet aliquis exordium, ut tragicum et vastum et ad perorationem propius accedens.

Status orationis est negotialis scripto constans, ut et orationis pro corona: [nempe] capita [status negotialis] uti et illic, legitimum sc. quod in tres leges, et justum quod in quatuor tempora dividitur. Observabis autem ut instar perorationis sit exorsus a rejectione advocatorum, quemadmodum et Demosthenes. Quidam dixerunt, non habere confirmationem exordium, itaque ne conclusionem quidem esse quærendam. Verum confirmatione non caret: quæ est, ne ea quæ æqua et usitata sunt in civitate fiant. Nam si ratio propositionis confirmationem efficit, ratio autem est quorundam deprecationes ne ea quæ æqua sunt et usitata in civitate fiant, adest utique confirmatio. Quin et conclusionem habet, ego vero fretus adsum, usque ad illud, plus apud vos quam leges atque jura valiturum.

Post accidit, ut patria excederet atque in exsilium iret ob accusationem decreti in honorem Demosthenis facti, quasi id esset legibus contrarium, et ipse mulctam eam sibi indixisset nisi ita esse ostenderet, victusque mulctam solvere nec posset nec vellet, quam ipse contra sese decreverat, quod et ipsum in oratione pro Corona cognovimus. Relicta igitur patria ad Alexandrum adscendere voluit, sed, cognito ejus obitu successorumque tumultibus, Rhodum navigavit ibique Rhodiacam scholam instituit, itaque et adolescentes erudiit et adulta ætate viris orationem Ctesiphonteam contra Demosthenem habitam recitavit: de qua cum in magna esset apud eos admiratione, rogareturque quo pacto in tam bona causa victus esset, respondit, miramini ut victus sim, eo quod illam bestiam non audistis? Bestiam enim illum vocabat ob acerbitatem ingenii et crudelitatem. Perhibent etiam, eum inter docendum illic declamationes et fictas controversias excogitasse primum.

ÆSCHINIS

IN

CTESIPHONTEM

ORATIO.

1. Quantus isthic apparatus sit, Athenienses, quantaque acies instructa, quibus denique in foro precibus sint usi quidam, ne ea quæ et æqua et usitata sunt, in civitate fiant, videtis. Ego vero diis primum immortalibus, deinde legibus ac vobis, fretus adsum, nullum existimans apparatum plus apud vos quam leges atque jura valiturum.

2. Vellem quidem, Athenienses, et quingentorum senatus et conciones publicæ a præfectis suis recte administrarentur, vellem leges, quas Solon de oratorum disciplina tulit, valerent, ut ei primum qui ex civibus esset ætate provectior, sicut leges jubent, in suggestum pudenter adscendenti, sine strepitu ac tumultu ex usu rerum

optima reipublicæ consilia dare liceret: deinde ut jam cuivis civium, pro sua cujusque ætate, seorsim et per vices singulis de rebus sententiæ dicendæ potestas sit. Sic enim mihi videtur et civitas optime regi posse, et contentiones forenses rarissimæ futuræ. Cum autem ea, quæ olim consensu omnium erant præstantissima, nunc abrogata sint, cum nonnulli sententias legibus contrarias non dubitent perscribere, easque alii populi suffragiis permittant, non justissima ratione proedrorum munus sortito adepti, sed facta coitione consecuti; si quis autem ex reliquis senatoribus munus illud revera sortitus sit et suffragia vestra rite pronuntiaverit, huic isti, qui remp. non jam communem sed privatim suam existimant, delationem nominis minitentur, redacta in servitutem plebe et dominationem sibi vendicantes, cum judicia quæ legibus constituta sunt abrogarint, quæque ex plebiscitis fiunt iracundi pronuntient: silet præconium illud omnium quæ in urbe sunt et pulcherrimum et modestissimum, quis quinquagenario major concionem habere vult, deinde per vices qui alii Athenienses, sed oratorum immodestiam jam neque leges neque prytanes neque proedri neque præsidens tribus, decima pars civitatis, possunt coercere.

3. Cum igitur hæc ita se habeant, ac talia reip. obvenerunt tempora, qualia vos esse ipsi intelligitis, una adhuc pars imperii reliqua est, si quid modo ego intelligo, judiciorum de decretis contra leges factis *vindicatio*. Quod si hæc quoque tolletis vel iis qui tollere conantur permittetis, prædico vobis fore ut paulatim universæ reip. statum certis hominibus imprudentes concedatis. Probe enim nostis, Athenienses, tria esse apud omnes homines reip. administrandæ genera: Unius, Paucorum, et Populi principatum. Ac regnum quidem paucorumque dominatus eorum qui præsunt administrantur arbitrio; liberæ vero civitates statis legibus *obtemperant*. Neminem igitur vestrum hoc lateat, sed plane sciat unusquisque, se, eo ipso die quo forum judiciale ingreditur actionem de decretis contra leges factis disceptaturus, de sua etiam ipsius dicendi libertate laturum esse sententiam. Idcirco et Legislator primum hoc posuit in judicum jurejurando, sententiam feram secundum leges, illud nimirum pro comperto habuit, conservatis reip. legibus, salvum simul esse imperium populare. Quæ quidem vos memoria tenentes oportet eos qui decreta scribunt legibus contraria odisse, neque ullum hujusmodi crimen leve, sed gravissimum esse unumquodque arbitrari, denique hoc jus neminem mortalium vobis pati eripere, *repudiatis* et imperatorum patrociniis, qui jamdiu oratoribus quibusdam adjutores adsciti remp. labefactant, et hospitum deprecationibus, quibus aliqui subornatis e judiciis effugiunt, cum legibus contrariam sequantur reipublicæ gerendæ rationem: sed quemadmo-

dum quemque vestrum puderet stationem in bello sibi assignatam deserere, ita etiam nunc pudeat ab eo loco migrare, in quo a legibus collocati estis dominationis popularis custodes hodierno die *constituti*.

4. Illud etiam memoria est tenendum, universos cives reip. statum atque regimen vestræ nunc fidei commisisse, quorum alii hodiernæ intersunt causæ, alii vero absunt suis occupati negotiis: quos reveriti, et jurisjurandi, quo obstricti estis, legumque memores, si Ctesiphontem convicerimus et legibus contrarium falsumque et civitati incommodum decretum conscripsisse, evertite, Athenienses, iniqua proposita, dominationem popularem civitati stabilite, de iis qui in gerenda rep. neque legibus neque civitati neque communi omnium vestrum utilitati consulunt pœnas desumite. Quod si his animis ea quæ dicturus sum audieritis, certe scio vos et justam religiosamque et vobis reipublicæque perutilem sententiam esse laturos.

5. Ac de universa quidem accusatione satis multa me præfatum esse confido: de legibus autem, quæ ad eos pertinent qui rationibus referendis sunt obnoxii, contra quas decretum hoc scripsit Ctesiphon, paucis jam mihi esse dicendum videtur. Superioribus igitur temporibus, nonnulli summis in repub. magistratibus functi et vectigalibus præfecti curandis, quique in eorum singulis sordidum quæstum facerent, adjungendis sibi tum a senatu tum a plebe oratoribus, rationum referendarum judicia laudibus et præconiis ex longinquo antevertebant, ita ut in rationibus magistratuum reddendis accusatores, multoque etiam magis judices, in maximas redacti erant angustias. Multi enim eorum qui rationes reddere tenebantur, cum apertissime peculatus arguerentur, e judiciis tamen evaserunt. Neque id sane mirum. Pudebat scilicet judices, in eadem urbe, fortassis etiam eodem anno, virum illum, de quo nuper ludis publicis prædicaretur, eum virtutis ergo et justitiæ aurea corona a populo donari; mox e judicio videri exeuntem furti causa repetundarum damnatum. Itaque sententiam ferre judices cogebantur, non quam objectum crimen postularet, sed qua civium pudori consuleretur.

6. Hæc cum legislator quidam animadvertisset, legem tulit eamque præclaram, quæ diserte vetat, ne qui rationes nondum retulerunt corona donentur. Quæ cum a legislatore tam prudenter sint provisa, inventa tamen quædam sunt aucupia verborum legibus superiora, quorum nisi quis certiores vos faciat, imprudentes decipiemini. Eorum enim, qui aliquos ante relatas rationes corona donandos contra leges censent, nonnulli natura sunt modesti, si quis modo eorum modestus esse potest qui decreta scribunt legibus adversa: sed tamen velamentum quoddam dedecori prætendunt. Decretis enim adscribunt, coronandum esse hominem, postquam gesti magistratus rationes reddiderit. Ac civitas quidem pari utrobique injuria afficitur; nam rationes referendæ laudibus et coronis prævertuntur: is autem qui decretum scribit significat auditoribus, se quidem contra leges id scripsisse, delicti autem ipsum pudere. Ctesiphon vero, Athenienses, et legem transgressus quæ ad rationes relaturos pertinet, eumque, quem modo vobis exposui, prætextum rejiciens, scito jussit Demosthenem, etiam tum magistratum gerentem, priusquam rationes retulerit, corona donari.

7. Aliam porro, Athenienses, afferent orationem ab ea quæ modo exposita est diversam, si quid aliquis electus ex plebiscito gerat, id non magistratum esse, sed curationem quandam et ministerium: magistratus autem illos esse dicent, quos Thesmothetæ in Thesei fano sortito distribuant, eos item, quos populus in comitiis suffragio creare solet, ut imperatores, ut equitum magistros, cæterosque id genus magistratus, reliqua vero omnia negotia esse duntaxat ex plebiscito mandata. Ego vero istorum orationi legem vestram opponam, quam eo consilio tulistis, ut hujusmodi commenta præcidantur. In qua diserte scriptum est: Magistratus inquit legislator qui populi suffragio creantur, uno omnes vocabulo complexus, cunctosque eos edicens esse magistratus, quos populus suffragio creat: et publicis operibus præfectos (est autem Demosthenes, curator cum esset muris reficiendis, maximo præfectus operi) et omnes, quotquot aliquid quod civitatis sit tractant ultra triginta dies, et quicunque tribunalium præfecturas susceperint (omnes autem operibus præfecti tribunalis suscipiunt præfecturam):—quid hos jubet facere? Non obire ministerium sed magistratu fungi postquam in foro judiciali approbati sint, siquidem ne ii quidem quibus sortito magistratus obvenere, nisi spectati prius et approbati sint, magistratum gerunt; jubet etiam eos, quemadmodum et alios magistratus, apud scribam et ratiociniorum præfectos in tabulas referre rationes. Hæc ut a me vere dici constet, ipsæ vobis leges recitabuntur.

LEGES.

8. Cum igitur, Athenienses, quos legislator magistratus appellat, isti negotia et curationes nominarint, vestrum est hanc legem recordari et eorum opponere impudentiæ, subjicere eis denique, neutiquam vobis acceptum fore malitiosum cavillatorem, qui se verborum captionibus leges eversurum putet, sed quo quisque lingua melior sit qui legibus contraria scribit, eo graviorem vestram sensurum iracundiam. Oportet enim, Athenienses, idem loqui legem et oratorem; ubi vero aliam vocem lex, aliam orator mittat, secun-

dum legis æquitatem ferenda sententia est, non dicentis impudentiam.

9. Jam de illa, quam Demosthenes inexpugnabilem ait, ratione pauca præmittam. Dicet enim iste, ego muris reficiendis curator sum, fateor, sed minas centum largitus sum civitati, atque opus inde amplius multo effeci. Cujus igitur rei mihi ratio referenda est, nisi forte et benevolentiæ sit ratio aliqua referenda? Adversus eum autem prætextum audite me paucis, quam æqua et vobis utilia sim dicturus. In hac enim tanta et tam veteri republica, nemo est eorum qui ad remp. quomodocunque accesserint qui referendarum rationum judicio sit solutus. Idque vos iis edocebo primum quæ plerisque mira videantur. Cujusmodi est, quod Sacerdotes mares feminasque lex rationibus reddendis subjicit, et generatim omnes et unumquemque sigillatim, qui duntaxat honorarium aliquod accipiunt et vota pro vobis diis faciunt: idque non privatim tantum, sed communiter etiam totas familias, Eumolpidas, Ceryças, et reliquos omnes. Rursus Trierarchos rationem reddere lex jubet, qui neque publica tractarunt, neque e vectigalibus vestris multum suffurati, exiguum vero quiddam numerantes, largiri se de suo dicunt, cum vestra vobis restituunt, sed qui citra controversiam patrimonia sua vestri studio insumpserunt. Neque vero trierarchi soli, sed maxima omnium quæ in civitate sunt concilia, judicum suffragium subeunt. Primum enim Areopagiticum Senatum jubet lex rationes suas apud præfectos ratiociniorum referre, illosque maximarum et gravissimarum causarum arbitros vestro subjicit suffragio. Nunquamne ergo coronabitur Senatus Areopagiticus? *Non,* neque enim hoc illis patrium aut usitatum est. Non ducuntur studio honoris? Ducuntur sane, verum non satis habent, si quis apud se ipsos nemini faciat injuriam, sed si quis deliquerit, castigant: vestri autem oratores licentia efferuntur. Præterea Senatum Quingentorum legislator referendis rationibus fecit obnoxium, atque iis qui rationes nondum retulerunt usque adeo diffidit, ut statim legum initio dicat: Magistratus rationibus non relatis ne peregre proficiscitor. Dii boni! exclamet aliquis, eone quod magistratum gessi, non peregre proficiscar? Scilicet ne intercepta pecunia publica aut negotiis *mala fide gestis* in fugam te conjicias. Rursus eum qui rationes debet neque facultates suas consecrare sinit, neque donaria templis suspendere, neque adoptari, neque testamentum facere, aliave permulta. Uno ut dicam verbo, eorum qui hoc judicio tenentur bona legislator in pignus arripit, donec civitati rationem retulerint. Esto, sed est, qui ex pecunia publica neque sumpsit quicquam neque insumpsit, ad aliquam tamen reip. accessit partem. Etiam hunc jubet lex rationes referre apud præfectos ratiociniis. Quo pacto tandem, qui nec sumpsit nec insumpsit quicquam, rationem reddet civitati? Lex ipsa subjicit ac declarat quæ scribenda sint. Jubet enim hoc ipsum tabulis inscribere, se nec sumpsisse quicquam e publico nec insumpsisse. Omnino autem eorum, quæ in hac civitate sunt, nihil est, de quo non reddenda sit ratio, de quo non sit quærendum, quod non sit explorandum. Quæ ut a me vere dici pernoscatis, ipsas audite leges.

LEGES.

Cum igitur in hoc maxime se jactabit Demosthenes, dicetque se propter largitionem suam rationibus reddendis non esse obnoxium, illud statim ei opponite, ergo te, Demosthenes, sinere oportebat ratiocinatorum præconem patrium illud et legitimum præconium usurpare, QUIS ACCUSARE VULT? sinito disceptare tecum quemvis civium, an nihil sis largitus, sed de multis, quæ accepta habes in murorum refectionem, pauca impenderis, cum decem talenta eo nomine a civitate accepisses: ne tibi liberalitatis laudem rapito, neque calculos e judicum manibus extorqueto, neque leges antecedere sed sequi velis in rep. gerenda. Hæc enim dominationem erigunt popularem.

10. Itaque adversus futiles, quos fingent isti, prætextus hactenus a nobis dictum sit. Revera autem referendis rationibus obnoxium fuisse Demosthenem, ubi scitum istud Ctesiphon rogavit, cum pecuniæ theatrali, et murorum simul refectioni præpositus esset, neutriusque magistratus rationem reddidisset, ego jam vos ex tabulis publicis conabor edocere. Recita ergo mihi, quo prætore, quo mense, quo die, et in qua concione Demosthenes theatralis pecuniæ curator sit electus. [Ut *intelligatis,* decretam ei coronam esse in medio magistratu.] Recita.

SUPPUTATIO DIERUM.

Itaque si nihil amplius probaverim, jure tamen optimo damnaretur Ctesiphon. Neque enim eum accusatio mea, sed acta publica coarguunt.

11. Erat olim quidem, Athenienses, custos a civitate delectus, qui in singulis tribuum imperiis rationes vectigalium populo referebat: propter eam autem quam apud vos Eubulus consecutus est auctoritatem, ii quibus theatralis pecunia suffragio mandata erat, fungebantur quidem, ante legem illam Hegemonis, et custodis magistratu, et quæstorum simul et navalibus præfectorum muneribus,

quin et armarii fabricationem et refectionem curabant viarum, denique totius fere civitatis administrationem obierunt. Neque hæc dico, quo eos aut incusem aut reprehendam, sed illud vobis ostensum volo, latorem legis, si quis unius vel infimi magistratus rationes referre debeat, nolle eum, priusquam rationes illas reddiderit, corona donari: Ctesiphon autem Demostheni, qui ad summam omnes Athenarum magistratus una gerebat, coronam decernere non dubitavit.

12. Jam muris eum reficiendis curatorem fuisse, cum iste hoc plebiscitum scripsit, et publicam tractasse pecuniam, et irrogasse mulctas, quemadmodum et alii magistratus, et fori judicialis principatum obtinuisse, harum ego rerum testes vobis ipsum Demosthenem et Ctesiphontem citabo. Nam Chæronda prætore, mensis Thargelionis die XXIX., cum concio haberetur, scitum fecit Demosthenes, ut convocarentur Tribus diebus secundo et tertio Scirophorionis, eodemque scito præscripsit, ut ex unaquaque tribu deligantur mœnium reficiendorum curatores et quæstores. Prudenter sane, nimirum ut certos homines haberet civitas inquisitioni obnoxios, a quibus esset sumptuum factorum rationem repetitura. Recita mihi decreta.

DECRETA.

13. Esto, verum huic statim e contrario replicabit, sibi nec sorte, nec suffragio populi mœnium instaurationem obvenisse. Et de hoc quidem Demosthenes et Ctesiphon orationem bene longam habituri sunt, vera autem oratio et brevis et perspicua erit quæque cito istorum dissolvet fallacias. Pauca tamen imprimis hac de re præfabor. Tria sunt *apud nos*, Athenienses, magistratuum genera: ex quibus unum omnibusque notissimum est eorum qui sorte aut populi suffragio creantur: alterum, qui aliquid quod ad civitatem pertinet ultra triginta dies tractant quique publicis operibus sunt præfecti: tertium verbis legis expressum est, et si qui delecti in foro *aliquo* judiciali præfecturam susceperint, ii quoque postquam spectati fuerint magistratu fungantur. Jam si demantur magistratus, qui populi suffragio et qui sorte sunt creati, superest ut ii, quos tribus et trientes tribuum et municipia ex suis deligunt ad pecuniam publicam tractandam, sint delecti magistratus: id autem fit, quando, uti nunc, tribubus aliquid mandatum fuerit, sive sint fossæ egerendæ sive triremes fabricandæ. Quæ vere a me dici, ex ipsis legibus cognoscetis.

LEGES.

In memoriam igitur revocate, quæ modo diximus, latorem legis jubere eos, qui ex tribubus delecti sint, postquam in judiciali foro probarentur, magistratu fungi: atqui tribus Pandionia Demosthenem magistratum et mœnium instauratorem delegit, quin ad eam rem paulo minus decem talentis ex ærario habet: jam vero alia lex vetat magistratum ante rationes relatas coronari: vos autem jurejurando adacti estis sententiam ferre secundum leges: at orator iste decrevit, hominem rationibus reddendis obnoxium esse coronandum, neque illud adjecit postea quam rationes reddiderit: ego vero crimen plebisciti contra leges facti tum legum, tum decretorum, tum adversariorum testimoniis evinco. Quo tandem pacto apertius quisquam demonstrare possit hominem legibus inimicissima scripsisse?

14. Porro et coronæ prædicationem eum in scito suo jubere contra leges fieri, id quoque vos edocebo. Lex enim diserte jubet, si quem corona donet senatus, ut in curia prædicetur, sin populus, in concione, alibi vero nusquam. Recita mihi legem.

LEX.

Præclara sane lex ista est, Athenienses. Neque enim, opinor, censuit legislator oratorem decere se apud exteros magnifice jactare, sed satis habere, si in urbe a populo ornetur, neque in præconiis quæstum aucupari. Atque ita quidem lator legis: Ctesiphon autem quomodo? Recita decretum.

DECRETUM.

Auditis, Athenienses, jubere legislatorem, ut qui a populo corona donetur, de eo apud populum in Pnyce concione habita præconium fiat, alibi vero nusquam: at Ctesiphon in theatro, non legibus modo spretis, sed etiam loco commutato, non Atheniensibus ad concionem convocatis, sed novis tragœdis fabulas agentibus, non coram populo, sed spectantibus Græcis, ut nobis conscii sint, quali nos viro honorem habeamus.

15. Cum igitur tam aperte legibus contraria scripserit, conjunctis cum Demosthene viribus technas quasdam legibus intendet, quas ego vobis indicabo et prædicam, ne imprudentes in errorem inducamini. Negare enim isti non poterunt, quin leges vetent, ne is quem populus coronet extra concionem prædicetur: adducent vero qua se defendant legem Dionysiacam, ejusque partem quandam citabunt, quo auribus vestris abutantur, legem denique proferent nihil ad hoc judicium pertinentem, dicentque duas esse in civitate de præconiis receptas leges, unam, quam ego nunc profero, diserte vetantem de eo quem populus corona donet extra concionem præ-

dicari; alteram autem dicent esse legem huic contrariam, quæ coronæ prædicationem in theatro tragœdis fabulas agentibus fieri permittit, modo id sciverit populus. Ex hac igitur lege dicent decretum tulisse Ctesiphontem.

16. Ego vero adversus istorum captiones leges vestras patronas advocabo, quod mihi per totam quidem accusationem summo studio est. Nam si hoc verum est, si talis in rempublicam vestram consuetudo irrepsit, ut leges irritæ inter ratas sint adscriptæ, et binæ de eadem re inter se pugnantes, qualem tandem eam dicat aliquis esse rempublicam, in qua leges eadem facere et non facere jubeant? Verum ista non ita se habent; et absit ut vos unquam ad talem legum confusionem prolabamini, neque hæc sunt a legislatore qui populare imperium constituit neglecta, quin diserte imperatum est thesmothetis ut leges quotannis in populo corrigant, cum diligenter inquisiverint, et considerent, utrum lex alteri legi contraria obtineat, aut irrita inter ratas, aut sicubi plus quam una sit de qualibet re perscripta: quod si quid hujusmodi deprehenderint, jubet eas in tabulis descriptas pro x. heroum statuis proponi, prytanes vero concionem habere, *programmati suo titulum* nomothetis inscribentes, tum præsidum præfectum populum in suffragia mittere, et leges alias abrogare, alias retinere, ut una sit lex, non plures, de unaquaque re. Recita mihi leges.

LEGES.

Si igitur vera essent, Athenienses, quæ ab iis dicuntur, duæque de præconiis leges exstitissent, aliter, opinor, fieri non potuisset, quin a thesmothetis deprehensæ fuissent, et a prytanibus nomothetarum judicio traditæ, et sic altera ex legibus tolleretur, vel ea quæ præconium fieri *extra concionem* permitteret, vel ea quæ vetaret. Cum autem nihil tale factum sit, aperte nimirum constat, eos non tantum quæ vera non sint affirmare, sed etiam quæ ne fieri quidem ullo modo possint.

17. Verum unde hoc mendacium eruerint, ego vos docebo, si prius quas ob causas leges de præconiis theatralibus latæ sint exposuero. Cum ludi tragici urbani fierent, alii, re a populo non impetrata, prædicandum curabant se corona donari a tribulibus, alii a popularibus, nonnulli etiam silentio per præconem facto servos suos libertate donabant, Græcosque manumissionis illius testes adhibebant: et quod omnium erat invidiosissimum, quidam apud exteras civitates hospitia consecuti perfecerunt ut præconium fieret, se a populo, puta fortasse Rhodio vel Chio vel alio quocunque, virtutis ergo et fortitudinis, corona donari. Atque hæc non ita agebant, quomodo ii qui a senatu vestro vel a populo coronantur, re a vobis impetrata et cum plebiscito, postquam magnam a vobis inierint gratiam, sed ipsi sibi *honorem* præripientes absque decreto vestro. Ea porro ratione fiebat, ut spectatores et ludorum præfecti et histriones interturbarentur, qui autem in theatro prædicabantur majorem honorem consequerentur, quam ii quibus coronam donavit populus. His enim locus erat certus constitutus, concio scilicet, in qua essent coronandi, atque interdictum erat ne uspiam alibi proclamarentur; de iis vero coram universis Græcis erat prædicatum: ac illi quidem cum decreto, vobis annuentibus, hi autem absque decreto. Hæc cum legislator quidam animadvertisset, legem rogat nihil cum lege de iis qui a populo coronantur commune habentem, neque ea abrogata (non enim concio turbabatur, sed theatrum), neque lege suasa prius receptis legibus adversa (non enim fas est), sed de iis *illam tulit*, qui sine vestro decreto corona donarentur a tribulibus aut popularibus, de iis qui servos suos manumitterent, de coronis denique hospitalibus. Ac diserte vetat, ne quis in theatro servum manumittat, neve de iis præconium fiat, quos tribules aut populares, aut alii quivis corona donent, alioqui infamia notari *jubet* præconem.

18. Cum igitur iis, qui a senatu coronantur, curiam designarit in qua prædicentur, iis qui a populo concionem, de iis autem qui a tribulibus aut popularibus *honestantur* præconium fieri vetuerit in ludis tragicis, ne quis coronas et præconia tanquam stipem corrogans falsa meritorum fama perfruatur, vetuerit insuper in lege ne ab ullo alio prædicetur, exclusis senatu et populo et tribulibus et popularibus: hæc inquam ubi demseris, quid reliquum est præter hospitales coronas? Quæ vere a me dici, magno vobis argumento ex ipsis deprompto legibus ostendam. Ipsam enim auream coronam, quæ in theatro in urbe promulgetur, Minervæ sacram lex esse jubet, ademptâm ei qui coronatur. Enimvero quis vestrum tantæ illiberalitatis damnare ausit populum Atheniensem? Non modo enim civitas, sed ne privatus quidem quisquam tam parum esset generosus, ut, quam ipse donaverat coronam, eodem tempore promulget auferatque et devoveat. Sed eo nimirum quod hospitalis est corona, etiam fit consecratio, ut ne cujus animus, dum alienam benevolentiam pluris quam patriam faciat, corrumpatur. At non eam quæ in concione prædicatur coronam quisquam consecrat, sed libere possidere licet, ut non is tantum *qui accepit*, verum etiam ipsius posteri monimentum illud domi asservantes nunquam animos habeant a populo alienos. Hac etiam de causa adscripsit legislator, ne extera corona in theatro a præcone promulgetur, nisi populus sciverit, ut ea civitas, quæ vestrum aliquem corona donare velit, missis legatis, id a populo petat, adeoque is de quo prædicetur majorem gratiam vobis habeat, quam iis qui coronam dederunt, quod eam promulgari permiseritis. Ac me vera dicere, ex ipsis legibus accipite.

LEGES.

Cum igitur vos decepturi dicent, adscriptum esse legi licere aliquem corona donare, si populus sciverit, facite vobis in mentem veniat subjicere, ita sane, si qua te alia civitas coronarit; sin populus Atheniensis, designatus tibi locus est, ubi id fieri oporteat. Interdictum tibi est, ne extra concionem prædiceris. Nam ea verba alibi autem nusquam quid sibi velint, totum diem dicas licet: nunquam certe ostendes te decretum scripsisse legibus consentaneum.

19. Restat nunc mihi accusationis pars, in qua plurimum studii colloco. Ea porro est causa, propter quam istum corona dignum arbitratur *Ctesiphon*. Ita enim in decreto scribit: et præconem in theatro coram Græcis pronuntiare, Demosthenem a populo Atheniensi corona donari virtutis ergo ac fortitudinis et quod est omnium maximum quia illa et dicere et facere non desistat quæ populo sunt utilissima. Jam vero simplex omnino in posterum mihi erit oratio, vobisque audientibus intellectu ac judicatu facillima. Me enim qui accuso scilicet ostendere oportet, falsas esse laudes quæ Demostheni tribuuntur, eumque neque optima dicere unquam cœpisse, neque jam in iis agendis quæ civitati prosunt perseverare. Quod si hæc evicero, jure nimirum causa cadet Ctesiphon: omnes enim leges vetant, ne quis in decretis publicis falsa perscribat scripta. Reo autem hujus contrarium est ostendendum. Vos nobis eritis eorum quæ utrinque dicentur judices. Atque ita quidem se res habet.

20. Enimvero totam Demosthenis vitam excutere longioris ego orationis opus esse arbitror. Quid enim nunc ista commemorem, quæ illi in actione vulneris acciderunt, cum in Areopagum citavit Demomelem Pæaniensem, consobrinum suum, utque *ipse sibi* caput inciderit? quid ea quæ in Cephisodoti præfectura, classe in Hellespontum profecta, *contigerunt*, quo tempore Demosthenes, cum unus esset ex trierarchis, et sua nave ducem circumveheret, una cum eo vesceretur, sacrificaret, libaret, eumque honorem propterea quod paternus ei amicus erat consequeretur, non dubitavit tamen, cum is læsæ majestatis reus in judicium capitis esset adductus, accusatorem sese ejus profiteri? quid ea quæ ipsi cum Midia *intercesserunt*, et colaphos, quos in orchestra choro præfectus accepit, utque et injuriam sibi factam et populi simul judicium damnatorium, in templo Bacchi contra Midiam pronuntiatum, triginta minis vendiderit? Hæc igitur atque alia his similia recte mihi videor esse silentio præteriturus, non

quod aut vos prodere, aut causam hanc indulgenter velim remittere, sed quod verear ne mihi statim ita occurratis, me vera quidem dicere videri, sed antiqua jam et usquequaque confessa. Atqui, Ctesiphon, cujus summa flagitia ab auditoribus ita cognita sunt et comperta, ut accusator non falsa dicere, sed vetera et pervulgata videatur, utrum eum aurea corona donari, an vituperari convenit? Te vero, qui et falsa et legibus contraria scribere ausus sis, utrum judiciorum auctoritatem contemnere oportet, an civitati pœnas dare?

21. De publicis autem criminibus planius eloqui conabor. Siquidem audio Demosthenem, cum ad eos dicendi vices redierint, quatuor apud vos tempora præterita enumeraturum, quibus ipse remp. administravit. Quorum unum quidem, ut ego accepi, idque omnium primum recenset, quo de Amphipoli bellum cum Philippo gerebamus: id autem tempus definiit pace illa et societate facta, quam decreto sanxit Philocrates Agnusius, et iste ipse cum eo conjunctus, uti ego ostendam. Secundum fuisse tempus ait, quo pacem habebamus, nimirum ad eum usque diem, quo pace qua utebatur civitas dirempta idem iste orator bellum decrevit. Tertium vero cum bellum gessimus, usque ad infelicem illum in Chæronea conflictum. Quartum denique in quo nunc versamur. His igitur enumeratis, me, ut audio, appellaturus est et rogaturus, utrius horum quatuor temporum eum incusem, et quando eum quæ populo utilissima sint in rep. administranda gessisse negem: quod si respondere nolim, sed oculos obduxero et aufugiam, ait se accessurum, ac integumentum meum revulsurum, abreptum denique ad suggestum, vi me coacturum ut respondeam. Ut igitur nec iste ita viribus confidat, et vos præmoneamini, et ego tibi respondeam coram judicibus, Demosthenes, reliquisque civibus, qui foris circumsistunt, et coram Græcis quibus curæ fuit huic judicio interesse— video autem non paucos adstare, sed tot quot nemo unquam meminit ad ullam causam publicam convenisse—, respondeo, me omnium eorum quatuor temporum, quæ tu distinguis, te incusare. Quod si dii voluerint, si judices paribus nos animis audierint, si demum ipse, quæ te admisisse scio, memoria consequi potuero, omnino me judicibus ostensurum confido, salutem civitati deos primum immortales attulisse, deinde eos qui reipub. negotia prudenter humaniterque gesserunt, calamitatum vero omnium unum Demosthenem auctorem exstitisse. Et hunc quidem orationis ordinem persequi instituo, quo eum usurum esse accepi, dicamque primum de primo tempore, deinde de secundo, tum de eo quod ordine proximum est, postremo de hoc rerum statu in quo nunc versamur.

22. Ad eam igitur me paçem refero, quam tu et Philocrates decrevistis. Vobis enim licuisset, Athenienses, priorem illam pacem una cum communi Græcorum concilio facere, si certi homines vos

essent passi legatos operiri, quibus eo tempore in Græciam missis *omnes* cohortabamini, ut adversus Philippum communi Græcorum concilio interessent, licuisset et processu temporis ultro vobis delatum a Græcis imperium obtinuisse. Hæc erepta vobis sunt per Demosthenem et Philocratem eorumque turpes corruptelas, quibus inducti contra vestram remp. conjurarunt. Quod si vestrum nonnullis raptim hæc et derepente audientibus paulo incredibilior hæc accidat oratio, ad ea quæ consequuntur ita animos attendite, quemadmodum cum de insumptis pecuniis post longum temporis intervallum ad rationes reposcendas sedemus: nonnunquam utique falsas domo de rationibus opiniones afferimus, verum ubi eæ in summam collectæ fuerint, nemo nostrum adeo præfracto est ingenio, quin illud discedens fateatur et annuat esse verum, quodcunque ipsa rationum subductio evicerit. Ita etiam et nunc animos attendite. Si quis vestrum talem opinionem jamdudum comprehensam domo detulit, nihil unquam Demosthenem, coitione facta cum Philocrate, pro Philippo dixisse,—qui eo inquam animo est, is neque absolvat quemquam neque condemnet, priusquam audierit; neque enim id æquum est: at si me paucis auscultaretis et tempora commemorantem et decrétum, quod Philocrate socio scripsit Demosthenes, proferentem, si ipsa veritatis ratiocinatio Demosthenem implicatum coarguerit plura Philocrate decreta de prima illa pace et societate conscripsisse, per summum porro dedecus Philippo ejusque legatis adulatum esse, in causa præterea fuisse quo minus resp. consentiente Græcorum concilio pacem faceret, *postremo* Cersobleptem regem Thraciæ, amicum atque socium nostræ civitatis, Philippo tradidisse:—hæc si vobis luculenter ostendero, rem æquissimam a vobis petam, fateamini mihi per deos immortales Demosthenem hoc tempore quod e quatuor primum est remp. non bene administrasse. Inde autem ordiar, unde facillime subsequi possitis.

23. Decrevit Philocrates, ut caduceatores huc et legatos de pace ac societate mittendi copia daretur Philippo. Scitum hoc, tanquam legibus adversum, in jus vocatur. Venit judicii dies. Accusabat Lycinus qui dicam scripserat, causam dicebat Philocrates, patronus erat Demosthenes. Absolutus est Philocrates. Post hæc subibat tempus, quo Archon erat Themistocles. Tum in curiam senator venit Demosthenes, neque sorte neque subsortito *munus illud* consecutus, sed coitione facta nundinatus, ut omnibus et dictis et factis Philocrati subserviret, quomodo res ipsa declaravit. Pervincit enim alterum decretum Philocrates, quo jubet decem legatos deligi, qui ad Philippum profecti postulent ab eo, ut legatos de pace plena potestate instructos huc mandaret. Ex his unus erat Demosthenes. Qui illinc reversus laudator pacis fuit, eademque atque reliqui legati renunciavit, solus autem ex senatoribus decrevit, ut

cum Philippi caduceatore et legatis fœdus feriremus, plane iis consentanea scribens quæ decreverat Philocrates: ille enim potestatem dedit ut caduceatores huc et legati mitterentur, hic cum legatis fœdus icit. Jam vero ad ea quæ sequuntur vehementer quæso animos attendite. Acta enim sunt non jam apud cæteros legatos a Demosthene postea mutatione facta per calumniam multum exagitatos, sed *seorsim* apud Philocratem et Demosthenem—neque id mirum, quippe qui una legationem obierant, una decreta fecerant—primum, ut legatos qui a vobis missi *Græcos* in Philippum concitabant non exspectaretis, ne communiter cum cæteris Græcis sed privatam cum eo pacem faciatis: deinde ut non pacem tantum sed etiam societatem cum Philippo sciscereti, ut si qui sorte populo Atheniensi auscultaverant, ad summam adigantur desperationem, cum viderent vos sibi quidem belli suscipiendi hortatores esse, domi vero non modo pacem cum eo sed et societatem ineundam decrevisse: postremo ne rex Thraciæ Cersobleptes fœdere contineretur, neve pacis ac societatis esset particeps. Jam autem expeditio in eum erat indicta.

24. Atque is quidem qui hæc redimebat nihil fecit iniqui: nam priusquam sacramenta et fœdera confirmarentur, non erat ei vitio dandum, si suis commodis serviret; qui vero præsidia civitatis vendebant et cum eo communicabant, ii demum magna digni erant iracundia. Nam qui se nunc Alexandri tunc Philippi osorem fuisse dictitat Demosthenes, qui hospitium Alexandri mihi exprobrat, decreto jubet, reipublicæ occasionibus interceptis, ut prytanes concionem habeant octavo die mensis Elaphebolionis, cum Æsculapio sacra fierent et cum præludia agerentur, in die festo scilicet, quo nemo unquam meminit concionem haberi. Quamnam causam prætendens? Scilicet, ut simul atque advenerint a Philippo legati, populus quam maturrime consultet de rebus ad Philippum pertinentibus, ita eis qui nondum aderant legatis concionem præoccupavit, et tempora vestra intercepit; rem denique acceleravit, ne cum cæteris Græcis, vestris legatis jam reversis, sed soli pacem faceretis. Post hæc, Athenienses, advenerunt a Philippo legati, vestri autem aberant Græcos contra Philippum concitantes. Hic alterum etiam Demosthenes expugnat plebiscitum, quo decernit, ut vos non de pace solum verum etiam de societate consilium capiatis, non exspectatis legatis vestris, sed statim post Dionysia urbana decimo octavo et nono mensis die. Ut autem me vera dicere intelligatis, audite decreta.

DECRETA.

25. Cum igitur, Athenienses, præterierant Dionysia, et habitæ

sunt conciones, et in priore recitatum est commune sociorum decretum, cujus summa ego capita breviter prædicam. Primum itaque decreverunt ut de pace tantum consultaretis, societatis autem nomen præterierunt, non quod obliti fuerint, sed quod ipsam etiam pacem necessariam magis quam honestam esse existimarent. Deinde prudenti remedio Demosthenis sordibus occurrerunt, atque decreto adscripserunt, ut cuilibet Græcorum liceret intra tres menses in eandem columnam cum Atheniensibus referri, eademque sacramenti et fœderum communione contineri, duas res maximas *ea ration* ante occupantes, primum quidem spatium trimestre quod Græcorum legationibus satis esset sumpserunt, deinde Græcorum benevolentiam civitati nostræ una cum communi Græciæ consessu conciliarunt, ut si forte violarentur fœdera, nos neque soli neque imparati bellum gereremus, quæ nunc nobis culpa Demosthenis acciderunt. Me autem vera dicere, ipso decreto audito, perdiscetis.

DECRETUM SOCIORUM.

26. Huic me decreto assensum esse fateor, assensi sunt et omnes oratores qui in priore illa concione verba fecerunt. Ac populus cum hac utique opinione discessit, pacem quidem futuram esse, de societate vero ut consultum esset, cum jam tum Græcos *ad arma* concitaret, non ita expedire, sed eam futuram communiter cum Græcis universis. Nox interfuit; postridie in concionem convenimus. Tum vero Demosthenes suggestu occupato, nemini aliorum dicendi loco relicto, nihil quicquam aiebat ea quæ heri dicerentur verba profutura, nisi iis Philippi legati assentirentur, neque se satis scire professus est quomodo pax fieri possit absque societate. Non enim oportet inquit—ipsum enim quod usurpavit verbum memoria teneo, propter asperitatem et ejus qui dicebat et vocabuli—disrumpere societatem a pace, neque Græcorum exspectare cunctationem, sed vel nosmetipsos bellum gerere vel pacem privatim facere. Et tandem, Antipatro ad suggestum advocato, quædam ex eo requirebat, quem multo ante certiorem fecerat quid esset rogaturus, simulque præmonuisset quænam ille adversus rempub. responderet. Postremo hæc vicerunt, cum hinc Demosthenes dicendo adursisset, illinc Philocrates plebiscitum scripsisset.

27. Jam vero quod eis restabat, ut Cersobleptem et Thraciæ loca *Philippo* dederent, id quoque vigesimo quinto Elaphebolionis confecerunt, priusquam posteriorem illam legationem, jurisjurandi exigendi causa, Demosthenes obiret: nam vester ille et Alexandro et Philippo infensus orator bis legatus profectus est in Macedoniam, cum ne semel quidem proficisci licuisset, is qui nunc consputare

jubet Macedonas. Veruntamen in concione, quæ xxv. die habita est, senator cum esset, facta coitione in eum ordinem cooptatus, Cersobleptem socio et adjutore Philocrate hosti dedidit. Clam enim hoc quoque inter alia decreto suo inscripsit Philocrates, populi vero suffragiis permisit Demosthenes, ut eo ipso die Philippi legatis jusjurandum darent sociorum consessores. A Cersoblepte porro qui in concilio sederet aderat nemo: cum igitur scripsisset ut ii qui assidebant jurarent, Cersobleptem a quo nullus aderat consessor jurejurando exclusit. Ut autem vera me dixisse constet, recita mihi, quis hæc scripserit, quis item proedrus eadem in suffragia miserit.

DECRETUM. PROEDRUS.

28. Præclara, Athenienses, præclara profecto res est actorum publicorum custodia. Immota enim manet, neque una cum iis qui in rep. administranda transfugas agunt immutatur, sed populo, ubicunque voluerit, potestatem facit eos perspiciendi, qui cum olim scelerati sint, nunc vice versa virtutis speciem præ se ferunt. Reliquum est, ut ipsius adulationem commemorem. Nam cum per annum, Athenienses, senator fuisset Demosthenes, nullos eum unquam legatos ad principem locum vocasse compertum erit, sed illo duntaxat tempore et tunc primum *Philippi* legatos in sedes primas vocavit, et pulvinos apposuit, et stragula punicea circumstravit, et primo quoque diluculo iis in theatrum præivit, ut etiam sibilis exciperetur ob gestum indecorum et *fœditatem* adulationis. Denique cum Thebas abirent, tria conduxit iis mulorum juga, eosque ipse Thebas usque deduxit, ridiculam reddens civitatem nostram. Sed, ut in proposito maneam, cape mihi decretum de primis sedibus.

DECRETUM.

29. Iste igitur, Athenienses, tam insignis assentator, cum per Charidemi exploratores primus omnium de interitu Philippi certior factus esset, divino quodam somnio sibi conficto ementitus est, proinde quasi non a Charidemo, sed a Jove et Minerva nuncium accepisset, quos interdiu perjuriis violans noctu secum colloquia habere ait et quæ sint futura prædicere: at septimo die ex quo filia mortem obiverat, priusquam eam luxisset, priusquam ejus funeri justa solvisset, coronatus et alba veste indutus bovem immolabat et instituta *patriæ* violabat, unica filia miser quæ prima eum patrem appellaverat amissa. Neque vero calamitatem ei exprobro, sed mores hominis perpendo. Nunquam enim, qui liberos odio habet paterque improbus est, bonus erit reipublicæ gubernator; nunquam, qui capita amicissima summaque necessitudine sibi con-

juncta non diligit, vos pluris faciet alienos; nunquam, qui privatim malus est, publice frugi erit, neque unquam, qui domi nequam fuit, in Macedonia legatus erat integer et eximius: non enim ingenium, sed locum tantum mutavit.

30. Unde igitur ad tam diversum rerum statum pervenerit—hoc enim secundum tempus est—et quæ tandem causa sit, cur Philocrates, iisdem ipsis rebus cum Demosthene publice gestis, læsæ majestatis postulatus et in exsilium actus sit, Demosthenes vero etiam aliorum nobis exstiterit accusator, denique quonam pacto homo impurissimus in ærumnas hasce omnes nos conjecerit, hæc jam vel in primis operæ pretium est audire. Ut primum Philippus intra Pylas penetravit, urbesque Phocensium præter omnium opinionem delevit, Thebanos autem potentiores quam, ut tum vobis videbatur, tempora et commoda vestra ferebant effecit, cum vos perterriti agris relictis vasa colligeretis, et gravissime accusabantur legati qui de pace egerant, præ cæteris tamen omnibus Philocrates et Demosthenes, quippe qui non solum legationem obierant sed et decreta conscripserant, et sub hoc porro tempus natum est dissidium aliquod inter Demosthenem et Philocratem iis fere de rebus, de quibus etiam vos eos inter se dissentire suspicabamini,—his igitur turbis excitatis, accedentibus etiam insitis ei vitiis et innatis, consilia jam inde inivit, quæ ipsi suggessit timiditas et Philocraticæ largitionis invidia, existimavitque, si eorum quibuscum una legatus fuerat et Philippi accusatorem se præstiterit, Philocratem quidem citra dubium periturum, et reliquos legatos in discrimen venturos, se vero gloriam consecuturum et, amicorum proditor cum esset atque improbus, animi tamen in populum fidelissimi speciem habiturum. Cujus consilia cum perspexissent ii qui tranquillitatem publicam oppugnabant, avide eum accersebant in suggestum, *hunc* solum in civitate castum atque incorruptum prædicantes: is vero progressus in medium initia eis subministravit belli ac tumultus. Hic ille est, Athenienses, qui primus Serrium murum, Doriscum, Ergiscam, Murgiscam, Ganos et Ganidem invenit, loca quorum ne nomina quidem antea noveramus. Eoque tandem res nostras redegit, ut si quidem Philippus legatos non mitteret, contemni ab eo civitatem nostram, sin mitteret, exploratores, non legatos, mitti diceret; si vellet ille civitati alicui æquæ et in neutram partem propensæ controversias disceptandas permittere, negabat ullum nobis et Philippo æquum judicem reperiri posse. Dabat ille Halonesum: vetabat hic accipere, si modo dederit, nisi etiam et dediderit, de syllabis scilicet altercatus. Postremo, cum Aristodemum sociosque ejus qui Thessaliam et Magnesiam contra pacis fœdera invaserant corona donasset, pacem utique diremit, calamitatem nobis bellumque suscitavit.

31. Esto, at enim æneis et adamantinis, ut ipse jactat, muris regionem nostram munivit, Eubœorum ac Thebanorum societate. Imo vero, Athenienses, tres gravissimæ hac in re injuriæ omnino insciis vobis sunt illatæ. Quanquam autem ad miram illam Thebanorum societatem explicandam festinem, tamen ut suo quæque loco persequar, Eubœorum primum mentionem faciam. Multis vos ac magnis, Athenienses, affecti injuriis tum a Mnesarcho Chalcidensi, Calliæ et Taurosthenis patre, quos iste nunc accepta mercede non dubitat cives Atticos decreto nominare, tum a Themisone Eretriensi, qui vobis pacis tempore Oropum ademit, horum tamen omnium ultro obliti, statim ac Thebani in Eubœam trajecissent, et urbes ejus in servitutem redigere conarentur, intra quinque dies *Eubœis* et classe et pedestribus copiis opem tulistis, et priusquam triginta dies præterierant, Thebanos accepta fide dimisistis, et Eubœa potiti urbesque et reip. statum iis, qui hæc vobis commiserant, uti rectum et justum erat, reddidistis, iniquum scilicet esse rati, ubi fides haberetur, iracundiæ meminisse.

32. At vero tantis vestris beneficiis affecti Chalcidenses nequaquam parem vobis referebant gratiam, sed cum in Eubœam copias trajecistis opem Plutarcho laturi, primis quidem certe temporibus amicitiam simulabant, verum statim ut ad Tamynas processimus, et Cotylæum quem vocant montem superavimus, tum illico Callias ille Chalcidensis, quem Demosthenes accepta mercede collaudabat, cum videret civitatis nostræ exercitum in angustias quasdam conclusum, unde nisi prælio vicisset nullus erat receptui locus, nulla vel terra vel mari auxilii spes, *is inquam*, coacto ex omni Eubœa exercitu, copiisque a Philippo accersitis, et simul cum eo frater ejus Taurosthenes, qui nunc omnibus dextram porrigit atque arridet, trajectis Phocensibus mercenariis, in vos impetum fecerunt tanquam funditus deleturi. Quod nisi primum deorum aliquis exercitum servasset, deinde milites vestri, pedites atque equites, se viros fortes præbuissent, et juxta Circum equestrem ad Tamynas collatis signis vicissent, hostibus *supplicibus* data fide dimissis, omnino periculum fuit ne civitas nostra gravissimum dedecus subiret. Neque enim in bellis adverso Marte pugnare maximum est malum: sed ubi quis cum adversariis se indignis congressus excidat victoria, dubium non est conduplicari calamitatem. Vos tamen, talibus injuriis acceptis, iterum eos in gratiam recepistis.

33. Callias vero Chalcidensis, cum sibi a vobis veniam impetrasset, brevi post tempore ad ingenium remigrabat, cum enim Euboicum concilium verbo Chalcidem convocaret, re vera Eubœam contra vos muniebat, insignemque sibi dominationem comparans. Et ejus obtinendæ adjutorem sibi futurum Philippum sperans, abiit in Macedoniam, et cum Philippo passim profectus est, et in fami-

liaribus ejus numeratus. Verum læso per injuriam Philippo, aufugit inde et Thebanis ultro se in potestatem tradidit. Mox illis quoque relictis, cum plures quam Euripus ille juxta quem habitabat reciprocas fecisset conversiones, medius incidit inque Thebanorum et Philippi inimicitias. Incertus igitur quo se verteret, cum jam milites contra eum scriberentur, unicam sibi spem salutis reliquam esse vidit, si populum Atheniensem, socii nomine appellatum, jurejurando obstrinxerit, eum opem sibi laturum, si ab aliquo invaderetur, quod sine dubio erat futurum, nisi vos prohiberetis. Hæc igitur cum animo suo reputans mittit huc legatos Glaucetam, Empedonem, et Diodorum illum cursu longo pollentem, qui quidem populo spes inanes, Demostheni et gregalibus ejus nummos afferebant. Tria autem erant, quæ simul redimebat. Primum, ut ne societatis vestræ spe decideret: nihil enim ei erat medium, si populus superiorum injuriarum memor societatem ejus repudiasset, quin aut Chalcide profugiendum esset aut undique intercepto moriendum; tot et tantæ in eum a Philippo et Thebanis ingruebant copiæ. Secundo autem, stipendia ei delata sunt qui societatem decreverat, ne Chalcidenses communi concilio Athenis convocato interesse cogerentur: tertio denique, ne tributa penderent. Et Calliam quidem nullius eorum quæ sibi proposuerat spes fefellit, sed ille tyrannis, ut ipse fingit, infensus Demosthenes, quem ait Ctesiphon optima semper dicere, oblatas reipublicæ occasiones vendidit, et in societate decernenda censuit ut Chalcidensibus opem nos ferremus, locutione tantum commutata, pro his enim honestæ scilicet orationis causa scripsit, ut Chalcidenses opem ferrent, si quis in Athenienses invaserit: consessum autem communem et tributa, ex quibus belli robora pendebant, prorsus vendidit, speciosissimis verbis res turpissimas complexus, eoque vos dicendo perducens, *ut crederetis* oportere civitatem nostram semper Græcis auxilio egentibus in primis opem ferre, societates vero post collata demum beneficia pacisci. Ut autem me vera dicere pernoscatis, cape scriptum illud Calliæ et societatem, et recita decretum.

DECRETUM.

34. Nondum igitur hoc grave aut indignum est, si tantæ venum dantur opportunitates et consessus et tributa, sed multo illud, quod dicturus sum, indignius videbitur. Eo enim contumeliæ et avaritiæ processit Callias, eo sordidæ nundinationis Demosthenes, quem laudibus effert Ctesiphon, ut tributa quæ tum ab Oreo tum ab Eretria pendebantur, decem talenta, vobis videntibus, prudentibus, inspectantibus, furtim subduxerint, quique ab his civitatibus mitti solebant consessores a vobis avocaverint, atque iterum in Chalcidem

et in Euboicum quod appellatur concilium transtulerint. Qua autem ratione et quibus improbis præstigiis, id nunc operæ pretium est audire. Venit enim non jam per legatos, sed ipse ad vos Callias, et progressus in concionem orationem habuit sibi a Demosthene elaboratam. Dixit se nuper ex Peloponneso venisse, ibi stipendii collectam adversus Philippum ad centum talenta exegisse, rationemque inibat, quantum quosque populos conferre oporteret, Achæos omnes et Megarenses talenta sexaginta, Euboicas civitates universas quadraginta: his pecuniis posse comparari et classem et copias pedestres: esse porro multos Græcorum alios, qui hujus collationis partem subire vellent, ita neque pecuniæ neque militum fore penuriam. Atque hæc quidem aperta esse: alias autem moliri se aiebat res arcanas, quarum testes esse nonnullos civium vestrorum; postremo nominatim Demosthenem advocabat, utque hæc una secum dicendo confirmaret petebat. Hic vero grandi admodum incessu in medium progressus mirifice laudabat Calliam, et arcani se conscium esse simulabat: legationem autem a se obitam, tum in Peloponneso tum in Acarnania, velle se jam vobis renuntiare dicebat. Orationis porro ejus hæc summa erat, Peloponnesios omnes, omnesque item Acarnanas esse a se ordine descriptos ad pecuniam adversus Philippum conferendam: descriptionem autem eam esse factam, quæ ad centum naves actuarias ornandas, ad decem millia peditum, equites mille alendos suppeteret: his accessuras singularum etiam civitatum copias, ex Peloponneso amplius duo millia gravis armaturæ, ex Acarnania totidem altera: ab his omnibus delatum ultro vobis esse principatum: neque vero longum fore cum hæc perficerentur, sed ad decimum sextum mensis Anthesterionis; singulis enim civitatibus a se prædictum esse ac denuntiatum, ut omnes Athenas in concilium convenirent ad plenilunium. Etenim hanc sibi homo propriam et non jam omnium communem habet facultatem. Ceteri enim vaniloqui jactatores, cum quid mentiuntur, dant operam ut indefinita quædam et obscura proferant, veriti ne coarguantur: at Demosthenes, si quid arrogantius confingit, primum quidem perjurio mendacium cumulat, exitium sibi imprecans, deinde, quæ certo scit nunquam futura, audet affirmare, ratione etiam inita quando sint eventura definit, et quos ne de facie quidem novit, eorum nomina in ore habet, auribus vestris abusus, eosque qui vera loquuntur imitatus. Quocirca et odio vel acerbissimo dignus est, quod improbus cum sit virorum quoque bonorum indicia corrumpit. His igitur dictis decretum dat scribæ recitandum, Iliade quidem prolixius, verbis autem, quæ loqui solet, et vita, quam egit, inanius, spe denique fallaci et exercitibus nunquam conventuris cumulatum. Cum autem vos a furti suspicione abduxisset, et spe futili suspensos tenuisset, illic vero se

totum colligens decretum scribit, quo legatos ad Eretriam mitti jubet, qui orent Eretrienses—omnino enim orandi erant—ut tributum suum, quinque illa talenta, non vobis posthac, sed Calliæ, pensitarent, rursusque alteros legari *censet* ad Oritas, qui et ipsi peterent, ut eundem sibi atque Athenienses amicum eundemque inimicum haberent. Deinde, præter furtum de omnibus in decreto scriptis, deprehenditur, porro scribens ut legati ab Oritis postulent ne vobis sed Calliæ quinque sua talenta penderent. Ut autem me vera dicere pateat, demptis ex decreto verborum fastu et triremibus et inani jactatione, recita, et furtum illud attinge, quod fecit impurus ac nefarius homo, quem ait Ctesiphon in hoc etiam decreto assidue et dicere et agere quæ maxime sint populo Atheniensi salutaria.

DECRETUM.

Itaque triremes et pedestres copias et plenilunium et consessores verbo quidem audiistis, sociorum vero tributa, decem talenta, re amisistis.

35. Reliquum est ut ostendam, Demosthenem trium talentorum mercede accepta decretum hoc tulisse, uno talento ex Chalcide a Callia, altero ex Eretria a Clitarcho tyranno, tertio autem ex Oreo: ex quo etiam furta ejus patefacta sunt, quod Oritarum libera civitas sit, et nihil agant nisi per plebiscitum. Illi enim bello quod cum Philippo gesserant exhausti, et summa inopia laborantes, mittunt ad eum Gnosidemum Charigenis filium, ejus qui quondam Orei principatum tenuit, qui ab eo supplex petat, ut talentum civitati remitteret, promittat autem æneam ei statuam in Oreo ponendam. At iste Gnosidemo respondit, sibi pauxillulo æris nihil esse opus, talentum vero per Calliam exigebat. Coacti igitur Oritæ, neque unde sumerent habentes, vectigalia publica talenti nomine ei oppignerarunt, et pecuniæ illius turpiter conciliatæ usuram solverunt Demostheni singulis mensibus unam in minas drachmam, donec sortem reddidissent. Atque hæc acta sunt cum populi scito. Quod ut vere a me dici constet, sume hoc Oritarum plebiscitum.

PLEBISCITUM.

Hoc est illud plebiscitum, Athenienses, probrum ac dedecus nostræ civitatis, rerum a Demosthene publice gestarum non leve indicium, perspicua Ctesiphontis criminatio. Nam qui tam turpiter muneribus se corrumpendum dederit, fieri non potest ut vir bonus sit, quod tamen iste in suo ausus est decreto perscribere.

36. Hic vero tertium jam collocatum tempus est, vel potius omnium acerbissima tempestas, qua Demosthenes et Græcorum et

civitatis nostræ rempublicam funditus evertit, primum cum in templum Delphicum impie deliquit, deinde cum injustam et omnino imparem cum Thebanis societatem decrevit. Sed a sceleribus, quæ in deos immortales suscepit, initium ducam. Campus est, Athenienses, quem Cirrhæum nominant, portusque qui hodie Sacer et Sceleratus appellatur. Eam regionem tenuerunt olim Cirrhæi et Craualliдæ, gentes a legibus alienissimæ, qui et templum Delphicum et quæ in eo erant donaria violarunt, simulque Amphictyonum concilio injurias intulerunt. Ob hæc igitur facta indignati, cum alii Amphictyones, tum vero maxime, ut ferunt, majores vestri, oraculum dei scitabantur, quibus suppliciis in istos homines animadvertere oporteret. Respondit Pythia, uti Cirrhæos et Crauallidas omni tempore dies noctesque bello vexarent, direptisque eorum finibus ipsisque in servitutem abstractis, agros illos Apollini Pythio, Dianæ, Latonæ, Minervæ Providæ, ut in perpetuum inculti essent, consecrarent, eosque neque ipsi colerent neque ab alio coli paterentur. Hoc oraculo accepto, Amphictyones decreverunt, sententiam dicente Solone Atheniensi, viro et legum scribendarum peritissimo et in poeticæ ac philosophiæ studiis exercitato, ut ex oraculi præscripto exercitus contra sceleratos duceretur. Justis itaque ex Amphictyonibus collectis copiis, homines illos in servitutem redegerunt, portus obstruxerunt, urbem funditus diruerunt, regionem omnem ex oraculo consecrarunt; quin et religiosissimo se sacramento devinxerunt, neque se terram sacram culturos neque ab aliis coli passuros, sed opem deo terræque sacræ, manibus, pedibus, omni virium contentione perlaturos. Neque vero satis habuerunt, jusjurandum hoc sanxisse, sed devotionem insuper et exsecrationem validam adjecerunt. Ita enim in exsecratione scriptum est: si quis inquit hæc violaverit, sive civitas sive quis privatus, sive natio, caput ejus Apollini, Dianæ, Latonæ, Minervæ Providenti devotum esto: imprecatur iis porro, ut neque ipsis terra fructum ferat, neque conjuges eorum liberos parentibus similes sed portenta enitantur, neque pecudes fœtus naturales edant; ut e bello, e judiciis, e foro victi discedant, et internecione deleantur et ipsi et ædes et genus ipsorum; neque unquam inquit Apollini aut Dianæ aut Latonæ aut Minervæ Providenti sancte libanto, neque numinibus illis eorum sacra accepta sunto. Atque ut hæc vera dicere me pateat, recita dei oraculum. Audite exsecrationem, jurisjurandi, quod cum cæteris Amphictyonibus majores vestri juraverunt, memoriam repetite.

ORACULUM.

Non prius hanc urbis captam delebitis arcem,
Quam mea templa mihi fervens maris alluat unda,
Litoribusque sacris resonet Neptunia Conjunx.

JUSJURANDUM. EXSECRATIO.

37. Hac exsecratione facta, hoc jurejurando, hoc oraculo dato, quæ omnia in tabulas publicas relata adhuc exstant, Locri Amphissenses, ac potius eorum principes homines iniquissimi, campum illum excoluerunt, portum sacrum et sceleratum rursus munierunt et habitarunt, ac portoria ab adnavigantibus exegerunt; nonnullos etiam ex Pylagoris qui Delphos proficiscebantur pecunia corruperunt, quo quidem in numero fuit Demosthenes. Nam suffragio creatus a vobis Pylagoras mille drachmas ab Amphissensibus accepit, ne quam eorum apud Amphictyonas mentionem faceret. Pacto etiam promissum erat, ut in posterum viginti minæ ex devota illa et exsecrata pecunia singulis annis Athenas ei mitterentur, ut ibi omni contentione Amphissensibus opitularetur. Unde magis etiam quam unquam alias ei contigit, ut quemcunque vel privatum vel potestate præditum vel liberam civitatem attingeret, eorum singulos insanabilibus ærumnis implicaret.

38. Sed videte, quæso, quantopere vicerit Amphissensium impietatem divinum numen et fortuna. Archonte Theophrasto, hieromnemone Diogneto Anaphlystio, vos Pylagoras legistis Midiam illum Anagyrrasium, quem ego multis de causis velim nunc superstitem, et Thrasyclem Lesbium, et me una cum his tertium. Accidit autem quam primum Delphos delati sumus, ut Diognetus hieromnemon in febrim inciderit; eodemque morbo correptus est Midias. Cæteri Amphictyones in concessum coibant. Interea affertur ad nos ab iis qui suam in civitatem vestram benevolentiam declarare cuperent, Amphissenses, subjectos tunc et mirum in modum subservientes Thebanis, decretum adversus civitatem nostram attulisse, quo populus Atheniensis quinquaginta talentis mulctaretur, propterea quod novo templo priusquam esset dedicatum aureos clypeos suspendissemus, addita inscriptione quam addi par erat, Athenienses de Medis ac Thebanis, quo tempore adversum Græcos hi pugnarent. Hieromnemon autem accersitum me rogabat, ut in concilium ingressus aliquid apud Amphictyonas pro civitate nostra dicerem, cum ipse ultro id in animo haberem. Postquam igitur verba facere cœpissem, et quidem paulo cupidius in concilium ingressus essem, quod cæteri Pylagoræ nostri abessent, exclamans quidam ex Amphissensibus,

homo procacissimus et, ut mihi videbatur, omnis doctrinæ liberalis expers, fortassis etiam a deo aliquo irato in hanc amentiam impulsus, omnino, si saperetis, inquit, vos Græci, ne nomen quidem Atheniensium his diebus nominaretis, sed eos tanquam impios et contaminatos templo exturbaretis. Et simul Phocensium societatem, quam Crobylus ille suaserat, commemorabat, multaque alia acerba et odiosa in civitatem nostram expromebat, ea percensens quæ neque tunc aures meæ sustinere poterant, neque nunc memoria libenter excito. Cæterum his auditis, tanta ego ira exarsi, quanta nunquam alias per totum vitæ meæ cursum. Atque alia quidem quæ tum locutus sum prætermittam: verum in mentem mihi venit Amphissensium in terram sacram impietatis facere mentionem, *quam terram* eodem e vestigio in quo insistebam Amphictyonibus indicabam. Nam campus Cirrhæus templo subjacet, indeque facilis est conspectu. Videtis, inquam, Amphictyones, campum hunc ab Amphissensibus excultum, *videtis* figlinas et diversoria exstructa. Cernitis oculis sacrum et sceleratum portum illum munitum. Scitis ipsi, neque aliis testibus egetis, istos ex sacro portu vectigalia exigere pecuniamque cogere. Simul iis dei oraculum, majorum jusjurandum, exsecrationem factam recitari jubebam, planissime testatus, me pro populo Atheniensi, pro me, pro liberis domoque mea, ex majorum jurisjurandi præscripto, deo terræque sacræ, manibus, pedibus, voce, quibuscunque denique rebus possem, opem ferre, et civitatem nostram piaculo liberare: vos vero, *inquam*, vobis ipsi consulite. Canistrorum jam cœpta est *circumvectio*, admotæ sunt altaribus hostiæ, bona tum publica tum privata a diis immortalibus estis petituri. Vobiscum itaque reputate, qua voce, qua mente, quibus oculis, qua fidentia freti supplicationes facietis, si consceleratos et diris devotos homines inultos dimittetis. Non enim obscure sed apertissime in exsecratione scriptum est, quibus sint afficiendi suppliciis tum sacrilegi, tum ii qui *impietatem* permiserint, ac postrema exsecrationis clausula est: NE PURE inquit LIBANTO APOLLINI, DIANÆ, LATONÆ, MINERVÆ PROVIDÆ, QUI NON PŒNAS EXEGERINT, NEQUE HIS EORUM SACRA ACCEPTA SUNTO.

39. Cum hæc et alia hujusmodi multa dixissem, cessi tandem atque e consessu migravi; clamor illico ingens et fremitus inter

Amphictyonas coortus est, neque jam de clypeis, quos dicaveramus, sed de pœnis ab Amphissensibus sumendis agebatur. Die igitur jam provecta, præco procedens nunciavit, ut quotquot e Delphis biennio pubertatem superassent, tum servi tum liberi, statim ubi diluxerit, cum falcibus et ligonibus ad Thyteum quem appellant locum convenirent. Iterum idem præco edixit, ut hieromnemones et Pylagoræ eodem venirent deo et terræ sacræ auxilium laturi: si qua vero civitas non affuerit, templo arceretur, scelerata foret et exsecrationi obnoxia. Postridie mane in prædictum locum convenimus, in campum Cirrhæum descendimus, et effosso portu ædificiisque incensis rediimus. Interea dum hæc agimus, Locri Amphissenses, qui LX. circiter stadia a Delphis distabant, armati in nos impetum fecerunt universi, et nisi in pedes conjecti vix tandem Delphos pervenissemus, periculum certe fuit ne funditus periremus. Die proximo Cottyphus, qui sententias suffragiis permittebat, concionem indicit Amphictyonum: concionem autem nominant, quando non solum Pylagoras et hieromnemonas convocant, sed eos etiam qui sacra simul faciunt, quique oraculum dei adeunt. Ibi vero multis accusationibus urgentur Amphissenses, nostra civitas contra magnis laudibus ornatur. Totius autem orationis hic exitus fuit, decernitur ut hieromnemones ante proximum Pylæum consessum constituto tempore in Pylas coirent, unaque decretum afferrent, ex quo essent Amphissenses scelerum suorum in deum inque terram sacram et Amphictyones pœnas daturi. Ut autem vera me loqui pernoscatis, decretum ipsum vobis scriba recitabit.

DECRETUM.

40. Hoc igitur decreto a nobis tum in senatu renuntiato, tum in concione ad populum prolato, et actionibus nostris a populo comprobatis, et universa civitate ad studium pietatis excitata, cum Demosthenes propter mercedis sponsionem illam Amphissensem contradiceret, a me vero coram vobis manifeste coargueretur, neque jam posset homo in propatulo civitatem decipere, ingressus in curiam et summotis privatis præconsultum senatus *scribendum curat* et in concionem defert, ejus qui scripserat imperitia abusus: perfecit porro, ut hoc ipsum SCtum in concione suffragiis permitteretur utque a populo scisceretur, cum surrexisset jam concio, egoque discessissem—neque enim unquam passus essem—, multitudine denique dimissa; cujus quidem sciti caput hoc fuit: hieromnemon inquit Atheniensium et Pylagoræ quotquot in posterum futuri sunt ad Pylas et Delphos proficiscantur iis temporibus quæ a majoribus nostris constituta sunt, verbo quidem honeste, re turpiter et flagitiose: prohibet enim quominus ad consessum illum Pylæum occurrant, qui necessario ante præstitutum tempus erat futurus. Sed aliud ei scito adscriptum est multo et apertius et acerbius. Atheniensium inquit hieromnemon et Pylagoræ, qui posthac futuri sunt, cum iis qui illuc conveniunt neque verborum neque factorum neque scitorum neque ullius rei habeant commercium. Quorsum autem illud est ne habeant commercium? Verumne dicam, an id quod sit auditu jucundissimum? Verum dicam; nam quod ita semper ad voluptatem dictum fuit, id vero civitatem nostram huc redegit. Non sinit vos jurisjurandi meminisse, quod majores vestri juraverunt, non exsecrationis, non oraculi.

41. Nos igitur, Athenienses, propter hoc plebiscitum hic mansimus, at vero reliqui Amphictyones ad Pylas convenerunt præter unam civitatem, cujus ego neque nomen proferam, et absit precor ut Græcorum cuiquam similis accidat calamitas. Ibique congregati exercitum in Amphissenses ducendum censuerunt, et imperatorem legerunt Cottyphum illum Pharsalium, qui tum sententias suffragiis subjiciebat, quo tempore non erat in Macedonia Philippus, quin ne in Græcia quidem, sed in Scythia versabatur adeo longe abhinc remotus, quem tamen mox audebit dicere Demosthenes impudenter a me esse in Græcos immissum. Ac prima quidem expeditione victores valde se moderatos in Amphissenses præbuerunt. Pro atrocissimis enim injuriis pecuniis tantum eos mulctarunt, quas præstituto tempore deo persolvi decreverunt, et sceleratos commissorumque facinorum auctores abegerunt, eos vero qui pietatis causa profugerant revocarunt. Sed cum illi neque pecuniam deo persolverent, sceleratos autem restituerent, et pios illos homines ab Amphictyonibus revocatos ejicerent, jam tum alteram in Amphissenses aciem instruxerunt, cum longo post intervallo ab expeditione Scythica regrederetur Philippus, cumque defendendæ religionis principatum dii immortales nobis detulissent, Demosthenis avaritia et sordes obstitissent.

42. At non prædicebant, non præmonstrabant nobis dii ut caveremus, tantum non humanis vocibus eloquentes? Nullam unquam ego civitatem vidi deorum præsidio insignius custodiri, ab oratoribus rursus quibusdam pessundari. Non satis ad præmonendum valebat portentum illud mysteriorum diebus visum, mystarum interitus? Non ob hæc Amyniades prædixerat ut caveremus, ut certos homines Delphos mitteremus, qui quid facto opus esset oraculum scitarentur: Demosthenes vero obstitit, cum Pythiam φιλιππίζειν prædicaret, vir illiberalis et hac quam ei datis licentia insolenter perfruens et inflatus? Postremo nonne hostiis non litatis, non addicentibus, milites ad manifestum misit vitæ periculum?

Atqui is nuper ausus est dicere, Philippum idcirco in nostram regionem non invasisse, quod sacra ei haud pulcre cessissent. Quo igitur supplicio dignus es, o Græciæ clades? Si enim ipse victor in eorum qui victi erant fines non invasit, quod sacra ei non pulcre cessissent, tu autem nescius quid esset omnino futurum, priusquam litasses milites emisisti, utrum oportuit te propter clades civitatis corona donari, an ejici atque exterminari?

43. Nam quid insperati, quid inexspectati nostra ætate non evenit! Non enim vitam nos humanam viximus, sed ut incredibilia de nobis loquantur posteri in lucem editi sumus. Non Persarum rex, qui Athona perfodit Hellespontumque junxit, qui terram et aquam Græcos postulavit, qui se in literis ausus est mortalium omnium ab ortu solis usque ad occasum dominum appellare, jam non de dominatu in alios, sed de sui corporis salute dimicat? At eosdem cernimus et hac gloria et belli adversus Persam principatu dignatos, qui templum Delphicum liberarunt. Thebæ vero, Thebæ, urbs vicina, uno die ex media Græcia funditus abrepta est, ac ni fallor jure, quippe quæ nullum rectum consilium de summa rerum agitaverat, verumtamen non humane sed divino quodam impulsu in hanc fatuitatem et amentiam fuerat protrusa. Jam Lacedæmonii miserrimi, qui leviter tantum et initio rebus illis cum templum diriperetur se immiscuerant, qui sibi Græciæ principatum quondam arrogabant, nunc ut *Macedonibus* dent obsides suæque calamitatis indicium haud obscurum edant ad Alexandrum legationem sunt missuri, pœnas ipsi cum sua patria, quascunque illi visum fuerit, daturi, denique et victoris et injuria lacessiti judicio et moderationi sese tradituri. Civitas vero *nostra*, commune Græcorum perfugium, ad quam legationes olim ex singulis Græciæ civitatibus ventitabant, salutem omnes a vobis paraturæ, jam non de Græcorum imperio dimicat, sed de patrio ipsius solo. Et hæc omnia nobis acciderunt mala, ex quo Demosthenes ad remp. accessit. Præclare sane de hujusmodi viris cecinit poeta Hesiodus. Dicit enim alicubi, populos erudiens, et civitatibus consulens ne improbos oratores admittant—atqui carmina ipsa vobis recitabo. In hunc enim finem arbitror nos dum pueri sumus poetarum sententias perdiscere, ut iis ætate jam adulta utamur.

> Sæpe viri gens tota luit scelus unius atrox,
> Demens qui peccat, qui res molitur iniquas.
> Jupiter hos contra summo demittit Olympo
> Omne mali genus exitii, pestemque famemque:
> Vel aciem immanem perimit, vel mœnia sternit,
> Vel rapidis naves jactatas obruit undis.

Quod si detractis undique poetæ numeris, sententias perpendatis, puto vobis non Hesiodi carmen, sed oraculum de publica Demosthenis administratione visum iri. Istius etenim in rep. gerenda institutis, classes, exercitus, urbes penitus dissipatæ sunt.

44. Sed neque Phrynondam, arbitror, neque Eurybatum neque alium quenquam eorum qui olim improbitate excelluerunt talem magum aut præstigiatorem exstitisse, *qualis hic noster est*, qui, o tellus, o dii immortales, dæmones atque homines, quicunque vera audire curatis! audet, os vestrum directo contuens, *audet* affirmare, Thebanos societatem vobiscum iniisse, non temporum ratione, non metu instanti, non vestra existimatione commotos, sed Demosthenis concionibus adductos. Atqui multas ante istum legationes Thebas obierunt homines, quibus summa cum illis familiaritas intercessit, primo quidem imperator ille Thrasybulus Colyttensis, vir apud Thebanos fide et auctoritate valens ut nemo alius: deinde Thrason Erchiensis, hospes publicus Thebanorum: Leodamus porro Acharnensis, dicendi viribus Demostheni non inferior, ac mihi quidem multo suavior visus orator: hic Archedemus Pelex, ipse quoque facundus et qui multa in rep. gerenda propter Thebanos pericula adiit: ductor ille popularis Aristophon Azeniensis, qui perdiu Bœotorum partibus studiisse insimulatus est: Pyrrhander denique Anaphlystius orator, qui etiam nunc vivit. Sed tamen nemo unquam ex iis Thebanos potuit ad vestram amicitiam perducere: causam equidem scio, sed propter eorum calamitates non necesse est exponere. At enim, opinor, postquam Philippus ademtam iis Nicæam Thessalis tradidisset, bellumque, quod olim ex Bœotorum finibus depulerat, nunc denuo per Phocidem in ipsas Thebas revexisset, postquam denique Elateam occupatam vallo muniisset in eamque præsidium imposuisset, ibi demum illi, *instantium malorum* metu incumbente, Athenienses accersiverunt, et vos copias eduxistis et Thebas introiistis armati equites peditesque, priusquam vel unicam syllabam de societate scripsisset Demosthenes: Thebas autem quod intromittebat vos, tempus fuit, metus, societatis necessitas, non Demosthenes.

45. Siquidem vero his in rebus tria vel gravissima Demosthenes in vos peccavit. Primum, quod cum Philippus verbo quidem vobiscum bellum gereret, revera multo acriori odio in Thebanos incenderetur, quomodo res ipsæ declararunt, et quid pluribus opus est? hæc tanta tantique ponderis celavit, et societatem nobis *cum Thebanis* futuram simulans, quæ non ex temporum necessitate sed suis legationibus oriretur, primum populo persuasit ne magnopere spectarent quibus conditionibus societatem fieri conveniret, sed satis haberet si fieret modo: hoc primo autem occupato universam Bœotiam Thebanis dedidit, cum in decreto scripserit, ut si qua civitas a Thebanis descisceret, Athenienses Bœotis qui Thebis essent opitularentur, verbis, ut solet, res suffurans alioque transfe-

rens, quasi vero Bœoti, reipsa injuriam passi, in callido Demosthenis verborum contextu acquiescerent, ac non potius damna illa accepta gravissime essent laturi: deinde bellicorum sumptuum duas partes vobis adscripsit, qui longius a periculo aberatis, tertiam Thebanis, turpem in his singulis quæstum aucupatus; imperium maritimum cum illis communicavit, impensam proprie vestram *esse voluit;* terrestre, si nugis indulgere nolumus, totum prorsus ad Thebanos transtulit, adeo ut in eo quod natum est bello Stratocli imperatori vestro facta non sit de militum salute consulendi potestas. Neque vero hæc ego incuso, alii prætermittunt, sed et ego commemoro et omnes reprehendunt et vos scitis neque irascimini. Sic enim in Demosthenem estis animati: insuevistis jam istius facinora exaudire, ut nihil amplius miremini. At non ita facere vos oportet, sed indignari, sed acerbe punire, siquidem reliqua civitati bene prospereque vultis procedere.

46. Secundam vero et antedicta multo graviorem injuriam fecit, cum senatum populique majestatem penitus furtim submovit et Thebas in Cadmeam traduxit, rebus nostris cum Bœotorum principibus pactione facta communicatis; quin vero tantam sibi dominationem comparavit, ut jam conscenso suggestu glorietur se quo velit legatum profecturum, etiamsi vos non mitteretis: quod si quis imperatorum ei contradiceret, quo prætores in servitutem redigat eosque assuefaciat ne sibi refragarentur, minetur se suggesti nomine litem intentaturum prætorio; plura enim ad vos commoda sua opera e suggesto, quam per imperatores e prætorio pervenisse. In externo autem exercitu, cum ex ordinibus non completis quæstum faceret, militare stipendium furaretur, et decem illa millia externorum militum Amphissensibus mercede accepta locaret, multum licet obtestante et in concionibus quiritante me, civitati imparatæ, surreptis mercenariis *subsidiis*, periculum summum injecit. Quid enim putatis Philippum temporibus illis in votis habuisse? Non ut seorsim cum urbana acie, seorsim cum conductis copiis ad Amphissam decertaret? Græcos tanta plaga accepta exanimatos opprimeret? Et tamen horum omnium malorum opifex Demosthenes non satis habet, si pœnas effugerit, sed nisi etiam aurea corona donetur, indignum putat: neque ei sufficit præconium coram vobis fieri, sed nisi et coram Græcis prædicetur, ferendum negat. Ita nimirum prava indoles magnam potestatem adepta publicas semper excudit calamitates.

47. Tertia vero et superiorum omnium gravissima est injuria, de qua sum dicturus. Cum enim Philippus Græcos non contemneret, nec ignoraret—neque enim intelligentia caruit—se de bonis fortunisque omnibus in parvo diculæ spatio esse decertaturum, atque idcirco pacem facere vellet, legatosque missurus esset; cum Thebarum principes imminens jam periculum reformidarent—neque injuria: non enim eos orator militiæ rudis ordinisque desertor monuerat, sed Phocense illud decennale bellum æternum animis documentum infixerat—, cum hæc igitur ita se haberent, cumque animadverteret ea Demosthenes, ac suspicaretur Bœotorum principes pacem privatim coituros, auro sine se a Philippo accepto, non sibi vivendum arbitratus, si qua largitionis societate excluderetur, repente in concionem prosiliit, et neque dicente quoquam mortalium, pacem cum Philippo facere oportere, neque negante, sed quia censeret se hoc veluti præconio Bœotorum principibus multo ante denuntiare, ut secum prædæ captæ partem communicarent, per Minervam jurabat, quam scilicet eo fabricatus est Phidias ut inde quæstum faceret et pejeraret Demosthenes, si quis pacem esse cum Philippo faciendam diceret, se eum capillis arreptum in carcerem abducturum, Cleophontis imitatus in administranda rep. rationem, qui bello Lacedæmonio civitatem dicitur perdidisse. Sed cum Thebanorum principes ei non attenderent, militesque vestros jam egressos remisissent, ut vos de pace consultaretis, ibi vero omnino amens evasit, et conscenso suggestu Bœotorum principes Græciæ proditores appellavit, scitumque se facturum dixit is qui nunquam hostem rectis oculis intuitus est, ut vos legatos Thebas mitteretis, qui a Thebanis transitum postularent contra Philippum. Summo igitur pudore affecti Thebanorum principes, ac veriti ne revera Græcorum proditores esse viderentur, a pace divertebant, atque ad aciem instruendam properabant.

48. Hoc loco optimorum virorum meminisse dignum est, quos iste cum sacris non litatis, non annuentibus, in apertum periculum ablegasset, ausus est, fugacibus et loci desertoribus pedibus in tumulum mortuorum ascendere, eorumque fortitudinem collaudare. O ad res magnas seriasque agendas hominum omnium futilissime, ad orationis confidentiam omnium accommodatissime! hoccine mox agere contendes, in ora istorum intuens, debere te propter civitatis calamitates corona honestari? Vos, si is dixerit, patiemini, unaque cum iis qui defuncti sunt vestra scilicet commorietur memoria? Adeste mihi paulisper animis, Athenienses, non jam in judicio sed in theatro; ponite vobis ante oculos præconem prodeuntem prædicationemque ex plebiscito facturum, ac vobiscum considerate, utrum putetis mortuorum propinquos plures lacrymas profusuros ob tragœdiarum spectacula et acerbos heroum casus, qui mox in scenam producentur, an ob civitatis iniquitatem et dementiam. Quis enim, non vir modo Græcus, sed vel homo liberaliter institutus, non ingemiscat, si nihil aliud, illud saltem in theatro recordatus, hoc quondam die tragœdis, ut nunc, in scenam prodituris, quo tempore melius erat morata civitas et melioribus gu-

bernatoribus utebatur, progressum præconem, productisque pupillis, quorum patres in prælio ceciderant, adolescentulis integra armatura instructis, pulcherrimum et ad virtutem commendandam aptissimum præconium facere consuevisse, Hos adolescentes quorum patres in bello fortiter pugnantes occubuerunt, ad pubertatem usque populum aluisse, nunc autem integra hac armatura tectos, faustis ominibus, ut ad res suas revertantur, dimittere, et ad principem in consessu locum vocare. Hæc quidem olim prædicabat, nunc vero non item, producto enim eo qui liberis orbitatis causa fuit, quid prædicabit, quid clamabit? Nam etsi ipsa decreti præscripta recitarit, nunquam tamen obmutescet vera rei turpitudo, sed præconis verbis contraria prorsus eloqui videbitur, Populum Atheniensem hunc virum, si quidem iste vir est, corona donare, virtutis ergo nequissimum, fortitudinis ergo timidissimum locique desertorem. Ne quæso vos, Athenienses, per Jovem reliquosque deos immortales, ne trophæum de vobis ipsis in Liberi patris orchestra statuatis! ne populum Atheniensem in conspectu Græcorum amentiæ condemnetis! ne miseris Thebanis insanabilium et desperatorum malorum memoriam refricetis, quos hujus culpa profugos in urbem vestram excepistis, quorum fana, sepulcra, liberos Demosthenis nundinatio atque aurum regium perdiderunt!

49. Sed quoniam corporibus non affuistis, animis saltem eorum calamitates intuemini, ponite vobis ante oculos civitatem captam, diruta mœnia, ædes incendio vastatas, conjuges liberosque in servitutem abductos, viros ac mulieres graves annis sero libertatem dediscentes, plorantes, supplicantes vobis, irascentes non iis qui a se pœnas expetiverunt sed iis qui harum calamitatum auctores exstitere, enixe flagitantes ne vos ullo modo perniciem Græciæ corona donetis, sed ut genium etiam et fortunam quæ hominem istum comitatur caveatis: neque enim aut civitas aut privatus quisquam pulcre unquam discessit, Demosthenis usus consilio. Non pudet vos, Athenienses, in portitores qui Salamina transvehunt hanc legem tulisse, ut si quis eorum navigium in trajectu etiam invitus everterit, ne ei postea liceat esse portitori, ne quis in hominum Græcorum capitibus temere negligenterque versetur; huic vero, qui et Græciam civitatemque nostram funditus everterit, iterum rempublicam permittere gubernandam?

50. Jam vero ut de quarto etiam tempore et præsenti rerum statu dicam, illud vos admonitos velim, Demosthenem non solum in acie locum deseruisse, verum etiam civitatis vestræ, ... accepta triremi pecunias a Græcis exegisse. Cum autem inopinata salus eum

in urbem reduxisset, primis quidem temporibus tremebundus homo fuit, et semimortuus in concionem progressus postulavit ut se pacis custodem crearetis. Vos autem initio ne nomen quidem Demosthenis decretis adscribi permisistis, sed hoc *negotium* Nausicli mandastis: jam vero iste etiam coronam sibi deberi contendit. Mortuo deinde Philippo, et Alexandro ad regni successionem vocato, rursum iste præstigias et portenta moliens, sacella exstruxit Pausaniæ, et senatum in gratulationis et sacrificii *ob lætum nuncium* facti crimen conjecit, Alexandro autem Margitæ cognomen indidit, aususque est affirmare, nunquam eum e Macedonia pedem elaturum; satis vero habiturum, si Pellæ deambularet et exta inspiceret. Atque hæc se dicere prædicabat, non conjectura ductum, sed quod certo sciret, virtutem non nisi sanguine comparari, ipse penitus sanguine destitutus, et Alexandrum non ex Alexandri ingenio, sed suapte ignavia dimensus. Cum vero censuissent jam Thessali civitati nostræ bellum inferendum, et juvenis principio, neque injuria, irritatus esset, cumque castra jam ad Thebas admoverentur, legatus a vobis delectus *Demosthenes* arrepta fuga e medio Cithærone reversus est, neque in pace neque in bello utilem se civem *reip.* præbens. Et quod est omnium acerbissimum, vos eum non prodidistis, neque in judicium coram consilio Græcorum adduci permisistis: ille autem vos jam plane prodidit, si quidem vera sunt quæ dicuntur.

51. Ut enim aiunt paralii iique qui legati ad Alexandrum profecti sunt—et rei merito sane adhibetur fides—, est Aristion quidam Plataïcus, Aristobuli pharmacopolæ, si quis forte vestrum cognorit, filius. Is aliquando adolescens, cum suis æqualibus forma præstaret, diu in Demosthenis domo diversabatur: quid vero aut fecerit aut passus sit, cum dubium atque incertum sit, tum res mihi nequaquam dictu est honesta. Hic igitur, ut ego audio, cum et quis esset et quomodo antea vixerit nemini esset compertum, in Alexandri gratiam subrepit, et cum eo familiariter versatur. Per hunc Demosthenes missis ad Alexandrum literis, aliquid tandem securitatis nactus est et gratiæ reconciliationem, multisque eum blanditiis demulcivit. Inde autem spectate, quam valde res sit criminationi consentanea.

52. Nam si quid horum revera sentiret Demosthenes, si hostili in Alexandrum, uti jactat, esset animo, tria ei pulcherrima tempora oblata sunt, quorum nullo ut videtur unquam est usus. Primum cum in regno non ita pridem constitutus Alexander, suis rebus nondum satis compositis, in Asiam transiret; Persarum autem rex classe, pecunia, peditatu floreret, libenterque vos in societatem recepisset propter ea quæ sibi ipsi ingruebant pericula. Num tu orationem tunc unam habuisti, Demosthenes, ullumve decretum conscripsisti? Vis ponam metuisse te tuoque ingenio obsecundasse?

Atqui timiditatem oratoriam reip. tempora non exspectant. Sed postquam Darius cum universo exercitu descendisset, Alexander autem in Cilicia intercluderetur, rerum omnium inopia, ut ipse tum dixisti, laborans, cum illum continuo, ut tua pariter ferebat oratio, Persicus equitatus conculcaturus esset, jamque importunitatem tuam civitas capere non poterat et epistolas tuas, quas digitis suspensas circumferebas, nonnullis os meum tanquam hominis perculsi et exanimati ostendens, cum me auratis cornibus *hostiam* nuncupabas, et, siquid laberetur Alexander, jam coronatum esse dicebas, ne tum quidem egisti quicquam, sed rem in aliud tempus nescio quod magis commodum distulisti. His igitur omnibus prætermissis, de iis dicam rebus quæ nunc sunt. Lacedæmonii et exercitus externus secundo Marte pugnarant, militesque Corrhagi deleverant: Elæi una cum iis *a Macedonibus* defecerant: Achæi præterea omnes præter Pellenæos: Arcadia omnis præter Megalopolim; ipsa autem obsidione pressa erat, et de die in diem capi sperabatur: Alexander extra septentriones et orbem pene terrarum habitabilem excesserat: Antipater multum jam temporis in comparando exercitu consumserat: quid futurum esset, incertum erat. Hic tu nobis ostende, Demosthenes, quæ gesseris, quæve dixeris; quod si velis, cedam tibi suggestu, quoad dicendi finem feceris. Sed quoniam taces, sane tibi quod hæsites ignosco: quæ vero tum dixisti, ego nunc exponam.

53. Excideruntne vobis e memoria verba illa odiosa, immania, quæ vos olim, o ferrei, quo pacto audire sustinuistis? Cum pro concione hæc effutiret, civitatem nonnulli tanquam vitem amputant, populi palmites quidam resecuerunt, rerum nervi succiduntur, storearum instar in angustum cogimur, quidam podicem quasi mugilibus transfodiunt. Hæccine vero, o bellua, verba sunt an portenta? Quid cum in suggestu te in orbem circumagens clamitabas tanquam Alexandro adversatus, fateor me Laconicam conjurationem excitasse, fateor me Thessalos et Perrhæbos ad defectionem impulisse. Tu vero vel villam quidem ad defectionem impellas? Tu, non dico ad urbem, sed ad domum ullam, ubi quid sit discriminis, accedas? Verum sicubi pecuniæ impendantur, adsidebis, nihil vero dignum geres: sin *boni* quid fortuito eveniat, id tibi vendicabis, teipsum rei jam peractæ auctorem inscribes: si quis metus ingruerit, profugies: si in spem bonam erecti simus, præmia posces et aureas coronas flagitabis.

54. Esto: at popularis est. Si vos ad honestam verborum ejus speciem respiciatis, nunc etiam, uti et olim, eritis decepti: sin naturam ejus reique veritatem *exquiratis*, nequaquam fallemini. Hoc igitur modo rationem ab eo reposcite. Ego jam vobiscum expendam, quæ insita esse debeant in ingenio viri popularis ac moderati, eque contra ponam, qualem esse verisimile sit hominem paucorum potentiæ studiosum atque improbum: vos, his duobus inter se comparatis, spectate jam mihi, non qualis lingua sit, sed qualem vitam egerit.

55. Vos igitur omnes arbitror mihi assensuros, hæc in homine populari inesse oportere. Primum ut a paterna maternaque stirpe liber sit, ne ob generis infortunium infensus sit legibus, quæ potestatem populi tuentur. Deinde ut a majoribus suis alicujus erga populum beneficentiæ hæreditatem acceperit, vel quod est summe necessarium nullius inimicitiæ, ne calamitatum in quas majores inciderunt se vindicem præbens, malum moliatur civitati. Tertio ut in quotidiani victus ratione natura frugi sit ac temperans, ne ob perditam in sumptibus nequitiam largitiones contra rempublicam accipiat. Quarto ut et vir bonus sit et dicendi peritus: præclarum est enim mente et consilio res optimas eligere *easdemque* eruditione oratoria et dicendi facultate *instructum* auditoribus probare posse; sin minus ita contingat, utique bona mens anteponenda eloquentiæ est. Quinto forti animo esse oportet, ne in temporum angustiis et in bellis populum deserat. At homini paucorum potentiæ faventi his omnibus adversa esse studia convenit: quid enim ea vobis iterare opus est?

56. Jam vero dispicite, quodnam ex his insit in Demosthene: ratio autem summa cum æquitate subducatur. Huic pater erat Demosthenes Pæaniensis, vir ingenuus quidem—neque enim mentiendum est—: sed a materno avique materni genere quomodo se habeat? Ego jam exponam. Gylo quidam erat Ceramensis. Hic Nymphæo quod in Ponto est, quo tempore oppidum illud civitas in ditione sua tenebat, hostibus prodito, delatus urbe exsulavit, cum capitis damnatus judicii pœnam non exspectasset. Hinc Bosporum concessit, ubi Hortorum qui vocantur a tyrannis largitionem nactus, uxorem ducit opulentam sane magnamque vim auri secum afferentem, sed genere Scythidem, ex qua cum duas filias suscepisset, easque cum grandi pecunia huc misisset, collocavit alteram nescio cui, ne multorum in me odia concitem, alteram spretis civitatis nostræ legibus duxit Demosthenes Pæaniensis, ex qua natus est nobis percuriosus hic ardelio et calumniator Demosthenes. Quamobrem ab avo quidem materno hostis erit populi; ejus enim majores capitis damnavistis: a materno genere Scytha barbarus lingua duntaxat Græcus. Unde fit, ut improbitate etiam indigenam non referat.

57. In quotidiani autem victus ratione qualis est? Ex trierarcho scriptor oratiuncularum evasit, bonis paternis ridicule dissipatis. Deinde cum in hoc etiam negotio perfidus haberetur, quod ora-

tiones adversariis impertiret, repente in suggestum prosiliit. Cum ingentem a civitate pecuniam accepisset, perpusillam sibi reliquam fecit. Nunc vero aurum regale sumptus ejus *exhaustos* inundavit, sed neque hoc quidem satis erit: nullæ enim unquam divitiæ pravæ indolis libidinem exsuperarunt. Ad summam, vitam non ex suis vectigalibus, sed vestris ex periculis sustentat. Quod ad bonitatem autem mentis dicendique facultatem attinet, qualem eum natura finxit? Oratione disertum, vita turpem. Ita enim corpore suo a puero est abusus, ut *flagitia*, quæ in se admisit, nollem exponere: vidi enim jam ante, odium esse consecutos eos qui vicinorum dedecora nimis aperte declararunt. Sed quid tandem *ex hac eloquentia* civitati quæritur? Præclara verba, facta humilia atque abjecta.

58. Jam de fortitudine per mihi brevis restat oratio. Nam si vel se ipse ignavum esse negaret vel vos nesciretis, diutius esset mihi in hoc loco commorandum: nunc autem quando et ipse fatetur in concionibus vosque omnes intelligitis, reliquum est ut leges, quæ his de rebus latæ sunt, vobis in memoriam redigam. Solon enim antiquus ille legislator iisdem pœnis obstringi debere censuit et eum qui militiam detrectaret et eum qui de statione decederet et eum simul qui timidus miles sit: dantur enim et timiditatis actiones. Atqui mirabitur fortasse quispiam, etiam propter naturæ *defectum* actiones esse constitutas. Sunt. Quid ita? Ut unusquisque nostrum pœnas legibus irrogatas magis quam hostem extimescens, tanto fortius pro patria propugnet. Legislator itaque eum qui militiam subterfugiat et timidum et desertorem lustralibus vasis fori prohibet, et corona donari vetat et sacrificiis arcet publico nomine institutis: tu vero eum nos corona donare jubes, cui coronam leges interdicunt, tuoque decreto hominem indignissimum ludis tragicis in orchestram arcessis, in templum Liberi patris eum *deducis*, qui timiditate sua templa prodidit. Sed ne vos a proposito divertam, facite vobis in mentem veniat, cum se dicit esse popularem, non orationem ejus sed vitam spectare, neque quem se esse prædicet, sed quis sit, attendite.

59. Verum quoniam in coronarum et præmiorum mentionem incidi, antequam mihi e memoria excidat, prædico vobis, Athenienses, nisi hæc præmia infinita et temere concessas coronas reprimetis, neque eos quos honore afficitis gratiam vobis habituros, neque res civitatis meliores fore. Improbos enim nunquam in melius mutabitis, bonos ad summam desperationem adigetis. Vere hæc a me dici, magnis me vobis argumentis monstraturum puto. Si quis vos roget, *Athenienses*, utrum his temporibus nostra civitas gloria magis florere videatur an majorum nostrorum, omnes credo assensuros ætate majorum *insignius eam floruisse*. Utrum tunc temporis an nunc viri meliores? Tunc quidem excellentes, nunc longe deteriores.

At præmia et coronæ et præconia et quotidianus victus in Prytaneo utrum tunc erant an nunc crebriora? Tunc rari apud nos honores, tunc virtutis nomen in pretio erat, nunc vero res ipsa obsolescit, et coronas vos non consilio sed ex consuetudine donatis.

60. Nonne hæc igitur expendentibus *vobis* absurdum merito videtur præmia nunc increbuisse, civitatis opes tum majores quam nunc fuisse; viros nunc esse nequiores, tunc multo præstantiores? Ego autem, quamobrem hoc ita fit, ostendere vobis conabor. Putatisne, Athenienses, futurum unquam fuisse, qui se vel ad Olympia, vel ad aliud aliquod certamen in quo coronæ donentur, exercere vellet, ad Pancratium aut aliud quodpiam gravioris luctæ genus, si corona traderetur non præstantissimo sed ei qui malis artibus ipsam consecutus esset? Nemo hercle se exerceret. Nunc autem, opinor, propter raritatem, propter contentionem, decus, gloriam denique sempiternam quæ victoriam sequitur, reperiuntur nonnulli qui, corporibus suis fortunæ permissis gravissimisque laboribus exantlatis, periculum adire cupiunt. Quocirca fingite vos esse certaminis de virtute civili arbitros constitutos, atque illud simul cogitate, si paucis et dignis et secundum leges præmia tribuatis, complures vos virtutis certatores habituros: sin cuivis et eis qui ambierint gratificemini, etiam bona ingenia corrupturos.

61. Hæc autem recte a me dicta esse, luculentius paulo vobis libet exponere. Uter vobis vir melior fuisse videtur Themistocles, 181
quo duce navali apud Salamina prælio Persam vicistis, an qui locum in acie deseruit Demosthenes? Miltiades qui Marathonia pugna barbaros superavit, an iste? [Ii denique, qui populum exsulantem a Phyle reduxerunt?] et Aristides ille, qui cognomine, multum illi quod Demosthenes habet dissimili, Justus appellatus est? Verum ego, per deos immortales, ne iisdem quidem diebus 182
fas esse existimo de hac bellua et de viris illis meminisse. Ostendat igitur in oratione sua Demosthenes, sicubi decretum sit, ut quisquam illorum virorum corona donaretur. Ingratus ergo erat populus? Minime, imo et excelsi animi *populus* fuit, et illi qui hunc honorem non adepti sunt civitate hac dignissimi. Non enim se in tabulis decretoriis honorem suum ponere debere censebant, sed in eorum quibus bene fecissent memoria, quæ quidem ex illo tempore ad hunc usque diem manet immortalis.

62. Quibus vero præmiis ornati sunt? Iis quæ operæ pretium est commemorare. Fuerunt quidam iis temporibus, qui multis gravibusque periculis defuncti Medos apud Strymonem fluvium prælio fuderunt. Ii igitur huc reversi præmium a populo petiverunt, deditque eis populus magna, ut tum videbantur, præmia, ut tres Hermæ lapidei in Hermarum porticu iis ponerentur, ea lege tamen ne sua nomina inscriberent, ut non imperatorum sed populi inscri-

ptio videretur. Esse autem vera quæ a me dicuntur, ex ipsis versibus cognoscetis. Inscriptum est enim in prima statua:

Hi quoque præstanti valuerunt pectore, Medis
 Strymonias ad aquas, Eïonisque locum
Perdomitis, diraque fame ferroque cruento
 Hostiles primi qui minuere manus.

secundæ hæc inscriptio est:

Præmia Cecropidæ hæc ducibus memoranda dederunt,
 Pro virtute virum pro meritisque piis.
Ut, cum progenies lustrent hæc sera nepotum,
 Læti pro patria ferre pericla velint.

tertiæ autem statuæ inscriptum est:

Ex hac urbe olim Mnestheus comitatus Atridas
 Examen duxit Pergama ad alta virum,
Gnarum præ reliquis quem cantat Homerus Achivis
 Compositis acies dirigere ordinibus.
Sic neque immerito primi dicentur ubique
 Virtute insigni Marteque Cecropidæ.

Usquamne hic reperitur ducum nomen? Nusquam, sed populi *tantum*. Adeste igitur mihi animis et ad porticum picturatam: omnium enim facinorum egregiorum exstant vobis in foro monumenta. Quid igitur illud est, quod dico, Athenienses? Hic pugna Marathonia depicta est. Sed quis erat imperator? Omnes, opinor, hoc ita rogati responderetis, Miltiades, at illic *nomen ejus* non inscribitur. Quid ita? non petivit hoc præmii? Petivit quidem, sed populus non dedit, verum ei pro nominis inscriptione concessit, ut primo loco pingeretur milites cohortans. Ergo et in æde Matris deum juxta Curiam, quodnam iis præmium qui populum exsulantem a Phyla reduxerunt dederitis, intueri licet. Qui enim populi scitum scripsit et obtinuit Archinus erat Cœleus, unus ex iis qui populum reduxerunt: scripsit autem primum ut iis mille drachmæ darentur in sacrificia et dona templis appendenda — estque hoc minus quam decem drachmæ in singulos viros—, deinde jubet unumquemque oleagina corona ornari, non aurea; erat enim tum oleagina corona pretiosa, nunc etiam aurea in fastidio est. Verum neque hoc quidem temere fieri decernit, sed tum demum cum senatus accurate perquisiverit, quot eorum in Phyla obsessi fuissent, cum Lacedæmonii et triginta tyranni in eos invaserunt qui Phylam occuparant, non quot ad Chæroneam cum instarent hostes a statione recessissent. Ut autem vera me dicere *cognoscatis*, recitabitur vobis decretum.

DECRETUM DE REDUCIBUS A PHYLA.

Recitetur jam ex adverso decretum id quod Ctesiphon scripsit Demostheni gravissimarum calamitatum auctori.

DECRETUM.

Hoc decreto obliteratur eorum præmium, qui populum reduxerunt. Hoc si honestum est, illud turpe fuit: si illi merito honore affecti sunt, hic immerito corona ornatur.

63. At enim audio dicturum esse Demosthenem, me parum juste facere qui majorum res gestas cum suis contendam. Neque enim (aiet) Philammon pugil Olympiis coronam adeptus est, quod veterem illum pugilem Glaucum, sed quod suæ ætatis certatores, superarit. Quasi vero nesciatis, pugilibus inter sese propositum esse certamen, iis autem qui coronam poscunt cum ipsa virtute, cujus etiam causa coronantur. Oportet enim mendacio vacare præconem, cum quid in theatro coram Græcis prædicat. Quare noli nobis pluribus verbis demonstrare, te in rep. administranda Patæcione fuisse meliorem, sed ubi virtutis compos fueris, ita demum gratias a populo deposce. Verum ne vos a proposito abducam, scriba vobis epigramma recitabit, quod in eos scriptum est qui populum a Phyla reduxerunt.

EPIGRAMMA.

Hosce coronarum antiqua gens Attica pulcræ
 Virtutis ergo jussit honore coli,
Qui quondam injustos arcebant urbe tyrannos,
 Objicere haud veriti corpora pro patria.

Propterea quod eos qui contra leges dominati sunt everterint, honore affectos esse dicit poeta. Adhuc enim omnium aures *vox ea* personabat, populum illo maxime tempore eversum fuisse, postquam judicia de decretis contra leges factis nonnulli sustulissent.

64. Equidem ut ego de patre meo audiebam, qui anno ætatis suæ quinto et nonagesimo diem obiit, cum omnium reip. ærumnarum particeps fuisset, quas sæpe mecum per otium conferebat—: is *inquam* dicebat, primis illis temporibus quibus populus reductus fuerat, siqua de decretis contra leges scriptis actio in judicium venerit, similia plane fuisse et nomen et factum. Quid enim est sceleratius homine, qui res legibus adversas dicit aut facit? Neque vero judices, ut ille referebat, eadem ratione qua nunc, de causa cognorunt; erant enim in eos, qui decreta legibus adversa tulerant, multo infestiores quam ipse etiam accusator, et sæpenumero scribam revocabant, jubebantque leges et decretum iterum recitare, damnabantur denique ii qui contra leges scripserant non si universas leges transgressi fuissent, sed si unam duntaxat syllabam immutassent. At perridiculum est, quod nunc fieri solet. Scriba decretum recitat contra leges factum; judices, quasi cantilenam aut rem *a judicio*

alienam audirent, ad aliud aliquod animum advertunt. Jam vero ex Demosthenis artibus turpem consuetudinem in judicia irrepere sivistis. Inversa enim nobis sunt jura civitatis: accusator quidem defendit, reus accusat, judices quarum rerum disceptatores sedeant interdum obliviscuntur, de iis vero rebus, quarum judices non sunt, sententiam ferre coguntur. Reus, si quando rem ipsam attigerit, non se dicit legitima scripsisse, sed alium etiam antea cum talia scripsisset absolutum esse: quo quidem argumento magnopere jam nunc elatum esse audio Ctesiphontem.

65. Ausus est aliquando apud vos gloriari Aristophon ille Azeniensis, se septuaginta quinque actionibus de decretis contra leges factis postulatum fuisse. At non ita priscus ille Cephalus, qui omnium maxime popularis est habitus, non ita *inquam:* sed plane contrariis gloriabatur factis, quod nempe, cum plura quam quis alius plebiscita scripsisset, nunquam tamen de decretis contra leges scriptis reus factus esset, præclara mea quidem sententia gloriatio. Nam de decretis adversum leges factis alii alios postulabant, non ii tantum qui in reip. partibus dissiderent, verum etiam amici amicos, si quid in rempublicam commisissent. Id autem exinde cognoscetis. Archinus Cœleus violatarum legum postulabat Thrasybulum Stiriensem, quod contra leges decretum fecerat, unum scilicet ex iis qui secum a Phyla revertissent, et reum peregit, recentibus etiam tunc ejus erga populum beneficiis, quorum tamen rationem nequaquam judices habuerunt: existimabant enim, quemadmodum tum ipsos exsulantes Thrasybulus revocasset, ita etiam nunc eundem se in urbe constitutos exturbare, cum aliquid contra leges decerneret. Nunc autem non ita fit, quin plane aliter. Vestri enim eximii imperatores, eorumque nonnulli qui victum quotidianum in Prytaneo meruerunt, actiones de decretis contra leges factis deprecationibus suis evertunt, quos jure vos ingratos existimare debeatis. Si quis enim in libera republica honorem consecutus, in ea præsertim civitate, quam dii legesque conservant, iis qui decreta legibus adversa scribunt opitulari audet, is eam ipsam rempublicam evertit, a qua est honestatus.

66. Quænam igitur defensionis ratio patrono justo ac modesto præscripta est? Dicam. In tres partes distribuitur dies, quo actio de decretis contra leges factis in judicium venit. Infunditur enim prima aqua accusatori, legibus, libertati denique populari, secunda reo iisque *patronis* qui in rem ipsam loqui volunt; cum vero prima sententia non solutum fuerit violatarum legum crimen, tertia jam aqua litis æstimationi infunditur vestræque iræ magnitudini. Quicunque igitur in æstimanda lite suffragium petit, is iram vestram deprecatur: at qui in prima contentionis parte suffragium petit, jusjurandum petit, legem petit, populi libertatem petit, quorum neque quicquam rogare fas est, neque rogatum alteri concedere. Jubete igitur, ut, vos primam sententiam secundum leges ferre passi, exinde ad litis æstimationem vires convertant.

67. Ad summam autem parum mihi abest, Athenienses, quin dicam legem in actionibus duntaxat de decretis contra leges factis ferri debere, ne liceat aut accusatori, aut ei qui hujus criminis postulatur, advocatos sibi adsciscere: non enim *hic* interminatum jus est, sed legibus vestris definitum. Ut enim in arte fabrili, cum quid rectum sit quid non, scire volumus, regulam adhibemus, qua dijudicentur, ita in accusationibus de decretis contra leges factis juris regula proponitur, tabella scilicet hæcce et decretum et leges descriptæ ac juxta positæ. Hæc si inter se consentire ostenderis, descende, et quid opus te Demosthenem advocare? Cum vero justa illa defensionis ratione neglecta hominem maleficum accersis et verborum artificem, insidias struis auditoribus, civitatem labefactas, populi dominationem evertis.

68. Quænam igitur ratio sit hujusmodi orationum propulsandarum? Ego jam exponam. Simulatque huc progressus Ctesiphon illud compositum sibi *a Demosthene* exordium pronuntiabit, deinde tempus absumet nihilque ad defensionem afferet, commonete eum, ut citra tumultum tabellam hanc in manus sumat legesque cum decreto suo recitatas conferat. Quod si vos audire se dissimulaverit, ne vos quidem eum audiatis: non enim huc convenistis, ut reos qui legitimam defensionem respuunt audiatis, sed illos qui se recte atque ordine defendere parati sunt. Sin autem justa defensione prætermissa Demosthenem accersat, potissimum nolite ferre hominem veteratorem, sperantem se verborum aucupiis leges sublaturum, neque hoc quispiam vestrum sibi in laudis loco deputet, si interrogante Ctesiphonte, liceatne *per vos* Demosthenem advocare, primus exclamabit v o c a, v o c a:—contra teipsum vocas, contra leges vocas, contra populi libertatem vocas—: quod si vobis audire placeat Demosthenem, postulate ab eo, ut ad eam normam defensionem instituat, quam ego in accusatione sic quodammodo, ut id vobis in memoriam revocem, sum secutus.

69. Nec privatam Demosthenis vitam prius explicavi, nec ullius publici criminis mentionem feci, cum eorum ingens mihi adesset copia—aut omnium certe hominum essem infantissimus—, sed primo loco ostendi leges diserte vetare, ne corona donentur ii qui rationibus referendis sunt obnoxii, deinde oratorem redargui, quod Demosthenem qui rationibus reddendis obnoxius est corona donari jusserit, nullo prætextu interposito, non excusatione ea adscripta p o s t e a q u a m r a t i o n e s r e t u l e r i t, sed vobis atque legibus penitus despectis: porro cavillationes quas contra hæc allaturi sunt exposui, quarum etiam ut vos memores sitis exoro. Secundo loco

leges vobis de præconiis percurri, quibus diserte interdictum est, nequis a populo corona donatus extra concionem prædicetur: orator vero qui est reus non leges tantum transgressus est, sed et tempus et locum prædicationis *commutavit*, siquidem non in concione sed in theatro, non Atheniensibus in concionem congregatis sed tragœdis in scenam jam prodituris, præconium fieri decerneret. His expositis, pauca de privatis dixi, magnam autem partem in publicis ipsius criminibus oratio mea versata est.

70. Sic igitur et a Demosthene postuletis ut defensionem instituat, primo ad legem de iis qui rationibus reddendis sunt obnoxii, deinde ad legem de præconiis *respondeat*, tertio loco ad illud quod maximum dico, non esse dignum eum corona. Quod si vos oret, ut de ordine dicendi suo se arbitrio uti concedatis, pollicitus se sub finem defensionis crimen de decreto contra leges facto soluturum, nequaquam concedite, neque vos fugiat callidam hanc esse technam ad eluctandum judicium: nunquam enim postea ad crimen decreti contra leges facti respondebit, sed, cum nihil habeat quod juste possit dicere, aliarum rerum injectione in oblivionem accusationis vos adducere cogitat. Quemadmodum igitur in certaminibus gymnicis videtis pugiles inter se de statu decertare, sic et vos cum eo totum diem pro civitate et de dicendi ordine depugnate, neque eum sinite extra crimen violatæ legis per ambages evadere, sed audiendo illi immorantes atque insidentes intra causæ ipsius limites hominem coercete, verborumque ejus diverticula et anfractus observate.

71. Quæ autem vobis eventura sint, nisi hoc modo Demosthenem audiatis, æquum est ut prædicem. Introducet enim *Ctesiphon* præstigiatorem illum et crumenarum sectorem et reipublicæ carnificem. Hic et facilius plorat quam alii rident, et mortalium omnium est ad pejerandum promptissimus: neque vero mirabor, si subita mutatione facta in eos qui foris circumsistunt maledicta congeret, dicetque homines paucorum potentiæ studiosos, ab ipsa etiam veritate discretos et dinumeratos, ad accusatoris suggestum, populares autem ad rei subsellia, convenisse. Hæc igitur cum dicet, id ei contra seditiosas has orationes opponite, si tui similes fuissent, Demosthenes, qui populum exsulantem a Phyla reduxerunt, nunquam hic popularis status fuisset constitutus. Nunc illi post gravissimas clades rempublicam conservarunt, pulcherrimo illo et ab humanitate disciplinaque profecto verbo usurpato, NE QUIS INJURIARUM REMINISCERETUR, at tu vulnera *nobis* refricas, majorque tibi quotidianarum orationum cura est quam publicæ salutis.

72. Cum autem homo in perjuriis versatus ad fidem jurejurando faciendam confugerit, illud eum commonete, viro, qui et sæpe pejerat, semperque apud eosdem sibi fidem esse jurato postulat, duorum alterum suppetere oportere, quorum neutrum consecutus est Demosthenes, aut deos novos aut non eosdem auditores. Jam quod ad lacrymas attinet et contentionem vocis, cum vos rogabit quo confugiam, Athenienses? circumscribatis me ex republica; non est quo me recipiam, hæc ei contra referte at populus Atheniensis quo confugiet, Demosthenes? ad quem sociorum apparatum vel ad quam pecuniam? quæ dum tu remp. gereres populo munimenta comparasti? nam quibus rebus tibi ipsi consulueris, omnes videmus. Urbe enim relicta non, ut te videri velis, in Piræeo habitas, sed fugam ex civitate spectas, jamque ignaviæ tuæ viatica providisti aurum regium et peculatu quæsitas opes.

73. Denique quorsum lacrymæ? quorsum ejulatio? quorsum tanta illa vocis contentio? Nonne is qui causam dicit Ctesiphon est, causaque ipsa nequaquam ex iis quæ pœnam habent legibus definitam, tu vero neque de fortunis neque de vita neque existimatione tua decertas. Qua tandem igitur de re laborat? De aureis coronis et præconiis in theatro legibus interdictis. Quem, si populus aut furore præceps aut præsentis rerum status immemor tam alieno tempore eum corona donare vellet, in concionem progressum dixisse oportebat, Athenienses, coronam quidem accipio, tempus autem, in quo fit præconium, non probo: nec enim decet, propter quæ respublica luctu obruta est et comam totondit, propter ea me corona donari. Hac opinor oratione uteretur vir bonus, qui vitam cum vera virtute conjunctam vixisset: quæ tu dices vero, scelerati sunt nebulonis inanem virtutis umbram consectantis.

74. Neque enim mehercule hoc quisquam vestrum pertimescat, ne Demosthenes, magni vir animi et virtute bellica præcellens, præmiis fortitudinis frustratus se domum reversus interficiat; qui usque adeo laudis et gloriæ apud vos studium deridet, ut nefandum illud caput et rationibus referendis obnoxium, quod iste contra leges omnes coronandum decrevit, decies millies dissecuerit, ejusque rei *uberrimam* mercedem tulit, accusationibus de vulnere consulto illato institutis, pugnisque ita est a Midia concisus, ut eorum credam vestigia adhuc in corpore ejus eminere. Homo enim non tam caput gestat, quam capitularium.

75. Jam porro de Ctesiphonte, qui scitum hoc scripsit, pauca mihi dicenda sunt; multa autem præteribo, ut vestri faciam periculum, utrum homines improbitate præcellentes ipsi per vos, etiamsi

nemo præmonuerit, internoscere possitis. Id tantum, quod istorum utriusque commune est quodque de iis apud vos merito dici potest, exponam. In foro igitur circumcursant veram alter de altero opinionem habentes, vocesque minime falsas jactantes. Negat se Ctesiphon sibi quicquam timere; sperat enim se stolidum quendam et imperitum visum iri: sed Demosthenis in administranda rep. quæstus flagitiosos et consternationem et ignaviam, ea vero se pertimescere confirmat. Demosthenes contra, cum in se ipse intuetur, securo se animo esse prædicat; at Ctesiphontis improbitatem et lenocinia vehementer perhorrescere. Quos igitur sua mutua sententia flagitiorum arguit, vos communes utriusque judices criminibus ne absolvite.

76. De iis vero quæ in me congeret maledictis pauca nunc præfabor. Audio enim Demosthenem dicturum, rempublicam a se quidem multa commoda, a me autem multa damna suscepisse, et simul Philippum et Alexandrum atque inde nata crimina in me rejecturum. Est enim, ut videtur, adeo callidus verborum artifex, ut jam non satis habeat, siquid ego in rep. gessi vel siquas orationes apud vos habui, incusare, sed ipsum vitæ meæ otium criminatur meumque silentium insimulat, ne quis ei locus scilicet calumniæ vacuus relinquatur; cœtus porro et colloquia, quæ in gymnasiis cum adolescentulis habeo, reprehendit; quin et contra hanc ipsam actionem statim orationis suæ initio crimen quoddam afferet, me litem ei intendisse non studio reipublicæ adductum, sed ut me Alexandro ostentarem propter inimicitias quæ illi cum isto intercedunt. Enimvero, ut accepi, ex me etiam quæsiturus est, cur ego rerum a se gestarum summam reprehendam, singulas vero neque interpellarim neque in judicium adduxerim, sed longo demum intervallo, et cum in republica administranda non assidue versatus essem, ad accusandum accesserim.

77. Ego vero neque Demosthenis consuetudinem et colloquia mihi unquam invidenda duxi, neque meorum me pudet, neque quæ coram vobis a me dicta sunt indicta esse velim, neque, si quales iste habuit conciones habuissem, mihi diutius vivendum putarem. Meum vero silentium, Demosthenes, vitæ meæ continentia peperit: parvo enim sum contentus, nec majora turpiter concupisco, itaque et silentio utor et ad dicendum venio consilio adductus, non insita ingenio luxuria coactus. At tu opinor accepto munere siluisti, consumpto vociferatus es; dicis autem, non cum tibi videatur neque ea quæ velis, sed cum ii qui operam tuam mercantur imperarint: neque ea te pudet arroganter decantare, quæ paulo post a te conficta esse arguentur.

78. Namque in judicium deducta est hæc de scito Ctesiphontis actio, quam tu me intendisse dictitas, non quo reipublicæ studerem, sed quo me Alexandro venditarem, Philippo etiam tum vivente, priusquam Alexander regnum obtineret, cum tu nondum illud de Pausania somnium videras, nondum cum Minerva et Junone noctu collucutus esses. Quomodo igitur me Alexandro ante tempus venditarem, nisi vero idem somnium ego et Demosthenes viderimus?

79. At in eo me criminaris, quod non continenter sed interjecto tempore ad populum accedam, idque nos latere arbitraris, istam te sententiam non ex populari imperio, sed alia quadam reipublicæ forma traduxisse. Namque ubi obtinet paucorum dominatus, non is qui vult, sed qui dominatur, accusat; in civitatibus vero liberis, qui vult et quandocunque ei videtur. Et vero cum aliqua temporis intermissione dicere virum indicat, qui cum tempora postulant et utilitas communis, ad rempublicam accedit; ne unum vero diem interponere, operarii est et quæstum aucupantis.

80. Quod autem nondum a me in judicium fueris adductus, nondum tuorum facinorum pœnas dederis, ad has rationes cum confugeris, vel auditores obliviosos esse existimas vel ipse tibi illudis. Quæ enim in Amphissensi negotio impie commisisti, quæ in rebus Euboicis quæstus causa fecisti, quoniam tempora jam effluxerunt quibus a me manifesto convictus es, eorum nunc fortasse populum oblitum esse speras: rapinas vero tuas in triremium et trierarchorum negotio, quod unquam tempus obscurare queat, cum tu lege de trecentis navibus lata, perpulsoque populo ut te rei nauticæ curatorem præficeret, a me coram convictus es sexaginta quinque naves actuarias trierarchis ademisse, quo facto majorem civitati nostræ classem subripuisti, quam *quæ suppeteret* cum Athenienses navali apud Naxum prælio Lacedæmonios Pollimque devicerunt?

81. Ita vero criminationibus pœnas tibi debitas obsepsisti, ut periculum sit non tibi qui injusta feceris sed iis qui te judicio persequuntur, dum tu Alexandrum et Philippum inter calumniandum assidue in ore habes, dum certos homines reipublicæ opportunitates impedire insimulas, dum res quidem præsentes semper labefactas, deque futuris mirifice polliceris. Non denique, cum diem ego jam tibi dicturus essem, *subdole* effecisti ut Anaxinus Orita comprehenderetur, qui Olympiadi merces coemebat, atque ipsum illum virum discruciatum decreto tuapte manu conscripto capitis damnasti, apud quem in Oreo diversabare, quocum ex eadem mensa ederas, biberas, libaveras, cujus dextræ dextram junxeras, cum quo amicitiam hospitiumque iniveras. Hunc, *inquam*, occidisti, et, cum a me coram universo populo sceleris hujus convictus esses atque hospitis occisor nominatus, impium facinus non negasti, sed illud respondisti, ad quod et populus, et quicunque advenæ concionem circumsistebant, clamorem sustulerunt: dixisti quippe, te reipublicæ salem hospitali mensæ prætulisse.

82. Jam falsas epistolas prætermitto, speculatorum comprehensiones, tormenta adhibita ob crimina nunquam admissa, quasi ego cum quibusdam hominibus in civitate rebus novis studerem. Atenim, ut audio, ex me porro quæsiturus est, qualis ille medicus habendus sit, qui ægro interea dum ægrotet nihil det consilii, postquam vero obierit, ad inferias accedens mortui necessariis ea commemoret, quæ si *æger* observasset convaluisset. Te ipsum vero non contra rogas, qualis ille reipublicæ administrator sit, qui populum blanditiis delinire sciat; tempora, quibus civitas conservari poterat, vendiderit; cives rite sentientes calumniando ne consilia communicent deterreat; qui, cum periculis timide se subtraxerit remque publicam insanabilibus ærumnis implicarit, se virtutis ergo corona donandum esse contendàt, cum nihil unquam boni fecerit, omnium vero calamitatum auctor unus exstiterit; qui nunc eos interroget qui illis temporibus, quibus civitas servari poterat, a rep. administranda calumniis depulsi sunt, cur sibi quo minus delinqueret non obstiterint? Illi quidem nunc denique tibi ita respondeant, cum prælium supervenisset, otium nobis non erat de tuo supplicio cogitandi, sed de salute civitatis legatis huc illuc missis agebamus: verum enimvero quando tibi non satis erat pœnas non dedisse, nisi etiam et præmia posceres civitatemque nostram Græcis omnibus deridendam objiceres, tum denique tibi obviam ivi litemque intendi.

83. Cæterum, per deos immortales, eorum omnium quæ dicturum esse Demosthenem audio, hoc quod jam vobis dicam indignissime fero. Ingenium meum cum Sirenibus comparat, si diis placet. Ab illis enim non tam permulcentur inquit auditores, quam ad perniciem adiguntur [quocirca male audit Sirenum harmonia]. Ita meam in dicendo peritiam, meum ingenium, iis qui audiunt semper esse exitiosum. Atqui cum hanc de me orationem neminem omnino decere putem; turpe enim accusatori est, si criminationes suas re nequeat comprobare: tum sicui illud dicendum fuisset, non ea Demosthenis oratio erat, sed imperatoris alicujus qui res quidem præclaras pro republica gesserit, dicendi autem facultate deseratur, quique ideo adversario ingenium suum miratus invideret, cum intelligat se nihil eorum quæ patraverit oratione explicare posse, accusatorem contra videat etiam ea quæ nunquam gesserit perinde auditoribus in conspectu ponere, quasi a se revera essent perfecta. Nunc vero cum homo totus ex vocabulis conflatus, iisque amaris et inaniter exquisitis, tandem ad orationis simplicitatem et facta confugit, quis æquo animo ferat? cui siquis linguam, ut tibiis, demserit, reliquum nihil erit.

84. Ego equidem vos demiror, Athenienses, et scire velim, quibus demum rebus permoti actionem hanc sententiis vestris improbaretis. An quod scitum legitimum est? At nulla unquam sententia legibus magis adversa fuit. An quod is qui scitum fecit non dignus est supplicio? Ergo nullæ sunt apud vos rationum vitæ referendarum leges, si hunc absolveritis. Illud vero nonne ingemiscendum, si quidem olim aureis coronis, quibus populus a Græcis donabatur, referta erat orchestra, eo quod dies hic hospitalibus coronis constitutus erat: nunc ex Demosthenis in rep. administranda institutis vos neque coronis neque præconiis donati sitis, iste autem prædicatione sit ornandus? Atqui siquis ex poetis tragicis, qui paulo post *histriones in scenam* producturi sunt, faceret in tragœdia Thersitem a Græcis coronari, nemo vestrum ferret, quoniam dicit eum Homerus ignavum et sycophantam fuisse: vos autem cum istiusmodi homini coronam imponetis, non putatis vos Græcorum omnium judiciis exsibilatum iri? Majores enim vestri, si quid rebus suis splendidum ac præclarum inesset, id populo adscribebant; si quid abjectum atque infimum, in malos oratores conferebant: at Ctesiphon arbitratur, quam Demostheni detraxeritis ignominiam, populo vos circumjicere oportere.

85. Enimvero dicitis vos fortunatos esse, quemadmodum estis et merito quidem, decreto autem confirmabitis vos a fortuna derelictos, a Demosthene beneficiis esse affectos, et quod est omnium absurdissimum, in iisdem judiciis eos qui repetundarum sunt damnati infamia notatis, huic quem ipsi scitis mercede remp. administrasse coronam imponetis: ludorum etiam Dionysiacorum judices, si iniquam de choris cyclicis sententiam tulerint, mulctatis, iidem autem vos, non chororum cyclicorum judices constituti sed legum virtutisque civilis, præmia non secundum leges neque paucis ac dignis, sed ei qui hæc ambiendo assecutus sit, largiemini. Ergo ex judicio discedit talis judex, suis quidem opibus diminutis, oratoris autem auctis et confirmatis. Vir enim privatus in civitate libera lege et calculo suo rex est: cum vero hæc alteri concesserit, suum ipse principatum dissipavit. Deinde jurisjurandi quidem religio, qua obstrictus judicat, assidue ipsum comitans affligtat; ex illius scilicet violatione crimen natum est: gratia vero ei, cui beneficium facere studebat, non innotescit; nam calculus secreto redditur.

86. Videmur autem, Athenienses, simul et fortunati esse et de republica periclitari pari imprudentia. Nam quod his temporibus liberæ civitatis firmamenta multi paucis projicitis, non laudo: quod autem inde non increbuit in nos seges oratorum improborum simul et petulantium, *eo nomine* fortunati sumus. Talia enim ingenia tulit quondam respublica, quæ populum adeo facile perdiderunt. Gaudebat quippe assentationibus; ita illum non ii quos metuebat, sed ii quorum fidei se commiserat, everterunt. Quorum quidem nonnulli etiam ipsi in triginta tyrannorum numero fuerunt, qui plus quam mille et quingentos cives indicta causa necaverunt, ne criminibus quidem

auditis ob quæ erant morituri, neque ad mortuorum tumulos, ad cadaver efferendum, cognatis conveniendi copiam fecerunt. Ergo eos qui remp. administrant in potestate vestra non continebitis? Non eos qui nunc elati insolentia sunt submissos ablegabitis? Non meministis, nunquam quemquam prius se ad libertatem populi diluendam accinxisse, quam judiciorum auctoritate major evaserit?

87. Libenter equidem, Athenienses, rationem coram vobis inire velim cum isto qui decretum scripsit, quænam propter beneficia Demosthenem censeat corona esse donandum. Nam si dicis, unde auspicatus es decretum, propterea quod fossas mœnibus obductas pulcre descripserit, demiror te. Nam in causa fuisse cur istæ *necessariæ* sint culpam habet graviorem, quam quæ pulcra earundem descriptione *eluatur*: non enim, quod muros obvallarit, quod publica sepulcra diruerit, fidum oportet reipublicæ administratorem præmia postulare, sed quod bonum aliquod civitati compararit. Quod si venies ad secundam decreti partem, in qua scribere ausus es, virum bonum esse eum atque ea constanter et dicere et facere quæ maxime sint e re populi Atheniensis, demptis ex decreto arrogantia ac jactatione verborum ad facta redi, ostende nobis quid sit quod dicis. Quæstus enim sordidos, quos in rebus Amphissanis atque Euboicis fecit, prætermitto: cum vero societatis cum Thebanis factæ causas Demostheni adscribis, rei quidem ignaros decipis, eos vero qui sciunt atque sentiunt contumelia afficis. Nam dissimulato tempore sublataque horum amplitudine, propter quæ hæc societas facta est, illud nos latere arbitraris, te reipublicæ dignitatem Demostheni affinxisse.

88. Quanta autem hæc sit arrogantia, magno vos argumento conabor edocere. Persarum enim rex, non multo ante quam Alexander in Asiam trajecisset, misit ad populum contumeliosam admodum et barbaram epistolam, in qua cum multa alia dixerit a liberali disciplina alienissima, tum illud etiam sub fine scripsit: ego inquit vobis aurum non dabo; nolite a me petere, non enim accipietis. Idem tamen ille periculis in quibus etiam nunc versatur circumventus, populo Atheniensi non petenti trecenta talenta ipse ultro misit, quæ is prudens non accepit. Quod autem aurum illud *vobis* pertulit, tempus fuit, metus, sociorum indigentia. Eadem porro ipsa et Thebanorum societatem effecerunt. Tu vero Thebanorum nomen et infelicissimam illam societatem semper in ore habens nos obtundis, septuaginta autem talenta retices, quæ ex auro regio præcepta avertisti. Nonne ob inopiam pecuniarum, cum quinque duntaxat talentis *opus fuit*, externi milites arcem Thebanis non tradiderunt? Nonne propter novem talenta argenti, cum Arcades omnes in expeditionem egrederentur ducesque eorum ad opem ferendam essent parati, res confecta non est? At tu dives es habesque unde voluptatibus tuis sumptum suggeras, et ut in summa dicam, aurum regium apud istum, pericula penes vos sunt.

89. Operæ vero pretium est, et vecordiam eorum spectare. Nam si Ctesiphon Demosthenem advocare ausus fuerit apud vos verba facturum, is autem conscenso suggestu seipsum laudarit, gravior erit ipsis cladibus, quas perpessi estis, audita ista oratio. Nam cum eos qui revera sunt viri excellentes, quorum multas et præclaras esse res gestas probe scimus, si laudes ipsi suas prædicent, non sustinemus: ubi is homo, qui reipublicæ opprobrium fuit, seipsum laudibus efferre cœperit, quis ea patienter audire poterit? Ab impudenti igitur instituto, si sapis, desistes; causamque tuam, Ctesiphon, ipse defendes. Neque enim hoc scilicet prætextu inniteris, te non esse dicendi peritum. Namque absurdum tibi acciderit, si nuper quidem te legatum ad Cleopatram Philippi filiam populi suffragiis creari passus es, ut cum ea de Alexandri Molossorum regis interitu condoleres, nunc autem te dicendi facultate instructum esse negabis. Mulierem igitur peregrinam lugentem consolari potes, scripto autem abs te mercedis ergo plebiscito te ipse non defendes?

90. An vero talis est is quem corona donandum decrevisti, ut ab iis in quos beneficia contulit ignoretur, nisi quis se tibi in dicendo adjutorem præbeat? Percontare judices, norintne Chabriam, Iphicratem, Timotheum, et quære ab iis, qua de causa præmia illis tribuerint imaginesque collocarint. Omnes tibi uno ore respondebunt, Chabriæ *honorem concessum* ob navalem eam ad Naxum pugnam, Iphicrati quod Moram Lacedæmoniorum occiderit, Timotheo propter navigationem illam ad Corcyram *liberandam*, cæteris itidem, quorum multas quisque res ac præclaras bello confecerat. At Demostheni præmium quamobrem tribuetis, si quis roget? Quod muneribus corruptus, quod timidus sit, quod locum in acie deseruerit. Utrum igitur huic honorem habebitis, an potius et vos ipsos et eos qui pro vobis in prælio occubuerunt ignominia afficietis? quos fingite vos videre indigne ferentes et quiritantes, si iste coronabitur. Acerbum utique illud esset, Athenienses, siquidem ligna, lapides, ferrum, res mutas sensuque carentes, si quem delapsa exanimarint, exterminemus; ejusque, qui sibi necem consciverit, manum quæ hoc commisit separatim sepeliamus: Demosthenem, eum, Athenienses, qui ultimam hanc expeditionem decrevit, qui milites prodidit, honore vos ornabitis. Ergo contumelia afficiuntur mortui, vivi ad desperationem adiguntur, cum videant virtuti quidem mortem esse præmium propositum, memoriam autem suam interire.

91. Jam quod est omnium maximum, si a vobis quærant adolescentes, quodnam ad exemplum vitam suam conformare debeant, quid sitis pronuntiaturi? Probe enim nostis, non palæstra, non li-

terarum ludis, non musica tantum juvenes erudiri, sed multo etiam magis publicis præconiis. Prædicatur aliquis in theatro, quod corona donatur virtutis ergo ac fortitudinis et benevolentiæ, homo vita immodestus atque contaminatus? Adolescens hisce visis corrumpitur. Pœnas dedit improbus aliquis et in lenocinio versatus, ut Ctesiphon? Cæteri erudiuntur. Scitumne aliquis honesto atque æquo adversum tulit, inde domum reversus filium instituere aggreditur? At is jure non auscultat; monere enim et præcipere, merito hic obtundere nominatur. Quocirca non solum quasi judicantes, sed quasi omnium oculis observati, ita sententiam ferte, ut iis civibus rationem reddere possitis qui nunc quidem non adsunt, sed vos quid judicaveritis interrogabunt. Probe enim nostis, Athenienses, talem visum iri civitatem, qualis est ille de quo fit præconium: atqui turpissimum sit, vos non cum majoribus vestris sed cum Demosthenis ignavia comparari.

92. Quonam igitur modo hujusmodi dedecus evitari possit? Si eos scilicet qui nomina popularia et humanitatis plena præoccupant, moribus autem sunt infidi, caveatis. Benevolentia enim et popularis status nomen in medio posita sunt; verum ea verbis plerumque ante alios occupant, qui factis longissime ab iis distant. Itaque cum oratorem nacti fueritis coronarum externarum et præconiorum apud Græcos faciendorum cupidum, revocare eum jubete verborum probationes præconiorumque, sicut leges jubent, ad vitam laudabilem et mores modestos: cui vero hæc testimonia desunt, ei suas laudes constabilire nolite. Ita enim popularis imperii curam habebitis, vobis jam paulatim de manibus elabentis. Quid enim? non indignum vobis videtur, senatum populumque *nostrum* despici, literas autem ac legationes in privatas domos pervenire, non eas a vulgaribus quidem hominibus missas sed ab iis qui in Asia atque Europa principatum obtinent? Et quibus facinoribus capitale legibus supplicium constitutum est, ea se nonnulli committere non inficiantur, sed palam apud populum confitentur, et literas inter se conferunt recitantque, atque alii vos hortantur ut in ora sua, quasi popularis imperii sint custodes, oculos figatis, alii præmia poscunt, tanquam publicæ salutis conservatores: populus autem ob ea quæ acciderunt animo fractus, quasi senio confectus aut delirio captus sit, nomen solum dominationis popularis retinet, res quidem ipsas aliis concessit. Deinde ex concionibus disceditis, non ut qui consultaritis, sed veluti ex cœna collatitia fragmentis quæ supersunt distributis. Ut autem non inania me effutire constet, id quod dico ex his considerate.

93. Fuit hic—magno equidem cum dolore miserias civitatis sæpius commemoro—vir quidam privatus, qui ad Samum tantum navigare aggressus, tanquam proditor patriæ eo ipso die a Senatu Areopagitico morte mulctatus est. Alter item privatus Rhodum navi profectus, quod metum *publicum* non viriliter tulisset, nuper læsæ majestatis postulatus est, et pares calculos habuit: quod si unus duntaxat calculus aliter cecidisset, aut exterminatus esset aut morti addictus. Cum his igitur id quod nunc fit conferamus. Orator quidam malorum omnium *civitati* auctor locum in acie deseruit, ex urbe profugit: is se corona donari postulat et præconis voce prædicari oportere censet. Non vos hominem ut communem Græcorum pestem amandabitis, aut comprehensum, tanquam rerum prædonem verbis *quasi navigio* per rempublicam navigantem, supplicio afficietis? Ac temporis quoque memores sitis, in quo sententiam pronuntiatis. Paucos jam intra dies Pythia futura sunt Græcorumque cogetur conventus; magna hoc ipso tempore invidia laborat civitas nostra propter Demosthenis in rep. gerenda consilia: si igitur hunc corona donabitis, cum iis qui communem pacem violant consentire videbimini, sin aliter feceritis, populum his criminibus absolvetis.

94. Ne igitur quasi de aliena civitate sed ut de vestra propria consulite, neque honores spargite sed judicio adhibito tribuite; et præmia in melioribus personis virisque magis probatis collocate, neque solum auribus *exquirentes*, sed etiam oculis in vosmet ipsos conversis, dispicite, quinam vestrum Demostheni sint opem laturi? Utrumne qui ipsi in venatu, an qui in certaminibus gymnicis, dum esset adolescens, socii fuerunt? At medius fidius! non in apris silvestribus insectandis, non in corporis valetudine curanda versatus est, sed in machinis adversus locupletium fortunas struendis vitam produxit.

95. Sed vos arrogantiam hominis spectantes, cum dicet se Byzantium legatione e Philippi manibus extorsisse, Acarnanas ad deficiendum concitasse, Thebanis concionibus suis attonitos rapuisse,—vos enim eo jam stultitiæ processisse arbitratur, ut etiam hæc credituri sitis, proinde quasi Suadam in urbe vestra non calumniatorem alatis. Cum denique in extrema jam orationis parte sordium suarum socios sibi accerset, fingite vos intueri hoc ipso in suggestu, quo ego nunc insistens loquor, contra petulantem istorum improbitatem veluti acie instructos viros optime de republica meritos; Solonem qui pulcherrimis legibus popularis dominationis statum exornavit, virum et sapientiæ studio deditum et legum scriptorem præstantem, pudenter, ut ei conveniebat, vos obtestantem ne ullo modo Demosthenis conciones pluris quam sacramenta et leges faciatis; Aristidem qui vectigalia Græcis *communia* descripsit, cujus defuncti filias populus in matrimonium collocavit, contumeliosum justitiæ ludibrium stomachantem, percunctantem porro, an non vos pudeat, cum majores vestri Arthmium Zelitam, quod aurum a

Medis in Græciam deportasset, virum in civitate diversantem, cum populo Atheniensi hospitio conjunctum, tantum non interfecerint, ex urbe autem et ex omni, quod Atheniensium ditione tenetur, solo præconio exterminarint: Demosthenem, qui non aurum a Medis in Græciam deportavit, sed muneribus se corrumpi passus est eaque etiam nunc domi possidet, aurea corona donare. Themistoclem autem eosque qui apud Marathonem et Platæas mortem oppetiverunt, ipsa denique majorum sepulcra non putatis graves gemitus editura, si is, qui cum barbaris adversus Græcos se conspirasse profitetur, corona exornabitur?

96. Ego igitur, o Terra, Sol, Virtus, Intelligentia, Doctrina, qua honesta ab inhonestis discernimus! opem tuli et peroravi. Quod si recte et pro magnitudine criminis accusavi, dixi ut volui: sin deterius, ut potui. Vos autem, cum ex iis quæ dicta sunt, tum ex iis quæ silentio prætermissa, ipsi justam reique publicæ utilem sententiam pronuntiate.

ÆSCHINIS
EPISTOLARUM
INTERPRETATIO LATINA.

HIERONYMI WOLFII IN ÆSCHINIS EPISTOLAS ARGUMENTUM.

NOTUM est, Æschinem ob judicii ignominiam, quo accusatum Ctesiphontem, vel Demosthenem potius, reum non peregerat, quinta suffragiorum parte non accepta, cessisse Athenis, ac Rhodum se contulisse. Ubi has epistolas fere omnes scripsit, in quibus partim amicos de itineribus et statu rerum suarum certiores reddit; partim inimicorum insolentiam retundit; partim innocentiam suam apud Athenienses, quos monet, ut temerariis bellis abstineant, defendit, atque ab eis in patriam revocetur, petit.

I. AD PHILOCRATEM.

CUM ex Munychia vesperi solvissemus, circa meridiem, serenissimo Scirone flante, ad Neressum, Ceiorum oppidum, appulimus. Ibi novem dies ob adversum ventum desedimus: post rursus profecti sub auroram, Delum pervenimus. Sed Delii pestilenti quodam morbo laborabant. Nam facies eorum albugine opplebantur, capilli etiam candescebant, collum autem et pectus intumescebat: ceterum nulla febris accedebat, neque etiam dolores magni, neque partes corporis inferiores quicquam mutabantur. Hæc audierant ex Apollinis ira sibi accidisse, quod vir quidam illustris, contra morem veterem, in insula sepultus esset: ea igitur de causa deum sibi morbum immittere putabant. Nos autem, quasi ad gentem aliquam peregrinam, aut in exteri maris insulam, pervenissemus, et subito varium hominum colorem vidissemus, noctu aufugimus: alius alium inter navigandum sciscitantes, utrum eum colorem et capillum, quem domo quisque attulisset, retineret? Sed tempestas exorta, et ventus impetuosus, nos supra Cretam prope Psamathuntem abstulit. Quem locum cum jam in conspectu haberemus, reflat ventus Libycus. Deinde, cum septentrio nobis spiraret, rursus ferebamur, quinque noctes in mari versati, quibus Athronæ appulimus: ut disceremus non curare, si quis in sua patria, sive secundum, sive contra leges, corona donaretur. Atque inde quatuor diebus in navale quoddam Rhodium pervenimus, ubi in morbum et difficultatem spirandi incidi. Quo in loco dum manebam, cum morbus nihil levaretur, Rhodum trajeci, ac placide nos urbs excepit: statim enim ut eo transieram, multo melius habere cœpi. Atque hæc hactenus habuimus, quæ tibi scriberemus: cetera porro, uti quæque acciderint, significabimus. Felix sis: et caveas velim, ne quem te vel potentiorem vel imbecilliorem offendas.

II. AD CTESIPHONTEM.

Scripsit nobis Nicostratus, avunculus noster, te cum sibi non mediocriter insultare, tum mihi exprobrare quam propter te accepi calamitatem. Ego vero miror quid tibi acciderit, ut nobiscum domo egressis, tam multa colloquereris, ut crederem, te nihil eorum quæ dixisses, simulasse, intuens primum calamitatem meam, quam non incredibile putabam inimicis etiam esse miserabilem, deinde vultum tuum tristem, et pene lacrymabundum (itaque necessariorum nostrorum quibusdam mandavi, si qua re egerent, ut te accederent, eosque quidvis impetraturos esse promisi eis, atque ipse etiam sæpe ad te scripsi, iis de rebus quas Athenis consequi cupiebam), nunc vero nobis, qui tibi jam impedimento non sumus, qui nec tibi nec cuiquam Atheniensium obturbamus, insultas, nulla vel fortunæ vel ullius humanitatis habita ratione, atque post victoriam certamen renovas contra nos, qui et patria excidimus et dignitate privati sumus, et civitate et civibus et amicis. Ac quæ in me absentem convicia dicis, ea probabile est tibi quidem aliquid et invidiæ et odii paritura (non secus ac si mortuum aliquem insectareris) in urbe adeo leni et humana: ego vero propterea nihilo deterior existimabor, qui absens a te male audiam. Calamitosior quidem et miserabilior haberi queam: ut, qui olim nihilo vobis inferior fuerim, nunc autem nullam pro me vocem edere, ac ne audire quidem possim convicia. Jam senem moderatum exagitare, qui nullam ultionis spem habet, ut qui spem omnem in vobis ipsis adhuc habeat, qui eum ne ipsi quidem amplius conservare possitis, nonne turpe est? Ne feceris, obsecro te, ne feceris Ctesipho, neque si maxime nobis molestus esse studes, neque ullis malis nostris satiatus es, isto piaculo te liberosque tuos obstrinxeris: quos ea spe alis, ut senectutis tuæ imbecillitas in eorum præsidio conquiescat. Memento potius, ne Æschinem quidem huc se redactum iri unquam putasse, nec multos alios, qui majorem etiam in sua patria auctoritatem habuerunt, et splendore me ac te superarunt.

III.

Omnes alii qui per injuriam exsulant, aut reditum a civibus precantur, aut frustrati eo, patriæ maledicunt, ut quæ inique secum egerit: ego vero postquam in calamitatem actis in republica meis indignam incidi, et dum alios accuso, ipse sum condemnatus, moleste fero equidem, uti par est, sed nihil prorsus succenseo. Neque enim adeo væcors ego sum, ut, ex qua urbe Themistocles, qui Græciæ libertatem asseruit, pulsus est, atque ubi Miltiades, ob exiguum debitum senex in carcere mortuus est: ei urbi, Æschines Atrometi

filius exsulans succensendum esse arbitretur, si quid sibi Athenis usitatum acciderit. Imo potius ego hoc jure præclarum duco, me cum illis apud posteros in ignominia esse, et dignum habitum, qui similem cum eis fortunam experirer.

IV.

Posteaquam percontari tibi libet de Cleocrate, quis sit Cleocrates, audi. Desines enim gratis inquirere: neque abibis, priusquam longam audieris narrationem. Nam genere quidem inter omnes Græciæ viros non est obscurissimo: si de Ariphrone, qui est a Demageto oriundus, perconteris, quem magnus etiam extollit Pindarus. Sed vide ne ridiculus fias, si quæras, quis sit Pindarus. Nam id scriptum te arbitror aliquando una mecum apud Mantiam literatorem didicisse: et si nihil jam Mantianæ doctrinæ meministi, in concionibus certe Melanippum subinde dicentem audis, BEATÆ ET CELEBRES GRÆCIÆ PROPUGNACULUM ATHENÆ, atque addentem, Pindari esse hoc carmen: ob quod factum a Thebanis mulctatus fuerit: majores autem nostros duplam ei reddidisse mulctam, præterquam quod eum ærea statua ornarint: quæ quidem etiam usque ad nostram ætatem ante regiam porticum fuit: Pindarus cum veste et lyra sedens, diadema gerens, et in genubus complicatum libellum habens. Is igitur Pindarus Demagetum illum celebrat, ad quem refertur Cleocratis genus. Mentionem facit etiam idem Pindarus Diagoriorum, et aniculæ, quam maternum ejus genus attingit. Quod nisi compertum haberem, te poetarum esse contemptorem, et circumforanea ista studia, quæ nos perdiderunt, magis complecti, satis esse putassem, te admonere tantum Diagoriorum, recitatis Pindari versibus: nunc scio nos frustra tibi lyram illam recitaturos. Itaque necessarium mihi videtur, eam tibi rem narrare. Est enim audire operæ pretium, tametsi nihil ad Cleocratem attineat. Memoriæ proditum est, senem olim mulierem Olympiæ in stadium progressam, et viris adstitisse, et spectasse certamina. Cum autem Græcorum judices eam appellassent, cur ausa esset in stadium progredi? Respondisse: cui vero alteri mulieri deus hanc gloriæ prærogativam dedit? Nam ego et patrem habeo, et tres fratres, qui Olympia vicerunt, et filium ad Olympia duco. Hujus igitur anus, et hujus stirpis germen est Cleocrates: idque ex omnibus potius quam ex ipso cognosces. Ac plura dicere nolo; ne non solum indicare tibi, quod voluisti, quisnam sit Cleocrates, sed et laudationem ejus instituisse, videar, ut Thrasymachus hospitis sui, et hanc ei referre gratiam pro splendido convivio. Illud tantum dico, si anus illa hunc Cleocratem novisset, magis eo fuisse gloriaturam, quam quinque illis Olympiæ victoribus.

V.

Iuliades, quo maxime confisus fuisti, neque quum Rhodum venissemus, affuit, sed Lindi fuit: neque Rhodum reversus, admodum nos humaniter accepit, nisi quod vulgaria ista nunciari jussit, si qua re egeamus. Cleocrates autem quam insigni erga nos usus sit humanitate, ita me deus amet, scribendo satis consequi non possum. Effecit enim, ut ædes mihi publice darentur, et fundus Camiri, atque ipse etiam misit nobis commeatum qui vel in annum sufficiat, non mihi tantum, sed et Teuthranti, et Oplistiæ: qui quidem etsi minus lautus sit quam Atticus, veluti mel et oleum: talis tamen est, ut hoc instructi, illum non requiramus. Vinum autem vestrati multo præstantius, et bellaria confecta ex nuce pinea, farina et aromatibus: de quibus etiam tibi aliquid misi. Hæc nobis misit, et tot frumenti medimnos, unde non me tantum, sed omnes etiam Cothocidas sustentare possim: ac multa etiam alia præterea, quæ scribere pudet, ne minuta quædam consectari videar. Tametsi enim res perexiguas maximi facere, pusillitatis cujusdam et inscitiæ esse puto: tamen vel tenuissimis humanitatis officiis me devinciri fateor. Suppeditat nobis etiam exoticorum aprorum et caprearum delicias. Præterea et ipse quotidie nobiscum est, suaque nos impertit sapientia, quæ nostram excellit. Nam quæ ego accepto malo didici, ea ille, antequam accipiat malum, sua sapientia præcavet, et non, ut væcordes, experientia magistra. Neque enim capessit rempublicam. Ac quantum ad Cleocratem attinet, nullam aliam civitatem, homines alios nullos desidero, sed admodum mihi placet mea calamitas, ac vitæ principium videtur Atheniensis reipublicæ effugium. Et hoc statu usque adeo delector, ut (id quod Sophoclem jam senem de alia quadam voluptate dixisse ferunt) efficiat, ut voluptate reipublicæ gerendæ, tanquam rabioso cane, liberatus mihi videar. Unde, cum ratio dominatur, ter quaterque beatum me judico ob hoc exsilium: cum autem vicissim in mentem venit, non tantum amicorum, quos istic habeo, sed et cognatorum, et concionis, et Colytti (quo in loco V. et XXXX. annos habitavi) et Alesichorii, et colloquiorum, quæ ibi tecum et cum Philino habuimus, sanguis omnis in alium viscerum locum refluit, ac mihi aliquando et convicia quæ Demosthenes in me dixit, jucundissima videntur, et dicteria, quibus præter Ctesiphontem nemo unquam arrisit. Sed modus esto lacrymarum nostrarum. Tu vero felix sis, neque omnia duntaxat munera publica, sed et Leptinem fugito, quod et nobis infensus est, et alioqui talis ut eum vicisse nihil splendoris, ab eo superatum esse ignominiæ plurimum habeat. Atque in primis moneo, ut ejus congressus fugias: sin casu in eum

incideris, atque ille in nos aliquid dixerit, operam dato ut taceas, si potes, et rideas. Verum ille quidem satis graves pœnas dat, ut qui et risu et odio omnium dignus habeatur. Tu vero, nisi mare penitus extrimescis, ad nos aliquando venito, factaque nobis tui videndi copia, domum revertitor.

VI.

Aristo, qui has tibi literas reddit, primus nos Rhodi excepit. Profectus autem est Athenas ob negotium senis cujusdam affinis sui, pecuniam redacturus a Charmola mensario. Eum igitur humaniter excipias velim. Est autem minime delicatus, et nobis dignus. Cui ceteris etiam in rebus operam navabis: ut intelligat, se hominem excepisse, amicis non plane destitutum, sed Athenis nomen adhuc aliquod, et memoriam Æschinis exstare.

VII. SENATUI POPULOQUE.

Audivi quæ Melanopus apud vos dixerit, vestramque probavi humanitatem: Melanopo autem me non modo reversum ad vos dignam acta ejus vita gratiam relaturum arbitror, sed quamvis patria carens adhuc, tamen ut par sim fortassis, operam dabo. Nam ego, Melanope, secundum leges hac me calamitate esse usum fateor: accidisse mihi tamen hoc leges defendenti, atque id agenti, ne quis contra eas corona donaretur. Adversus igitur in gerenda republica casus communes mihi est cum Themistocle, et Aristide, et multis aliis, quorum summus in urbe splendor fuit: illud autem quod jam mater tua tibi præest, qui non ita pridem inter sexviros fuisti, et pater tuus ter in carcerem conjectus est, tu autem bis mille drachmis venundatus, florem ætatis tuæ una cum Timarchi gregalibus adolescentibus prostituisti, hæc tibi non jam esse communia cum Themistocle, et Aristide justo existimo. Sed cum vobis aliquando visum fuerit, denuo coram cum Melanopo agam: nunc autem vobis de benevolentia, quam absenti mihi præstitistis, cum obturbaretis, et audire nolletis eos, qui nobis maledicebant, magnam habeo gratiam. Æquius tamen et melius fuerit, me ipsum sinere respondere conviciatoribus, iis decretis, quæ sæpe multis jam decrevistis, qui maxima in vos peccata commiserunt: sin minus, secundo loco vos oratos volo, ut potius maledicos nostros audiatis, quam gratificandi specie conviciatoribus non audiendis, gravioris injuriæ faciatis suspicionem, quam quæ dici verecunde possit.

VIII.

Tu quidem hactenus non provenisti ad nos, sed morbos, et judicia,

et quævis potius causaris, quam non veniendi ad nos voluntatem: Nicias vero pridem venit, et Andronides. Quod si nunc saltem cum Philino (audio enim eum abiturum esse) ad nos proficisci decreveris, fortassis adhuc aliqua tibi defensio relinquetur, bellumque hoc componetur. Sin ne cum illo quidem exire decreveris, tu quidem subinde scribes te venturum, ego vero semel duntaxat moleste feram.

IX.

Cum ad Physcum trajecissem, ac diem illum quievissem, non ex ignavia, sed quod spirandi difficultas ingravescere videbatur, ut noctu id malum remisit, atque ego melius habere cœpi, ad Ammum profectus, fundos inspexi. Ac illi quidem mihi pulcri ac varii sunt visi. Nam et olivetum est, et multæ arbores, et vites crebræ, et sata plura, et pascua pulcra: domicilium vero nullum, vel mediocre, sed rudera omnia. Excepit nos Mironides valde humaniter. Fundos igitur duobus talentis comparavi. Et nunc tale domicilium molior, quale ego re tenui moliri queam, quique hic habitaturus sum, non, ita me dii ament, æquo animo, civitate mea privatus, præsertim tali, in qua siquis se habitaturum existimaret, minus dolere posset.

X.

Cimo, ut in qualibet urbe et litore nobiscum egerit, nullius necessitudinis, nullius legis habita ratione, cum ad Ilium perveni, spectandæ et terræ et maris causa, quæque ibi viderim, quoniam uberem suppeditare materiam videntur, scribere supersedebo—vereor enim ne poeticis nugis instituendis ineptire videar—,Cimonis autem facinora et immodestiam, non mihi si centum sint linguæ, dicere possim. Nam cum multos Ilii dies versaremur, et spectaculo Pergamorum non satiaremur, mihique in animo esset manere, donec omnes Iliadis versus ad ea contulissem, de quibus illi facti essent: incidit dies, qua plerique periclitantur conjugia filiarum, quas lex et ætas nubere sinit. Fuerunt autem complures nupturæ. Et moris est in Trojana terra, nupturas virgines ad Scamandrum ire, ex eoque lotas, verba hæc tanquam sacrum quiddam recitare: CAPE MEAM SCAMANDER VIRGINITATEM. Inter alias igitur virgo quædam nomine Callirrhoe, procera, et illustri patre nata, ad fluvium venit lavandi gratia. Nos una cum cognatis nupturarum, et ceteris turbis, eminus festum, et lavacra virginum, quatenus fas nobis externis erat, spectabamus. At bonus iste Cimo se occulit in frutice Scamandri, atque arundinibus coronat: instruxerat autem nimirum [illegible] die stratagema illud, atque insidias contra Callirhoen. Cum autem lavaretur, et de more verba illa pronunciaret, ut posterius cognovi, CAPE MEAM SCAMANDER VIRGINITATEM, prosiliens e fruticibus Scamander Cimo, libenter, inquit, accipio, et sumo Callirhoen Scamander: et multa in te conferam beneficia. Hæc cum diceret, simulque abripuisset puellam, se occultat: non tamen res etiam occultatur. Sed cum quatriduo post pompa esset Veneris, et recens nuptæ ei pompæ interessent, nos quoque illam spectabamus. Sponsa autem Cimonem conspicata, ut nullius mali sibi conscium, una mecum spectantem, honorem ei præbuit: et nutricem intuita, vides, inquit, mea nutrix, Scamandrum, cui virginitatem dedi. Quo illa audito exclamat: itaque facinus divulgatur. Ut vero domum ingredior, prehendo Cimonem, et ita cum eo ago, uti par est, vocans nefarium, et dicens per eum periisse nos. Is vero nihil ea re perterritus, neque verecundatus ob ea quæ fecerat, fabulas narrare cœpit prolixas, undique eos connumerans, qui cruciatu digna commiserant. Nam et in Magnesia idem circa Mæandrum fluvium aiebat esse factum a quodam indigena adolescente. Ex quo etiam hodie Attalum pugilem pater, inquit, non suum, sed Mæandri esse filium, persuasum habet: eaque de causa illum adeo carnoso et robusto esse corpore. Cum vero multis acceptis plagis, viribus destitutus abit, fluvium ei indignatum ait, quod eum patrem non proclamasset. Cum igitur succumbit, non ei deest excusatio. Et circa Epidamnum rursus eodem modo Carionem aiebat Musicum præ stultitia credidisse, puerum ex adultero natum esse filium Herculis. Ego vero, non procreavi puerum, inquit, sed collocutus semel sum cum puella jam exoleta, lavantem cum una anicula conspicatus. Præterea mihi videtur, inquit, ut res Ilienses prorsus terribiles et tragicæ sunt, nobis etiam aliquid esse perferendum, et, tanquam, in Comœdiis, circa Scamandrum patrandum aliquid. Tum ego nihil aliud nisi, quo tandem evaderet tanta impudentia exspectans, lapis pene factus sum, adeo mihi res incredibilis videbatur. Ille vero tertium etiam Apollinis et Bacchi adulterium tentaturus erat scilicet, donec ego vidi turbam ad januam accedentem. Tum, hoc illud est, inquam, combustum nos adveniunt, et statim per posticum ad Melanippidem confugi, inde vesperi ad mare prorsum versum, deinde ad hospitium eo vento appulimus, quem nemo navigans toleret, nisi qui Cimonium piaculum fugiat. Talia cum perpessus sim, ea tibi scribenda esse duxi, ut qui gravius etiam quam ego ipse laturus esses: tu vero, ut arbitror, affatim ridebis.

XI. SENATUI POPULOQUE ATHENIENSI.

Aliis de rebus quibusvis, prius etiam, ad vos mihi scribendum esse putabam—neque enim id quoque, ei, cui vestram rempublicam calamitas ademisset, ereptum arbitrabar—, sed dare consilia, et negotiis alienis implicari, non parvæ incontinentiæ mihi esse videbatur in eo, qui administratæ reipublicæ tam graves dedisset pœnas, nisi cum

et res postularet, et vos peteretis. Alioqui ne familiarium quidem aliquibus facile esse suadere existimabam, nedum civitati: et vobis esse alios qui reipublicæ dicendo agendoque consulere possent. Reliqui enim non paucos. Sed quia eorum alii obierunt, multi simili mecum calamitate sunt conflictati, et respublica eorum a quibus gubernetur penuria laborat,—audio autem quosdam per literas turbare statum civitatis—, jam non recuso, ea quæ mihi e republica esse videntur qua sola ratione licet, per literas explicare, quod si me nunc etiam facere cum Macedonibus dicunt, et falsæ legationis, aut Græciæ proditæ etiam absentem aliqui accusant, paratus sum ultra et Rhodum et universam Græciam fugere, si volent, et ad Persarum et Medorum regem proficiscar. Etsi me stare a Persis et Medis nemo unquam dixit, et omnium minime Demosthenes. Sed ne ibi quidem ea scribere desistam, quæ urbi profutura videbuntur, non gratificaturus vobis, ut alii quidem, sed libere moniturus. Sciendum enim est, eos magistratus, qui magis objurgare vos, quam gratiam vestram aucupari videri volunt, maxime ad gratiam loqui, delecta ea assentandi via, quæ sub velamento libertatis delitescat —nam hæc est gratificandi civibus et ducibus via multo malitiosior—, quam ingressi quidam Athenis, me et adhuc apud vos superstite, sic enim mihi dicendum est, et nunc, quantum in vobis est, mortuo, vestram culpant ignaviam, ut qui nolitis imperare Græciæ, et ad principatum adhortantur, ut quem obtinere possitis. Vos vero malle debetis cum opinione ignaviæ videri Græcis imperare posse, quam, retenta vestra alacritate, viribus destitui. Audio enim, Alxandro defuncto, quosdam exhortari vos ad rerum novarum studium: ego vero ea me vobis suadere vellem, quæ in posterum prodessent. Neque enim ignorabam, testor Jovem optimum maximum, ceterosque deos, magnificum esse, barbaros perpetuo oppugnare, et Græcos in libertatem vindicare, et hoc patrum etiam nostrorum fuisse institutum: verum, ut optima quæque velitis, id in vestris animis esse situm, ut autem exsequi etiam possitis, secunda etiam fortuna vobis esse opus. Existimabam igitur, vos quoque meminisse oportere, nos, etsi ad Athenienses scribamus, ad eos tamen scribere Athenienses, non apud quos rempublicam Themistocles administravit, sed ad eos, qui, cum animis nihilo sint illis inferiores, non easdem habent ad gerenda bella facultates. Nam qui Græcia digna scribunt: danto vobis trecentas triremes: danto triginta millia talentum argenti, et auri puri puti tria millia: danto virorum ætate et robore florentium tantum multitudinem, in armis jam exercitatorum: et suadere desinunto—ipsi enim sciemus quid sit agendum, ubi ea quæ probata nobis fuerint, exsequi poterimus—, neque nugas agunto, frustra laudandis majoribus nostris, et regione, illos in ea et pro ea fuisse natos, etiam Deos in ea esse ortos. Rogate

eos, quid in Chæronensi pugna urbi Atheniensium profuerit, quod Mars suam causam cum Neptuno in Areopago disceptarit? Enimvero illud considerandum est, an ad prælio decertandum cum Antipatro, aut quovis alio Macedonum rege, justas vires habeamus. Quod si erit, diis approbantibus, sumptis armis, Græcos in libertatem asseramus. Sin hoc quidem neglexerimus, assentationibus autem inducti, superati fuerimus, qui fieri poterit, ut in calamitatem non incidamus; præterquam quod nosmetipsi in mala conjecisse videbimur, quæ sola res in miseriis nullam consolationem habet? Est autem et reipublicæ et viri sapientis officium, de statu rerum pro ratione horum temporum deliberare: audaciam vero, ad res quas gerendas suscipias, ex veteri potentia concipere, qua olim magna præditus fueris, id perinde esse videtur, ac si quis sæpe Olympiæ victor, post ubi consenuerit, adhuc nomen suum profiteatur, et scribas evocet, eosque roboris, non quod jam habet, sed quod olim habuit, commonefaciat. Est etiam consideratu dignum, cujusmodi ea sint, quæ ab eis dici audio, quam nova et mirabilia: dum nos concordes esse jubent, tanquam id magnum rebus gerendis afferat adjumentum. Quasi vero vos ignoretis, id quidem cuivis urbi sive bellum gerenti, sive pacem agenti, esse optimum, illud autem nobis spectandum esse, non an bellum suscepturis concordia sit ineunda—nam concordes esse nos, sive bellum gerentes, sive quiescentes, omnibus de causis oportet—, sed an justas vires habeamus, si et bellum gerere et concordes esse voluerimus, ut scimus omnes. Quoad autem non ostenderint, nec quos bellum gesturi exercitus habituri simus, nec quam pecuniæ copiam, sed Minervam belli vadem nobis dederint, statim eos nihil ab insanis differre existimabimus. Ac illum quidem, ut merebatur, homo nimirum mentis errore affectus, jure repudiastis: isti autem contenti esse debent, si nihil mali patiantur, dum absurdas excogitant orationes, et ne reliquias quidem ullas vobis superesse sinunt, sed has etiam iis invident, qui fungi officio cupiunt; donec Thebanorum exemplo republica administrata, regionem nostram in ovium pascua converti, urbem everti coegerint. Nec enim eo quod res male se habent, providendum non est, ne deteriores etiam fiant.

XII. SENATUI POPULOQUE ATHENIENSI.

Ego ad rempublicam accessi, annos tres et triginta natus, cum mehercule non tertias actitare partes didicissem, ut Demosthenes dicebat, sed illud comperietis, me et scribendi liberaliter, et mediocris doctrinæ, et ejusmodi orationum rationem habuisse, quas haberi Athenis deceret. Atque eas non ad calumniam contulisse, neque ulli civium, accepta pecunia, periculum creasse, neque etiam contumelias vendidisse, sed prorsus contumeliis non affectum fuisse, ne-

que causam contumeliæ mihi faciendæ ulli suppeditasse, ac ne in judicium quidem ullum civem adduxisse, extra solum Timarchum. Neque jacto apud vos, me, cum permultas apud vos pecunias accipere potuissem, non accepisse: sed, ut conveniebat, pœnas legibus sumpsisse. Post etiam Ctesiphontem, multa ab eo perpessus, multa item a Demosthene, violatarum legum reum feci, justissimo, o Dii immortales, judicio. Neque vero mirum est, Demosthenis eloquentiam et legibus vestris et verbis meis fuisse superiorem. Illud autem, non exiguum fortassis apud vos argumentum exstitit bene gestæ a me reipublicæ, quod, ne Demosthene quidem accusante, illorum criminum, quorum ille me reum fecerat—cum quidem iis ob quæ nunc exsulo longe graviora essent—, fuerim condemnatus. Post hanc autem calamitatem, me penitus non vobis duntaxat, sed omnibus etiam Græcis notum esse factum opinor. Quis enim nescit, homines ut mortuos, ita etiam patria exsulantes, qui, et quibus moribus fuerint, maxime cognosci? Nam et quæ prius ipsi contegebant, ea illis e medio sublatis perspicue cernuntur; et omnes inimici multo magis eos criminantur, cum jam se defendere non possunt. Qui autem ob id crimen exsulant, quasi hostium commodis perpetuo studuerint, omnino et mores et consilia in gerenda republica sua evidenter demonstrant. Neque enim quo pacto calamitates ferant, et ut erga patriam sint affecti, ulla ratione celare possunt. Nunquid ergo, ut qui patriam meam Philippo prodiderim, et in reipublicæ fraudem mala fide legationem obierim, quippe Macedonum cultor, ut primum a vobis ejectus abii, ad Alexandrum me contuli, ut et gratia pro meritis ab eo mihi referretur, et rationibus meis consuleretur? Neque vero non videbam, Demadem cauponas Bœotias tenere, et fundos XX. boum jugis arare, et aureas habere phialas, Hegemonem autem et Callimedontem, alterum Pellæ, alterum Berrhœæ, cum munera accepisse, tum matronas honestissimas uxores duxisse. Neque etiam a vobis ad Thebanos aut in Thessaliam abii, aut ad alios quosdam, apud quos mihi convicia in patriam aut dicenda, aut ab aliis audienda essent, sed Rhodum sum profectus, in hominum urbem, qui nec vobis inimici sunt, nec inimicitiarum appetentes. Nam proxime patriam consistere mihi videbatur eorum esse, qui calamitatem quasi eluderent magis quam æquo animo ferrent: cum quam longissime ab ea multo magis discedendum fuerit, neque ullum in oculis habendum monimentum, quod animum cruciaret. Ac ne Rhodi quidem mansi: sed delegi Stereæ parvum quoddam castellum Ammon, ibique emi prædia tot talentis, duobus videlicet, quot emi ab eo consentaneum erat, qui olim Philippi, post Alexandri mercenarius fuerat, quique Macedonibus et Phocenses, et Græcorum prodiderat libertatem. Hic sedeo cum septem famulis, et duobus duntaxat sodalibus; et matre, quæ anno ætatis tertio et septuagesimo navigavit mecum, particeps futura inflictæ mihi per vos calamitatis; et cum uxore, quæ una mecum ex urbe excessit, prohibente eam patre, et legibus fortasse manere cogentibus, magis gnara morum civitatis, quam legum; et cum tribus liberis, qui ne nunc quidem suam calamitatem intelligunt, nec qualem sibi nascentibus patriam dii dederint Atheniensium civitatem, et quali, statim ut nati fuerant, sint urbe privati. Ac alii quidem, ut video, suos liberos vel in Bœotia vel in Ætolia natos ad vos mittunt, ut vestra disciplina erudiantur: quibus vero hæc a natura tributa fuerant, cum patris essent, non populi beneficio in urbem adscripti, aut ob turpia facinora condemnati, hi exsulant adhuc infantes, et in paupertate educantur, in solitudine et exsilio paterno. Ac de Lycurgi liberis ad vos scribit Demosthenes, et recte facit, qui paternum eis debitum condonari petat, et vos nihil aliud egistis nisi quod Athenienses decebat, ac miserti eorum condonastis—vestri enim moris est, facile et irasci et redire in gratiam—: ego vero a vobis impetrare non potero, si pro meis orem, non modo ne in orbitate alantur, sed ne simul et orbi sint et exsules, cum nihil peccarint, quippe pueri, neque alia ratione sint condemnati, et perpessi tamen omnia quæ condemnatis usu veniunt. Tandem recordamini mei, Athenienses, et precibus meis benigne locum date, nunc nostri rationem habentes. Agite ergo, Athenienses, concedite ea, quæ vestri moris sunt, et moderatione utimini. Neque a vestris moribus recedetis, neque gloriam vestram destruetis, quam bonitatis et humanitatis nomine, majorem quam ceteræ urbes omnes, estis consecuti, neque plus valeat Melanopus, qui vobis obstat, quo minus vestram bonitatem et humanitatem imitemini, quam qui vos adhortatur, et is quidem non Æschines—nequaquam medius fidius, neque enim ego satis aut virium aut facundiæ habeo, ad persuadendum patriæ meæ, præsertim cum nunc meam causam agere videar—, sed civitatis mos, et antiquum vestrum nomen, et majorum consuetudo. Quæ pluris facienda est scilicet, quam Melanopus, qui ea flagitat quæ vobis sunt indecora.

ÆSCHINIS ORATORIS

OPERUM

INTERPRETATIONIS LATINÆ

FINIS.

Londini imprimebat J. F. Dove, in Area quæ est Divi Joannis.